6373

Preservado

Spes Vnica

D. D. FRANCISCI

A MOSTAZO

J. U. D. ALVEARENSIS,

ANTEA ILLUSTRIS VILLÆ DE COLMENAR VIEJO,

Nunc verò insignis Oppidi de VALLECAS Rectoris;

TRACTATUS

DE CAUSIS PIIS

IN GENERE, ET IN SPECIE.

OPUS NON SOLUM JUDICIBUS, ET VISITATORIBUS Ecclesiasticis valdè utile; verùm etiam Sæcularibus, Ecclesiarum Rectoribus, Confessoribus, & Advocatis summè necessarium.

TOMUS SECUNDUS.

CUM TRIPLICI INDICE; PRIMO LIBRORUM, ET CAPITUM; Altero Rerum notabilium; Tertio Locorum Juris.

VENETIIS, M.DCCXV.

Apud Paulum Balleonium.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

Ad usum de Fr. Diego de Ballesteros Corso profeso de el Real Monast.o de Ona. Costa en la de Somos en Sh.o 25 de Octubre Año 1825

D. D. FRANCISCI

A MOSTAZO

I. U. D. ALVEARENSIS,

ANTEA ILLUSTRIS VILLÆ DE COLMENAR VIEJO,

Nunc vero insignis Oppidi de Valderas Rectoris;

TRACTATUS

DE CAUSIS PIIS

IN GENERE, ET IN SPECIE.

OPUS NON SOLUM IUDICIBUS, ET VISITATORIBUS

Ecclesiasticis valde utile; verum etiam Secularibus, Ecclesiarum Rectoribus, Confessoribus, & Advocatis summe necessarium.

TOMUS SECUNDUS,

CUM TRIPLICI INDICE; PRIMO LIBRORUM, ET CAPITUM;

Altero Rerum notabilium; Tertio Locorum Juris.

VENETIIS, M.DCC.XV.

Apud Paulum Balleonium.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

SERIES LIBRORUM ET CAPITUM,

Quæ in hoc Secundo Tomo de Cauſis Piis in genere, & in ſpecie continentur.

LIBER QUINTUS.

De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis; itidem de Monaſteriis, ac Capellis, Altaribus, Oratoriis, & Oblationibus. *pag.* 5

CAP. I. ECcleſias ædificare Religioſum, & pium eſt. Refelluntur Hæretici. Eccleſiæ variis nominibus olim nuncupabantur. ibid.

II. De Eccleſiis, & Monaſteriis ædificandis, & de requiſitis ad eorum exſtructionem. pag. 8

III. Proſequitur materia antecedens, & de nova erectione Eccleſiarum ex neceſſitate ab Epiſcopo facienda. Elucidatur caput 3. *de Eccleſ. ædific.* 17

IV. Proſequitur materia antecedens. 27

V. De Eccleſiis ſponte, & piè ab aliquibus privatis ædificandis, & quomodo acquiratur juſpatronatus earum. 35

VI. De reparandis Eccleſiis. 45

VII. De Capellis Regum, & aliorum privatorum. 57

VIII. De Altaribus: & Elucidantur textus *in cap. Altaria* 31 *cap. Altaria* 32. *de conſecr. diſt.* 1. 66

IX. De Altarium ornatu: de Imaginibus: de cuſtodia Euchariſtiæ. 74

X. De Oratoriis publicis, & privatis. Elucidantur textus *in cap. Unicuique* 33. *cap. Clericos* 34. *cap. Si quis* 35 *de conſecr. diſt.* 1. 81

XI. De Oratoriis Epiſcoporum, & Regularium. Elucidatur caput fin. *de privil. in* 6. 91

XII. De oblationibus in Eccleſiis faciendis. Exornatur caput *Omnis* 69. *de conſecr. diſt.* 1. 96

LIBER SEXTUS.

De funeribus, eorumque ſumptibus: de teſtatis & inteſtatis: de Sepulturis. *pag.* 105

CAP. I. DE funeribus, eorumque ritibus. ibid.

II. Proſequitur materia antecedens. 115

III. De juribus funerandi ex privilegio Regularibus conceſſis. 124

IV. De impenſis funerum, & quæ iſtæ impenſæ dicantur. 133

V. Qui impenſas funeris expendere debeant: & de earum privilegiis. 141

VI. De teſtatis, & inteſtatis circa funeris impenſas, & alia opera pia. Elucidantur lex 30. & 32. Tauri, lex 6. *tit.* 4. & lex 13. *tit.* 6. *lib.* 5. *Recopilat.* 155

VII. De ſepulturis Eccleſiaſticis, & de earum differentia. 167

VIII. Quo in loco quos ſepeliri debeat. 174

IX. De electione ſepulturæ. Elucidantur textus *in cap.* 1. *cap. Fraternitatem* 3. *cap. Cùm liberum* 6. *cap. De uxore* 7. *cap. In noſtra* 10. *de ſepult. cap.* 1. *eod. tit. in* 6. 185

X. Quibus denegetur ſepultura Eccleſiaſtica. 195

XI. Proſequitur materia antecedens, & de pœnis contra ſepelientes has perſonas in loco ſacro. Et aliqua de ſepulchro violato. 202

LIBER SEPTIMUS.

De diversis Causis Piis, & primò de Eleemosyna: pag. 208

CAP. I. QUid sit Eleemosyna, & quotuplex, & quomodo differat ab oblatione. ibid.

II. Quando eleemosyna sit de præcepto. 211

III. De his quæ licent tempore necessitatis extremæ: & quomodò extremè egens sit subveniendus. Elucidatur lex 3. *C. de Patrib. qui filios suos distrax.* 215

IV. De his quæ licent in gravi necessitate. 221

V. De quibusdam personis in necessitate constitutis, quibus competit privilegium ne conveniantur, nisi in quantum facere possunt, & de illo beneficio. Elucidatur textus *in l. Sunt quis 16. ff. de re judic. cum seqq.* 224

VI. Prosequitur materia antecedens. 230

VII. Explicit materia ista, & elucidatur caput *Odoardus 3. de solutionib.* 237

VIII. De necessitatibus publicis, & quomodo subveniendæ sint, & de Tributis. 245

IX. Prosequitur materia antecedens de Tributis. 253

X. Prosequitur materia necessitatis publica. De donativis, & penuria panis. 258

XI. Qui possint facere eleemosynas, & de quibus rebus. 265

XII. Quæ sint personæ capaces eleemosynæ 270

XIII. De Quæsitoribus eleemosynarum. 273

XIV. De charitativo subsidio, & de subsidio & excusato. 275

LIBER OCTAVUS.

De obligatione Ecclesiasticorum dandi eleemosynas, & faciendi opera pia ex redditibus Ecclesiasticis, tam in vita, quàm in ultima voluntate. pag. 286

CAP. I. QUæ sit obligatio Ecclesiasticorum dandi eleemosynam, vel faciendi opera pia ex redditibus Ecclesiasticis, & à quo jure procedat. ibid.

II. De quibus bonis, & redditibus Prælati, & Beneficiati tenentur dare eleemosynam, vel alia opera pia facere. 290

III. De Ecclesiasticis, quos hoc præceptum dandi eleemosynam ex superfluo ultra congruam adstringit. 294

IV. Prosequitur materia antecedens. 300

V. De donationibus quæ possunt inter vivos facere Prælati, seu Beneficiati ex redditibus consanguineis, extraneis, & concubinis. 308

VI Prosequitur materia antecedens de donationibus faciendis ex redditibus concubinis, filiabus spuriis, & consanguineis. 315

VII. Quid possint Prælati, seu Beneficiati facere ex redditibus ad statum consanguineorum, aut fundandos majoratus, & de largitione munerum Religiosorum. 321

VII. De donationibus ex redditibus factis ab Episcopis, aut Beneficiatis in ægritudine. Elucidatur textus *in cap. Adhæc 8. de testam.* 329

IX. De testamentis Episcoporum, & Beneficiatorum. Exornatur textus *in cap. 1. de peculio Cleric.* 333

X. Quando permissum est Episcopis, seu Beneficiatis testamentum ex redditibus condere. 339

XI. Quid possint disponere Clerici circa suos filios spurios, vel naturales ex redditibus, aut aliis bonis, tam inter vivos, quàm in ultima voluntate. 345

XII. Prosequitur materia antecedens de dispositione ultimis voluntatibus facta à Clericis, vel ab aliis patribus spuriis. 350

XIII. De testamentis Religiosorum: & elucidatur Authentica *Si qua mulier, C. de Sacros. Eccles.* 358

XIV. De spoliis Episcoporum, & Beneficiatorum, ubi non testantur: & de luctuosa. 367

D. D. FRANCISCI A MOSTAZO

J. U. D. ALVEARENSIS,

DE CAUSIS PIIS LIBER QUINTUS.

De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis; itidem de Monasteriis, de Cappellis, Altaribus, Oratoriis, & Oblationibus.

CAPUT PRIMUM.

Ecclesias ædificare pium, & Religiosum est. Refelluntur hæretici. Ecclesiæ variis nominibus olim nuncupabantur.

SUMMARIUM.

Ecclesias ædificare pium, & religiosum opus est, & sacris litteris commendatum, num. 1. Id non solum cognitum à fidelibus, verùm etiam ab infidelibus, num. 2. Et concluditur, n. 3.

Ecclesia unde dicatur? Formalis est cœtus fidelium visibilis, num. 4. Negant hæretici, num. 5. Sed refelluntur, num. 6.

Et ibidem explicatur Isaiæ caput 2. prout alia Scripturæ testimonia, à n. 7.

De formali Ecclesia hìc non agitur, sed de materiali, ac de ejus ædificatione, & reparatione, n. 10. Necessaria est Ecclesia ad sacrificium Missæ, & ad orandum, num. 11.

Templa materialia impugnant hæretici, n. 12. & 13. Sed latè refelluntur, & explicantur aliqua testimonia Scripturæ, à n. 14. usque ad 19.

Hispani ad anno 37. Christi Domini Templa extruxere, num. 20.

Ecclesiæ variis nominibus olim nuncupabantur: ab initio Ecclesiæ Catholicæ, Ecclesiæ, non verò Templa, dicebantur, ad differentiam Gentilium, vel Iudæorum: postea verò id abolitum, n. 21.

Dicebantur aliquando Concio, n. 22. Domus Dei, Dominicum n. 23. Explicatur Concilium Tullense can. 74. ibid. Lex debet esse clara, n. 24.

Dicebantur etiam Ecclesiæ, Ædes sacræ, n. 25. Etiam Martyrium, seu Martyrum Ædes, ubi quiescebant Martyrum reliquiæ, n. 26.

Appellabantur etiam Titulus, Memoria, Concilium Sanctorum, & Oratoria, & aliquando Semnion, n. 27.

ECclesias ædificare, ac reparare, valdè pium, & religio- 1
sum esse, tum Deo gratissimum, absque dubio est credendum, *cap. fin. dist.* 96. D. Chrysostomus in *Act. Apostol. orat.* 18. Idque non solùm in sacris litteris ostenditur, quando Dominus Salomoni Templum ædificare præceperat, 1. *Paralipomenon, cap.* 28. verùm etiam quando tempore impiissimi Herodis illud reparare decrevit. Crudelis verò Rex postquam magnis sumptibus Palatia excelsissima exstruxerat, & videret Templum Domini non rectè constructum, in reædificatione Zorobabel per octo annos egregiè reædificavit. Res quidem Domino ingrata non fuit, verùm gratissima; ostendebat siquidem id Deus, dum tota dies per illud tempus serenitate clarescceret, & noctu solùm imbres necessarias mittebat, ut terra daret fructum suum; prout ex Josepho Gerione *lib.* 5. *c.* 26. scripsit Matute *Prosapia de Christo, 4. edad. c.* 5. §. 3. Barbosa *de Vniversò jur. lib.* 2. *cap.* 2. *nu.* 1. Solorzano *de jur. Ind to.* 2. *lib.* 3. *cap.* 23. *n.* 4. Pineda *Histor. Ecclesiast. lib.* 10. *c.* 10. §. 1.

Idque non solùm cognitum fidelibus, verùm etiam Ethni- 2
cis, qui quidem magnopere curarunt templa, seu sana diis falsis sacrare, ubi numina invocarentur, & sacrificia libarentur. Thebani verò insignem urbem ædificantes, à quibus nomen *Thebas* suscepit, in primis Templum Misericordiæ construxerunt. Statius *lib.* 12. *Thebaidos*. Et demonstravit D. Paul. *Act. c.* 17. ibi: *Præteriens vidi simulachra vestra*, id est Templa, prout ibidem explicat Lyra. Similiter Ephesii Dianæ templum construxere, cui etiam Deæ Nostri apud Rosas alterum insigne sacrarunt, prout etiam templum Herculis habuerunt apud Tarisam, ut diximus *l.* 3 *c.* 10. *n.* 40. Lacedæmones Palladi templum dicarunt. Dionysius Halicarnasseus *lib.* 2. *Antiq.* Strabo *lib.* 1. Juven. *Satyra* 8. Romani quoque nondum suam ædificaverant urbem, quando jam in Capitolio locum ad Diis sacrificandum destinarunt. Livius *lib.* 1. *ab urbe condit.* Plutarch. *in Romulo*, & Ovidius *lib.* 4. *Fast.* Quorum templorum adeò numerus creverat, ut essent infinita apud Romanos, quorum varia fuere nomina, & inter alia *Tesca*, sive *Tescua* dicebantur, à tuendo, vel quia in tutelam erant Numinis, aut quia ibidem homines tuebantur. Varro *de lingua Latina l.* 6. Festus *verbo Tesca*, Chassaneus *in Catal. glor. mund.* 12. *p. consid.* 62. Bobadilla *in Polit. l.* 2. *c.* 44. *n.* 7. Urrutigoyti *de Eccles. Cathed. cap.* 15. *n.* 90.

Ex his igitur constat, quàm piũ, & religiosum sit Ecclesias 3
con-

conſtruere, vel reparare, Capellas, Oratoria, & alia loca erigere, ubi Deo optimo ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebratur, ubi etiam preces Deo fundunt fideles & ſpeciali cultu Deum venerantur: quamobrem in hoc libro de his diſſerere curabimus, cùm de cauſis piis agamus, quarum celebris cauſa iſta eſt. Spino *de teſtam. gloſſ. 3. in princip. n. 5.* Barboſa *d. cap. 2. nu. 1.* Riccius *in Praxi for. 4. p. reſol. 352. & 3. part. collect. 553.* Antonell. *de Regim. Eccleſiæ Epiſcopal. lib. 1. c. 10. n. 3.* Solorzano *d. cap. 23. à n. 1.* Valenzuela *contra Venet. 2. p. ex n. 6.*

4 Eccleſia enim dicitur à quodam verbo Græco ἐκκλήσις, quod ſignificat evocationem, ſeu cœtum evocatorum: quapropter Eccleſia dicitur cœtus, ſeu congregatio vocatorum; qui enim ad illam perveniunt, non proprio nutu, ſed Dei vocatione congregantur. Unde Paulus 1. *ad Corin. c. 1. verſ. 2.* ait: *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Jeſu, vocatis Sanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini Jeſu Chriſti.* Et infra, *verſ. 9. Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus, Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Idcircò Eccleſia eſt unus cœtus viſibilis hominum ejuſdem Chriſtianæ fidei profeſſorum, & communione eorumdem Sacramentorum colligatorum, ſub regimine legitimorum Paſtorum, & præcipuè unius Chriſti Vicarii in terris Romani Pontificis. *Act. Apoſt. cap. 15. verſ. 4. c. Eccleſia 65. de conſecr. diſt. 4. cap. 1. §. una, de ſumma Trinit. cap. cùm Clerici 19. de ſignific. Extrav. Unam ſanctam, de majorit. & obedient.* Fagnanus *in c. Firmiter 1. de ſumma Trinit. n. 4.* Cano *de locis Theolog. lib. 4. c. 2.* Bellarm. *de Eccleſia militante, to. 1. controv. l. 3. c. 2* Somnius *de Eccleſia Dei, tract. 8. c. 2.* Petr. Greg. *partit. jur. lib. 1. tit. 4. c. 1. & lib. 2. Syntag. c. 1. n. 2.* Laſtra *ad Decret. tit. 1. cap. 1. ſect. 1. q. 1.*

5 Hanc enim Eccleſiam diverſis modi impugnare tentant hæretici; verùm illo præcipuè, ut inviſibilem dicant, & à ſolo Deo cognitam, quia nimirum dicunt tantùm conſtare fidelibus, qui ſunt de numero electorum, quos tantùm Deus cognoſcit, ut ex Calvino, & aliis refert Bellarm. *d. cap. 2. verſ. Quinta ſententia, & c. 11. per tot.*

6 Sed tamen hæreticorum error ex multis Scripturæ teſtimoniis revincitur; eſt enim locus Iſajæ *cap. 2.* ſatis clarus: *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons, domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite aſcendamus ad Montem Domini, & ad domum Dei Jacob.* Et quamvis aliqui PP. intelligant Montem Domini, id eſt Chriſtum? non tamen ab aliis diſſentiunt, intelligentibus hunc locum de Eccleſia Militante: nam de Chriſto, & Eccleſia ibi eſt ſermo, tanquam de corpore, & capite. Tum etiam, quia Propheta loquitur de monte, & de domo Dei; utpotè de re diverſa; quamobrem intelligendus locus ille de Eccleſia Militante viſibili, ad quam omnes gentes perveniunt, & ſub ſuo capite congregantur, ut optimè explicat Suarez *contra Reg. Angliæ lib. 1. c. 7. n. 6.*

7 Cæterùm refelluntur ex Matth. *cap. 5.* ibi: *Vos eſtis lux mundi, non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita.* Hæc enim civitas Eccleſia eſt, ut multis in locis explicat Auguſtinus *tract. 1. & lib. 3. contra Parmen. cap. 5. & lib. 2. contra Petilian. cap. 32 & in Pſal. 18.* explicans, *In omnem terram exivit ſonus eorum*, ſcripſit: *Eccleſia vera neminem lateat, unde eſt illud, quod Euangeliſta dicit: Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita.* Undè facilè cognoſcitur, Eccleſiam viſibilem eſſe, itaut nequeat abſcondi, nec latere.

8 Rurſus, multoties quando Scriptura loquitur de Eccleſia, ut de re viſibili loquitur. *Act. Apoſtol. cap. 15.* dicitur: *Illi quidem deducti ab Eccleſia pertranſibant Phœnicem.* Et ibi: *Cùm veniſſent Hieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia*; quæ quidem convenire non poſſunt Eccleſiæ inviſibili, prout in multis locis, in quibus D. Paulus aſſerit, perſequutam fuiſſe Eccleſiam Dei, 1. *ad Corinth. cap. 15. & ad Philippenſ. 3.* Conſtat autem, qui eam perſequerentur, *Act. Apoſtol. cap. 9.* quod nequit ſimiliter intelligi de Eccleſia inviſibili, ſed de viſibili.

Denique ratione probatur, nam in Actis Apoſt. *cap. 20.*
9 demonſtratur, Prælatus adeſſe in Eccleſia Dei, quibus commiſſum eſt regere congregationem Fidelium. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Eccleſia enim dicitur congregatio, ſeu cœtus Fidelium, quem viſibilem eſſe, abnegare inſanum eſt: quapropter Eccleſia Dei viſibilis Eſt. Idque à poſteriori probatur, nam habet caput, nempe Vicarium Chriſti Domini, & alios Paſtores viſibiles: ſunt in ea Sacramenta, & Sacerdotium viſibile, ſicut & grex viſibilis. Ergo Eccleſia Militans viſibili eſt, ut latè proſequuntur Bellarm. *d. lib. 3. cap. 12.* Suarez eleganter *d. cap. 7. per tot.* Cano *d. lib. 4. cap. 2.* Somnius *d. tract. 8. à cap. 2.* Turrianus *de Fide, diſp. 14. dub. 1. verſ. 2. & dub. 2. verſ. 2.* P. Gregorius *d. cap. 1. à n. 1.*

De Eccleſia hoc modo ſuſcepta ſermo noſter non eſt; hæc 10
enim ædificatur, & reficitur ſermone, & operibus Prælatorum, ſanctis monitis & ſalutaribus, & aliis modis pertinentibus ad ſpiritualem ædificationem, Petr. Gregorius *d. lib. 1 tit. 4. cap 9.* Eſt tamen ſermo noſter de Eccleſia materiali, id eſt de Templis: quo etiam modo in ſacris Litteris ſumitur, Judith *cap. 6.* ibi: *Poſtea verò convocatus eſt omnis populus, & per totam noctem intra Eccleſiam oraverunt, petentes à Deo Iſrael.* Paulus 1. *ad Corinth cap. 11. verſ. 8. Alias Eccleſias exſpoliavi.* Et *ad Galat. cap. 1. verſ. 2.* Caſtro *adverſùs hæreſes, lib. 6. verbo Eccleſia, in principio*, Cano *d. c. 2. n. 1.* Quamobrem in Decretalibus rubrica eſt, *de Eccleſiis ædificandis*, ubi Eccleſiæ ſumuntur pro Templis materialibus, indigentibus materiali ædificatione, & reparatione: quarum apud Chriſticolas maxima adeſt neceſſitas, ut ibi tanquam in domo Dei ſacrificium noſtrum optimum Deo libemus, & ubi Dominus noſtras deprecationes benigniùs exaudiat. Idq; optimè demonſtrat Scripturæ teſtimonium 2. *Paralipom. c. 7. verſ. 12.* ibi: *Apparuit ei autem Dominus de nocte, & ait: Audivi orationem tuam, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificii: ſi clauſero cœlum, & pluvia non fluxerit, & mandavero, & præcepero locuſtæ, ut devoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum. Converſus autem populus meus, ſuper quos invocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis ſuis iniquis: & ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit. Elegi enim, & ſanctificavi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.*

Hanc ob rem Apoſtoli Domini quam primùm loca ad 11
orationes, & pteces deſtinarunt, & ad ſacrificandum: de quo eſt teſtimonium Euſebii Cæſareenſis *lib. 2. hiſt. Eccleſ. c. 17.* quod quidem ſecretò factum eſt in locis ubi perſequutio urgebat, & diu obſervatum, niſi ubi pacificè Chriſtiani vivebant. Joan. Nicolaus *in Enchirid. Sacerd. tit. 4. c. 1. nu. 34.* Nicephorus *hiſt. Eccleſiaſt. lib. 7. c. 49.* Caſtro *adverſùs hæreſes lib. 14. verbo Templum, in fine*, uſque dum adveniente Conſtantino, publicè plura Templa exſtruxit, & licentiam ad id conceſſit, *c. Futuram 15. 12. q. 1.* Covarruvias *pract. c. 31. n. 1. & lib. 4. var. c. 16. n. 8.* Severinus Binius *tom. 1. Conciliorum S. Sylveſtri Papæ, ex libello de magnificentia Conſtantini*, Platina *in Vita S. Sylveſtri, fol. mihi 38.* Mexia *in Vita Conſtantini, c. 2.* Polydorus Virgilius *de invent. lib. 5. c. 6.* qui aſſerit, Pontificem Eugenium I. decreviſſe Templa exſtruere: quod exequutum tempore Pii Pontificis, precibus Praxedis, mulieris celeberrimæ virtutis, Bivar. *ad Dext. anno Dom. 312. fol. mihi 375.* Petr. Greg. *d. c. 9.*

Verùm rem tam ſanctam, & Domino gratam, hæretici 12
quidam impugnant. Primò enim hujus erroris Author fuit Euſtachius, cujus meminit Concilium Gangrenſe, ſed refellit *cap. 5. c. Si quis docet 10. diſt. 30.* ipſe enim non ſolùm contemnebat Templa, & Eccleſias Deo ſacratas, verùm irridebat. Sopita eſt hæreſis iſta, donec Vvaldenſes eam ſuſcitarunt: errorem hunc inſequentes Pſeudapoſtoli, non ſolùm Eccleſias contemnebant, & irridebant, ſed impudentia loquentes, Eccleſiam conſecratam dicebant non amplius prodeſſe, nec adorandam eſſe, quàm ſtabulum porcorum. Taboritæ, quorum Princeps Ziſcha fuit, Eccleſias invaſerunt, & ſpoliarunt: Maſſaliani, & alii Hæretici hanc inſaniam fuerunt inſequuti: quos referunt Caſtro *adverſùs hæreſes l. 14. verbo Templum*, Lantmeter. *de vet. clericor. vict. lib. 2. c. 58. verſ. extat autem.*

Sed tanti erroris ſumunt fundamenta ex illis locis, ubi 13
ſcriptum eſt, Deum non habitare in locis manufactis, *Matth. cap. 5.* ibi: *Cœlum Dei ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum eius.* Et *Act. Apoſtol. 17.* ſic: *Nec in manufactis templis, nec humanis manibus colitur.* Unde Manichæi perceperunt, Deum Teſtamenti veteris, præcipientem ſibi ædificari Tabernaculum, & Templum, non eſſe verum Deum, ſed malum principium, & repugnare cum Deo Teſtamenti novi, nolente Templa. Verùm eos optimè refellit D. Auguſt. *lib. contra Adimantum, c. 10.*

Sed

14 Sed tamen testimonia illa pro hæreticis non faciunt. Deum ubique esse, nec alicujus loci ambitu cultum ejus circumscribi assero; quia in omni loco levantes manus exaudit. Quapropter sanctissimi Patriarchæ diversis in locis Deum exorarunt. Moyses in medio maris, Job in sterquilinio, Ezechias in lectulo, Daniel in lacu, Pueri in camino ignis, Latro in cruce, Petrus & Paulus in carcere, & omnes ad sydera tollentes manus exauditi sunt. Attamen sine tantæ Majestatis minutione, imò cum maxima ipsius venerationes in certis quibusdam locis, id est in Templis ad id sacratis, præcipuo quodam cultu adoratur, & veneratur, ut benè expendit Durantius *de Rit. Ecclesiæ lib. 1. cap. 2. num. 1.* Unde testimonia illæ Scripturæ nihil probant pro hæreticis.

15 Cæterùm aliter testimonia illa interpretatur Bellarminus *d. lib. 3. cap. 2. vers. At è contrario*, nempe Deum magnoperè templa approbare in utroque Testamento in quibus adoratur, & colitur; non tamen approbat templa, in quibus putetur includi, quomodo Idola, & Dii Gentium inc ludebantur, nec inde poterant exire, nisi qui eos affixerant, asportarent; hoc enim majestatem suam plurimum læderet, quæ habet cœlum, ut sit ejus sedes; & terram ceu scabellum pedum ejus, ut dicit Isaias *cap. 66. vers. 1.*

16 Hinc asserendum, Dominum approbare Templa, & Ecclesis, in quibus ut in deputato loco colitur, & veneratur; quamobrem Christus Dominus maximo zelo Templi venerationem prospiciebat, *Matth. cap. 12. vers. 12.* ubi ementes & vendentes ejecit de Templo, dicens: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Et *Joan. cap. 2. vers. 16.* his verbis: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Tam suis sermonibus maximè honoravit. *Matt. c. 26. vers. 55.* dum dixit: *Quotidie apud vos sedebam docens in templo.* Et Joan. *c. 18. vers. 20.* ibi: *Ego palam loquutus sum mundo. Ego semper docui in Synagoga, & in Templo.* Quod item Apostoli fecerunt, *Act. Apostol. cap. 5. vers. 20.* ubi dixerunt: *Ite, & stantes in Templo loquimini plebi omnia verba vitæ hujus. Qui cùm audissent, intraverunt diluculò in Templum, & docebant.* Unde percipitur apertè tam longè abesse, ut Dominus non approbet Templa, quin potiùs illa zelet, & honoret, prout domum Dei, specialiter dicatam ad cultum, & orationem Fidelium, ut semper in Ecclesia Dei est adservatum à tempore Apostolorum, ut diximus supra, & cum aliquibus Patribus docet Bellarminus *d. cap. 4. lit. P.*

17 Rursus id probatur ratione; nam Populus Christianus debet aliquoties convenire ad res sacras, nec enim Missa velet celebrari, nec concio fieri ad singulos; quare necessariæ sint Ecclesiæ, & Templa, ubi conveniant, & unione animorum concilientur: quamobrem Ecclesiæ, & Templa utilissima sunt. Quod non solùm à Fidelibus approbatum est, verùm ab Ethnicis: Augustus enim Cæsar, cùm collapsa aliqua templa videret, & inde homines ad illa non conveniebant, ut sacrificarent, ea refecit. Suetonius *in ejus vita, c. 30.* ibi: *Ædes sacras vetustate collapsas, aut incendiis absumptas refecit.* Inde Ovidius *lib. 2. Fast.* Augustum Templorum inventorem nominat.

Templorum positor, Templorum sancte repertor.

18 Ubi Casaub. pro *Repertor*, legit *Refector*; quod antea observaverant Reges Israel, prout fecerunt Joab. & Josias, *Paralipomenon. cap. 14. & lib. 1. Regum. c. 12. & 22.* reficientes Templum Domini, *cap. fin. 96. dist.* Bobadilla *in Polit. lib. 2. c. 18. n. 135.*

19 Deinde sacrificium novæ legis est nobilius omnium sacrificiorum veteris legis: quapropter sicut ad illa peragenda factum est templum, Paralipom. *1. c. 7.* similiter necessarium est templum ad agendum nobilissimum sacrificium novæ legis. Quod idem est dicendum de oratione, quæ cùm nobilissima sit, requirit nobilissimum locum, prout sunt Ecclesiæ sacræ, & Templa, Basilius *lib. 2. de Baptismo, q. 8.* Quamobrem maximè inter Christicolas sunt templa probanda & maximo honore prosequenda, ut latè, & eruditè docet Bellarminus *d. c. 4. per tot.* Castro *d. lib. 14. verbo Templa* Lantmeter. *d. cap. 58.* Coriolanus *in Breviario, fol. 65.* Anastasius Germonius *lib. 1. de sacror. immunit. c. 1. n. 11.* Villarroel. in *lib. Iudic. pag. 241.* Spino *de testam. gloss. 3. a n. 5.* Mendoza *ad Concil. Illiberit. lib. 2. c. 45. à vers. Hinc etiam*, Petrus Peckius *de reparandis Ecclesiis, c. 1.* Roa *lib. 5 singul. de die nat. cap. 5.* Pasqualigius *de sacrific. Missæ, q. 436 n. 4.*

20 In nostra verò Hispania hæc veritas à Christi Domini anno 37. summoperè suscepta, & summa pietate, & religione exequuta, ac observata est, nam cùm D. Jacobus, nostrorum Apostolus, ad Hispaniæ Carthaginem appulisset, totam peragravit, multasque Ecclesias erexit, & præcipuè primum templum Cæsarauguste Beatæ Mariæ Christi Matri ædificavit, sacravitque. Sic testatur Flavius Dexter anno Domini 37. & ab urbe condita 788. ibi: *Nam Jacobus sanctus Apostolus, Zebedæi filius, peragratis urbibus Hispaniæ, multisque erectis Ecclesiis, & Episcopis creatis ex advenis, Petrum Bracharæ primum reliquit Episcopum, ac Templum, vel Oratorium Beatæ Virgini, ex ejus jussu & præsentia super columnam, Cæsarauguste erexit.* Convenit etiam Haubertus, qui anno 37. postquàm descripsit, Jacobum Apostolum Domini totam Hispaniam peragrasse, multos Episcopos insimul creasse, Ecclesiis ipsis designatis, quas nominatim refert, tandem sic effatur: *Maria Virgo, sine macula concepta, apparuit Iacobo super columnam in urbe Cæsaraugustana, prædicantes discipuli juxta aqua Iberi fluvii, cum societate multorum Angelorum, & dixit Jacobo: Ædifica in hoc agro Ecclesiam mei honoris, ubi ero venerata usque in die judicii* Et infra: *Ædificavit Iacobus multas Ecclesias, scilicet Cæsarauguste, Segoviæ, Juliobrigæ, Ceucæ, Luci, Illiberi, Valentiæ, Barcinone, Dertusæ, omnes Episcopales.* His tamen Historicis antiquissimis ab aliquibus detrahitur, sed immeritò; ex eorum enim contextu facilè probatur, minimè mentitos fuisse, sed veros esse, tam ex simplicitate verborum, quàm Historiæ consequutione, varia nomina, & tempora integra serie recensentes, quod quidem ferè impossibile est ementiri, absque magnis, & crebris absurdis. Tum detractio illa odiosa, & ignominiosa est nostræ Hispaniæ, ubi à tanta religione, & honoribus exuitur, variis conjecturis in rebus historicis contemnendis. Quamobrem Patres Bivar, Cano, & Argaiz, eruditissimi illorum commentatores sunt magnoperè laudandi, qui summo labore viros istos antiquitate obscuratos ad lucem evocarunt meliorum Historicorum auctoritatibus illustrantes. Qui verò id negarunt, ut suis placitis deservirent, negant, Authores, evasionem sic invenientes. Verùm ad rem certum est, S. Jacobum totam Hispaniam peragrasse, & multas fundasse Ecclesias, inter illas templum, seu insigne Oratorium B. Mariæ Cæsarauguste jussu & præsentia Sanctissimę Viriginis, & postea SS. Petrus & Paulus alias erexere. Illustrant & probant Calixtus III. in Bulla data Romæ 5. Kalendas Octobr. 1456. D. Mauris *lib. 1. cap. 23.* Morales *en la Hist. de Espana, lib. 9. c. 7.* Mariana *lib. 4. cap. 2.* Sanchez *de rebus Hisp. lib. 2. cap. 1.* Ribadeneira *in vita S. Iacobi*, Cubero *en su Peregrinacion, c. 16.* Mendosa *quodlib. 5.* Delrio *disquisit. Mag. lib. 2. quæst. 26. sect. 4.* Villegas *in vit. B. Virginis, cap. 23. vers. En el tiempo*, Bivar. *ad Dextr fol. 59.* & Argaiz *ad Haubert. fol. 97. anno 37.* Unde apertè cognoscitur, quamprimùm Hispani legem Christi Domini susceperе, hanc pietatem religiosam erigendi Ecclesias exercuisse, quæ adeò in dies crevit, ut in Ecclesia Dei nulla sit terra tantis, Ecclesiis, Monasteriis, Eremitoriis & Oratoriis populata & condecorata.

Illud verò in primitiva Ecclesia adservatum, ut loca sacra nominarentur Ecclesiæ potiùs, quàm Templa; cùm enim Deorum ædes Templa dicerentur, ne Christiani æquivocationem haberent cum Idolorum ædibus, rarò Templa dicebantur, ut falsorum Deorum fana Templa dicebantur. Id apud Tertullianum observatur *de Idololatria, c. 1.* dum Deorum ædes Templa dicit: *Quo ore thurarius Christianus, si per templa transibit, fumantes aras despuat.* Qui paulò antea de domo Dei loquens, dicit Ecclesiam: *Interdictio homicidii ostendit mihi ab Ecclesia lanistam arceri.* Eoque nomine passim D. Paulus Ecclesiam designat, *1. ad Corinth. 11.* ibi: *Convenientibus vobis in Ecclesiam.* Et postea: *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Et rursus *cap. 14. Mulieres in Ecclesia taceant.* Hinc constat quod ut plurimùm domos Deo dicatas & sacratas, Ecclesias veteres Christiani dicebant, rarò templa, ne adhuc nomine cum Idolorum templis æquivocarent, ut cum Pamelio observat Lantmeter *d. cap. 56. vers. extat*, Durantius *d. cap. 1. num. 6.* Urrutigoyti *de Eccles. Cath. c. 15. num. 31.* vel alia ratione, quam probabilem dicit Durantius *de Rit. Eccles. lib. 1. cap. 1. num. 7.* ne cum Judæis confuderentur, qui quidem donum Dei, Templum dicebant, ubi Aaronis sacrificia fiebant: ast postea succedente tempore, promiscuè Templa, & Ecclesiæ dicebantur. Ambrosius *lib. 2. offic. cap. 21. & 28.* 21

Hieronymus *ad cap. 7. Hieremiæ*, Auguſtinus *lib. 8. de Civit. Dei*, *cap. ult. & ſerm. de tempor.* 252. Durantius *d. cap. 1. n. 6.* Mendoza *Concil. Illib. lib. 2. cap. 45.* Magiſtris *Sylv. Eccl. lib. 1. cap. 2. n. 2.*

22 Nec his ſolùm nominibus ædes ſacræ, ad Dei veri cultum, & fidelium orationes dicatæ, Eccleſiæ, aut Templa dicebantur, *cap. ſi quis obieceris 71. d. 3.* verùm aliquando vocabantur *Concio*; licèt enim aliquando populum congregatum hoc verbum ſignificet, Cicer. *in Læl.* ibi: *Concio, quæ ex imperitiſſimis conſtat, tamen judicare ſolet.* Saluſtius: *Itaque concione advocata, hujuſmodi orationem habuit.* Attamen etiam uſurpatur pro loco ubi conventus fit. Gellius *noct. Attic. lib. 18. cap. 7.* Livius *lib. 1.* ait: *Vocato ad Concilium populo, immiſſis faſcibus, in concionem aſcendit.* Unde etiam Eccleſia, ubi populus convenit ab ſacra peragenda *Concio* aliquando dicebatur. Durantius *d. c. 1. n. 1.* Urrutigoyti *d. c. 15. n. 34.*

23 Domus Dei nominabantur Eccleſiæ, ut ex Laodicenſi Concilio *cap. 28.* tranſcripſit Gratianus, Græcum explicans in *c. Non oportet. 4. diſt. 42.* unde & aliquando Dominicum dicta eſt Eccleſia; ſic enim congregata edicit 6. Synodus in Trullo *can. 74.* ibi: *In Dominicis locis.* Quæ quidem loca, Eccleſiam ipſam exponit Zonaras. Cyprianus *de Eleemoſyna*, ait: *Quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis.* Fortunatus *lib. 3. de Eccleſiaſticis Officiis.* Durantius *d. c. 1. num. 3.* Lantmeter *d. cap. 58. in princip.* Urrutigoyti *d. cap. 15. num. 42.*

24 Sed tamen id non ita certum eſt; nam canon ille 74 loquitur de Dominicis locis, & Eccleſiis, tanquam de re diverſa: idque aliqui ex Athanaſio percipiunt, ſcilicet Dominicum locum nondum conſecratum dici, Eccleſiam verò locum conſecratum vocari, & alia addunt quæ congeſſit Durantius *d. cap. 1. num. 3.* Sed tamen, quod diximus probabilius videtur; Dominicum enim adjectivè ſumptum ad templum Domini refertur, quo in ſenſu Eccleſiam ſignificare probabilius videtur. Nec obſtat Concilium in *d. can. 74.* non enim intelligendum, ut de re diverſa loquutum, ſed tantùm explicativè, ut lex illa, ſeu Decretum clarum fieret, quæ eſt qualitas neceſſaria in condenda lege, *c. Erit 2. diſt. 4. l. Leonis 10.* ubi Gloſſ. *C. de pact. l. Leges ſacratiſſimæ 9. C. de legibus, l. Tanta 2. §. Hoc autem, Cod. de vet. jur. enucleando.* Quapropter contrarium non probat. Illud verò cum Durantio obſerves, *d. cap. 1. num. 4.* Dominicum ſubſtantivè ſumptum pro ſacrificii oblatione uſurpari ab aliquibus Patribus, ut ſunt D. Auguſtinus *epiſt. 86. ad Caſulanum, & in Brevicul. collat. 3.* Tertull. *lib. 2. ad uxorem*, Cyprianus *epiſt. 63.* Urrutigoyti *d. c. 15. n. 45.*

25 Ædes etiam ſacræ dicebantur Eccleſiæ, ut paſſim nominantur: Baſilicæ quoque *d. cap. Non oportet 4. diſt. 42. cap. Omnes Baſilicæ 10. 16. quæſt. 7.* Concilium Sardicenſe *can. 20.* & apud SS. PP. paſſim hujuſcemodi nominantur, S. Auguſtinus *de Civit. Dei lib. 1. cap. 4.* S. Paulinus *epiſt. 11. & 12.* Præſtitque rationem D. Iſidorus *lib. 15. cap. 4.* ſic: *Ideò divina Templa, Baſilicæ nominantur, quia ibi Regi omnium Deo cultus, & ſacrificia offeruntur.* Sed tamen ex aliis fortè majori ratione uſurpatum hoc nomen Eccleſiæ, quia Baſilica Palatium dicebatur, ubi judicabantur cauſæ, eaque excellentiſſima architectura fiebat, ſuis ambulatoriis conſtructa in ſimilitudinem Templi, ad quam multi conveniebant; ex qua quidem metaphora Eccleſiæ dictæ ſunt Baſilicæ, ubi plurimi congregantur ad ſacra peragenda, tum ex ſtructura formæ illius. Calepinus *verbo Baſilica.*

26 Dicebantur etiam Martyrium, ſeu Martyrum ædes ſacræ, ubi reliquiæ Martyrum quieſcebant. Iſidorus *de lib. 5. cap. 5. l. Generali 13. l. Decernimus 16. C. de ſacroſan. Eccleſiis, l. 7. tit. 18. lib. 9. in C. Theodoſiano.* Quapropter Conſtantinus magnificum Templum in Calvario conſtruxit, & Martyrium dicebatur; ut ſcripſit Euſebius *lib. 4. de vit. Conſtantini, cap. 40.* Nicephorus, & alii recenſiti à Durantio *d. cap. 1. num. 8.* Gotofredus in *dict. l. Generali, litt. N.* Urrutigoyti *d. cap. 15. à n. 49.* Quod quidem nomen apud Græcos communiter receptum, apud Latinos non Martyrium, ſed Confeſſio dicebatur, ut probat Durantius *d. n. 8.* qui advertit, quando confeſſio pro ſepulchro, vel corpore Martyris uſurpatur, licet uſus Eccleſiæ dividebat Martyres à Confeſſoribus; Martyres enim dicebantur, qui in tormentis uſque ad mortem perſeverabant in profeſſione fidei Chriſti Domini: Confeſſores qui citra mortem, in carcere, aut in tormentis Chriſtum Dominum confeſſi ſunt. D. Hieronymus *epiſt. 84.* D. Cyprianus *l. 2. ep. 6. & 7.*

Dicebantur etiam Eccleſiæ Titulus, Memoria, 27
Concilium Sanctorum, & Oratoria. De qua re Pamelius ad Tertullian. *lib. de Idololatria*, Baronius ab anno 57. Durantius *d. cap. 1. per tot.* Lantmeter. *d. cap. 58. in principio.* Urrutigoyti *de Eccleſ. Cath. cap. 15. à num. 56.* Ant. Fabricius *de rudim. Iur. Can. lib. 3. tit. 5. verſ. in primis.* Eſt tamen apud Euſubium *lib. 2. de Hiſtor. Eccleſiaſtica, cap. 16.* aliud nomen ædis ſacræ, ſcilicet, *Semnion.* Verum hoc nomen commune non erat omnibus Eccleſiis; ſed tantùm auguſtum Templum, ſeu Monaſterium ſignificat, quòd Latinè locus ſeparatus, & ſolitarius dici valet, in quo aliqui ſeparati, ſeu ſejuncti, vitæ piæ, ac religioſæ operam navabant; nihil enim cibi, aut potus ſecum aſportabant, ſed tantùm leges, & Oracula à Prophetis divinitùs edita; hymnoſque recolebant, & alias denique res, quibus pietas creſcat, & perficiatur. Mendoza *ad Concilium Illiberit. lib. 2. cap. 45.*

CAPUT II.

De Eccleſiis, & Monaſteriis ædificandis: & de requiſitis ad earum exſtructionem.

SUMMARIUM.

Hæretici ſemper curant deſtruere Templa Dei, quod aliquando Deus permittit ob peccata populi, n. 1.

E contrario Catholici ſumma cura Eccleſias ædificant, & à Deo magnis beneficiis proſequuntur, n. 2.

Ad Eccleſiarum ædificationem duobus modis pervenitur, aut ex liberalitate pia, aut ex obligatione juſtitiæ, & ex neceſſitate. Eccleſia, ſi habeat bona, ex eis eſt conſtruenda. Tertia pars fructuum ad ædificationem applicabatur; hodie vero agitur prout eſt in uſu, n. 3.

Si non habeat bona, ex decimis illius eſt ædificanda; his deficientibus, Populus tenetur ad contributionem, numer. 4. Si ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ prædium alicujus eſt neceſſarium, pretio ſoluto, tenetur vendere, & ad id poterit compelli, licèt regulariter non compellatur. Compellitur quis vendere, quoties majus commodum affertur Reipublicæ, quàm privato, num. 5.

Extenditur hæc doctrina ad Monaſteria, & ad alia loca pia, & non ſolùm ad ædificationem, & reparationem, ſed ad ampliationem, & prædium contiguum, ad viam neceſſariam ad intrandum in Eccleſiam, Tum etiam ſi fundus ſit communis, ſocii compelluntur vendere, n. 6.

An quis compellatur in ſpecie prædium urbanum aut ruſticum, quod ſit fideicommiſſi perpetui, aut Majoratus, vendere? Negatur, num. 7. Sed in contrarium eſt communis ſententia, quoties cauſa publica adeſt, hæc vendi, & alienari debere, ſive pro pace, ſcholis, & aliis, n. 8.

Limita, niſi grave damnum poſſeſſori, & familiæ irrogaretur, num. 9.

An quando domus, ſed prædium eſt alterius Eccleſiæ, vel pii loci, poſſit fieri hæc compulſio ad vendendum pro conſtructione, vel reparatione alterius. Prima ſententia negat, num. 10. Secunda affirmat, num. 11. Reſolvitur, à n. 12. & 13.

An perſona privata poſſit cogi ad domum, ſeu prædium vendendum, quando Eccleſia, ſeu Monaſterium non eſt neceſſarium, n. 14. Prima ſententia negat, n. 15. Secunda affirmat, n. 16.

Quis compellitur vendere ad ornatum urbis, & nobilis pauper cogitur vendere palatium deſtructum, ibid. Reſolvitur, a num. 17.

Propter commoditatem Clericorum, vel Religioſorum, quis vendere non eſt compellendus, nec id permittendum, ibid. & n. 18. cum ſeqq.

Vnus vicinus ſine gravi damno cogitur vendere prædium, ſeu domum ad ædificandam Eccleſiam, ſeu Monaſterium non neceſſariam, n. 21.

Hæ coactæ venditiones faciendæ ſunt pretio juſto, ibid. Explicatur lex 15. §. ſi fortè 2. ff. de rei vindicat. n. 22.

An

An quando Eccleſia, ſeu Monaſterium non habuerit pecuniam venditor compellendus ſit habere fidem de pretio, Ponitur ratio dubitandi, num. 23. Communis ſententia negat, num. 24. Intelligitur quando non eſt extrema, aut gravis neceſſitas Eccleſiæ, ſeu Monaſterii, num. 25.

Remedium legis 2. Cod. de reſcind. vendit. *non admittitur in his coactis venditionibus, nec coactio fieri valet, niſi pro re integra, & damno ſoluto, num. 26. Eccleſia ædificata in ſolo alieno, non cedit ſolo, ibid.*

Ad ædificandas Eccleſias, ſeu Monaſteria, requiritur licentia Superioris; ad Eccleſias in locis non exemptis ædificandas in Diœceſi, requiritur licentia Diœceſani: Pontificis verò licentiæ in locis exemptis. Explicantur caput de locorum 4. *caput* Præcepta 5. de conſecr. diſt. 1. *Sufficit tacita licentia, n. 27.*

An hæc licentia ſit à principio neceſſaria. Prima ſententia affirmat, num. 28. Secunda negat, nu. 29. Explicatur, num. 30.

Si Ordinarius hanc licentiam abſque cauſa præſtare renuerit ad Superiorem recurritur, num. 31.

Ad conſtruendam Eccleſiam Cathedralem requiritur licentia Pontificis, nec alterius ſufficiet. Idem ſi Cathedralis Metropolitana fiat, vel quando diſmembraretur, num. 32.

An Epiſcopus poſſit Eccleſiam Collegiatam conſtruere propria authoritate. Prima ſententia affirmat, num. 33. Secunda negat, num. 34. Reſolvitur, & explicatur textus in cap. Quoniam 9. de vit. & honeſt. Clericor. *à num. 35*

Explicatur textus in cap. ad audientiam 5. de Eccleſiis ædificand. *num. 38. Admittitur ſententia negativa, & comprobatur, à num. 39. Epiſcopus nequit creare Canonicos, niſi ex augmento, aut diminutione reddituum, ibidem.*

Epiſcopus nequit creare Collegium, n. 41. Solo Papa conſtruit Eccleſiam Collegiatam, ibid.

Ad erigenda Monaſteria requiritur licentia Pontificis, prævia cauſæ cognitione, & citatione aliorum Prælatorum, ſi ſit Mendicantium Monaſterium, n. 42.

An ſufficiat ſola licentia Epiſcopi cum cauſæ cognitione, & citatione. Prima ſententia affirmat, n. 43. Secunda aſſerit, duas licentias eſſe neceſſarias, nempè Papæ, Epiſcopi, n. 45. Reſolvitur, ibid. Abſque alicujus licentia poſſunt Religioſi hoſpitia conſtruere, ibid.

Sed Monaſteria debent ædificari cum his duabus licentiis, admiſſa ſecunda ſententia, n. 46.

Licentia danda ab Epiſcopo nequit præſtari à ſuo Vicario, abſque ſpeciali mandato, n. 47.

Ad translationem Monaſterii requiritur Pontificis licentia, ſed ait requiritur nova licentia Ordinarii? prima ſententia negat, ibid. Religioſi non ſubſunt Epiſcopo, niſi in expreſſis, n. 48 privilegia certis Religioſis conceſſa aliis communicantur, ibid.

Secunda ſententia affirmat, quia caſus omiſſus relinquitur in diſpoſitione juris communis, n. 49. Explicatur textus in cap. ſi quis vult 41. 16. quæſt. 7. *n. 50. & 51. Etiam explicantur caput* ex auctoritate 4. de privilegiis in 6. *caput unicum* de exceſſib. Prælat. in 6. *nu. 51. Reſolvitur eſſe neceſſariam licentiam Epiſcopi ad translationem Monaſterii, n. 53.*

Sed an ex aliquibus privilegiis, abſque licentia Epiſcopi, poſſint Religioſi transferre Monaſteria? Affirmant plures, d. n. 53. Alteri negant, nu. 54. Sed diſtinctione reſolvitur, & admittitur prima ſententia, ſi fiat translatio ad locum exemptum, abſque Epiſcopi præjudicio, n. 55.

Reſcripta intelliguntur abſque tertii præjudicio, ibid. ſecus ſi fiat translatio ad locum non exemptum, & de juriſdictione Epiſcopi, n. 56.

Privilegia adverſantia juri communi ſtrictè interpretantur, latè quæ congruunt juri communi, n. 57.

Indulta ratione exequutionis ſunt exhibenda coram ordinario, num. 58.

Quando quis in certo loco fundavit Monaſterium, & Religioſi volunt ſe ad alium transferre, neceſſaria eſt licentia Epiſcopi, n. 59.

ILlud verò ſemper peculiare fuit hæreticis ſacras Eccleſias, & Templa deſtruere; hoc enim præcipuum fuit Arrianis, Vvandalis, Euſtachianis, Petrobuſianis, Maſſalianis, & Thabaritis, Novatores Calviniſtæ ſummoperè curarunt, & curant Templa ſacra diripere, everterequ. Quapropter aliqui admirantur, cur Deus optimus tam patienter hæc tam horrenda, & deteſtabilia ſacrilegia toleret, quando alio in tempore tantis ſuppliciis Templorum devaſtatores afflixerit. Sed tamen huic admirationi, quæ tenuit David *Pſ.* 37. & Eliam *lib.* 3 *Reg. cap.* 19. facilè reſpondetur, fideri ob populi graviſſima ſcelera, prout demonſtrat textus ſacer *lib.* 1. *Reg cap.* 2. & 4. ubi permiſit, Arcam Domini à Philiſthæis capi, ob ſcelera, & peccata filiorum Heli. Similiter eſt locus *lib.* 2. *Mach. cap.* 5. *à verſ.* 16 ubi Templum Domini diripitur, & contemnitur. Et ſubdit textus ſacer verſ. 17. *Ita alienatus mente Anthiochus non conſiderabat, quod propter peccata habitantium civitatem, modicùm Deus fuerat iratus.* Unde Hieremias *c.* 7. *verſ.* 2. concionabatur, ne in Templo tantùm fiderent, nec crederent dicentibus, quia ibi aderat Templum Domini, nullum damnum percepturos. *Nolite* (inquit) *confidere in verbis mendaciis, dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini eſt.* Si enim benè viverent, & præcepta Domini obſervarent, ipſe cum eis eſſet; aliàs nec Templo, nec illis propter Templum parcet, ut benè expendit Durantius *d. lib.* 1. *cap.* 3 *n.* 5. & 6. Peckius *d. cap.* 1. *num.* 6. Villarroel. *Goviern Eccleſiaſt* 2. *part. quæſt.* 20. *art.* 2. 1

Sacrilegia iſta, licèt præcipuum ſit hæreticorum munus, è contrario Catholicorum cura peculiaris eſt Eccleſias, & Templa exſtruere, & ædificare. Quamobrem Deus optimus Maximus, in quampluribus hanc religioſam pietatem, præmiis, & beneficiis proſequutus eſt, ut videre eſt in Salomone, Conſtantino, & aliis exterſ Principibus. Verùm inter Noſtrates nullus eſt, qui ad hanc pietatem totum animum non converterit, & Monarchiæ fundamenta Eccleſiis, & Monaſteriis conſtructis plurimi jecerunt. Sic Alphonſus Catholicus, Alphonſus Magnus Caſtus, & alii quamplurimi eorum ſucceſſores fecere, qui primùm religione, deindè enſe Catholicam Fidem propagarunt, quæ quidem optima excellentia eſt Chriſtiani Principis. Unde *in cap. fin.* 96. *diſt.* ſcriptum eſt: *Boni Principis eſt, ac Religioſi, Eccleſias contritas, atque conſciſſas reſtaurare, novas ædificare, & Dei Sacerdotes honorare, atque tueri, & cap.* 1. *Ne ſede vacant. l. ſi in aliam* 7. *§. Ædes ſacras, ff. de offic. Proconſul.* Valer. Maxim. *lib.* 1. *tit.* 1. Fernand. Perez de Guzman *in noſtro Valerio, lib.* 1. *titul.* 1. Chaſſaneus *in Catal. Glor. mund.* 5. *part. conſider at.* 17. Bellarminus *de offic. Principis, lib.* 3. Ribadeneira *Inſt. Princip. cap.* 1. D. Thom. *de Regim. Princip. lib.* 2. *cap.* 16. ubi Salcedo. Beyerlinch. *in Theatr. vit. hum tom.* 6. *litt. R.* Solorzano *de jur. Ind. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 23. *à n.* 1. Villarroel. *d. q.* 20. *art.* 3. *à n.* 17. Magiſtris *in ſylva Eccleſiæ, lib* 1. *c.* 2. *num.* 8. & 9.

Ad Eccleſiarum ædificationem duobus modis pervenitur, aut ex liberalitate pia, & ſancta, prout plures quotidie faciunt, de quo infrà dicemus, aut ex obligatione. Aliquando tamen conſtruitur Eccleſia propter Fidelium neceſſitatem, aut quia diruta eſt, erigitur: & ad conſtructionem, vel erectionem recurritur ad perſonas ad quas id ſpectat, idque de jure communi deciſum eſt, ut ſi Fabrica ipſius Eccleſiæ habeat bona, unde erigi, aut conſtrui poſſit, ex bonis illius fiat conſtructio; bona enim iſta ſunt id deſtinata. Quapropter ſi adſint, ex eis conſtruenda eſt Eccleſia: olim verò id adſervatum, ut tertia pars fructuum ad ſartatecta conſervanda ipſius Eccleſiæ applicaretur, *cap. Priſcis* 2. *cap. unio* 3. 10. *q.* 3. *cap. Decernimus* 10. 10. *q.* 1. Quod quidem jam inveteratum, ſed hodie diverſa pars, prout eſt conſuetudo, ad fabricam adſervatur. Quamobrem ſi Fabrica bona habuerit, ex eis vel conſtruenda, vel erigenda eſt Eccleſia, Petrus Gregorius *Syntag. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 12. Guttierrez *allegat.* 10. *num.* 1. Bobadilla *in Polit. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 135. Bellett. *Diſquſit. Cleric. tit. de Cleric. debit. §.* 13. *num.* 11. 2

Si tamen hæc bona deficiant, & Fabrica pauper ſit, nec habeat unde erigatur, aut de novo conſtruatur, tunc ad decimas illius Eccleſiæ recurrendum; unde intereſſe habentes contribuere debent ad ejus ædificationem, *cap.* 1. *cap. de his* 4. *de Eccleſiis ædificandis*, Trident. *ſeſſ* 21. *de reform.* 3 4

format. cap. 7. lib. 11. tit. 10. p. 1. In his enim decimis ineſt ſuppreſſa illa tertia pars, quæ olim ad fabricam competebat pro illius ædificatione, & reparatione : quamobrem ſi Fabrica bona non habeat, ad decimas erit recurrendum, relicta Prælato congrua, & limitata ſuſtentatione. Si adhuc tamen decimæ non ſint ſufficientes, Parochiani tenentur, etiam ſæculares, quia id ad commodum ſpirituale eorum eſt, inde ad conſtructionem, ſeu erectionem contribuere tenentur, ut conſtat ex dictis juribus, Guttierez *d. allegat. 10. à num. 2.* Bellet. *diſquiſit. Clerical. tit. de bon. Clericor. §. 11. n. 2. & tit. de clerico debitore, §. 13. per tot.* Peckius *de reparand. Eccleſiis, à cap. 14.* Avendanus *de exequend. 2. par. c. 10. num. 29.* Coſta *de rat. q. 157. à num. 9.* Solorzano *d. lib. 3. cap. 23. num. 9.*

5 Aliquando verò etiam aliqua perſona particularis ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ, tenetur fundum, ſeu domum vendere ſibi pretio ſoluto; aliàs ſi renuerit, à judice compelletur *l. ſi quis ſepulchrum 12. ff. de religioſ. & ſumpt. funer. l. ſi locus 12. §. fin. ff. quemadmod. ſervit. amit. leg. 3. tit. 5. par. 5.* Ratio eſt, nam licèt regulariter loquendo, quis vendere non cogatur, *l. invitum 11. Cod. de contrahend. empt. l. nec emere, Cod. de jur. deliber. l. 55. titul. 5. par. 5.* attamen plures ſunt caſus, in quibus regula iſta deficit, quorum novem recenſet Reginaldus *in Praxi for. lib. 25. tract. 3. c. 25. num. 359.* inter eos præcipuus eſt cauſa ædificandi Eccleſiam, quia verſatur non ſolùm favor publicus, ſed cauſa Religionis, quæ optima eſt : quamobrem cauſa iſtius ædificii privatus cogitur vendere rem propriam.

Cæterùm, nam quis cogitur vendere, quoties ex conſtructione majus commodum affertur Reipublicæ, quàm ipſi privato, Capella Toloſana *deciſ. 447.* Riccius. *4. par. collect. 922. circa finem.* Cùm ergo majus commodum afferatur Reipublicæ ex conſtructione Eccleſiæ, quàm commodum ipſius privati, ideò tunc cogetur vendere rem propriam ad conſtructionem Eccleſiæ, Gomez *in l. 46. Tauri, num. 9. & tom. 2. var. cap. 2. num. 51.* Riccius *1. par. collect. 76.* Molina *de juſt. tract. 2. diſput. 341. num. 3.* Urrutigoyti *de Eccleſia Carhed. cap. 10. num. 123.* Covarr. *lib. 2. cap. 14. num. 7.* Valenzuela *conſ. 18. n. 11.* Palao *de juſt. diſp. 5. punct. 19. n. 4.*

6 Hæc quidem concluſio non ſolùm intelligenda eſt de Eccleſiis conſtruendis, ſed etiam de Monaſteriis, & aliis piis locis, ad quæ hoc privilegium extenditur : tum etiam extenditur non ſolùm ad conſtructionem, ſed etiam ad ampliationem, quando ampliatio eſt neceſſaria, ob dictas rationes, Cancerius *1. par. var. c. 13. n. 132.* Guzman. *de evict. cap. 52. num 18.* Tum etiam ampliandum eſt, non ſolùm ad locum ubi eſt Eccleſia conſtruenda, ſed etiam ad prædium contiguum, ad ejus ædificationem, ſeu ampliationem neceſſarium, Sam *dec. 75.* Franciſcus Marcus *1. par. dec. 636.* Vincentius de Franchis *dec. 113.* Barboſa *de univ. jur. lib. 2. cap. 13. num. 20.* idemque dicendum, ſi via, aut iter deficiat ad intrandam Eccleſiam, ſeu Monaſterium; prætio enim ſoluto quis cogetur ad hanc conſtituendam ſervitutem, *ex l. ſi quis ſepulchrum 12. ff. de relig. & ſumptib.* Tum ſi Eccleſia, & privatus fundum communem habuerint, ad ejus ædificationem, & ampliationem ſocium cogere poterit ad ſuam partem vendendam *ex l. un. C. com. ſervor.* ubi Baldus ſcripſit, Gomez *in dict. cap 2. num. 51.* Genuenſis *in Praxi, quæſt. 241.* Rota *apud Farinac. 2. par. dec. 211. num. 5.* Barboſa *in l. irritum 11. Cod. de contrahend. empt. nu. 6.* Valenzuela *conſ. 18. num. 2.*

7 Sed quid tamen, ſi domus, aut prædium ſit obnoxium reſtitutioni, veluti ſi ſit perpetui fideicommiſſi, aut majoratus? Et negandum videtur, compelli poſſe poſſidentem ad vendendum ad conſtruendam, vel ampliandam Eccleſiam. Ratio eſt, nam in his fideicommiſſis perpetuis, & majoratibus verſatur utilitas publica, quatenus per illos familiæ conſervantur; tum fiunt ditiores ad Reipublicæ ſervitium, *l. 1. §. Quamvis, ff. de ventr. inſpiciend.* ubi ſcribentes, *§. Cæterùm, inſt. de legit. agnat. ſucceſſ. lib 2. tit 15. p. 2.* ibi: *Acatando el por comun de todos*, Covarr. *lib. 3. var. c. 5. num. 5.* Molina *de primog. lib. 1. c. 18. num. 1.* Ergo poſſeſſor rei ſubjectę reſtitutioni; vel majoratui nequit compelli ad eam vendendam, etiam pro reparatione, vel conſtructione Eccleſiæ, aut ampliatione. Conſequentia probatur, nam ideò quis compellitur vendere rem propriam, quia neceſſaria eſt ad cauſam publicam, & utilitatem Religionis, ut diximus *n. 5. l. Lucius Titius 11 ff. de evict.* Rota apud Puteum *lib. 3. dec. 381.* Caſtillo *controv. lib. 2. c. 28. per tot.* Gratianus *diſceptat. for. 520. à num. 22.* Cyriacus *controv. 231. num. 5.* Ergo cùm eadem cauſa publica ſit in conſervandis fideicommiſſis, & majoratibus perpetuis, ~~res~~ fideicommiſſi, aut majoratus nequeunt vendi, nec ad id compelli poſſeſſor, etiam ad fundandam, vel ampliandam Eccleſiam. Cœterùm graviſſimi detrimenti eſt rem antiquam majoratus, vel fideicommiſſi vendere, & ad id compelli, *l. ſi in emptionem 35. ff. de Minoribus, l. Quæ tutores 22. Cod. de adminiſtrat. tut.* Guzman *de evict. quæſt. 52. num. 25.* Sed quando eſt graviſſimum nocumentum privati, non cogitur domum, aut ptædium vendere, etiam ad ædificandam, aut conſtruendam Eccleſiam, Theſaurus *lib. 1. Quæſt. for. quæſt. 64. n. 9.* Morla *in Emporio, 1. p. tit. 9. quæſt. 1. n. 7.* Giurba *deciſ. 86. num. 10.* Guzman *dict. quæſt. 52. num. 56.* Gratian. *diſcept. tom. 4. cap. 742. num. 25.* Ergo in præſentiarum nequit poſſeſſor perpetui fideicommiſſi, aut majoratus rem vendere ad ædificandam Eccleſiam, vel ampliandam.

Verùm in contrarium eſt communis ſententia ex regula communi, nempè privatum cogendum ad vendendum domum, vel prædium, aut aliam rem, ad ædificandam, ampliandam, vel reparandam Eccleſiam, ut etiam obſervatur propter aliam cauſam publicam, veluti utilitatis, pacis, & defenſionis civitatis, *l. item verberatum 15. §. 2. ff. de rei vindic. l. Quod ſemel, ff. de decret. ab Ordin. faciend. l. benè à Zenone 4. C. de quadragen. præſcript.* Bobadilla *in Polit. lib. 3. cap. 3. num. 14.* Caſtillo *controverſ. lib. 5. c. 89. num. 93.* Molina *lib. 1. cap. 8. à num. 31.* Palao *d. punct. 10. n. 3.* Tum etiam de ædificium publicum faciendum, Cyriacus *d. controv. 231 n. 5.* quod idem extendit, etiamſi ædificium ſit pro ſcholis, vel alio ornamento publico, Franciſcus Marcus *quæſt. 234.* Barboſa *in d. l. invitum 11. C. de contrahend. empt. num. 9.* Et quidem extendendum etiam ad bona fideicommiſſi perpetui, aut majoratus; hoc enim non opponitur niſi commodo privati, qui quidem ob cauſam publicam Religionis debet hoc detrimentum percipere. Ergo etiam ſi res ſit fideicommiſſi, aut majoratus, debet pro Eccleſia ædificanda, aut reparanda vendi, & poſſeſſor ad id compelli. Cœterùm illa prohibitio non alienandi, nec evertendi res majoratus intelligitur, niſi ex juſta cauſa contrarium Principi placuerit, ut latè docet Molina *dict. cap. 8. à num. 28.* Larea *allegat. 115. per tot.* Cùm ergo cauſa publica Religionis ſit juſtiſſima cauſa, ut res etiam ab invito auferatur, Morla *in Emporio, 1. par tit 9. quæſt. 1. num. 7.* inde eſt, ut etiamſi res ſit fideicommiſſi perpetui, vel majoratus, ob ædificium, aut ampliationem Eccleſiæ diſtrahi poſſit, & ad id cogetur poſſeſſor. Tandem, cùm in hoc caſu pretium ſolvitur, & alia res emitur ſubroganda loco illius venditæ ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ, parum, aut nihil detrimenti percipit fideicommiſſum, ſeu majoratus. Ergo debet diſtrahi pro ædificatione, ſeu ampliatione Eccleſiæ, & ad id compelli poſſeſſor. Quando enim eſt parvum detrimentum privati, ſemper cogitur vendere pro utilitate publica, ut cum cappella, & Riccio diximus *num. 5.* Ergo ſimiliter in præſentiarum, etiamſi res ſit fideicommiſſi, ſeu majoratus, Franciſcus Marcus *1. p. deciſ. 534. num. 6.* Hieronymus Leo *deciſ. 90. num. 13.* Fontanella *de pact. nupt. tom. 1. clauſula 4. gloſſ 12. à num. 25.* Thoro *in ſumma privileg. cauſ. piar. privil. 237.* Barboſa *in dict. l. invitum, num. 10.* Novarius *de privileg. miſer. perſ. privileg. 6. num. 5.*

8

Sed tamen hæc doctrina abſolutè admittenda non eſt, ſed tantùm quando parvum præjudicium fideicommiſſo, vel majoratui inferretur; ſi enim caſtrum, vel caſtellum, ad ædificandam Eccleſiam, vel ampliandam demolitur, unde majoratus, vel fideicommiſſum graviſſimè læderetur; vel prædium, quo vendito, majoratus graviſſimè, ſeu fideicommiſſum præjudicaretur, tunc nec vendenda ſunt, ſed alibi Eccleſia ædificaada, ſeu amplianda eſt. Ratio eſt, nam Eccleſia, quæ eſt cultrix juſtitiæ, nequit aliquid facere cum graviſſimo detrimento tertii, Fontanella *dict. clauſula 4. gloſſ. 12. num. 28. & 1. par. clauſula 5. gloſſ. 1.* Barboſa *in dict. l. invitum, num. 22.* Quamobrem res iſtæ etiam ad ædificationem, ſeu ampliatidnem Eccleſiæ alienandæ non ſunt : quod idem dicendum arbitror de domo ipſa majoratus antiqua, & ſolari nobilitatis, ſi alienatio, ſeu demolitio ipſius graviſſimum damnum familiæ afferret: tum nequit hoc damnum reſarciri per ſubrogationem alterius:

9

terius : Ergo nequit utendi, seu alienari ad ædificandam Ecclesiam, seu ampliandam. Solùm enim admittetur doctrina illa in aliis rebus, in quarum loco aliis subrogatis, parvum præjudicium perciperet fideicommissum, seu majoratus, aut tantùm perciperet molestiam alienandi invito possessore, Marinis *decis.* 284. *num.* 4. Urrutigoyti *cap* 10. *num.* 139.

10 Cæterùm est investigandum, quando domus, aut prædium, vel res est alterius Ecclesiæ, vel piæ causæ, an possit cogi ad vendendum ad ædificationem Ecclesiæ, vel alterius causæ piæ, vel ad illam ampliandam ? Qua in re prima sententia respondet negativè, ex vulgari regula, privilegiatum non posse uti suo privilegio adversus similiter privilegiatum, *l. Sed & milites 8. ff. de excusat. tut. l. Verùm* 11. §. *Item quæritur, ff. de Minoribus, Authent. de Sanctiss. Episcop. §. Sed & hoc præsenti, collat.* 9. Giurba *decis. Sicil.* 82. *num.* 8. Trentacinquius *lib.* 2. *var. resol.* 1. *de rescript.* Ergo Ecclesia ad sui ædificationem, seu ampliationem nequit cogere alteram, vel causam piam, ad vendendum prædium, vel domum. Et exemplis confirmatur; nam Fiscus non utitur suis privilegiis contra alium Fiscum, cùm sit similitèr privilegiatus, Baldus *in cap.* 1. *de probat. num.* 2. Decius *ibid. n.* 69. nec scholaris contra alium scholarem, Baldus *in l.* 2. *Cod. de privil. fiscal.* Nec filiusfamilias utitur privilegio Macedoniani contra alium filiumfamilias, Anton. Faber *decis.* 12. *Cod. ad Macedon* Id enim esset ad commodum unius alterum proprio privilegio spoliare, quod jure non permittitur. Ergo in præsentiarum nequit Ecclesia alteram, vel causam piam cogere ad vendendum ad suam ædificationem, seu ampliationem, Thoro *in summa. privileg.* 112. *vers. Pariter*, Riccius 3. *par. decis.* 59. Novarius *de elect. for. quæst.* 62. *num.* 11. *sect.* 1. Valenzuela *cons.* 18. *per totum*.

11 Secunda sententia contrarium tenet ; nam hæc qualitas domus, aut prædii, etiamsi sint alterius Ecclesiæ, aut alterius causæ piæ, considerantur tanquam si essent laici alicujus, cùm id sit commune omnibus ; quapropter si alia Ecclesia iis indigeat ad ædificationem, seu ampliationem poterit alteram cogere ad vendendum, sibi pretio soluto, Giurba *decis.* 86. *num.* 16. Barbosa *in d. l. invitum.* 11. *n.* 21. Marinis *observat.* 284. *num.* 7.

12 In hoc dubio maxima consideratione procedendum ; & considerandum, duobus modis hanc difficultatem esse contemplandam, aut ratione rei, quæ necessaria est ad construendam, aut ampliandam Ecclesia, vel ratione causæ piæ, quæ in una, & altera versatur. Et quoad primum, est prospiciendum detrimentum, quod percipit altera Ecclesia, seu Monasterium vendere coactum ; si enim ex rei venditione parum damni percipit, ex eo quod pecunia ex venditione sibi præstita possit aliam rem emere, unde similia emolumenta percipiat, aut majora ; tunc rectè altera Ecclesia, seu Monasterium poterit cogi ad vendendum domum, vel prædium necessarium ad ædificationem, seu ampliationem Ecclesiæ ; idque ex dictis constat, etiam ratione Laici coacti ad vendendum : tum etiam, quia licèt utraque Ecclesia habeat idem privilegium, ut latè tradit Valenzuela *d. cons.* 16. *à n.* 62. attamen hoc fallit, quoties alterius privilegium est potentius, habetque majorem rationem, & justitiam, Bart. *in Authent. qui rem, C. de sacrosanct. Ecclesiis, collat.* 2. *vers. Si uterque privilegiatus*, Gratianus *discept. cap.* 481. *num.* 31. Mascardus *de probat. conclus.* 1176. *num.* 39. Novarius *dict. quæst.* 62. *num.* 24. Cùm ergo privilegium Ecclesiæ construendæ, vel ampliandæ habeat majorem rationem, & justitiam, quando altera Ecclesia, vel causa pia cogitur ad vendendam domum, vel prædium, si ex pecunia alteram rem sibi utilem valeat comparare, inde est, ut potentiùs sit privilegium alterius Ecclesiæ construendæ, vel ædificandæ, & necessariò cogi possit altera ad vendendum : quod quidem cessabit, si grave detrimentum ex coactione altera Ecclesia percipiat, vel causa pia ; nam tunc cogi non poterit. Ratio est, nam hoc privilegium exorbitat à jure communi, quatenus quis invitus cogitur vendere ; & ideò strictissimè est interpretandum, Gloss. *in c.* 1. *de rescript. in* 6. *verbo Processus*, Tiraquell. *in præfat. de retractu, n.* 62. Molina *de primog. lib.* 3. *c.* 4. *n.* 23. Solorzano *de jur. Ind. tom.* 2. *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 91. Quapropter debet intelligi quando parvum detrimentum tertii sequitur, secus si magnum, aliàs Ecclesia locupletaretur cum jactura alterius Ecclesiæ, vel causæ piæ, quòd de jure naturali non permittitur, *l. Nam hoc* 15. *ff. de condict. indebit. cap. locupletari, de reg. jur. in* 6. Tiraquellus *de privileg. caus. piæ, privileg.* 121. quod nec in aliquo admittitur, præcipuè in Ecclesia, quæ est cultrix justitiæ, & injustum non facit, Guttierez *lib.* 3. *pract. quæst.* 8. *num.* 24. Joseph Ludovis. *decis.* 34. *n.* 11. Ergo in simili specie altera Ecclesia, seu causa pia ad vendendum non cogetur, ut in laicis diximus suprà.

Secundò ratione causæ piæ difficultas est definienda, 13
nempè quando in re, quæ petitur ad ædificandam Ecclesiam, vel ampliandam, altera causa pia exercebatur, veluti si quis habuisset capellam in Ecclesia, & ipsa fuisset necessaria ad ampliationem illius, vel diruenda ad ejus reædificationem, vel necessaria fuisset aliqua pars Monasterii ad illam ædificandam : quo quidem casu causa ipsa pietatis prospicienda est ; nam si in una magis pium opus exercetur, minimè est altera pia causa, seu Ecclesia cogenda ad vendendum ; idque demonstratur quando capella destinanda ad Missas celebrandas, peteretur ad ampliandam sacristiam ; tunc enim non est diruenda, nec ejus possessor cogendus ad vendendum, maximè si habeat jus patronatus, vel ibi sepulchra majorum ; nam ibi magis pium exercetur, ut latè defendit Valenzuela *d. cons.* 18. *à num.* 12. Cyriacus *d. controv.* 231. *num.* 10. Secus verò si minùs piam exerceatur, utpotè in casu, de quo Marinis *decis.* 284. ubi Fratres Monasterii coguntur vendere viridiarium ad ampliationem Hospitalis ; major enim causa pia censetur pauperes curare, quàm recreatio Fratrum. Si tamen causa æqualis sit, non compelletur vendere altera Ecclesia, aut causa pia ; nam æquale est privilegium, intratque regula, ut privilegiatus contra par privilegium habentem nequeat, uti suo privilegio, ut cum multis docet Novarius *dict. quæst.* 62. *nam.* 2. Quapropter nec una Ecclesia adversus alteram utitur privilegio, Marinis *d. dec.* 284.

Prætereà scrutandum, an persona privata cogenda ad 14
vendendam domum, seu prædium, quando Ecclesia, seu Monasterium non est necessarium ; sunt enim aliquæ Ecclesiæ necessariæ præcisè, veluti Cathedralis, & Parochialis, ubi administrantur Sacramenta, docetur populus, sepeliuntur mortui, & alia necessaria peraguntur ad cultum divinum, & salutem animarum ; aliæ verò sunt, quæ ad ista non inserviunt, sed tantùm ad majorem cultum, & ut aliqui Religiosi sanctè, & piè vivant. Difficultas est, an ad constructionem, vel ampliationem harum Ecclesiarum non necessariarum, compellendus sit quis ad domum, vel prædium vendendum.

Prima sententia negat, nam quando Ecclesiæ, seu Mo- 15
nasteria necessaria non sunt, non debent construi damno tertii, quod magnoperè inest, quando quis compellitur vendere rem propriam ; nam inhumanum est quemque cogere ad vendendum, *l. Quamvis, ff. de pign. act.* cùm facultas naturalis sit, ut quisque re sua utatur, nec ad contractum veniat, nisi ex libera illius voluntate, *l.* 1. *ff. de pact.* Menochius *lib.* 3. *præsumpt.* 130. *num.* 54. Menchaca *illustr. quæst.* 17. *num.* 2. Quamobrem, ut quis vendere cogatur, requiritur causa necessaria Religionis, & publicæ necessitatis, non verò quando non est necessaria, sed voluntaria, prout in similibus Ecclesiis, seu Monasteriis. Deindè non solùm privatis simile irrogatur detrimentum, verùm etiam aliis Ecclesiis necessariis, quippè ex similibus novis erectionibus tot Ecclesiarum, Ecclesiæ necessariæ, utpotè Parochiales, & Cathedrales, ubi Sacramenta administrantur, & Populus instruitur, damna percipiunt, quod jure interdictum est, *cap. Quicunque* 44. 16. *quæst.* 1. *cap.* 2. *de Ecclesiis ædificand.* Rota apud Seraph. *decis.* 847. *num.* 1. Ergo minimè sunt permittendæ ædificari, seu construi, ob damnum consequens non solùm tertii ad vendendum coacti, sed etiam aliarum necessariarum Ecclesiarum ; quia cum damno tertii favendum non est causæ piæ, nec aliqua injustitia committenda, Abbas *lib.* 1. *cons.* 17. *num.* 2. Tuschus *tom.* 6. *conclus.* 335. *num.* 23. Valenzuela *cons.* 18. *num.* 32. & 33. Ergo nec in præsentiarum privatus est cogendus ad vendendam rem propriam ad ædificandam Ecclesiam, seu ampliandam, quæ necessaria non est. Unde hæc sententia asserit, minimè id fieri posse per Judicem ordinarium ; si tamen aliquando contrarium videatur, ad Principem est recurrendum, in quo est potestas abrogandi jus tertii, *ex d. l. Lucius* 11. *ff. de evict.* Tenet, explicatque Covarr. *lib.* 3. *var. cap.* 14. *n.* 8. *vers. Secundo mihi videtur*, Vincentius Carroccius *decis.* 26.

num.

num. 27. Valaſcus *conſult.* 22. *num* 2. Franchis *dec.* 223. *n.* 5. Cyriac. *dict. controv.* 231. *num.* 2.

16 Secunda ſententia tenet contrarium ex Regula communi, nempè favore Religionis poſſe cogi privatum ad rem propriam vendendam, non ſolùm favore Eccleſiæ conſtruendæ, ſed & ampliandæ; & in Monaſteriis, etiam cogi poſſunt vendere ad dormitoria, & viridaria alterius Eccleſiæ ædificandæ, ut jam diximus, & tenent plures, quos ad ſatietatem refert. Guzman *dict. quæſt.* 52. *num.* 36. Girazellus *deciſ.* 38. Marinis *d. obſervat.* 283. *num.* 3. Valenzuela *d. conſ.* 18. *à num.* 2. Quod quidem privilegium non ſolùm eſt intelligendum de Eccleſiis neceſſariis, ſed etiam de non neceſſariis. Et confirmatur, nam ut benè conſiderat Rota apud Seraphinum *dict. deciſ* 847. *num.* 3. in his Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, etiam non neceſſariis, augetur divinus cultus: tum Deus magnoperè deſervitur à perſonis eis dicatis, ſub regula tendentibus ad perfectionem obedientia, caſtitate & paupertate, gratiſſimis quidem Deo virtutibus: quamobrem etiamſi neceſſariæ non ſint, privatus debet compelli ad vendendum, ſive ad earum conſtructionem, ſive ampliationem. Cæterùm ad opus publicum quis compellitur vendere domum, vel rem propriam, non ſolùm quando opus non eſt neceſſarium, ſed tantùm ad ornatum, *l. præſcriptio* 6. *l. ſi quando* 8. *C. de operib. publicis*, *l. Poſt hanc*, *cum duab. C. de ædific. privat.* Romanus *ſingul.* 710. Theſaurus *d. q.* 64. & ad urbis decorem compellitur Nobilis pauper vendere Palatium deſtructum, Riccius *deciſ.* 138. *num.* 2. Hieronymus Leo *deciſ.* 90. *n.* 22. Romanus *ſing.* 784. Ergo multò magis quando Eccleſia, ſeu Monaſterium conſtruitur, aut ampliatur ad cultum, & ſervitium Domini, Molina *de juſt. tract.* 2. *diſput.* 341. *n.* 2. ubi id extendit etiam ad dormitorium, Theſaurus *d. q.* 24. *num.* 6. Gomez *in l.* 70. *Tauri*, *num.* 27. Grammaticus *deciſ.* 75. *à num.* 1. latè Guzman *de evict. d. q.* 52. *à num.* 36.

17 In hoc dubio dicendum, aliquos eſſe in praxi admiſſos abuſus in his Eccleſiis, aut Monaſteriis non neceſſariis, quorum aliquos aliquando vidimus. Et in primis, quando Eccleſiæ iſtæ non neceſſariæ, & Monaſteria jam ſunt conſtructa, & erecta; ſed Religioſi non contenti, ſeu Clerici, ad alium locum commodiorem, primis deſtructis, ſe conferunt ejuſdem urbis, aut oppidi, & ad id plures domus emunt, & vendere compellunt, ejectis vicinis, in graviſſimum detrimentum Reipublicæ, & illorum privatorum. Tum & ſunt alii caſus, quando de novo fiunt; ſed poſſunt fieri in alio loco, veluti propè muros ipſius urbis, aut in aliquo prædio; ſed nec ſimili modo contenti, plures domos evertunt, & compellunt vendere: hoc, inquam, minimè admittendum in utroque prædicto caſu; nam tunc non adeſt cauſa Religionis, nec favor publicus, neceſſarius quidem, ut quis ad vendendum compellatur, Riccius *dict. deciſ.* 138. *num.* 2. *par.* 1. Novarius *quæſt. for. lib.* 2. *quæſt.* 32. *num.* 1. Gizarell. *deciſ.* 37. *num.* 1. Camill. Borell. *conſil.* 26. *num.* 67. ſed tantùm verſatur commoditas privata, vel Clericorum, vel Religioſorum, quæ quidem non eſt ſufficiens, ut tot domus demoliantur, vicini ejiciantur ab urbe, vel oppido, & Reſpublica tantum detrimentum percipiat. Et confirmatur, nam cultus divinus, & vita religioſa peragitur in Eccleſia, aut Monaſterio conſtructo, aut in conſtruendo in alio decenti loco: Ergo ſolùm reſtat commoditas privata Clericorum, aut Religioſorum, quæ cum tanto damno admittenda non eſt; non enim Clerici, aut Religioſi venimus ad Eccleſiam ob intereſſe, ſeu commoditatem percipiendam, & honores; ſed ad laborandum die, noctuque in hæreditate Domini, prout in Epiſcopis docuit Auguſtin. 19. *de Civit. Dei*, ubi explicans illud Apoſtoli: *Qui Epiſcopatum deſiderat*, *bonum opus deſiderat*; exponere voluit, quid ſit Epiſcopatus, quia nomen operis eſt, non honoris. Eleganter D. Thomas 2. 2. *q.* 185. *art.* 1. Azor. *Inſt. mor.* 2. *p. lib.* 3. *c.* 28. *q.* 2. Alzedo *de pract. Epiſc. dign.* 1. *p. c.* 3. *n.* 33. Quamobrem ex ſola Clericorum, vel Monachorum commoditate, non evertendæ ſunt urbes, & Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum vicini.

18 Prætereà, licèt favor Religionis conſideretur in extruendis Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, non minùs eſt favor Religionis ipſius conſervare domus, & habitacula Fidelium, ubi procreantur, & enutriuntur, ad illam profitendam, & ut ſuis bonis, ſanguine, & vita Catholicam Fidem propugnent. Tum, ut per gratiam gratiora ſint templa viva Spiritus ſancti, ut eſt locus Iſajæ *cap.* 66. & D. Pauli 1. *ad Corinth. cap.* 3. *Neſcitis*, *quia eſtis templum Dei*, & *ſpititus Dei habitat in vobis*. *Et cap.* 6. *Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti*, *quem habetis in vobis*: *glorificate*, & *portate Deum in corpore veſtro*. *Et* 2. *ad Corinth. cap.* 6. *Vos eſtis templum Dei vivi*, *ſicut dicit Dominus*: *Quoniam inhabitabo in illis*, & *inambulabo*. Quamobrem ad mutandam Eccleſiam, ſeu Monaſterium non neceſſarium, neutiquam evertenda ſunt habitacula, & domus Fidelium, ubi vel artificio, vel aliis modis vitam quærunt vicini, & alteri Chriſtiani enutriuntur.

Denique, ſicut dictum eſt, quando grave detrimentum 19
tertio irrogatur, non cogitur domum, vel prædium vendere ad ædificandam Eccleſiam, ſeu Monaſterium, ut diximus. Eſtque optimus textus *in d. l. Si quis ſepulchrum* 12. *de relig.* & *ſumpt. fun.* ibi: *Præſes etiam compellere debet*, *juſto pretio iter ei præſtari*; *ita tamen*, *ut Iudex etiam de opportunitate loci proſpiciat*, *ne vicinus magnum patiatur detrimentum*, *l.* 1. §. *ſunt qui putant*, *ff. Ne quid in loco publico*, Theſaurus *lib.* 1. *d.* 64. *num.* 9. Guzman *dict. quæſt.* 52. *num.* 27. Urrutigoyti *dict. cap.* 10. *num.* 137. Ergo multò minus, quando non ſolùm vicinus unus, verùm plurimi cives ex domibus, ubi alebantur, ejiciuntur, cum magno Reipublicæ detrimento, & multarum miſerabilium perſonarum: quo quidem nullatenus permittendum à Senatu Regio, nec à Præſidibus Provinciarum, nec à Prætoribus, etiamſi ipſi vicini ſpontè velint ſuas domos vendere.

Unde magnoperè deplorandus caſus cujuſdam urbis Ca- 20
ſtellæ, ubi quidam Reverendiſſimi Patres Monaſterium habebant ſatis benè conſtructum in ipſa urbe, & propter commoditatem alibi tranſtulerunt, demolita una Parochia, ſimul cum multis Parochianis ibi degentibus, ubi opificio, artificio ſuas familias alebant, & nutriebant; ex qua quidem cauſa ferè omnes urbes Caſtellæ depopulatas vidimus, & quotidie demoliuntur. Cùm tamen Eccleſiæ, ſeu Monaſteria iſta circa muros poterant ædificari, aut in alio loco congruenti ad Dei cultum, & ſervitium; tum & conſtructa conſervari, abſque eo quod alibi transferrentur: quibus quidem caſibus proculdubio admittenda eſt prima ſententia.

Si verò tantùm unicus vicinus haberet domum, vel præ- 21
dium commodum ad has novas Eccleſias, ſeu Monaſteria conſtruenda, etiam non neceſſaria, nec illi grave detrimentum inferretur, admitto ſecundam ſententiam; nam cultus divinus, & Dei ſervitium præponderat magis, quàm voluntas vendendi ipſius privati: tum quàm minimum præjudicium illi infertur. Quamobrem etiamſi Eccleſiæ, aut Monaſteria non ſint neceſſaria, poteſt privatus cogi ad vèndendum, ut abſolutè tenent Novarius *de privil. miſer. perſon. privileg.* 6. *per totum*, Cyriacus *controverſ.* 231. *num.* 1. & 12. Vela *diſſert.* 17. *num.* 35. Oſualdus *ad Donell. lib.* 9. *comment. cap.* 9. *litt. G*, Gironda *de gabell.* 2. *par. in princip. num.* 11.

Denique circa hanc coactionem vendendi rem pro- 22
priam ad Eccleſiam, ſeu Monaſterium ædificandum, vel ampliandum, illud eſt certum, pretio taxato faciendam eſſe emptionem, *l. Item ſi verberatum* 15. §. *ſi fortè* 2. *ff. de rei vindic.* qui quidem textus licèt modico pretio dicat emptionem faciendam, id intelligas de pretio juſto, non ſolùm ſecundùm pretium ipſius rei, ſed ampliùs reſpectu voluntatis ipſius Domini; nam cùm invitus vendere cogatur, pretio æſtimabilis eſt illa coactio: quamobrem non ſolùm eſt pretium ſolvendum reſpectu rei, ſed reſpectu voluntatis domini, quatenus ab eo res extorquetur, ut explicant Guzman *dict. quæſt.* 52. *à num.* 9. Gratianus *diſcept. tom.* 3. *cap.* 541. *à n.* 12. Giurba *deciſ.* 86. *num.* 11. & 12 Mieres *de Maiorat.* 4. *p. quæſt.* 1. *num.* 116. Theſaurus *dict. lib.* 1. *quæſt.* 64. *nu.* 10.

Verùm eſt aliquod dubium, an in præſentiarum ven- 23
ditor coactus vendere, teneatur habere fidem de pretio, quando Eccleſia, ſeu Monaſterium pecuniam non habuerit de præſenti? Et affirmandum videtur ex doctrina Gloſſæ *in l. Si locus*, §. *Cùm via publica*, *ff. quib. modis ſervit. amittatur*. Ubi aſſeritur, quod ſi via publica impetu, vel alluvione fluminis, vel ex alia cauſa diruatur, poſſe vicinum proximum cogi ad præſtandam viam; idque de conſuetudine receptum, etiam non ſoluto pretio, idque jure publicæ utilitatis; Ergo ſimiliter dicendum, quando adeſt neceſſitas publica ædificandi Eccleſiam, ſeu Monaſterium, cùm id pertineat ad favorem Religionis, & publicæ utilitatis.

Sed

24 Sed communiter reprobatur hæc Gloſſa, & tenent contrarium DD. *ex l. Si ſervi, l. ult. Cod. ex quib. cauſ. ſervi propret. lib.* & notant DD *in d. l. Venditor, §. Si conſtat, ff. com. præc.* ubi Albericus, & alii. Ratio eſt, nam in his invitis venditionibus pretium juſtum eſt concedendum, ut diximus. Morla *tit. 9. quæſt. 1. num. 8.* quod quidem communiter intelligitur de pecunia numerata, ad quam refertur Baldus *conſ. 98.* Tiraquellus *de retract. §. 1. gloſſ. 14. numi 44.* Unde quando lex cogit vendere rem propriam juſto pretio, id intelligendum pecunia numerata, non autem habita fide pretii, ut ſemper de conſuetudine receptum eſt. Covarr. *d. lib. 3. cap. 14. num. 8.* Pinellus *in rub. Cod. de reſcind. vendit. 1. p. cap. 2. num. 14.* Gratianus *diſcept. for. tom. 1. cap. 149. num. 25. & 26.* Valaſco *conſult. 22. à num. 4.* Guzman *dict. quæſt. 52. num. 63.* Barboſa *in dict. l. invitum, num. 16.*

25 Sed in re magna cura conſideranda eſt neceſſitas Eccleſiæ, ſeu Monaſterii; nam ſi eſt extrema, & invitabilis, nec de præſenti habeat pecuniam, tunc cogendus eſt vicinus vendere, habita fide pretii. Ratio eſt, nam neceſſitas ipſa publica, & Religionis petit, ut habeatur fides de pretio, aliàs fruſtrà cogeret lex ad vendendum, ſi non etiam jubere haberi fidem de pretio. Valaſco *d. conſult. 22. in fine*, Guzman *d. quæſt. 52. num. 63.* Si verò neceſſitas non ita gravis ſit, & inevitabilis, ſemper contraria ſententia tenenda eſt, ita ut pretium intelligatur pecunia numerata. Bertazolus *de Clauſul. clauſul. 38. gloſſ. 1. num. 24.* Giurba *deciſ. 86. num. 16.* Barboſa *d. num. 46.*

26 Illud cum Ayllon *ad Gomez, tom 2. var. cap. 2. num. 52.* eſt obſervandum, remedium legis *1. C. de reſcind. vendit.* non habere locum in his coactis venditionibus: nec admittendæ ſunt, quando Eccleſiæ, ſeu Monaſteria, non ſibi, ſed ut aliis complaceant, emunt. Cyriacus *d. controverſ. 231. num. 11.* Barboſa *in dict. l. invitum, num. 13.* & tantùm pro ſeipſis, non verò pro conſtructione, vel ampliatione rerum particularium ipſarum, vel ipſorum. Barboſa *dict. num. 13.* Ac tandem ſimiles coactiones admittendæ non ſunt, niſi pro re integra, non pro parte, propter damnum vendentis, niſi etiam damnum ei ſolvatur. Giurba *d. deciſ. 86. num. 14.* Barboſa *ubi proximè, num. 15.* Guzman *d. quæſt. 62. num. 59.* Nec prætermittas, quod ſi Eccleſia, aut Monaſterium ædificetur in ſolo alieno ſolùm ædificio cedit. Cavalcanus *2. p. deciſ. 23. num. 71.* Genuenſis *in Praxi, quæſt. 249.* Tiraquellus *privil. 121.* ubi Riccius: quod quidem admittendum cenſeo, dum Eccleſia, ſeu Monaſterium pretiũ juſtum rependat. Et ratio eſt, nam cùm Eccleſia ſeu Monaſterium poſſit, ſoluto pretio, cogere ad vendendum ad ſui ipſius ædificationem, inde eſt, ut ſoluto pretio ſolum Eccleſiæ, ſeu Monaſterio cedat; unde admittendi non ſunt aliqui aſſerentes, communem rem manere pro rata, quos referunt Genuenſis, & Tiraquellus, relati nuperrimè. Azorius *Inſt. Mor. 2 p. lib. 7. cap. 3. quæſt. 3.*

27 His enim recenſitis tranſeamus ad requiſita neceſſaria fundandi, vel ædificandi Eccleſias, ſeu Monaſteria. Et in primis neceſſaria eſt licentia Superioris, & non cujuslibet, ſicut aliqui petunt jura, ſed Romani Pontificis, *cap. De locorum 3. cap. Præcepta 5. de conſecrat. diſt. 1.* Sed tamen dicendum, in locis non exemptis ſufficere Diœceſani licentiam; in exemptis verò requiri Summi Pontificis *Authen. de Eccleſiaſticis tit. §. Si quis autem, cap. Nemo 9. de conſecrat. diſt. 1. cap. Authoritate 4. de privileg. lib. 6.* eo enim modo intelligenda ſunt jura *in d. cap. 3. & 5.* nuperrimè allegata. Azorius *dict. lib. 9. cap. 3. quæſt. 2.* Selva *de Beneficiis, 2. p. quæſt. 6.* Zerola *in Praxi, verbo Eccleſia, num 1.* P. Gregorius *Syntag. lib. 1. cap. 1. num. 10.* Quæ quidem licentia, ſeu Superioris conſenſus, non requiritur ut expreſsè concedatur, ſed ſufficiet tacita, velut quando eo præſente, ſciente, & non contradicente Eccleſia ædificaretur. Selva *d. quæſt. 6. num. 21.* Azorius *dict. cap. 3. quæſt. 6.* Barboſa *de offic. Epiſcopi, 2. allegat. 26. num. 2.* Paſqualigius *de Sacrific. Miſſæ, quæſt. 441. num 4.* Valenzuela *conſ. 18. num. 18.* Magiſtris *Sylv. Eccleſiaſt. lib. 1. c. 2. num. 3.*

28 Eſt tamen dubium, an hæc licentia, ſeu conſenſus Superioris requiratur à principio, ita ut non ſufficiat ut poſteà ſuperveniat Eccleſia conſtructa. Et Abbas; quem refert Selva *d. quæſt. 6. num. 8.* aſſerit, à principio eſſe neceſſariam. Et probatur, nam hæc licentia, & facultas neceſſaria eſt ad indagandum, an locus ſit conveniens ad ædificium Eccleſiæ; tum, qua forma ſit conſtruenda, & ne præjudicium inferat aliis Eccleſiis. Quapropter neceſſarium eſt, ut præcedat hæc licentia, ſeu facultas Epiſcopi, vel alterius Superioris, nec ſufficiet poſteà concedi.

Sed tamen contrarium tenet Selva *ubi ſuprà*, qui aliquos refert, Azorius *d. cap. 3. quæſt. 5.* Vveyms *ad conſt. 24. ex jur. ant. de ſumpt. conſt. 59. num. 9.* Barboſa *d. allegat. 26. num. 2. & de univerſ. jur. lib. 2. c. 2. num. 5.* nam jura petentia hanc licentiam, & facultatem Superioris pro forma, non requirunt præcedere debere, ut videre eſt in relatis *nu. 27. cap. Placuit 26. de conſecrat. diſt. 1. cap. Ad hæc 4. de relig. dom. cap. Quicumque 44. 16. quæſt. 1. cap. Cùm olim 14. verſ. inſuper, de privilegiis*, & aliis relatis à Petr. Gregorio *d. lib. 2. cap 1. num. 10.* Quamobrem ſufficiet poſtea uſu pervenire. Idque exemplis demonſtrat Azorius aliquorum Pontificum, qui deorum fana jam conſtructa Sanctis dicarunt, & conſecrarunt. Præcipuè Bonifacius IV. qui Pantheon, Templis Diis Gentium dicatur, Eccleſiam omnium Sanctorum conſecravit. Unde cognoſcitur, ſufficere conſenſum poſteà præſtitum, licèt Eccleſia jam fuerit conſtructa. 29

In re tamen dico, quod ſi Eccleſia, ſeu Monaſterium, abſque Superioris licentia conſtruatur, vel ſit aliquod profanum alterius ſectæ Templum, ſufficit licentia, ſeu conſenſus Superioris, ut aliquando pro Eccleſia, ſeu Monaſterio conſecretur; nam quando licentia, vel conſenſus non requiritur pro forma ſubſtantiali, ut præcedat, ea poſtea ſuperveniente perinde eſt, ac ſi à principio præſtita fuiſſet, *cap. Non firmatur 18. de reg. jur. in 6.* ubi Scribentes, *cap. Dudum 50. de elect. l. Quid id quod 33. ff. de donat.* Unde in ſimilibus caſibus ſemper eſt admittenda hæc ſecunda ſententia. Verùm in praxi ſemper à principio quærenda licentia, ſeu conſenſus Superioris; nam Epiſcopus, vel alius Superior, in Eccleſia ædificanda, ſeu conſtruenda debet primùm ad locum accedere, & atrium ſeu cœmeterium deſignare, ibique ſignum Crucis cum precibus affigere, lapidemque primarium ponere, *cap. Nemo 9. de conſecrat. diſt. 1. auth. de Eccleſiaſt. tit. §. ſi quis*: quod quidem etiam per alium facere valet, ut docuerunt Azorius *d. cap. 3. qu. 4.* Durantius *de rit. Eccleſiæ, lib. 1. cap. 2. num 7.* Barboſa *d. cap. 2. num. 17.* D. Gregor. *part. lib. 1. cap. 5.* quapropter ſemper cum authoritate illius, & licentia procedendum ad conſtructionem Eccleſiæ, *cap. Quidam 10. 18. quæſt. 1. cap. Placuit 11. quæſt. 2.* Petrus Gregorius *dict. lib. 2. cap. 1. numero 10.* Vigelius *in Method. jur. can. lib. 3. cap. 15. regul. 5.* 30

Illud verò prætereundum non eſt, quod ſi Epiſcopus hanc licentiam, & conſenſum præſtare renuerit, & primarium lapidem reponere, idque non eſt ex rationabili cauſa, recurrendum eſt vel ad Archiepiſcopum, vel Primatem, ut illum compellat; illa enim regula generalis eſt, ut quoties inferior tenetur licentiam, ſeu conſenſum præſtare, niſi ex rationabili cauſa ſe excuſet, à Superiore poſſit compelli ad illum præſtandum, *cap. Nullus 8. de jure patronatus*, ibi Panormit. hanc regulam admittit. Quapropter in præſentiarum Epiſcopus ab Archiepiſcopo, ſeu Primate poterit compelli, ſi abſque rationabili cauſa id facere renuerit. Selva *d. q. 6. n. 15.* Azorius *d. cap. 3. qu. 8.* Barboſa *d. cap. 2. num. 17.* 31

In erigendis, conſtruendiſque Eccleſiis Cathedralibus non ſufficit licentia, ſeu authoritas Epiſcopi, nec etiam Legati, *cap. Quod translationem 4. de offic. Legati*, ubi Gloſſa; id enim ſpecialiter reſervatum eſt Romanis Pontificibus, *cap. 1. de translatione Epiſcopi, cap. 1. Ne Sede vacante*: quod diu adſervatum percipitur *ex cap. Felix 50. cap. Præcipimus 53. 16. quæſt. 1.* hæc enim ex gravioribus Eccleſiæ cauſis eſt, quapropter Summi Præſules id ſibi reſervarunt. Solorzano *de jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 4. à n. 1.* Barboſa *de un jur. lib. 1. cap. 2. num. 139. & lib. 2. cap. 5 n. 1.* Sanchez *conſ. lib. 6. c. 9. dub. 7. nu. 4.* Quod idem eſt dicendum quando Eccleſia Cathedralis in Metropolitanam erigitur, *cap. 1. de translat. Epiſcopi*; vel quando diſmembraretur ad alias erigendas Cathedrales, *cap. Mutationes 34. 7. qu. 1. extravagant. 1. de præbendis.* Tambur. *de jur. Abbat. tom. 2. diſput. 14. quæſt. 15. à nu. 20.* Urrutigoyti *de Eccleſ. Cathedral. cap. 3. per tot.* 32

Eſt verò dubium, an Epiſcopus poſſit Eccleſiam Collegiatam propria authoritate erigere, & exſtruere? Prima ſententia affirmat, *ex cap. Quoniam 9. de vit. & honeſt. Clericorum*, ubi Epiſcopis conceditur facultas inſtituendi 33

Ec-

Eccleſias, ubi Clerici in communi vivant in una domo : quod idem dicendum eſt de Eccleſia Collegiata, ubi Clerici vivunt in communitate, & ſub uno tecto, habentque bona unde fructus præbendarum percipiunt. Cæterùm ratione probatur; nam Epiſcopi poſſunt erigere novos Canonicos, ut ſint ſupernumerarii, *cap. 2. de conceſſ. Præbend.* ubi Abbas. Ergo etiam poſſunt ab eis erigi, ut conſtruatur, & erigatur Eccleſia Collegiata cum novis Canonicis. Præterea Epiſcopus ſua authoritate valet mutare Eccleſiam Collegiatam Sæcularem in Regularem, *cap. Ad audientiam 5. de Eccleſiis ædificand.* Moneta *de commut. ultim. volunt. cap. 11. num. 332.* Quamobrem demonſtratur, habere facultatem conſtruendi Eccleſiam Collegiatam; non enim mutare poſſet ſua authoritate ſtatum illius, ſi non habuiſſet facultatem illam conſtruendi, aut erigendi, ut ipſe Moneta docuerat *d. cap. 11. n. 331.* Ergo Eccleſia Collegiata poterit exſtrui, & erigi ex licentia, & authoritate Epiſcopi, ut *in d. cap. Quoniam*, docuerunt Abbas antiq. *n. 1.* Joan. Andreas *n. 3.* Butrius *n. 2.* Panormit. *n. 2. & 6.* Unde Nicol. Garcia *de Beneficiis, 12. part. cap. 5. num. 4.* ſcripſit, aliquando Eccleſiam Collegiatam erigi per Epiſcopum, licèt fieri ſoleat authoritate Papæ. Novarius *q. for. p. 1. quæſt. 24. nu. 4.* Rebuffus *tit. de erect. in Collegiat.*

34 Secunda ſententia tenet contrarium, dicens non abſque authoritate, licentia Papæ conſtrui, & erigi poſſe Collegiata. Ratio eſt, nam novos Canonicos creare, nequit fieri abſque authoritate Papæ. Abbas *in cap. Vacante, de Præbend.* Felinus *in cap. Exceptionem, de except. num. 16.* Burſatus *conſ. 27. num. 4. & conſ. 110. n. 6.* Uude Canonicorum creatio eſt de genere prohibitorum, nec ad alium pertinet, niſi ad Supremum Caput Eccleſiæ. Ragucius *de voce Canonicorum, quæſtione 1.* Prætereà Collegiata dicitur Eccleſia, quia habet collegium : collegium verò Eccleſiaſticum nequit erigi, vel conſtrui, niſi à Papa. Bartolus *in l. ult. ff. de colleg. illiçit num. 6.* ſive ſit probatum, ſive præſumptum, ut cum Innocentio, & aliis docet Lotterius *de re benefic. lib. 1. quæſt. 14. n. 38.* Ergo nequit Eccleſia Collegiata conſtrui, & erigi ex ſola licentia, & authoritate Epiſcopi. Lotterius *dict. quæſt. 14. n. 46.* Riccius *3. p. deciſ. 66.* Filliuc. *de Beneficiis, cap. 3. n. 112.* Maſſobrius *in Praxi habendi concurſ. prælud. 2. dub. 1.*

35 In hoc dubio obſervandum, nullum jus inveniri clarè decidens hanc difficultatem; nam textus quem adducit prima ſententia *in cap. Quoniam 9. de vit. & honeſtate Clericorum*, non loquitur de facienda Eccleſia Collegiata ſæculari, ſed tantùm Regulari, quod quidem interdictum non eſt Epiſcopis; nam licèt olim eis interdiceretur, *ex cap. 1. de exceſſibus Prælat. in 6.* hodie tamen conceſſa eſt Epiſcopis ſimilis authoritas ex Trident. *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 3.* Rota apud Farinac. *2. part. deciſ. 745.* Quapropter Textus ille aſſumptum non probat, ut explicat Lotterius *dict. quæſt. 14. à numer. 43.* Maſſobrius *dict. dub. 1. num. 5. & 6.*

36 Sed hoc interpretamentum admittendum non eſt; nam ut conſideravit Imola *in dict. cap. Quoniam, num. 9.* textus ille non agit de aliquo Prælato Regulari, ſed Sæculari, qui intendebat Clericos illius Eccleſiæ in communitate vivere, & in eadem domo veſci, ut majori commoditate Divinis Officiis, & aliis oneribus Eccleſiaſticis vacarent : quod quidem fieri ab Epiſcopo temporibus Gregorii Magni conceſſum erat, mos quidem receptus tam in Orientali, quàm Occidentali Eccleſia. Lantmeter. *de vet. Cleric. vict. lib. 2. cap. 56. in fine*, Cochier *in faſcicul. hiſt. cent. 2. cap. 22.* Lotter. *dict. quæſt. 14. num. 44.* Quamobrem rectè potuit ab Epiſcopo fieri, ut tenet D Gonzalez *in dict. c. Quoniam, num. 3.*

37 Sed adhuc in ſpecie iſta Textus ille non probat, poſſe Epiſcopum facere Eccleſiam Collegialem, & ut Clerici in communi vivant, & in eadem domo veſcantur. Ratio eſt, nam Gregorius VIII. id de novo ſtatuit, & indulget, ut poſſit Epiſcopus in communitate Clericos reponere, ut conſtat ibi : *Statuimus.*. Et infrà : *Indulgemus etiam*. Quæ verba in caſu illo ſpeciali tantùm demonſtrant ſpecialem indulgentiam, & facultatem, ut Epiſcopus potuiſſet facere, ut clerici in communitate collegialiter viverent, idque ex Pontificis indulto, non verò ut id conſtituiſſet Epiſcopus authoritate propria, independenter à Papa. Unde ex illo textu non probatur prima ſententia.

38 Cæterùm text. *in cap. Ad audientiam 5. de Eccleſiis ædificand* ubi deducunt interpretantes, poſſe Epiſcopum Eccleſiam Sæcularem Collegiatam erigere in Regularem, adhuc aſſumptum non benè probat; ibi enim agitur de mutanda Eccleſia collegiata in Regularem; quo quidem caſu aliqui dicunt, ex conſenſu Epiſcopi fieri poſſe, conſentientibus ipſis canonicis, & ſine aliorum præjudicio, *cap. Si Epiſcopus 73. 12. quæſt. 2.* Verumtamen Textus ille loquitur tantùm de Eccleſia Parochiali de conſenſu Epiſcopi, & Capituli in Monaſterium convertenda, quod longè ſe habet ab Eccleſia Collegiali; quapropter ad rem non eſt. Igitur dicendum; ut Eccleſia Collegiata fiat Regularis, non ſufficere ſolum conſenſum Epiſcopi, verum etiam requiri Summi Pontificis, quidquid reſiſtat Gloſſa *in d. cap. Ad audientiam*. D. Gonzalez *ibidem, num. 2.* Moneta *d. cap 11. num. 332.* quod depromitur ex littera ipſius textus, ibi : *Devotioni tuæ authoritate Apoſtolica indulgemus*. Quæ verba indicant apertè indultum fuiſſe conceſſum à Summo Præſule, ut Eccleſia illa Collegiata ad Regulares Canonicos ordinaretur; non verò ex authoritate propria Epiſcopi factum fuiſſe, quin potiùs ex illo textu decerpitur, utramque facultatem eſſe neceſſariam, nempe Papæ, & Epiſcopi, prout cum Viviano, Alagona, & aliis percipit Barboſa *ibidem, n. 1.*

Hinc admittenda eſt ſecunda ſententia aſſerens, ad conſtruendam, vel erigendam Eccleſiam Collegiatam, neceſſariam eſſe licentiam, & facultatem Pontificis, nec ſufficere ſolam Epiſcopi : & ultra illius fundamenta probatur, nam Epiſcopus, licèt aliquando authoritate propria creare poſſit aliquos Canonicos, hi tamen ſupernumerarii ſunt, nec aliquod jus percipiunt, niſi ventoſum, ut ſcripſit Abbas *in cap. Dilecto, de Præbend. col. 3.* nec habent vocem in capitulo, nec ſtallum in Choro. Beltrandus *conſ. 22. num. 6.* Moneta *de Optione, quæſt. 23. à num. 6.* Quapropter mirandum non eſt, ſi ab Epiſcopo creentur authoritate propria : ſed ſi verè eſſent Canonici, id tantùm concedunt Doctores ex diminutione reddituum, ad ſupreſſionem Canonicatuum; vel ex eorumdem augmento, ad novorum creationem ex conſenſu capituli, ut ſunt jura *in cap. Cùm acceſſiſſent 8. cap. Cum M. 9. cap. Ex parte 10. de conſt.* Ubi DD. Trident. *ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 15.* Ugolinus *de Offic. Epiſcopi, cap. 52. §. 1. num. 4.* Garcia *de Benefic. p. 12. cap. 1. à num. 2.* Barboſa *de poteſt. Epiſcopi, 3. par. allegat. 67. per tot.* Azorius *Inſt. Mor. 2. p. lib. 6. cap. 30. quæſt. 11. & 12.* Palao *Oper. Mor. tom. 2. tract 13. difficult. 6. punct. 9. §. 9. & 10.* aliter enim minimè Epiſcopus ex authoritate propria nec Canonicos ſupprimet, nec de novo creare poterit : Ergo cùm Canonicos creare interdictum ſit Epiſcopis, inde eſt, ut ſua authoritate propria non poſſint creare, conſtruere, & erigere Eccleſiam Collegiatam, nec ad id licentiam præſtare. 39

Cæterùm, licèt aliqui dicant, poſſe Epiſcopum in ſua diœceſi quidquid Pontifex in tota Eccleſia, niſi ſpecialiter fuerit reſervatum; attamen licet in ſpecie non ſit textus id reſervans, eſt tamen reſervatio in regula generali, ne fiat Collegium abſque Supremi Pontificis poteſtate, & authoritate, ut cum Bartolo, & Lotterio *ſuprà, num. 33.* probavimus *lib. 4. cap. 12. nu. 2.* quare in regula illa generali reſervata eſt Pontifici hæc facultas conſtruendi & erigendi Eccleſiam Collegiatam. 40

Denique ex praxi id eſt tenendum, quia ad conſtruendam, vel erigendam Eccleſiam Collegiatam, ſemper recurritur ad Papam, ut S. Sanctitas hanc facultatem concedat : cujus reſcripti formulam refert Maſſobrius *dict. prælud. 2. dub. 1. num. 7.* Unde grave argumentum ſumitur, hanc facultatem reſervatam eſſe Summo Pontifici, ita ut neceſſariò ex ejus licentia conſtruenda, & erigenda ſit Eccleſia Collegiata. Rota apud Rubeum *to. 3. deciſ. 99. n. 9.* Barboſa *de univ. jur. lib. 2. cap. 6. n. 1.* 41

Ad conſtruenda nova Monaſteria Regularium, vel Monialium, etiam authoritas Superiorum requiritur; quamobrem authoritas, & licentia Summi Pontificis eſt neceſſaria, *cap. 1. de exceſſib. Prælat. in 6. cap. ult. de religioſ. domibus, eod. lib.* tum & authoritas Epiſcopi, *cap. Authoritate 4. de Privileg. lib. 6.* Trident. *ſeſſ. 25. de Regularibus, cap. 3.* ibi : *Nec de cætero ſimilia loca, tam mulierum, quàm virorum, ſine Epiſcopi, in cujus Diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta*, &c. Eſtque Decretum Clementis VIII. 23. Julii 1603. & confirmatur Decreto Urbani VIII. 28. Auguſti 1624. ubi decernitur, Ordinarios non poſſe hanc licen- 42

centiam impartiri, ut erigantur Conventus cujuſcumque Ordinis Mendicantium, niſi vocatis Prioribus aliorum Conventuum in eiſdem civitatibus exiſtentium, & cauſa cognita conſtiterit, prædictos novos Conventus erigendos commodè ſuſtentari poſſe, ſine aliorum detrimento: quæ quidem circumſtantia de ſubſtantia eſt, ita ut ſi detur licentia abſque prævia cauſæ cognitione, & citatione aliorum Prælatorum, caſſa, & irrita ſit prorſus. Ratio eſt, nam Bulla habet clauſulam irritantem, quæ operatur nullitatem, & omnia deſtruit. Rota *diverſ. 2. p. deciſ. 24. num. 5.* Gonzalez *ad regul. 8. gloſſ. 67. à num. 12.* Menochius *de recuper. remed. 16. num. 444.* Salgado *de retent. Bull. 2. p. cap. 34. num. 126.* Ergo ſi abſque cauſæ cognitione, & citatione aliorum Prælatorum, licentia ab Epiſcopo concedatur, erit irrita, & nulla. Gratianus *tom. 3. cap. 517. num. 18.* Riccius *2. p. deciſ. 75.* Illuſtrant Cruz *de ſtat. Relig. lib. 2. cap. 9.* Rota apud Farinac. *2. p. deciſ. 745.* Cochier. *de juriſdict. in Exempt. 1. p. quæſt. 36.* Valentia *illuſtr. controverſ. lib. 2. tract. 1. cap. 2. num. 13.* Solorzano *de jur. Ind. tom. 2. lib. 3. cap. 23. num. 19. & in Polit. lib. 4. cap. 23.* Sanchez *conſ. lib. 6. cap. 9. dub. 7.* Urrutigoyti *3. p. de for. conſcient. vot. 7.* Garcia *de Benefic. 5. p. cap. 9. num. 80.*

43 Eſt tamen dubium, an licentia ſola Epiſcopi cum cauſæ cognitione, ſufficiat ad nova Monaſteria ædificanda. Prima ſententia affirmat; nam jura loquentia de Monaſteriis ædificandis, nullam petunt licentiam, niſi Epiſcopi Diœceſani, ubi Monaſterium ædificatur, *Authent. de Monach. in principio, collat. 1.* ubi ſic habetur: *Illud dicendum eſt, ſi quis monaſterium ædificare voluerit, non prius licentiam eſſe hoc agendi, quàm locorum Epiſcopum advocet.* Eſtque etiam textus *in cap. quidam 10. 18. quæſt. 2.* Trident. *dict. ſeſſ. 25. cap. 3.* Ergo ſola Epiſcopi licentia ſufficiet ad ædificandum novum Monaſterium cujuſque Ordinis. Præterea ex Bulla Clementis VIII. apertius probatur, ubi petitur licentia Epiſcopi cum cauſæ cognitione, ut omnia damna aliorum Conventuum, & commoda conſtruendi præcaverentur. Ergo de ſola licentia Epiſcopi poterit novum Monaſterium ædificari. Rodriguez *quæſt. regul. tom. 2. quæſt. 49. art. 3.* Sorbus *ad compendium Minorit. verbo Ædificare, in ſua annotat. verſ. Circa, §. 20.* Sanchez *dict. lib. 6. cap. 9. dub. 7. num. 1.* Valentia *dict. cap. 2. num. 13.* Valenzuela *conſ. 177. num. 3.*

44 Secunda ſententia aſſerit, duas licentias eſſe neceſſarias, nempe Sedis Apoſtolicæ, & Epiſcopi, in cujus diœceſi conſtruendum eſt Monaſterium. Ratio, nam *in cap. 1. de exceſſib. Prælat. lib. 6. & in cap. unico, de religioſ. dom. eodem lib.* ſtatutum eſt ibidem, ne Prælati Religionum aliquem novum Conventum exſtruant abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, ob graves querelas quotidie ad Sedem Apoſtolicam pervenientes. Quod idem decretum eſt *in cap. Authoritate 4. de privileg. lib. 6.* ubi *in verſ. Inhibemus*, id prohibitum eſt in exemptis, vel non exemptis locis, Regularibus domos ædificare abſque Sedis Apoſtolicæ licentia. Præterea aliquæ ſunt conceſſiones ſpeciali indulto, ut aliquæ Religiones Monaſteria conſtruant abſque licentia Summi Pontificis, ex ſola Ordinaria licentia, prout conceſſit Paulus V. Religioſis Carmelitanis Diſcalceatis Cõgregationis ſanctæ Mariæ, & Congregationi Clericorum Regularium S. Pauli, quarum meminit Barboſa *de offic. Epiſcopi, 2. part. allegat. 26. num. 4.* Verùm illas revocavit Urbanus VIII. 28. Auguſti 1624. Tamburinus *de jur. Abbat. tom. 3. diſput. 5. quæſt. 1.* Tondutus *tom. 1. Quæſt. Benefic. cap. 23. num. 5.* Ergo ſemper eſt neceſſaria ad conſtruendum novum Monaſterium licentia, aliàs ſemper erit neceſſarium ſpeciale indultum. Denique, licèt Tridentinum *dict. cap. 3.* petat ad conſtruendum Monaſterium licentiam Epiſcopi, id tamen non derogat licentiæ Summi Præſulis requiſitæ ex aliis juribus ad fundandum Monaſterium; ſed tantùm decerpitur, utramque licentiam eſſe neceſſariam. Barboſa *d. allegat. 26. num. 4.* Tondutus *d. cap. 23. num. 4.* Solorzano *d. cap. 23. à num. 19.* Zerola *verbo Monachi, num. 2.* Riccius *4. p. deciſ. 168. num. 4.* Magiſtris *in Sylv. Eccleſ. lib. 1. c. 2. num. 3.*

45 In hoc ego diſſidio animadverto, duobus modis poſſe intelligi jura, quæ loquuntur de domibus Religioſorum. In primis quando tantùm ſunt hoſpitia, ubi Religioſi tanquam viatores pertranſeunt; & tunc non eſt licentia neceſſaria, nec Papæ, nec Ordinariorum. Ratio enim eſt, quia ibidem non dicuntur propriè habitare, ſed ſtare per tranſitum, *l. 1. §. Habitatores, ff. de his, qui dejecer. l. penult. §. Dein factum, ff. naut. & caupon.* nec ſub nomine Monaſterii domus iſtæ intelliguntur. Gallinus *conſ. 326. num. 6.* Hartmannus *conſ. 13. num. 4.* Quamobrem ad has domos, ſeu hoſpitia conſtruenda, nulla eſt neceſſaria licentia, nec Papæ, nec Ordinariorum, ut in terminis Bullæ Clementis VIII. tenet Riccius *2. part. deciſ. 140. in fine*, Bonacina *tom. 3. diſput. 2. quæſt. 8. part. 2. num. 2.*

Secundò quando domus, ſeu monaſteria conſtruuntur, ut 46
vivant cœnobitæ conventualiter, & in communitate, non autem per tranſennam: in quo quidem caſu animadverto, plures Doctores tenuiſſe, neceſſariam eſſe licentiam Ordinarii, verumtamen non excludunt licentiam Summi Præſulis, ut videre eſt in Sanchez, & Valenzuela relatis *num. 41.* idem Valenzuela *conſilio 84. num. 9.* Gratianus *tom. 3. diſcept. cap. 517. num. 18.* P. Gregorius *de Republica, lib. 3. cap. 9. num. 2.* ideò non eſt facilè admittenda prima ſententia, quæ quidem apertè paucorum eſt. Quamobrem admitto ſecundam aſſerentem, ſolam non ſufficere licentiam Epiſcopi, ſed neceſſariam eſſe Sedis Apoſtolicæ, ut declaravit Sacra Congregatio, cujus verba tranſcripſit Solorzano *dict. cap. 23. num. 21.* ſic: *Monachi non poſſunt ædificare Monaſterium in Parochia, in qua id non habent, ſine cognitione, & licentia Papæ, & practicatur ſic, quod Epiſcopus dat aſſenſum Monachis ædificandi Eccleſias, & Monaſteria, reſervato beneplacito, aſſenſu, & confirmatione Sedis Apoſtolicæ, impetranda intra tanti temporis curriculum.* De qua etiam praxi teſtatur Zerola *dict. verbo Monachi, num. 2.* Et probatur ratione, nam Monaſteriorum ædificatio de gravioribus eſt, & quæ requirunt maximam conſiderationem, ut declaratur in Bulla Clementis VIII. graviora enim Eccleſiæ debent per Caput expediri, *cap. Majores 3. de Baptiſmo*, Barboſa *de offic. Epiſcopi, 3. p. allegat. 112. per tot.* Ergo erit neceſſaria licentia Papæ, ſimul cum licentia Epiſcopi, ad ædificandum Monaſterium, prout etiam tenent Campanilus *in Diverſ. jur. can. rub. 12. cap. 13. num. 80. in fine*, Barboſa *ad Concilium, ſeſſ. 25. de Regul. cap. 3. num. 28.*

Illud verò obliviſcendum non eſt, hanc licentiam ab Epi- 47
ſcopo præſtandam, non poſſe dari à Vicario illius, niſi ad id habeat ſpeciale mandatum; nam ut dictum eſt, ædificatio iſta eſt de gravioribus, quæ non veniunt in generali mandato, & ideò neceſſarium eſt ſpeciale, aliàs non poterit à Vicario ex generali commiſſione præſtari. Riccius *1. p. deciſ. 182. nu. 4.* Campanilus *dict. cap. 13. concluſ. 3.* Barboſa *d. 3. p. alleg. 26. num. 3.* Solorzano *d. cap. 23. num. 19.* Fraſſo *de Patr. Ind. 1. p. cap. 4. num. 4. in fin.*

Sed quid de translatione Monaſterii de uno ad alterum 48
locum? Eo quidem caſu novum Monaſterium conſtruitur, & ædificatur; & in hac translatione, ſeu mutatione neceſſariam eſſe licentiam Summi Pontificis, eſt textus expreſſus *in cap. un. de exceſſibus Prælat. in 6. Clem. Cupientes 3. de pœnis.* Eſt enim difficultas, an requiratur nova licentia Ordinarii? Prima ſententia aſſerit, non eſſe neceſſariam novam licentiam Ordinarii; nam quamvis jura petant licentiam hanc ad novam conſtructionem Monaſterii, non ita verò ad mutationem, ſeu translationem illius, prout patet in Trid. *d. ſeſſ. 25. cap. 3. in fin.* Ergo abſque licentia Ordinarii poterunt ad alium locum transferre Monaſterium. Et confirmatur, nam Regulares exempti ſunt à juriſdictione Epiſcoporum, niſi in caſibus, quibus ſpecialiter illis ſubduntur, *cap. 1. verſic. In eos, de Privilegiis lib. 6.* Trident. *ſeſſ. 6. de Refform. cap. 3. & ſeſſ. 21. cap. 2. &* 14. Cenedo *can. quæſt. 26.* Cevallos *de cognit. per viam violent. quæſt. 71.* Diana *3. p. tract. 1. reſ. 20.* Tuſchus *lit. A. concluſ. 7.* Non autem ſpecialiter, & expreſsè Religioſi ſubjiciuntur ad petendam licentiam Ordinarii ad transferendum, ſeu mutandum Monaſterium: Ergo minimè tenentur eam petere. Denique eſt privilegium Sixti V. conceſſum Generali Sancti Benedicti in Luſitania, ut ex conſenſu Capituli, abſque licentia Ordinarii, transferat Monaſteria ad loca commoda, cujus verba tranſcripſit Barboſa *d. allegat. 26. num. 9.* quod quidem licèt tantùm illi Religioni conceſſum fuerit, aliis communicatur ex conceſſione Leonis X. quam refert Cherubinus *tom. 1. fol. 524.* Rodriguez latè *tom. 1. quæſt. 55. art. 1. cum ſequent.* Campanilus *dict. rub. 12. cap. 13. num. 81.* Suarez *de cenſur. diſput. 23. ſect. 5. nu. 24.* Cruz *de ſtat. Religioſ. lib. 2. cap. 4.* Ergo ex ſimili privilegio poſſunt Religioſi mutare, ſeu transferre ſua Monaſteria abſque licentia Ordinarii. Tenet Diana *3. p. tract. 2. reſ. 136.* Bonacina *de cenſuris, tom. 3. diſput. 2. quæſt. 8. punct. 2. propoſit. 1. nu. 5.* qui alios refert.

Secun-

49 Secunda ſententia tenet contrarium, ex deciſione textus *in cap. Si quis vult* 41. 16. *quæſt.* 7. ubi ſic Bonifacius decernit: *Si quis vult Monaſterium ſuum ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cum conſilio Epiſcopi, & Fratrum ſuorum.* Cæterùm probatur, nam licèt in Concilio Tridentino *dict. ſeſſ.* 25. *de Regularibus, cap.* 3. non fiat mentio de mutatione Monaſteriorum, eſt caſus omiſſus, relictus in diſpoſitione juris communis, *l. Si commodiſſimè* 10. *ff. de liber. & poſthum. l. Si cùm dotem* 22. *ff. ſolut. matrim.* Molin. *de rit. nupt. lib.* 3. *quæſt.* 58. *num.* 16. Rota apud Farinac. 1. *p. deciſ.* 171. *nu.* 8. Marius Ant. *var. lib.* 2. *reſolut.* 11. *num.* 16. Et caſus omiſſus in nova conſtitutione intelligitur ſecundùm antiquam, *l. Si verò* 64. §. *de viro, ff. ſolut. matrim.* Gironda *de Privileg. num.* 556. Cùm ergo de jure communi *in d. cap. Si quis vult*, requiratur ad mutationem Monaſterii Epiſcopi licentia, inde eſt, ut ſit neceſſaria. Præterea probatur *ex cap. Authoritate* 4. *de Privileg. in* 6. ubi Monaſterium nequit ædificari abſque licentia Epiſcopi, in loco non exempto; & ſi exemptus fuerit, abſque authoritate Papæ: Sed in translatione Monaſterii verè, & realiter ædificatur Eccleſia, & novum Monaſterium: Ergo nequit fieri abſque licentia Epiſcopi. Confirmatur, nam ideò in loco non exempto requiritur Ordinarii licentia, quia ex occupato per Monaſterium, fit exemptus à juriſdictione Epiſcopi, quæ damnum percipit: Sed hoc damnum, & præjudicium Epiſcopi eſt in translatione Monaſterii: Ergo ſicut in ædificetione eſt neceſſaria ejus licentia, ſimiliter in translatione. Denique eſt textus *in cap. un. de exceſſibus Prælat. in* 6. qui non ſolùm loquitur de Monaſteriis conſtructis, ſed etiam de conſtruendis, & de novo faciendis: quod quidem verificatur in translatione Monaſteriorum, cùm de novo ædificantur. Ergo ſemper erit neceſſaria licentia Ordinarii in translatione, ſicut in ædificatione Monaſterii. Portel. *de dub. Reg. verbo Monaſterium, num.* 5. Rodriguez *Regul. Quæſt. tom.* 1. *quæſt.* 23. *art.* 7. *ad finem*, Barboſa *dict. allegat.* 26. *num.* 8. *&* 9. Cruz *dict. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 1. Riccius 4. *p. deciſ.* 168. Tondutus *dict. cap.* 23. *num.* 7. Larrea *deciſ. Granatenſi* 97. *à num.* 15.

50 In hoc dubio animadvertendum, jura quæ pro hac ſecunda opinione adducuntur, varia interpretamenta recipere. Nam quoad textum *in dict. cap. Si quis vult*, nonulli inquiunt, minimè illic peti licentiam, ſeu conſenſum Epiſcopi, ſed tantùm conſilium; quod longè ſe habet, cùm eo petito poſſint Regulares ad libitum Monaſteria transferre; quod ſecus de licentia. Sed tamen hoc interpretamentum admittendum non eſt, quia licèt textus ille dicat, *cum conſilio*, idem eſt ac ſi diceret, *de licentia & conſenſu Epiſcopi*, prout eſt textus *in cap.* 1. *de for. competent.* ubi Clericus nequit conveniri coram alio Judice Eccleſiaſtico, niſi de conſilio proprii Epiſcopi; quod quidem intelligendum eſt de licentia, & conſenſu illius, ut declarat textus *in cap. Si diligenti* 17. *eod. tit.* & cum multis tradit Barboſa ibi, *à num.* 7. *cap. Cùm olim* 7. *de Arbitriis*, ubi Abbas *num.* 5. idque optima ratione; nam quoties conſilium petendum eſt ab eo, qui in juriſdictione poteſt detrimentum pati, non intelligitur de conſilio propriè, ſed de licentia, & conſenſu illius, ne ei injuria irrogetur: quapropter *in dict. cap. Si quis vult*, conſilium, licentia, & conſenſus Epiſcopi intelliguntur, ut optimè docet Larrea *d. deciſ.* 97. *num.* 10.

51 Aliud etiam interpretamentum adducunt alteri, nempe textum illum eſſe intelligendum, quando Religioſi non erant exempti à juriſdictione Epiſcoporum. Aſt poſt exemptionem nequit procedere, niſi in caſibus quibus expreſsè ſubjiciuntur Epiſcopis, ut jam diximus, & cum multis docet Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *diſput.* 33. *num.* 23. Guiſerius *de Iudic. Regul. cap.* 9. *num. fin.* Sed tamen nec hoc interpretamentum eſt admittendum, quia negatur Regulares quoad ædificanda Monaſteria ſubjectos non eſſe ad petendam licentiam Epiſcopi; quod idem eſt trahendum ad translationem, propter jura, quæ loquuntur, non ſolùm de ædificatione, ſed etiam de translatione, & nova ædificatione; ac etiam propter identitatem rationis, *ex l. Illud, ff. ad l. Aquiliam, l. Illud, C. de Sacroſ. Eccleſiis, l. Cum ratio* 6. *ff. de bon. damnat.* & latè proſequitur Larrea *ubi proximè, à num.* 29.

52 Textus *in d. cap. Authoritate, & cap. un. de exceſſibus Prælat. in* 6. inquiunt intelligendos non de translatione Monaſterii, ſed de ædificatione; & in Monaſteriis conſtructis, non de conſtruendis, poſt textum *in d. c. unico*, ut interpretatur Suarez *de cenſur. diſp.* 23. *ſect.* 5. *num.* 33. Verumtamen ſi conſpiciatur textus in *d. cap. Authoritate*, verè, & realiter loquitur de qualibet domo, ſeu Monaſterio conſtruendo, unde querelæ, & ſcandala poterant oriri: quod quidem ſimiliter procedit in mutatione Monaſterii, quia reſpectu loci ubi ædificandum eſt, poſſunt ſimilia inconvenientia oriri, & cauſari. Tum interpretatio Suarez ad textum *in cap. unic. de exceſſibus Prælat. in* 6. incerta eſt, repugnat enim litteræ illius textus, tum & diſpoſitioni legum, quæ regulariter loquendo reſpiciunt futura, niſi expreſſim de præteritis tantùm loquantur, *l. Leges* 2. *C. de legibus, cap. fin. de conſt.* ubi communiter Scribentes. Quamobrem jura iſta ſecundam ſententiam probant, prout probat Clementina *Cupientes* 3. *de pœnis*. Quidquid Suarez dicat, intelligendam tantùm de Monaſteriis conſtructis uſque ad tempus Clementis V. Larrea *d. deciſ.* 97. *num.* 27.

Hinc reſolvendum eſt, de jure communi loquendo, Religioſos non poſſe transferre, ſeu mutare Monaſterium ad alium locum abſque licentia Epiſcopi, nec in hoc erit dubitandum. Erit ergo difficultas, an ex aliquibus Indultis poſſint Religioſi has mutationes facere independenter ab Epiſcopo. Et aliqui affirmant, idque probant ex conceſſione Julii II. Sixti V. Leonis X. & aliis privilegiis congeſtis à Barboſa *de univerſ. jur. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 69. ubi hanc ſententiam tenent Suarez *dict. ſect.* 5. *num.* 33. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 8. *quæſt.* 8. *num.* 145. Navarrus *in Manual. cap.* 27. *n.* 144. Bonacina *dict. quæſt.* 8. *punct.* 2. *propoſit.* 1. *num.* 5. Tondutus *dict. cap.* 23. *num.* 7. 53

Sed contrarium tenet Larrea *dict. deciſ.* 97. *num.* 26. ex decreto Urbani VIII. 17. Auguſti 1633. quod refert Barboſa *de offic. Epiſcop. in fine dict. conſt. fol. mihi* 63. ubi generaliter omnibus Religionibus interdicitur novas Domos, ſeu Conventus erigere abſque licentia Ordinariorum. Eſtque etiam ad id aliud Decretum ejuſdem Urbani, 28. Auguſti 1623. refert Tamburinus *de jur. Abbat. tom.* 3. *diſput.* 5. *quæſt.* 1. & meminit Tondutus *d. cap.* 23. *num.* 5. idem mandans, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis. Unde indulta illa jam ſupra relata, derogata remanent, & res redacta ad jus commune, requirens utramque licentiam ad mutationem, ſeu translationem Monaſterii, *ex d. cap. Si quis vult, cap. unic. de exceſſibus Prælat. in* 6. *clement. Cupientes* 3. *de pœnis, l.* 9. *tit.* 14. *p.* 1. 54

In hoc dubio dico, tribus modis conſiderandam eſſe hanc mutationem, ſeu translationem Monaſteriorum. Primò, quando translatio fit ex loco incommodo ad locum commodum, & ſanum, vel magis proficuum, etiam exemptum, prout erat locus ubi erat ſitum Monaſterium, nec exindè aliquod præjudicium ſequitur Epiſcopo, nec alicui Eccleſiæ Parochiali; & tunc credo, ex Indultis Regularium, abſque licentia Epiſcopi poſſe fieri mutationem, ſeu translationem; in quo quidem caſu rectè poſſunt Indulta practicari à Religioſis, quibus conceſſa ſunt, aut aliis per communicationem. Ratio eſt, nam ad hunc caſum conceſſa videntur iſta reſcripta, in quo nullum præjudicium ſequitur alicui tertio; quod quidem neceſſariò in quolibet reſcripto intelligitur, cùm mens ſit Pontificis nullum lædere, nec aliquod præjudicium inferre; *l.* 2. *C. de precib. Imp. offer. cap. Cùm ordinem* 6. *de Reſcript.* Gironda *de Privileg. num.* 282. nec tale reſcriptum eſt adimplendum, ſi contineat tertii præjudicium. Azevedum *in l.* 1. *tit.* 14. *lib.* 4. *Recopilat. n.* 35. Maſcardus *de probat. concluſ.* 1003. *num.* 21. Brunorus à Sole *in loc. com. verbo Reſcriptum, num.* 1. Cabedo 2. *p. deciſ.* 93. *num.* 2. Ergo cùm in hac ſpecie nullum præjudicium inferatur juri Epiſcopi, aut alicui Eccleſiæ, rectè ex his Indultis poterunt Religioſi mutare, aut transferre Monaſterium ad alium locum exemptum commodiorem. Præterea, quando jam eſt fundatum Monaſterium, & transfertur ad alium locum exemptum, & ſine aliorum præjudicio, nullus novus acquiritur titulus, ſed primus renovatur. Tondutus *d. cap.* 23. *num.* 7. Ergo minimè erit neceſſaria nova licentia, ſed Indulta illa rectè procedunt: & in hoc caſu admitto ſententiam Doctorum relatorum *num.* 53. 55

Secundus modus erit, quando Religioſi voluerint transferre Monaſterium ad locum non exemptum, ſed de juriſdictione Epiſcopi; & tunc aſſero cum Larrea, neceſſariam eſſe novam licentiam Ordinarii, ex Conſtitutione Urbani, quam ipſe refert, & quam refert Tamburinus, derogantem omnibus Religioſorum privilegiis circa Monaſteriorum erectionem citra licentiam Ordinariorum, quas etiam compilavit 56

pilavit Barboſa *in ſummario*, *verbo Monaſterio*, *collect.* 503. *num.* 11. Ratio eſt, nam hæc non eſt propriè translatio, ac mutatio cum eiſdem juribus, & titulis antecedentibus, ſed nova erectio Monaſterii cum novo titulo, ſcilicet auferendi Epiſcopo locum non exemptum, & proprium ſuæ juriſdictionis. Ergo talis translatio debet neceſſariò contineri in dictis Decretis Urbani, derogantibus omnibus privilegiis Religioſorum ad translationem Monaſterii. Cæterùm, nam Indulta Religioſorum, quatenus derogant juri communi, & præjudicium inferunt, ſtrictè ſunt interpretanda, & quominus lædant, *l. Reſcripta 7. C. de precib. Imperat. offer. l. 47. tit. 18. part. 3.* Petrus Gregorius *lib. 1. de Reſcript. cap. 28. num. 4.* Barboſa *in cap. 38. de reſcript. n. 6.* Gratianus *diſcept. cap. 938. num. 14.* Ergo Indulta illa non ſunt intelligenda quando translatio Monaſterii fit ad locum non exemptum, ubi Epiſcopus habet jus quæſitum, quod Pontifex lædere non intendit. Gomez *in l. 40. Tauri, n 89. verſ Sine juſta*, Menchaca *Illuſtr. cap. 1. n. 6.* Tuſchus *lit.* P. *concluſ. 687. à n. 1.* Cyriacus *controv. 310.*

57 Deinde Decreta Urbani, quatenus conformia juri communi ſtatuenti peti licentiam Ordinarii ad mutationem Monaſterii, facilè ſunt extendenda ad translationem ad locum non exemptum; quælibet enim reductio ad jus commune facillimè eſt admittenda, ut in terminis exemptionis valet videri, quando Canonici eximi à juriſdictione Epiſcopi intendunt, contra quos exiſtit aliqua conſuetudo; utique ſervanda, ut magis conformis juri communi, *cap. Non eſt 3. de conſuet. in 6.* prout in Adjunctis tenent Saravia *de Adjunctis*, *quæſt. 47.* Valenzuela *conſ. 79. num. 103.* Solorzano *de jur. Ind. tom. 2. lib. 3. cap. 14. à num. 60.* Cùm ergo de jure communi ad ædificandum, ſeu transferendum Monaſterium requiratur licentia Epiſcopi, Urbani Decreta facillimè debent extendi ad translationem, utpote quæ ſit res magis conformis de jure communi, ſi locus non eſt exemptus.

58 Denique, licèt Indulta certa fuiſſent, & non derogata per Decreta Urbani, ratione exequutionis neceſſariò eſt recurrendum ad Epiſcopum, coram quo ſunt præſentanda, ut cognoſcat, an aliquid obſtet eorum exequutioni, ut ex multis declarationibus probat Garcia *de Beneficiis*, 7 *part. cap 1. num. 102.* Gratianus *diſcept. cap. 296. nu. 44.* Larrea *dict. deciſ. 97. num. 17.* Ergo ſemper eſt recurrendum pro licentia Epiſcopi, declarante nullum adeſſe obicem ad exequutionem privilegiorum, ut Monaſterium in locum non exemptum transferatur ex neceſſitate exequutionis, licèt non alia licentia requireretur.

59 Tertio modo caſus iſte valet conſiderari, ſcilicet quando aliquis fundaverit ex propriis bonis Monaſterium in aliquo certo loco, & vellent Religioſi ad alium ſe transferre: quo quidem caſu licèt Religioſi habuiſſent Indulta ſe transferrendi ubi voluerint; ſive ad locum exemptum, ſive non exemptum, erit neceſſaria licentia Epiſcopi; nam tunc eſt commutatio ultimæ voluntatis defuncti in illo loco certo Monaſterium fundantis; quare hæc translatio neceſſariò facienda eſt ex juſta cauſa, & de licentia Epiſcopi, ex Trident. *ſeſſ. 22. de Reform. c. 6.* Barboſa *de offic. Epiſcopi, 3. par. allegat. 83* & nos latè diximus *lib. 8. cap fin. à n. 13.* Idcircò in præſentiarum ſemper eſt facienda cauſa cognita, & de licentia Epiſcopi, ut benè defendit Tondutus *dict. cap. 23. n. 8.*

CAPUT III.

Proſequitur materia antecedens: & de nova erectione Eccleſiarum ex neceſſitate ab Epiſcopo facienda. Elucidatur caput 3. *de Eccleſiis ædificand.*

SUMMARIUM.

Licentia ædificandi Eccleſiam, ſeu Monaſterium poteſt præſtari à Capitulo, Sede Vacante, etiam cum reſervatione juriſpatronatus, n. 1. Sed an ad ædificationem Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum ſit neceſſaria licentia Principis Sæcularis? Prima ſententia affirmat, n. 2. Secunda negat, à n. 3. Reſolvitur ut urbanicè petatur, n. 5. non verò ex neceſſitate juridica, & comprobatur à n. 6.

Princeps ex eo quod cauſa pertinet ad bonum publicum, nequit ſe introducere, ſi cauſa ſit Eccleſiaſtica, n. 7. Sed debet agere pro ſuo intereſſe coram Eccleſiaſtico Iudice, n. 8.

Impedimentum, ne Eccleſia, ſeu Monaſterium ædificetur, odioſum eſt, n. 9.

Ad Eccleſiam ædificandam poteſt neceſſaria, num. 10. & quid Ethnicos hoc eſt obſervatum, & apud noſtros Hiſpanos, num. 11.

An dos iſta ſit conſtituenda in ædificanda Capella, ſeu Oratorio? Negarunt aliqui, n. 12. Affirmarunt alteri, nu. 13. Reſolvitur & diſtinguitur, n. 14.

Hæc dos à principio ædificationis eſt deſignanda, & imponenda; & debet imponi ab ædificatore, vel ab ejus hæredibus, vel ab Epiſcopo, ſi Eccleſiam abſque dote conſecraverit, n. 15.

Eſt etiam neceſſarius locus, qui non debet eſſe profanus, vel alienus, & abſque aliquo honore, ibid. Eccleſia ædificata in ſolo alieno, ſolum cedit Eccleſiæ, & ſi ſolum ſit alterius Eccleſiæ, habet juſpatronatus, n. 16.

Si in area, aut loco ſunt hæretici, aut Pagani tumulati, exhumantur: & idem in dubio. Secus ſi conſtet fuiſſe Chriſtianos, n. 17.

De forma ædificii Templorum, olim ſimilis Templo Salomonis, n. 18 & 19.

Eccleſiæ Chriſtianorum in formam longam & in modum navis communiter fiunt, n. 20. & in aliquibus diſtinguuntur à Templo Salomonis, n. 21.

Ante fores Eccleſiarum erant olim fontes æquæ communis, num 22.

Ex cauſis hìc recenſitis erigi valet nova Eccleſia? n. 23. Ponitur ratio decidendi, n. 24.

Hæc cauſa debet eſſe gravis, & cui aliter occurri non poteſt: Si tamen populis ſit numeroſus, non erigitur nova Eccleſia, ſed adjutores Parochus ſuſcipit, n. 25. vel ſuppetias quærit Oratorium conſtruendo, n. 26.

Hæc Oratoria (vulgò Ayudas de Parochia) *ſemper remanent in proprietate Eccleſiæ matricis, nec diviſio fit Decimarum, ſed ponitur Clericus ad nutum amovibilis cum ſalario, n. 27. An quando in Parochia ſunt Decimarum participes Clerici adjutores, teneatur Parochus ſuis expenſis ſolvere? Affirmatur, n. 28.*

Diſtinguitur, quando Parochus non haberet niſi decentem congruam; nam tunc tenentur contribuere participes, n. 29. Parochus habet fundatam ſuam intentionem in decimis Parochiæ, & conceſſiones decimarum participibus factæ, non detracta neceſſaria portione ad adminiſtrationem Sacramentorum, ſunt nullæ, n. 30.

Si Parochia habeat Rectorem, & Beneficiatos, omnes pro rata tenentur ſolvere adjutores, n. 31. Refertur caſus, n. 32.

Si Beneficium eſt pingue, & non alii Beneficiati, ſolus Parochus ſolvit coadjutores, n. 33.

Si Beneficium eſt tenue, & alii non ſunt participes, nec decimæ, Populus contribuere tenetur, n 34.

Religioſi Mendicantes ſunt Coadjutores Parochorum, & tenentur illos adjuvare in neceſſitatibus, n. 35. & 36.

An poſſint Religioſi ex licentia Prælatorum degere in oppidis ad petendas eleemoſynas, excipiendas confeſſiones, & prædicandum? Negarunt aliqui, à n. 37. uſque ad 39.

Sed contrarium tenent alteri: & comprobatur, à num. 40. uſque ad 47.

Explicatur Decretum Clementis, & Vrbani VIII. & conſiderantur tres caſus. Primus quando Religioſus vocatur à Parocho, ut eum adjuvet; & tunc Religioſus rectè in Oppido reſidet, nec rectè ab Epiſcopo repellitur, nec ad id Parochum cogit, ut expellat, n. 47.

Ex multitudine Religionum confuſio oritur in Eccleſia: & multitudo Religioſorum non eſt bona ad regimen ſpirituale, n. 48. & 49.

An quando Parochus eſt ſufficiens propter populi paucitatem, poſſit ſecum habere Religioſum? Videtur negativè reſpondendum, num. 51. Sed contrarium defenditur, à num 52.

Olim Miſſæ à mulieribus cantabantur, ſecus hodiè, quin Rector tenetur ſecum habere Clericum ad pſallendum, ibid. & num. 53.

Parochus etiam in oppidulis parvis, moraliter non eſt ſufficiens ad excipiendas confeſſiones, n. 54.

Poſſunt Parochiani confiteri cum quolibet Religioſo approbato, abſque licentia Parochi; & cum quolibet approbato, etiam Sæculari, ex indulto Bullæ, ibid.

Parochus ſolus in oppido magnoperè indiget Religioſo ad bene adminiſtrandum, & ob periculum ſuæ animæ, n. 55.

Melius est administrare prævia confessione, *n.*56.
Ministrare Sacramenta cum lethali culpa, *grave peccatum esse*, *defenditur contra aliquos*, *n* 57.
Decretum Tridentini sess.23. de Eucharistia, cap.7. *difficilè est ad praxim adducere*, *n.*58.
Secundus casus, *quando Religiosus non est in oppidis ad adiuvandum Parochum*, *sed ad mendicitatem ex licentia Prælati*; *tunc si Monasterium non indigeat*, *nequit in oppidulis degere*, *num.*59. *secus si indigeat*, *nu.*60. *Ex causa arbitrio Prælati libranda possunt Religiosi extra claustra degere*, *ibid.*
Religiosus extra claustra degens ex licentia Prælati, *perinde est ac si viveret intra*, *n.*61.
In claustris degere non est de substantia Religionis, *n.*63.
Mandata Episcoporum, *ut ab oppidis Religiosi Mendicantes ejiciantur*, *sunt contra privilegia eorum*, *n.*64. *& tendunt ad grave dedecus Religionum*, *n.*65.
Bona multa proveniunt ex assistentia Religiosorum in oppidis, *n.*66. *&* 67.
Religiosus nequit extra claustra vagari, *& sine licentia Prælati morari*, *n.*68. *Et si extra claustra deliquerit*, *poterit ab Episcopo puniri*, *ibid. Hoc modo interpretanda mandata Episcoporum*, *n.*69. *&* 70.

1 HÆc licentia ædificandi Ecclesiam, aut Monasterium, Sede vacante, poterit concedi à Capitulo: quod non solùm intelligas simpliciter, sed etiam cum reservatione jurispatronatus. Ratio enim est, quia hæc licentia procedit à jurisdictione ordinaria Episcopi, quæ Sede vacante transfertur ad Capitulum, ut notum est: Ergo Capitulum, Sede vacante, poterit similes licentias concedere, etiam cum reservatione jurispatronatus. Pavinus *de offic. & potest. Capituli*, *p.*5. *quæst.*2. *n.*5. Garcia *de Beneficiis*, 5. *part. cap.*9. *nu.*79. Vivianus *in Praxi jurispatronat.*1. *part. lib.*2. *cap.*1. *nu.*12. Barbosa *de offic. Episcopi*, 3. *p. allegat.*70. *n.*32. Diana 8 *part. tract.*4. *res.*54. Frasso *de Patronat. Ind.*1. *p. cap.*4. *n.*14.

2 Est tamen dubium grave, an in ædificatione Ecclesiarum, vel Monasteriorum sit necessaria licentia Principis sæcularis? Prima sententia affirmat; nam locus publicus nequit fieri sacer absque licentia Principis, *l. Sacra* 9. *vers. Sciendum*, *ff. de rerum divis l. fin. ff ut in poss. legat. eatur.* Ergo ad ædificandam Ecclesiam, seu Monasterium, semper erit necessaria licentia Principis. Cæterùm ex Ecclesiarum, seu Monasteriorum ædificatione quamplura damna Respublica pati valet: tum quia plures domus vicinorum demoliuntur, & plures sunt Clerici, & Religiosi, qui nec ex decimis, nec eleemosynis valent sustentari, quod est maximum inconveniens, ut patet ex Tridentino *d. sess.*25. *c.*3. & ex constitutione Clementis VIII. jam relata. Ergo ne hæc damna Reipublicæ oriantur, necessarium est recurrere ad Principem, tamquam Caput Reipublicæ, ut decernat, ne hæc damna sequantur. Et confirmatur, nam ratione œconomicæ; & politicæ gubernationis hoc pertinet ad Principem, tum ratione protectionis, quam debet Princeps habere circa gubernationem Ecclesiarum, & Monasteriorum, ne bonum illorum regimen turbetur. D. Salcedo *de leg. polit. lib.*2. *c.*22. *n.*6. Ergo in ædificatione Ecclesiarum, vel Monasteriorum semper erit necessaria licētia Principis. Denique exemplo probatur, nempe in nostra Castella, ubi nulla Monasteria possunt ædificeri absque nostri Regis licentia, posteà à Senatu Regio confirmanda: quem quidem morem antiquum etiam observavit D. Bernardus *epist.*301. scribens ad Sanctiam, sororem Imperatoris Hispaniæ. Ergo nec Ecclesiæ, nec Monasteria possunt ædificari absque Regis licentia. Capycius *decis.*132. *n.*6. Rodriguez *tom.*1. *Quæst. Regul. quæst.*23. *art.*7 Navarrete *Conservas de Monarch. decis.*42. Larrea *d. decis.*97. *n.*18. Solorzano *d. tom.*2. *lib.*3. *cap.*23. *à n.*30.

3 Secunda sententia contrarium tenet, & asserit licentiam hanc non esse necessariam, quin potiùs si aliquod statutum eam petierit, contra libertatem Ecclesiasticam erit. Ducitur ex decisione textus *in cap. Futuram* 15. 12. *quæst.*1. ubi Constantinus Imperator dedit licentiam liberam Ecclesias ædificandi; quod licèt de facto, & absque ullo jure interdictum fuerit à Valente, & Theodosio, Arcadioque, *l. Nemo* 14. *C. de Relig. & Sumpt. fun.* hanc tamen cassavit posteà Justinianus *in l. Sancimus* 46 § *Sed si quidem*, *C. de Episcop. & Clericis*, & ex sola licentia Episcopi Ecclesias ædificari posse permisit, ut *in Auth. Ut nullus fabricetorat. dom. præter volunt. Episcop.* Unde si Princeps interdicat, nec absque ejus licentia Ecclesia, seu Monasterium ędificetur, aget contra privilegium Ecclesiæ, & ejus libertatem, ut benè notat Maynardus *de Privilegiis Ecclesiæ*, *par.*2. *art.*22. *num.*2?. Cæterùm ex libertate naturali liberum est cuique ædificare in suo loco absque licentia alicujus, §. *Cum in suo solo* 27. *cum sequent. Inst. derer. diverf.* ita ut si ex aliena materia ædificaverit, solo cedit, ut ibi explicant communiter Scribentes, *l. Adeo* 7. §. *Cùm in suo*, *l. Si suprà* 28. *ff. de acquir. rer. dom. l. Julianus* 38. *ff. de rei vindicat. l.*38. *tit.*28. *par.*3. Cujacius *lib.*2. *observat. cap.*4. Connanus *comment. lib.*3. *c.*6. *num.*7. Ergo contra libertatem Ecclesiarum erit, ne Ecclesiæ, aut Monasteria ædificentur absque licentia Principis sæcularis.

Deinde; si aliquod damnum sequatur, vel contra Rem- 4
publicam, vel contra alias Eccesias, seu Monasteria, cognitio ista non pertinet ad Principem sæcularem, sed ad Ecclesiasticum, cujus licentia petitur, & illam præstat causa cognita, ut jam diximus in constitutione Clementis VIII. Spino *de testam. gloss.*3. *à num.*10. Ergo quoties Princeps sæcularis hanc licentiam dare voluerit, usurpat jurisdictionem alienam, & vulnerat Ecclesiæ libertatem. Belletus *Disquisit. Clerical.* 1. *par. tit.*6. §.1. *n.*20. Riccius *in Praxi*, *tom.*3. *resolut.*207 *nu.*7. Diana 1. *par. tract.*1. *resol.*61. *& resol.*128. Valenzuela *contra Venet.*2 *par. ex num.*35. Anastasius Germonius *in Assert. libert. Ecclesiæ*, *cap.*8. Barbosa *de univers. jur. lib.*2. *cap.*2. *nu.*3. latè Bastida *contra F. Paulum.*2. *par à fol. mihi* 127

Sed in re dicendum, duobus modis considerari posse 5
hanc licentiam petendam à Principe sæculari ad ædificationem Ecclesiæ, seu Monasterii. Primò, quando solùm urbaniter, & politicè petitur, ut annuat ædificationi, & in hæc consideratione petenda est à Principe Supremo. Ratio, nam ut benè expendit Solorzanus *d. cap.*23. *n.*35. indecens sanè fuisset, si in locis Principum Ecclesiæ, aut Monasteria ædificarentur absque eorum venia petita, cùm etiamsi in fundo alicujus privati fuisset ædificanda, similis venia, atque etiam licentia necessariò esset petenda. Rursus id convenit ratione utilitatis, aut Monasterii ædificandi; nam cùm Reges Christiani, præcipuè nostri Catholici, tantoperè Ecclesias, & Ecclesiasticas personas protegant, & communiter Protectores dicantur, Acuña *in cap. Hadrianus*, 63. *dist. nu.*5. Pereyra *de Manu Regia*, *cap* 7. *à num.*1. Salgado *de Reg protect.*1. *part. cap.*1 *prælud.*2. *num.*73. Mena *var l.*1. *quæst.*5. *n.*35. (quod non intelligo ratione alicujus jurisdictionis, sed quatenus Ecclesiis aut Ecclesiasticis auxiliantur, quin in eos aliquam potestatem exerceant:) inde est, ut hæc venia urbanica, & politica à supremis Principibus sæcularibus petatur, ut ad auxilium præstandum faciliores se præbeant. Ergo semper conveniens valdè est, eam urbanicè petere.

Secundo modo valet considerari hæc licentia, scilicet 6
quando petitur causa cognita, & ex necessitate, ita ut ea denegata, interdicat Ecclesiæ, aut Monasterii ædificationem, nec aliter fieri possit: & hoc modo petenda non est, & statutum id præcipiens, erit contra libertatem Ecclesiæ. Probatur ex decisione text. *in cap. fin. de Ecclesiis ædificand.* ubi Pontifex scripsi, liberum esse Episcopis Ecclesias necessarias constituere. Unde communiter inferunt DD. quod si Princeps aliquid statuerit, aut decreverit contra hanc libertatem liberè Ecclesias ædificandi ex sola facultate Episcopi, contra libertatem Ecclesiæ erit statutum, prout ex multis ibid. deducit Barbos. *n.*1. *vers. Ex hoc textu.* Deinde probo ex epistola D. Bernardi 301. ubi circa ędificationem Conventus de Tholdanos querimonia erat cum Fratribus Carracenensibus; verùm urbanicè remittit causam ad Consilium Sanctiæ, Imperatoris Hispanię sororis, Sed si adhuc res nequit componi, & ad litem perventura sit, asserit ad Episcoporum duorum judicium deveniendum. Damus verba: *Si autem vestris* (*quod non credimus*) *salutaribus monitis*, *aut consiliis contradictores illi ac quiescere nolunt*, *tunc judicio duorum Episcoporum*, *ad quos duo illa loca jure parochiali pertinere noscuntur*, *omnis inter eos cõtroversia terminetur*. Unde clarissimè constat, tantùm ex urbanitate ad Principem sęcularem recurrendùm, vel propter licentiam, aut amicabilem compositionem in ędificandis Ecclesiis, seu Monasteriis, Verù mquando ex jurisdictione aliquid est expediendum, ad Episcopos est recurrendum, habentes jurisdictio-

ctionem Eccleſiaſticam. Ergo in hac ſpecie nequit dari licentia à Principe ſæculari; quin imò ſi ſtatuat petendam eſse ab eo, erit contra libertatem Eccleſiæ. Hæc tamen, & quæ ſequuntur, dicta ſint ſalvo jure & honore Supremis Principibus debito, ſingulorumque Regnorum & provinciarum laudabilibus conſuetudinibus.

7 Deinde, non benè infertur: Hoc pertinet ad bonum Reipublicæ, & bonam gubernationem. Ergo Princeps ex ſua poteſtate, & juriſdictione poteſt procedere. Quam quidem conſequentiam paſſim Scribentes pro juriſdictione Regali ut certam admittunt. Verùm incerta eſt, abſolutè loquendo; nam quando hoc bonum, vel damnum Reipublicæ non per ſe dependet, ſed per indirectum, ex aliqua re pendente à juriſdictione Eccleſiaſtica, nequit Princeps ſæcularis ſe intromittere in re illa Eccleſiaſtica, ex eo quod per indirectum ſequatur damnum, aut utilitas Reipublicæ; aliàs hac occaſione Princeps ſæcularis poſſet juriſdictionem habere in omnibus Eccleſiaſticis, quod minimè eſt admittendum, *ex cap.2.de judiciis, cap.1.de rer permut.l.50. tit.6.part.1.* Bellarminus *lib.1.de Rom.Pontifice, cap.6. & 7.* Bobadilla *Polit.lib. 2. cap. 17.* Valenzuela *conſ. 38.* Torreblanca *de jur.ſpirit.lib.15. à cap.4.* Larrea *deciſ.4.* Cùm ergo in præſentiarum res, de qua agitur, ſit Eccleſiaſtica, & juriſdictionis Eccleſiaſticæ, licèt per indirectum aliquod damnum, aut utilitas Reipublicæ ſequatur, nequit Princeps ſæcularis ſe intromittere per actum juriſdictionis ad dandam, ſeu concedendam licentiam ædificandi Eccleſiam, ſeu Monaſterium.

8 Sed dices: Ad Principem Sæcularem pertinet proſpicere damnum, aut utilitatem Reipublicæ, quia id pertinet ad ejus principale munus ſubditos protegendi, *cap.Regum 23. cap.Principes 20. 23. quæſt. 5.* D. Salzedo *de leg. Polit.lib.1. cap.14.§.1.num.12.* Ergo ad eum pertinet ſe introducere in quibuſcumque rebus, etiam Eccleſiaſticis, ex parte pertinente ad ejus officium & poteſtatem, ne inde damnum Reipublicæ irrogetur, aut utilitas illius omittatur. Sed reſpondetur, quando hæc utilitas, aut damnum verſatur in re Eccleſiaſtica, & per indirectum ex ea ſequitur, Judex Eccleſiaſticus eſt judex ad cognoſcendum de illo damno, aut utilitate Reipublicæ, aut quia incidens eſt, aut inſeparabilis à cauſa principali, prout in ſpecie, de qua loquimur, ædificare Eccleſiam, aut Monaſterium, proprium eſt juriſdictionis Eccleſiæ; ſi tamen exinde damnum, aut utilitas ſequatur incidens, aut inſeparabilis, cauſa eſt neceſſariò per Judicem Eccleſiaſticum definienda, *ex l. Quoties 3.C.de judiciis*, Barboſa *in l. Titia, ff. ſolut.Matr.à nu. 21.* Menochius *de Arbitr. lib.1.quæſt.91.num.7.* Paz *in praxi, tom.1.par.7.cap.unic. num. 87.* Bobadilla *in Polit. lib. 2. cap.18.à nu.161.* Ergo tunc Princeps Sæcularis, ſi aliquod damnum ſequatur Reipublicæ, aut utilitas committatur, ad ſuum munus adimplendum debet eam petere per ſuos procuratores, aut Prætores, coram Judice Eccleſiaſtico illius cauſæ, contradicendo ædificationem Eccleſiæ, ſeu Monaſterii, non verò trahendo cauſam ad judicium ſæculare, ut ibi de ea cognoſcatur; glorioſum enim eſt Principi Sæculari faſces ſuas Eccleſiæ ſubmittere, & ab ea ſententiam audire. Unde argumentum illud nullius eſt ponderis, aut roboris.

9 Denique quælibet contradictio, aut impedimentum, quod fit ad ædificandam Eccleſiam, ſeu Monaſterium, odioſum eſt. Nam ut dicitur *Proverb.cap.3. verſ. 17. Noli prohibere benefacere eum, qui poteſt, ſi valet: & ipſe benefac.* Quem textum ad ædificationem Monaſterii expendit Bernardus *d. epiſt. 301.* Quamobrem Principes ſæculares non debent ſe intromittere in his cauſis, ut ab iis petantur licentiæ cum cognitione cauſæ, ita ut tanta impedimenta opponantur: ſufficiet tamen, ut dictum eſt, agere per ſuos procuratores, quando damnum ſequatur Reipublicæ, aut utilitas omittatur, & contradicere apud Judicem Eccleſiaſticum. Et in hoc ſenſu teneo ſecundam ſententiam relatam *nu.4.*

Illud verò animadvertendum, Reges noſtros Catholicos rectè interdixiſſe, ne abſque eorum licentia apud Indos Eccleſiæ, ſeu Monaſteria, aut alia loca pia ædificentur; id enim à Summo Præſule conceſſum eſt in Bulla Regii Patronatus, cujus verba tranſcripſit Fraſſo *de Patr.Ind.1.par. cap.4.nu.20.& 21.* Solorzano *d.cap.23.à nu.31.*

10 Cæterùm ad ædificandam Eccleſiam aliud requiſitum eſt neceſſarium, ut nempè ut dos conſtituatur ad ea, quæ ad illius reparationem, cultum, & miniſtrorum requiſita ſunt neceſſaria, aliàs ædificari nequit, *Authent. de Eccleſiarum tit.§. Si quis autem, collat.9.cap. Nemo 9. de conſecrat. diſt.1. cap.Placuit 1.1.quæſt.2.cap piæ mentis 26.16. quæſt. 7. cap. Cùm ſicut 8.de conſecrat. Eccleſiæ.* Concilium Aurelianenſe IV. *can.23.* Tolet. III. *can.3.& 15.* Vvormatienſe tempore Adriani II. *cap. 3.* Ratio enim eſt, quia ſi aliàs dotem ſufficientem non haberet, facilè rueret, cultus divinus minueretur, & deficerent Miniſtri: quamobrem dos ſufficiens eſt à principio conſtituenda, ne hæc damna ſequantur. Cæterùm Eccleſia cum ſuo Rectore conjugium ſpirituale contrahit, *cap. Inter corporalia 2.de translat. Epiſcopi.* Quapropter, ut ſponſa debet dotari à conſtruente, ſecundùm ejus qualitatem, & modum, ut habeat omnia neceſſaria, *l. Quæro 60. de jur. dot.* Illuſtrant Azorius *2.p. Inſt. Moralium, lib.9.cap.3.quæſt.7.* Durantius *de Rit.Eccleſiæ, lib.1. cap.24.num.9.* Lemaiſtre *de Bon.Eccleſiæ, lib.1. cap.7.* Petrus Gregorius *part.jur.lib.1.tit.28.cap.9.* Rota *2. part. diverſ.dec.141.num.5.* Lotterius *de re Benefic.lib.1.q.31.nu.3.* Caniſius *in cap 3.de jur.patronat.* Barboſ. *de offic. Epiſcopi, 3.part.allegat.27.num.3.& alleg. 70. num. 29. & de univerſ. jur.lib.2.cap.2.num.20.* Paſqualigus *de Sacrificio Miſſ.q.517. à num.1.*

His enim dotibus ex ratione ſuprà conſiderata, Ethinici 11
falſorum numinum cultores ſua fana dotarunt, prout exprimit Ovidius *lib. 10.*

——— Templiſque accedere dotem
Hanc juſſere meis.

Ut cum Cenſorino tradit D.Gonzalez *in d.cap.Cùm ſicut 8. de conſecrat.Eccleſiæ, num.4.* Et in Eccleſia Dei optimè à priſcis temporibus adſervatum, ut conſtat ex Chryſoſtomo *homil 18 in Act. Apoſtol.* & ex multis Conciliis relatis à Domino Gonzalez *d.nu. 4.* Apud noſtros Hiſpanos id ſumma cura adſervatum, ut conſtat ex Concilio Bracharenſi II. *can 5 & 16.* ubi jam Eccleſiæ dotatæ ſupponuntur, daturque regula, ne bona illarum diſſipentur. Adeſt etiam Decretum Tolet. III. *can.15.* tempore Recaredi. Idcircò per chartulam dos aſſignabatur, cujus formulæ meminit Chryſoſtomus jam allegatus. Eſtque monumentum in Eccleſia Toletana formulæ Regis Alphonſi VI. inſigniſſimam illam Eccleſiam dotantis, quam refert Loayſa *ad Concilium Bracharenſe II. can. 5. fol. 197.* per hæc verba: *Ego Rex Alphonſus conſtituto chartam dotis Beatæ Mariæ Virgini, & omnibus Sacerdotibus caſtè, & piè vitam agentibus, &c.* Etiamque retulit Lantmeter. *de vet. Cleric. vict. 2.part.lib.2.cap.58.verſ Erat autem.* Unde conſtat, quanta cura Eccleſias Noſtri Hiſpani dotarunt.

Oratoriis, vel Capellis an dos ſit concedenda, aliquod 12
eſt dubium, quia aliqui abnegarunt; nam jura loquentia de dotandis Eccleſiis, non de Oratoriis, & Capellis loquuntur, ſed tantùm de Eccleſiis, quæ principaliori modo ad cultum, & adminiſtrationem Sacramentorum conſtruuntur. Ergo Oratoria ſeu Capellæ dotandæ non ſunt. Et ratione confirmatur, nam licèt iſta deficiant, quia parum ſunt neceſſaria, nihil intereſt: Ergo dotanda non ſunt. Rochus *de jur.patronat.verbo Conſtruit, num. 6.* Urrutigoyti *de Eccleſia Catholic. cap.16.nu.47.*

Sed tamen contrarium decrevit Concilium Tolet. ſub 13
Recaredo, anno 597. temporibus Gregorii I. ubi ſtatutum eſt, quod ſi Oratoria non poſſint habere Presbyterum, Diaconus ibi inſtituatur; ſi autem cenſus minor fuerit, Oſtiarius à Sacerdote eligatur, *qui nitorem intra ſinum ſanctæ Eccleſiæ faciat, qui & ſanctarum Reliquiarum luminaria omni ſubſequenti nocte accendat.* Tranſcripſit Lantmeter. *d.cap.58. verſ. Obligabatur.* Unde apertè cognoſcitur, Oratoria, & quaslibet Capellas dotandas eſſe, cenſumque habere debere, ut Miniſtri ſuſtententur, & neceſſaria ad cultum eis præbeantur.

Sed in re dicendum, duobus modis poſſe conſiderari 14
Oratoria, ſeu Capellas, nempè quando ſunt privata, aut publica; ſi enim privata Oratoria ſunt, principaliter non fiunt, niſi ad orandum, nec in eis ſunt habendæ campanæ, *cap.Patentibus 10.de Privilegiis:* nec Miſſa eſt dicenda, niſi ex ſpeciali licentia Epiſcopi, ſeu Papæ; quapropter in ſimilibus Oratoriis aut Capellis, ad eorum conſtructionem neceſſaria non eſt dos. Abbas *in cap. fin. de cenſibus, nu.3.* Graffis *lib.2. deciſ.cap.42.nu.7.* Cardinalis *conſ.12.* Si verò publica ſint, quia in aliquo loco publico inſtar Baſilicæ ſunt conſtructa, habent campanile, & oſtium patens in via pu-

publica, & ibi Miſſa celebratur, de quibus Remigius *de Immunit.ampliat.2.num.7.* Fuſcus *de Viſit.lib.2.cap.12.* tunc ad eorum conſtructionem dos erit neceſſaria; quapropter Leon *de offic.Capellan.1.part.quæſt.3.nu.10.* ſcripſit, ad cognoſcendum, an ſit Eccleſia, aut Capella, ſeu Oratorium privatum, inquirendum eſſe an dotem habeat, campanile, decimas, aut primitias; quia ſi publica eſt, neceſſariò debet habere cenſum, nam debet habere miniſtrum, & alia neceſſaria ad cultum divinum, & Miſſam celebrandam; tum & ad reparationem, Rota *1.part.recent.deciſ.* 508. Trullench. *in Bull.lib.1.§.3.dub.4.num.6.* Barboſa *de univ.jur. lib.2.cap.8.nu.2.*

15 Hæc tamen dos à principio, antequam Eccleſia conſtruatur, deſignanda eſt. Si tamen aliquis abſque hac deſignatione Eccleſiam conſtruxerit, obligatur ad illam conſtituendam, eo ipſo quod conſtruxerit, *cap. Piæmentis 26. 16. quæſt.7.* nam ſicut pater habens filiam, eo ipſo dotare, tenetur, *l.fin.de dot.promiſſ.l.Liberos, ff. de Ritu nupt.* inde eſt, ut qui conſtruxerit Eccleſiam, ad dotem teneatur, & eo mortuo, ejus hæredes, Abbas *lib.2.conſ.* 89. Petrus Gregorius *de re Benef.cap.* 15. *num.* 1. Si tamen Epiſcopus abſque cautione eam conſecravit, vel abſque dote, ipſe tenetur ad illius dotem, ſeu cenſum præſtandum, ac omninò providere de neceſſariis; ut obligatur ad illum providendum, quem abſque titulo ordinaverit, *cap. 2. cap. Cùm ſecundum 16. de Præbend.* Id tamen intelligendum, quando fundatoris non ſuppetunt facultates; nam cùm ipſe tantùm in ſubſidium teneatur, niſi excuſſis bonis fundatoris, nequit adverſus eum actio præſtari, *ex l.3.§.1.ff.Si menſ.falſ.l.fin.ff.de eo, per quem fact.* Similiter intelligas, Epiſcopum id facere teneri abſque læſione ſuæ Eccleſiæ, niſi proprium habuerit, ex quo poſſit dotare; id enim in pœnam decretum eſt, quia abſque dote Eccleſiam ſacravit, vel ſine ſufficienti cautione ut dotaretur, *d.cap. Cum ſicut 8. de conſecrat. Eccleſiæ*, P.Gregorius *d.cap.15.num.3.* Piaſecius *in praxi Epiſcopali, 1.p.cap.5.num.2.* Barboſa *dict.allegat.64.num.2. & de univ. jur.lib.2.cap.2.nu.18.* Lambertinus *de jurepatr.2.part.lib.1. quæſt.5.art.18.* Paſqualigus *quæſt.* 517. *à num.* 3. Lotterius *dict.q.31.nu.7.*

16 Eſt etiam aliud requiſitum, nempè locus, ubi conſtruenda eſt Eccleſia, qui Area communiter dicitur, *cap.Nemo 9. d. conſecrat. diſt.* 1. is quidem ab omni profanitate eximendus per Crucis affixionem, ut ſcripſit Lantmeter. *d.cap 58. verſ.in agro*, & liber eſſe debet ab omni humano dominio, ſeu jure, & proprius ipſius Eccleſiæ, nec aliquo modo alienus; ſed nec aliquo modo gravatus, *cap. Eccleſias 13. de conſecr. diſt.* 1. unde Conſultus *in l. Si locus 34. ff. de relig. & ſumpt.funer.* rectè ſcripſit, locum non fieri religioſum, ſi fuerit ſub conditione legatus, eo quòd legatarius jus in eo habuiſſet, quamobrem ad conſtruendam Eccleſiam proprius debet eſſe locus, & abſque aliquo onere, ſeu gravamine, ne inde ad ſervitium alicujus perveniat, Vigelius *in Meth.jur.can.lib.3.cap.15.regul.8.* D.Gonzalez *in dict.cap. Cùm ſicut 8.de conſecrat.Eccleſiæ, num* 3. Si tamen in alieno ſolo fuerit ædificata, ſolum Eccleſiæ cedit; ſed Fundator, aut Epiſcopus, ſi ille deficiat, ad intereſſe tenebitur; ſi verò in ſolo alterius Eccleſiæ fuerit ædificata, altera Eccleſia, cujus eſt ſolum, juſpatronatus conſequetur, *cap. Apoſtolicos 13. 12. quæſt.2. cap. Si quis 1. 16. quæſt. 5. cap. Queſti nobis 41.17.quæſt.4.* Azorius *dict.lib.9.cap.3.quæſt.3.* Barboſa *d.lib.2.cap. 2. num.* 1. P. Gregorius *Syntagm. lib.2. cap.1.num.* 11.

17 Illud etiam in area, ſeu loco iſto, ubi Eccleſia eſt conſtruenda, obſervandum, ne locus ſit coinquinatus commercio hæreticorum; prout nefas aliter fieri declaravit Concilium Epaunenſe *can.* 33. tum ſi ibidem cadavera extitiſſent, exhumanda ſunt, & reiicienda, propter incertitudinem, an Catholici, Hæretici, aut Gentiles fuiſſent, ut exemplis oſtendit D.Gonzalez *d nu.*3. quod in ſimili dubio recipiendum; verùm ſi conſtet, Catholicos ibidem tumultos, id non erit neceſſarium.

18 Denique ad conſtructionem obſervanda eſt forma ædificii; quæ quidem, ut obſervat Bellarminus *lib. 3. de cultu Sanct. cap.* 3 olim ſimilis fuit Templo Salomonis, & ad eum modum erectæ fuerunt Eccleſiæ primævæ: in Templo enim illo erat duplex atrium, & duplex domus: atrium nimirum populi, & atrium Sacerdotum: domus exterior, quæ & *Sancta*; domus interior, quæ & *Sancta Sanctorum* dicebantur. Sancta Sanctorum ingrediebatur nemo præter Summum Sacerdotem; Sancta, & atrium Sacerdotum, nonniſi Sacerdotes, & Levitæ. In Sancta Sanctorum erat Arca, ſive Propitiatorium: in exteriori parte, quæ *Sancta* dicebatur, erat Altare Thymiamatis, Menſa propoſitionis, & Candelabrum: in priori atrio, Altare Holocauſtorum. Inter hoc, & atrium populi, erat ſeptum trium cubitorum, ita ut Sacerdotes ſacrificantes à populo diſgregarentur. In quo quidem ſepto oſtium erat, ad quod populus Hoſtias libandas deterebat Sacerdotibus. Cernebantur Sacerdotes in ſuo atrio, qui in parte exteriori Templi non aſpiciebantur, tum ob velum oppoſitum, ſciſſum in paſſione Domini, tum ob intercapedinem majorem, quia veſtibulum, & Sacerdotum atrium erat interjectum. Præter hæc erant Exedræ, & Paſtophoria, quæ erant cubicula in intervallis portarum ædificata, aut ad ponendum Templi theſaurum, aut ad recipiendas veſtes Sacerdotum, vel ad recipiendos Sacerdotes ordine ſuo miniſtrantes. Becanus *in Analogia utriuſque text.cap.*13. Lantmeter. *d lib.2.cap 59.verſ. Erat autem*, Chaſſaneus *in catal.glor.12.p.conſid.62.*

Huic enim formæ veteres Chriſtianorum Eccleſiæ cor- 19
reſpondebant: atrio exterior, Chriſtianorum Eccleſiæ reſpondebat veſtibulum, & locus pœnitentium: atrio interiori, navis Templi, & locus laicorum. Sancta idem erat, quod hodie chorus, ubi adſunt Sacerdotes. Sancta Sanctorum, ubi adeſt Altare, & partes ei vicinæ Exedræ, & Paſtophoris, Sacriſtia reſpondet: tum etiam ædiculæ, ubi olim erant baptiſteria, & locus ubi cathecumeni baptizandi veſtes reponebant, dum candida veſte induebantur ad Sacrum Baptiſma; de quo adeſt teſtimonium Euſebii *lib.*10. *Hiſt.cap.*2. Cæterùm aderat, præter hæc, ædicula ſalutatoria, ubi ſedebat Epiſcopus, & ſe ad Sacra facienda præparabat, ut ex Theodoreto recepit Lantmeter. *d.cap.59.verſ. Hujus, ad fin.* Bellarminus *dict.cap.*3.

Illud verò ſemper adſervatum, ut Eccleſiæ Chriſtiano- 20
rum formam longam, & in modum navis retineant, idque à Sanctis Apoſtolis obſervatum; & verſus Orientem ſitæ ſint, ut ſcripſit Clemens *lib.2. Conſt. Apoſt.c.* 507. & innuit Bernardus *in Apol. ſua ad Abbatem Cluniac.* Idque optima ratione, nam cùm in mundo verſemur, utpotè in procelloſo mari ventorum vi agitato, aliter quàm in navi Eccleſiæ illud traiicere non poſſumus, nec ad portum, ſcilicet gloriam, pervenire; quamobrem Eccleſia communiter navis dicitur, *cap. Non turbatur 7.24.quæſt.1.* S. Clemens *epiſt.*1. Anacletus Pontifex *epiſt.*1. Aliquando etiam Inſula dicitur; & particulares Eccleſiæ inſulæ, quia in medio maris procellis turbantur, ſed tamen ſemper firma, & firmæ permanent adverſus ſuos perſequutores. S. Cyrillus *in Iſaiæ cap* 24. D. Hieronymus *lib.*13. *in Iſaiæ cap.* 49. Azorius *d.lib.9.cap.3.quæſt.12.* Durantius *de Rit. Eccleſiæ*, *lib.1.cap.3.à nu.1.*

Sed tamen illud diſcrimen inter noſtra Templa, & Tem- 21
plum Salomonis, obliviſcendum non eſt, ſcilicet Templum illud verſus Occidentem poſitum fuiſſe; noſtras verò Eccleſias verſus Orientem, & quatuor latera habuiſſe, quæ poſita erant verſus Mundi quatuor partes; id enim ex Apoſtolorum traditione ſuſceptum, & communiter receptum, probant multi PP. Tertullianus *lib. contra Valentinianos*, Epiphanius *hæreſi* 19. Baſilius *lib.de Spiritu Sancto, cap.*27. Gregorius Nyſſenus *Orat. 7. de Orat. Dominic.* Auguſtinus *lib 2.de Orat.Dom. cap.* 9. Damaſcenus *lib. 4. de fid.cap.* 13. Anaſtaſius *quæſt.*14. ex multis rationibus, quaſi ipſi PP. demonſtrant, quarum aliquas recenſet Durantius *d. cap.*13. *à num.* 4. Bellarminus *d. cap.* 3. *lit. D.* Aſt illa optima eſt, quia Dominus in cruce pendens reſpiciebat occidentem, & nos ad orientem oramus, ut illic ad cœlum volantem proſpicientes, noſtra vota, & orationes fundamus, ut advocatum habeamus coram Patre, Toſt. *ad Matth. cap. 6. quæſt.*91. Azorius *dict.quæſt.*12. Barboſa *dict.lib.2.cap.2. num.* 19.

Fuerunt etiam olim ante fores Eccleſiarum fontes aquæ 22
communis, ubi non ſolùm Clerici, verùm etiam laici abluebantur, non ſolùm ut lavarentur manus, ſed etiam pedes, ut ex Euſebio tradit Lantmeter. *d.cap. 59. verſic. Ante fores*. Quod quidem quodam inſtinctu naturæ receptum, ut Deum precaturi, animæ, & corporis munditias auferant. Quod quidem etiam in lege veteri adverſatum legimus, *Exod. cap.* 30. dum ſacrificaturos lavare pedes, & manus præcipitur. Ad quod Moyſes labrum æneum de ſpeculis mulierum in tabernaculo erexit; & Salomon vas

immen-

immenſæ magnitudinis, *lib.3. Reg. cap.3.* Ad quorum imitationem in primitiva Eccleſia ante fores Eccleſiarum fontes aderant communes.

23 His igitur animadverſis tranſeamus nunc ad aliam partem hujus capitis, nempe de erectione, & conſtructione novæ Eccleſiæ, ob cauſam neceſſariam; poteſt enim caſtrum, aut villa adeſſe in aliqua Parochi, ita diſtans, aut vicini difficiliter ad propriam Parochiam perveniant, *argument. in cap. Vnio 3. §. fin. 10. quæſt. 3.* tum, ut aſſiſtant Divini Officii, & Sacramenta percipiant; ut infirmis miniſtrentur; ut magna, & graviſſima cauſa ſit aliam Parochiam, aut novam Eccleſiam erigendi: quod fieri valet ab Epiſcopo, etiam in præjudicium Parochiæ principalis, ut eſt textus *in c. Ad Audientiam 3. de Eccleſiis ædificandis* Eſtque decretum Concilii Triden. *Seſſ. 21. de Refor. mat. cap.4.* ibi: *Epiſcopi, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, in omnibus Eccleſiis Parochialibus, & Baptiſmalibus, in quibus populus ita numeroſus ſit, ut unus Rector non poſſit ſufficere Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultui divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, ſibi tot ſacerdotes ad hoc munus adiungere, quot ſufficiat ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. In iis verò, in quibus ob locorum diſtantiam, ſive difficultatem, Parochiani ſine magno incommodo ad percipienda ſacramenta, & divina officia audienda, accedere non poſſunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam Alexandri III. quæ incipit, Ad Audientiam, conſtituere poſſint, &c.* Eſtque textus *in l.9. tit. 10. part. 1.*

24 Ratio enim decidendi eſt, quia licèt nova Eccleſia conſtrui nequeat in damnum Parochialis Eccleſiæ, *cap. In iis 30. de Privilegiis, dict. l.9. tit.10. par.1.* Zerola *in Praxi, verbo Eccleſia, a.4. & 5.* Guido Papæ *quæſt 260.* nec quando damnum aliis Eccleſiis irrogatur, *c.1. & 2. de nov. oper nunt.* hoc tamen fallit, quando adeſt cauſa juſta, & legitima, prout quando multitudo fidelium ita excreſceret, ut in antiqua Eccleſia non caperetur, *cap. Præcipimus 53. 16. quæſt.1.* vel ſi una Parochia habeat domos ita diſtantes, ut cum magno incommodo Parochiani ad matricem perveniant ad percipienda Sacramenta, audienda divina officia, ad mortuos ſepeliendos, & alia ſpiritualia capeſſenda; id enim pertinet ad curam Prælatorum, ut oves ſpiritualia pabala commodè percipiant, ne ex difficultate tanto bono priventur, & multoties in animarum damnationem. Explicant Lapus *allegat.67.* Menochius *conſ.477.* Tuſchus *lit. P. concluſ.98.* Rota *1. part. recent. deciſ.485. n.2.* Riccius *in Praxi for. deciſ.554. 1. edit. aliàs 476.* D. Gonzalez *in dict. cap.3. num.4.*

25 Hæc enim cauſa ſummoperè ab Epiſcopo eſt conſideranda, nec quælibet ſufficiet, ſed quæ magna, & difficilis ſit, ita ut aliter nequeat occurri abſque erectione novæ Parochiæ. Quamobrem, ſi populus fuerit numeroſus, ita ut ſolus Rector non poſſit ſufficere, & Parochia capax ſit, non alia eſt erigenda; ſed Rector illius cogetur ut ſibi alios clericos adjungat, quot ſufficiant ad adminiſtrationem Sacramentorum, & cultum divinum celebrandum, ut decrevit Concilium; nam tunc occurritur neceſſitati per hanc adjunctionem, nec reſtat cauſa juſta aliam Parochiam erigendi cum præjudicio matricis Lotterius *de re benefic. lib.1. quæſt.28. n.28.* Garcia *de benefic. 12. part. cap.3. n.10.* Vveyms *ad conſt.24. ex antiquo jur. deſumpt. conſt.19.* Barboſa *ad Concilium, d. ſeſſ.21. cap.4 num.1.* Rota *apud Farinac. 1. part. dec.484. num.5.* Palao *tom.2. oper. tractat.13. diſput.6. punct.9. §.10. n.4.*

26 Idem eſt dicendum, quando huic neceſſitati valet occurri conſtruendo Oratorium, quod remaneat in proprietate Eccleſiæ Parochialis, & ibi ponatur Sacerdos approbatus ab Ordinario, ut Sacramenta adminiſtret, & alia munera Eccleſiaſtica obeat, ita ut ſufficienter Parochiani, & abſque incommodo omnia ſpiritualia neceſſaria percipiant: quamobrem ibi Fons Baptiſmalis reponendus eſt, tum Euchariſtia, & Olea ſacroſancta, ita ut nihil deficiat in Oratorio, ſeu ut dicitur, *Ayuda de Parochia*. Ratio, nam ad erigendam novam Parochiam, & fructus diſmembrandos à prima, non quælibet ſufficit neceſſitudo, ſed quæ evidens ſit, *cap. 1. de reb. Eccleſiæ alien. vel non, in 6.* & quod aliud remedium non poſſit adaptari, prout in venditione rerum pupilli, ad quam deveniendum non eſt, niſi aliundè pecunia non poſſit expediri ad ſolvendum æs alienum, ut aſſerit Ulpianus *in l. Magis puto 5. §. Non paſſim 9. ff. de reb.*

eor. & tenet in terminis Rota, quam refert, & ſequitur Lotterius *d. quæſt.28. à num.30.* Quare, ſi cum Oratorio iſto neceſſitati Parochianorum occurritur, nequit fundari nova Parochia, ut refert deciſum Aldana, quem refert, & ſequitur Barboſa *ad Concil. d. cap.4. num....* & idem Barboſa *de offic. Epiſcop. 3. part. allegat.67. num.7.* Menochius *dict. conſil.477. num.9.* Coſta *de remed. ſubſid. remed.76.* Suarez *de Relig. tom.1. lib.1. cap.24. nu.6.* Trullench. *lib.3. Decalog. cap.3. dub.7. num.6 & 7.*

Hæc enim Oratoria ſemper remanent in proprietate Ec- 27
cleſiæ Parochialis Matricis, nec diviſio fit Decimarum, ſed tantùm Clericus, ſeu Miniſter deputatur à Parocho proprio, & oblationes, & alia ſtipendia, vel Primitiæ deputantur ad illius alimoniam, iſque amovibilis eſt ad voluntatem proprietarii, *cap. Eccleſiæ 43. cap. Quicumque 44 16. quæſt.1.* Suarez *d. num.6.* & Trullench *dict. num.6. & 7.*

Sed poteſt eſſe difficultas: An in Parochiis ubi plures 28
ſunt participes, ut in hoc Archiepiſcopatu Toletano, ſolus Parochus teneatur ſuis expenſis hos Clericos adjutores ſolvere, vel alios miniſtros Oratorii; non verò participes. Et affirmandum videtur, nam fructus illi ſunt deſtinati ad Parochum, & onus annexum habent adminiſtrationis totius Parochiæ; alteri verò deputati ſunt ad Canonicos, Archiepiſcopum, & ad alias Præbendas pro diverſis muneribus, non verò cum illo onere. Ergo ſolus Rector Eccleſiæ tenetur hos adjutores, vel Miniſtros Oratorii ſolvere, cùm ipſi ad onus adminiſtrationis deputentur. Confirmatur, nam onera annexa fructibus, ſemper tranſeunt ad Parochum cum ipſis fructibus, *cap. Ex litteris 5. de pign. l. Si convenerit 18. §. ſi fundus, ff. de pign. act. l.1. C. de diſtract. pign.* Gratianus *Diſcept. For. tom 4. cap.709. num.31.* Mangilius *de imput. quæſt.106. num.4.* Cùm ergo fructus Parochis dentur cum onere totius adminiſtrationis, & curæ, ex ipſis fructibus tenentur Adjutores ſolvere, & Oratorii Miniſtrũ.

Sed in hac re aliqui caſus ſunt diſtinguendi. In primis, 29
quando Parochus non habet pingues fructus, ſed tantùm decentes ad congruam ſuſtentationem; quod evenit multoties, ut in hoc Archiepiſcopatu, ubi ferè in omnibus Beneficiis curatis adeò multæ ſunt partes; ut minima ſemper relinquatur Parocho; & tunc omnes fructus Beneficii ſunt obnoxii ad ſuſtentationem Adjutorum, ne Populus careat Miniſtris neceſſariis ad ſpiritualia miniſtranda. Ratio eſt, nam Parochus ex eo quod percipiat tantùm congruam decentem, nequit ab eo aliquid peti; nam iſta de jure naturali ei debetur, & inſimul de jure divino, *cap. de Monachis 12. cap. Cum ſecundùm 16. cap. exſtirpandæ 20. de Prabend. cap.2. de ſupplend. negligent. Prælat.* Rota apud Merlinum *deciſ.73. nu.5.* Thomas Hurtado *de congrua, lib.2. reſolut.1. §.2.* Ergo cæteri fructus participantium obligati ſunt ad ſolutionem adjuvantium Clericorum, ob adminiſtrationem, & curam populi. Præterea facta à Dionyſio diviſione Parochiarum, omnes fructus illius Parochiæ principaliter deſtinati ſunt ad adminiſtrationem, & curam illius populi, & ob id à Fidelibus præſtantur, *cap.1. cap. Parochianos 14. de Decimis*, ubi Scribentes, S. Thomas *2.2. quæſt.87. art.3.* Sotus *de Iuſt. lib.9. quæſt.4. art.3.* Barboſa *de offic. Parochi, 3. p. cap.28. n.1.* Et Parochus in eis habet fundatam ſuam intentionem ob adminiſtrationem Curę *cap. Cum contingat 29. cap. Cum tua 30. de Decim.* Rota apud Poſthium *in tract. de manut. deciſ.157. n.2.* Gregorius XV. *deciſ.449. num.1.* Coccinus *deciſ.16. num.1.* etiam ad excluſionem Epiſcopi. Rota apud Seraphin *deciſ.802. n.1.* Ergo quando Parochus tantùm habet congruam decentem, cæteri participes tenentur ſolvere hos Adjutores ad curam populi; nam fructus illi principaliter ſunt obnoxii adminiſtrationi, & curæ illius.

Cæterùm hæ conceſſiones fructuum, factæ aliis quàm 30
Parochis, ſemper retinent illam conditionem, dummodò remaneant ſufficiens portio ad totam curam illius populi; aliàs injuſta eſſet conceſſio, & contra Jus divinum: jus enim percipiendi Decimas, formaliter conſiſtit in adminiſtratione, & cura ſpirituali populi, Paulus *1. ad Corinth. cap.9. Si nos nobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus?* Turrecremata *in cap. Revertimini, 17. quæſt.1. num.7.* Covarruv. *lib.1. var. cap.17. num.2.* Rebuffus *de Decimis, quæſt.4.* Moneta *de Decimis, cap.2. à principio.* Ergo quoties fructus illi fuerint neceſſarii ad hanc adminiſtrationem & curam, auferendi ſunt à participibus, & ex pendendi ad ſolvendos hos Parochi Adjutores, ſeu

Tenentes,ut dicunt. Denique animarum cura eſt omnium potiſſima in Eccleſia Dei; quapropter ne deficiat, omnes qui percipiunt fructus pertinentes ad Parochiam, tenentur contribuere ad illam curam, & adminiſtrationem;qui enim commodum ſentiunt, præciſa onera ſentire tenentur, *l. unic. §. Pro ſecundo, in fin. & §. Nec autem,Cod. de caduc. toll. cap. 1. de Eccleſiis ædificand. cap. fin. de his, quæ fiunt à major. part. Capit.* Ergo in hac ſpecie, quando Parochus non habuerit, niſi decentem congruam, cæteri participes tenentur pro rata fructuum contribuere ad alendos hos Adjutores, ſeu Tenentes, vel ipſius Parochiæ, vel Oratorii.

31 Secundus caſus eſt contemplandus, quando in Parochia fuiſſent alii Beneficiati ſimul cum Parocho ad adminiſtrationem Sacramentorum, & animarum curam, qui omnes fructus Beneficii percipiunt,aut partem illam, quæ erat deſtinata ad Parochum, ut in hoc Archiepiſcopatu eſt communiter tertium, & aliud quod dicitur Tertiolum; quo quidem caſu, ſi ipſe Parochus, & Beneficiati non ſufficiant ad adminiſtrationem populi, & ejus curam, Adjutores neceſſarii ſunt ſolvendi, non ſolùm à Parocho, ſed etiam à Beneficiatis, quibus etiam incumbit cura, ſalvis ſuis decentibus congruis. Ratio eſt, nam ſimiles fructus ſunt deſtinati ad curam, & adminiſtrationem Parochiæ, quos non ſolùm fert Parochus, ſed etiam Beneficiati. Ergo pro rata debent contribuere ad ſolvendos Adjutores. A ſimili probatur, nam quando Eccleſia, ſeu Capella indiget reparatione, omnes illi fructus illius percipientes, relicta congrua, tenentur ad contributionem, Ripa *lib. 2. reſponſ. 22. nu. 2.* Riccius *in Praxi, 1. p reſol. 476. à num. 3.* nam ad hanc reparationem tenentur. Cùm ergo Parochus & Beneficiati ad adminiſtrationem, & curam teneantur, inde eſt, quòd ſi non ſint ſufficientes,pro rata omnes teneantur ad ſolutionem Adjutorum. Verùm alii participes non obligantur aliquid contribuere, donec iſti, relicta ſibi decenti congrua, habent fructus ad ſolutionem ſufficientes.

34 Unde aliquando dolebam, dum viderem Parochum adhuc non habentem congruam, crudeliter adſtrictum ad ponendum ſuis ſumptibus Adjutorem, ſeu Tenentem, quia populus erat numeroſus; & à Beneficiato ſimiliter ad curam obligato, nihil peti, nec ab aliis participibus, ferentibus partem per viam Curati; ampliùs enim Parochus ille ſufficienter doctus non ferebat, niſi duodecimam partem fructuum, & non ſine magna neceſſitate vivebat.

33 Tertius caſus eſt, quando Parochus habet pingue Beneficium, nec ſunt alii Beneficiati, ſed tantùm alii participes, partes ferentes ob alia diſtincta munera; tunc enim credo Adjutores, quia populus eſt numeroſus, vel neceſſarium eſt Oratorium, relicta decentiſſima congrua, teneri ad ſolvendum Adjutorem, & Miniſtrum Oratorii. Ratio eſt, nam fructus Beneficiorum duobus modis conſiderantur, aut reſpectu congruæ, aut reſpectu quotæ, ut benè docet Sanctus Thomas *2. 2. quæſt. 87. art. 1. in corpore*, Sotus *dict. lib. 9. quæſt. 4. art. 1. concluſ. 1.* Covarruv. *dict. lib. 1. c. 17. n. 2.* reſpectu enim congruæ debentur Parocho jure divino, & naturali, à quo nulla ratione poſſunt tolli, utpote mercedes ſui laboris,reſpectu verò quotæ ſunt de jure poſitivo, in quibus jus oneravit pondus adminiſtrationis, & curæ illius oppidi, Barboſa *de Offic. Parochi, 3. par. cap. 28. à nu. 5.* Unde potuit Pontifex aliis participibus alias partes aſſignare, relicta illa parte Parocho, ut omnem curam impenderet, & ex illa ſolveret Adjutores, & Tenentes neceſſarios: quapropter cæteri participes non tenentur ad ſolvendum Adjutores Parochi. Cæterùm participes tenentur ad hanc obligationem in ſubſidium, quando Parochus extra congruam decentem non haberet unde ſolveret Adjutores, ut diximus: ſed ſubſidiaria actio non datur, niſi facta excuſſione in bonis in principalis,unde conſtet non habere bona, *l. fin. §. fin. ff. de eo, per quem fact. Auth. præſente, C. de fidejuſſ.* Verallus *deciſ. 273. n. 10.* Guzman. *de evict. quæſt. 4. à n. 79.* Olea, qui plures dat, *de ceſſ. tit. 7. quæſt. 3. nu. 3.* Noguerol. *alleg 2. à n. 113.* Ergo donec Parochus ultra congruam habuerit alios fructus, unde Adjutores, aut Tenentes ſolvat, ipſe ad ſolutionem tenetur, non verò alii participes.

34 Quartus caſus erit, quando Beneficium fuerit tenue, nec ad ſint participes,nec alii fructus, niſi neceſſarii ad congruam: & in hoc populus ipſe contribuere tenetur ad ponendos Adjutores, vel Oratorium neceſſarium ad adminiſtrationem. Ratio enim eſt, nam hoc fit ad commodum & utilitatem ſpiritualem vicinorum. Ergo ſi non ſit unde hi Adjutores ſolvantur, ipſi ad ſolutionem tenentur. Lambertinus *de jurepatr. lib. 1. p. 1. art. 18. in fin. & lib. 3. quæſt. 7. art. 2. n. 7. verſ. Sed ſi iſti Beneficiati*, Bellett. *diſquiſit. Clerical. 2. p. tit. de Cleric. debit. §. 14. n. 7.* Barboſ. *ad Concil. d. ſeſſ. 21. c. 4. n. 15.* Rip. *d. reſponſ. 22. n. 3.* Riccius *d. reſol. 476. n. 7.*

Illud verò in his neceſſitatibus obliviſcendum non eſt, 35
aliquas eſſe Religiones, ſcilicet Mendicantes, quæ quidem inſtitutæ ſunt ad ſerviendum Prælatis Eccleſiæ in prædicatione, & in audiendis confeſſionibus, & ad cætera Sacramenta adminiſtranda ex eorum facultate, ut optimè docet S. Thomas *2. 2. quæſt. 188. art. 4. ad 2.* ibi: *Ad ſecundum dicendum,quod ſicut Religiones aliquæ inſtituuntur ad militandum,nõ quidem ut militent authoritate propria, ſed authoritate Principum,& Eccleſię,quibus ex officio competit:ſicut dictum eſt;ita etiam Religiones inſtituuntur ad prædicandum, & confeſſiones audiendum, non quidem, authoritate propria, ſed authoritate Prælatorum ſuperiorum, & inferiorum,ad quos ex officio pertinet. Et ita ſervire Prælatis in tali miniſterio,eſt hujuſmodi Religionis proprium*, Idem docet *ad 3. & quæſt. 187. art. 1. ad 3. & opuſcul. 18. c. 16. in fin.* Quapropter quotieſcumque Parochi ſufficientes non ſunt ad curam, & adminiſtrationem Sacramentorum, ſed Religioſorum eſt neceſſitas, poſſunt eos vocare,& Prælati tenentur eos mittere,ut benè docuit Sanchez *in Summa, lib. 6. cap. 2. n. 60.* per hæc verba: *At ſi Parochi non ſufficiant omni muneri obeundo,tenentur Religioſi iuſſu Prelati Regularis eos adjuvâre,& Prælatus tenetur id præcipere,quia hoc nõ eſt ſupra eorũ regulam, ſed ſecundum illam, cum eorum munus ſit,eſſe Epiſcoporum & Parochorum coadiutores in ſalute ſpirituali proximorum adiuvanda,& ob id eleemoſynis Fidelium ſuſtentantur.*

Unde ſequitur, quando Parochi non ſufficiunt ad admi- 36
niſtrationem Sacramentorum, & alia munera ſacra obeunda, poſſe Religioſos iſtos vocare, Coadjutores, & Tenentes habere, ex jure proprio, quo nequeunt privari ab Epiſcopis; nam eo modo inſtitutæ ſunt hæ Religiones, ut ipſis Parochis deſervirent, quoties ipſi non fuerint ſufficientes.

Hinc diſquirere placet, an rectè Religioſi aliqui per an- 37
num, aut per multos in oppidis aſſiſtant ad petendas eleemoſynas, & excipiendas confeſſiones, & nonnulli etiam prædicando? Et in re aliqui aſſeruere, non eſſe permittendos degere, prout aliqui Prælati defendunt, præcipientes Curatis, ne Veſtimenta Sacra eis concedant ad celebrandum, niſi quando eleemoſynæ frumentorum, & vini petuntur, certis diebus aſſignatis, prout in hoc Archiepiſcopatu multoties juſſum eſt. Probatur, nam Religioſi iſti per multum temporis extra clauſtra degentes, ſcandalum cauſare videntur, dum prioris ſtatus obliti, ad alia declinant, forté à diabolo irretiti, ne ad poſtliminium clauſuræ, & diſciplinæ regularis redeant; quapropter non debent permitti. Cæterùm, nam prætextu eleemoſynarum per varia loca vagantur, tamquam rapaces milvi, omnia arripientes; teſtamenta quærunt, & quadam aviditate pecunias, & divitias cumulant. Unde Platina *de falſo & vero bono, fol. mihi 18.* ſic ſcripſit: *Cernere licet ætate noſtra multitudinem prope infinitam eorum, qui Chriſti paupertatem, & vitam imitaturos ſe Voto, & Sacramento politici ſunt: ex his certè paucos invenies veræ paupertatis amatores, & ſi diligenter eorum manus obſervaveris, profectò videbis eos ſub paupertatis nomine magnas ſibi parare divitias. Crebras adeunt morientium hæreditates, fundos, villas, jumenta, ad augendas opes magnis pretiis emunt. In petendo effuſi, in erogando verò parciſſimi ſunt. Quod ſi beneficium aliquod (ut ipſi appellant) paulò opulentius vacaverit, quanta ambitione, & cupiditate id petunt, tu ipſe, qui noſti avaræ Babylonis conſuetudinem, non ignoras; quique hujus, qui rerum potitur, rapacitatem, & habendi ſitim, etiam in quavis re minima, quotidie vides.*

Unde D. Ambroſius *lib. 3. Offic. c. 9.* admonet, ne Sacer- 38
dotes teſtamentis interſint, verùm liberè teſtatoribus diſponere relinquant, & ſic ait: *In ſupremo fine vitæ poſitos ſuum habere judicium, ut liberè teſtentur quod ſentiunt, qui poſteà non ſunt emendaturi, cùm honeſtum non ſit compendia aliis vel debita, vel parata avertere; cùm Sacerdotis, vel Miniſtri ſit prodeſſe, ſi fieri poſſit, omnibus; obeſſe nemini.* Cujus doctrinæ contrarium ſimiles Religioſi efficiunt, dum captantes ultimas voluntates, eas evertunt, ut ſibi, & ſuis Communitatibus legata magna relinquantur; & prætextu

pie-

pietatis omnia bona defuncti percipiant, licèt teſtatores habeant pauperes conſanguineos: quod quidem aliquibus Doctoribus viſum eſt in conſcientia fieri non poſſe, Gomez *in l.8. Tauri*, *n.*4. præſertim ſi Conſanguinei ſint in extrema aut gravi neceſſitate, Guttierez *Pract. lib.*3. *c.*17. *n.*273. Cyriacus *tom.*3. *controverſ.*505. *nu.*35. Ayllon. *ad Gomez*, *tom.*1. *var. c.*11. *n.*38. Diana 1. *p. tract.*8. *reſ.*85. Robertus *lib.*4. *rer. judic. c.*2. Quare Religioſi ad clauſtra remeare cogendi ſunt, ne tanta damna perpetrent.

39 Deinde, dum liberi ſunt extra clauſtra, pravis moribus imbuuntur, nec obedientiam, nec clauſuram recipiunt, verùm ſtatim exire tentant, & aliis Religioſis pravos mores communicant, ſi aliquando ad clauſtra redeunt, quod quidem grave præjudicium eſt. Tandem eſt Decretum Clementis VIII. *de reformat. Regul.*20. Martii 1601. decernens, minimè extra clauſtra Religioſos degere poſſe, niſi ex graviſſima cauſa, & cum licentia Apoſtolica: quod idem pro reformandis Regularibus confirmavit Urbanus VIII. 23. Decembris 1617. ex quibus Decretis conſtat, minimè ex licentia Prælatorum, quamvis exiſtente cauſa, poſſe Religioſos in Oppidis vitam agere extra clauſtra, & neceſſariò debere ad Monaſteria reduci, ut concludit Thomas Hurtado *de Reſident. tom.*2. *reſolut.*6. *ſubreſolut.*2.

40 Sed contra eum ſunt graviſſima fundamenta aliorum contrarium tenentium. Et in primis adeſt querela D. Hieronymi *epiſt.*25. ubi ſic de populo queritur: *Hoc inter ſe populus miſſitabat, Quouſque genus deteſtabile Monachorum non urbe pellitur? Non lapidibus obruitur? Non præcipiatur in fructus?* Contra enim Religioſos iſtos, qui tanto ſolamine populorum reſident ad conciones faciendas, excipiendas confeſſiones, ad adjuvandos Parochos: ad petendas eleemoſynas, & Miſſas, ut ſuis pauperibus Monaſteriis ſubveniant, muſſitant omnes: *Quouſque genus deteſtabile Monachorum non urbe pellitur?* Res quippe injuſta, & iniqua, ut pro tanto bono malis proſequantur, ut benè conqueritur D. Hieronymus. Cæterùm, iſtos Religioſos credere, ex eo quod extra clauſtra degant, & cum Populis adſint, eſſe rapaces milvos, & pravis moribus dedecorari, nefas eſt; quanto enim meliores ſunt, qui ſub regula ſancta educati exiſtunt, modeſtia, mundi contemptu, voluntaria paupertate, & omni genere virtutum, quàm alii Miniſtri, qui non ita virtutibus condecorati ad Sacerdotium pervenerunt, nec ad altiorem ſtatum Religionis aſcenderunt. Illi enim in ſuis Monaſteriis, & latebris Sacra peragere debent, alteri verò non, quaſi virtutes illæ fuiſſent abominationes Ægyptiorum: quare Dionyſius Monachus apud Præſentatum Enriquez *in ſua Apologia ſtat. Relig. fol. mihi* 6. aiebat: *Abominationes Ægyptiorum ſunt mundi contemptus, Religionis ingreſſus, paupertas ſpontanea, converſatio pœnitentialis, beneficentia maledicentibus, omnium injuriarum tranquilla profeſſio: quæ omnia à carnalibus, & ſuperbis hominibus, quaſi abominabilia reputantur, quæ virtuoſi etiam in adverſis offerunt Deo, & in locis Religionis, manſionibus ſecretis, liberius exhibent, ne verbis detractoris, & mundanis tumultibus, aſperiſque injuriis infeſtentur, aut à Dei ob ſequi retrahantur.* Quod magnoperè debet conſiderare, qui Religioſos ſuis tantum Monaſteriis adeſſe curant; aliàs ſi extra clauſtra degant, tantis injuriis afficiunt, & ignominioſè pellere curant, tamquam miluos rapaces.

41 Deinde pro hac opinione adducitur; nam ſacri Canones aliqua beneficia ſtatuerunt regularia, & neceſſariò per Religioſos deſervienda, quæ quidem ita ſunt inſtituta per fundationem, inſtitutionem, conſuetudinem, aut præſcriptionem, *c. Cùm de Beneficio* 5. *de Præbend. in* 6. *Clement. unica de ſupplend. negligen. Prælat.* Murga *Quæſt. Paſt.*1. *part. quæſt.*2. *diviſ.*1. *num.*6. Petrus Gregorius *de re benefic. c.*10. *nu.*12. Garcia *de Beneficiis*, 1. *part. cap.*6. & latè 7. *p. c.*10. *per tot.* Lotterius *de re benefic. lib.*1. *quæſt.*33. *num.*8. nec ad Beneficia ſæcularia curata ſunt Religioſi incapaces; ſi ſint ipſi apti ad conciones, *c. in Parochias* 31. 16. *quæſt.*1. Murga *part.*4. *quæſt.*1. *ſect.*4. *num.*34. & 35. & tenet plures, quos recenſet Garcia *num.*17. licèt ipſe hoc non admittat, niſi ex diſpenſatione Summi Pontificis, poſt textum *in cap. Monachi* 2. *de ſtat. Monach. à num.*21. Cùm ergo Religioſi rectè Beneficia Regularia obtineant per diverſa loca, etiam extra clauſtra, licèt ſint curata, prout quotidie laudabiliter faciunt; cur non poterunt etiam laudabiliter ex licentia ſuorum Prælatorum adeſſe in oppidis, Parochos adjuvare (prout ſuum inſtitutum petit) tum & eleemoſynas, & Miſſas petere ad ſua Monaſteria, multa quidem pauperrima, ſubvenienda?

Confirmo diſcurſum, nam ſi Religioſi, ut proprii Parochi id faciunt independenter à ſubjectione alterius; & tamen laudabiliter, & Eccleſia approbante; multò meliùs laudabiliter procedent ſub cura, & adminiſtratione proprii Parochi, in cujus adjutorio occupantur & ſpeculatur eſt ipſorum, ne aliquid nequam peragant: Ergo ſicut extra clauſtra degunt rectè ad ſervienda illa Beneficia per diverſa loca: ſimiliter adjuvando Parochos, prædicando, excipiendo confeſſiones, & mendicando, prout ſuum petit inſtitutum. 42

Rurſus, Religioſi ex licentia ſuorum Prælatorum, juſta, & legitima cauſa, itidem & neceſſaria, extra clauſtra degere poſſunt, *cap. Nullus* 14. 18. *quæſt.*2. *c. Monachi* 33. *cap. Monachi* 35. 16. *quæſt.*1. *c. Inſinuante* 7. *qui Clerici, vel vovent*. Quod non ſolùm intelligas pro brevi temporis curriculo, ſed donec duret cauſa, vel ipſa finita, ſi alia ſuperveniat, ſive duret toto tempore vitæ; idque inconcuſſum eſt ex dictis juribus, tenent Suarez *tom.*4. *de Religione, tract.*8. *lib.*3. *c.*7. *à num.*3. Miranda *in Manual. Prælat. tom.*1. *quæſt.*32. *art* 3. Sanchez *Decalogi lib.*6. *c.*7. *n.*84. Navarrus *conſ.*70. *de Regul.* Barboſa *ad Concil. ſeſſ.*14. *de Reformat. cap.*11. *num.*2. Thomas Hurtado *d. reſol.*6. *de Reſident.* §. 1. Cùm ergo legitima, & neceſſaria cauſa ſit Parochos adjuvare, tum & mendicare, ut ſua Monaſteria poſſint vitam tranſigere, quod omne eſt proprium inſtitutum Mendicantium, rectè cum licentia ſuorum Prælatorum poſſunt extra clauſtra degere in oppidis ad hæc miniſteria exercenda. 43

Prætereà Patrimonium Religionum Mendicantium eſt mendicatio: quamobrem ad illam exercendam multis privilegiis à Summis Pontificibus ſunt honorati. Præcipuè ſunt duo, ne Ordinarii, aut aliis eis impediant, aut dolo, aut fraude procurent, ne eleemoſynæ eis dentur, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ut Auguſtinianis conceſſit Sixtus IV. *Bulla* 34. & Carmelitis *Bulla* 37. ubi etiam præcipitur, quod ad petitionem Religioſorum procedatur contra ſic impedientes, ſicut contra hæreticos, Refert Cruz *de ſtat. Relig. lib.*1. *cap.*7. *dub.*1. Cùm ergo Religioſi iſti poſiti ſint ad mendicitatem, quia non aliter poſſunt Religioſi Monaſterii decenter ſuſtentari, nequeunt impediri, aliàs ſemper dolo, & fraude impedirentur, ſi moleſtis, & injuriis ab oppidis ejicerentur, variis coloribus quæſitis. Ergo minimè poſſunt moleſtiis affici, ut à ſua mendicitate repellantur. 44

Sed dices: Tempore meſſis, & vindemiæ non repelluntur; tum nec tempore Jubilæorum, & Hebdomadæ Sanctæ, quando ſunt neceſſarii ad excipiendas confeſſiones: Ergo nullo modo in neceſſariis repelluntur, nec in ſpiritualibus, nec in mendicitate. Sed reſpondetur, quando Monaſteria indigent præcipuè in hoc tempore tam urgentiſſimæ neceſſitatis, non ſufficit mendicare tempore frugum, & vindemiæ, ſed toto tempore anni, nempe olei, lanæ, agnorum, & quando Miſſæ proveniunt, ut dicant Religioſi in Monaſterio exiſtentes; quæ quidem mendicatio eſt præciſa & neceſſaria per anni circulum: Ergo nec per illum, nec per multos poſſunt impediri, nec ab oppidis repelli. 45

Denique præcipere Parochis, ut Religioſis ornamenta Sacra denegent, ac interdicant, nec in Eccleſiis, nec Eremitoriis Miſſam celebrent, incivile eſt, ac contra Conſtitutionem S. Pii V. *Bull.*7. Refert Cruz *de ſtat. Relig. l.*2. *c.*4. *dub.*7. *verſ. Licèt etiam*, ubi Religioſis conceſſum eſt Miſſas celebrare in Eccleſiis ſæcularibus, nec ab hoc aliquo modo poſſunt impediri. Tum nec Parochi poſſunt ab Epiſcopo cogi, ut hæc Ornamenta Miniſtris dent, aut concedant, ſed hoc eis liberum eſt, ut declaravit Sacra Congregatio apud Barboſ. *collect.*555. *num.*4. Cæterùm Religioſis liberum eſt ex ſolo conſenſu Parochi in ſuis Eccleſiis celebrare, abſque dependentia Epiſcopi, ut docuit Sacra Congregatio apud eundem *num.*5. Barboſa *de officio Parochi*, 1. *part. cap.*11. *num.*51. Unde nequeunt ſubſiſtere ſimilia Epiſcoporum mandata, ut in mandato Illuſtriſſimi Epiſcopi Calagurritani obſervat Murga *Quæſt. Paſt.*3. *par. quæſt.*13. *n.*1. Ex quibus ſequitur, quàm minùs rectè Religioſi ex oppidis ejiciuntur: tum ex mediis ad illos ejiciendos, eorum jura, & Parochorum graviter vulnerantur. 46

In hoc dubio in primis animadvertendum, Decreta Clemen- 47

mentis, & Urbani VIII. relata *à n.*39. petentia licentiam Summi Pontificis, ut Religioſi degant extra clauſtra, etiam cauſa gravi exiſtente, in his Regnis admiſſa non eſſe, quin potiùs quotidie videmus ex ſola licentia Superiorum, & cauſa exiſtente, extra Monaſterium exiſtere, ut teſtatur Thomas Hurtado *d. reſol.6 ſubreſolut.2. num.*11. Hoc enim ſuppoſito, tres caſus in hoc dubio ſunt conſiderandi. Primò, quando Religioſus vocatus eſt à Parocho, ut eum adjuvet, quia populus eſt numeroſus, nec ipſe eſt ſufficiens. Et in hoc caſu rectè Religioſus ex licentia ſui Superioris degit cum Parocho, & aſſiſtit prædicando, excipiendo confeſſiones, & alia Sacra adminiſtrando. Nec Epiſcopus valet eum repellere, ita ut ad id cogat Eccleſiæ Rectorem. Id facilli mè probatur, nam in hoc caſu Parochus utitur jure ſuo, vocando Religioſum coadjutorem ſuum, deſtinatum à Pontifice: ex qua quidem cauſa inſtitutæ ſunthæ Religiones, & eleemoſynis Fidelium ſuſtentantur. Tum etiam ipſi Parochi multis decimis privantur, à Religioſis non ſolvendis, ex eo quod eorum Adjutores ſunt, & cum hac obligatione inſtituti, *cap. Commiſſum 4. cap. Ex parte 10. cap. Nuper 34. de Decimis*. Et ſunt etiam plura Indulta Pontificia, de quibus latè Cruz *de ſtat. Relig. l.2. c.9. dub.4.* Villalobos *in Summa, 2. part. tract.33. difficult.5. per tot.* Rodriquez *Quæſt. Regul. tom.2. quæſt.44. art.4. & 5. & tom.3. quæſt.74. art.16.* Miranda *in Manuali Prælat. tom.2. quæſt.49. art.12.* Suarez *tom.1. de Relig. lib.1. cap.18. à num.5.* Quamobrem Religioſus occupatus cum licentia Prælati in adjutorium Parochi, nequit aliquo modo repelli ab Epiſcopo, nec Parochus cogi, ut illum ejicat. Hæc enim facultas à Summo Pontifice data, & inſtituta eſt, quam nequit Epiſcopus tollere, *cap. Inferior 4. diſt 21. cap. Cùm inferior.16. de majorit, & obedient.* Ergo nec ad id exercere aliquam vim. Id enim etiam ex ipſis mandatis conſtat; nam quamvis multories ferantur, tamen in oppidis numeroſis, ubi Parochi non ſufficiunt, degere Religioſos numquam interdicitur.

48 Ex alia ratione politica etiam aſſumptum probatur; nam ex hac neceſſitate quamplurimi Conventus fundati ſunt, quos neque fideles poſſunt alere, & ita manum eſt incrementum Religioſorum, ut inde grave nocumentum percipiat Reſpublica Eccleſiaſtica, & Sæcularis. Eccleſiaſtica, nam ut aſſerit Concilium Lateranenſe, ex multitudine Religionum, & Monaſterium, confuſio magna oritur in Eccleſia, unde novas Religiones introducere interdicitur, ſed qui Dei ſpiritu aguntur, in inſtitutis Religionibus profiteantur, *cap. fin. de Religioſ. Dom. cap. Suggeſtum 9. de Decimis, cap. un. de Religioſis Dom. in 6.* Idque conſtitutum quando paucæ erant Religiones, & Cœnobia pauca. Ergo nunc ſimiliter decernendum eſt. Tum multitudo magna Religioſorum ad regimen ſpirituale parum commoda eſt, & ad relaxationem declinans; quamobrem ex revelatione divina documentum præbuit ſuis Religioſis D. Thereſia de Jeſu, ſtatuendo quod quamvis haberent plures domos, pauci tamen eſſent Religioſi, ut refert Venerabilis Palafox *in Notis ad Documenta Sanctæ Matris, fol. mihi* 545. ubi *in notis, fol.*549. *num.2.* ſic ſcripſit: *Pero hablando de eſte ſanctiſſimo aviſo, por dos coſas embaraza la multitud en la regularidad. La primera, por el ſuſtento corporal: la ſegunda, para el paſto eſpiritual, porque es muy dificultoſo ſuſtentar muchos Religioſos, ya ſea de rentas, ya de limoſnas, ymas en tiempos tan neceſſitados como eſtos: Y ſi faltà el ſuſtento, ceſsà con el ſuſtento la obſervantia regular, porque cuidadoſo el curepo de huſcar de comer, lleva arraſtrado el ſpiritu.*

49 *Para el paſto eſpiritual es dannoza la mulitud, perque en ſiendo muchos los Religioſos, no es facil, que los ojos de el Prelado anden ſobre cada uno: con ques es preciſo, que andando la obſervantia auſente de la cenſura, ande auſente tambien de el Convento la obſevancia.* Unde conſtat, tantam multitudinem Cœnobiorum, & Religioſorum Regimini Regulari detrimentum inferre in Republica Eccleſiaſtica.

50 Quoad verò Rempublicam ſæcularem nocumentum ex populorum deſolatione, & hominum ſterilitate patet, ut latè proſequitur Navarrete *en la Conſervacion de Monarchias, diſcurſo* 42. Quapropter ſimilia damna fugarentur, ſi per villas numeroſas, & oppida aliqui graves, & virtuoſi Religioſi ſpargerentur, ubi adeſſet neceſſitas adjuvandi Parochos, & pabula ſpiritualia miniſtrandi, & dum tres, aut quatuor Religioſi ad hanc neceſſitatem ſufficerent, ſtatim Monaſterium exſtruitur cum triginta, qui nequeunt ſuſtentari, nec faciliter regi, ut benè demonſtrat Venerabilis Palafox. Hinc enim colligitur, quàm rectè, quando Parochi non ſufficiunt, Religioſi eorum Adjutores adſint in oppidis numeroſis.

Sed dicent contrarii. Tunc Parochos poſſe aſſociare ali- 51
quos Clericos ſæculares ad eorum adjutorium. Sed dicant mihi, ubi ſunt iſti Clerici ſæculares approbati, & ſufficientes ad adminiſtrationem in oppidis? Aliqui ſunt divites, alteri inſcii ſunt, perpauci ſufficientes, qui nolunt deſervire, niſi ſibi magnis expenſis ſubminiſtratis; idque in multis oppidis, ubi Parochi adhuc nec congruam percipiunt, & niſi cum magna lite ab aliis participibus valet congrua Adjutorum conſequi. Tum alio modo reſpondetur; nam ut probatum eſt, de jure Religioſi ſunt Adjutores Parochorum, & eos poſſunt vocare, & Prælati eos mittere: Ergo etiamſi alii ſint Adjutores, poſſunt ſecum habere Religioſos. Confirmatur, nam ex eo quod ſint alii Adjutores ſæculares, Parochus non privatur jure iſto: dent textum contrarii, ubi priventur. Ergo etiamſi alii ſint Adjutores Clerici ſæculares, rectè Parochi poſſunt ſecum habere Religioſum, Teſtem, ſeu Adjutorem; qui enim jure ſuo utitur, nemini facit injuriam, *l.3. §. l. Is tamen, ff. de lib. hom. exhibend. l injuriarum, ff. de injur. cap. cùm Eccleſia 31. verſ. quia, de elect.* Thomaſſerus *regul.*251. Flaminius *de Reſign. lib.*13. *quæſt.*1. *n.*164. Menochius *de Præſumpt. lib.6. quæſt.*29. Ergo, &c.

Eſt tamen examinandum, an Epiſcopi rectè tentent ejici- 52
cere Religioſos ab oppidulis, ubi tantùm ſunt Parochi ſufficientes ad curam, & adminiſtrationem; & ad id obliget illud mandatum, ne eis dentur veſtimenta ad celebrandum? Et affirmandum abſque dubio videtur; nam eo potiſſimè poſſunt Parochi ſecum habere Religioſum Adjutorem, quia ipſi non ſufficiunt ad curam, & adminiſtrationem, ut dictum eſt. Aſt in ſpecie ſunt ipſi ſufficientes in parvis oppidis. Ergo nequeunt ſecum detinere Religioſum; illa enim regula juris expedita eſt, ut ceſſante cauſa & neceſſitate, neceſſariò debeat ceſſare effectus, *cap. Cùm ceſſante 60. de Appellat. l. Adigere, §. Quamvis, de jurepatronat. l. Cùm te, C. de pact. inter empt.* Cencius *de cenſib.2. p. cap.2. quæſt.1. art.3. nu.*13. Cardoſo *in Praxi, verbo Cauſa, nu.*2. Thomaſſetus *reg.*72. Cæterùm Religioſus non eſt neceſſarius reſpectu curæ Parochianorum, ut dictum eſt, nec reſpectu ipſius Curati; nam ad adminiſtranda Sacramenta, ſi fortè in aliquam lethalem culpam inciderit, ſufficit elicere actum contritionis, Suarez *tom.3. diſput.16. ſect.3.* Villalobos *in Summa, 1. part. tract.4. difficult.*14. *n.*2. Layman. *in Summa, lib.4. tit.1. cap.5. nu.*10. *verſ. Denique*, Bonacina *de Sacrament. in gen. diſput.1 quæſt.3. punct.2. §.1 propoſit.2. num.5.* Tum & aliqui Doctorum dicunt, tantùm eſſe peccatum veniale adminiſtrare ſacramenta cum conſcientia culpæ mortalis, quia ad id tantùm extenditur irreverentia illa, ut docet Creuſers apud Dianam 6. *par. tract.6. reſ.*53. Llamas, Ludovicus a San Joan, & Vidal, quorum fundamenta refert Leander de Murcia *de legibus, diſp.2. reſolut.3. lib.5.* Quod quidem peccatum faciliter tollitur pectoris tunſione, & aſſumpta aqua benedicta, & aliis facillimis remediis. Tum ad celebrandum, ſi urgeat neceſſitas adimplendi officium, nec adſit copia confeſſoris, præmiſſo actu contritionis, rectè & licitè celebrat Tridentin. *ſeſſ.*13. *de ſacra Euchar. cap.7. ad fin.* Petrus à S. Joſeph. *de Sacrament. diſput.6. ſect.2.* Villalobos *d.1. part. tract.7. difficul.* 37. *nu.4. verſ.2.* Layman *d. lib 5. tract.4 cap.6. n.7.* & alii quamplurimi, recenſiti à Barboſa *in collect. Concilii l. cap.7.* quamobrem Religioſus eſt neceſſarius in oppidulis; quin potiùs curatus ſufficientiſſimè valet omnia adminiſtrare. Undè Epiſcopi rectè eos dejicere tentant, prohibendo ne eis paramenta ſacra concedantur.

Sed tamen contrarium teneo ex deciſione textus *in cap.* 53
Vt quiſque 3. de vit. & honeſtat. Clericorum, ubi Concilium Maticenſe ſic decrevit: *Vt quiſque Presbyter, qui plebem regit. clericum habeat, qui ſecum cantet, & Epiſtolam, & Lectionem legat, & qui poſſit tenere ſcholas, & admonere ſuos Parochianos, ut filios ſuos ad fidem diſcendam mittant ad Eccleſiam, quos ipſe cum omni caſtitate erudiat.* Hinc enim apertè cognoſcitur, Presbyterum Parochialem ſecum poſſe tenere alium Clericum ad hæc requiſita ſui adjuvaminis, & neceſſitatem pſallendi, & pueros erudiendi in ſcholis:

quo-

quorum loco licet in aliquibus locis introducti Sacriſtæ, & hoc neceſſitas permittat; attamen ſi per Clericum ſupplerì poſſit, minimè eſt id admittendum. Ratio eſt, nam licet primis temporibus laici non ſolùm homines, verum etiam fœminæ, in Miſſis pſallerent. Vicecomes *de Miſſ. ritibus*, *vol.3. lib.1. à cap.30.* Attamen rectiſſimè ideſt poſtea interdictum, & tantum conceſſum eſt Clericis in Miſſis canere, ut decrevit Concilium Laodicenſe *can.15.* Carthagineſe IV. *can 10.* D. Gonzalez *in d.cap.Vt quiſque, n.5.* Itaque ſi Parochus valet habere Religioſum Sacerdotem, utique melius erit. Idem decrevit Concilium Emeritenſe *can.8.* Vaſionenſe II. *can.1.* Nicolaus Lemaiſtre *de jurib. Epiſcop. lib.2. cap.4.* Rebuffus *in tract. de congrua, num. 65* Cenedo *collect 63. num.1.* Cavalerius *deciſ.498. num.1.* Idcircò in retinendo Religioſo Parochus in parvis oppidis habet de jure fundatam ſuam intentionem, licet non ſit neceſſarius ad adminiſtrationem.

54 Cæterùm, in Oppidis iſtis, ubi non eſt niſi Parochus, nec alius, qui adminiſtret Sacramenta, licet parvum ſit oppidulum, non eſt ſufficiens, ſaltem ad excipiendas confeſſiones. Probatur, nam duobus modis valet adminiſtratio iſta conſiderari, nempe materialiter, & formaliter; licet enim unus Parochus ſufficiat in Oppido parvo ad materialem adminiſtrationem, non tamen ſufficit ad formalem; ſemper enim Parochiani duriſſimè ferunt præcisè cum ſuo Paſtore confiteri, præcipuè malè degentes, aut qui ab eo ex aliquibus cauſis dependent, veluti ſua propria familia, miniſtri, & ſervitores Eccleſiæ, conſanguinei, & alli qui de eis frequenter muſſitant; idque magis in oppidis parvis, quam in majoribus. Unde Sacri Canones, licet tantoperè decrevere, ut Parochiani teneantur proprio Parocho confiteri, attamen non adeo adſtringunt, ut de ejus licentia aliis Confeſſoribus non poſſint peccata ſua confiteri, *cap. Omnis utriuſque ſexus 12. l.34. tit.4. p 1.* S. Thomas *3. p. quæſt.14. ar.7.* Tum & liberum eſt Parochianis cum quolibet Sacerdote, ſeu Religioſo approbato confiteri, ita ut Parochus proprius id non poſſit prohibere, Zerola *in Praxi, de Sacrament. pœnitent. cap.15. quæſt. 3.* Reginaldus *in Praxi for. lib.1. n.26.* Valentia *tom.4. diſput.7. quæſt. 12. punct.2.* Henriquez *in ſumma, lib.4. cap.4. num.3.* Coninch. *de Pœnit. diſputat 8. dub.9. num.86.* & majori indulto id conceſſum eſt per Bullam Cruciatæ in his Regnis Hiſpaniæ, ut patet in ejus clauſula 9. quam benè elucidat Mendez *ad illam, interrogat.12.* & cæteri Scribentes, ne ægre ferant, ſi adſtringantur præcisè ad confitendum cum Parocho proprio, magno periculo tacendi aliqua peccata mortalia, prout ſæpè accidit in his oppidulis, ubi adſunt tantùm Parochi. Quamobrem dicendum, formaliter loquendo non ſufficere Parochum ad adminiſtrationem Sacramentorum, & ex jure proprio poſſe tenere ſecum Religioſum, ut hoc non adſit periculum, quod quotidie in ſimilibus oppidis experimur.

55 Cæterùm id probatur ex neceſſitate ipſius Parochi, ut puriori conſcientia Sacramenta adminiſtret, & Miſſas celebret, habens ad manum Confeſſorem; & ſi aliquando in aliquam lethalem culpam inciderit, ſtatim ſecuriori modo per confeſſionem reſurgat, & ab ea reſipiſcat: tum ſi aliquo repentino morbo urgatur (quod perquam frequens eſt) habeat Confeſſorem, cum quo ſuam animam expiet; duriſſima quippe res eſt hoc periculo laborare in his oppidulis, ubi fere nullus eſt Sacerdos; & anxietas eſt animæ non parva, ſed graviſſima, conſiderare pauperem Parochum in ſtatu eſſe, quo ſi repentinus morbus eum aggrediatur, abſque Sacramentis moriturus ſit, & immane præceptum eſt ei auferre Religioſum ibi morantem, qui à tanto periculo peuperem Parochum eripiat. Rimentur iſta Prælati contrarium præcipientes, & conſiderent daturi rationem ſtrictiſſimam omnium ſuarum ovium, & præcipuè animarum Parochorum, quorum immediati ſunt Confeſſores, & Rectores.

56 Denique fundamenta contraria facilè ſolvuntur; nam primum fundamentum jam manet eliſum ex diſtinctione poſita num.54. quia licet Parochus ſufficiat ad materialem adminiſtrationem in his oppidulis, non tamen ad formalem & neceſſariam. Cæterum ſolvitur aliud, nempe ad adminiſtrationem Sacramentorum ſufficere ſe diſponere per actum contritionis; certum enim eſt, & ab omnibus receptum. Sed tamen ſecurius eſt confiteri, & facilius; quare rectius aget Parochus, qui ſecum habuerit Confeſſorem Religioſum, cum quo poſſit ex ſola attritione ſimul cum Sacramento confeſſionis gratiam impetrare. Tridens. *ſeſſ. 6. c.6.* Bonacina *de pœnit. Sacram. diſp.5. qu.5. ſect.1. punct. 3. per tot.* Delugo *de Pœnit. diſp.5. ſect.5.* Villalobos *in Summa 1. p. tract.9. difficult.22. à n.1.* Henriquez Auguſtinianus *in Summa, ſect.52. quæſt.2.*

Alteram verò ſententiam, docentem non eſſe peccatum 57
mortale cum lethali culpa Sacramenta adminiſtare, etiam ſolemniter admittere non convenit, per textum *in c. illud 3. diſt.95. cap. Per Iſaim 98.1. quæſt.1. cap. fin. de temp. Ord. & cap. fin. de cohabit. Cler.* Auguſtinus *lib.1. contra Parmen. cap.10.* Ex quibus aſſumunt DD. graviter peccare ſolemniter adminiſtrantes Sacramenta cum conſcientia lethalis culpæ, dum ibi tantis Scripturæ teſtimoniis, & rationibus, Sacra miniſtrare, vel ſuſcipere, cum culpa gravi execratur: ſignum apertiſſimum, gravem eſſe illam irreverentiam, & gravis culpæ reum ſic illa adminiſtrantem. Tum ratione probatur, nam miniſter, quando adminiſtrat Sacramenta, miniſtrat, & diſpenſat merita, & Sanguinem Chriſti Domini, quæ dontinentur in Sacramentis; ldque in perſona Chriſti operatur; quam immediatè ſuſtinet quamobrem ſuſtinere Chriſti perſonam, & ejus merita, & ſanguinem miniſtrare cum gravi culpa, irreverentia graviſſima eſt. Et confirmatur, nam obligatio adminiſtrandi Sacramenta, primariò, & per ſe oritur ex dignitate, & ſanctitate Sacramenti, & actionis, qua adminiſtratur, quæ nequit niſi à miniſtro deputato ab Eccleſia, abſque gravi cauſa fieri: quamobrem ipſe miniſter, quando ſolemniter miniſtrat, debet habere diſpoſitionem congruentem ipſi actioni, nempe gratiam; alias ſi cum gravi culpa adminiſtraret, gravis eſſet irreverentia, & culpa gravis & mortalis. Navarrus *in Manuali, cap.22. num.3.* Leander Sanctiſſimo Sacramento *tom.1. tract.1. de Sacram. diſput. 4. quæſt.8.* Rodriguez *in Summa, 2. p. cap.120. nu.2.* Hurtado *de Sacram. in genere, diſput.4. difficult.9* Leander de Murcia *dict. lib.5. de legibus, diſp.2. reſolut.3. à num.14.* & alii quamplurimi recenſiti à Bonacina *d. diſput.1. de Sacrament. in gener. quæſt.3. punct.2. §.1.* Unde fundamentum illud omninò reſponſionem ſuſcipit, nec ſuffragatur, ut Parochus ſolus debeat permanere.

Aliud verò fundamentum deſumptum ex Trident. *ſeſſ.13.* 58
de Euchar. c.7. meo videri difficile eſt, ut ad praxim trabatur illa rectitudine, quæ eſt neceſſiaria. Ratio eſt, nam duo ex Conſilio deſiderantur, nempe utnon adſit copia Confeſſoris, tum urgens neceſſitas celebrandi, ut animadvertunt Hurtado *de Euchariſtia, diſput.9. difficult.6. nu.1.* Villalobos *d.1. p. tract.7. difficult.37. num.3.* Tamburin. *in Method. Sacræ Comm. cap.1. §.6.* in quibus circumſtantiis plura ſunt dubia, præcipuè in his ruralibus Parochiis oppidulorum, ob diſtantiam aliorum locorum, ubi adſunt Confeſſores: tum quia Parochiani quotidie Miſſam celebrari deſiderant, & ſi iſta deficiat, quamplura ſcandala, & murmurationes excitantur: tum hæc non adſint, difficuitas graviſſima eſt, quæ ſit urgens cauſa, ut videre eſt apud Tamburinum *dict. §.6. à num.18.* Delugo *de Euchariſt. diſp.14. ſect.5.* Hurtado *dict. difficult.6.* Petrus de S. Joſeph. *d. diſp.6. ſect.2. per tot.* Quare miſera anima Parochi quantis anguſtiis crucietur, palam eſt proſpicere, Unde rectiſſimè agit Parochus ſecum habens Religioſum confeſſorem, ratione ſuæ animæ, & ipſius populi: quem elicere ſi tentent Epiſcopo, perperam procedent cum tanto Parochorum, & ovium periculo.

Secundus caſus, quando Religioſus non ad hanc admi- 59
niſtrationem, & neceſſitatem in oppidis extra clauſtra aſſiſtit, ſed tantum ex licentia Prælati ad mendicitatem, ut eleemoſynas, & Miſſas neceſſarias ad Conventum quæritet. Et in hoc caſu diſtinctio eſt facienda; ſi enim Monaſterium Mendicantium habeat neceſſaria ex redditibus, & eleemoſynis illius populi, ubi fundatum eſt, tunc nequit Religioſus illius in oppidis aſſiſtere ad eleemoſynas, & Miſſas quærendas. Ratio eſt, nam tunc deficit neceſſitas illa, ut ex licentia Prælati degat extra clauſtra, quæ quidem neceſſariiſſima eſt, ut diximus ſupra, num.43. quamobrem nequit extra degere, de jure loquendo. Cæterùm licentia iſta Superioris, cùm non ſit cauſa ſufficiens, quia mendicitas non eſt neceſſaria, nulla eſt, ut benè notat Suarez *de Religion. tom.4. lib.3. cap.7. n.10.* & Prælatus eam concedendo, graviter peccat, ut idem Suarez tenet num.10. Idcircò rectè Epiſcopi agent mediis licitis, ut Religioſi iſti ad

clau-

clausuram redent. Cæterum quando Conventus non indiget, hæc mendicatio ad lucrum est; quo quidem casu de jure est interdictum, ne à Monasterio exeant Religiosi, ut est aptissimus textus *in cap. Placuit 8. 16. quæst. 1.* ibi: *Placuit communi nostro Concilio, ut nullus Monachorum pro lucro terreno de Monasterio exire nefandissimo ausu præsumat.* Quamobrem in præsentiarum nequeunt illi in oppidis assistere, & extra claustra degere; quin potiùs rectè Episcopi curabunt, ut ad claustra redeant mediis licitis, & aliquibus terroribus, prout est simile quando ad Curias Principum accedunt, ut etiam sæcularibus Principibus permisit Concilium Parisiense sub Ludovico, & Lothario *lib. 3. cap. 14.* cujus verba transcripsit Gibalinus *de clausura, disquisit. 2. cap. 2. §. 3. sect. 3. n. 19.*

60 Si verò ex licentia Prælati degant Religiosi in oppidis ad solam mendicitatem necessariam, quia Monasterium est pauper; nec habet alimenta, ut præstet Religiosis domi commorantibus; tunc credo rectè in oppidis degere, & nec posse aliquo modo turbari ab Episcopis; nec ab eorum visitatoribus, prout in Bullis Pontificum Reverendissimis Patribus Mendicantibus concessum est. Ducor, nam causa alendi, & alimentandi Religiosos domi morantes, est extrema, aut saltem gravissima, & quasi extrema, quæ quidem urgentissimè causa est, ut possit Prælatus etiam inferior, dare licentiam, ut extra claustra degant in oppidis ad eleemosynas, & Missas quæritandas, cùm aliter non possit Monasterium vitam transire. Ergo non debent elici, nec turbari. Confirmo discursum, nam ut docent communiter DD. ex licentia Prælati rectè Religiosi degunt extra claustra propter utilitatem Monasterii gravem, & ponderosam, arbitrio ipsius Prælati. Suarez *dict. lib. 3. cap. 7. n. 9. & num. 17.* Bonacina *de clausura, quæst. 2. punct. 1. propos. 1. nu. 3.* à S. Fausto *in Thesaur. Religios. quæst. 160.* Tamburinus *de jur. Abbat. tom. 7. disput. 8. quæst. 6. num. 3.* Ergo multò magis quando non propter utilitatem, sed propter gravissimam indigentiam alimentorum ipsorum Religiosorum, & Monasterii, ex licentia Prælati extra claustra in aliquibus oppidis degerent petentes eleemosynas & Missas, ut dicantur ab eis, qui domi commorantur.

61 Prætereà Domini Episcopi nequeunt ex claustris eiicere Religiosos, nec eos perturbare, quia mendicant, & quærunt Missas ad alimenta ipsorum; hoc enim per compertum est: Ergo nec Religiosos existentes in oppidis ad eas quæritandas, ob eandem causam Probatur consequentia, nam Religiosus extra claustra degens ex licentia Prælati, ac justa & legitima causa, perinde est ac si in claustro adesset. Sà *verbo Religio, num. 53.* do ejus verba: *Vbicumque sit Religiosus sub obedientia Superioris, censetur in claustro esse; & quidem de licentia Superioris potest extra manere, sed cum habitu.* Et ratio est, nam videtur unitum remanere cum toto corpore communitatis, dum est sub obedientia Prælati, ut benè considerat Suarez *dict. lib. 3. cap. 7. in fin* Ergo delicere & perturbare Religiosos extra claustra, existentes sub obedientia Prælati in oppidis, petentes eleemosynas, perinde est ac eiicere, & perturbare existentes in claustro, petentes eadem eleemosynas.

61 Sed dices: Hæc necessitas alendi Religiosos & Monasterium succurritur petendo eleemosynas tempore frugum & vindemiæ, non verò continuò assistendo in oppidis. Ergo nequit subsistere causa sufficiens, ut Religiosi isti existimentur adesse in claustro. Sed respondetur, hoc non esse relictum arbitrio Episcoporum, sed arbitrio Superiorum Regularium, ad quos pertinet prospicere, an sufficiat eleemosynario illius temporis, aut totius anni, *ex l. 1. ff. de jur. delib. cap. de causis, §. Illis, de offic. delegat* & in terminis Suarez *dict. cap. 7. nu. 17.* Bonacina *d. quæst. 2. num. 3. vers. Respondeo*, Gibalinus *de clausura, disput. 2. cap. 2. §. 3. num. 14.* Quamobrem tempus eleemosynandi non est taxandum ab Episcopo, sed ab ipso Prælato Regulari, cujus arbitrio relictum est examinare causam justam, ut ex ejus licentia Religiosus extra claustra degat ad eleemosynandum. Rursus respondetur, quando Monasteria paupertate premuntur, ut & in his temporibus calamitosis, tantis ærumnis, & pauperie oppressis; tum Fideles tantis exactionibus, & vectigalibus exhausti, parvissimæ sunt eleemosynæ tempore frugum, vindemiæque concessæ; ideò necessarium est, ut continuò, & per totum anni circulum emendicent, alias nequeunt suis Monasteriis succurrere, quin potius adhuc simili, & assidua cura petendi, pauperes Prælati angustiantur noctu dieque, & ad alimoniam parcam Religiosorum quærendam insudant. Unde tempore illa designata in similibus mandatis ad levamen Monasteriorum parvipenduntur, & causa ista eleemosynandi est sufficientissima, ut aliqui Religiosi extra claustra continuò degant in oppidis ad eleemosynas petendas.

Deinde comprobo assumptum; nam in claustris degere 63
non est de substantia Religionis, ut docet Suarez *d. cap. 7. num. 6.* nam licet multum conferat ad vitam Religiosam, sæcularium exemplum, & ædificationem; non est tamen de substantia illius, cum & votis, & aliis regulis, quæ extra claustra possunt observari, Religiosus adstrictus remaneat. Gibalinus *de clausura, disquisit. 2. cap. 2. §. 3. n. 11.* Quapropter olim duplex erat genus Monachorum, quorũ alicui in Monasteriis vitam regularem agebant; alteri verò in suis privatis domibus, ut ostendit Athanasius *in vita Antonii*, ibi: *Nec dum crebra erant Monasteria in Ægypto, nec omninò quisquam avium solitudinem noverat: sed quicumque in Christi servitute sibimetipsi prodesse cupiebat, non longè à sua villula separatus instituebatur.* Latius explicat D. Hieronymus *in epist. ad Heliodorũ, Rusticum, & Paulinum*, Quòd itidem in Monialibus adservatum, tam virginibus, quàm viduis, ostendunt Concilium Moguntinum *can. 26.* Carthaginense III. *cap. 33.* Aurelianense V. *cap. 19.* Africanum *c. 11.* Tolet. I. *cap. 6. & 9.* Tolet. IV. *c. 8.* Ancyranum *c. 18.* licet posteà id interdictum per Concilium Metense *can. 3.* Nannetense *cap. 3.* Turonense II. *c. 11.* Bracharense III. *cap. 4.* Arelatense II. *cap. 27.* Forojulienſe *c. 4.* Romanum sub Zacharia *c. 1.* Zacherias Pontifex *epist. 7. c. 6.* Lanetmeter. *de vet. Clericor. & Monach. victu, 2. par. lib. 2. c. 1.* Basilius Pontius *ad Grat. 27. quæst. 1. cap. 4. & c. 6. per tot.* Hanc ob rem cùm degere extra claustra non opponatur Religionis substantiæ, rectè existente causa præcisæ & necessariæ mendicitatis ad alendum Monasterium, ex licentia Prælati extra claustra existunt in oppidis degendo, Gibalinus *dict. §. 3. à num. 12.* nec possunt à Prælatis, aut Episcopis ejici, nec turbari, ne petant eleemosynas, nec assistant in oppidis ad eas quæritandas, & Missas necessarias ad celebrandum in Monasterio.

Rursus, similia mandata opponuntur Bullis concessis 64
Religionibus Mendicantibus, præcipientibus sub gravibus pœnis, ne impediantur. Ratio ex dictis constat, nam cùm ipsi ex licentia Prælati rectè in oppidis assistant ad quæritandas eleemosynas necessarias, eos turbare, negare paramenta Sacra, ne celebrent, ac aliis quibusvis modis eos ejicere, cogendo Parocho, ut eos molestent, & indignentur, est directum impedimentum, & contra Bullas concessas his Sanctissimis Religionibus.

Denique mandata ista tendunt ad grave dedecus istarum 65
Religionum, & Religiosorum; populus enim dum videt illos tanto opere Prælatorum & Visitatorum à populis expelli, existimat pravos, ac malè morigeratos esse Religiosos istos, & extra claustra pessimè degere: tum & in Religionibus pravis moribus imbui, ac perversè educari; dum extra claustra nequeunt vivere, quod execrabile est existimare, ac præsumere; sunt enim Religiones professiones cœlestis vitæ, ut optimè aiebat Cassiodorus *lib. 8. epist. 24.* ibi: *Professio vestra vita cœlestis est*, ubi quotidiè excellentissimi viri creantur, & erudiuntur, tam virtutibus, quàm litteris præclari, qui Religionem Catholicam illustrant, verbo & operibus Christianos docent, tantoque exemplo ad opera pietatis, & virtutum alliciunt. Religiosorum status genus electum est, ubi omnes virtutes continentur, & per quod Deus supplicia adversus nos inflicta temperat, & omittit: quapropter conveniens est, ut cum eis vitam agamus, & sint ubique, ut ab illis tanta bona percipiamus, Navarrete *dict. discursu 42.*

Quorum aliqua recensuit Pater Benedictus de Aste *in* 66
vita Venerabilis Fratris Hieronymi Alviani, perfectissimi viri, qui multo tempore in oppidis de los Santos, & de Meco vixit, eleemosyna quæritando, *fol. mihi 31.* per hæc verba: *Ne solo era bien echar* (inquit Aste) *de los dichos pueblos el Venerabile Padre, confessandolos y socorriendolos, sino tambien amonestandolos à la virtud, reprehendiendolos con prudiencia sus defectos, en especial los juramentos, y murmuraciones, que oya à algunos labradores, compomendo sul pleitos, y diferencias; con que los Curas, y Eclesiasticos tenian gran consuelo, y grande alivio, y ayuda para el cumplimiento de su obligacion; los casados vivian*

en

en paz, los mocos se reformaban con sus consejos, y modo de vivir; y en fin todos dezian, que havia sido gran suerte, que aquel sancto Religioso assistiesse en sus lugares, pues desde que assistia en ellos, las confessiones eran continuas, las costumbres mas reformadas, y el consuelo espiritual y temporal, que con el tenian, muy grande; y todo era llorar, y temor havia de venir tiempo, en que el Santo varon les havia de dexar y no poder acurdilos.

67 Hæc enim præclarissima bona quotidie ex assistentia religiosorum in oppidis percipiuntur, & experimur: præcipuè ad excipiendas confessiones, & frequentiam Sacramentorum à Deo ad populos missi sunt. O quantæ Confessiones sacrilegæ efficerentur, si abessent, & quantæ fiunt bonæ ob Religiosorum assistentiam, ut ab experientia testatur Aste ubi suprà, *fol.* 32. & quotidie cognoscimus. Sistant verò Prælati, & cuncta rimentur ne similia indiscriminatim mandata proferant.

68 Tertius, & ultimus casus est, quando aliqui adessent Religiosi vagi per oppida, & in aliquibus assisterent absque Prælati licentia, vel cum ea, quando nulla adesset causa. Quo quidem casu nequeunt ibi residere, nec per loca vagari, ex decisione textus *in cap. justa* 11. 16. *quæst.* 1. ubi Alexander II. sic decrevit: *Juxta Chalcedonenses tenorem optimi Concilii, Monachis quamvis Religiosis, ad normam Sancti Benedicti intra claustrum morari præcipimus: vicos, castella, civitates peragrare prohibemus, & à populorum prædicatione omninò cessare censemus.* Ita *cap. Monachi* 35. *c. Placuit* 8. 16. *q.* 1. Tunc enim si Prælati, sive ignorent, sive permittant sic degere, rectè poterunt Episcopi suis mandatis licitis, & justis modum quærere, ut ad claustra reducantur: tunc enim non rectè assistunt, nec vagantur. Quibus & adjungere libet, si aliquis fortè Religiosus non benè vixerit, scandala causet, vel alia delicta perpetret; tunc enim iste Religiosus delinquens rectè ejicitur, & ad claustra reducitur, ex similibus mandatis, etiamsi cum licentia Prælati, & justa causa in aliquo loco degeret. Ratio enim clarissima est, nam tunc cùm non degat sub Superiore cum observantia Regulari, & extra claustra delicta perpetret, rectè ab Episcopo punitur, non solùm per molestiam, prohibendo ne celebret in Ecclesiis sæcularibus; sed etiam procedendo directè contra ipsum aliis pœnis, & carceribus, si necessarium fuerit, ut est Decretum Tridentini *sess.* 6. *de reformat. cap.* 3. ubi Sacra Congregatio sic declaravit: *Regularis manens extra claustrum de licentia Superioris, etiam in domo deputata ad Monasterium, nisi in dicta domo sit Regularis observantia, aut saltem vivat sub Superiore conventualiter, si deliquerit, potest puniri ab Ordinario*, refert Genuensis *in prax. Archiepiscopali, cap* 59. *nu.* 2. *ad fin.* Piasecius *in Praxi nova Episcop.* 2. *par. cap.* 3. *nu.* 42. Cenedo *can. quæst. lib.* 1. *quæst.* 26. *num.* 33. Rubeus *dec.* 19. Riccius 1. *p. dec.* 223. *nu.* 4. Sanchez *de matr. disput.* 23. *nu.* 22. & 23. ubi id concedit abnegans procedere posse per censuras, Barbosa *ad Concilium, in d. capit.* 3. *à nu.* 7. & *de offic. Episcopi,* 3. *par. allegat.* 105. *nu.* 14. Ergo tunc si aliquis Religiosus perperam vixerit, rectè dejicitur, & reducitur ad claustra.

69 In quo quidem sensu interpretanda sunt similia mandata nec credendum, alio modo velle Prælatos, viros quidem doctos, & probatissimos, dejicere à locis sui Episcopatus Religiosos probos, bonos, & honestos, administrationi Sacramentorum, & prædicationi incumbentes, à quorum assistentia tanta bona percipiunt fideles, quando ex justa causa, & legitima licentia ad adjuvandos Parochos, & quæritandas eleemosynas in oppidis assistunt, & hanc esse mentem nostrorum Archiepiscoporum Toletanorum, ostendit Aste *in vit. Venerab. Fratris Hieronymi Alaviani, d. fol.* 32. apud quem visitator D. Sebastianus Bocanegrà, sic effatur. *Me dixo con muy grande consuelo mio, Padre Rector, yo tengo orden de el Cardenal mi Senor, para que los Religiosos, que estan assistiendo en los lugares, se recoxan à los Conventos, y assi lo voy executando en mi visita con los medios ordinarios, quen esto se suele hazer; pero aviendo llegado à la villa de Colmenar vieio, es tanto el bien, que todos me han dicho, assi Ecclesiasticos, como Seculares, de el Religioso que alli assiste por el Colegio de vuestra Reverentia, que le he dexado licencia por escrito, qara que assista siempre en dicho lugar, y en esto he cumplido con la voluntad de el Cardenal mi Senor, que no solo gusta que assistan à sus ovejas Religiosos de esta aceptacion, sino que se lo agradece, y se lo estima; porque en este punto de assistir los Religiosos en los pueblos, ni su Eminencia quiere permitirlo à todos, ni prohibirlo à todos; porque assi como no conviene, que assistan todos los que quieren assistir, no es bien, que dexen de assistir aquellos que conviene.*

Hucusque Aste. Ex quibus verbis satis apertè concipitur 70
mens nostrorum Prælatorum, semper nobilissimorum virtute, & doctrina clarissimorum, velleque intelligi similia mandata. Tum etiam hoc ordine esse danda paramenta sacra Religionis, aut deneganda, ut in Ecclesiis sæcularibus celebrent, cujus ratione mandatum hoc directivum est, & exhortatorium ad Parochos: nec credendum aliquo modo nostros Prælatos, & eorum sapientissimos consiliarios, absolutè velle derogari juri Parochorum circa danda ornamenta Religiosis: nec Bullæ Sancti Pii V. de qua supra diximus. Quamobrem hoc modo his mandatis intellectis, nec jura Regularia, nec mandata Superiorum vulnerantur.

CAPVT IV.

Prosequitur materia antecedens.

SUMMARIUM.

Quando media deficiunt adjunctorum, tunc recurrendum ad ædificandam novam Parochiam, n. 1.

Recensentur causæ ad erectionem novæ Parochiæ, n. 2.

An quando Parochia est intra mœnia Civitatis, cujus fores clauduntur, & Parochiani sunt foris, tunc sit causa erigendi novam Parochiam. Affirmant aliqui, n. 3.

Explicatur doctrina Lapi, num. 4. *Non admittitur illorum Doctorum sententia, sed occurritur per Oratorium, num.* 5.

Quando forenses albis vestiuntur, & nolunt civitatem intrare ad Missam audiendam, an sit causa erigendi novam Parochiam. Aliqui affirmant, n. 6.

Sed distinguitur, n. 7. *Fit quædam consideratio in casu Cardinalis de Mendoza, n.* 8. & *ibidem sanctum consilium præstatur.*

Admittitur doctrina illorum Doctorum, si longè distent, nu. 9.

Si fluvius grandis extet medius inter Parochianos, est causa ad erigendam novam parochiam, n. 10.

Arbitrio Episcopi relinquitur examinare hanc causam, nu. 11.

An detur appellatio à Decreto Episcopi declarante, esse necessariam erectionem novæ parochiæ; prima sententia negat, n. 12.

Supremus Princeps potest tollere appellationem, ibid.

Secunda sententia affirmat esse credendum, nisi procedat Episcopus in visitatione, n. 13.

Quælibet clausula tollens appellationem, est odiosa, & apposita in exequutione nihil operatur in causa principali, ibid.

In hac specie extra visitationem si appellatio non est frivola, semper admittenda, & comprobatur, n. 14.

Explicatur cap. Ad audientiam 3. de Ecclesiis ædificand. & *Concilium* sess. 21. de reform. cap. 7. *n.* 14. & 15.

Lex nova confirmans antiquam, intelligitur cum suis ampliationibus, & limitationibus, n. 16.

Clausulam, Remota appellatione, *aliqui intelligunt de probabili, alteri tantum de frivola, n.* 17.

Nisi quando apponitur cum cognitione causæ, ibid.

Quando Episcopus visitans decreverit novam parochiam esse erigendam, aliqui asserunt, non esse deferendum appellationi, n. 18.

Sed contrarium defenditur, à n. 19.

Appellatio non admittitur in visitatione pro correctione morum, quando de plano constet, esse necessariam, & tunc etiam admittitur, si visitator excedat, ibid.

An ad erectionem novæ parochiæ requiratur assensus Rectoris; prima sententia affirmat, n. 20.

Secunda negat, n. 21.

Tertia dicit, invito Rectore esse necessarium consensum Pontificis, n. 22.

Admittitur prima sententia causa certa, & probata existente, n. 23. *Fit instantia, n.* 24.

An

An quando Episcopus procedit ex Decreto Tridentini, intelligendus sit procedere ut delegatus, an ut Ordinarius, de quo remissivè: in specie tamen procedit ut Delegatus, nu. 25.

Fit instantia, & respondetur, n.26.

Aliqui asserunt, quando causa deficit, esse necessarium consensum Rectoris, n.27.

Sed defenditur contrarium, n.28.

Dismembratio fructuum nequit fieri ab Episcopo, & quando fit, est ex causa necessaria, & præcisa, & alia notantur requisita, ibid.

An ad erectionem novæ parochiæ requiratur consensus populi. Affirmavit Riccius, sed non admittitur, n.29.

Si Ecclesia Matrix sit subjecta Regularibus, an possit Episcopus intra limites illius aliam erigere. Negandum videtur; sed affirmatur, n.30.

Etiamsi Ecclesiæ sint ordinum Militarium, ibid.

Cùm nova parochia ædificatur, creatur novus Rector, & sunt ei designanda alimenta: Sed an ad id sint designandæ Decimæ, n.31. & 32.

Affirmativè respondetur, n.33.

Et explicatur textus in cap. quicumque 44. & *textus* in cap. Ecclesiæ 43. 16. qu. 1. *ibid.*

Ordo assignandi hanc congruam in fructibus, in oblationibus, obventionibus, & primitiis, n.34.

Quando hæc non sufficiunt, deveniendum ad Decimas, etiam prædiales, si aliter nequit provideri, n.35.

Si Ecclesia Matrix non habuerit bona, nec decimas, populus tenetur contribuere, n.36.

Si populus est pauper, providendum ab Abbate, cui Matrix Ecclesia subjicitur, vel à mensa Episcopi, n.37.

An quando Ecclesia Cathedralis, vel Collegialis habet curam, possit Episcopus unire aliquem Canonicatum ad Rectorem novæ parochiæ. Negavit Fagnanus, numero 38.

Explicatur Fagnanus, à n.39.

Et datur casus, quo id fieri possit, n.40.

Explicatur Tridentinum sess. 21. de Reformat. cap. 4. *numer. 41.*

Et ex qua potestate id fieri possit ab Episcopo, n.42.

Diminutio Canonicatuum ex causa gravissima potest fieri ab Episcopo, ibid.

Et hæc unio proculdubio facienda, quando aliter de congrua novus Rector provideri non valet, n.43.

Si vero aliquo modo ex dictis congrua ista nequit assignari, tunc novus Rector constituendus, ut ex proprio labore vivat, ut tenet Fagnanus. Sed adhuc in hoc casu ex aliis Ecclesiis divitibus poterit Episcopus aliquid extrahere, & quæsitores facere eleemosynarum, vel unum Parochianum ordinare, ut proprio patrimonio adjutus deserviat, nu. 44.

Ad erigendam novam Parochiam populus debet habere decem personas, n.45.

Deinde est necessaria citatio Rectoris principalis Ecclesiæ, & Patronorum, si non sit libera, & aliorum interesse habentium, n.46.

Rursus antiquus Rector relinquendus cum congrua decenti, nu. 47.

Et deferendus honor Matrici ex jure speciali, prout ibi explicatur, n.48.

Et ei relinquitur jus patronatus, n.49.

An si Ecclesia Matrix nihil contulerit ad novam Parochiam adhuc retineat jus patronatus. Prima sententia affirmat, nu. 50.

Secunda negat, n.51.

Jus patronatus acquiritur tribus modis, fundatione, constructione, vel dotatione, ibid.

Tertia sententia asserit, nullum jus patronatus relinqui antiquæ Ecclesiæ, nisi nova annexa relinquatur, nu. 52.

Quando nova Parochia annexa remanet cum antiqua, hæc ultima sententia est certa, n.53. Si fuerit facta concordia, illa observanda, n.54.

Si verò nulla adsit concordia, & aliquis etiam privatus pro parte dotaverit, aut fundaverit, duo erunt Patroni, Ecclesia antiqua, & privatus, nu.55. Si verò Ecclesia antiqua dotationem, & alia fecerit, tunc erit sola Patrona, n.56.

Si nihil contulerit, nisi Parochianos, & illorum obventiones, erit Patrona; secus si nec has obventiones, n.58. Fit instantia, & respondetur, n.59. Fit Replica & datur responsum, nu.60. & ibi explicatur caput Ad audientiam 3. de Ecclesiis ædificand.

De jure communi Episcopus non sufficit ad novam Parochiam, sed requiritur consensus Capituli. Secus hodie ex Tridentino, n.61.

QUando ita media deficiunt, ut nec per Adjutores, vel Religiosos recta administratio Sacramentorum suppleri valeat, sed pabulum spirituale populo deficiat, recurrendum est ad construendam, & ædificandam novam Parochiam, quæ erigenda est etiam cum præjudicio matricis, *ex d. c. ad audientiam 3. de Ecclesiis ædificand.* Trident. *sess. 21. de reform. c. 4.* In quo quidem casu causa necessaria est, ut diximus *cap. 3. num. 25.* & non quælibet, sed illa, cui alio modo occurri non valet, nisi erecta nova Parochia. Barbosa *de universo jur. lib. 2. c. 2. num. 8.* & *d. nu. 25.* Valensis *in parat. ad tit. de Ecclesiis ædificand. §. 1. nu. 6.* 1

Quamobrem ad praxim sunt aliquæ causæ considerandæ. Prima quando Parochiani longè distant à Parochia Matrice, ad quam nequeunt venire, nisi cum gravi incommodo, propter nives, aut urgentes pluvias, prout est textus *in d. c. ad audientiam.* Lapus *alleg. 66. nn. 2.* Quoad verò distantiam non sufficit quælibet, sed ea duntaxat, quæ præbet difficultatem cum magno incommodo Parochianis ad officia divina, & Sacramenta percipienda, arbitrio Episcopi. Rota *divers. 2. p. dec. 204. n. 2. & 1. p. rec. dec. 745. n. 2.* Lotterius *de re benefic. lib. 1. q. 28. n. 27.* Barbosa *d. c. 2. nu. 8.* Fagnanus *in c. ad audientiam n. 18.* Palao *tom. 2. disp. 6. punct. 9. §. 10. n. 4.* 2

Est tamen examinandus casus, an quando Parochia antiqua est intra mœnia civitatis, ad quam de noctu non patet accessus, quia portæ clauduntur, & comitatenses foris relinquuntur, tunc sit causa sufficiens, ut nova erigatur Parochia, & construatur? Et affirmant aliqui *ex dict. c. ad audientiam 3.* ubi ob incommodum grave Parochianorum novam construi Parochiam conceditur. Cùm ergo in præsentiarum grave incommodum sit Parochianorum de noctu portas claudi civitatis, itaut difficillimè aperiantur in necessitatibus ad recipienda Sacramenta, inde est, ut nova Parochia possit construi. Et confirmatur, quia possunt evenire repentinæ necessitates, ut quotidiè eveniunt etiam in oppidulis: quamobrem grave incommodum erit animarum, dum tanto bono privantur, causa quidem sufficiens, ut nova erigatur Parochia. Lapus *dict. alleg. 66. nu. 2.* Vveyms *d. const. 19. à nu. 13.* Lotterius *de re benefic. lib. 1. qu. 28. nu. 26.* Barbosa *ad Concilium, dict. sess. 21. c. 4. n. 7. & de offic. Episcop. 3. p. alleg. 68. n. 1.* Fagnanus *ubi sup. num. 20.* 3

Verum in hac doctrina animadvertendum, Doctores sequutos fuisse doctrinam Lapi sine sufficienti examine. Lapus enim in illa allegatione ex duabus causis asserit, novam Parochiam esse construendam, nempe quia portæ civitatis difficilè de nocte aperiebantur, tum parochiani in suburbano degentes vilibus vestibus induebantur, & ad Parochiam accedebant cives fulgentibus ornamentis vestiti, itaut pauperes illi rustici à divinis audiendis, & recipiendis avocarentur: ex quibus asserit, novam Parochiam esse erigendam, & dat rationem, quia istæ duæ causæ sunt continuæ, & in grave incommodum Parochianorum. Quapropter intrat decisio dicti capitis *ad audientiam 3. de Ecclesiis ædificandis.* Non verò asserit, quod sola causa, quod de nocte portæ civitatis claudantur, per se sit causa sufficiens ad novam Parochiam constituendam, prout asserunt DD. alii absolutè tenentes illam sententiam. 4

Unde in hac specie assero, non esse causam sufficientem, ut nova Parochia erigatur. Ratio enim est; nam quando non adest nisi incommodum non aperiendi de noctu portas civitatis, illi facillimo modo occurritur erigendo Oratorium cum Ministro & Eucharistia, sacrisque Oleis, ut de noctu occurratur similibus necessitatibus, unde causa illa per se non est sufficiens ad novam Parochiam erigendam; quia ut diximus; quoties in loco per Oratorium necessitati Parochianorum subvenitur, nequit erigi nova Parochia. Menochius *cons. 477. n. 9.* Costa *de remed. subsid. remed. 76.* Ast in hac necessitate sufficienter occurritur per Oratorium. Ergo nequit construi nova Parochia. 5

Al-

6 Altera verò cauſa, ſi cum iſta adjungatur, admittenda eſt doctrina Lapi, & ſequacium. Sed quid ſi hæc ſecunda tantum adſit, quod multoties evenit, & adhuc in eodem populo, & villa; prout in hac Colmeranenſi, ubi qui pauperes ſunt, & longè à Parochia degunt, miſerabiles ſunt, itaſt algis viliſſimis induantur, & ob diverſitatem conditionis, & fortunæ maximè ad Parochiam venire timent, ne aliis melioris conditionis ludibrio, vel riſui habeantur. In hoc ergo caſu aſſerunt DD. eſſe cauſam ſufficientem erigendi novam Parochiam. Ratio, nam pauperes iſti ruſticani graviſſimo incommodo veniunt ad Parochiam, præcipuè in diebus ſolemnioribus, quibus Fideles veſtibus melioribus induuntur. Hanc ob rem pauperes iſti à Divinis retrahuntur, & niſi cum magna verecundia non veniunt, ob aliorum cochinnationem. Rota apud Tamburinum *de jure Abbatum tom.* 1. 3. *p. dec.* 33. *à n.* 3. Barboſa *ad Concilium, dict. ſeſſ.* 21. *c.* 4. *n.* 7.

7 Verùm in re, ſi hæc cauſa eveniat in eodem populo, prout in iſto evenit, neceſſaria non eſt nova Parochia, ſed tantum Oratorium cum Miniſtro, & ſacramentorum adminiſtratione; cùm enim omnia ſint intra mœnia, facilè iſtis occurritur per Adjutorium Parochiæ: in præſenti in hac inſigni villa occurritur per Eremitorium Sancti Franciſci, à Signifero Franciſco Palacios conſtructum, ubi duos Capellanos dotavit, ut ibidem Miſſa quotidie celebretur, ubi etiam doctrina Chriſtiana docetur, & aliquando ſacris Concionibus erudiuntur, ut pauperes illi pabulum ſpirituale percipiant; & in Conventu S. Franciſci Diſcalceatorum aſſiduè confitentur, & ſacram Synaxim recipiunt, quo ſimili neceſſitati occurritur; hæc enim à tempore Philippi II. Hiſpaniarum Regis ita ſtatuta ſunt.

8 Quapropter mirabar, quomodò antea, dum villa iſta amplius quàm duos mille vicinos habebat, Eminentiſſimus Dominus D. Petrus Gonzalez de Mendoza, S. Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, vir inſignis pietatis & prudentiæ, tertia parte detracta à Beneficio Parochiali, non ſolùm in fructibus, ſed in primitiis, eam adjacerit ſuo Collegio S. Crucis Valliſoletano, relicta hac villa cum tanto numero vicinorum, abſque ſufficienti cura, & ſine Parochiæ Adjutorio, ſeu Oratorio, unde Sacramenta perciperent, & commodè Sacra audirent. Cauſas verò non examino, ſemper enim obſervare decrevi præceptum S. Joannis Climaci *gradu* 4. *fol. mihi* 20. ita traditum: *Cùm tibi cogitatio ſuggeſſerit, ut Prælatum aut dijudices, aut damnes, ad ea non ſecus quam à fornicatione deſili, neque prorſus huic ſerpenti requiem præſtes, non locum, non ingreſſum, non initium. Loquere ad hujuſmodi draconem, atque eum his verbis inceſſe: O malignißime ſeductor, non ego ducem meum judicandum ſuſcepi; ſed ille me: non ego illius, ſed ille mei judex eſt.* Conſulerem tamen, ut omnes Prælati nullo modo fructus deputatos ad curam animarum agendam ad alia divertant, nec ad fundationes (ut etiam alibi dicam;) ſed illi abſque aliqua deductione in hac inſigniſſima cura expendantur, ſi pauci ſunt, quia neceſſarii; ſi verò pingues, ut meliores ſint Miniſtri, & majori diligentia, labore, & commoditate animæ Fidelium ſerviantur; magis enim intereſt una anima, quàm mille Collegia litteratorum. In Eccleſia quid intereſt creare, nutrire, & erudire legum profeſſores, ut poſtea aſcendant ad Audientias Regales, ubi profanę cauſę dirimuntur; & quod magis eſt, redditibus Eccleſiaſticis erudiuntur Togati quam multi, qui parum de hac re curantes, multa diſformia Sacris Canonibus ſcripſerunt, & ſcribunt, & executioni mandant. Quapropter magnis ſingultibus queritur Eccleſia apud Iſaiam *c.* 1. ſic: *Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Unde prius eſt animarum curam proſpicere, deinde alia Eccleſiæ bona, ne patrimonium Chriſti adversùs ipſum Dominum in Collegiis Litteratorum expendatur.

9 Si verò Ruſticani iſti pauperes extra in loco diſtanti degant, in quo nequit principalis Parochus duabus Eccleſiis attendere; adſitque difficultas altera, nempe ut propter verecundiam Parochiani illi nequeant accedere ad Eccleſiam matricem; tunc rectè poterit Epiſcopus novam Parochiam creare. Ratio eſt, nam hæc cauſa, ſimul cum difficultate exiſtente, ut Parochus principalis nequeat facilè curare de Oratorio, præſtat ſufficientem cauſam creandi novam Parochiam, etiamſi diſtantia tam gravis non ſit, prout quando fuiſſet cauſa ipſa ſola.

10 Cæterùm eſt cauſa ſufficiens ad creandam novam Parochiam, ſi fluvius extet medius inter Parochiam, & alios Parochianos ultra habitantes; ſi tamen flumen ſæpè exundans ita iter perfrangat, vel obſideat, ut aliquando infirmi moriantur abſque Sacramentis, & magno incommodo Parochiani ad Parochiam principalem accedant, ut dictat ipſa ratio. Textus eſt *in d. cap. Ad audientiam* 3. ubi Gloſſa *verbo Magna difficultate*: & tenuit Rota relata & ſequuta à Lotterio *dict. quæſt.* 28. *num.* 27. Barboſa *de offic. Epiſcopi*, 3. *p. allegat.* 68. *nu.* 1. Fagnanus *in dict. cap. ad Audientiam num.* 19.

Illud verò non obliviſcendum, arbitrio Epiſcopi relictum eſſe conſiderare, quæ ſit cauſa ſufficiens ad novam Parochiam erigendam, nam ut advertit Lotterius *d. quæſt.* 28. *n.* 29 non quælibet diſtantia, nec Eccleſiæ anguſtia, reputanda eſt juſta cauſa, ſed quæ gravis & evidens ſit, *cap.* 1. *de reb. Eccleſiæ non alien. in* 6. ad quam penſandam evidentiam arbitrium erit Epiſcopi, qui perpenſis omnibus circumſtantiis; gravem, & evidentem, cauſa cognita, definiat. Gloſſ. *in cap. ult.* 8. *diſt.* Menochius *de arbitrariis*, *lib.* 2. *cent.* 5. *caſu* 497. Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. de erect. curat. num.* 9. Riccius *in Praxi for. deciſ.* 554. *num.* 6. Barboſa *dict. allegat.* 68. *num.* 2. *& ad Concilium dict. cap.* 4. *numer.* 8. 11

Eſt tamen neceſſariò diſquirendum, an à Decreto Epiſcopi declarante novam Parochiam eſſe erigendam ob cauſam à ſe cognitam, & arbitratam, detur appellatio. Prima ſententia aſſerit, minimè appellationem eſſe concedendam, ex deciſione textus *in d. cap. Ad audientiam* 3. *de Eccleſiis ædificandis*, ubi in ſpecie aſſerit, novam Parochiam eſſe conſtruendam, juſtis cauſis ibidem recenſitis exiſtentibus, *ſublato appellationis obſtaculo*: quæ quidem clauſula cùm ſit poſita à Supremo Principe, nempè à Papa, ſortitur effectum, ut cauſa, non obſtante appellatione, exequutioni mandetur abſque periculo attentati. Guido Papæ *deciſ.* 23. *num.* 3. Pariſius *conſ.* 208. *nu.* 16. *vol.* 1. Vantius *de nullitate, tit. quando & intra quod tempus, n.* 48. *& de nullitate ex defectu juriſdictionis, num.* 142. Barboſa *clauſula* 9. *nu.* 10. Ergo in præſentiarum minimè eſt admittenda appellatio. Cæterùm probatur ex Concilio Tridentino *d. cap.* 4. ubi aſſeritur, in ſpecie novam erectionem, ſeu conſtructionem Parochię impediendam non eſſe ex quibuſcumque proviſionibus, etiam vigore reſignationis, aut quibuſcunque aliis derogationibus, vel ſuſpenſionibus. Unde patet, concilium celerem in ſpecie deſiderare exequutionem in erectione novę Parochiæ, itaut nullo modo impediatur per quamlibet ſuſpenſionem: quamobrem intelligendum, noluiſſe admittere appellationem, ſaltem quoad effectum ſuſpenſivum, licet quoad devolutivum concedat. Denique licet Concilium ſuſpenſionem non interdiceret, nec aliquo modo appellationem, tamen in ſpecie ibidem ſubauditur interdicta; nam eſt lex, & decretum novum confirmans, & approbans jus antiquum, nempe textum *in d. c. ad Audientiam*, quo quidem caſu ſuſcipit omnes ampliationes, & reſtrictione juris antiqui, *l. ſciendum, ff. qui ſatiſdar. cogant.* ubi Gloſſ. *verbo Communiter probata*, *l. Hac conſultiſſima, C. qui teſtam. facere poſſ.* ubi Gloſſ. 3. Gregorius *in l.* 7. *tit.* 13. *p.* 6. *gloſſ.* 9. Covarr. *in rub. de teſtam.* 2. *p. n.* 19. Guttierrez *Pract. lib.* 4. *quæſt.* 1. *n.* 4. Menchaca *de ſucceſſ.* § 3. *nu.* 10. Sed *in d. cap. Ad audientiam*, removetur appellatio. Ergo etiam in Decreto Tridentini, *d. cap.* 4. Tenent Abbas *in d. cap. Ad audientiam*, *n.* 12. Præpoſitus *n.* 6. Fagnanus *n.* 12. Salgado *de Regia Protect.* 3. *par. cap.* 5. *à num.* 34. Palao *Oper. Moral. tom.* 2. *tractat.* 13. *diſput.* 6. *punct.* 9. §. 10. *num.* 6. 12

Secunda ſententia aſſerit, ab hoc Decreto appellari poſſe ad Sommum Pontificem, quia in conſtructione novæ Parochiæ procedit Epiſcopus tanquã delegatus Sedis Apoſtolicæ, niſi procedat Epiſcopus in viſitatione, præcipuè abſque figura judicii; nam tunc non admittitur appellatio, ſaltem quoad effectum ſuſpenſivum, ex Trident. *ſeſſ.* 21. *de Reformat. cap.* 7. *& ſeſſ.* 24. *cap.* 10. Henriquez *conſ.* 80. *nu.* 16. Marius Antonius *lib.* 1. *reſolut.* 85. *numer.* 10. *& reſolut.* 110. *num.* 4. Salgado *de Protect.* 2. *p. cap.* 15. *à nu.* 54. Ducitur, nam quælibet clauſula tollens appellationem, odioſa eſt, & maximè reſtringenda, ut cum Baldo docet Barboſa *dict. clauſula* 9. *num.* 6. Marcheſanus *de commiſſ.* 1. *p. cap.* 29. *nu.* 95. Quamobrem cum *in d. cap. Ad audientiam*, ponatur in ſingulari ſpecie, nempe quando nimia eſt diſtantia locorum, quæ patens, & evidens eſt, non eſt extendenda 13

clau-

clausula illa ad alios casus, in quibus aliquod dubium adesse valet; idcircò, si ex aliis causis non ita evidentibus appellatio interponatur, erit admittenda quoad utrumque effectum. Præterea clausula, *Sublato appellationis obstaculo, in d. cap. Ad audientiam*, apposita est in exequutione, de qua loquitur textus ille; quando enim in exequutione removetur appellatio, nihil operatur quoad causam principalem, quin potiùs circa ipsam conceditur appellatio, & Judex non excusatur ab attentatis, Puteus *lib.1. decis.177. nu.2.* Caputaquensis *lib.1. decis.83. n.3.* Tum etiam, quia nihil operatur, nisi quoad resistentes de facto, non verò de jure, ut cum Marchesano tenet Barbosa *d. clausula 9. nu.16.* Gratianus *discept. tom.1. cap 41. num.19.* Ergo in præsentia quoties justa erit causa appellationis, & non frivola, admittenda est ad Summum Pontificem. Riccius *d. dec. 554. n.5.* Barbosa *ad Concilium, d.sess.21.c.4.n.8. & alleg.67. n.3.*

14 In hoc dubio duobus modis quæstio ista est examinanda. Primò, quando ageretur de erigenda nova Parochia extra visitationem: secundo quando in visitatione de hoc tractaretur. Et quoad primum assero, ad dismembrationem fructuum, & insimul ad erigendam cum illis novam Parochiam, gravissimam causam esse necessariam, & quod aliter necessitati occurri non valeat: quamobrem assertioni partium standum non est, nec Episcopi; nec alterius dismembrationem authorizantis; sed debet dispositivè de ea constare ex processu diligenter desuper facto, non tamen nimis scrupuloso, sed tali ex quo sufficienter constet veritas causæ, & necessitatis. Lapus *alleg.66. n.1. vers. Quæritur*. Lotterius *d. lib.1. quæst.28. à n.33.* Unde sequitur, causam istam gravem esse, requirentem diligentem indaginem, ex eo quod grave præjudicium irrogare valet Ecclesiæ matrici, tam in decimis, quam in oblationibus, & aliis proventibus: tum etiam Rectoribus illius, à quibus jura Parochialia auferuntur, & aliis conceduntur. Quamobrem assero, quod si frivola non appareat appellatio, semper sit admittenda quoad utrumque effectum. Id probo; nam licet caput *Ad audientiam*, clausulam ponat, *Remoto obstaculo appellationis*, non tamen ponitur in Decreto Tridentini, cui hodie standum est. Ergo minimè est deneganda appellatio quoad utrumque effectum. Confirmatur, nam Concilium omnibus modis curat tollere impedimenta ad erectionem novæ Parochiæ, necessitate instante; quapropter tollit omnes resignationes, reservationes, seu suspensiones; non tamen removet appellationem. Ergo rectè cognoscitur, in re tam gravi noluisse removere appellationem aliàs si voluisset hoc tolli impedimentum, expessisset, prout aliàs expressit, *l. si servum 71. §. non dixit, ff. de acquir. hæred. l. illam 19. C. de collat. cap. Inter corporalia 2. de translat. Episcopi*, ibi: *Unde si circa translationem idem fieri voluisset, quod cessione dixerat, de translatione poterat expressisse*. Surdus *cons.347. num.15.* Cæterùm clausula, *Remota appellatione*, valdè exorbitat à jure, ut jam diximus, nec aliquo modo expressa censetur, nisi quando clarè ponitur, vel ita æquivalenter, ut clarè constet, voluisse Principem supremum, absque aliqua dilatione sententiam exequutioni mandari, prout sunt aliquæ clausulæ valentes idem, ac si illa apponeretur, *Appellatione remota*, utpote si dicat, *Sententia lata mittatur exequutioni:* vel, *Sententia sortiatur effectum suum*: aut, *Non possit contradicere*: seu, *Sit remota omnis contradictio*: *Nulla exceptione, vel oppositione obstante*: *Remota sit omnis querela*: vel, *Non possit querelari*: *Non admittatur ejus defensio*, vel alia similia demonstrantia Principem appellationem removere. De quibus videndus Salgado *de Regia Protect.2.p.c.8. à nu.104.* Pareja *de edit. instrument. tit.2. resolut.6. n.314.* Scaccia *de Appellat.quæst. 17 limit.1. à n.36.* Gonzalez *ad Regul.8. gloss.9. in annotat. sub n.128.* Sed Concilium non utitur his clausulis. Ergo nec voluit tollere appellationem in causis erigendi novam Parochiam.

15 Sed dices, Concilium tollere quamlibet suspensionem: Ergo aufert appellationem. Et probatur consequentia, nam appellatio est suspensio sententiæ, donec à Superiore cognoscatur, an rectè inferior judicaverit, necne: *cap.1. de appellat. l.1. tit.22. p.3.* Figueroa *de jure adhærend. c.1.* Donellus *lib.28 comment. cap.4* Bobadilla *in Polit. lib.3. c.8. n.184.* Pareja *de Instrum. edit. tit.3. resol.1. nu.4.* Pellegrinus *Prax. Vicar. p.3. sect.2. n.2.* Sed tamen hæc objectio facilè responsum recipit; nam hoc verbum *Suspensio*, nomen est generale, comprehendit enim quamlibet dilationem, seu moram temporis, censuram, & alia quamplurima: quamobrem nequit præcisè intelligi de suspensione illa, quæ includitur in appellatione: quoties enim per clausulam tacitam removenda est appellatio, itaut æquivalens sit, debet esse concludens, & de qua constet, voluisse Principem omninò appellationem removere, ut patet ex clausulis nuperrimè relatis. Cùm ergo per suspensionem id non concludatur, consequens est, per concilium non tolli appellationem.

Rursus probatur, nam quamvis lex nova, confirmans 16
antiquam, intelligatur cum suis ampliationibus, & limitationibus, *l. Sed & posterior 28. ff. de legibus*, ubi Oroscius *num.12. & in l.1. ff. de Constit. Princip. num.33.* ubi etiam Jason. *nu.16* Mexia *ad l. Reg. Tolet. in 6. fundament.2. par. nu.18.* Vela *dissertat.5. nu.8. & dissert.9. num.19.* Valenzuela *cons.23. n.65.* Attamen textus *in d.cap. Ad audientiam*, recipit interperamentum, nempe quando distantia locorum est nimia, & evidens, quo casu tota cognitio causæ pendet ab oculorum inspectione, quæ est optima hujus casus decisio, ut benè considerat Lapus *dict. alleg.66. n.6. vers. Nam quæstio*. Quamobrem quælibet appellatio relinquebatur frivola, & non admittenda, *ex c.15. & 53. de appellat.* Gomez. *var. tom.3. c.1. nu.47.* latè Salgado *Reg. Protect. cap.6. & 17. p.3.* Vela *dissert.41.n.6.* Menochius *de Arb. lib. 2. c.197.* Unde licèt Concilium confirmet illam decretalem, solùm in eo casu confirmat, non verò in aliis distinctis, in quibus nec loquitur, nec dicitur. Vela *d. dissert.9. nu.18.* Ergo in aliis casibus semper est admittenda appellatio, quando erigitur nova Parochia intra limites antiquæ.

Denique clausula, *Remota appellatione*, licèt aliqui di- 17
cant operari ultrà quando appellatio sit frivola, tollereque appellationem quoad effectum suspensivum, licèt appellatio non frivola, sed probabilis sit, Hunnius *in Comment. ad Treutlerium, vol.2. disp.33. ref.4. qu.31.* Attamen contrarium est admittendum ex communi sententia asserente, hanc clausulam nihil operari, nisi quando appellatio est frivola; nec enim alio modo valet intelligi absque magno periculo irrogandi gravissimam injuriam litigantibus. Scaccia *de appellat qu.16. limit.1. n.93.* Gratianus *d.c.41. n.18.* Cenedo *Can. lib.1. qu.45. à n.43* Diana *9. p. tract.7. res.28.* Pellegrinus *d.3. p. sect. 1. n.15. vers. Quod.* Nisi quando apponitur cum cognitione causæ, nam tum quælibet appellatio præsumeretur frivola. Barbosa *d. clausula 9. n.15.* Ergo in præsentiarum, quotiescumque appellatio non apparet frivola, semper est concedenda.

In secundo casu, quando Episcopus visitans aliam Paro- 18
chiam erigere tentaverit intra limites alterius, Riccius & Barbosa, relati pro secunda sententia num.13. asserunt minimè appellationi deferendum; nam in causis visitationis non admittitur appellatio *cap. An nostram 3. cap. Reprehensibilis 36. in fin. cap. Cum speciali 61. in fine, de appellat. cap. Licet 12. de Offic. Ordin.* Hanc ob rem licet causa ista per se sit appellabilis, respectu tamen visitationis appellabilis non est: Ergo in casu visitationis in hac causa appellatio admittenda non est.

Sed teneo contrarium, nam causa ista erigendi novam 19
Parochiam intra limites alterius, de sua natura appellabilis est, ob grave præjudicium, quod valet inferri Ecclesiæ Matrici, & ejus Rectori; nec aliquo modo repellenda, nisi quando frivola apparet. Ergo ex circumstantia visitationis nequit fieri inappellabilis. Confirmatur, nam ex eo quod procedatur in hac causa in visitatione, non aufertur periculum illud irrogandi præjudicium relatum, quin potius majus adest, cùm ibi ferè semper procedatur breviter, & summariè, cùm majori periculo errandi. Ergo à fortiori debet esse in visitatione causa ista appellabilis. Cæterùm fundamentum contrariorum parvi est ponderis, nam jura illa agunt, quando in visitatione proceditur ad morum correctionem, quo quidem casu appellatio non admittitur quoad effectum suspensivum, quando de plano constat de necessitate corrigendi. Pellegrinus *d.3. p. sect.1. n.15. casu 65.* licèt admittatur, si visitator modum excedat. Navarrus *cons.2. de appell.* Salgado *de Regia Protect.4. par. c.2.n. 17.* Barbosa *in cap. Ad nostram 3. de Appellat. nu.2.* Ast verò Nos agimus de erigenda nova Parochia intra limites alterius, cum gravi causæ cognitione, & cum periculo gravandi Ecclesiam Matricem, ac ejus Rectorem. Ergo etiam

in

in viſitatione admittenda eſt appellatio in hac cauſa, ex traditis à Salgado *de protect. 2.p. c.15 à n.64.* quod quidem ita eſt intelligendum, niſi quando de plano conſtaret de neceſſitate erigendi novam Parochiam, & ita neceſſitas, & cauſa ſit notoria, ut appellatio frivola appareret, quo in ſenſu intelligendus eſt textus *in d. cap. Ad audientium 3. de Eccleſiis ædificand.*

20 Cæterum ad erectionem novæ Parochiæ intra limites alterius, diſquirendum an Rectoris requiratur aſſenſus. Prima ſententia docet, eſſe neceſſarium. Ducitur, nam in hac erectione agitur de gravi præjudicio illius, non ſolùm quoad intereſſe fructuum & oblationum, ſed etiam honoris, cùm de his plurimùm ei detrahatur. Ergo neceſſarius eſt ejus aſſenſus, nec eo invito poterit procedi ad erectionem. Cæterum jura id concedentia, intelliguntur abſque præjudicio Rectoris, ſcilicet poſſidentis, ut declaravit Sacra Congregatio apud Piaſecium *in Praxi Epiſcop. 1.p. cap. 5. n.1.* Ergo ſi ipſe non præſtet conſenſum, minimè poterit Epiſcopus procedere ad erectionem novæ Parochiæ intra limites alterius. Tenent Abbas *in d. cap. Ad audientiam 3. nu.16.* Rebuffus *tit. de erect. in Curat. n.4.* Azorius *inſt. Mor. 2.p. lib.3. cap.12. q.7.*

21 Secunda ſententia tenet contrarium ex Decreto Tridentini *d. ſeſſ.21. cap.4. ibi: Etiam invitis Rectoribus.* Unde cognoſcitur, tam longè eſſe, ut requiratur conſenſus Rectoris ad erectionem novæ Parochiæ, ut etiam renuentibus Rectoribus ab Epiſcopo erigi poſſit. Cæterum ratione probatur, nam quando adeſt neceſſitas Parochianorum ad adminiſtrationem ſacramentorum, & ut audiant Divina, tunc Rector irrationabiliter eſt invitus, ſi conſenſum non præſtet. Ergo eo invito poterit erigere, & conſtruere novam Parochiam. Riccius *d. reſ. 554. nu. 4.* ubi tenet id ex Decreto Tridentini. Valenſis *in Paratitl. ad tit. de Eccleſiis ædificand. §.1. n.6.* Palao *Oper. Mor. tom.2. tract. 13. diſp.6. punct.9. §.10. n.5.* Fagnanus *in cap. Ad audientiam, nu.11.* Barboſa *ad Concilium, d. cap.4. nu.11. & allcg. 67. nu.4.* Petrus Gregorius *de re benefic. cap.12. nu.4.* Lapus *d. alleg. 76. num.3.*

22 Tertia ſententia eſt gloſſæ ultimæ *in cap.2. diſt.99.* dicentis, invito Rectore nequire fieri erectionem novæ Parochiæ abſque conſenſu Papæ, & idem tenere videtur Gloſſa *in d.c. Ad audientiam, verbo Obventiones.* Ratio enim eſt, nam auferre jus quæſitum parti, prout Eccleſiæ Matrici, & illius Rectori, nequit fieri, niſi ex legitima cauſa, & à ſupremo Principe, ut diximus *lib.1. cap.fin. à n. 3.* Molina *de Primog. lib.4 cap.3. nu. 21.* quamobrem ſemper erit neceſſarius conſenſus Summi Pontificis, ut poſſit Epiſcopus invito Rectore aliam novam Parochiam erigere.

23 In re tamen dicendum, duobus modis eſſe explicandam hanc difficultatem. Primò, quando cauſa ſubſit neceſſaria ad erigendam novam Parochiam, & legitimè probata, aut per teſtes, aut per aſpectum oculorum, quæ eſt optima probatio, prout illa, quæ fit ex evidentia facti. Tondutus *lib.1. quæſt.50. nu. 22.* Matheu *de re crimin. controv. 61. n.22. & à n.32.* & tunc etiam invitis, & reluctantibus Rectoribus, poterit Epiſcopus procedere ex vi Decreti Tridentini ad erectionem novæ Parochiæ intra limites alterius, etiam cum præjudicio illius. Ratio eſt, nam tunc ſubeſt cauſa, tum & Poteſtas, etiam Supremi Præſulis, quam concedit Concilium, nominando Epiſcopos ad erectionem novæ Parochiæ, utpote Sedis Apoſtolicæ delegatos, ut patet ex Concilio. Ergo rectè poterunt, etiam invitis Rectoribus, cauſa ſubſiſtente certa, & probata, illam erigere. Cæterum, jura illa Parochialis Eccleſiæ conceſſa ſunt ad legitimam adminiſtrationem Sacramentorum: tum ut Parochiani ſpirituali pabulo paſcantur. Ergo quoties ſubeſt cauſa certa, & probata neceſſitatis adminiſtrationis, & pabuli ſpiritualis, etiam reluctante Rectore, poterunt novæ Parochiæ conſtrui, cùm ſub ea conditione jura illa data cenſeantur.

24 Sed dices cum Fagnano *in d. cap. Ad audientiam, nu.46.* Epiſcopi in erectione novarum Parochiarum, etiam ex decreto Tridentini, procedunt de jure proprio, & non tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati; nam eſt diſtinctio, ut quando Concilium decreverit, poſſe procedere ut delegatos Sedis Apoſtolicæ in cauſis ipſis de jure proprio competentibus non poſſint ex alio jure procedere, ſed jure proprio; ſecus verò quando agitur de re omninò exempta ab eorum juriſdictione, utpote contra Regulares; tunc enim procedunt ut purè delegati. Cùm ergo in ſpecie Epiſcopus de jure proprio procedat ad erectionem Parochiæ novæ, licet dicat Concilium poſſe procedere ut delegatum, non eſt intelligendum procedere ut delegatum, ſed jure proprio. Aſt ex jure proprio nequeunt Epiſcopi auferre privatorum jura, etiam cum cauſa, niſi de eorum conſenſu. Ergo nec in præſentia poſſunt, renuente Rectore, novam Parochiam exſtruere, etiam cauſa ſubſiſtente.

In hoc igitur argumento Fagnanus tetigit quæſtionem 25
ſatis controverſam, an quando Epiſcopus procedit tanquam delegatus Sedis Apoſtolicæ, tanquam delegatus procedat, an tantùm tanquam Ordinarius, quia tantùm per clauſulam illam excitatur ſua juriſdictio. De qua latè Cevallos *de cognit.per viam violent. q.15. à n.2.* Salgado *de Reg.protect.2.p. cap.15. & cap.14. à n.3.* Barboſa *de offic. Epiſcopi, 3.par. alleg.92.* Sanchez *de matr. lib.8. diſp.2. n.10.* ubi videndus eſt. Ad rem tamen dicendum, Epiſcopos procedere in ſpecie, ut propriè delegatos, & ratio eſt, nam ut ſcripſit Cevallos *d. q.15. n.7.* quoties ſuperadditur aliquid juriſdictioni ordinariæ ſemper eſt intelligendum procedere ut delegatos, non verò ut Ordinarios excitatos ab illa clauſula. Aſt in ſpecie eſt aliquid, quod non eſt in juriſdictione ordinaria Epiſcopi, nempe auferre jura quæſita Eccleſiæ Parochiali, & ejus Rectori, quod nequit fieri etiam ex cauſa, niſi à Supremo Principe: quamobrem ex commiſſione Pontificis, tanquam delegati, etiam reluctante Rectore, poterunt Epiſcopi novam erigere Parochiam.

Si verò adhuc inſtes, tum procedere Epiſcopos tanquam 26
Ordinarios, ut tenet aliquorum ſententia, quorum retulit fundamenta Barboſa *d. alleg. 92. n.2.* adhuc in illa ſententia dicendum, cauſa exiſtente, poſſe Epiſcopum, renuente Rectore, novam erigere Parochiam; nam licèt procedat ex juriſdictione ordinaria per Decretum Tridentini, elevatur ad illam circumſtantiam, ut poſſit jus tertio quæſitum, nempe Eccleſiæ, ut ejus Rectori, tollere, quia reſpectu illius circumſtantiæ eſt hæc nova poteſtas infuſa in ipſa juriſdictione ordinaria; unde rectè poterit Epiſcopus, cauſa ſubſiſtente, renuente Prælato, ſeu Rectore, novam Parochiam exſtruere.

Si verò cauſa non ſubſit, tunc aſſerunt DD. eſſe neceſſa- 27
rium conſenſum Rectoris, & abſque eo novam Parochiam erigi non valere, ut docet Abbas *in d.c. Ad audientiam, n.16.* Azorius *d. lib 3. cap.12. qu.7.* Riccius *d. dec.554. nu.4.* quia tunc deficiente cauſa nequit invito Rectori præjudicium irrogari, nec Eccleſiæ Matrici.

Sed tamen in hac ſpecie aſſero, quod ſi deficiat legitima 28
cauſa ad novam Parochiam conſtruendam, etiam cum conſenſu Rectoris, nequit fieri erectio ab Epiſcopo. Idque probo, nam ex vi Decreti Tridentini nequit procedere ad novam erectionem Parochiæ, niſi cauſa ſubſiſtente, & probata cum diligenti cognitione. Ergo ſi hæc deficiat, quantumvis accedat conſenſus Rectoris, nequit Epiſcopus procedere ad erectionem illius, ex vi illius Decreti. Cæterùm, in his novis erectionibus includitur diſmembratio fructuum, oblationum, & jurium Parochialium, neceſſariò præſtanda novo Rectori, *d. cap. ad audientiam.* Trident. *d.ſeſſ.21.cap.4.* quod quidem de jure interdictum eſt, *cap. Majoribus 8. cap. Tua 20. de Præbend.* Ergo nequit fieri ab Epiſcopo, etiam conſentiente Rectore. Et confirmo diſcurſum, nam in qualibet diſmembratione requiruntur ſolemnitates juris, prout in alienatione rerum Eccleſiæ. Garcia *de Beneficiis, p.12. cap.3. nu.3.* in qua quidem alienatione cauſa eſt præciſa, & neceſſaria, & evidens utilitas, *cap. 1. de Rebus Eccleſiæ alien. in 6.* Gloſſa *in Clement. Si una, de Rebus Eccleſiæ.* Genuenſis *in Praxi, cap.75. à nu.17.* Rota *diverſ. 2 part.deciſ. 278. nu.1.* Magonius *dec.69. num.4.* Riccius *in Praxi for. 1. edit. dec.12.* Ergo Epiſcopus, etiam cum conſenſu Rectoris, ſi cauſa deficiat, nequibit novam Parochiam erigere: quod quidem in diſmembratione ita admiſſum eſt, ut cauſa non exiſtente corruat, ut in terminis defectus ſervitii tenuit Rota 14. Febr. 1594. quam refert, & ſequitur Garcia *d. cap.3. nu.4.* Lotterius *de re benefic. lib.1.quæſt.28. n.2.cum ſeq.* qui aſſerit, ad diſmembrationem fructuum cauſam requiri, vocationem Rectoris, expreſſionem cauſæ, veritatis tractatum, & alias ſolemnitates ad alienandum res Eccleſiæ requiſitas *ex cap. Sine exceptione 12. quæſt.2.* Rota 2. *pari. recent. dec.288. nu.1.* Ergo & in erectione novæ Parochiæ.

Quoad conſenſum Parochianorum plures, quos refert 29
Ric-

Riccius *d.dec.554 n.6.* tenuerunt, eſſe neceſſarium conſenſum majoris partis, & ſi ſunt plures plebes ſub uno Rectore, aut Curione majoris Eccleſiæ, quæ tamen ſint tanquam corpora ſeparata, debent duæ partes conſentire. Verum hodie admittenda non eſt hæc doctrina ex Decreto Tridentini *in d. c.4.* quod totum relinquit arbitrio Epiſcopi, qui ſi viderit cauſam eſſe urgentem, & neceſſariam, & certam ad novam Parochiam erigendam, etiam invitis Rectoribus, & Parochianis conſtruere poterit, ut tenet ipſe Riccius *d. n.6.* Barboſa *3.p. alleg.67. n.4.*

30 Sed quid ſi Eccleſia Matrix ſit ſubjecta regularibus? An poſſit Epiſcopus intra limites illius aliam erigere, & exſtruere, ratio autem dubitandi ſumitur, quia tunc Parochia illa exempta eſt ab Ordinario, in cujus diſpoſitione nequit aliquid diſponere. Ergo nec eam dividere, aliam exſtruendo. Sed contrarium cenſuit Sacra Congregatio, nempe extendendum Decretum Concilii Tridentini etiam ad Parochias, Regularibus ſubjectas, & eadem Congregatio cenſuit, extendendum etiam in Parochiis Ordinum Militarium. Refert Fagnanus *in d.ad audientiam n.43.* Quod quidem admittendum eſt, concurrentibus omnibus requiſitis ad hanc novam erectionem Parochiæ. Idque optimè extenſum, ne in tam gravibus neceſſitatibus adminiſtrationis Sacramentorum, & quando animæ periclitantur, aliqua mora pervadat. Fagnanus *ubi proximè nu.* 48. qui aſſerit, quod ſi Epiſcopus gravet, tunc appellatio facienda non eſt ad Metropolitanum ſed ad Papam. Leo *in Theſauro, 2.p. cap.2. n.* 69. Barboſa *d. alleg.67. n.6.*

31 Cùm nova Parochia ædificatur, etiam novus Rector, ſeu Parochus eſt inſtituendus, & ad ejus ſuſtentationem ſunt fructus, & oblationes deſignandæ, ut diſponit textus *in d.c. ad audientiam 3. de Eccleſiis ædificand.* Concilium Tridentinum *d. cap.4.* verum in re animadvertendum textum *in d. cap. ad audientiam*, minimè aſſerere, decimas Matricis Eccleſiæ eſſe concedendas, ſed tantum obventiones ejus villæ, ut novus Rector ſuſtentetur; non enim facilè ad decimas deveniendum eſt occaſione novæ erectionis Eccleſiæ, ut primævæ Eccleſiæ auferantur, & alteri concedantur; quin de jure hoc interdictum eſt *in cap. quicumque 44. cap. Eccleſiæ 43.16. quæſt.2.* quamobrem aſſerit textus ille, novum Rectorem ex obventionibus ipſius villæ eſſe ſuſtentandum. Sed Conc. Trid. *d. cap.4.* aliter decrevit, nempe ex arbitrio Epiſcopi competentem congruam eſſe deſignandam novo Rectori ex fructibus ad Eccleſiam Matricem quomodocumque pertinentibus; unde etiam decimæ intelligendæ ſunt, ut faciliori modo neceſſitas illa ſuccurratur.

32 Sed in re dicendum circa hanc difficultatem, Gloſſam *in d cap. ad audientiam*, *verbo Obventiones*, varia interpretamenta adduxiſſe ad hanc difficultatem tollendam; nempe auferre decimas Matrici Eccleſiæ ad novam Parochiam erigendam, fuiſſe factum ex plenitudine poteſtatis ipſius Pontificis; aut jura intelligenda eſſe non de decimis prædialibus, ſed tantùm de oblationibus, & aliis obventionibus pertinentibus ad Parochiam, quæ dicuntur perſonales decimæ; nam prædiales ſpeciali jure pertinent ad Parochialem Eccleſiam, *cap. Cùm in tua 30. de decim.* quia ſi ad id obligare tentaſſet Pontifex expreſſiſſet, *argum. cap. ad audientiam 12. eod. tit.*

33 Sed tamen hanc gloſſam meritò non admittit *dict. alleg. 66. num.4.* in hac enim ſpecie, non ſolùm intelligendæ ſunt oblationes & obventiones, ſed etiam decimæ, tam perſonales, quàm prædiales. Ratio eſt, nam textus *in d. cap.quicunque, & cap. Eccleſiæ*, non loquuntur quando nova Parochia ædificatur ob urgentem neceſſitatem, ſed quando quis libenter Eccleſiam in ſuo prædio ædificare voluerit; quod quidem nequit facere cum præjudicio Eccleſiæ Parochialis, intra cujus limites ædificatur: quare ad rem non ſunt. Tum etiam non benè interpretatur textus *in d. c. ad audientiam*, non intelligens ſub obventionibus decimas prædiales; nam ipſæ in his caſibus urgentis neceſſitatis intelliguntur: quamobrem Conc. Tridentinum loquitur abſolutè de omnibus fructibus Eccleſiæ matricis, ubi etiam hæ decimæ ſubaudiuntur.

34 Difficultas enim reſtat, quo ordine in fructibus Eccleſiæ matricis facienda, & deſignanda eſt hæc congrua ad novum Rectorem. Et in primis, ſi adſint oblationes, obventiones, ſeu primitiæ, de his eſt facienda, & conſtituenda congrua illa, nec ad decimas principalis fructus recurrendum eſt. Ratio eſt, nam hæc erectio Parochiæ novæ ita eſt facienda, quominus lædat Eccleſiam Matricem, ac ejus Rectorem. Boerius *in d. cap ad audientiam n.10.* quamobrem, ſi adſunt oblationes, & primitiæ, unde congrua iſta conſtituatur, non eſt recurrendum ad decimas principales fructus Eccleſiæ Matricis. Tum nam ut ſcripſit Lapus *d.allegat.66. nu.5.* ad decimas eſt deveniendum, quoties aliter congrua novi Rectoris provideri non valet. Ergo ſi valet provideri per has oblationes, & primitias, nequit Epiſcopus ad decimas pervenire. Bertrandus *1.p. vol.2. conſ.36.* Palao *d.diſp.6.punct. 9. §.10. n.7.*

Secundò, quando non ſufficiunt oblationes, & primi- 35
tiæ, deveniendum eſt ad decimas, etiam prædiales. Ratio eſt, nam decimæ debentur ratione Sacramentorum, & curæ. Cùm ergo in ſpecie Sacramenta, & cura Parochianorum nequeat abſque illis adimpleri, neceſſariò ad illas poterit Epiſcopus pervenire, utpote ad id obligatas ex natura ſuæ præſtationis. Deinde jura loquentia de decimis non auferendis ab Eccleſiis Matricibns, intelligenda ſunt quando in illis remanet tota adminiſtratio, & cura. Aſt in ſpecie partitur, & aliqua pars tranſit ad novam Parochiam. Ergo quando alia bona deficiunt, debent ſimiliter tranſire decimæ ad novum Rectorem, ut ei congrua deſignetur, ut benè advertit Lapus *d.alleg.66. n.5.* Rebuffus *d.tit.de erect. in curat.n.6.* Fagnanus *in d. cap. ad audientiam n.5.* Palao *d. nu.5.* Lotterius *d. lib.1. q.28. n.48.*

Tertiò, ſi Eccleſia Matrix non habuerit bona, unde do- 36
tem, & congruam Rectoris novi deſignet, tunc populus tenetur contribuere, ut decrevit Concilium, & ad id poterit ab Epiſcopi cogi; nam quando fit tota cura; & adminiſtratio Sacramentorum, ipſe populus tenetur alere Miniſtrum ex obligatione Juſtitiæ, unde poterit cogi ad contribuendum propter congruam Miniſtri. Lambertinus *de jurepatr. lib.1. 1.p. q.5. art.18. in fine.* Belletus *diſquiſit. Clerical. 1.p. tit. de Clerico debitore, §.14. n.7.* Fagnanus *d. n.5.* Barboſa *ad Concilium, d. c.4. n.15.* Palao *d. n.5.*

Quartò, ſi Populus ſit pauper, itaut non poſſit de congrua 37
Miniſtri providere, tunc Abbas ſeu Præpoſitus, cui in temporalibus Eccleſia Matrix ſubjicitur, tenentur contribuere ad iſtam congruam, *cap. Sanctorum 2 verſ. ſi quæ, diſt.70. cap. Extirpandæ 30. verſ. Cùm igitur, de Præbend.* Verùm, quando ipſi non habent, nec eſt unde ad hanc neceſſitatem provideatur, ex menſa Epiſcopi eſt providendum, *c. Præſulum 2. 16. q.3. cap. Regenda 4. 10. q.1: cap. Epiſcopus 7. 10. qu.2.* nam ut inquit textus *in d. cap. Præſulum*, inter alia onera bonorum Epiſcopi eſt illud, nempe ſtipendia Clericorum, quos alere tenetur, ut ſuis ovibus adminiſtrent Sacramenta, & pabula ſpiritualia concedant; quamobrem ſi Eccleſia nova ſit neceſſaria ad hanc adminiſtrationem, de ſua menſa Epiſcopus providebit in tam urgenti neceſſitate. Fagnanus *in d. cap. ad audientiam, n.5.* qui *n.33.* ait, poſſe Epiſcopum, quando fructus deficiunt, & oblationes, ad erigendam novam Parochiam facere unionem aliquorum Beneficiorum in terminis Concilii, idque ex declaratione Sacræ Congregationis.

Sed quid quando Eccleſia Cathedralis, vel Collegiata ha- 38
bet curam, & adminiſtrationem Sacramentorum, an poſſit Epiſcopus unire aliquæ ex Canonicatibus ad rectorem Parochiæ novæ neceſſariò erigendæ, ex Decreto Concilii. Abnegavit Fagnanus *in d. cap. ad audientiam, n 57.* Ducitur, nam Concilium *in d. cap.4.* minimè loquitur de aliqua unione in erigendis novis Parochiis; nec illa poteſtas uniendi intelligitur ſub generali diſpoſitione, cùm debeat ſpecialiter exprimi. Geminianus *conſ.38.* Pariſius *lib.4. conſ.14. n.1.* Rebuffus *in Praxi benefic. in forma Vicariatus*, *num.102.* Ergo Epiſcopus ex vi illius Decreti nequit unire aliquem ex Canonicatibus, cùm ibidem ſimilis poteſtas non concedatur. Cæterùm, nam Concilium tantùm dicit ex fructibus, & obventionibus providendam eſſe novam Parochiam, ſub quo etiam intelliguntur decimæ, Abbas *in d. c. ad audientiam*, *nu.15.* non verò de Canonicatibus; eſt enim maxima inter unum, & alterum differentia, *c. cùm M. Ferrarienſis 9. de conſt.* ergo nequit Epiſcopus unire unum Canonicatum novæ Parochiali ad congruam rectoris, præcipuè cùm id tendat ad diminutionem Miniſtrorum, & conſequenter ad diminutionem cultus divini, quod eſt de jure interdictum, *c. penult. de conſt.*

Hæc doctrina Fagnani indiget explicatione, ſi enim Ec- 39
cleſia Cathedralis, aut Collegiata habeat curam, & admi-

ni-

nistrationem alicujus oppidi, verùm urgeat necessitas justa, & legitima erigendi novam Parochiam, & insimul adsint fructus deputati ad hanc curam, præter fructus Canonicarum, tunc ex his fructibus dotanda est nova Parochia, & assignanda congrua Rectori, nec poterit Episcopus unire aliquem ex Canonicatibus. Ratio, nam tunc sunt fructus deputati ad curam, & segregati ab ipsis Canonicatibus. Ergo ad eos pertinet novum Parochum, & Ecclesiam sustentare; nec ulla restat causa ad unionem Canonicatus faciendam de jure necessariam. Rebuffus *de unione*, *nu.*42. Azorius *Instit.Mor.2.part.lib.6.cap.*28.*q.*4. Ergo tunc nequit unire Canonicatum unum ad novam Parochiam, sed ex fructibus deputatis ad curam congrua illa, & dos Ecclesiæ novæ est designanda.

40 Si verò fructus isti non sint, sed omnes decimæ, primitiæ, & oblationes inter omnes Canonicos dividuntur, aut quia omnes deserviunt ad animarum curam, aut per unum id fit, poterit Episcopus unum Canonicatum unire ad congruam novi Parochi, & dotem Ecclesiæ. Ducor, nam id poterit facere ex duabus facultatibus. Primò ex Decreto Tridentini *in d.cap.*4. ubi decernitur, posse Episcopum pro suo arbitrio assignare portionem congruentem novo Rectori, & Ecclesiæ, ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus. Cùm ergo ex dicto Decreto id pro arbitrio Episcopi faciendum sit, ex eodem poterit arbitrari, ut portio ista congruens assignetur uniendo unum Canonicatum cum fructibus, ut inde portio congruens percipiatur ab Ecclesia, & novo Rectore.

41 Sed dices: Arbitrium Episcopi non conceditur à Concilio quoad modum assignandi congruam portionem; sed ad quantitatem necessariam, tam quoad Ecclesiam, quàm quoad Rectorem; quamobrem Concilium dicit, assignandam esse competentem portionem. Sed tamen respondendum, Concilium duo decernere, nempè portionem competentem quoad quantitatem, tum etiam quoad modum, ex illis verbis: *Ex fructibus ad Ecclesiã Matricem quomodocumque pertinentibus.* Quatenus enim ex fructibus dismembratio facienda est arbitrio Episcopi, consequenter modum separandi fructus ejus arbitrio commisit, illud enim quod per necessariam consequentiam deducitur ex mente, & decisione legis, decretum videtur. Mangillus *de imput. q.*156. *n.*13. Peregrinus *de fideicommiss.art.*3.*nu.*108. Quamobrem ex dicto Decreto rectè poterit Episcopus arbitrari, ut congrua illa, & dos Ecclesiæ componatur ex unione unius Canonicatus.

42 Secundò, poterit facere ex sua ordinaria facultate, & jurisdictione; nam ex illa potest facere unionem unius Beneficii ad alterum, *cap.Sicut unire* 8. *de excessibus Prælat.* præcipuè causa existente tam urgenti, & necessaria, prout est urgens necessitas administrandi Sacramenta, & obeundi officia divina, ne animæ pereant; quæ quidem causa gravissima est, Rota *in novis, decis.*1.*&* 2.*de offic.delegat. &* 2.*part. decis.dec.*133.*nu.*5. Petrus Gregorius *de re Benefic. cap.*20. *n.*6. Palao *tom.*2.*tract.*13.*disput.*6.*punct.*2.§.2.*num.*2. Azorius *d.lib.*6.*cap.*28.*qu.*6.*in fin.* Garcia *de Beneficiis*, 12.*p.cap.* 2.§.1.*nu.*62. Barbosa 3.*p.allegat.*66.*nu.*15. Cæterùm in specie omnes decimæ, & oblationes, quæ traduntur ratione curæ, & administrationis Sacramentorum, inter ipsos Canonicos distribuuntur, quæ quidem huic oneri sunt obnoxiæ; quamobrem rectè seliget Episcopus unum Canonicatum, & valet unire ad novam Parochiam, ratione ipsius administrationis. Denique, licet in omni casu omnia sint facienda quominus numerus Canonicorum minuatur, tum & cultus, *cap.Cum omnes* 6.*cap.Cùm M.*9.*cap. Ex part.*12. *de Constit.* Attamen si causa gravissima subsistat, id est faciendum, *d.cap.Ex parte*, Abbas *ibidem*, *num* 4. *&* 9. Felinus *num.*17. Decius *à num.* 43. Azorius *dict. lib.* 6. *cap.* 30. *q.*11.*&* 12. Garcia *dict.*12.*part.cap.*1. *num.* 2. Barbosa 3.*p. allegat.*67.*à nu.*15. quæ quidem in specie versatur. Ergo poterit fieri similis unio Canonicatus. Nec hìc propriè dici valet, quod hoc sit supprimere unum Canonicatum, & Ministrum Ecclesiæ; tum & minui cultum: quin potius creatur alter Minister magis necessarius ad majorem honorem, & gloriam Dei, & ad bonum animarum: quamobrem rectè Episcopus poterit unire unum Canonicatum ad novam Parochialem, ut Ecclesia dotem percipiat, & novus Rector congruam.

43 Quæ quidem Doctrina absque aliquo dubio erit admittenda, quando aliter congruenter nequit ex fructibus aliis Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ, congrua ista assignari; tunc enim perneccsse facienda est ista unio.

Quintus, & ultimus casus, quando nec ex fructibus, nec 44
ex mensa Episcopi, nec per aliquam unionem, nec per populi contributionem, possit hæc congrua designari; quo quidem casu Ecclesia construenda est absque dote, & Clericus est constituendus, ut ex labore proprio, & artificio victum quærat, *cap.*1.*&* 2.*dist.*91. Tenet Fagnanus *in dict. cap. Ad audientiam*, *n.*7. Sed adhuc in isto casu poterit Episcopus ex aliis Ecclesiis divitibus aliquam partem applicare novæ Parochiæ, & ejus Rectori, saltem ad parcam dotem, & congruam: quod quidem fieri posset ab Episcopo, absque dubio est tenendum; nam paupertas unius Ecclesiæ per divitias aliarum est supplenda, ut cum Layman diximus *lib.* 1.*c.*13. *nu.* 37. Tum etiam poterit aliquos quæsitores eleemosynarum ponere in aliis oppidis divitibus, ut tanta necessitas succurratur; aliàs relinquere pauperem Clericum, ut Ecclesiæ, & Parochianis deserviat in administratione, absque mercede aliqua, res multis damnis, & periculis est exposita, nec facilè concedenda. Ac tandem poterit unum Parochianum benè morigeratum ipsius novæ Parochiæ ordinare, & illum Rectorem efficere; iste enim ex proprio patrimonio adjutus, & ex aliquibus necessariis obventionibus, facillimè alimenta percipiet, & residebit, ne administratio deficiat, & Divina Officia sine intermissione peragantur; quo quidem casu, quando nullum remedium restat, nec Clericus idoneus invenitur volens Ecclesiæ deservire, ob mercedis angustiam, indignum etiam Episcopus eliget, ne oves Domini omninò pereant, Lessius *de Just.lib.*2.*cap.*34. *dub.* 12.*n.*5. Delugo *de Justit.disput.*35.*sect.*1.*nu.*5.

Rursus in erectione novæ Parochiæ considerandus nu- 45
merus Parochianorum indigentium administratione, & ut audiant Divina; si enim parvus fuerit, veluti quando adsunt duæ, vel tres domus, vel quatuor, non sufficiet. Rota verò *p.*5.*recent.dec.*380.*nu.*8. *&* 29. asserit, decem animas esse necessarias, si tamen communicent; & adduxit textum *in cap.Unio* 3.*vers.Sed & hoc*, ubi decretum est, Ecclesiam sub se habentem decem mancipia, debere habere Sacerdotem, sin minùs aliis conjungatur Ecclesiis: quæ quidem sententia admittenda est; nam Concilium *in d. cap.*4. asserit, ad novam Parochiam alendam populum esse cogendum; supponit enim populum ad id esse necessarium, qui quidem ex decem hominibus componitur, ut per Bart. *in l.Prætor, ff.de vi bon.rapt.n.*4. Gregorius *in l.*2.*tit.*12.*p.*7 *verbo Tal.* Boerius *dec.*173. *u.*8. Barbosa *in cap.* 1. *de elect. n.*7. Ergo semper debet esse numerus decem personarum; quod non solùm intelligas de his, quæ communiter tantùm, sed & quæ habeant usum rationis, cùm istæ quotannis teneantur ad præceptum Confessionis, tum diebus festivis ad Missam audiendam, ut benè considerat Fagnanus *in d.cap. Ad audientiam*, *n.* 28.

Rursus ad novam erectionem Parochiæ requiritur cita- 46
tio Rectoris Ecclesiæ Matricis, *cap. Felix* 50. *cap. Multis* 51.16.*q.*1. tum & Patroni, seu Patronorum, si fortè principalis libera non sit, sed jurispatronatus; & aliorum qui possunt habere interesse. Hæc enim citatio semper est necessaria, quamvis invito Rectore possit Episcopus procedere ad erectionem. Quamobrem declaratum est, absque citatione interesse habentium nullius esse momenti quod ab Episcopo perageretur in erectione novæ Parochiæ, ut scripsit Fagnanus *in dict.cap.Ad audientiam*, *n.*29.*&* 30 Lapus *allegat.*66.*n.*3.*vers.Debet tamen requiri* Vveymus *d.constit.* 19.*à nu.*14. Barb. *in dict.cap.*4.*Concilii n.*15.

Rursus illud præcipuè in erectione novæ Parochiæ est 47
observandum, ne à primo Rectore Ecclesiæ Matricis adeò ex fructibus subtrahatur, ut congrua decenti defraudatur; hæc enim priùs est deducenda, nec occasione tantæ necessitatis valet ea privari, ut deducitur *ex d. cap. Ad audientiam*: ubi ad erectionem novæ Parochiæ supponit, quamplures fructus habere Matricem Ecclesiam, ut dotetur nova, & congrua designetur novo Rectori. Estque etiam textus *in cap.De Monachis*, 12. *de præbend. c.* 1. *eodem tit.in* 6. Rebuffus *tit.de erect.in Curat.nu.* 5. Fagnanus *in d. cap. Ad audientiam*, *nu.*4.

Est etiam in re competens honor deferendus Ecclesiæ 48
Matrici, ut decrevit textus *in d.c.Ad audientiam*, ubi Glossa *verbo Honor*, explicat, id est aliqua annua portio arbitrio Episcopi moderanda, ad quam necessariò referenda sunt illa verba, *Pro facultate loci*, ut ibidem animad-

vertit Abbas *nu.* 16. Lotterius *d.q.* 28. *nu.* 52. quod & aliqui explicant, teneri Clericos novæ Parochiæ adire ad Matricem pro Baptismo, Scrutinio, Capitulo, vel consimilibus, vel solvere illa jura, quæ Capellæ debent Ecclesiæ Matrici, *cap.* 2. *de Capell. Monach. cap. His quæ* 11. *de maiorit. & obedient.* ut explicant plures, quos refert, & approbat Fagnanus *in dict. cap. Ad audientiam nu.* 8. Poterit tamen Ecclesia Matrix sibi reservare in signum honoris aliqua jura Parochialia, nempè baptizandi, vel sepeliendi, aut decimandi; nam licet jura ista præcisè non dicant Parochialitatem, Rota 2. *part. divers. decis.* 52 *nu.* 27. Lotterius *lib.* 1. *quæst.* 20. *ex num.* 57. attamen in Parochia sunt jura Parochialia, ut tradit dicta Rota *dec.* 52. *nu.* 34. quamobrem in signum honoris poterit jura illa reservare. Lotterius *d. qu.* 28. *nu.* 53. Fagnanus *dict. num.* 8. qui *num.* 10. scripsit, hæc non esse intelligenda absolutè in modum subjectionis, in qua se fundet de jure communi Ecclesia Matrix, sed tantùm de jure speciali; nam de jure tantùm fundant suam intentionem Ecclesiæ Cathedrales, ut cæteræ Ecclesiæ sibi subiiciantur; nam verò Parochiæ, seu alteræ Ecclesiæ: quamobrem quæ id intenderit, debet probare, sibi aliquo jure speciali competere, *cap. Dilectus* 2. *de Capel. Monach.*

49 Antiquæ enim Parochiæ Matrici etiam jus patronatus relinquitur, ita ut Rector illius possit alium Rectorem novum præsentare, *d. cap. Ad audientiam*, ibi: *Ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ, l.* 9. *tit.* 10. *p.* 1. Ratio enim est, nam cùm nova Parochia ex portione antiquæ erigatur & dotetur, tum & portio congrua novo Rectori concedatur; inde est, ut juris patronatus pertineat ad antiquam Parochiam, *c. Significavit* 41. *de test.* ubi Baldus, Ancharanus, & Joan. Andreas, & in terminis Fagnanus *in d. c. Ad audientiam à n.* 55. Gonzalez *n.* 4. Valenzuela *cons.* 45. *per tot.* Salgado *de Regia protect.* 3. *par. cap.* 5. *à n.* 38. Bertrandus *lib.* 2. *cons.* 36. Vivianus *in praxi iur. patr.* 1. *par. lib.* 2. *cap.* 7. *per tot.*

50 Est tamen dubium, an si Ecclesia antiqua nihil contulerit ad ædificationem novæ Parochiæ, adhuc retineat jus patronatus? Prima sententia affirmat. Ratio est, nam nequit fieri separatio à prima Parochia absque præciso detrimento illius, quatenus parte Parochianorum privatur, & oblationum, quæ fieri possunt; tum etiam aliis expensis funeralium ad Ecclesiam illam pertinentium, etiamsi ex propriis decimis, & obventionibus non erigatur, seu construatur. Ergo ob grave illud detrimentum jus patronatus acquirit, & sibi reservatur. Deinde textus *in d. cap. Ad audientiam*, & lex 9. *Partit.* absque dubio asserunt, novum Rectorem præsentandum esse ab antiquo: Ergo etiamsi nihil Ecclesia antiqua contulerit ad novam, adhuc remanebit Patrona. Innocentius *in cap. Venerabilis, de except.* Joan. Andreas *in cap.* 1. *de Capell. Monach. in* 6. D. Gonzalez *d. n.* 4.

51 Secunda sententia asserit, minimè antiquam Parochiam habere jus patronatus in nova, nisi quando pro redditibus aliquid contulerit, & novam dotaverit. Ratio enim desumitur ex dicto capite *Ad audientiam*, & ex Concilio *d. sess.* 23. *cap.* 4. nam jura illa loquuntur quando ex redditibus antiquæ Parochiæ nova erigitur, aut dotatur; alias tamen minimè jus patronatus concederent. Et confirmatur, nam de jure communi loquendo, tribus modis acquiritur jus patronatus, fundatione, constructione, vel dotatione Ecclesiæ, *cap. Piæ mentis* 26. *cap. Filiis, vel nepotibus* 31. 16. *q.* 1. *cap. Abbatem* 3. 18. *qu.* 2. *l.* 1. *tit.* 15. *par.* 1. ubi Gregorius *glos.* 3. Covarr. *Pract. cap.* 36. *n.* 6. *vers.* 4. Riccius *par.* 1. *collect.* 1681. Salgado *de retent.* 2. *par cap.* 31. *nu.* 38. Solorzano *tom.* 2. *de iur. Ind. lib.* 3. *cap.* 2. *à n.* 12. quamobrem quando antiqua Parochia nihil contulerit ad ædificationem novæ, non habebit jus patronatus. Tenent Fagnanus *in dict. cap. Ad audientiam, n.* 39. ubi etiam Abbas *n.* 9. Garcia *de Beneficiis*, 5. *par. cap.* 9. *nu.* 37. Salgado *d.* 3. *par. cap.* 5. *nu.* 37. Barbosa *ad Concilium, dict. cap.* 4. *nu.* 13.

52 Tertia sententia est Valenzuelæ *dict. cons.* 45. *à num.* 1. ubi intendit probare, absolutè loquendo, nullum jus præsentandi remanere in Ecclesia Matrice, quando dismembratur, & altera Ecclesia exstruitur. Dat rationem *nu.* 6. quia textus *in dict. cap. Ad audientiam*, est intelligendus quando nova Parochia annexa relinquitur priori; tunc enim cùm relinquatur sub cura primi Rectoris, ad eum pertinet nominare alium Curatum, ut probat ex aliquibus Doctoribus.

In re tamen dicendum, hanc difficultatem duobus modis esse concipiendam. Primò quando nova Parochia erigitur non separata, sed annexa priori Parochiali; & in hoc casu vera est sententia dicens, præsentationem pertinere ad antiquum Rectorem: Idque in Praxi communiter admissum, ut Vicarium ponat proprius Rector, ad libitum amovendum, portione designata: nec aliquo modo novus Rector instituitur, sed ille, qui à Rectore proprio nominatur, & deputatur ad servitium, prout in Oratorio Parochiam adjuvante. Valenzuela *dict. cons.* 45. *nu.* 6. 53

Secundò, quando omninò separatur nova Parochia: in quo quidem casu maximè est prospicienda dismembratio, vel separatio facta ab Episcopo, vel à Summo Pontifice; quia aliquando solet fieri, data compensatione, ita ut Rector antiquus remittat omne jus, etiam juris patronatus, quod possit habere ad novam Parochiam; idque est optimus modus dismembrandi, ut omnes lites, quæ solent ex nova erectione oriri, sopiantur. Curte *de jure patronatus quæst.* 7. *in verbo contraxit*, Rebuffus *titul. de erect. in curat. nu.* 8. 54

Si verò nulla fuerit facta concordia, sed res relinquatur in puro esse juris, & aliquis privatus novam Parochiam fundaverit, & dotaverit, is erit Patronus; si verò tantùm dotaverit, vel fundaverit, duo remanebunt Patroni, Ecclesia nimirum Matrix, & Privatus qui novam dotaverit, vel fundaverit, ut plures antiqui tenent *in d. cap. Ad audientiam*, ubi *glos.* 3. & cum eis Fagnanus *num.* 35. Ratio enim est, quia ex sola fundatione, seu constructione acquiritur jus patronatus, ut ex sola dotatione: Riccius 5. *part. collect.* 1680. & 1693. & ex sola fundatione, vel constructione. Valentia *Illustr. lib.* 2. *pract.* 1. *cap.* 2. Solorzano *lib.* 4. *Polit. cap.* 23. Salgado *dict. part.* 3. *cap.* 5. *n.* 46. Sanchez *cons. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 33. quamobrem in hoc casu duo erunt Patroni, vel Ecclesia antiqua, quia dotavit seu ædificavit novam; aut Privatus, quia sicut unum, alterum fecit, etiam absque aliqua reservatione, quæ tantùm in reædificatione desideratur. De quo Sanchez *d. dub.* 32. *nu.* 3. Valenzuela *cons.* 63. Mancius *de jure sacro, dissert.* 9. *cap.* 15. Ergo in hac specie Ecclesia antiqua, & Privatus erunt Patroni. Sic declaratum apud Garciam *d. par.* 5. *cap.* 9. *n.* 56. 55

Aliter enim dices quando nova Parochia ex redditibus, & oblationibus, vel Primitiis antiquæ construeretur, & dotaretur; tunc enim absque dubio erit Patrona, & antiquus Rector præsentabit idoneum, ut ab Episcopo instituatur; sunt enim isti modi à jure decreti, ut necessariò jus istud acquiratur, ut ad Ecclesiarum ædificationem, & dotationem fideles alliciantur, ex dictis juribus Trident. *sess.* 14. *de reformat. cap.* 12. Barbosa *de offic. Episcop.* 3 *par. allegat.* 70. *à principio, & de univers. jur. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 28. Spino *de testam. glos.* 4. *n.* 28. Rota apud Farinac. 1. *part. dec.* 615. *à n.* 1. Pena *dec.* 34. *n.* 1. Franciscus Marcus 1. *par. dec.* 1006. *nu.* 6. Vivianus *in praxi juris patronat.* 1. *part. lib.* 1. *cap.* 3. *nu.* 24. Ergo in præsentiarum Ecclesia Parochialis antiqua jus patronatus tenebit, & rectè acquiret. 56

Erit ergo tota concertatio, quando nihil contulerit, nec ad ædificationem, sed aliunde ædificetur, & dotetur. In qua quidem concertatione dicendum videtur, affirmativam sententiam esse admittendam; quia nunquam fieri valet hæc separatio sine magno præjudicio antiquæ Parochiæ. Tum licet novæ oblationes, & obventiones non dicantur esse propriæ primæ Parochiæ; nam eo ipso quod fundatur nova Parochia, ad ipsam pertinent, ut considerat Garcia *dict. 5. par. cap.* 9. *nu.* 58. Attamen nequit hoc considerari, quando erigitur nova Parochia intra limites illius; nam oblationes illæ, & obventiones futuræ, considerantur tanquam dos etiam constructæ Parochiæ, ut declaravit Sacra Congregatio ad Concilium *d. sess.* 21. *cap.* 4. ut refert ipse Garcia *d. cap.* 9. *à n.* 56. quia reverà antiqua Ecclesia dat jus ad illa percipienda, & à se abdicat; quamobrem ut dotans habebit jus patronatus. 57

Quapropter in hac difficultate dico, hanc primam sententiam intellectam prout eam fundamus, admittendam esse tunc enim nova Parochia aliquid percipit à prima, nempè jus percipiendi illas oblationes, seu obventiones, ex quibus dotatur, secundùm dispositionem Concilii *in d. cap.* 4. ita ut posteà habeat circa illas, & circa Decimas, si illas dederit, fundatam suam intentionem, Rebuffus *de Decimis, q.* 6. *num.* 14. & 23. Lotterius *d. lib.* 1. *quæst.* 28. *num.* 48. Ast verò si loquamur in specie, quando nihil dederit, & 58

con-

contulerit ad ædificationem novæ Parochiæ, admittenda eſt ſecunda ſententia; nam ut docet Abbas *in dict. cap. Ad audientiam, num.* 9. textus ille quoad jus patronatus procedit ſicut de jure communi; at verò de jure communi non acquiritur jus patronatus, niſi illis tribus modis ſuprà recenſitis, Garcia *dict cap.*9. *à nu.* 54. Valenzuela *dict.conſ.*45. *num.*10. Fraſso *de Patronat.Indiarum*, 1.*part. cap.*4. *nu.*1. inde eſt, ut nequeat acquirere jus patronatus novæ Parochiæ, niſi aliquid contulerit, ut dicunt DD. ſecundæ ſententiæ.

59 Inſtabis, impoſſibile eſse, ut antiqua Parochia aliquid non det. Ergo ſemper debet remanere cum Patronatu. Reſpondetur negando ſuppoſitum; poteſt enim Eccleſia antiqua ſibi reſervare omnia jura, etiam futura, ut de jure baptizandi, & ſepeliendi diximus *ſuprà:* tum pro his, & ſubjectione valet alio modo facere compenſationem, ut DD. oſtendunt communiter *in dict.c. Ad audientiam*, quia poteſt ab aliquo dotari, & conſtrui independenter ab Eccleſia antiqua. Ergo in hac ſpecie non habebit jus patronatus.

60 Sed adhuc dices, hucuſque dicta procedere de jure communi, non verò de ſingulari; eſt enim ſingulare jus *in dict. cap. Ad audientiam*, ut jus patronatus pertineat ex eo, quod diſmembratio fit à Parochia antiqua, ex parte vicinorum, & Parochianorum, independenter ab aliqua dotatione, ſeu fundatione: Ergo ſi nihil præſtiterit, adhuc habebit jus patronatus. Sed reſpondetur, textum *in dict.c. Ad audientiam*, non loqui clarè, & apertè de iſto jure ſingulari, conſiderato ab aliquibus Doctoribus ex ſola ſubjectione, ut conſideravit gloſsa *ibid. verbo Rectoris*. Sed tantùm in caſu, quando nova Parochia erigeretur ex fructibus, & oblationibus antiquæ; quo quidem caſu jus patronatus non ex jure ſingulari acquiri, ſed jure communi, ut probatum eſt: Ergo non eſt intelligendus textus ille de jure ſingulari. Cæterùm, licet textus ille dubiè loqueretur, eſt intelligendus juxta diſpoſitionem juris communis, non ſingularis, *l.un. ff. de inoffic. dot.l Si ſervus plurium* 50. *in fin.ff.de legat.* 1.*cap.Cùm expediat* 29.*de elect.lib.*6. Urrutigoyti *de Eccleſia Cathed. c.*6.*nu.* 34. Ergo eſt intelligendus quando Eccleſia antiqua fundaverit, vel dotaverit novam Parochiam, non verò ſi nihil contulerit, Abbas *in d.cap.Ad audientiam, nu.*9. Valenzuela *dict.conſ.*45.*n.*9.

61 Illud verò breviter obſervandum, in erectione, ſeu conſtructione novæ Parochiæ, de jure communi non ſolùm Epiſcopum ſufficere, verùm etiam Capituli conſenſum, *cap. Paſtoralis de donat.* Aſt hodie ſtante Decreto Concilii Tridentini *d. ſeſſ.* 21. *cap.*4. non eſt neceſsarius, quia Epiſcopus procedit ut delegatus Sedis Apoſtolicæ, Fagnanus *in dict.cap.Ad audientiam*, *à nu.*50.

CAPUT V.

De Eccleſiis ſpontè, & piè ab aliquibus privatis ædificandis: & quomodo acquirant jus Patronatus earum.

SUMMARIUM.

*Quiſque poteſt conſtruere Eccleſias, Monaſteria, & Oratoria, ex licentia legitimi Superioris, nu.*1.

*Licentia non præſumitur, niſi per longi temporis tranſcurſum, nu.*2. *Signa, quod licentia Superioris intervenerit, ponuntur nu.*3.

*Sed quid ſi hæc ſigna non adſint, communis ſententia eſt, præmendum non extitiſſe, nu.*4.

*Diſtinguitur, & admittitur hæc communis ſententia in rebus piis, non requirentibus neceſſariam religioſitatem, n.*5. *Niſi ex inſtrumento fundationis aliud conſtet, nu.*6.

*Si verò ædificetur Eccleſia, Monaſterium vel Oratorium, ex ſua natura deſtinatum ad Miſſas dicendas, præſumendum licentiam Epiſcopi interveniſſe, nu.*7. *&* 8. *Solemnitas intrinſeca præſumitur cum ipſo actu, & ſufficit tacita licentia, ibid.*

*Fit inſtantia, & reſpondetur, n.*9. *In Matrimonium præſumitur neceſſaria perceſſiſſe, & quando quis juraverit, n.*10. *Fit inſtantia, & reſpondetur, n.* 11.

Tempus, ut præſumatur licentiam ſuperioris extitiſſe, aliqui dicunt eſſe neceſſarium tranſcurſum triginta, aut quadraginta annorum, num. 12. *Sed ſufficit decennium, num.*13.

*Ultra licentiam ad ædificationem Eccleſiæ requiritur, ne præjudicium fiat aliis Eccleſiis, nu.*14. *Nec ad quæſtum ſunt Eccleſiæ ædificandæ, in quo olim Noſtri Hiſpani defecere, nu.*15.

Debet ædificans Eccleſiam dotare, nu 16.

*An ſi aliquis ad dotandam Eccleſiam cenſum reliquerit, & vivente illo fuerit redemptus, legatum extinguatur. Affirmandum videtur, ex fundamentis à n.*17. *& ſeqq. traditis.*

Quando nomen legatur & petitur, à teſtatore admittur legatum. Admiſſa redemptione cenſus, extinguitur cenſus, ibid.

*Quoties teſtator alienat abſque neceſſitate rem legatam, admittur legatum, n.*17.

*Debitor cenſus redimibilis, ad libitum valet redimere, n.*18.

Defenditur adhuc legatum valere, à n. 21. *Nova implicatio cenſus ſubrogatur loco cenſus legati, ut in legato frumenti, ibid.*

*Quando aliquis fundum, vel bona per fideicommiſſum reliquerit, & ſtatuit quid caſu quo poſſeſſor ea alienaverit, tranſeant ad dotem alicujus Eccleſiæ, ſi ex cauſa alienaverint, an tranſeant bona ad Eccleſiam? Et negandum videtur, à n.*23. *Clauſula non alienandi, non impedit alienationem neceſſariam, & quando ſit ex majori utilitate, ibid.*

*Contrarium tenet Thoro, nu.*24. *Sed diſtinguitur, quando voluntas fundatoris eſt præciſa, ne alienetur; quo caſu aliqui cenſent, adhuc alienari poſſe bona fideicommiſſi, n.* 26. *Sed in contrarium eſt communis ſententia, nu.*27. *Sed adhuc cauſa graviſſima exiſtente, non eſt admittenda, n.*28.

Unde reſolvitur, quod ſi fundatoris fideicommiſſi voluntas fuerit præciſa; ſi alienet, fieri caducum, & bona ad Eccleſiam tranſire, niſi adſit ſtrictiſſima cauſa, n. 29.

*Si clauſula non alienandi non ſit præciſa, ſed ſimpliciter poſita, ex cauſa valet alienatio, ut exemplis oſtenditur, nu.*30. *Unde fideicommiſſum non fit caducum, nec ad Eccleſiam pertinebit, ibid. Fit inſtantia; & reſpondetur, n.*31.

*Connexum eſt ædificationi Eccleſiæ jus patronatus, num.*32. *acquiritur jus patronatus integrè ædificatione, & dotatione, cum conſenſu Ordinarii, etiam ſubſequente num.*33.

*Nomine Ordinarii intelligitur Epiſcopus illius loci, ubi Eccleſia ædificatur, licet ædificans ſit alterius Epiſcopatus, num.*34.

*Vicarius Epiſcopi an poſſit dare hanc licentiam. Affirmandum videtur, nu.*35. *Sed dat rectè Capitulum Sede vacante, ibid.*

Sed contrarium abſque ſpeciali mandato tenent communiter DD. Explicatur caput A nobis 25.de jur.Patr. *n.*36. *Vicarius Epiſcopi nequit reſignationes admittere, nec ſupprimere beneficia, nec unire, nec Vicarios ponere imperitis Rectoribus; nec præſtare licentiam, ut jus patronatus transferatur de laico, ad laicum, ibid.*

Admittitur ſententia communis, & reſpondetur argumentis, num. 37.

*Hunc conſenſum ad acquirendum jus patronatus, non ſolùm præſtat Epiſcopus, ſed habens iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, prout Abbas, n.*38.

Si Epiſcopus renuerit, aut qui poteſt concedere hanc licentiam, ad Superiorem recurritur, ſi renuat abſque cauſa; aliàs ſi abſque conſenſu iſto ædificans procedant, ius patronatus non acquiret, n. 39.

*Conſtructorem Capellæ abſque conſenſu Epiſcopi acquirere ius patronatus, aſſeruit Vrrutigoyti. Contradicit Fraſſo, n.*40. *Explicatur Vrrutigoyti, & defenditur, à nu.*41.

An ultra conſenſum ad ædificationem, requiratur conſenſus diſtinctus ad acquirendum ius patronatus. Affirmant aliqui, ibid. Sed contrarium probatur, & explicatur caput A nobis 25. de jur. Patronat. *& exemplis illuſtratur, nu.*42. *&* 43.

An quando quis ſolùm fundaverit, aut dotaverit Eccleſiam, acquirat ius patronatus. Prima ſententia negat. Expenditur caput 25. de jur.patronat. *nu.*44.

*Qui non competenter dotat, dicitur tantùm Benefactor; & qui dat dotis augmentum, non acquirit jus patronatus, nu.*45.

Secunda ſententia affirmat, n. 46. Sed diſtingitur, & quando *Eccleſia non eſt perfecta, & tunc jus patronatus non acquiritur, nu. 47.*

Perfecta verò Eccleſia, eſt difficultas. Expenditur Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 12. n. 48. *Et explicatur, nu 49 Vandem aſſeritur, jus patronatus conſequi ex ſola dotatione, aut fundatione, cumulativè cum aliis fundantibus, in quo eſt obſervanda conſuetudo, nu. 50. & 51.*

Iterum explicatur textus in c. A nobis 16. de jure patronat. *num. 52.*

Ex fundatione acquiritur jus patronatus, & quomodo id intelligatur. Eccleſia nequit ædificari in fundo emphyteutico; ſi tamen ædificetur, & conſentiat Dominus directus, ipſe eſt Patronus, nu. 53.

Si quis Capellam in Eccleſia ædificaverit, Eccleſia, & Ædificans ſunt Patroni, nu. 54.

Ex conſtructione Eccleſiæ acquiritur jus patronatus. Explicatur doctrina iſta, num. 55.

Explicatur Menochius aſſerens, ex dotatione Eccleſiæ acquiri ius patronatus, nu 56.

Si quis cœperit ædificare Eccleſiam, & non perfecit, an acquirat ius patronatus? Ponitur ratio dubitandi, nu. 57. Sed contrarium defenditur, nu 58. Explicatur, ut ſi plures exſtruant, omnes ius patronatus conſequantur, nu. 59. Si verò unus cœperit, & alter independenter à primo perfecerit, iſte conſequitur ius patronatus, num. 60.

Eſt dubium, an quando me inſcio, in ſolo meo aliquis ædificaverit Eccleſiam, cui ius patronatus acquiratur? Aliqui dicunt, domino fundi: alteri Eccleſiam eſſe demoliendam, n. 61. Sed admittitur prima ſententia, n. 62. Explicatur textus in l. Quemamodum 29. §. 1. ff. ad l. Aquiliam, *nu. 63.*

Explicatur textus in cap. 1. de novi operis nunt. *Nec Eccleſia demolitur, niſi quando eſt ædificata in præjudicium alterius Eccleſiæ, nu. 64.*

Per dotationem Eccleſiæ acquiritur ius patronatus: quod extendendum quando Eccleſia habuerit dotem jam extinctam, nu. 65.

An acquiratur ius patronatus, quando dotatur Eccleſiam jam conſecratam. Prima ſententia negat, nu. 66. Secunda affirmat, nu. 67. Tertia diſtinguit, nu. 68.

Sed diſtinguitur: antè conſecrationem certum eſt acquiri ius patronatus per dotationem; & neceſſarium, ut requiratur conſtruens, aut eius hæredes, nu. 69.

Poſt conſecrationem duo caſus diſtinguitur. Primus quando de facto Epiſcopus illam conſecravit abſque dotatione. Secundus quando cum dote conſecraverit, ſed poſteà extincta & deperdita eſt, ibid.

Quoad primum dicunt plurimi, acquiri non poſſe ius patronatus poſt conſecrationem. Sed admittitur contrarium, & expenditur Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 12. *num. 70. Quod idem dicendum in ſecundo caſu, nu. 71.*

Ad conſequutionem iuris patronatus requiritur integra dotatio, nu. 72.

Praxis in hac materia eſt, ut conſenſus Epiſcopi ad acquirendum ius patronatus non præſtetur, niſi conſtruens inſimul dotaverit Eccleſiam; aliàs ſi requiſitus non dotaverit, inſignia raduntur, & ſepulchra amoventur, nu. 73.

An conſtruens, & dotans Eccleſiam abſque aliqua reſervatione, acquirat ius patronatus. Prima ſententia negat, nu. 74. Secunda affirmat, nu. 75.

In ſpecie contemplandus eſt animus conſtruentis, & dotantis, an ſit ſolùm donandi? Plures inſimul dotantes acquirunt ius patronatus, nu. 76.

Animo declarato conſtruentis, & dotantis ſtandum eſt: Si verò non declaret, communiter DD aſſerunt, intelligi animo acquirendi ius patronatus feciſſe. Sed explicatur, n. 77. & tandem reſolvitur, non eſſe neceſſariam aliquam reſervationem, nu. 78.

In Eccleſiis Regularibus ad acquirendum ius patronatus præſentandi Religioſos, requiritur aſſenſus Apoſtolicus: ſecus verò ad locum honorificum, n. 79. & idem ad inſignia pingenda, ibid.

1 SPontè, piè, & religiosè quamplurimi ædificant Eccleſias, Eremitoria, & Oratoria: quamobrem in hoc capite ſpecialiter agendum eſt nobis de his fundationibus, & quas utilitates inde percipiant ædificantes. Illa enim receptiſſima concluſio eſt, poſſe quemlibet Eccleſias, Monaſteria, Oratoria, & alia pia loca ædificare, exiſtente licentia Epiſcopi, vel alterius legitimi Superioris, ſive vir, ſive fœmina ſit, *c Religioſum 75. 12. q. 2. c. Quidam 10. 18. qu. 2. cap. Unicuique 33. cap. Eccleſias 13. de conſecrat. diſt. 1. l. 1. & 2. tit. 10. p. 1.* Ratio enim eſt, nam cuilibet licet locum pium exſtruere. Clement. *Qui contingit 2. de Religioſ.* Dom. Innocentius *in cap. Inter dilectos, de donat.* Selva *de Beneficiis 1. q. 6. à nu. 1.* Quamobrem liberum erit cuique Eccleſias, Monaſteria, Oratoria, & alia pia loca conſtruere, intervenientibus ſolemnitatibus de jure requiſitis, nempè licentia Epiſcopi. & aliis, de quibus in hoc libro, *cap. 2.* Hoſtienſis *in rub. de Eccleſiis ædificand. num. 7.* Solorzanus *de iur. Ind. tom. 2. lib. 3. cap. 23. nu. 3.* qui aſſerit, ob hanc cauſam quamplures felices extitiſſe. D. Thomas *de Regim. Principum, lib. 2. cap 16.* Baronius *anno 886.* Bellarminus *de Offic. Principum, lib. 3.* Villaroel. *Goviern. Eccleſiaſt. 2. part. q. 20. art. 3. à num. 17.*

Si tamen ad conſtructionem Eccleſiæ, ſeu Monaſterii 2
dubitetur, an conſenſus Epiſcopi intervenerit? Affirmandum videtur, non extitiſſe; nam hæc qualitas extrinſeca eſt, quæ minimè præſumitur, niſi de ea conſtet, *c. Lugdunenſis 9. q. 2. Clement. Injuſtè, §. Sanè, de elect.* Baldus *in l. 2. C. de ſervit. & aqua, col. 4.* Pacianus *de probat. lib. 2. c. 43. nu. 4.* Riccius *in praxi, 1. p. reſ. 426. à n. 24.* niſi quando temporis tranſcurſus grandis fuerit, *ex l. Si filius, C. de pet. hæredit. l. Cùm de in rem verſo 9. ff de uſuris*, latè Felinus *in c. Sicut, de re iudicat.* Afflictus *dec. 305. nu. 13.* Garcia *de Nobilitate, gloſſ. 4. nu. 31.* Ergo in præſentiarum minimè licentia, ſeu aſſenſus Epiſcopi eſt præſumendus.

Verùm in re illa eſt communiter admiſſa ſententia, ut 3
Eccleſia præſumatur, vel alius locus pius factus authoritate Epiſcopi, ſi Miſſæ ibidem celebrentur, & publicè ſacrificia fiant, vel ſit ibidem Altare, habeat Campanile, & ſpecies, ſeu figura ſit Eccleſiæ; tunc enim præſumitur, conſenſum, ſeu licentiam Epiſcopi interveniſſe, hæc enim tam conſultò facta, neceſsariò præſupponunt Epiſcopi licentiam, *ex cap. Nemo 9. de conſecrat. diſt. 1.* quamobrem præſumitur, illam interveniſſe, ut per Abbatem, & Innocent. *in cap. Inter dilectos, de donationibus*, Romanus *ſingul. 320.* Azorius *Inſt. Mor. 2. p. lib. 9. cap. 3. qu. 9.* Selva *de Beneficiis 1. p. qu. 6. num. 16.* & quæ ſcripſimus *lib. 4. cap. 11. num. 11. & 12.*

Erit verò dubium quando fundata inveniretur Eccleſia, 4
nec aliquo modo ex his ſignis præſumeretur de licentia, & authoritate Epiſcopi fundata. Et communis eſt ſententia, minimè præſumendum interveniſſe licentiam Epiſcopi, *ex l. Quocumque 13. §. fin. ff. de Publician. in rem act.* ubi probatur, ementem à Minore, probare debere emiſſe authoritate tutoris, & Judicis decreto; unde apertè conſtat, minimè licentiam, & decretum Judicis præſumi, ſed eſt neceſsarium illud probare. Cæterùm aliquæ ſunt ſolemnitates intrinſecæ ipſius actus, quæ ſupponuntur in ipſo actu; aliæ verò extrinſecæ, quæ poſſunt adeſſe, vel abeſſe; & iſtæ non præſumuntur, ſed neceſsariò probandæ, ut colligitur *ex l. 1. C. de contrahend. & commit. ſtipulat. l. 1. C. de Advocat. diverſ. iudic.* Maſcardus *de probat. concluſ. 1321. per tot.* Salgado *de retent. 2. part. cap. 30. §. 2. num. 16.* Caſtillo in plures refert, *lib. 1. controverſ. cap. 54. num. 26.* Ergo in præſentiarum non eſt præſumenda authoritas, & licentia Epiſcopi, ut cum Magonio tenet Riccius *6. p. collect. 1886. nu. 1.* Rota apud Farinac. *in pract. deciſ. 268. num. 5.* Gonzalez *ad Regul. 8. gloſſ. 5. §. 4. nu. 24.* Barboſa *de univerſ. iur. lib. 2. cap. 11. num. 16.*

Sed in re maxima diſtinctio facienda eſt; ſunt enim ali- 5
qua loca pia, quæ poſſunt fieri abſque licentia Epiſcopi, veluti Hoſpitalia; & alia fiunt, & relinquuntur in puro eſſe pietatis, nec tranſcendunt neceſsariam religioſitatem, prout Eccleſiæ, Monaſteria, & Oratoria, neceſsariò tendentia ad publicam Miſſarum celebrationem, & ut populus ad orandum conveniat. In primis enim libet admittere communem ſententiam Et ratio eſt, nam reſpectu illorum locorum, authoritas Epiſcopi purè extrinſeca eſt, quæ nullo modo præſumitur, niſi probetur, ut ex multis *nu. 2. & 4.* allegatis probatur. Unde in his admittenda eſt communis ſententia illa. Quod ita intelliges, niſi plurimùm temporis fluxerit, unde præſumptio illa elidatur, & præſumatur licentiam extitiſſe. Mena *variar. lib. 1. quæſtione 23. à*

*nu.*94. Grammaticus *conſ.*77. *ſub num.* 8. Cyriacus *controverſ.tom.*1.*contro.*111.*nu.*3. Pareja *de edit. inſtrument. tit.*1. *reſolut* 3.§.3.*à nu.* 48.

6 Verùm adhuc in re magnoperè, ſi adſit inſtrumentum fundationis, erit illud inſpiciendum, ubi ſi conſtiterit licentiam Epiſcopi petitam, nec conceſſam fuiſſe, lapſus tanti temporis, etiam immemorialis non ſuffragatur; nam quoties conſtat de titulo vitioſo, ceſſat illa præſumptio ex temporis fluxu, & veritati ſtatur per inſtrumentum patefactæ. Cyriac. *d.controverſ.* 111. *nu.* 4. niſi fortè licentia Epiſcopi poſſit in alio inſtrumento contineri, ut explicat bene Molina *lib* 2. *de Primog. cap.*6.*à n.*72. Afflict. *dec.*107.*nu.*5. ubi Urſillus *nu.*10. *Puteus lib.*4.*dec.*210.*nu.*4. Menochius *lib.*3. *præſumpt.*132.*nu.*79. Gratianus *diſcept.cap.*268.*nu.*3. Barboſa *in cap.*4.*de emptione, & venditione, n.*5.

7 Si verò ſolemnitas ſit veluti conſenſus Epiſcopi ad ædificationem Eccleſiæ, Monaſterii, aut Oratorii publici ad dicendas Miſſas, & ex ſua natura ad id deſtinantur, tunc credo ſemper eſſe præſumendum conſenſum Epiſcopi. Ducor, nam cùm iſtæ Eccleſiæ ex ſua natura ſint deſtinatæ ad religioſitatem, & principaliter nitantur in licentia, & conſenſu Epiſcopi, qualitas, & ſolemnitas neceſſaria, ut locus fiat Religioſus, eſt intrinſeca qualitas ipſius ædificationis, *cap. Ad hæc* 4.*de Relig.Dom.* Aſt quando eſt qualitas, & ſolemnitas intrinſeca, ſemper præſumitur præceſſiſſe, & eſſe ſimul cum facto, *l.Sciendum, ff.de verb.obligat.* ubi Bart. *num.* 2. Felinus *in cap. Sicut, de ſent.& re judicat.nu.*37. Menochius *dict. præſumpt.*132.*nu.*2. Ayllon. *ad Gomez num.*2. *cap* 11. *nu.*18. Ergo in præſentiarum ſemper in his Eccleſiis, Monaſteriis, & Oratoriis, præſumendum eſt præceſſiſſe licentiam, vel datam fuiſſe cum ipſo actu ædificandi. Confirmatur, nam ſolemnitas intrinſeca eſt quæ facto de jure adhæret, Albericus *in d.l.Sciendum, nu.* 1. Menochius *dict. præſumpt.*132.*n.*1. Tuſchus *lit.S.concluſ.*320.*num.*1. Sed ad faciendam Eccleſiam, ubi uſus præciſus eſt ad Miſſas dicendas, & obeunda munera Sacra publicè, & ab omnibus audienda, neceſſariò religioſo loco adhæret de jure conſenſus, & licentia Epiſcopi, Ergo ſolemnitas illa eſt intrinſeca: ergo neceſſariò præſumenda.

8 Cæterùm, licet conſenſus, & licentia Epiſcopi conſideretur ut ſolemnitas extrinſeca, adhuc tamen eſt præſumendum extitiſſe in ædificatione Eccleſiarum, vel aliorum locorum ad publicè Miſſas dicendas; nam ad ædificationem Eccleſiarum ſufficit tacitus conſenſus Epiſcopi, veluti quando ſcierit ædificari, & non contradixit, Selva *de Beneficiis,*1.*part.q.* 6.*num.*20.& 21. Barboſa *de offic.Epiſcopi*, 3 *p.allegat.*26.*nu.*2.& *de univerſ.jur.lib.*2.*cap.*2. *num.*5. Aſt ſemper præſumitur, ſcire Epiſcopum, quod evenit in ſuo Epiſcopatu, propter curam, & vigilantiam, quam præſtare tenetur; & ad id ex officio adſtringitur. Menochius *lib.*1.*conſ.*82.*à n.*176. Maſcardus *de probat.*1.*part.concl.*879. *à nu.*7. Mena *var.lib.*1.*q.*3.*n.*9. Ergo ſemper eſt præſumendum, extitiſſe licentiam, ſeu conſenſum illius, ſaltem tacitum, ſufficientem ad rectam ædificationem Eccleſiæ Maſcardus *concluſ.* 416.*à nu.*6.

9 Sed dices cum Abbate *in cap.Cura* 11. *de Jurepatronat. nu.*4. minimè conſenſum Epiſcopi tacitum eſſe præſumendum in ædificatione Eccleſiæ. Et ratio eſt, nam in odioſis, & quæ fiunt contra ipſius Epiſcopi poteſtatem, taciturnitas non præſtat conſenſum, ex notatis *in cap. Qui tacet* 14. *de Regul.in* 6.*cap.Cùm jam dudum* 18.*de Præbend. Clement. fin.de ſent.excommunicat.* Ergo in præſentiarum fundamentum illud dilabitur. Sed reſpondetur, conſtruere Eccleſias, Monaſteria, & Oratoria deſtinata ad Miſſas publicè celebrandas, & Divina peragenda, id non eſſe odioſum, ſed favorabile, & ab Epiſcopis quantoperè procurandum, idcircò taciturnitas Epiſcopi non contradicentis, quando potuerit, ſemper præſtat conſenſum, ut tenet Rochus de Curte *de Jurepatronat. verbo Pro eo q.* 8. Selva *d. q.*6. *n.* 21. quamobrem faciliter præſumitur in dubio, ad erectionem Eccleſiæ, Monaſterii, ſeu Oratorii conſenſum Epiſcopi adfuiſſe.

10 Rurſus probatur, nam quoties quis fatetur, ſe uxorem duxiſſe, præſumitur omnia feciſſe neceſſaria ad contrahendum Matrimonium, *l.cui fuerit, ff.de condit.& demonſtrationibus.* Quod dicendum, quando ſcriptum fuiſſet, *quod aliquis juravit*; præſumitur enim id feciſſe cum ſolemnitatibus à jure requiſitis. Theſaurus *dec.*47 *num.* 18. Menochius *dict. præſumpt.*132. *nu.*7.& 8. Tuſchus *d. concluſ.*320 *num.* 19. Ergo quando quis ædificavit Eccleſiam, Monaſterium, aut Oratorium ad divina peragenda, præſumendum eſt, habuiſſe licentiam Epiſcopi, cùm ſit in præſenti ſolemnitas neceſſaria requiſita, ut divina rectè peragerentur.

Sed dices, in hac paritate datur diſparitas inter utroſque caſus; nam in Matrimonio præſumitur ſolemnitates neceſſarias præceſſiſſe, quia aliàs actus non valeret Menochius *d.præſumpt.*132.*nu.*11. Tum quando dicitur, quod aliquis juravit, intelligitur cum ſolemnitatibus juraſſe; verbum enim *Juravit*, illas includit, quia poteſt importare juramentum cum ſolemnitatibus. Tuſchus *litt.S.concluſ.* 320. *n.*19. Aſt in noſtra ſpecie Eccleſia, ſeu Oratorium, vel Monaſterium, abſque Epiſcopi licentia poteſt, & debet conſiderari tantùm ut opus pium, ut cum aliquibus docet Selva *d.q.*6.*n.*8. *verſ.Secundo probo*. Ergo nequit præſumi Epiſcopi licentiam adfuiſſe. Verùm reſpondetur, Nos minimè loqui de Eccleſiis, aut aliis piis locis, quæ poſſunt contineri in opere pio; in his enim jam diximus contrarium: ſed tantùm loquimur de his; quæ neceſſariò debent deſervire ad Miſſas publicè celebrandas, & obeunda Divina Officia, nec ad aliud poſſunt deſervire: in quo quidem caſu aſſerimus, eſſe præſumendum licentiam Epiſcopi extitiſſe, ut probatum eſt, & tenent aliqui apud Rochum *de jurepatronat.q.*7.*n.*19. Valenſ. *de Benef.lib.*1.*tit.*4.*n.*18. D.Gonzalez *in cap.*25.*de jurepatronat.n.*2. *in fine*. 11

Cæterùm diſquirere oportet, ex quo tempore præſumatur, interveniſſe licentiam Epiſcopi in his locis piis, ubi de ſua natura non præſumitur extitiſſe, aut in ſententia aſſerente, in ædificatione Eccleſiarum, abſolutè loquendo, non præſumi? Et in re dicendum, ex diuturnitate temporis conſenſum, ſeu licentiam præſumi, ut tradunt plures relati ſuprà *n.*5. Vela *diſſert.*9.*n.*48. Amaya *in l.*1.*C.de fide,& jur. haſt.Fiſcal.ex n.* 13. quod indiſtinctè loquentes aliqui intelligunt ex tranſcurſu triginta aut quadraginta annorum, & ſignanter recipiunt, ſi tempus immemoriale fuiſſet, & grave præjudicium ſequeretur, Tuſchus *d.litt.S. concluſ.* 322.*à n.*1. Cyriacus *controverſ.*111. *nu.* 10. Barboſa *in cap.* 4.*de emptione,& vendit.nu.*2. & in terminis Barboſa *in cap.* 25.*de jur.patronat.nu.*2. *verſ.Utrum*. 12

Sed tamen in ſpecie, ſi Eccleſia, ſeu Hoſpitale, vel alius locus pius, per decennium ſint in poſſeſſione celebrandi divina officia, tunc ex hoc tranſcurſu præſumitur extitiſſe licentiam Epiſcopi ad ejus ædificatione. Ratio enim eſt, nam hæc ſunt favorabilia, tenduntque ad Religionis cultum, & in utilitatem proximiorum, quamobrem ſufficit decennium, ut præſumatur ex licentia Epiſcopi eſſe religioſa loca, ut in multis caſibus conſideravit Jaſon *in l. Si quis in aliena, ff.de acquirend.hæredit.nu.*37. quos remiſſivè dat Tuſchus *d.concluſ.* 332. *nu.* 20. Ergo in præſentia ſufficiet decennium, quod eſt per ſe diuturnum tempus, Maſcardus *de probat.concluſ.*416.*n.*4. Afflictus *dec.*368.*n.*4. Rochus de Curte *de jurepatronat. q.*7. *n.* 19. & cum multis tradit Menochius *dict.præſumpt* 132.*num.*51. Rota relata à Barboſa *in dict.cap.*25.*nu.*2. *verſ.Utrum*. 13

Cæterùm etſi privatus poſſit ædificare Eccleſiam, jam exiſtente Epiſcopi conſenſu; ita tamen eſt id temperandum ne præjudicium aliis Eccleſiis ſequatur, ut eſt optimus textus utrumque comprehendens *in cap. Quicumque* 44. 16. *quæſt.*1. his verbis: *Quicunque voluerit in ſua proprietate Eccleſiam ædificare, & conſenſum, & voluntatem Epiſcopi habuerit, in cuius Parochia eſt, dicitum ſit; verumtamen omninò providendum eſt Epiſcopo, ut aliæ Eccleſiæ antiquiores propter novas ſuam iuſtitiam, aut decimam non perdant, ſed ſemper ad antiquiores Eccleſias perſolvantur: cap. Eccleſiæ* 43.*eadem cauſa & quæſt. cap. Eccleſias* 13. *de conſecrat. diſt.* 1. idque optimè decretum; nam cùm Eccleſias ædificare ſit pium, & optimum opus, nequit fieri cum præjudicio, & injuria alterius Eccleſiæ, aliàs enim dirueretur, præcipuè ſi opus fuerit nuntiatum, *c.*1.& 2. *de novi operis nunt.* Tenent ſic Hoſtienſis *in d.rub.de Eccleſiis ædificand. n.*6. Abbas *in cap. Ad audientiam* 3.*de Eccleſiis ædificand.n.*2.& *in cap. Cùm olim, collat.*29.*de Privilegiis, nu.*9. Guido Papæ *q.*360. Riccius *in praxi,*1.*p.reſolut.*11.*n.*4. Zerola *verbo Eccleſia*, *n.*4. Barboſa, *de univerſ.iur.lib.*2.*cap.*2.*n.*4. 14

Illud verò in conſecrandis, vel ædificandis Eccleſiis magnoperè obſervandum, ne aliquis eas ædificet pro quæſtu quærendo, & non devotionis, ſed lucri cauſa, ut oblationes, aut decimas ibidem percipiat, licet eas cum Clericis dividat, ut decrevit Concilium Bracharenſe II. *can.*6.*in cap.Si quis Baſilicam* 10.*de conſecrat diſt.*1. Hoc quidem de- 15

cre-

cretum ſub Myro Suetorum Rege ob graviſſimam cauſam; quippè Hiſpani tunc in ſuis territoriis, vulgò *Solares*, Eccleſias ædificabant, ubi Miſſę, & Sacramenta conferrentur ſuis colonis, in quibus aliquos Clericos adſcribebant, aliqua congrua illis relicta, ſibi decimas, & oblationes percipientes. Hoc, inquam, interdicere curavit Sanctum illud Concilium, ſed inutiliter. Itidem etiam obſervatum fuit Hiſpania à Mauris liberata, quando inſtaurabantur; quamplurimi enim Equites ſimile facinus perpetrabant quotidie, diſſimulantibus Pontificibus, & Epiſcopis, ob gravem Regni ingruentem neceſsitatem, prout ſcripſit Sandoval *in Vita Imperatoris Alphonſi VII. cap. 66. verſ. Comprueba verdad.* Aſt hodie nequaquam permittendum, ut Eccleſiæ ob lucrum, & quæſtum temporalem à privatis ædificentur. Vigelius *Jur. Can. lib. 3. cap. 15. regul. 1.*

16 Unde etiam privatus non ædificabit Eccleſiam in ſolo alieno, ſed in ſuo, ut diximus ſupra; ſi tamen de facto ædificetur contra regulam communem, ſolum Eccleſiæ cedit, ut cum Azorio, & aliis retulimus, Gratianus *tom. 5. diſcept. cap. 955. nu. 18.* Similiter ædificans dotare tenetur omnibus neceſsariis, ut latè explicuimus *c. 3. à nu. 10.* Riccius *1. par. prax. reſolut. 11. nu. 4.*

17 Eſt tamen dubium hìc exarandum, quod jam in praxi habui. Mulier quædam ad Eremitorium dotandum de neceſsariis, cenſum annuum redimibilem reliquit; verùm vivente ipſa teſtatrice fuit redemptus, & ipſa redemptionem acceptavit: quærebatur, an legatum dotis Eremitorii ademtum eſset, præcipuè cùm ipſa teſtatrix in alio cenſu pecuniam collocaverit? Et affirmandum videtur; nam in hac difficultate duo capita ſunt conſideranda. Primum, exactio, & acceptatio redemptionis ipſius teſtatricis, quo quidem caſu ademptum legatum videtur dotis Eremitorii; nam quoties teſtator debitum, ſeu nomen legat, ſi tamen ipſe exegerit, & à debitore perceperit, extinguitur legatum, *l. Fideicommiſſa 11. §. Ergo 13. ff. de legat. 3.* ubi exactio nominis per fideicommiſsum relicti, facta à creditore teſtante, ex natura rei adimit fideicommiſsum, niſi aliud ex animo exigenti probaretur, *l. fin. §. fin. ff. de adimend. legat.* Cancerius *3 part. var. cap. 20. n. 235.* Ergo cum in ſpecie teſtatrix redemptionem cenſus acceptaverit, exigere videtur; unde legatum relictum ad dotem Eccleſiæ, ſeu Eremitorii, ademptum videtur. Confirmatur, nam admiſsa cenſus redemptione, tanquam conditione reſolutiva proveniente, extinguitur cenſus, ut in pacto legis commiſsoriæ ſunt textus *in leg. Si quis hæc 41. ff. de rei vendicat. leg. Commiſſariæ 4. leg. fin. Cod. de pact. inter empt. leg. 38. tit. 5. part. 5.* velut quando dies adiicitur, ex toto titulo *de in diem addict. l. 40 tit. 5. p. 5.* & habet vim ſolutionis, & extinctionis cenſus, Avendano *de cenſibus Hiſp. cap. 102. à n. 1.* Cyriacus *controverſ. 24. nu. 1.* Vela *diſſert. 34. nu. 47.* Quamobrem redemptione cenſus à teſtatrice recepta, cenſus extinctus eſt, & conſequenter ex ſua voluntate revocatum legatum.

18 Ex ſecundo capite, quatenus ipſa teſtatrix pecuniam redemptionis alienavit in collocatione alterius cenſus, probatur ademptum eſse legatum; nam quoties teſtator rem legatam alienat liberè, & abſque alia neceſſitate, videtur legatum adimere, *l. rem legatam 18. ff. de adimend legat.* Molina *de Juſtitia, tract. 2. diſput. 194.* Gomez *variar tom. 1. cap. 12. num. 56.* Mantica *de conject. lib. 12. tit. 6.* qui *n. 5.* id extendit ad legata pia. Menochius *lib. 4. præſumpt. 167. num. 17.* Ergo cùm in creatione novi cenſus illam pecuniam abſque aliqua neceſsitate alienaverit, legatum cenſus factum ad dotandum Eremitorium ademptum videtur.

19 Sed hæc fundamenta debilia ſunt, nec primum habet firmamentum; nam redemptio cenſus facta non fuit ex aliqua exactione, ſeu petitione teſtatricis, ſed ex libera facultate, debitoris illius cenſus, cui ex Bullis Pontificum competit, quotieſcumque voluerit, illum redimere, & pretium cenſus reſtituere. Petrus Gregorius *de cenſibus, q. 5. num. 33.* Cencius *de cenſibus, dec. 271. nu. 2.* Covar. *lib. 5. var. cap. 9. nu. 4.* Alvendañus *de cenſibus, cap. 101.* Salgado *in labyrint. 2. p. cap. 9. à n. 11.* quod quidem pactum cenſum ad libitum redimendi, etiamſi expreſsum non fuerit, adhæret contractui, & venditioni cenſus, Faria *ad Covarruv. lib. 1. cap. 9. nu. 53.* Rodriquez *de ann. reddit. lib. 1. quæſt. 6. n. 44.* Cencius *de cenſibus, q. 59. à nu. 1.* Nec hæc facultas redimendi valet aliquo puncto auferri; Cencius *qu. 59. per tot.* D. Olea *de ceſſ. tit. 3. q. 2. nu. 44.* Leotardus *de Uſuris, q. 67.* quamobrem licet teſtatrix acceptaverit redemptionem cenſus, id non fecil liberè & ſponte exactionem petendo; ſed tantùm coacta ex facultate, & jure redimentis. Cyriacus *d. controverſ. 24. n. 10.* Unde ſequitur, minimè ex acceptatione illa inducì poſse, ademiſse legatum. Prætereà eſt diverſa ratio, quando exigitur nomen, aut quando exigitur res debita: ſupponamus enim, teſtatricem petiiſse à debitore cenſus, ut redimeret, & ipſe votis ſuis annueret; adhuc tamen in hac ſpecie legatum dotis Eremitorii ademptum non eſt. Nam ut docent DD. *in l. Si Titius mihi, ff. de legat. 2.* ubi Gloſſa, Bart. & Paulus Caſtrenſis *in l. apud Julianum, §. Idem Julianus, ff. de legat. 1.* Cancerius *d. 3 par. c. 20. n. 235.* eſt maxima differentia, quando teſtator nomen legatum exegerit, aut rem debitam legatam: primo enim caſu legatum ademptum videtur, ſecus in ſecundo, quia res remanet in ſpecie, & videtur eam percipere voluiſſe teſtatorem, ut ſecuriùs traderetur legatum. Cùm ergo in ſpecie legaretur cenſus, res quidem componens unum individuum, etiamſi exegerit teſtatrix, minimè legatum ademptum videtur; quin potius voluiſſe teſtatricem pecuniam recipere, ut in alio caſu ſecuriori, aut ut in re fructifera collocaretur ad dotem Eremitorii, prout fecit alium novum cenſum emendo.

Ad aliud fundamentum facilitèr ſatisfit; non enim legatum teſtatrix alienavit, ſed in tuto repoſuit, ut ex redditibus expenſæ Eremitorii ſierent; tunc enim licèt verè alienaſſet pecuniam redemptionis, doctrina tamen aſſerentium, in cauſis piis alienationem rei legatæ adimere legatum, admittenda non eſt, prout ſcripſimus *lib. 1. cap. 13. à num. 37.* 20

Hinc etiam dico, in ſpecie legatum adhuc validum remanere, cum Joanne Baptiſta Thoro *de cauſis piis, ſingul. 42.* & cenſum noviter impoſitum ex pecunia illa, pertinere ad dotem Eremitorii; nam redemptio cenſus, licet extinctio, ſeu alienatio ſit, eſt tamen neceſſaria, & præciſa ex pacto inſito in ipſius creatione, ut diximus, & tenet Franchis *deciſ. 283. num. 4.* Quamobrem minimè legatum ademptum videtur. Gomez *d. cap. 12. nu. 56.* Mantica *lib. 12. titul. 6. nu. 16.* Tum ex nova implicatione cenſus videtur ſubrogatus in loco primi ad implendum legatum, prout quando frumentum legatur, quod quidem in certo loco habebat teſtator; ſi enim in ejus vita illud conſumpſerit, & aliud frumentum comparaverit, & ibidem repoſuerit, debetur legatario, *l. fin. ff. de libr. legat. l. Lucius Titius 22. ff. de legat. 2.* Gomez *dict. cap. 12. num. 50.* Caſtillo *lib. 4. controverſ. cap. 37. num. 37.* Cancerius *3. par. cap. 20. num. 258.* quod idem in præſenti dicendum eſt, quando teſtatrix tanta cura procuravit pecuniam veteris cenſus in alio novo inveſtire. 21

Cæterùm eſt aliud dubium diſquirendum, an quando aliqua bona per fideicommiſſum alicui relinquerentur ſub expreſſa prohibitione, ne alienentur; & caſu quo aliquid ex bonis alienaretur, ſtatim pervenirent bona ad dotem alicujus Eccleſiæ, ſeu Eremitorii, ſi tamen alienatio fiat per poſſidentem ex cauſa, nempè quia domus ruinam minabatur, vel fundus chaſmate periret, an tunc ex tali alienatione bona ſtatim ad Eccleſiam, ſeu Eremitorium perveniant. 22

Et negandum videtur, nam quando res damni in effectu celeritatem deſiderat, citius, ideſt ſtatim eſt reparanda, ne ex mora periculum ſubeat, *l. 1. ff. de damno infecto.* Quamobrem clauſula illa non alienandi nullo modo potuit facere caducum fideicommiſſum; non enim ſperandum eſt, ut domus rueret, vel fundus periret. Cæterùm clauſula, non alienandi, non impedit alienationem neceſſariam, *l. Peto 69. §. Prædium 1. l. Si filius familias 114. §. Divi 14. ff. de legat. l. Pater ylium 38.* ubi Gloſſa, *ff. de legat. 3.* idque procedit ex voluntate ipſius alienationem prohibentis, non enim intelligendum eſt, voluiſſe prohibere, ut res fideicommiſſi periret, ſed ut conſervaretur in familia; quod enim veriſimile eſt, pro diſpoſitio habetur, *l. Tale pactum, §. fin. ff. de pact.* ubi Gloſſa, & communiter Scribentes. Quapropter, ſi cauſa neceſsaria adſit, alienatio prohibita non cenſetur. Molina *de Primog. lib. 1. cap. 10. nu. 20. & lib. 4. cap. 6. per tot.* Molina *de Inſt. tom. 3. diſp. 648.* Caſtillo *controverſ. lib. 6. cap. 113. à num. 14.* Larrea *dec. 4. num. 6.* Ergo in præſentiarum cùm alienatio fuiſſet facta ex cauſa præciſa neceſſitatis, inde eſt, ut fideicommiſsum caducum non fiat, ut ad Eccleſiæ dotem pertineat. Prorſus res prohibita alienari, alienari valet ex cauſa majoris utilitatis; prout in rebus Minorum, 23

& in

& in filiisfamilias contrahentibus absque consensu patris, decretum est, *l. Mutuum* 5. ubi Scribentes, *ff. de acquirenda hæredit. l. Cum mihi* 12. §. *Eam transactionem*, *ff. de transact.* Molina *de Primog. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 4. Quod etiam in feudis prospici valet, quæ licet alienari non possint, tamen propter utilitatem, & augmentum alienantur. Paris de Puteo *tract. de reintegr. feud. cap. Pone quod Dominus, fol.* 89. Et res Ecclesiæ propter utilitatem alienantur absque solemnitatibus. Surdus *de aliment. tit.* 8. *privileg.* 46. *in princip.* Thesaurus *lib.* 3. *q.* 37. D. Olea *de cess. tit.* 2. *quæst.* 2. *à nu.* 5. Ergo cùm in præsenti alienatio domus, vel fundi facta fuisset in evidentem utilitatem fideicommissi, inde est, ut rectè fieri potuisset à fideicommissario, & consequenter fideicommissum non debet fieri caducum, & ad Ecclesiæ dotem transferri.

24 Sed tamen in specie contrarium tenet Thoro *de causis piis, privileg.* 152. Ducitur, nam dispositio testatoris, ut lex est observanda. *Auth. de nuptiis*, §. *Disponat testator*, Lex enim quantumvis dura, est observanda, aliàs faciliter subditi ad inobedientiam traherentur, *l. Prospexit* 12. *ff. qui, vel à quibus*. Ergo similiter erit observanda voluntas testatoris, quantumvis dura reddatur, & in contrarium urgeat utilitas, aut commoditas ipsius legati, seu fideicommissi. Et confirmatur ex decisione textus *in l.* 3. §. *in bello*, *ff. de re milit.* ubi miles capite plectitur, etiamsi res benè gesserit, si egerit contra præceptum Ducis: quod quidem in re procedit, nam possidens fideicommissum, cùm agat contra dispositionem fundatoris, licet rem benè gesserit, adhuc punitur, & fideicommissum caducum fiet, & pertinebit ad Ecclesiam. Cæterùm placita testatorum adeo sunt observanda, ut nec Principis voluntate tolli possint, ut cum aliquibus asserit ipse Thorus. Ergo quomodolibet vulnerentur, committetur pœna caducitatis, & bona fideicommissi ad Ecclesiam transibunt.

25 Sed in re duobus modis consideranda est voluntas fundatoris fideicommissi, ponentis clausulam de non alienando. Primò quando est præcisa, ita ut semper velit fundator, ut in familia res illa permaneat, quod non solùm expressè, verùm & tacitè considerandum, utpotè quando prohiberet alienationem domus in civitate notabili, aut ubi educatus fuerit, aut prohiberet alienationem alterius rei, erga quam particularem habuerit affectum, tunc enim præcisa erit fundatoris voluntas, ut cum aliquibus explicat Peregrinus *de fideicommiss. art.* 40. *à nu* 33.

26 In hac ergo præcisa voluntate Petrus Immola *cons.* 38. *n.* 35. scripsit, adhuc quando alienatio est necessaria, & utilior ad ipsum fideicommissum, rectè fieri alienationem. Ratio, nam ut considerat Molina *d. lib.* 4. *c.* 4. *n.* 6. quando adest causa necessaria, & utilis, id procedit ut alienetur ex voluntate ipsius fundatoris, quia in casu tam necessario & utilioni idem ipse disposuisset, & habetur tanquam ipsa dispositio illius, *l. Titius*, §. *Lucius ff. de liber. & posthum.* Ergo tunc nulla valet considerari tam præcisa voluntas fundatoris, ut necessariò sit observanda, quin potius sufficiet, ut res illa alienetur, aut permutetur.

27 Sed in contrarium est communis sententia, nam præcisa voluntas testatoris, etiam qualibet causa existente, vel utiliori, est observanda, nam ex eo quod est præcisa, nequit ex qualibet etiam causa alterari, sed in specifica forma est adimplenda, *l. Mævius* 55. *l. Qui hæredi* 44. *ff. de condit. & demonstrat.* Cæterùm ex eo quod præcisam demonstravit suam voluntatem & affectum, consequenter demonstravit semper velle rem illam remanere in familia; quamobrem nequit ex qualibet causa, quantumvis necessaria, alienari, ut tenent Peregrinus *d. art.* 40. *n.* 32. Petra *de Fideicomm. q.* 8. *n.* 520. Decianus *cons.* 55. *n.* 57. Fusarius *de Substitutionibus qu.* 530. *n.* 8. & in causa pia tenet Cyriacus *tom.* 2. *controvers.* 364. *n.* 20.

28 Sed adhuc in hac specie valet dari tam stricta, & necessaria causa, & utilior, ut possit fieri alienatio, seu permutatio rei fideicommissi, etiamsi præcisa sit voluntas fundatoris, quia potest ita tenue esse fideicommissum, ut ex redditibus illius nequeat reparari domus, aut fundus prohibitus alienari de voluntate præcisa disponentis, & necessariò sit domus destruenda, aut fundus periturus, ita ut deficiat ex familia: tunc enim non obstante illa præcisa voluntate poterit alienari, aut permutari, nam si necessariò deficit, & per defectum exit à familia, quantò magis conformius erit voluntati fundatoris, ut alienetur, & loco ipsius alia res subrogetur in fideicommisso. Idem dici poterit, si causa utilissima sit, & res quæ exit, sit parvi momenti, & nullius necessitatis, præter affectum testatoris; nam illa maxima utilitas superat illum, quia si considerasset id testator, præcisam volutatem non alienandi non apponeret, *cap. Terullas* 53. 12. *quæst.* 2. quo quidem casu admittenda est doctrina Immolæ.

Ex his colligitur, dicendum in specie, quòd si voluntas 29
relinquentis fideicommissum fuerit præcisa, tunc si ex causa possidens alienaverit rem fideicommissi, fieri caducum, & bona illius ad Ecclesiam pervenirent, & in eo casu libet admittere doctrinam Thori supra relatam, nisi adsit strictissima causa, perpensa *nu.* 27.

Secundo etiam modo potest poni prohibitio non alienan- 30
di, scilicet simpliciter, & non præcisè: & in hoc casu est melior sententia, ex causa necessaria, & utiliori posse, adhuc ea non obstante, rem fideicommissi alienari absque aliqua culpa, idque ex voluntate fundatoris, seu testatoris: nam in dispositione illa semper causa necessaria, & utilior videtur excepta, prout in multis exemplis demonstrantur, ut in rebus dotalibus, quæ licet alienari prohibeantur, attamen ex causa utiliori, & necessaria cessat prohibitio, *l. Ita constante* 26. *& l.* 27 *ff. de jur. dot.* Tum & in rebus minorum *ex l. Cum hi* 12. §. *Cùm transactionem*, *ff. de transact.* ubi Glossa, Decius *lib.* 3. *cons.* 121. *n.* 55. ubi dicit verius. Tum exemplo rerum Ecclesiæ, jam supra tacto, licet in eo contrarium tenuerit Rota apud Farinacium *in noviss.* 1. *part. decis.* 177. *&* 2. *par. dec.* 153. *&* 218. Tandem possessor Majoratus potest facere necessarias alienationes, quæ originem traxerunt ante Majoratus institutionem, ut cum multis tenet Guzman *de evict. q.* 11. *n.* 76. Hanc ob rem in præsenti rectè possessor fideicommissi poterit facere alienationem, absque eo quòd caducum fiat fideicommissum, nec transibit ad Ecclesiam, cùm rectè alienatio illa fiat ex præsumpta voluntate fundatoris, Peregrinus *d. art.* 40. *n.* 32. Decianus *lib.* 3. *cons.* 121. *n.* 55. Rebuffus *de alien. rebus Ecclesiæ, num.* 34. Fusarius *de Substit. q.* 530. *nu.* 5. Merlinus *controvers. for. cent.* 1. *cap.* 39. *à n.* 41. & in causa pia Cyriacus *d. controversia* 364. *à num.* 18. qui *nu.* 22. id explicat quando causa necessaria, & utilis est certa de præsenti, & de promptu, vel quando res venderetur pretio numerato, unde statim certa utilitas inspicitur. Aliàs si incerta fuerit utilitas, aut futura, id non est admittendum, quia nequit dici utile, quod pendet à futuro eventu, ut cum Rota ibidem scribit.

Non desunt tamen Doctores contra hanc doctrinam te- 31
nentes, nempè quod quando simpliciter prohibetur alienatio, ex nulla causa possit fieri, & si fiat, erit contra voluntatem fundatoris. Refert plures Fusarius *dict. q.* 50. *nu.* 6. *vers. Contrariam*. Sed tamen contrarium tenendum; nam licet prohibita alienatione, censeatur prohibitus omnis actus, per quem transfertur dominium, *l. sicut*, §. *venditionis*, *ff. quib. mod. pignus*, *vel hypotheca solvit.* Attamen hæc regula non admittitur, causa necessaria, & utiliore existente; est enim casus exceptus ex præsumpta voluntate prohibentis alienare, ut jam dictum est. Guzman *d. q.* 11. *à n.* 72. Giurba *ad consuet. c.* 14. *gloss.* 6. Ergo in præsentiarum ex alienatione necessaria, & utiliori, facta in bonis fideicommissi, non obstante clausula de non alienando, posita simpliciter, bona relicta ad dotem Ecclesiæ, ad illam non pervenient, cùm adhuc possidens pareat voluntati testatoris, quidquid resistat. Thoro *de privileg.* 152.

His peractis transeamus ad secundam partem hujus ca- 32
pitis, scilicet quomodo acquiratur jus patronatus in Ecclesiis, res est quippè connexa Ecclesiarum ædificationi; nam ut suprà scripsimus, tribus modis acquiritur, fundatione, constructione, & dotatione. Refert plures Barb. *de offic. Episcopi* 4. *par. allegat.* 70. *nu.* 1. Fagnanus *in cap. Ad audientiam, de Ecclesiis ædificand. nu.* 36. Quamobrem connexum valdè est quod quando agimus de Ecclesiarum constructione, de ipso jure patronatus acquirendo aliquid dicamus, cùm ipsum trahat esse à constructione ipsa.

In primis igitur acquiritur jus patronatus ex fundatione 33
Ecclesiæ, idque duobus modis valet intelligi. Primò quando fundans, non solùm fundum ad eam construendam concesserit; sed omninò suis sumptibus construxerit, & dotaverit; tunc enim integrum jus patronatus acquirit, *cap. Abbatem* 3. 18. *qu.* 2. *cap. Anobis* 25. *de jurepatronat.* idque si consensus Ordinarii accedat; nam ut dictum est, nequit Ecclesia ædificari absque illius consensu: quamobrem

nec acquiri jus Patronatus absque illius consensu, ut probat textus *in dict. cap. A nobis*. Zerola *in Praxi, verbo jus Patronatus, nu.* 2. Tondutus *quæst. benefic. 2. part. cap. 4. §. 9. nu. 15.* Barbosa *dict. allegat. 70 nu.* 20. Vivianus *in Praxi juris Patronat. lib. 1. part. 1. cap. 1. nu. 24.* Qui quidem consensus necessarius non est, ut præcedat in constructione Ecclesiæ, sed ut postea superveniat, idque non solùm ut rectè ædificatio fiat, sed etiam ad acquisitionem juris Patronatus, ut cum aliquibus tenet Palao *tom. 2. oper. moral. tractat. 13. disput. 2. punct. 2. numero* 8. Duranus *2. part. decis. 407. nu.* 8. Barbosa *dict. allegat. 70. nu.* 20. D. Gonzalez. *in dict. cap. A nobis, nu. 2. in fin.* Salgado *de Libert. Benefic. art. 3. à num. 2.*

34 Nomine Ordinarii enim intelligitur in præsentiarum Episcopus illius loci, ubi Ecclesia ædificatur, nam ad eum tantùm pertinet dare licentiam, & consensum Ecclesiam ædificandi: Ergo ad eum tantùm pertinebit dare consensum ad acquirendum jus Patronatus. Vivianus *dict. cap. 1. num. 30.* Zerola *verbo jus Patronatus, nu.* 5. Barbosa *dict allegat. 70. nu. 23.* Frasso *de Patronat. Ind. 1. part. cap. 4. nu. 14.* Quod quidem admittendum, etiamsi fundans sit alterius Episcopatus, nam id non attenditur; sed tantùm Ordinarii licentia, in cujus ædificatur Ecclesia, & cujus consensus est necessariò requirendus. Lambertinus *de iurepatronatus, libr. 1. part. 1. quæst. 2. artic. 3. in fine*, Massobrius *in Praxi habendi concursum, prælud. 6. numer. 11.*

35 De Vicario tamen Episcopi, an possit dare hanc licentiam, aliquod est dubium. Et affirmandum videtur, nam Vicarius habet generalem jurisdictionem ordinariam Episcopi, *cap. 2. de Offic. Vicarii in 6. cap. Romana 2. de appellation. in 6.* Covarr. *pract. cap. 4. num.* 8. Rodriquez *de modo examin. process. cap. 1. num. 30.* Mosconius *de Majestat. Militant. Ecclesiæ 1 part. libr. 1. cap.* 10. Unde ex ordinaria hac, & generali jurisdictione, quam exercet, poterit hanc licentiam concedere ad reservandum, & consequendum jus Patronatus in ædificatione Ecclesiæ. Cæterum hanc licentiam concedat Vicarius Capituli Sede vacante, Barbosa *de univ. iur. lib. 1. cap. 32. num. 88.* Tondut *2. part. cap. 4. §. 9 numero 16.* Frasso *dict. 1. part. cap. 4. num. 14.* Ergo eodem modo poterit dari à Vicario Episcopi, etiam ad reservandum, & consequendum jus Patronatus.

36 Sed contrarium tenent communiter DD. nam in generali commissione concessa Vicario Episcopi, quamplura non veniunt, nisi specialiter demandentur, prout sunt collationes Beneficiorum, *cap. ultimo, de offic. Vicarii in 6.* nec potest admittere resignationes Beneficiorum, nec ea supprimere, nec unire Beneficia, nec uniones, nec Ecclesias dividere, nec Vicarios imponere imperitis Rectoribus, de quibus, & aliis agit Barbosa *de offic. Episcopi 3. part. allegat. 54. à num.* 60. hoc enim modo in generali commissione non venit facultas erigendi, & constituendi Ecclesias, maximè cum reservatione, & acquisitione juris Patronatus. Et confirmatur ex decisione textus *in dict. cap. A nobis 25. de iurepatronatus*, ubi dicitur, absque Diœcesani licentia, & authoritate id fieri non posse: quæ verba diriguntur ad ipsam personam Episcopi, unde nec facilè credendum, ex generali commissione hanc facultatem demandari Vicario. Cæterum construere Ecclesiam, & in ea reservare & acquirere jus Patronatus, est de gravioribus non venientibus in generali commissione, nisi specialiter demandetur, *l. Quod servus, ff. de acquirend. possess. l. fi Procurator 6. ff. de condict. indebit.* Tuschus *lit. H. concluf. 31.* Medicis *de Regul. iur. 1, part. num. 2. cum sequentib.* quamobrem minimè in generali concessione Vicario conceditur, nisi specialiter demandetur; denique probatur, nam Vicarius Episcopi nequit præstare licentiam ad transferendum jus Patronatus de laico in laicum, Zerola *Verbo Vicarius, numero 11. & 13.* Sbrozius *de offic. Vicarii lib. 2. quæst. 197.* Rota quam sequitur Garcia *de Beneficiis, 5. part. capit. 9. num. 76.* Ferretus *consil. 247. num. 27.* Riccius *in Praxi, 1. part. resolut. 469. num. 3.* qui *num. 4.* id extendit, etiamsi Episcopus absens sit, quia absentia illius non dat Vicario jurisdictionem Barbosa *dict. allegat. 54. num. 75.* Ergo multò minùs ad ædificandam Ecclesiam cum acquisitione juris Patronatus. Gratianus *discept. forens. tom. 2. discept. 103. num. 12.* Rota apud Farinac. *2. part. decision. 337. num. 5. & 2. part. recentior. decis. 257. num. 2.* Ferretus *lib. 2. consil. 343. numer. 9.* Frasso *dict. cap. 4. n. 14. in fin.* Barbosa *dict. alleg. 54. nu. 74. & alleg. 70. nu. 53. & de univers. jur. lib. 3. cap. 12. nu. 40.* Palao *dict. punct. 2. nu. 9.*

Hanc sententiam admitto ob ejus fundamenta; & rationes adductæ pro ratione dubitandi faciliter dilabuntur. Prima enim responsum suscipit ex dictis, quia facultas ista est de gravioribus, nec intelligitur data Vicario, nisi specialiter concedatur. Secunda etiam adducta à simili Vicarii Capituli Sede vacante, prout ab aliquibus refertur, neganda est, quia solùm id poterit quando specialiter ad id habeat facultatem, prout dictum est de Vicario Episcopi. Unde benè Frasso loquutus est *dict. cap. 4. num. 14. in principio*, sic scribens. *Quo casu Ordinarius intelligitur etiam Vicarius generalis Sede vacante ad id facultatem habens*. In quo quidem sensu intelligendi sunt DD. asserentes, hanc licentiam posse dari à Vicario Sede vacante, aliàs solùm poterit dari ab ipso Capitulo, ut jam diximus *cap. 3. num. 1.* Barbosa *dict. 13. part. allegat. 70. num. 32.* Valensis *ad tit. de jure patronat. §. 1. num. 3.* 37

Rursus poterit hanc facultatem erigendi Ecclesiam ad consequendum jus patronatus, concedere non solùm Episcopus, sed qui haberet jurisdictionem quasi Episcopalem in illo loco, in quo erigitur, & construitur Ecclesia: nam hic consensus est actus jurisdictionis, quam habet. Quod extendendum ad consequutionem juris patronatus, nam qui habet facultatem ad dandam licentiam, ut Ecclesia construatur, habet facultatem ad ea, quæ inseparabiliter annectuntur. Unde Rota *2. part. divers. dec. 85.* censuit, Abbatem habentem potestatem ad dandam licentiam ædificandi Ecclesiam intra suam Parochiam, insimul habere potestatem, & authoritatem creandi, & acquirendi jus patronatus, est enim id necessaria consequentia ædificandi, seu construendi Ecclesiam. Lambertus *de iure patronat. 1. part. lib. 1. q. 2. art. 8.* Vivianus *in praxi iuris patronat. lib. 1. cap. 1. n. 17.* Barbosa *dicta allegat. 70. n. 30.* Palao *dict. punct. 2. nu. 9.* 38

Illud verò animadvertendum, quod si Episcopus renuerit, aut alius, qui habet hanc facultatem, licentiam præstare, tunc recurrendum esse ad Superiorem, *ex cap. Nullus 17. de iurepatronat.* ubi Abbas explicat. Meuochius *de Arbitrariis, lib. 2 casu 182. num. 12.* Azorius *Inst. Mor. 2. part. lib. 9. cap. 3. quæst. 8.* Barbosa *d. allegat. 70. n. 26.* qui animadvertit, id intelligendum quando Episcopus, vel alius habens hanc potestatem, absque legitima causa præstare licentiam recusaverit. Massobrius *in praxi, prælud. 7. dub. 7.* Palao *d. punct. 2. nu. 9.* Frasso *d. cap. 4. nu. 17.* quod quidem concludere debet ædificans, alias si absque consensu Episcopi processerit, & illo renuente, nullatenus Patronatum acquiret. Sanchez *cons. lib. 2. cap. 3. dub. 48. nu. 7.* Frasso *d. cap. 4. n. 17.* 39

Unde libet examinare doctrinam Urrutigoyti *de Ecclesiis Cathedralib. cap. 16. n. 59. & cap. 13. n. 59.* asserentis, constructorem Capellæ jus patronatus acquirere absque consensu Episcopi, vel ejus approbatione. Et probat, nam ex sola constructione, vel dotatione, absque Episcopi licentia acquiritur. Quamobrem Frasso *d. n. 17.* asserit, minimè Urrutigoyti admittendum. 40

Sed tamen doctrina Urrutigoyti habet difficultatem, & poterit salvari, nam est difficultas, an ultra consensum ad constructionem, vel dotationem Capellæ, requiratur alius consensus Episcopi ad acquirendum jus patronatus. Et Lambertinus *de iurepatronat. lib. 1. part. 1. quæst. 3. art. 3.* asserit, ultra consensum ad constructionem, requiri alium consensum ad jus patronatus acquirendum, quod multis probare conatur. Et ratio est, nam ex constructione sola, aut dotatione, solùm considerari valet assensus Episcopi ad rem illam piam legitimè faciendam congruo loco, & absque tertii præjudicio, nec ultra extenditur. Ergo ad acquirendum jus patronatus necessarius est alius consensus, maximè cùm ex hac acquisitione libertas ipsius Ecclesiæ, aut Capellæ infringatur. 41

Sed contrarium est tenendum *ex d. cap. A nobis 25. de iurepatronat.* ubi ad acquisitionem juris patronatus tantùm requiritur constructio Ecclesiæ cum consensu Episcopi; qui quidem consensus non supponitur à textu separatus à constructione, sed in ipsa constructione. Unde communiter eliciunt DD. solidam conclusionem, nempè jus patronatus acquiri ex constructione Ecclesiæ cum consensu Episcopi, 42

ſcopi, abſque aliquo diſtincto conſenſu. Abbas *ibid.notab.*1. Innocentius, Ancharanus, & veteres. Alagona, *ibid.* Barboſa & repetentes. Cæterùm ratione probatur, nam Jus ex ſola conſtructione cum conſenſu Epiſcopi præſtat jus patronatus ob præmium boni operis, prout etiam olim, qui operabatur in operibus publicis ſuis expenſis, maximo honore proſequebatur, & hanc ob rem nomine ædificantis in opere illo inſcribebatur, *l.Titiæ 38.§.fin.ff.de aur.& argent. legat.l.2.ult.ff. de operibus publicis*, ut etiam concedebatur applicanti de ſuo aliquam ſummam ad opus publicum efficiendum, *l.ult.§.1. de operib.publicis*, Briſsonius *lib.8.form.* D.Gonzalez *in d. cap. Anobis*, *n.* 4. quem morem ſequuta eſt Eccleſia, & ita conſtruenti, aut dotanti Eccleſiam jus patronatus conceſſit ex conſtructione ipſa, ſi ad illam adeſset conſenſus Epiſcopi, aut alterius hanc poteſtatem habentis, *cap. Piæ mentis* 16. *quæſt.* 1. Trident. *ſeſſ.* 14. *de Reformat. cap.* 12. Paulus Layman *in Summa*, *lib.* 4. *tit.* 2. *cap.*13.*nu.*2. D. Gonzalez *dict. nu.* 4. Idcircò alius conſenſus non eſt neceſsarius, niſi ille qui datur ad Eccleſiæ, ſeu Capellæ conſtructionem. Tandem jus patronatus ipſo jure competit ædificanti, ſeu conſtituenti Eccleſiam cum conſenſu Epiſcopi. Ergo non eſt neceſsaria nova licentia; eo enim ipſo, quod Jus conceſſit jus patronatus, conceſſit licentiam acquirendi. Notatur *in cap.*3.*de privileg.lib.*6. ut in Canonico abſente ad ſtudia, qui ſi habeat conſenſum Epiſcopi abſentiam, non indiget novo conſenſu ad fructus lucrandos, quia Jus ipſum illum concedit, ut cum aliquibus notat Rodriguez *in Summa*, *verbo Reſidentia*, *nu.*5. Ergo in præſentiarum, cùm ex ſola conſtructione cum Epiſcopi conſenſu acquiratur jus patronatus, non eſt neceſsaria nova licentia, quia eam Jus præſtat, ut benè tenet Sanchez *conſil. dict.lib.*2.*cap.*3.*dub.*48.*nu.*7.*in fine*, Cavalerius *deciſ.* 336. *n.*4. Barboſa *dict.lib.*3.*cap.* 12.*n.* 36. *in fine*.

43 Hinc ſequitur, poſse Urrutigoyti intelligi de hoc ſecundo conſenſu Epiſcopi, non verò de primo, de quo ſi ipſe ſenſerit, non rectè ſcripſit: ſed credo, virum perdoctum non ignoraſse textum *in d. cap. Anobis*, qui clarus eſt. Sed ſecundus conſenſus in veriori, & fortiori ſententia neceſsarius non eſt: unde ex Fraſso Clericus noſter vindicatur.

44 Secundo modo valet intelligi fundatio, nempè quando ſolùm fundaverit, non verò conſtruxerit, nec dotaverit; id enim maximè in Jure diſtinguitur; valet enim quis piè, & ſanctè totam Eccleſiam fundare, conſtruere, & dotare, ut dictum, & explicatum eſt: valet etiam tantùm dotare, aut fundare, aut conſtruere. In hoc ſecundo membro diſtinctionis quæſtio eſt, an per ſolam fundationem, conſtructionem, ſeu dotationem acquirantur jus patronatus? Prima ſententia negat, & requirit integram conſtructionem, fundationem, & dotationem, nempè quod ædificans ponat ſolum, conſtruat, & dotet. Ducitur ex deciſione textus *in d.cap. Anobis* 25. *de jure patronatus*, ubi ad acquirendum jus patronatus requiritur Eccleſiæ conſtructio cum aſſenſu Epiſcopi, ibi: *Quod ſi quis Eccleſiam cum aſſenſu Epiſcopi conſtruxerit, ex eo jus patronatus acquirit*. Conſtructio enim in dicta ſpecie intelligenda eſt de fundatione, conſtructione, & dotatione; quippè infrà, quandoque de fundatione tantùm loquitur, inquit tantùm honore proceſſionis habere, & inſimul ut ſi ad inopiam vergat, modeſtè ſuccurratur; non enim integrum habet jus patronatus, conſtans non ſolùm ex honore, ſed præſentatione, *cap. Decernimus* 32.*cap. Monaſterium* 33.16.*quæſt.*7.*cap.Per noſtras* 26.*de jure patr. l.*5.*tit.*15.*part.*1. Spino *de teſtament.gloſſ.*4 *nu.*4. Ergo ex ſola fundatione, conſtructione, vel donatione non acquiritur jus patronatus.

45 Cæterùm probatur, nam quando quis dotaverit Eccleſiam, & non integrè, vel inſufficienter, tunc non acquirit jus patronatus. Tridentinum *dict.ſeſſ.*14.*cap.*12. ibi: *Competenter dotaverit*. Sed tantùm Benefactor dicetur. Riccius *in Praxi for.deciſ.*123.*nu.*3. Garcias *de Beneſic.*5.*par.cap.*9. *nu.*52. Tondutus *quæſt.Beneſic.c.*73. *nu.*5. Sicut nec acquirit dans dotis augmentum. Rota 2.*p.recent.deciſ.* 571. & 5. *p.dec.*318.*nu.*5. Gratianus *diſcept.cap.*177. *nu.* 24. Barboſa *de univ. iur.d.lib.*3.*cap.*12.*à nu.*26.*& d.allegat.*70.*n.*15. Ergo minimè tantùm fundans, conſtruens, aut dotans, poterit acquirere jus patronatus. Conſequentia probatur, nam ſicut illi deficiunt ad complementum dotationis, ſimiliter qui tantùm fundat, deficit; nam Eccleſia non ex ſolo fundo conſtat. Rocchus *de jur.patronat. verb. Eccleſiam*, *quæſt.*2. Gregorius *in l.*1.*tit.*15.*p.*1.*gloſſ.* 3. Moneta *de commut. ult. volunt.c.*10.*n.*202. Garcia *dict.c.*9.*n.*44. Caſſadorus *dec.*6. *n.*10. *de jur.patronat.* & alii apud Fraſſum *d.c.*4. *n.*20.

Secunda ſententia tenet contrarium, & probat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.*14.*de Reformat. cap.* 19. ex cujus contextu decerpitur, tribus modis acquiri jus patronatus, nempè fundatione, conſtructione, & dotatione; quod tamen non requirit cumulativè, ſed ſeorſim, ita ut quilibet eorum modus ſit ſufficiens ad acquirendum jus patronatus. Idem diſertè probat textus Regius *in l.*1.*tit.* 15. *part.*1. quapropter aſſerendum, ex ſolo quolibet modo acquiri jus patronatus. Rurſus jus patronatus conceſſum eſt Eccleſias ædificantibus, ut alliciantur ad eas fundandas, conſtruendas, & dotandas; ſi enim tantùm concederetur omninò conſtruentibus, & dotantibus, non facilè ad illas conſtruendas allicerentur, ob graviſſimas expenſas, quæ non facilè poſſent fieri niſi à magnis Principibus, vel hominibus divitibus. Hanc ob rem rectè, & convenientiùs decretum eſt, ut ex fundatione, conſtructione, vel dotatione ſola jus patronatus acquireretur. Sanchez *dict.lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 48. *nu.*4. Spino *dict.gloſſ.*4.*nu.*28. Valenzuela *conſ.* 45. *nu.* 10. Layman *lib.* 4. *Summæ*, *tract.*2.*cap.* 13. *nu.*1. Caniſius *in cap.*3. *de jure patronat. à nu.*7. Valenſis *in Parat. ad tit. de jur. patronat. §.*1.*nu.*3. Barboſa *de Univ. iur.lib.*3. *cap.* 12. *ex nu.*28.*& nu.*61. Vivianus *in Praxi jur.patronat.d.*1.*p.lib.* 2.*cap.*5. *per tot.* 46

In hoc dubio duobus modis conſiderandus eſt caſus iſte. Primò quando integrè Eccleſia coſtructa, & dotata non eſt. Secundò quando integrè. Si enim adhuc completè non eſt fundata, conſtructa, & dotata, verum eſt, adhuc non eſſe jus patronatus acquiſitum, nec à fundatore, nec à conſtruente; nam cum Eccleſia adhuc perfecta non ſit, ſed in fieri, nequit quis habere jus patronatus in ea, *cap. Ad audientiam* 5. *de Eccleſiis ædificand* Sed tantùm interim habet jus ad rem, uſque dum integrè fuerit conſtructa, & dotata. Abbas 2.*part.conſ.* 106. Vivianus *in praxi*, 1.*part.lib.*2.*cap.*3. *à nu.*1. & in hoc ſenſu loquuntur DD. primæ ſententiæ, nec illam abſolutè tenent, ut exiſtimavit D. Gonzalez *in d.c.Anobis*, *n.*3. & ſatis clarè loquuntur Gregorius *in d.l.*1. *gloſſ.*3. Garcia *d.c.*9.*nu.*44. Rochus, & cæteri. 47

In ſecundo verò caſu, quando jam Eccleſia eſt integrè conſtructa, & dotata, in re eſt aliqua difficultas, ex Tridentino *ſeſſ.*14. *cap.* 12. an ex ſola fundatione, & conſtructione, ſeu dotatione acquiratur jus patronatus? Et negandum videtur, nam Concilium aſſerit, utramque cauſam intervenire debere, ibi: *De novo fundaver.t, & conſtruxerit.* Et *ſeſſ.*25.*de Reformat.cap.*9. aliter dicit, *Ex fundatione*, *vel dotatione*: ubi tantùm ex fundatione, & dotatione decernitur acquiri jus patronatus; unde quidem ob decretorum diverſitatem hæc deciſio incerta redditur, prout ex more aliquarum Provinciarum etiam incerta eſt, quia Felicianus de Vega *ad cap. Quantò, de judic.n.*24. ſcripſit, quod ſi fuerit conſuetudo in aliqua Provincia, ne acquiratur jus patronatus ex ſola fundatione, ſed ſimul cum conſtructione, ea erit obſervanda, prout in Hiſpania, in qua ſola fundatio ſine conſtructione non acquirit ſimile jus patronatus, ſed tantùm ille, qui coſtruxerit: Ergo in re nihil certum percipi valet, tam ex juris deciſione, quàm ex conſuetudine. 48

Sed hæc objectio, & dubietas jam ſuſcepit reſponſum; nam Decretum *in d ſeſſ.*14.*cap.*12. non aſserit, eſse neceſsariam fundationem ſimul cum conſtructione, ad acquirendum jus patronatus; ſed unam, aut alteram ſufficere; nam dictio *Et*, non ſemper copulat, & in unum reſolvit; quippè ſæpiùs ponitur inter diverſa, *c.Cùm olim* 34.*de teſtibus*, ubi Gloſs. & Scribentes, & cum multis tenet Barboſa *dict.* 110. *n.* 25. quamobrem ſenſus eſt Concilii, ex fundatione acquiri jus patronatus, prout ex ſola conſtructione. Alterum Decretum *in d.ſeſſ.*25.*cap.*9. intelligitur in illo verbo, *fundatione*, ſub quo etiam intelligitur conſtructio, quæ ſupponit jam integrè Eccleſiam fundatam, & neceſsariò cum conſtructione, & dotatione ſufficienti, ut benè interpretatur Garcia *d.*5.*part.cap.*9 *à num.*38. Menochius *lib.*3.*præſumpt.* 90. *à nu.* 6. licèt alio modo intelligant Gonzalez *ad reg.*8.*gloſſ.*18.*n.*50. Flaminius *de conſident.q.*28.*nu.*40. quapropter ex illis decretis decerpitur, ex ſola fundatione, conſtructione, & dotatione jus patronatus acquiri. 49

Ad conſuetudinem dicendum, eſse obſervandam, quia jam admiſſum eſt, fundantem non acquirere jus patronatus, ſed tantùm conſtruentem; idque cùm ſit conſuetudo 50

fa-

favorabilis Eccleſiæ, ut tantis Patronis non oneretur, & facilius ad libertatem perveniat, ut docuit Rocchus *verbo Dotavit, q.* 1. Vega *ubi ſuprà*, Garcia *d.cap.*9.*nu.*41. Barboſa *ad Concilium, d.ſeſſ.*14.*cap.*21.*nu.*3.

51 Hinc aſſerendum, ſecluſa conſuetudine, de jure communi ex ſola fundatione, vel conſtructione, aut dotatione acquiri jus patronatus, ita ut omnes ſint Patroni, tam fundans, quàm conſtruens, prout dotans, ut quilibet habeat jus patronatus pro illa parte, quam fecerit. Ratio eſt, nam cùm hæ cauſæ ſint modi acquirendi jus patronatus, & quilibet ſuam fecerit, tres omnes jus patronatus acquirent, ita ut ſint tres Patroni, niſi qui fundaverit, aut conſtruxerit, noluerint acquirere, aut deſierint; tunc enim qui ſufficienter dotaverit, integrè jus patronatus acquireret. Explicant Abbas *in d.conſ.* 106. Rochus *de iur. patronat.verbo Eccleſiam,qu.*2. Gregorius *in l.*1.*tit.*15.*par.*1.*gloſſa* 3. Barb. *de univerſo iur lib.*3.*cap.*12.*nu.*54. Sanchez *conſil. d.dub.*48. *nu.*4. Paulus Layman *lib.*4. *tract.* 2. *cap.*13. *nu.* 2. Azorius 2.*par.inſt. Mor.lib.*6.*cap.*19.*q.*4. Leſſius *de iuſt. lib.*2. *cap.*34. *nu.*22. Palao *d. tract.*13. *diſput.*2.*punct.* 2. *nu.* 4. Gonzalez *ad regul.*8.*gloſſ.*18.*nu.*33. Vivianus *in praxi*, 1.*par.lib.*2.*c.*1. *nu.*9.*& cap.*2.*per tot.*

52 Sed adhuc reſtat intelligendus textus *in d. cap. A nobis* 25. *de iur. patronat.* prout expendimus *ſuprà nu.* 4. ex quo deduximus, ex fundatione ſolùm conſequi jus proceſſionis, & alimentorum in caſu inopiæ, non verò præſentationem: quaproter ex fundatione ſola non acquiritur jus patronatus. Sed tamen reſpondendum, non dici ibidem, fundanti non acquiri præſentationem; eſt enim diverſum dicere, competere fundanti proceſſionem, & alimenta; & negare, præſentationem ipſi competere; & à diverſis minimè valet fieri illatio: quapropter dicendum, fundanti etiam competere præſentationem, præter juris proceſſionis, & alimentorum.

53 His expenſis, ſigillatim de qualibet iſtarum cauſarum acquirendi jus patronatus loquamur. Et in primis de fundatione. Dicitur enim fundare Eccleſiam, qui ſolum conceſſerit, aut donaverit ad illam conſtruendam, aut eam ſuis ſumptibus in proprio ſolo ædificaverit, *ex d.c.Abbatem* 18.*q.* 2.*cap.A nobis* 25.*de jur.patronat.l.*1.*tit.*15.*par.*1. Palao *dict. punct.*2.*nu.*5. Barboſ.*dict.cap.*12.*nu.*28. Garcia *d.c.*9. *n.*39. quod ſtrictè loquendo ita intelligendum. Aſt ex loquutione communi fundantes Eccleſias dicimus, non ſolùm qui dant ſolum, ſed etiam qui exſtruunt, quod alienum à Jure dicendum non eſt, *ex cap. Piæ mentis* 26.16.*quæſt.* 1.*cap.* 3. *de teſtam.* & animadvertit Caniſius *in cap.*3.*de iur.patronat.n.*2. Et verò neceſſarium ad acquirendum jus patronatus, ut qui fundum, aut ſolum dederit ad conſtruendam Eccleſiam, omninò dominium transferat; aliàs enim ſi dominium directum ſibi reſervaverit, utileque tantùm ad Eccleſiam ædificandam transferat, minimè jus patronatus acquiret; nam Eccleſia nequit hoc modo ædificari, ut poſteà à fundante aliquando poſſit repeti; unde nec in fundo emphyteutico valet Eccleſia ædificari, nec ex fundatione jus patronatus hujuſcemodi acquiri, Lambertinus *de iure patronat.lib.*1.*par.*1.*q.*2.*art.*2.*n.*2. Maſſobrius *in praxi,prælud.*7.*dub.*18. Barboſa *d.cap.*12.*n.*28.*& de offic.Epiſcopi,*3.*p. allegat.*70.*n.*3. qui ſcripſit, quod ſi aliquis habuerit in fundo, quo Eccleſia conſtructa eſt, dominium directum, & alter utile; ſi tamen conſentiat, ut ibi Eccleſia ædificetur, efficitur Patronus; nam ipſe eſt, qui realiter omninò dominium ſoli tranſtulit, Rochus *verbo Eccleſiam,q.*19. Vivianus *in praxi jur.patr.p.*1.*lib.*1.*cap.*1.*à nu* 32.

54 Hinc requiritur, quod ſi quis Capellam in Eccleſia ædificaverit, non erit ſolus Patronus, ſed etiam Eccleſia, nam cùm ipſa fundum præſtiterit, ſimul cum conſtruente acquirit jus patronatus. Abbas *in c. Cùm Eccleſia Vulterana*, *de elect.n.*8. Gonzalez *in reg.* 8.*gloſſ.*10.*num.*9. Rota *in antiquis dec.*15.*&* 16. *de iure patronat.* Lambertinus 1.*p. lib.* 1.*q.*8. *art.* 6. Niſi ædificans ſolum ab ipſa Eccleſia emerit, quia tunc ædificans eſt ſimul fundans, nec Eccleſiæ reſtat aliqua cauſa acquirendi jus patronatus, Gonzalez *d. gloſſ.* 10. *n.*14. Garcia *d.*5.*p.c.*9.*n.* 40.*&* 42. qui animadvertunt, hoc eſſe intelligendum, ſecluſa alia qualibet conſuetudine, prout in Hiſpania, ubi per ſolam fundationem non acquiritur jus patronatus.

55 Secunda cauſa acquirendi jus patronatus, eſt conſtructio Eccleſiæ, *c.Piæ mentis* 26.*c. Monaſterium* 33.*c. Filiis,& nepotibus* 31.16.*q.*7.*l.*1.*tit.*15.*p.* 1. quod idem eſt dicendum, quando Eccleſia eſſet penitùs diruta, & ab aliquo ædificaretur; nam tunc eſſet propriè conſtruens; ſi verò tantùm repararet, nullum jus patronatus acquiritur, ſed tantùm erit Benefactor. Azorius *d.lib.*16.*c.*19.*q.* 10. Rota apud Seraphinum *dec.*518.*n.*1. Spino *de teſtam.gloſ.*4.*princip.n.*28. Vivianus *in praxi iuris patronat.lib.*2.*c.*4.*n.*6. Palao *d.punct.*2.*n.* 5. Barboſa *d.c.*12.*n.*2. Quamobrem in his reædificationibus magnoperè eſt proſpiciendum, ut ſit totalis reparatio, ita ut in Eccleſia indigeat nova conſecratione, aliàs jus patronatus non acquiritur. Gratianus *diſcept.for.c.*177.*n.*26 prout in dotatione, quæ quidem integra debet eſſe, & ſufficiens ab aliquo præſtanda; aliàs enim ſi tantùm ab aliquo ſupplleretur, jus patronatus non acquiritur, ſed tantùm eſſe Benefactor; ut tenet Rota, quam refert, & ſequitur Garcia *d. c.*9.*n.* 59. Quod idem eſt dicendum in ſpecie, quia ſi omninò non reædificat Eccleſiam penitus deſtructam, jus patronatus nõ acquiritur. Garcia *d.c.*9.*n.*51. Riccius *collect.* 1559.*p.*5.

Hanc ob rem adnotandus eſt Menochius *lib.*3.*præſumpt.* 56
90.*n.*6. ne aliquis ceſpitet, ubi ſcripſit, per ditationem Eccleſiæ conſequi jus patronatus: quem reprehendit Garcia *d.c.*9.*n.*61. ſed non ratione exiſtente, quia Menochius loquitur de dotatione Eccleſiæ, eamque vocat ditationem, quatenus per dotem à paupertate liberatur, & ſuſcipit neceſſaria ad expenſas: quod quidem aliter non intellexit Menochius de ditatione, quando jam Eccleſia haberet ſufficientẽ dotem, & ab aliquo ditaretur; ſed quando ditatur dote ſufficienti, aut ditiori, ne Eccleſia indigeat, & reverà aliquis daret dotem, tunc enim proculdubio jus patronatus acquirit.

Si quis verò conſtruere Eccleſiam cœperit, non tamen 57
perfecerit, dubitari poterit, an jus patronatus conſequatur. Ratio enim dubitandi eſt, nam ut docet cum Lambertino Garcia *dict.cap.*9.*n.*45. ſtatim quod quis inceperit ædificare Eccleſiam cum conſenſu Epiſcopi, acquirit jus patronatus, licet non in exercitio, & effectu. Ergo conſequitur jus patronatus, Confirmatur, nam ſi alter perfecerit, nequit jus patronatus acquiri, quia ipſe dicit, quod non valet conſtructor, qui totam conſtructionem non fecit. Ergo neceſſariò debet acquiri à primo, in quo jam erat radicatum jus patronatus.

Sed in hoc dubio contrarium tenent DD. ſcribentes jus 58
patronatus non acquiri ab eo, qui cum conſenſu Epiſcopi ædificare cœpit, ſed ab eo qui perfecit. Et ratio eſt, nam jus patronatus non conſequitur niſi perfecto opere conſtructionis, vel donationis, vel ab ipſo ædificante, vel ab aliis. Plures refert Garcia *d.cap.*9.*n.*44. Gregor. *in d.l.*1.*tit* 15.*p.* 1. *gloſſ.* 3. Ergo niſi ædificator opus perficiat, non acquiret jus Patronatus, Lambertinus *d.*1.*p. q.*4. *art.* 1. Vivianus *in praxi juris patronat.d.lib.*1.*cap.*2.*nu.* 54. Garcia *d.num.*44. Barb. *de offic.Epiſcopi,* 3.*p.allegat.*70. *nu.*6. *in fin.*

Sed in re duobus modis eſt difficultas iſta concipienda. 59
Primò quando plures uno animo Eccleſiam conſtruerent, & una pars fieret ab aliquo, & altera ab altero, ita ut à pluribus conſtrueretur, & in hoc dicendum, omnes conſequi jus patronatus, & habebunt voces æquales: idque apertiſſimo exemplo comprobatur, nam ſi plures Eccleſiam dotaverint, ſufficienter omnes ſunt Patroni æqualiter, licèt unus plus quàm alter contribuat; nam eo ipſo, quod qui plus contulit, admiſit alium ſecum, videtur ipſi communicare jus ſibi competens in illo Patronatu, ut cenſuit Sacra Congregatio, quam refert, & ſequitur Garcia *d. c.*9.*nu.*53 Abbas *in rub.de iure patron.n.*16. Lambertinus *d.*1.*p.lib.*1.*art.*9.*q.*3.*à n.*4. Barboſa *d.allegat.*70.*nu.*13. Gregorius *in d.lib.* 1. *tit.*15. *par.... gloſ.*5. Ergo ſimiliter dicendum eſt in noſtro caſu in conſtructione Eccleſiæ, quod ſi plures conſtruant, omnes æqualiter erunt Patroni, dum uno voto omnes ad conſtructionem conveniant.

Secundo modo evenire valet, quando unus ædificare in- 60
ceperit, & opus reliquerit, & alter ex ſua voluntate perfecerit, tunc iſte ultimus conſequetur jus patronatus; nam ex eo quod primus opus deſeruit, & habuit pro derelicto, conſequitur ab occupante jus alterius, *l.*1. *cum ſequent. ff. pro derelict.* §. *penult.Inſt.de rer.diviſ.l.Quod ſervus* 36. *ff. de ſtipulat.ſervor.* Vveſembechius *in parat.ad tit.pro derelict.n.*3. Quamobrem jus Patronatus conſequitur, qui Eccleſiæ extructionem perfecerit, quando alter jam relinquerit. Cæterùm qui opus perficit, quoad effectum quaſi ſi totum exſtrueret, conſideratur; idcircò ab Eccleſia jus patronatus ei conceditur: idque maximè convenit, ut alteri ad perficiendas Eccleſias jam cœptas alliciantur.

Eſt

61 Eſt verò dubium, an quando ſoli domino inſcio in ejus ſolo aliquis ædificaverit Eccleſiam, cui acquiratur jus patronatus, an conſtruenti, an domino ſoli; Et aliqui dixerunt, dominum ſoli Patronum effici; ſi tamen contentus ſit, ut dominium ad Eccleſiam transferatur. Cardinalis *in cap. 3. de jure patronat. oppoſit. 4.* Barboſa *d. 3. p. allegat. 70. num. 3.* Sed Caniſius *in d. cap. 3. nu. 4.* aſſerit; non acquiri domino ſoli, verùm ipſe poterit Eccleſiam propria authoritate demoliri, *ex l. Quemadmodum 29. §. 1. verſ. Aliud eſt, ff. ad l. Aquiliam, l. Sed & ſi 27. in princip. ff. de ſervit. urban. prædior.* textus *in cap. 1. & 2. de novi oper. nuntiat.*

62 Sed in re dicendum, Cardinalis, & Barboſæ ſententiam admittendam eſſe in ſua propria ſpecie, nempè ſi dominus fundi, ſeu ſoli, in quo eſt ædificata Eccleſia, contentus de ædificatione, dominium integrè abſque aliqua reſervatione ad Eccleſiam transferant; nam eſt propriè fundans, nihil enim intereſt, an à principio, an ex poſt facto donaverit, cùm ſcierit Eccleſiam in ſuo ſolo eſſe ædificatam. Si verò dominus ſoli illud donare renuerit, nec aliquo modo dominium transferre, tunc minimè eſt demolienda Eccleſia, nec à domino fundi, nec ab alio. Ratio eſt, nam tunc ſolum cedit Eccleſiæ, ut cum Tiraquello, & Azorio diximus ſuprà: nam cùm dignior ſit, trahit ad ſe minùs dignum, §. *Si quis in aliena 33. Inſt. de rer. diviſ.* Quamobrem dominus ſoli nequit Eccleſiam demoliri, verùm ad repetendum pretium tantùm habebit actionem à conſtruente. Franciſcus Marcus *deciſ. 534. & 537.* Genuenſis *in praxi, quæſt. 249.* Thoro *in ſumma, privileg. 279.* Cæterùm alia ratione probatur, nam cùm privatus ad Eccleſiam conſtruendam poſſit compelli ad prædium, ſeu fundum vendendum, ut latè ſcripſimus *hoc lib. 1. cap. 1.* inde eſt, ut etiam invitus poſſit compelli ad pretium recipiendum, ne deſtruatur Eccleſia jam ædificata: Ergo minimè poterit illam demoliri; ſed conſtruens adimplebit pretium reſtituendi, Genuenſis *d. quæſt. 343. n. 3.* Thoro *d. Privileg. 179. in fin.*

63 Nec contrà eſt textus *in l. Quemadmodum 29. §. 1. ff. ad l. Aquil.* nam igi agitur de re profana, nempè de tigno injuncto in domo alterius, non ſuſpenſo in re propria, ſed in alieno; quamobrem authoritate propria poterit reſcindi à domino domus. Quod ſecus dicendum, quando Eccleſia eſt ædificata in fundo alieno; tunc enim favore Religionis non demolitur, ut eſt textus *in l. Oſſa 8. ff. de relig. & ſumpt. fun.* & tenet Gloſſa *in d. §. 1. verbo Protraxit.* Ergo textus ille nihil adversùs non agit.

64 Sed dices, in contrarium adeſſe textum *in cap. 1. de novi oper. nuntiat.* ubi Eccleſia demolitur novi operis nuntiatione facta, nec cautio reſtituendi pretium ſufficit, ut eſt textus *in cap. 4. & fin. ejuſdem tit. l. 1. §. Sed etſi, l. Prætor 20. §. 1. l. Stipulatio 21. §. 1. ff. de nov. oper. nuntiat.* Donellus *lib. 15. Comment cap. 45.* Faber *lib. 3. conject. cap. 8.* Gomez *in l. 46. Tauri, à num. 19.* Ergo in præſentiarum demolienda eſt Eccleſia. Sed reſpondendum eſt, textum *in d. cap. 1.* loqui quando Eccleſia ædificatur in præjudicium alterius, ut ibi conſtat: *Quæ in præjudicium baptiſmalis Eccleſiæ de Coſta, ab eiſdem Clericis eſt conſtruenda.* Quo quidem in caſu, facta novi operis nuntiatione, ſi ædificari Eccleſia in præjudicium alterius, cùm in altera verſetur iſdem favor, niſi adſit graviſſima cauſa; aliàs ſi ædificatur, erit deſtruenda. Barboſa *de univ. jur. lib. 2. cap. 2. nu. 13* Ergo *in d. cap. 1.* rectè demolitio admittitur. Verùm quando ædificata eſt in ſolo alicujus privati, ubi non verſatur eadem ratio, non eſt demolienda, ſed pretium tantùm reſtituendum, ut diximus *ſuprà, num. 60.*

65 Rurſus per dotationem etiam acquiritur jus Patronatus, *d. cap. Piæ mentis, cap. Filiis, 16. quæſt. 7.* Tridentinum *d. ſeſſ. 14. cap. 12. l. 1. tit. 15. p. 1.* Idque optimè decretum, ut Eccleſia habeat unde neceſſaria percipiat, non ſolùm quoad expenſas cultus, & reparationem, ſed etiam ad alimoniam Miniſtrorum: aliàs omnia facillimo negotio perirent. Tum quia ad ſimilitudinem Matrimonii dos iſta eſt deſignata; quamobrem ad ſufferenda onera illius eſt dos neceſſaria, *l. Pro oneribus 20. C. de jur. dot. cap. Salubriter 16. de uſuris.* Hanc ob rem, ut ad dotandas Eccleſias Fideles allicerentur, jus patronatus dotantibus conceſſum eſt. Caniſius *d. c. 3. de jure patronat. nu. 8.* Rochus *de jure patronatus, verbo Dotavit.* Barboſa *de univerſ. jur. lib. 3. c. 12. nu. 50.* Fraſso *d. c. 4. n. 1.* Quod idem eſt dicendum, quando Eccleſia jam fuerit dotata, & dote penitùs extincta; alius dotaverit de novo; tunc enim acquirit jus patronatus; nam perinde eſt ac ſi à principio dotaſſet, ex eo quòd dos in totum defeciſſet. Graffis *deciſ. 162. num. 18.* Lotterius *de re Benefic. lib. 1. quæſt. 31. num. 8. & lib. 2. quæſt. 8. nu. 32.* Riccius *collect. 1559. in fin.*

Eſt tamen dubium, an qui Eccleſiam poſt conſecratio- 66
nem dotaverit, jus patronatus acquirat. Prima ſententia negat, nam nulla ſervitus valet imponi in Eccleſia conſecrata, prout nec in aliqua re ſacra, *l. Servitutes 14. §. fin. de ſervit.* Jus enim Patronatus, ſervitus Eccleſiæ in jure conſideratur, ut eſt textus *in cap. 3. de jure patronat.* ubi Gloſſa & communiter Scribentes. Baldus *in rub. C. de uſufructu.* Ergo nequit conſequi jus patronatus in Eccleſia conſecrata per dotationem, Gloſſa *in dict. cap. Piæ mentis,* Barboſa *de univ. jur. lib. 3. cap. 12. nu. 55.*

Secunda ſententa tenet contrarium, & ducitur; nam li- 67
cèt Eccleſia ſit conſecrata, ſi tamen dos deficiat, nequit ipſa deſervire, *c. Si quis objecerit, 1. q. 3.* Quamobrem, ſi ob eandem cauſam ante conſecrationem, ob dotationem acquiritur jus patronatus, ſimiliter poſt conſecrationem. Cæterùm licèt ſervitus nequeat in re ſacra imponi, *ex d. l. 14. §. fin. l. Caveri ff. commun. prædior.* jus tamen Patronatus, ut advertit Baldus *ubi proximè*, non eſt propriè ſervitus, ſed eſt jus quoddam ſpirituali annexum, *cap. 3. de judic. cap. 16. de jure patronat.* quod conceditur in Beneficio à ſacris Canonibus, ob gratitudinem beneficii fundationis, conſtructionis, vel dotationis, *l. Sed etſi lege 25. §. 11. ff. de hæred. petit.* Ergo non impedit quin acquiratur jus patronatus, ſi ſit Eccleſia conſecrata, necne, quando dotatur. Denique major ratio eſt, ut jus patronatus acquiratur poſt conſecrationem Eccleſiæ per dotationem, quàm anteà. Ergo debet acquiri jus patronatus. Probatur, nam quando Eccleſia eſt conſecrata, eſt majus inconveniens, ſi ex defectu dotis diruatur, & pereat res ſacra, & ad uſus profanos reducatur, *cap. Ad hæc 4. de Relig. domibus.* Ergo major eſt ratio, ut acquiratur jus patronatus à dotante Eccleſiam poſt conſecrationem. Ergo dotans Eccleſiam poſt conſecrationem rectè acquiret jus patronatus. Innocentius *in rub. de jure patronatus*, Rochus *dict. verbo Et dotavit, nu. 4.* Caniſius *in dict. cap. 3. de jure patronatus, nu. 9.* Vivianus *d. 1. p. lib. 1. cap. 1. à num. 51.* Garcias *d. 5. p. cap. 9. nu. 54.* Azorius *dict. lib. 6. cap. 19. qu. 8.* Palao *d. diſp. 2. punct. 2. nu. 7.* Barboſa ipſi contrarius *3. p. alleg. 70. nu. 9. & 10.*

Tertia ſententia diſtinguit, quando Eccleſia fuerit fun- 68
data abſque dote; & tunc inquit hæc ſententia, poſt conſecrationem, ſi ab aliquo dotetur, conſequi jus patronatus. Secus verò ſi dotata fuerit, ut ex Abbate, & aliis ſuſcipit Rochus, *d. verbo Et dotavit, nu. 4.* Caniſius *d. n. 9.*

In hac difficultate illud in primis eſt certum, acquiri jus 69
patronatus per dotationem Eccleſiæ factam ante conſecrationem; ſi tamen adſit Epiſcopi conſenſu, & conſtruens, aut ejus hæredes requirantur, an velint dotare, necne; nam cùm eis hoc onus incumbat, in primis ſunt requirendi, ut dotent, aliàs tamen præjudicium eis inferretur, ut benè cum aliquibus notat Rochus *ubi proximè, num. 3.* Erit ergo diſceptatio, quando Eccleſia fuerit jam conſecrata, & id duobus modis contemplandum. Primò, quando Epiſcopus de facto illam conſecrarit abſque aliqua dotatione. Secundò, quando cum dote conſecraverit, ſed dos extincta, & deperdita eſt.

Primo enim caſu aliqui abſolutè tenuerunt minimè ac- 70
quiri poſſe jus patronatus à dotante. Tenent DD. primæ ſententiæ quibus addendus eſt Felinus *in cap. Cùm venerabilis, de except. num. 57.* & dicit probabile Palao nuperrimè allegatus, quatenùs contrarium dicit probabilius. Sed tamen admittenda non eſt hæc ſententia, ſed ſecunda contrarium firmans. Id probat Trident. *d. ſeſſ. 14. cap. 12.* quatenus abſolutè aſſerit, dotantem Eccleſiam ſuis ſumptibus, quando ſine dote fuerit conſtructa, acquirere jus patronatus; quæ quidem abſoluta loquutio comprehendit Eccleſiam, ſive conſecratam, ſive non, ut conſiderat Palao *dict. num. 7.* Cæterùm probatur, nam cùm Eccleſia poſſit dotari poſt conſecrationem, *c. 4. de conſecrat. Eccleſiæ, vel Alt.* ſimiliter poteſt acquiri jus patronatus, tanquam quid inſeparabiliter annexum. Nec obſtat aliquo modo eſſe ſervitutem, nam actus dotandi poſt conſecrationem retrotrahitur ad tempus ante conſecrationem, quando neceſſariò erat Eccleſia dotanda, prout ſæpiùs in jure ſimilis admittitur fictio, *c. Tanta, qui filii ſint legitimi.* Ergo ſemper dotans

acqui-

acquiret jus Patronatus, ut tenent DD. ſecundæ ſententiæ, Abbas *in c. Quoniam 3. de jur. Patronat. n.9.* Petrus Gregorius *de re benefic. cap.17. num.4.* Gregorius *in l.1. tit.15. par.1. gloſſ.3. & 6.* Rot. *1. part. diverſorum, deciſ.528. & 2. par. deciſ 99.* Layman *d. lib.4. tract 2. c.13. n.3.*

71 In ſecundo verò caſu, quando Eccleſia fuerit ſuo tempore dotata, & conſecrata, ſed tamen temporum injuria, aut Prælatorum incuria dotem perdidiſſet, ſi iterum ab aliquo integrè dotetur, conſequetur jus Patronatus. Et probatur, nam DD. tertiæ ſententiæ non clarè loquuntur, ſed tantùm decidunt in primo caſu, quando Eccleſia dotata non fuerit. Tum probatur, nam ut ſcripſimus *num.62.* quando dos Eccleſiæ omninò extinguitur, ſi aliquis dotaverit illam, conſequitur jus Patronatus; ſupponit enim doctrina illa jam Eccleſiam conſecratam, quatenus ſupponit, Eccleſiam fuiſſe dotatam, & dotem etiam extinctam, quod non breviter, ſed per multum temporis ſpatium fieri poſſe, palàm eſt. Ergo quamvis Eccleſia fuerit jam dotata, & conſecrata, adhuc ſi dote extincta integrè ab alio dotetur jus Patronatus: Ergo etiam poſt conſecrationem, ſi aliquis dotaverit Eccleſiam, jus Patronatus conſequetur.

72 At verò dotatio iſta integra intelligenda eſt, non verò ſufficiet dotem Eccleſiæ minutam complere, aut aliter augere; quia non dotans, ſed benefactor erit, quamobrem non conſequetur jus Patronatus, ut diximus *ſuprà*. Gloſſ. *in dict. cap. Piæ mentis 16. quæſt.7.* ubi etiam Turrecremata *num.6.* Armendar. *num.3. & 4.* Barboſa *in collect. ad cap. Quoniam, de jur. Patronat. num.9. & de univerſ. jur. lib. 3. c.12. n.56.* Lotterius *dict. lib 1. quæſt.8. n.32.*

73 Illud verò obſervandum, quod licèt Eccleſia conſtructa acquiratur jure Patronatus, licèt dotata non ſit, *cap. Cùm ſicut 4. de conſecrat. Eccleſiæ*, ubi gloſſa & communiter Scribentes, Selva *de Beneficiis, 1. part. quæſt.5 n.211.* Attamen in praxi id erit obſervandum, ne conſenſus ab Epiſcopo præſtetur ad acquirendum jus Patronatus, niſi eam dotaverit; ſi tamen requiſitus conſtruens, aut ejus hæredes dotare noluerint, tunc Arma, & Inſignia gentilitia raduntur, & ſepulchra amoventur: quod licèt de jure non procedat, attamen de facto in praxi jam eſt receptum, ut teſtatur Spino *de teſtament. gloſſ. 4. n.33.*

74 Denique in calce iſtius capitis diſquirendum, an fundans, conſtruens; & dotans Eccleſiam abſque aliqua reſervatione, acquirat jus Patronatus, an verò ſufficiat ſola fundatio, conſtructio, ſeu dotatio. Prima ſententia aſſerit, neceſſariam eſſe reſervationem juris Patronatus, ut acquiratur; nam quoties fundatur, conſtruitur, & dotatur Eccleſia abſque aliqua reſervatione, intelligitur conſtruens liberaliter eas expenſas donaſſe, & relictas eſſe in modum donationis, ſeu legati piè facti abſque aliquo onere Patronatus. Rochus *de jur. Patronatus, verb. Dotavit, nũ.9.* Lambertinus *de jur. Patronat. lib.1. art.1. quæſt.6. num.3.* Rota apud Seraphinum *deciſ.1353. à num.1.* Barboſa *d.3. part. allegat. 70. ſub num.20.* quia relinquuntur in puro eſſe donationis, ut cum Rebuffo tenet Salgado *de libert. Benefic. art.13. nu.2.* Ergo ſi non reſervaverit fundans, conſtruens, aut dotans jus Patronatus, illud non conſequetur. Præterea duo conſenſus Epiſcopi ſunt conſiderandi in conſtructione, fundatione ſeu dotatione Eccleſiæ. Primus ad conſtruendum, ædificandum, ſeu dotandum: alter conſenſus ſingularis ad conſequendum jus Patronatus. Ratio, nam ut conſiderat Vivianus *de jur. Patronat lib.2. cap.2. à nu.8.* jus Patronatus, aut eſt ſecundùm ſe ſpirituale, aut ſaltem ſpirituali annexum, *c. Quanto 3. de Judiciis*. Quamobrem ad illud conſequendum eſt neceſſarius aſſenſus Epiſcopi, nec ex ſola conſtructione, fundatione, aut dotatione poteſt acquiri, ſed incipit à conſenſu Epiſcopi, Barboſa *dict. allegat.70. n.20.* Salgado *dict. art.13. num.18.* Ergo ad petendum hunc ſingularem Epiſcopi conſenſum ratione acquiſitionis juris Patronatus neceſſaria eſt reſervatio animo acquirendi jus Patronatus, nec ſufficiet nuda fundatio conſtructio, ſeu dotatio. Tenet Paulus de Cittadini, *3. part. can.2. q.5 ex num.12.*

75 Secunda ſententia contrarium tenet ex deciſione textus *in c. Anobis 25. de jur. Patron. c. Decernimus 32. 16. quæſt.7.* ubi probatur, ex fundatione, conſtructione, vel dotatione conſequi jus Patronatus, quod ipſo jure fit, perfectis his omnibus: quamobrem fundans, conſtruens, vel dotant, non indigent aliqua proteſtatione, nec reſervatione, cùm liberaliter jus iſtud ipſo Jure conferatur. Cæterùm adducitur textus *in cap. Significavit 41. de teſtibus*, ubi quidam fundatores Eccleſiæ expreſſerunt, ſe liberè ædificare, ne acquirerent jus Patronatus. Unde colligunt DD. ne conſtructores, vel dotatores acquirant jus Patronatus, exprimere debere, aliàs ſemper conſequentur. Ergo nulla eſt neceſſaria reſervatio, vel proteſtatio, ut acquirant jus Patronatus. Rurſus ratione probatur; nam cùm ſit naturalis, & legitimus modus acquirendi jus Patronatus ex fundatione, conſtructione, vel dotatione, eo ipſo quod quis agit abſque aliqua contraria expreſſione, conſtat eo animo id feciſſe acquirendi jus illud; nam qui vult antecedens, vult conſequens neceſſariò ex ipſo ſequendum, *l.2. ff. de juriſdict. omn. jud. l. 1. §. fin. ff. de uſufruct.* Surdus *conſ.91. n.4.* Ferret. *in conſt. Cath. gloſſ.5. n.78.* Ergo in præſenti, niſi fundans, conſtruens, aut dotans expreſſerit, ſe nolle jus Patronatus, utique illud acquiret. Azorius *2. part. lib.6. c.19. quæſt.9.* Caniſius *in d. cap.3. de jur. Patronat. n.13.* Rota *2. par. diverſ. deciſ.167. n.4.* Rot. apud Tamburinum *de jur. Abbat. tom.3. deciſ.29. n.2.* Tondutus *2. part. Quæſt. Benefic. c.2. §.9. n.12.* Palao *d. punct.2 n.4.* Garcia *5. part. c.9. num.62.* Fraſſo *dict. c.4. n.27* Barboſa *dict. allegat.70. n.13.*

In hac difficultate tota eſt diſceptatio in diſquirendo animo fundantis, conſtruentis, vel dotantis; an quando nihil expreſſerit, habuerit animum acquirendi jus Patronatus? Nam ut docet cum Selva Zerola *Verbo Patronatus, n.2.* debet qui ædificat, conſtruit, & dotat, habere animum acquirendi jus Patronatus, aliàs ſi animum iſtum non habuerit, intelligetur liberalis donatio, ſeu legatum, quod non acquirit jus Patronatus, ut diximus: prout etiam videre eſt in eo, qui augmentum dotis Eccleſiæ conceſſerit, etiam ex conſenſu Epiſcopi, qui ſi id agat, minimè jus Patronatus acquirit, niſi plures dotantes inſimul liberè concurrant ad dotem ſufficientem cõſtituendam; nam inter eos dividitur pro vocibus jus Patronatus. Palao *dict. punct.3. n.4.* Barboſa *dict. allegat.70. n.15. & 16.* 76

Animus verò iſte ſi declaratus fuerit à fundante, conſtruente, vel dotante, declaratione illius ſtandum eſt, *c. Significavit 41. de teſtibus*. Erit ergo dubium, quando nihil expreſſerit, verùm de ſolo facto conſtet fundandi: conſtruendi, vel dotandi. Et in hoc caſu communis eſt ſententia, intelligi de jure, animo acquirendi fundaſſe, conſtruxiſſe, vel dotaſſe, ut tenent DD ſecundæ ſententiæ. Gregorius *in l.1. tit.15. par.1. gloſſa 6.* Flaminius *de confident. quæſt.28. num.231.* Genuenſis *in Praxi, cap.61. num.14.* Sed in re dicendum, duobus modis conſiderandum animum iſtum. Primò, animum fundandi, conſtruendi, ſeu dotandi Eccleſiam, Secundò, animum acquirendi jus Patronatus. Quoad primum, animum fundandi conſtruendi, vel dotandi neceſſarium eſt exprimere, & proteſtari coram Epiſcopo, & ejus aſſenſum petere. Ratio eſt, nam cum ex illo animo ſic declarato, abſque aliqua reſervatione acquirat jus Patronatus, id debet exprimi coram Epiſcopo, ut ipſe agnoſcat, an congruentius ſit illud jus Patronatus in Eccleſia illa concedere fundanti, conſtruenti, vel dotanti; aliàs enim abſque prævia cognitione Eccleſia non libera fieret, & dependens à Patrono, quod non eſt admittendum. Hanc ob rem ſemper eſt declarandus animus iſte conſtruendi, fundandi, ſeu dotandi Eccleſiam coram Epiſcopo, aliàs jus Patronatus non conſequetur. Abbas *in c. Quoniam 3. de jur. Patronat. n.12.* Barboſa *dict. allegat. 70. n.12.* Paul. Layman *lib.4. tract.2. c.13. n.3. in fin.* 77

Si tamẽ ſecundo modo conſideremus hunc animum, nempe acquirendi jus Patronatus, neceſſaria nõ eſt aliqua proteſtatio, ſeu reſervatio; nam ex eo quod declaravit animum fundandi, conſtruendi, vel dotandi, & Epiſcopi ſuum preſtet conſenſum, ſatis declaratus eſt animus acquirendi jus Patronatus. Et ratio eſt clara, quia animum declaravit eo animo; & modo acquirendi jus Patronatus, non verò liberaliter donandi fundum, nec conſtructionem, nec dotem. Ergo nõ eſt neceſſaria alia declaratio animi acquirendi jus Patronatus. Confirmo diſcurſum ex doctrina Abbatis *in d. c.3. n.10.* cui conſentiunt plurimi relati, & ſequuti à Caniſio *ibid. n.15.* ubi ſi aliquis donet Eccleſiæ dotatæ ſimpliciter, non conſequitur jus Patronatus, quia intelligitur liberaliter donaſſe ex eo quod non dedit dotis nomine. Ergo quoties aliquid conceditur Eccleſiæ, fundationis, conſtructionis, vel dotationis nomine, jus Patronatus conſequitur; intelligitur enim eo animo acquirendi dediſſe, nec poſteà indigebit altera declaratione per proteſtationem, vel reſervationem. 78

Hucuſ.

79 Hucuſque dicta intelligas de Eccleſiis ſæcularibus; in Regularibus enim ad acquirendum jus patronatus, requiritur aſſenſus Apoſtolicus; aliàs enim laici non conſequentur jus patronatus in eorum Eccleſiis, ſeu Capellis. Ancharanus *conſ.* 113. *n.* 3. Tondutus *Quæſt. Benefic. 1. p. c.* 73. *nu.* 3. Rota apud Farinac. *tom.* 2. *dec.* 364. Paolo *d. punct.* 2. *nu.* 4. *in fin.* Quod intellige quoad jus præſentandi Religioſos; quoad verò jus honorificum, poterit concedi abſque Apoſtolica licentia. Cavalerius *dec.* 265. *à n.* 6. Tondutus *d. c.* 73. *nu.* 19. qui ſcripſit, poſſe Religioſos ex mera gratitudine, & urbanitate Benefactori concedere facultatem arma ſua ſculpi, & depingi facere in ſua Eccleſia, ſeu Capella, dum tales benefactores declarent, per hujuſmodi armorum impoſitionem nullum jus acquirere, aut titulum, niſi illum Benefactorum.

CAPUT VI.

De reparandis Eccleſiis.

SUMMARIUM.

Reparatio Eccleſiarum eſt opus piiſſimum, & comparatur ædificationi, & ſignum eſt prædeſtinationis, n. 1.

Si Eccleſia collapſa ſit alicuius damno, ipſe tenetur reficere, n. 2. *Illuſtratur exemplis, nu.* 3.

An Eccleſia ab aliquo damnum paſſa habeat tacitam hypothecam in bonis nocentis, negat Gonzalez, nu. 4. *Tacita hypotheca non contrahitur, niſi in caſibus à iure expreſſis, nec contrahitur ab uſurario, ibid.*

Sed contrarium tenet PeKius. De Jure Canonico, ex ſolo damno dato contrahitur tacita hypotheca, quod idem dicendum in adminiſtratione rerum Eccleſiæ, nu. 5. *Et præfertur hypotheca iſta doti, prout in reſtitutione malè ablatorum, nu.* 6.

Explicatur doctrina Pekii, & textus in cap. Litteris 5. de raptoribus, *n.* 7. *&* 8. *Hæredes tenentur ſolvere debita, & damna data à teſtatore, ibid.*

Explicatur textus in cap. fin. de Sepultur. *& ibi Gloſſa verbo* Sed ejus hæredes, *nu.* 9.

Tacita hypotheca inducitur ab ipſa lege tantùm, & ex facto hominis, vel ex paritate rationis, ut in exemplis ibidem recenſitis, n. 10.

Reſolvitur quæſtio, ut nullo ex hio modis in præſenti contrahatur tacita hypotheca, n. 11. *Ex ſola adminiſtratione tutoris, vel curatoris contrahitur tacita hypotheca, nu.* 12. *Fit inſtantia, & reſpondetur, n.* 13.

Ex ſolo damno de Jure Canonico non admittitur tacita hypotheca, & probatur, nu. 14. *Reſpondetur fundamentis Pekii. In ſyndicis S. Franciſci non datur tacita hypotheca, n.* 15.

Prælatus ex cujus culpabili negligentia Eccleſia collapſa eſt, tenetur ad reparationem, ſicut judices. Hæc negligentia eſt probanda, n. 16.

Quando Eccleſia temporum injuria, vel caſu reparatione indigeat, ex bonis Fabricæ eſt reparanda, nu. 17. *Unde magna cura ab Epiſcopis eſt agendum, ut Eccleſiæ dotentur ad earum reparationem, n.* 18.

Patroni ad reparationem Eccleſiarum tenentur ex Tridentino. Sed quomodo teneantur? aliqui dicunt, quatenus fructus ex illa percipiunt, nu. 19. *Quarta pars fructuum olim ad reparationem Eccleſiæ deſtinata, hodie diſtributa eſt cum eadem obligatione, ibid.*

Alteri dicunt, etiamſi fructus aliquos non percipiat, n. 20.

Quando Patronus Eccleſiam non dotavit, tenetur ad reparationem, etiamſi Epiſcopus abſque dote eam conſecraverit, nu. 21.

Si verò Eccleſia fuerit à principio dotata, dote deperdita, aut inſufficienti, tenetur contribuere: ſed an ante Parochum, & participes id fiat, aliqui negant, alteri affirmant, nu. 22.

Sed ſimul cum aliis tenetur pervenire ad tributũ, quod ut certius admittitur, & expenditur Tridentinum. Dictio &, eſt copulativa, regulariter loquendo, nu. 23. *Limita niſi Patronus ad evictionem dotis Eccleſiæ teneatur, n.* 24.

Patronus, ut Patronus, ſimul cum aliis Clericis tenetur pro rata contribuere ad reparationem Eccleſiæ, n. 25.

Quando Eccleſia libera eſt, prius eſt reficienda ex bonis Fabricæ, & ſi non ſint ſufficientia, participes fructuum contribuere debent, nu. 26.

Id pro rata fructuum, & quid in hoc Archiepiſcopatu? Rata portionum extrahitur, prout in defalcatione legatorum, nu. 27.

In his contributionibus ſemper eſt relinquenda congrua Parochis, & ſervientibus adminiſtrationi Sacramentorum, quæ debet eſſe ſecundùm naturam, n. 28.

Examinatur hæc doctrina per aliquos caſus, n. 29. *Quando populus eſt pauper, & alii non ſunt participes, Parochi, & Beneficiati debent eſſe contenti congrua naturali, nu.* 30. *Quando alii ſunt participes fructuum, ſemper eſt relinquenda cõgrua decens adminiſtrantibus. Fructus ad participes tranſeunt cum hoc onere, relicta cõgrua Parochis, & Beneficiatis adminiſtrantibus, ibid.*

Congrua non debetur non adminiſtrantibus, ubi duo obſervanda ſunt in hoc Archiepiſcopatu, à Quæſitoribus majoribus. Primò, ne in reparatione Eccleſiæ vocent ad tributum Parochos non habentes niſi congruum, n. 31. *Secundò ne quando vocentur, decentem congruam eis relinquant, n.* 32.

An quando Parochiani ſunt divites, congrua decens ſit relinquenda adminiſtrantibus? Sufficere naturalem, affirmandum videtur, quia Parochiani non tenentur niſi in ſubſidium, nu. 33.

Sed defenditur contrarium, congrua decens eſt neceſſaria reſpectu ſtatus Clericalis, n. 34. *Laici tenentur contribuere ad ædificationem, & reparationem Eccleſiæ, ſicut ad cæteras operas publicas. Clerici ad communia contribuunt, quando non ſuppetunt facultates laicorũ, n.* 35.

Hæc congrua decenti relicta, cæteri ad reparationem Eccleſiæ relinquuntur, & ſi iſti non ſufficiant, tenentur Parochiani, n. 36.

Ad hanc contributionem tenetur nobiles, & Clerici, etiamſi beneficiis renuntient, aut proteſtentur nolle uti Eccleſia, nu. 37.

An hæc contributio Parochianorum facienda ſit per capita, an ſecundum facultates? Secundum capita affirmandum videtur, ut ſalarium Medici, vel Judicis, nu. 38. *Sed in contrarium eſt communis ſententia, n.* 39.

Explicatur quæſtio de diviſione collectarum, & reiicitur Cancerius dicens hanc contributionem eſſe patrimonialem, num. 40.

Dicendum eſſe perſonalem habito reſpectu ad bona cujuſcunque, vel patrimonialem reſpectu perſonarum, admittitur communis ſententia, & defenditur, nu. 41.

An forenſes poſſint obligari ad hanc contributionem, affirmandũ videtur, quia poſſunt collectari ad ædificia publica, n. 42. *Sed contrarium tenet communis ſententia, n.* 43.

Quando Forenſis habet bona in illo territorio, prima ſententia aſſerit teneri, ſicut tenetur ad reparationem murorum, viarum, & pontium, num. 44. *Secunda tenet contrarium, nu.* 45.

Examinatur difficultas de jure communi, & Regio. Aliqui dicunt hanc contributionem eſſe purè realem: onera realia debentur ubi ſunt bona, nu. 46.

Sed non eſſe unus reale defenditur. Quando collecta imponitur pro bonis eſt realis, nu 47.

Et patrimonialis reſpiciens principaliter ipſas perſonas, n. 48. *Unde admittitur ſententia aſſerens forenſem, licet habeat bona in territorio, non teneri ad contributionẽ pro ædificanda, ſeu reparanda Eccleſia, n.* 49. *Ad impoſitionem collectæ requiritur juriſdictio imponentis, ibid.*

Limita ſi obtinuerit privilegium à Principe, ut bona collectentur pro tributis perſonalibus, vel ſtatutũ à Republica nõ recognoſcente Superiorẽ, ut plurimo tempore non corroboratum. Idem dicendum ſi Forenſis ibi habuerit domicilium, ſeu habitaverit pro majori anni parte, n. 50.

De Jure noſtro Regio videtur forenſem contribuere, ubi adſunt bona, ex l. 5. tit. 9. lib. 7. recopilat. *n.* 51. *Sed contrarium defenditur, & explicatur lex 5 n.* 52. *Reſpondetur argumento contrario, n.* 53.

Forenſes quando non habuerint bona in territorio, & fuerint peregrini, & tranſeuntes, non tenentur ad hanc contributionem, niſi contributio ſit impoſita in rebus comeſtibilibus, aut in contractibus ibi celebrandis, n. 54.

Sed ſi forenſes diu ibidem commorentur ad negotia, vel ad ſtudia, an ad hanc contributionem teneantur, negandum videtur, n. 55. *Sed contrarium admittitur, ſi adſit conſuetudo, ut collectentur: ſimiliter de jure dicendum defenditur, & reſpondetur contrariis, n.* 56.

Ob-

Obſervandũ denique eſt, ut ſi Eccleſia refici, aut reparari poſſit ex bonis communibus, non eſſe deveniendum ad collectas, n.57. Incolumitas Reipublicæ pendet à conſervanda Religione Catholica. Non eſt deveniendũ ad bona civium, quoties neceſſitas valet ex bonis communibus ſuppleri, ibid. Si nec per bona publica, nec per collecta, Eccleſia quis refici, ſeu reparari, ad providentiam Epiſcopi pertinet medium quærere, ut reparetur, vel quod fructus beneficiorum vacantium ad reparationem Eccleſiæ applicentur, n.58.

An poſſit facere Epiſcopus, ut fructus ſuperſtites alicujus divitis, Eccleſiæ applicentur ad hanc reparationem. Prima ſententia negat abſque conſenſu Apoſtolicæ. Alienatio bonorum Eccleſiæ nequit fieri abſque utilitate illius, & nequit commutatio fieri ab Epiſcopo, n.59.

Secunda ſententia affirmat, n.60. Explicatur dubium, quando diſmembratio fructuum fieri nequit ab Epiſcopo, nu.61. Secus ſi ſit portio aliquorum fructuum conſumendorum pro unica vice. Bona immobilia Eccleſiarum abſque ſolemnitatibus non alienantur, ſecus ſi mobilia, vel pecunia, aut uſu conſumptibilia: quare in his facere, valet Epiſcopus applicationem, num. 62. aut dando per modum eleemoſynæ, n.63.

Poterit etiam Epiſcopus perſonas deſignare ad petendas eleemoſynas per Dioeceſim, ad reparandam, vel reficiendam Eccleſiam. Parochi, aut Beneficiati defuncti, qui perceperunt plures redditus ab Eccleſia ſuo tempore diruta, contribuere tenetur, n.64.

Ad reparationem Eccleſiæ Cathedralis bona Fabrica ſunt obligata, & in ſubſidium Epiſcopus quartam partem fructuum dabit, n.65.

An Epiſcopus ultra quartam teneatur ad communem contributionem. Prima ſententia negat, num.66. Fructus Canonicorum ſunt obligati ad hanc reparationem, ibid.

Secunda ſententia aſſerit, teneri Epiſcopum ultra quartam, relicta congrua, alios fructus contribuere, quibus deficientibus, tenentur Canonici, n.67.

Si Fabrica habet bona ſeperata, ex eis reficitur Eccleſia: Si habet Epiſcopus quartam, ut olim, hanc tenetur reſtituere. n.68.

Urrutigoyti affirmat, teneri Epiſcopum contribuere ſibi tantùm congrua relicta: ſed tantùm teneri pro rata fructuum contribuere cum Canonicis, affirmamus, n.69. Fit inſtantia, & reſpondetur, n.70.

Onus reficiendi Eccleſiam eſt fructuum æqualiter, nu.71. & realiter ineſt in qualibet portione, n.72.

Quando non ſufficiunt fructus Epiſcopi, & Canonicorum, cæteri Clerici, & Parochiani Eccleſiæ Cathedralis ad contribuendum veniunt, n.73.

Rex Hiſpaniæ ad hanc contributionem Cathedralium, non tenetur, ſecus in Cathedralibus Regni Granatenſis, & Indiarum, ratione juris patronatus, n.74.

Quod dictum eſt de contributionibus in ædificandis, & reparandis Eccleſis, intelligitur de jure communi, ſi tamen ad id adſint aliquæ conſuetudines obſervandæ, veluti ornandi capellam, vel habendi lampadem ardentem ante Sanctiſſimum Sacramentum, n.75.

Hæ conſuetudines debent eſſe claræ, & non turbidæ, & debent ab allegante probari, n.76.

Quis ſit judex competens ad refectiones Eccleſiarum, & ad cogendum contribuentes: aſſeritur eſſe Epiſcopum, & carpitur Cevallos, n.77.

An judex ſæcularis, maximè Princeps, ſi præveniat, ſit competens. Prima ſententia negat, n.78. In cauſis ſpiritualibus, & decimarum non cognoſcit ſæcularis, nec contra perſonas Eccleſiaſticas, ibid.

Secunda ſententia affirmat, n.79. Cauſa eſt mixti fori, ibid. Explicatur factum Ioas, & Ioſiæ, n.80. Aliter etiam intelliguntur, n.81. Alia jura explanantur in cap. ult.90. diſt. cap. Sicut 48. ad fin. 23. q.4. l. Si in alienam 7. §. Ædes ſacra, ff. de offic. Proconſul. *n.82.*

Et amſi reparatio Eccleſiarum ſit cauſa pia, nequit cognoſcere ſæcularis judex, & datur ratio, n.83. Protectio principum in Eccleſias nullam dat juriſdictionem, ſed tuitionem, n.84.

Datur diſtinctio in hac difficultate, ut Princeps ſæcularis non poſſit procedere in reparatione adverſus Epiſcopum, & clericos fructus percipientes, n.85.

Sed quando Parochiani, & alii ſæculares debent contribuere ad reparationem Eccleſiæ, ſeu ſunt danda bona communia, adhuc Marta dicit ſolum Eccleſiaſticum eſſe competentem, niſi periculum ſit in mora, nu.86. Sed contrarium defenditur, n.87. Actor ſequitur forum rei, ibid.

Sed quid ſi Clericus ſimul cum laico teneatur contribuere ad reparationem Eccleſiæ, an judex ſæcularis ſit competens, pendet ab alia quæſtione, an quando clericus tenetur ad collectas, poſſit compelli ad ſolvendum. Prima ſententia affirmat, num.88. Secunda dicit priùs eſſe requirendum Epiſcopum, num. 89. Tertia abſolutè negat, ibid.

Bona clericorum ſunt exempta, ut eorum perſonæ, n.90.

Prima ſententia eſt animabus valde periculoſa, ad quam dant aliqui cautelas, n.91. Refelluntur, & reſolvitur in ſpecie procedere non poſſe Sæcularem contra Clericum, num.92.

Epiſcopus poteſt procedere contra exemptos pro reparatione Eccleſiæ, n.93. In hac cauſa proceditur appellatione remota, n.94. Dicta extenduntur ad ornamenta, vaſa ſacra, luminaria, campanile, & alia ſimiliter neceſſaria ad domum Rectoris, n.95.

REparatio Eccleſiarum, opus piiſſimum eſt, & ædificationi comparatur, ut eſt elegans textus *in l.* 3. §. *Hoc autem, ff. de itin. actuque privat.* ibi: *Ædificare autem non ſolum qui novum opus molitur intelligendus eſt, verùm is quoque, qui vult reficere.* Quapropter ſicut eſt opus piiſſimum ædificare Eccleſias, ſimiliter reficere, præcipuè quando collapſæ ſunt. Balmaſeda *de collect. q.56. nu.1.* Qui animadvertit ſignum eſſe prædeſtinationis Eccleſias ædificare, ſeu reficere, quatenùs Dominus liberaliter gratias, & dona concedit conſtruentibus, aut illas reficientibus, Eccleſiaſt. *c.49. & 50.* & eſt apud Lucam *cap.7.* locus elegans, ibi: *Dignus eſt, ut illi hoc præſtes: diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificavit nobis.* Seniores enim Hebræorum hanc cauſam propoſuerunt Chriſto Domino, ut ſanaret ſervum Centurionis, qua quidem audita, ſtatim eum ſenavit. Unde cognoſcitur, Deum ædificantibus, & reficientibus Eccleſias, valde ſe gratum & beneficum exhibere, & liberalem ad animas ſanandas. Hanc ob rem Eccleſias ædificare, ſignum eſſe prædeſtinationis benè deducunt Doctores. Ripa *in Vita S. Tereſiæ, lib.2. c.12.* Lara *de Anniverſ. lib.1. c.1. n.50.* 1

Hoc igitur ſuppoſito obſervandũ, duobus modis poſſe Eccleſias reparatione indigere, aut quia ab aliquo damno dato collapſæ, ſeu dirutę ſunt, aut alioquoq; modo damnificatę, vel temporum injuria, caſu, alluvione, & tempeſtate. Primo enim modo expenſis illius qui damnum dedit, reficiendæ, vel conſtruendæ ſunt, idque de jure divino, & naturali, præcipiente damna quælibet illata reſtituere. *Luc. cap.5. Exod. c.1. & 12. l. Si fideiuſſor, ff. Mandat. l. Si merces 25. §. Culpa, ff. locat. l. Quod ſi Epheſi, ff. de eo quod cert. loc.* Unde Ovidius. 2

Facta manu culpaque tua diſpendia ſentis.

Ergo quando aliquis damnum dederit Eccleſiis, ſuis expenſis ſunt reficiendę, aut conſtuendę, Unde rectè decrevit Hyginus Pontifex *in c. Si quis* 14.17. *quæſt.4. Si quis Eccleſiam igne combuſſerit, quindecim annis pœniteat, & eam ſedulo reſtituat.* Similiter Joan. Pontifex *in cap. Quiſquis* 21. *§. fin. eadem cauſa, & quæſt.* ſic ſtabilivit. *Si qui Monaſteria, vel loca Deo dicata, & Eccleſias infringant, & depoſita, vel alia quælibet inde abſtrahant, damnum novies componant.* Eſtque etiam textus *in cap. conqueſtus 16. de foro competenti*, ubi Pontifex aſſerit ſimilia damna dantes, cenſura eſſe compellendos ad reſtitutionem, ut latè proſequuntur Petrus Pekius *de reparand. Eccleſiis, c.3.* Palacius *rub. in repetit. ad textum in c. Per veſtras, de donat. notabil. 2. §. 1. num.3.* Decianus *tract. crim. lib.2. c.36.* Boſſius *in praxi crim. tit. de ſacrilegiis, num.7.* Paz *in praxi, 2. p. tit.2. prælud.2. nu.19.* Tuſchius *tom 4. lit. I, concluſ.445. num.19. & concluſ. 440. num. 10.*

Hæc enim veritas adeò clara eſt, ut etiam Ethnicis obſcura non ſit, quia Pompejus pecunias à Templo abſtractas retinere noluit, quin reſtituit, ut ſcripſit Joſephus *Antiquit. lib.14. cap.8.* Maſſiniſſa Numidarum Rex, cùm ejus Præfectus claſſis Melitam appuliſſet, denteſque eburneos eximiæ 3

magnitu-

magnitudinis ex fano Junonis ſublatos, ei obtuliſſet, ſtatim ac agnovit undet erant advecti, quinqueremi reportari Melitam, & in templo Junonis collocari juſſit, & inſimul curavit ut ibi ſcriberetur, Regem ignoranter accepiſſe; eoſque libenter Deæ reddidiſſe. Simile exemplum legitur de Cornelio Sylla, & de Thymaſitheo Liparinorum Principe. Refert Valerius Maximus *lib.1. tit. de neglect. Relig. cap.* 2. Pekius *dict. cap.*3. *à num.*3. Unde cognoſcitur, etiam Ethnicos, adhuc nebula falſæ religionis obcæcatos cognoviſſe, domus Templis data eſſe reſtituenda.

4 Hinc examinanda eſt difficultas, an Eccleſia, quæ ab aliquo eſt deſtructa, ſeu diruta, ita ut reparatione indiget, habeat tacitam hypothecam in bonis delinquentis, ut facilè poſſit conſtrui, & reparari? Et negandum videtur, nam tacita hypotheca non contrahitur niſi in caſibus a jure expreſſis, *l.2. ff. de privil. credit.* ubi Gloſſa *verb. Aprivilegio*, Surdus *deciſ.*30. *n.*9. Vivius *deciſ.*451. *num.*6. *verſ.*2. Mantica *de tacit. lib.*11. *tit.*12. Gaito *de credit. cap.*4. *quæſt.*5. *à num.*54. Barboſa *lib.*3. *vot.*82. *num. fin.* Sed in caſu iſto nullum eſt jus decernens tacitam hypothecam in bonis deſtruentis, aut frangentis Eccleſiam. Ergo nullo modo eſt concedenda tacita hypotheca. Cæterùm Eccleſia comparatur civitati, non tamen Fiſco, & ideò ſicut civitas non habet tacitam hypothecam in bonis illius, à quo damnum percipit, *Authent. de non alienand. §. Scire*, Neguſantius *de pignor.*4. *membr.*2. *p.n.*121. Barboſa *dict. vot.*82. *num.*72. ſimiliter non habebit Eccleſia. Rurſus ex ſola damnificatione, & damno illato non contrahitur tacita hypotheca, prout probatur in uſurario, qui licèt contra jus divinum, & naturale delinquat aliena rapiendo per uſuras, *c.*4. *de uſuris*: attamen in ſuis bonis non contrahitur tacita hypotheca. Cajetanus *tom.*2. *Opuſcul. tract.*8. *cap.*4. Soto *lib.*6. *de juſt. quæſt.*1. *art.*4. *ad* 3. Navarrus *in Manual. cap.*17. *num.*245. Covarr. *lib.*3. *var. cap.*3. *num* 6. Villalobos *in Summa*, 2. *p. tract.*22. *difficult.*17. *num.*1. Ergo in hac ſpecie, etiamſi delinquens contra jus divinum, & naturale deſtruat Eccleſiam, vel perfregerit, bona illius non ſunt tacitè hypothecata ad reſarciendum, ut tenet D. Gonzalez *in cap.*1. *de Eccleſiis ædificand n.*7. *ad fin.*

5 Sed in ſpecie contrarium tenet Pekius *de reparand. Eccleſiis*, *c.*3. Ducitur, nam cauſæ Eccleſiarum ſunt piæ, & de Jure Canonico decidendæ, inſpecto ſolùm jure naturali. Tiraquellus *de Privileg. cauſæ piæ, privil.*163. De Jure autem Canonico ex ſolo damno dato contrahitur tacita hypotheca, ut citiùs anima à tanto malo liberetur, *cap. In litteris* 5. *de rept. c. fin. de ſepult.* ubi Gloſſa, Salicetus, Baldus, & alii *in l. Furti*, *C. de furt.* idem Baldus *in l.*1. *C. Ne ex delict. defunct. num.*13. Neguzantius *de pignorib. memb.*4. 2. *par. num.*124. Rebuffus *Reg. art.* 1. *gloſſ.*14. *num.* 28. *tom.*2. Ergo in præſenti contrahitur tacita hypotheca. Confirmatur, nam adminiſtrationem Eccleſiarum habentes Prælati, & alii Oeconomi, ex ſola adminiſtratione tacitam hypothecam contrahunt: refert plures Pekius *dict. cap.*3. *nu.*3. Neguzantius *membro* 5. 2. *p. num.*120. Novarius *de Privilegiis miſerab. privileg.*107. Gaito *de credit. cap.*4. *quæſt.*12. *à num.*2019. Molina *de jnſt. tract.*2. *diſput.* 536. *num.*6. Ergo multò magis in præſentiarum, quando delinquens non ſolùm ex fraude obligatur, ſed ex delicto graviſſimo deſtruendi, vel perſtringendi Eccleſiam.

6 Unde Pekius ſuppoſita hac tacita hypotheca in bonis deſtruentis, aut lædentis Eccleſiam, aſſerit *c.*5 præferendam eſſe hypothecæ uxori pro dote competenti; cùm nequeat nuliter contra perſonam ſimiliter privilegiatam præferentia habere, *ex l. Aſſiduus* 12. *C. qui pot. in pig. habeant.* & poterit corroborari ex doctrina Novarii *de incert. & mal. ablat. privileg.*49. *num.*4 ubi aſſerit hypothecam tacitam pro reſtituendis malè ablatis præferendam eſſe doti uxoris: Ergo ſimiliter in præſentia, ubi agitur de reſtituendo Eccleſiæ damno dato.

7 In re tamen animadvertendum, Petrum Pekium *dict.c.*4. *num.*2. ſcripſiſſe, ſuam doctrinam procedere de æquitate canonica, quæ quidem hac tacitam hypothecam admiſit, & conſtituit, ut faciliùs conſuleretur animabus, propter reſtitutionem damni illati; ſed ad id nullum textum Canonicum adducit, ſed doctrinam aliquorum Doctorum. Verùm Novarius *dict. privileg.*49. *num.*2. affert textum *in c. In litteris* 5. *de raptoribus*, quem non rectè omiſit Pekius, quia loquitur in ſpecie deſtruendi, & comburendi Eccleſiam, de qua ſermonem agebat. Sed textus non probat tacitam hypothecam pro damno illa Eccleſiæ; eſt enim caſus ille diverſus. Nam quærebatur de quodam homine, qui inſtigante diabolo Eccleſiam cremaverat, ſed inſtante periculo mortis, ſua delicta erat confeſſus, & pœnitentia impoſita per ſuum Capellanum, deceſſerat: & dubitabatur, an ſepeliendus fuiſſet in ſepultura ſacra, necne? Ratio dubitandi erat, nam violatores Eccleſiarum, qui cùm poſſent reſtituere, noluerunt, ſepultura ſacra privantur, *c. Nemo*, *per totum*, 14. *quæſt.*5. *c.*2. *de raptor.* Concilium Mariſconenſe *can.*7. Altiſſiodorenſe *can.*3. Cabilonenſe *can* 6. Salzedo *in praxi criminal. ad Bernard. cap.*109. Covarr. *in cap. Alma*, 1. *p.§.*4. *num.*12. Murga *tom* 2 *diquiſit. mor. diſquiſ.*21. Violator tamen iſte erat vir dives, & licèt pœnitentiam egit, attamen non reſtituit. Ergo erat privandus ſepultura Eccleſiaſtica.

Sed contrarium decrevit Pontifex Alexander III. quia pœ- 8
nitens deceſſit ſalutari ſibi in juncta pœnitentia, in qua adorat damni illati reſtitutio; quapropter ſepeliendus erat in cœmeterio ſacro, & hæredes ſunt monendi, & compellendi, ut Eccleſiæ, & aliis reſtituant damna ſibi illata, jura facultates defuncti, ut ſic à peccato valeat liberari. Ad hanc tamen obligationem hæredes tenebantur, quia accepta pœnitentia defunctus præcipere debebat, ut damna ex ſuis bonis ab hæredibus refunderentur, ut per Cened. *collect.*40. *ad Decretal. num.*4. Barboſa *in d. cap.*5. *nu.*2. Tum quia hæredes tenentur ſolvere omnia debita teſtatoris, ſive tantùm procedant ex actione perſonali, ſive à delicto proveniant, *l Si profure*, *§. fin. ff. de condict. furtiv.* & procedit majori ratione de Jure Canonico, pro exoneratione conſcientiæ. Gomez *tom.*3. *var. c.*1. *num.*85. *in fin.* Suarez *allegat.*26. *n.*3. Peregrinus *de jur. Fiſci*, *lib.*4. *tit.*5. Ant. Faber. *de erroribus*, *decad.*76. *errore* 4. Barboſa *lib.*3. *vot.*84. *n.*13. Unde ſequitur, hæredes iſtos teneri ad hanc ſatisfactionem: non tamen probatur *in dict. c. In litteris*, ex damno illato Eccleſiæ tacitam contrahi hypothecam.

Eſt etiam textus, quem ad probandam ſuam ſententiam 9
adducit Novarius *dict. privileg.*49. *nu.*2. ſcilicet caput finale *de ſepult.* ubi Gloſſa *verbo Eius hæredes.* Sed textus ille interpretatur ut textus *in dict. cap. In litteris*. Nec Gloſſa aliquid probat, niſi quod obligatio iſta tranſeat ad hæredes hæredis delinquentis, propter rationem eandem, quia obligatio iſta tranſit ad hæredes; non autem loquitur de aliqua hypotheca tacita. Ex quibus ſequitur, ex nullo jure hanc tacitam hypothecam induc in bonis deſtruentis, aut lædentis Eccleſiam.

Cæterùm animadvertendum, diverſis modis induci taci- 10
tam hypothecam. Primò ab ipſa lege independenti à facto hominis, prout in tacita hypotheca dotis, *l. unica*, *§. Vt pleniùs*, *C. de rei uxor. act. l. Aſſiduis* 12. *qui pot. in pign. habeant.* & aliquando facto hominis exiſtente, veluti in prædio conducto, ubi inventa, & illata tacitè hypothecata videntur, ex eo quod à conducente inferantur, *l. In prædiis* 7. *ff. quib. in cauſ. pignus, vel hypotheca*, *l. Certi juris* 5. *C. locat.* Mantica *de tacit. lib.*11. *tit.*11. *n.*5. Secundò quando ex æquitate, & à paritate rationis inducitur hæc tacita hypotheca, prout in Prælatis, aut Oeconomis Eccleſiarum; nam cùm Eccleſia comparetur pupillo, *cap.*5. *de integrum reſt.* & pupillus habeat tacitam hypothecam in bonis tutoris, & adminiſtratoris, pari ratione Prælati, & Oeconomi Eccleſiarum ad hanc tacitam hypothecam tenentur. Tum Prælati, quia ſunt veluti mariti Eccleſiarum, comparatione mariti carnalis, eorum bona tacitè obligantur ad dotem Eccleſiarum conſervandam, *§. Fuerat antea* 29. *Inſtit. de actionibus*. Barboſa *d. lib.*3. *vot.*82. *n.*43. & 44.

Hinc diſquirendum, an aliquo ex iſtis modis in præſenti 11
tacita hypotheca contrahatur ab ipſo deſtruente, vel lædente Eccleſiam? Quoad primum negandum eſt, quia in iſto caſu tacita hypotheca non contrahitur, niſi à jure fuerit expreſſa, ut eſt communis ſententia relata *n.*4. Maroto *conſ.* 18. *n.*17. Vela *diſſert.*20. *n.*14. Rota apud Burat· *deciſ.*861. *num.*6. Sed in ſpecie propoſita tacita hypotheca in jure expreſſa non eſt: Ergo minimè admittenda. De ſecundo autem modo affirmandum videtur, ex ratione ſuprà perpenſa; nam ſi ex adminiſtratione bonorum Eccleſiæ tacita hypotheca conceditur: ergo multò magis quando ex graviſſimo delicto collapſa remaneret.

Sed tamen contrarium eſt dicendum ratio eſt, nam hæc 12
introductio tacitæ hypothecæ ſtrictiſſimi juris eſt, nec extendenda ad alios caſus, in quibus non ſit omnimoda compara-

paratio, quapropter Noguerol *allegat.1. num.96.* scripsit, Prælatum Ecclesiæ non habere sua bona tacitè obligata, si ex alio contractu debitor sit, quàm administrationis, quia non est omnimoda comparatio tutoris, & curatoris; qui ex sola administratione ad hanc tacitam hypothecam obligantur. Sed in specie qui Ecclesiam violat, non est debitor ex administratione, sed ex delicto illam destruendi, aut demoliendi. Ergo minimè est omnimoda comparatio: ergo nec obligabitur per tacitam hypothecam. Cæterùm, nam licet aliqui dicant, ex qualibet administratione tacitam contrahi hypothecam, ut in possessore fideicommissi tenet Cyriacus *controvers.282.* & in aliis administrationibus Escobar. *de ratiocin. cap.39. nu.13.* Rodriquez *de concurs.1. par. art.5. num.9.* incertissima tamen est propositio ista, quia quando non est administratio minoris, sed alterius, non est totalis comparatio, & ideo non contrahitur tacita hypotheca à possessore majoratus, ut latè defenditur Noguerol *dict. allegat.1. per tot.* Ergo in specie destruens, aut lædens Ecclesiam, cùm administrator non sit, nec Ecclesia propriè sit minor, sed solùm per comparationem, non obligabitur ad tacitam hypothecam.

13 Sed dices: præter hos duos modos contrahendi tacitam hypothecam, est alius de Jure Canonico, quando adest delictum, & dolus debitoris; nam tunc bona illius tacitè obligantur ad faciendam restitutionem damni illati, ut tenent relati *num.5.* Cyriacus *controvers.359. num.3.* & *controvers.282. nu.28.* Merlinus *de pignorib. lib.4. tit.3. quæst.* 163. Ergo in præsenti licet aliis duobus modis non contrahatur tacita hypotheca, isto tamen modo est concedenda. Verùm respondetur, hanc sententiam nullo modo probari de Jure Canonico; nam ut diximus suprà, nullus est textus qui probet: nec faciliter est concedenda, cùm id sit obligare extra intentionem contrahentis, Vela *dissert.20. n.20.* Ergo nullo modo concedenda. Nec etiam ex aliqua paritate, quæ cùm omnimoda concedi non possit, nec tacita hypotheca, etiam de Jure Canonico, admittenda est, Barbosa *dict. vot.82. n.71.*

14 Prætereà probatur, nam si comburens, aut destruens Ecclesiam ad resarciendum tenetur, & ejus hæredes, & successores, *cap. Litteris, cap. fin. de raptorib. cap. fin. de sepult.* si tamen sint alii creditores, nequit de Jure Canonico considerari aliqua tacita hypotheca. Ergo de Jure Canonico nulla in præsentia contrahitur hypotheca. Probatur consequentia, quia in præjudicium tertii nulla æquitas servanda est cum Ecclesia, *c.1. de dol. & contumac.* Novarius *de privileg. miserab. person. privileg.75.n.13.* quapropter quoties concurrunt creditores alii cum Ecclesia, si ipsi prælationem habeant, eis conservatur, nec datur aliqua prælatio favore Ecclesiæ, aut alterius causæ piæ, nisi in actionibus personalibus, vel in dubio, quando est par jus inter eos. Hondedeus *cons.22. nu.95.* Molsesius *post consuet. Neapolit. cons.13. nu.10.* Gaito *de credit. cap.4. qu.11. n.1047.* Ergo in hac specie etiam de Jure Canonico non contrahitur tacita hypotheca; non enim permittit Ecclesia aliquid agere in damnum tertii, *cap.1. de alienat. feud.* cujus verba dat Barbosa *dict. vot.82. num.19.* Genuensis *in praxi, quæst.* 177. *num. fin.*

15 Ex his fundamentis PeKii relata *num.5.* dilabuntur, quia negamus, ex solo damno illato contrahi tacitam hypothecam, hoc enim absque sufficienti ratione dictum censemus. Ad confirmationem adductam dicendum, Prælatum Ecclesiæ, seu œconomum posse contrahere tacitam hypothecam ad instar tutorum, & curatorum, *l. Pro officio 20. C. de administrat. tut. l 23. tit.13. p.5. l. fin. in fin. tit.16. p.6.* latè Gutierrez *de tut.2. p.16. per tot.* quæ quidem paritas non currit in nostra specie, quin potius Barbosa *d. vot.82. n.71.* solùm tacitam hypothecam admittit in Prælatis Ecclesiarum utpote qui sunt spirituales mariti illarum; non enim contrahitur alio administrandi modo, prout in Syndicis S. Francisci, in quorum bonis ex administratione affirmat non contrahi tacitam hypothecam, & tenuerat etiam Alexander *vol.6. cons.104. à n.2.*

16 Cæterùm ad hoc membrum pertinet asserere, Prælatum negligentem, ex cujus incuria Ecclesia collapsa, aut læsa est, teneri ad reparationem, seu constructionem: & ratio est, quia Ecclesia potest convenire Prælatum, ut damnum resarciat ex sua negligentia sibi illatum, Glossa *in c. Placuit.16. quæst.3. verbo Pertinent. c.1. de præsump.* ubi Scribentes, prout in Judicibus notat Segura *in Direct. Iudic.1. p. cap.10.* Bobadilla *lib.5. Polit. cap.1. num.142.* Solorzano *de jure. Ind. tom.2. lib.1. cap.24. num.59.* quapropter si ex negligentia Prælati collabatur, aut læsionem patiatur, ad reparandum damnum tenebitur. Illud verò prætereundum non est, negligentiam minimè præsumi, quin probandam semper esse, quia cùm negligentia visibilis non sit, debent testes deponere, dando rationem ad actum concludentem, Prælatum fuisse negligentem. Escobar *de ratiocin. cap.19. à num.22.* Gratianus *discept. for. tom.1. cap.125. num.12.* Noguerol *allegat.2. à num.120.* Jul. Capponi *tom.1. cap.35.* Verùm negligentia probata, utiq; ad refectionem, seu reparationem tenebitur, ut tenet PeKius *de repar. Ecclesiis cap.7. à n.1.* qui *n.3.* idem asserit de Prælatis vel Magistratibus valentibus resistere, ne hæretici, aut alii homines scelerati Ecclesias destruant, aut in fabricis lædant, *cap. Negligere 55. 3. q. 4.* Urrutigoyti *de Ecclesiis Cathed c.13. n.108.*

Deueniendo verò ad alium secundum casum, quando Ecclesia injuria temporum, vel casu reparatione, seu constructione indigeat, dicendum Fabricam ipsam teneri, si habeat bona sufficientia. Fabrica enim duobus modis concipitur, aut pro opere ipso Ecclesiæ, *c. De Fabrica 24. de consecrat. dist. 1. c. Futuram, 15.12. quæst.1. cap. fin. de testamen.* Valenzuela *cons.127. num.45.* vel pro jure illo, quod habet Ecclesia ad percipiendos redditus, & fructus pro ædificiis, ornamentis, & aliis necessariis ad cultum divinum. Gregorius *in l 11. tit.10. part.1. gloss.1.* Solorzano *de Iur. Ind. tom.2. lib.3. cap.23. num.11.* Villaroel. *Govierno Ecclesiast. tom.2. quæst.20. art.3. num.30.* Idcircò si redditus ex Fabrica sunt sufficientes, ex illis est reparanda, vel construenda Ecclesia: & ratio est clara, nam cùm redditus, & fructus est sint ad ædificationem, & reparationem Ecclesiæ destinati, refectio, & reparatio ex eis est facienda, *cap. unico, 10. quæst.3. cap. Quatuor, 27.12. quæst.2. cap.1. cap. de his 4. de Ecclesiis ædificand. l.11. tit. 10. part.1.* Tridentinum *sess.21. de reformat. c.7.* ubi clarè ostenditur; instaurandam, & reparandam esse Ecclesiam ex illius fructibus & proventibus quomodocumq; ad illam pertinentibus, nec aliquo modo procedendum ad Patronos, nec ad aliorum fructus, quando isti sunt sufficientes, ut *ex dicto cap.7.* scripsit Villaroel. *Goviern. Ecclesiast. 2. part. 3. quæst. 20. numer. 9.* Ergo quando Fabrica Ecclesiæ habuerit fructus, & redditus, seu proventus proprios, unde restauretur, vel reparetur, ex eis est reficienda, vel instauranda. Azor. *Inst. Mor.2. par. lib.9. cap.3. quæst.10.* Solorzanus *dict. tom.2. lib.3. cap.23. num.12.* Villaroel. *dict. num.9.* Salgado *de protect. Regia, 3. p. cap.5. num.1.* Sperellus *decis.67. à num.1.* Balmaseda *de collect. quæst.56. num.4.* Urrutigoyti *de Eccles. Cathedral. cap.13. num.14.* 17

Unde magna cura quando Ecclesiæ ædificantur, oportet ab Episcopis procurari, ut dotentur à construentibus, non solùm necessariis ad luminaria, vestimenta sacra, & alia necessaria ad cultum, sed etiam requisitis ad reparationem ædificii, ita ut non ejus defectu collabatur. Idque eodem modo considerandum, quando ab aliquo privato ædificatur, congrua dote assignata ad illius reparationem, ne ex ejus defectu corruat. Tum ne lites exoriantur petendo ab aliis fructus ad reparationem, *Auth. de Ecclesiast. tit. §. Si quis autem, collat.9. cap. Sicut 4. de consecrat. Ecclesiæ, verbo Altare.* Piasecius *in Praxi, 1. p. cap.4. num.2.* quamobrem magna cura id ab Episcopis est prospiciendum, quando Ecclesiæ ædificantur. Barbosa *de offic. Episcop.3. p. allegat.65. num.2.* 18

Hinc Patroni Ecclesiarum, quibus jus honorificum, & præsentandi competit, contribuere tenentur ad reparationem Ecclesiæ. Trident. *d. sess.21. cap.7.* Torrecilla *exam. de Obispos, tract.3. quæst. unic. sect. 1. difficult.3. num.18.* Est tamen dubium, quando Patroni teneantur contribuere ad reparationem, seu reædificationem Ecclesiæ. Nonnulli dicunt non teneri Patronos contribuere, nisi quando aliquos fructus perceperint ab Ecclesia Hæc sententia probari poterit, nam de jure antiquo erat quarta pars fructuum designata ad reparationem Ecclesiæ, *c. Vobis 23. 12. qu.2. c. Decernimus 10. 10. qu.1.* ubi Scribentes. Gregorius *in l.11. tit.10. p.1. gloss.1.* Fuscus *de visit. lib.1. c.10. n.16.* quæ quidem licèt hodie non sit separata, est tamen tacitè distributa in ipsis fructibus, qui quidem obligati sunt ad hanc reparationem, seu reædificationem Ecclesiæ: hanc ob rem si Patroni percipiunt aliquos fructus, ratione illorum contribuere tenentur, non tamen si aliquos non recipiant. 19

Cæterùm,

terùm, nam Patroni, ſi Fabrica habet unde reparetur, non tenentur ad contributionem, ut oſtendit Concilium *p. c.* 7. Torrecilla *dict. difficult.* 3. *n.* 16. Fabrica autem habet ſuam intentionem fundatam adverſus fructus, in quibus in eſt illa quarta pars. Ergo non poterit habere recurſum adverſus Patronos, ſi ipſi aliquos fructus non percipiant, Guttierr. *alleg.* 10. *num.* 7. *in fin.* Navarrus *de reddit.* 1. *par. monit.* 82. *n.* 3. Cenedo *ad Decret. collect.* 153. *ad medium*, Salgado *de protect.* 3. *par. cap.* 5. *num.* 16.

20 Alteri verò non ita tenent, ſed abſolutè affirmant, quod ſi Eccleſia ſit pauper, nec habeat unde reficiatur, ſeu reparetur, id fieri debere à Patronis. Ratio eſt, nam inter Patronos, & Eccleſiam reciproca eſt obligatio; itaque ſicut Eccleſia dat eis ejus honorificum, & præſentandi, & ſi ad inopiam vergant, eos alit, ut diximus *lib.* 4. *cap.* 10. *n.* 38. Similiter Patroni tenentur eam reficere, ſeu reparare ſi propter inopiam ſuis expenſis non poſſit reparari, etiamſi nullos fructus ex ea percipiant. Cæterùm probatur ex Trid. *dict. cap.* 7. ubi decernitur, quod ſi Eccleſia non habet ſufficientes redditus, tunc Patroni tenentur ad refectionem, ſeu reparationem, ſicut & alii percipientes fructus illius. Concilium verò reſpectu Patronorum non inquit ad refectionem, ſeu reparationem teneri, quia percipiunt fructus Eccleſiæ, ut alii Beneficiati; ſed quia ex patronatu percipiunt jus honorificum, & præſentandi, tum jus ut alantur, ſi ad inopiam perveniant, quæ ut fructus conſiderantur, Gloſſa *in cap. Bertholdus* 18. *de re iudicata*, & *in c. Cùm olim* 14. *de Majorit. & obedient.* Quapropter etiamſi Patroni nullos fructus percipiant ex Eccleſia, ad reædificationem vel reparationem tenentur, Lambertinus *de jurepatronatus lib.* 3. *art.* 2. *q.* 7. *n.* 5 & 7. Bellettus *diſquiſit. Clerical.* 1. *p. tit. de Cleric. debit.* §. 14. *n.* 20. Barboſa *ad Concilium*, *dict. cap.* 7. *num.* 8. Solorzanus *dict. cap.* 23. *num.* 14. Villaroel. *Goviern. Eccleſiaſt.* 2. *par. q.* 20. *art.* 3. *num.* 36. & 37. Urrutigoyti *de Eccleſ. Cathed. cap.* 13 *à num.* 67.

21 In hoc dubio duæ conſiderationes ſunt faciendæ. Prima quando Patronus, & qui Eccleſiam ædificavit, dotem non dedit: Secunda quando jàm dedit, verùm deperdita eſt aut non ſufficiens. Primo enim caſu Patronus conſtruere aut reficere Eccleſiam tenetur ſuis ſumptibus: & ratio eſt, clara, nam cùm ad ejus obligationem pertineat eam dotare de omnibus neceſſariis, in quibus intrat Fabricæ erectio, & conſervatio, *cap. Nemo* 9. *de conſecrat. diſt.* 1. inde eſt, ut ad ejus obligationem pertineat conſtruere, & reficere Eccleſiam, donec ad id conſtituat dotem ſufficientem. Quod admittendum, licèt Eccleſia fuerit ab Epiſcopo conſecrata abſque dote, quia adhuc durat hæc obligatio, poteritque Epiſcopus in viſitatione præcipere, ut Patronus dotem ſufficientem det ſub pœna privationis juriſpatronatus, Sperellus *deciſ.* 68. *n.* 11. & 12. Ergo in præſenti donec dotem conſtituat, tenebitur Patronus ſuis ſumptibus conſtruere, aut reparare Eccleſiam, Barboſa 3. *p alleg.* 65. *n.* 16.

22 In alio ſecundo caſu; quando jam à principio Eccleſia fuit dotata, ſed deperdita, aut inſufficiens eos relicta eſt, ita ut ſit neceſſarium, ut alii ad reparationem contribuant, dicendum duo adeſſe dubia enucleanda circa Patronum contributionem. Primum, an teneantur contribuere quando fructus Eccleſiæ non ſufficiunt, & an immediatè poſt Fabricam, ſi Eccleſia bona non habeat. Et Barboſa *de offic. Parochi*, 1. *par. c.* 13. *num.* 8. aſſerere videtur, Patronos contribuere debere, quando omnes fructus deficiunt percipiendi à Beneficiatis, & ab aliis participibus, quod clariſſimè tenet *in Summario num.* 8. Ex Doctoribus verò quos retulimus *num.* 20. affirmandum videtur, ante Beneficiatos, & alios participes, ad tributum venire debere, ſi divites fuerint, & habuerint unde expenſas illas refundant, & poterit probari; nam quoties dos Eccleſiæ extincta eſt, alius de novo dotat, acquirit juſpatronatus, ut cum Lotterio, & aliis diximus ſuprà. Ergo ſi illud conſervare voluerit, debet expendere illa omnia, quæ pertinent ad dotem Fabricæ. Ad Fabricam igitur pertinet ante omnes participes conſtructionem, ſeu reparationem Eccleſiæ facere: ergo ante omnes pertinet ad Patronos conſtructionem, ſeu reparationem Eccleſiæ curare, Marta *de juriſdict.* 2. *p cap* 48. *à n.* 2.

23 Sed tamen in re media ſententiam admittendam eſſe arbitror, ſcilicet Patronos ſimul cum participibus ad contributionem devenire debere, ut probat Concilium Tridentinum *dict. cap.* 7. *ſeſſ.* 21. *de reform.* ibi: *Quiſi non fuerint ſufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis provenientes percipiunt*, &c. Hic Concilium apertiſſimè demonſtrat, Patronos ſimul cum aliis Clericis, ſeu Beneficiatis fructus Eccleſiæ percipientibus, contribuere debere ad refectionem, ſeu conſtructionem Eccleſiæ; dictio enim *Et*, regulariter loquendo copulativa, & conjunctiva eſt, *l. Si quis ita ſtipulatus, ff. de verbor. oblig. l. Hæredi*, §. *Caio*, *ff. de fund. inſtruct.* Rota apud Gregorium XV. *dec.* 308. *n.* 3. Barboſa *dict.* 110. *n.* 3. quare Concilium inſimul copulatos, & conjunctos Patronos, & alios participes vocat ad contribuendum ad conſtructionem, ſeu reparationem Eccleſiæ, & conſequenter infertur inſimul teneri. Cæterùm alia ratione probatur, nam Concilium ob eandem cauſam percipiendi fructus aſſerit Parronos, & inſimul alios teneri ad has expenſas: Ergo ſimul ad conſtructionem, & reparationem Eccleſiæ tenentur, Balmaſeda *de collect. q.* 56. *n.* 6.

Tempero tamen, niſi Patronus, qui dotem dedit, & quam amiſit Eccleſia, ad evictionem teneatur, ex his quæ ſcripſimus *lib.* 2. *c* 8. *à n.* 49. tunc enim tenetur totam dotem reponere, aut partem evictam, unde reparetur, aut conſtruatur Eccleſia; nam cùm dos iſta ſit priùs obligata, Patronus tenetur priùs eam reintegrare, ut inde ædificium Eccleſiæ aut fiat, aut reparetur. 24

Secundum dubium eſt, an licèt Patronus nullos fructus percipiat ex Eccleſia, teneatur tamen ad conſtructionem, ſeu reparationem Eccleſiæ, quæ eſt quæſtio principalis ſuprà agitata, & in qua eſt admittenda ſecunda ſententia affirmativa, quam tenet Barboſa *de offic. Paroch.* 1. *par. c.* 13. *n.* 8. quia Patronus ſemper percipit fructus, nempè honorem præcedentiæ, & juris præſentandi, & ſe alendi, ſi ad inopiam perveniat. Ergo ſemper debet venire ad tributum ſimul cum aliis participibus. 25

Quando verò Eccleſia patronata non eſt, ſed libera, reficienda, vel conſtruenda eſt ex bonis Fabricæ; & ſi non ſufficiant, recurrendum eſt ad participes fructus percipientes, pro rata illorum, *c.* 1. & 4. *de Eccleſiis ædificand. e. fin. de his quæ fiunt à majori par. Capit.* Concilium Emericenſe *can.* 16. Toletanum 10. *in epiſt. Flavii Ægicæ*, Romanum ſub Eugenio II. c. 25. Tridentinum *d. ſeſſ.* 12. *c.* 7. *l.* 11. *tit.* 10. *p.* 1. Ratio eſt, nam fructus omnes illius Eccleſiæ ſunt de jure obnoxii, & hypothecari ad ejus conſtructionem, & reparationem, ut cum Berojo docet Urrutigoyti *de Eccl. Cath. c.* 13. *num.* 25. quamobrem quotieſcumque conſtructione, ſeu reparatione indiget, omnes qui illos fructus percipiunt, ad contributionem pro rata tenentur, Ant. Auguſtinus *in Epitom. Iur. lib.* 13. *tit.* 2. Petrus Gregorius *lib.* 1. *par. Iur. tit.* 4. *c.* 11. Pekius *de reparan. Eccl. cap.* 14. Bobadilla *in polit. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 136. Solorzano *de jur. Ind. tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 23. & *in polit. lib.* 4. *cap.* 23. Barboſa 3. *par. alleg.* 64. *num.* 4. 26

Diximus enim, *pro rata fructuum*, ut obſervetur proportio inter contribuentes, & ne injuſta fit diſtributio. In hoc Archiepiſcopatu Toletano quarta, ut tertia pars omnium participium extrahitur, prout neceſſitas petit, & à Quæſtore Majori deſignatur per aliquos annos, uſquedum quantitas neceſſaria componitur ad ædificationem, ſeu reparationem, & hoc benè obſervatum eſt, quia illa parte deſignata in qualibet portione, abſque alicujus præjudicio obſervatur debita proportio contribuendi, non verò ſi in exceſſu colligatur, prout rectè ſcripſit Parladorius *lib.* 1. *quot. cap.* 18. Eſcobar *de Ratiociniis*, *comput.* 10. Ergo legitima ſit diſtributio à Quæſtore Majori, deſignando tertiam, aut quartam partem. 27

Ex fructibus verò Eccleſiarum deducendis ad conſtructionem, ſeu reparationem Eccleſiarum, ſemper eſt congrua Parocho relinquenda, & adminiſtranda, ut conveniunt Doctores, quorum aliqui aſſerunt, hanc congruam eſſe relinquendam, non ſecundùm ſtatum, ſed tantùm ſecundùm naturam, nempè ut ſufficiat ad providendum de neceſſariis ad alimenta præciſa, reliquum verò extrahendum eſſe ad conſtructionem, ſeu reparationem Eccleſiæ, Riccius 4. *par. deciſ.* 293. *num.* 4. & *in praxi anteà*, 1. *par. reſol.* 476. *num.* 4. Comitolus *Reſponſ. Moral. lib.* 1. *quæſt.* 83. *concluſ.* 3. Barboſa *dict. allegat.* 64. *num.* 4. & *ad Concilium ſeſſ.* 21. *cap* 7. *num.* 10. Sperellus *deciſ.* 86. *num.* 18. *in fin.* Urrutigoyti *dict. c.* 13. *num.* 49. 28

Sed hanc doctrinam examinare convenit. Poteſt enim accidere, ut alii ſint participes in fructibus illius Eccleſiæ, ut quando adſunt præſtimonia, pars dignitatum, & Canonicorum, & aliorum, ut eſt commune in hoc Archiepiſcopatu. Tum quando adſunt Parochiani divites, & benè con- 29

tribuere valentes . Tum quando pauperes ſunt, & nequeunt niſi parum, aut nihil contribuere ad reparationem , ſeu erectionem Eccleſiæ .

30 In hoc ultimo caſu , quando populus eſt pauper , nec alii ſunt participes , credo admittendam eſſe ſententiam illam aſſerentem tantùm congruam naturalem eſſe relinquendam Parocho , & adminiſtrantibus Sacramenta ; nam cùm alii non ſint qui contribuere teneantur , nec participes , nec Parochiani , quia ſunt pauperes , ipſa ratio petit , ut Parochus , & alii Beneficiati adminiſtrantes congrua naturali contenti , reliquum extrahatur ad Eccleſiæ refectionem , ſeu conſtructionem ; aliàs cùm alii non ſint fructus , nec perſonæ obligatæ, difficilè eſt recurrere ad alia , licèt tunc id pertineat ad providentiam Epiſcopi, Tuſchus *litt. F, concluſ. 3. num. 4.*

31 Si verò alii ſint participes fructuum , exiſtimo congruam ſuſtentationem decentem eſſe Parocho , & Beneficiatis adminiſtrantibus relinquendam , & ex reliquis fructibus tam Parochi , quàm participantium Eccleſiam eſſe reædificandam , ſeu reparandam ; nam omnes illi fructus , & decimæ tranſeunt ad id obligatæ ad cæteros, Surdus *conſ. 62. num. 23.* Marta *de juriſdict. 2. par. cap. 48. num. 7.* Tondutus *quæſt. benefic. tom. 1. cap. 38. num. 11. & 12.* ſemper reſervata congrua decenti Parocho , & adminiſtrantibus, Tuſchus *dict concl. 3. num. 3. & 4.* Sperellus *deciſ. 68. num. 5.* Ergo ex fructibus aliorum eſt reædificanda , ſeu reparanda Eccleſia , relicta decenti congrua Parocho , & aliis adminiſtrantibus Sacramenta . Et confirmatur, nam non adminiſtrantibus nulla congrua debetur , *cap. de Monachis 12. cap. cùm ſecundùm 16. cap. Extirpandæ 30. de præbend* Sed fructus omnes ſunt ad id obligati ; quando enim ſunt fructus ſufficientes , ſemper eſt relinquenda congrua decens Parochis , & Beneficiatis adminiſtrantibus, *cap. 1. de præbend. in 6. cap. 2. de ſupplen. neglig. Prælat.* Mantica *deciſ. 250 num. 1.* Thom. Hurtado *de congrua lib. 3 reſol. 1. §. 2.* Ergo in præſenti, cùm ſint alii fructus ſufficientes ex aliis participibus , ex reliquo ipſorum ſemper congrua decens eſt eis relinquenda .

32 Unde in hoc Archiepiſcopatu Quæſitores Majores decimarum duo debent obſervare in reparationibus , vel ædificationibus Eccleſiarum . In primis ne ad tributum cogant Parochos non habentes , niſi congruam neceſſariam , & ſæpiùs diminutam , prout pluries ex in conſideratione factum vidimus cum grandi clamore pauperum Parochorum , qui contributione , ſubſidio , & excuſato , & mediis annatis pergravati , ſine alimento , & veſtitu reliquuntur , quod & graviſſimum quidem ſcelus eſt contra Jus Divinum , & naturale . Secundò obſervent in contributione , Parochis & aliis adminiſtrantibus congruam decentem eſſe relinquendam ; nam cùm in hoc Archiepiſcopatu cæteri participes ditiſſimi ſint , & alios plures proventus habeant præter illos particularis Eccleſiæ , quæ reparatur , aut ædificatur, etiamſi cæteri fructus applicentur ad reparationem, nullius, aut parvi præjudicii eſt . Aſt graviſſimum eſt Parochis , aut aliis adminiſtrantibus non relinquere congruam decentem, quia ex defectu decentis congruæ ſegnes fiunt ad adminiſtrationem, nec habent unde aliquas eleemoſynas erogent, quod maximè intereſt ad bonum regimen animarum , tum facillimè à laicis deſpiciuntur : quare debent ſemper relinquere congruam decentem Parochis , & aliis adminiſtrantibus , cùm in eo deficere graviſſimum ſit inconveniens, & ex contrario in aliis participes nullum eſt incommodum ; quantò magis ſplendorem illorum in parvo minuere .

33 Si verò Parochiani divites fuerint , qui in ſubſidium debent contribuere ad reædificationem Eccleſiæ , quando non ſufficiunt fructus illius , ut poſteà dicam, erit majus dubium, an congrua decens ſit Parochis , vel aliis adminiſtrantibus relinquenda ; Et dicendum videtur , naturalem tantùm eſſe concedendam , quia tantùm Parochiani tenentur , quando fructus Eccleſiæ non ſunt ſufficientes , Tridentinum *ſeſſ. 21. cap. 7.* Abbas *lib. 1. conſil. 70. nu. 2.* Tuſchus *dict. concluſ. 3. num 4.* Campanillus *in Diverſ. rubr. 12. cap. 13. num. 18.* Seperellus *deciſ. 68. nu 9.* Salgado *de protect. 3. par. cap. 5. num. 9.* quamobrem facienda eſt excuſſio illorum fructuum, non quomodolibet , ſed tantùm relinquendo , quæ ſunt neceſſaria ad vitam Parochi, & adminiſtrantium , ut eſt textus clarus *in l. 11. tit. 10. par. 1.* ibi : *Sacando ende lo que cada uno huviere meneſter para ſu vida* . Quibus in verbis tantùm excipitur congrua naturalis . Ergo in ſpecie decens congrua non erit deducenda . Cæterùm , nam ut poſteà dicemus , in graviſſimis neceſſitatibus tenentur Parochi , & Beneficiari totum erogare pauperibus , ſibi tantùm congrua naturali relicta : quoties verò Eccleſia fuerit collapſa, aut neceſſariò reparanda , nec ſupereſt aliquid de redditibus , & fructibus illius , graviſſima eſt neceſſitas . Ergo in caſu quo Parochiani debent contribuere , tantùm naturalis congrua eſt relinquenda Parochis , vel aliis adminiſtrantibus .

Verùm in ſpecie quando divites ſunt Parochiani , teneo 34
contrarium , & probatur ex Tridentino *cap. 7.* ubi decernitur , Parochianos teneri ad reædificationem , ſeu reparationem Eccleſiæ in ſubſidium Clericorum: quæ verba non dicunt excuſſionem fructuum ita faciendam , ut naturalis congrua tantùm adminiſtrantibus relinquatur , ſed decens , quæ ſemper excepta videtur , niſi expreſſim fiat mentio de naturali . Itaque Cavalcanus *2. par. deciſ. 22. num. 23.* Riccius *4. par. deciſ. 293. num. 9. & in Praxi for. deciſ. 741.* ſcripſerunt , Clericis ex fructibus relinquenda eſſe neceſſaria , quando reſident , & adminiſtrant , & reliquum relinquendum ad reparationem , ſeu ædificationem Eccleſiæ ; ſub nomine enim *neceſſaria*, congrua decens comprehenditur , quę eſt neceſſaria ad decentiam ſtatus Clericalis , non ad ad augmentum bonorum , vel inſtitutionem mundani ſtatus , ut non rectè ſcripſit Barboſa ad Concilium , *dict. ſeſſ. 21. cap. 7. num. 11.* Quare Concilium eſt intelligendum in caſu quo Parochiani teneantur venire ad contributionem Eccleſiæ ædificandæ , ſeu reparandæ , ita ut ſemper remaneat congrua decens adminiſtrantibus , & reſidentibus , prout ſemper eis debetur , Rota *2. par. diverſ. deciſ. 99. num. 9.* Rota apud Seraphi num *deciſ. 173. num. 1.*

Rurſus Parochiani ad hanc contributionem tenentur , 35
quia Eccleſia eſt eis ſpiritualiter neceſſaria; ſicut ad alia opera publica temporaliter præciſa , Guttierrez *alleg. 10. n. 5.* quapropter in diverſis ditionibus variæ ſunt conſuetudines , ut ſimul Laici cum Clericis veniant ad tributum , Surdus *conſ. 62. num. 16.* Tondutus *d. c. 39. num. 6.* & infra dicemus . Cùm ergo obligatio ſit propria Parochianorum, proſpiciens directè utilitatem eorum , non ita ſtrictè ſuſcipienda eſt , ut ſolùm ipſi teneantur contribuere , quando ſolùm relinquitur Clericis congrua naturalis ; ſed intrabit quoties ſolùm remaneret decens . Confirmo diſcurſum , nam ut docet Guttierrez *d. alleg. 10. num. 3.* Salgado *3. par. cap. 5. num 9.* laici tenentur ad ædificationem, & reparationem Eccleſiæ , quia etiam Clerici contribuere tenentur ad res pertinentes ad utilitatem communem , *l. Ad inſtructionem 7. C. de ſacroſ. Eccleſ. l. 11. & 12. tit. 3. lib. 1. Recopilat. l. 53. tit. 6. p. 1.* Aviles *in cap. Prætor. c. 23. verbo Den orden*, Menchaca *lib. 1. controverſ. cap. 6. n. 4.* quod quidem intelligendum quando laicorum non ſuppetunt facultates , *c. Non minùs 4. cap. Adversùs 7. de immunit. Eccleſ.* Et explicabimus *cap. 9. num. 52.* relicta congrua decentis laicis. Ergo ſimiliter eſt dicendum in noſtra ſpecie , nempè Parochianos teneri contribuere ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ , relicta congrua decenti Parochis , & aliis reſidentibus, & adminiſtrantibus Sacramenta .

Qua quidem relicta , reliquum ex fructibus applican- 36
dum ædificationi , ſeu reparationi Eccleſiæ , qui ſi non ſufficient , Parochiani contribuere tenentur , Tridentinum *dict. ſeſſ. 21. cap. 7. l. 11. tit. 15. p. 1.* Et eſt ratio, quia hæc reædificatio , ſeu reparatio tendit directè ad communem utilitatem Parochianorum, Ergo deficientibus fructibus Eccleſiæ , debent ipſi contribuere, Pekius *de repar. Eccleſiis., cap. 22.* Valaſco *conſult. 179. num. 16.* Bellettus *1. par. tit. de. Cleric. debit. § 14. n. 5.* Riccius *in praxi, 1. par. reſol. 476 n 7.* Fontanella *lib. 5. de jurepatr. à q. 16.* Balmaſeda *de collect. q. 46 à num. 4.* Lantmeter *de vet. Cleric. vict. 2. par. cap. 36. verſ. ad. fin.* Diana *8. par. tract. 7. reſol. 16.*

Ab hac contributione ad reficiendas, ſeu erigendas Eccle- 37
ſias nullus excuſandus, quam vis nobilis, Pekius *dict. cap. 22. num. 4.* Tum nec Clerici , quia ad omnium utilitatem ſpiritualem pertinet Eccleſiam habere , Guttierrez *dict. alleg. 10. num. 5.* Salgado *d. 2. p. cap. 5 num. 11.* Marta *de juriſdict. 2. p. cap. 48. num 10.* Urrutigoyti *de Eccleſ. Cathed. cap. 13. num. 62.* Balmaſeda *dict. quæſt. 56. num. 11.* Omnes enim ſi contribuere renuerint , poſſunt ab Epiſcopo compelli omnibus remediis opportunis , ut decrevit Tridentinum *dict. c. 7.* quod extendendum etiam in caſu , quo Beneficiati beneficiis renuitare voluerint , vel Parochiani proteſtetur nolle Eccleſia uti, quia hęc ſubterfugia tãto damno Eccleſiæ, & ſuarum animarum admittenda non ſunt, Bellett *d. §. 14. n. 7.*

Bar-

Barboſa *dict.alleg.* 64.*num.* 7.& ad Concilium *dict.cap.*7.*nu.* 14. Coſta *de remed. ſubſid.remed.* 106. Salgado *d. c.*5. *num.*4. *in fin.* Balmaſeda *d.q.*65. *num.* 10.

38 Eſt verò dubium, an hęc contributio facienda à Parochianis, ſit facienda per capita, an ſecundùm facultates cujuſcunque; Et affirmandum videtur faciendam eſſe per capita, quia omnes percipiunt æqualiter commodum ſpirituale Eccleſiæ: ergo diſtributio facienda eſt per capita. Confirmatur, nam diſtributio quæ fit ad Medicum, eſt per capita, quia commoditas æqualis eſt omnium, Gallia *conſ.* 59. *num.* 4. Cochlius *de contribut. cap.* 7. *num.* 246. Balmaſeda *de collect. q.* 12. *n.* 11. Bobadilla *lib.* 5. *polit. cap.*5. *n.* 26. qui idem aſſerunt de ſalario Prætoris, quia adminiſtratio Juſtitiæ, omnibus & ſingulis æqualiter prodeſt. Ergo pariformiter dicendum eſt in noſtro caſu reædificationis, ſeu reparationis Eccleſiæ.

39 Sed in contrarium eſt communis ſententia dicens ſecundùm facultatem uniuſcujuſque eſſe faciendam: nam ſimiles collectæ ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ, propriè collectæ ſunt, quarum natura eſt proſpicere non perſonarum numerum, ſed patrimonium cujuſcunque, *l.* 1. *C. de apochis publicis*, ubi Gloſſa *verbo Inopes*, juncto ibidem Bartolo *num.*8. Quapropter hæc diſtributio facienda eſt non per capita, ſed ſecundùm Parochianorum facultates, Bellettus *dict.* §. 15. *num.* 11. Leon *in Theſauro for. Eccleſ. cap.* 16. *num.* 73. Coſta *dict. remed.* 106. *num.* 3. Sperellus *deciſ.* 68. *num.* 54. Pekius *de reparand. Eccleſ. cap.* 10. *num.* 2. Solorzanus *dict. lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 9. Balmaſeda *d. q.* 56. *n.* 12. Urrutigoyti *d. cap.* 3. *num.* 132.

40 In hoc dubio conſiderandum cum Tonduto *dicto cap.* 38. *num.* 1. collectas in triplici eſſe differentia. In primis reales dicuntur, ipſas res afficientes, habentque certam præſtationem, veluti tributa rebus ipſis cohærentia, quæ ad quemcunque tranſeunt. Aliæ ſunt perſonales, quæ tantùm perſonis imponuntur. Ac denique alteræ, quæ imponuntur perſonis pro rebus ab ipſis poſſeſſis, & reſpectu propriarum facultatum, quæ & patrimoniales aliquando ſolent nominari. Unde diſquirendum, an hæ contributiones, ſeu collectæ ad ædificandas, ſeu reparandas Eccleſias ſint reales, an perſonales, ſeu patrimoniales, Cancerius *var.* 2. *p. c.* 6. *n.* 198. ſcripſit ſimiles contributiones, ſeu collectas iſtas eſſe patrimoniales, & reales, prout quæ expenduntur pro reficienda domo civitatis. Sed tamen Cancerius confundit onera, ſeu collectas patrimoniales, & reales, quę inter ſe diſtinguuntur, ut jam eſt explicatum. Dicendum eſt ergo, collectam iſtam eſſe patrimonialem, imponendam perſonis habito reſpectu ad patrimonium uniuſcujuſque, ut tenet Tondutus nuperrimè allegatus, & Cochlius *de contribut. cap.* 10. *num.* 57.

41 Hinc ſequitur, eſſe admittendam communem ſententiam, non ex fundamento illius, quia debile eſt; nam etiam collectæ, ſeu contributiones, propriè ſunt perſonales, perſonas proſpicientes, Balmaſeda *de collect. quæſt.* 67. *num.* 7. quamobrem nomen illud non dicit neceſſariam contributionem reſpectu habito ad facultates, ſed tantùm per capita: Ergo fundamentum communis ſententiæ debile eſt. Stabilitur tamen ſententia illa, quia collecta, ſeu contributio ad reficiendas, ſeu reparandas Eccleſias, eſt patrimonialis, ut dictum eſt *numero antecedenti*: Ergo non per capita eſt diſtribuenda, ſed ſecundùm facultates. Quod ſit patrimonialis probatur, quia iſta collecta reſpicit immediatè bonum publicum Religionis, *l.* 1. §. *Hujus ſtudii, ff. de juſt. l. Quæ religioſis* 43 *ff. de relig. & ſumpt. funer.* Ergo eſt patrimonialis, cæteræ enim reſpicientes immediatè perſonas, ſunt perſonales, ut in ſalario Medici, & Prætoris, quorum contributio fit per capita, ex eo quod immediatè bonum illud reſpiciat perſonas, licèt mediatè publicum, ad quorum ſalarium omnes per capita collectantur, niſi inopes fuerint, Valle *lib.* 2. *conſ.* 87. *num.* 28. Mena *lib.* 1. *var. quæſt.* 8. §. 1. *n* 52. Denique id eſt conforme Sacris Canonibus æquitate, & ſanctitate maxima omnia decernentibus, ne ad reædificationem, ſeu reparationem Eccleſiarum collectæ fiant, niſi ſecundùm facultates, qui eſt optimus modus contribuendi, de Lugo, *de juſt. diſp.* 36. *ſect.* 2. *n.* 23. & dicemus nos *lib.* 7. *cap.* 9. Ergo in præſenti ſemper eſt facienda diſtributio, ſeu collecta iſta ſecundùm facultates, non per capita.

42 Ex his reſolvenda alia difficultas, an forenſes poſſint obligari ad hanc contributionem pro refectione, aut reparatione Eccleſiarum? Et affirmandum videtur; nam licèt aliqui Doctorum aſſerant, forenſes non teneri ſolvere gabellas, ſeu collectas impoſitas ad ædificationem, ſeu reparationem ædificiorum publicorum, Tabiena, Armilla, Cajetanus, & alii apud Sanchez *conſ. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 45. *num.* 6. Attamen probabiliſſima ſententia eſt contraria; nam forenſes licèt tantùm negotiandi cauſa accedant, eiſdem tamen commoditatibus utuntur; quamobrem etiam ad tributum debent convenire, ut latè probat Sanchez *dict dub.* 45. *n.* 7. de Lugo *de juſtit. diſput.* 36. *ſect.* 2. *num.* 28. Ergo dicendum eſt eſſe collectandos ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ.

Sed tamen plures contrarium tenent, quia contributio, 43
ſeu collecta iſta eſt perſonalis, habito reſpectu ad bona habita in loco, ſeu territorio illo. Ergo cùm forenſes non habeant ibidem aliqua bona, nequeunt ad id collectari. Cæterùm licèt forenſes Catholici ſint, & Eccleſia utantur ad recipienda Sacramenta, & divina audienda, per accidens eſt. Ergo ad hanc collectam non tenentur, Pekius *de reparand. Eccleſiis, cap.* 11. *per tot.* Tondutus *d. c.* 38. *per tot.* Balmaſeda *d. q.* 56. *n.* 10.

Verùm difficultas iſta duobus modis eſt concipienda. 44
Primò quando forenſis habuerit aliqua bona in Territorio illo, ubi Eccleſia reficitur, ſeu reparatur, & alibi habet domicilium. Secundò quando forenſis tantùm in civitate, aut oppido adeſſet ad negotia. Quoad primum duæ ſunt ſententiæ. Prima aſſerit habentem bona in territorio illo, ubi Eccleſia ædificatur, ſeu reparatur, etiamſi alibi habuerit domicilium, teneri ad hanc collectam, ſeu contributionem: nam contributio iſta eſt onus reale bonorum; quarum licèt alibi habitet, tenebitur ad illam. Et confirmatur, nam bona quælibet alicujus territorii ſunt tacitè obligata, & hypothecata pro omnibus neceſſitatibus publicis illius, *l.* 1. & 2. *C. quibus in cauſ. pign. tacit. contrab.* ubi Bald. Albericus *in l. Idem. Iulianus*, §. *Hæres, ff. de legat.* 1. *l Reſcripto* 6. §. *fin ff. de mun. & honorib.* Sed hæc neceſſitas eſt publica: Ergo licèt dominus alibi habitet, tenebitur ratione bonorum ad illam contribuere. Rurſus probatur doctrina Abbatis *in cap. Non minùs* 4. *de Immunit. Eccleſ. nu.* 38. Alexandri *lib.* 2. *conſ.* 70. & Cornei *lib.* 5. *conſ.* 209. aſſerentium forenſes habentes bona in aliqua urbe, ſeu territorio, teneri ad collectas pro reparatione murorum, viarum, & pontium: Ergo multò magis pro ædificatione, ſeu reparatione Eccleſiarum, Fulvius Pacianus *conſ.* 7. *num.* 99. Phœbus *deciſ Luſit.* 34. Cevallos 2. *p. q.* 99. *num.* 8. Barboſa 3. *par. allegat.* 64. *num.* 10. Urrutigoyti *d. cap.* 13. *num.* 72.

Secunda ſententia tenet contrarium, quia hæc obligatio 45
eſt patrimoniales reſpiciens principaliter perſonas, quæ ſi alibi domicilium habuerint, ad nihil tenebuntur; bona enim in hac ſpecie ad nihil deſerviunt, niſi ut perſona principaliter obligata ad modum facultatem contribuat. Ergo ſi alibi domicilium habuerit, licèt bona adſint in Territorio forenſi, ad nihil tenebitur. Prætereà licèt hæc collecta fuerit realis, ut aliquibus placuit, & dixit Cancerius 2. *p. c.* 6. *num.* 198. id tamen non eſt intelligendum propriè, ſed quatenus contributio debet fieri ſecundùm facultates cujuſcunque; eſt enim propriè patrimonialis: Ergo ſi perſona alibi habuerit domicilium, licèt in Territorio habeat bona, ad nihil tenebitur, Cochlius *de contribut. cap.* 10. *num.* 57. Coſta *remedio* 304. *num.* 7. Pekius *de reparan. Eccleſiis, cap.* 11. *num.* 4. Theſaurus *deciſ.* 149. Tondutus *d. c.* 38. *à num.* 4. Balmaſeda *d. q.* 56. *num.* 14.

Hoc dubium duobus modis eſt concipiendum, & exami- 46
nandum. Primò de jure communi. Secundò de jure noſtro Regio. De jure communi tota difficultas verſatur, quatenus multi Doctores aſſerunt hanc collectam, ſeu contributionem eſſe purè realem: alii patrimonialem, ſeu mixtam. Aſſeverantes eſſe realem, conſequenter affirmant forenſem habentem bona in territorio illo, teneri ad hanc collectam pro ædificatione, ſeu reparatione Eccleſiæ, quia onera realia debentur ubi adſunt bona, ut de cenſualibus tenent Parladorius *lib.* 1. *quot. c.* 3. §. 8. *num.* 24. Cencius *de cenſib q.* 1. *à n.* 25. Avendanus *reſponſ.* 23. *num.* 2. Bobadilla *in polit. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 24. Ergo ratione bonorum forenſi tenebitur contribuere ad hanc collectam.

Sed non rectè loquuntur Doctores iſti, quia hæc contri- 47
butio realis non eſt, nec aliquo modo onus reale; quia ex duobus capitibus fit onus reale, nempè quando res ipſa commodum reportat ex collecta, Mena *var. lib.* 1. *quæſt.* 21. *à n.* 90. aut quando ex pacto eſt penſio, ſeu tributum

in re ipſa impoſitum. Aſt ex nullo capita iſtorum collecta debetur ad reficiendam, ſeu reparandam Eccleſiam. Ergo nullo modo collecta iſta eſt realis. Quod verò non ſit certa penſio in re ipſa impoſita, patet, quia eſt collecta incerta imponenda ſolùm quando fuerit neceſſaria ædificatio, ſeu reparatio Eccleſiæ: tum incerta eſt reſpectu quantitatis. Ergo non eſt certa affixa ipſis bonis. Quod verò nullum commodum reportet bonis exiſtentibus in territorio ædificatio, ſeu refectio iſta, etiam patet quia tantùm eſt ad bonum animarum: Ergo minimè collecta iſta eſt onus reale. Quamobrem quoties forenſes ad tributum vocantur, proſpiciendum commodum bonorum, veluti ne per alluvionem deteriorentur, vel ut muri reficiantur, ne urbe ab hoſtibus occupata, bona illa deprædentur, quo caſu collectantur, Avendanus *de exequend. mand. 2. p. cap. 14. n. 20.* Ant. Rubeus *conſ. 9.* Theſaurus *deciſ. 257. n. 6.* Ergo in præſenti non ſunt collectandi.

48 Hinc admittendi ſunt Doctores aſſerentes collectam iſtam eſſe patrimonialem, & imponendam perſonis, habito reſpectu ad facultates; nam ut probatum eſt, eſt incerta, nec commodum reportat bonis, Pekius *d. c. 11. n. 4. verſ. Ideò*.

49 Et conſequenter dicendum, eſſe admittendam ſecundam ſententiam negantem, forenſes habentes bona in territorio, debere contribuere ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ. Tum alia ratione, nàm forenſes alibi habentes domicilium, non ſunt ſubditi illius loci ubi imponitur collecta: Sed collecta non poteſt comprehendere exemptos à juriſdictione, Decius *conſ. 358.* Boerius *conſ. 260. num. 11.* Solorzanus *de jur. Indiar. tom. 2. lib. 1. c. 19. n. 78.* & dicemus latè *lib. 7. cap. 9.* Ergo forenſis, etiamſi bona habeant in territorio, nequeunt collectari ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ, Tondutus *dict. cap. 38. num. 3.*

50 Limitatur tamen hæc ſententia aliquibus modis. Primò, ſi ad hanc collectam adſit Privilegium Principis, ut bona collectentur pro tributis perſonalibus, aut patrimonialibus. Tum ſi adſit ſtatutum conditum ab Urbe non recognoſcente Superiorem, vel ſi recognoſcat, corroboratum ſit plurimo temporis cruſu, ſupponente privilegium, aut quando adeſſet ſimilis conſuetudo rectè præſcripta, Pekius *d. c. 11. à n. 5.* Tondutus *tom. 1. c. 39. nu. 6. & cap. 38. n. 3.* Eminentiſſimus de Luca *tom. 2. de Regalib. diſc. 63.* Balmaſeda *de collect. quæſt. 62. num. 4.* Similiter limitatur ſi forenſis habuerit etiam domicilium in territorio ubi Eccleſia ædificatur, ſeu reparatur, & ibi pro majori parte anni habitaverit; quia tunc ex eo quod ibidem Sacramenta recipiat, & audiat divina, ſimul cum domicilio, tenetur contribuere pro ædificatione, ſeu reparatione Eccleſiæ, Moneta *de decim. c. 7. q. 1. n. 2.* Narbona *in l. 20. tit. 1. lib. 4. Recopilat. gloſſ. 2. num. 11.* & in terminis Cenedo *deciſ. 91 n. 9.* Barbota *dict. allegat. 64. num. 10.* Tondutus *dict. cap. 38. nn. 4.* Urrutigoyti *dict. cap. 13. num. 75.* Balmaſeda *dict. quæſt. 56. num. 17.*

51 De jure Regio magis eſt dubium ex deciſione textus in *l. 5. tit. 9. lib. 7. Recopilat.* ubi deciſum, tributa perſonalia, realia, vel mixta eſſe ſolvenda in loco ubi ſita ſunt bona, licèt dominus alibi habuerit domicilium, quod admittit Azevedus *ibid. nu. fin* nec deſſentit Avendan. *reſponſ. 16.* Ergo in Caſtella, ubi lex iſta viget, ad contributionem tenebitur forenſis, licèt alibi habeat domicilium, pro ratione bonorum ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ.

52 Sed tamen de jure Regio cauſa iſta decidenda eſt, ut de jure communi, & dicendum, forenſem iſtum non teneri venire ad tributum ratione bonorum, pro Eccleſia ædificanda, ſeu reparandam, *l. Reſcripto 6. §. fin. l. Munerum 18. §. Patrimonio, ff. de mun. & honorib. l. Cùm nec 4. Cod. de Incolis, lib. 10.* multis relatis Flores de Mena *dict. lib. 1. quæſt. 21. n. 90.* & eſt ratio, quia lex illa ſtatuta eſt illo tempore ex cauſa ſingulari, nempè quia plurimi incolæ ob gravitatem vectigalium, faciliter oppida ubi degebant, deſerebant, & alibi ſe conferentes facilè à tributis ſe liberabant: quamobrem ut tantò damno occurreretur, ex quo plures populi depopulabantur, idcircò ſtatutum eſt; ut omnia tributa realia, perſonalia, vel mixta, ubi adeſſent bona, perſolverentur, ne hac arrepta occaſione, domicilia mutarentur. Hæc enim cauſa non eſt in ædificatione, ſeu reparatioae Eccleſiarum, quia rara eſt contributio, & nec ratione illius mutantur domicilia, quare non eſt caſus comprehenſus in illa lega. Rurſus licèt illa lex vigeret pro illa urgenti neceſſitate, jam in deſuetudinem abiit, nec in his regnis practicatur, niſi tantùm in oneribus realibus, Mena *d. q. 21. n. 102.* Balmaſeda *de collect. quæſt. 62. num. 6.* Ergo in præſenti non eſt tenenda. Denique Azevedus, & Avendanus tantùm ad literam illius legis loquuntur, non tamen dicunt, an ſit in uſu, nec ne: quare eorum doctrina parum urget ad præſentis caſus deciſionem, ſed tenendum ut de jure communi deciſum eſt, Balmaſeda *d. q. 62. num. 5.* Solorzano *tom. 2. lib. 1. cap. 19. num. 78.*

Ex his fundamenta prioris ſententiæ appoſita *nu. 44.* dilabuntur; tam ut probatum eſt, onus iſtud eſt patrimoniale. 55

Cœterùm doctrina Abbatis, & aliorum aſſerentium teneri forenſem pro bonis habitis in territorio contribuere ad reparationem murorum, pontium, ſeu viarum, abſolutè ſumpta admittenda non eſt, niſi bona illa recipiant commodum ex reparatione, ut benè explicat Mena *dict. quæſt. 21. num. 97. & 98.* quod cùm non ſit in refectione, ſeu conſtructione Eccleſiæ, ſed tantùm in bonum ſpirituale vicinorum, inde eſt ut ratione bonorum non teneantur contribuere forenſes.

Tandem ſupereſt aliud membrum diſtinctionis, ſcilicet 54
quando forenſis in territorio Eccleſiæ adeſt præſens, & ibidem negotiationis cauſa invenitur, non tamen habet aliqua bona, an teneatur ad hanc contributionem. In hac difficultate forenſes duobus modis ſunt concipiendi, vel ſunt peregrini, vel alii qui per tranſitum ad territorium adveniunt: aut ſunt qui ibidem morantur peregrinationis, aut ſtudii cauſa. Primi enim peregrini, & tranſeuntes, ad hanc gabellam, ſeu collectam contribuere non debent, quia ipſi nullo modo ſubſunt legibus, ſtatutis, aut decretis ipſius loci, ut in probabiliori ſententia tenent Sanch. *de matrim. lib. 3. diſp. 28. à num. 6.* Suarez *de legib. lib. 3. cap. 32. nu. 3.* Henriquez *lib. 7. de Indulg. cap. 13. num. 8.* Villalob. *in Summa, 1. p. tract. 2 difficult. 34 n. 1.* quamobrem ex defectu poteſtatis nequit eis gabella imponi, ſeu collecta, etiam ad ædificandam, ſeu reparandam Eccleſiam. Rurſus, nam licèt forenſes Catholici ſint, & commodum Eccleſiæ percipiant, cùm tamen id ſit per tranſitum, commodum illud per accidens eſt, & non venit in conſideratione, ut ad collectam adſtringatur. Excipio tamen ſi contributio eſt impoſita in aliquibus rebus, veluti comeſtibilibus vel in aliis ab eis vendendis, vel emendis; tunc enim cùm inſeparabilis ſit collecta, & impoſita ipſis contractibus, peregrini, & forenſes tranſeuntes ad illam obligantur, Baldus *in l. 1. C. de contrah. empt. num. 3. & 4.* Sanch. *dict. diſput. 18. nu. 12.* Ergo etiam ad hanc collectam ad ædificandam, ſeu conſtruendam Eccleſiam.

Si tamen forenſes in loco illo morentur ad negotiatio- 55
nem, ſtudium, vel ad alteram cauſam, majus eſt dubium nam plurimi Doctores, quos refert, & ſequitur Mena *dict. lib 1. quæſt. 21. num. 93.* aſſerunt, forenſem morantem in illo loco per longum tempus, dummodò habuerit animum recedendi, ad collectam non teneri; nam ex eo quod non habeat animum permanendi, vicinus & domiciliatus non eſt, & nequit collectari, Amaya *in l. Cives. 7. Cod. de incolis, lib. 10. num. 104.* Otero *de Paſcuis, cap. 4. nu. 11.* Ergo nec poterunt collectari ad Eccleſiæ ædificationem, ſeu reparationem.

Sed in præſenti contrarium mihi videtur. Idque duobus 56
modis evenire videtur, vel quando ſtatutum, vel conſuetudo immemorialis eſt illius oppidi, ut forenſes collectentur ſicut alii incolæ, quod fieri valet ob aliquas rationes, quas recenſet Lugo *de juſtitia, diſput. 26. ſect. 2. num. 28.* Vaſqu. *in opuſc. de reſtit. cap. 3. §. 1. dub. 2. uu. 32.* Oliva *de juſtit. diſp. 669. n. 3.* Mena *d. q. 21. n. 160.* quo quidem caſu ſicut forenſes ad alia tributa tenentur, ſimiliter ad collectam pro conſtruenda, vel reparanda Eccleſia. Si verò ſtatutum, aut conſuetudo iſta non ſit, ſed ex jure communi procedatur, adhuc morantes in oppido, licèt forenſes ſint, poterunt collectari pro ædificatione, ſeu reparatione Eccleſiæ; nam ut docent Sanchez *conſ. lib. 2. cap. 4. dub. 45. num. 7.* quoties exteri percipiunt commodum ex re illa civitatis, ad quam confluunt, tenentur ad collectas ratione illius rei impoſitas, Mena *dict. quæſt. 21. num. 98.* Cùm ergo forenſes in oppido commorantes commodum ex Eccleſia illius loci percipiant, quatenus ibidem recipiunt Sacramenta, audiunt Divina, & ſepeliuntur, inde eſt ut ſicut cæteri incolæ debeant collectari. Cœterùm collecta iſta eſt perſonalis formaliter, licèt ſecundùm quid ſit realis, Tondutus *dict. cap. 38. num. 4.* Sed perſonæ forenſium percipiunt ex Eccle-

ſia

ſia ſpirituale commodum. Ergo poſſunt collectari. Prætereà ſimiles forenſes quodammodò incolæ, ſeu domicilarii cenſentur; & ſubſunt legibus illius loci, & ibidem forum ſortiuntur, Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 18. *num.* 9. Ergo quando commodum recipiunt ex Eccleſia, debent contribuere ad ædificationem, ſeu reparationem illius. Deinque doctrina aſſerens forenſes non teneri ad collectas, intelligenda eſt quando tantùm imponuntur incolis pro eorum tantùm utilitate, non verò quando commodum percipiunt Forenſes. Ergo debent ſentire damnum contributionis, ex regula *Secundum* 10 *ff. de reg. iur. l. Plancus* 49 *ff. ad l. Falcid.* Gratian. *to.* 5. *diſcept.* 916. *num.* 35. Tuſchus *litt. V, concluſ.* 374.

57 Illud verò (antequam hinc habeamus) erit obſervandum, quod ſi civitas, vel oppidum habuerit bona communia, & propria unde Eccleſia ædificetur, aut reparetur, non eſſe deveniendum ad collectam vicinorum, vel incolarum; nam licèt Eccleſia proſpiciat bonum ſpirituale perſonarum ibidem commorantium, attamen cùm in rebus ſacris exiſtat jus publicum, *l.* 1. §. *huius ſtudii, ff. de iuſtitia*, quatenus totius communitatis incolumitas à conſervanda Religione pendeat, prout etiam Ethnici animadverterunt, de quo exempla dat Valerius *lib.* 1. *tit. de conſervat. Relig* idque conforme ſit placitum omnium, Catholicorum, Carolus Scribanius *polit. Chriſt.* 1. *p. cap.* 19. Menochius *inſtitut. politic. lib.* 2. *cap.* 5. Petrus Barboſa *in polit. tract.* 1. *diſc.* 12. *fol. mihi* 139. Ribadeneira *en le Principe Chriſtiano, cap.* 13. Marquez *in ſuo gubernat. lib.* 2. *cap* 1. ideò quoties adſunt bona publica; ex eis eſt reparanda, ſeu ædificanda Eccleſia, nec deveniendum ad collectas. Prætereà illud eſt agnitum principium, quod quoties neceſſitati publicæ poteſt occurri ex bonis publicis, non eſt deveniendum ad contributionem, *l.* 11. *tit.* 13. *lib.* 1. *recopllat.* ibi: *A fallecimiento de proprios de concejo*: & dicemus latè *lib.* 7. *cap.* 9. Ergo in præſentia ſi adſint bona publica, non eſt deveniendum ad diſtributionem, Guttierrez *allegat.* 10. *num.* 6. Avendanus *de exequend.* 2. *p. cap.* 10. *num.* 29. quidquid non benè reſiſtant Cevallos *de la fuercas* 2. *par. q.* 99. *n.* 7. Salgado *d.* 3. *par. cap.* 5. *n.* 12.

58 Si verò ædificatio, ſeu reparatio Eccleſiæ, nec per bona publica, nec per collectam fieri valeat, ad providentiam Epiſcopi pertinet modum quærere. Quapropter poterit fieri ſtatutum, ut fructus vacantes beneficiorum applicentur Fabricæ Eccleſiæ ædificandæ, ſeu reparandę idque cauſam eſſe ſufficientem probant Tuſchus *verbo Fabrica, concluſ.* 3. *n.* 5. & 6. Bellettus *diſquiſit. Cleric. tit. de Clerico debit.* § 13. *nu.* 12. Barboſa *dict. allegat.* 64. *n.* 4. *in fin.*

59 Eſt tamen dubium, an ad refectionem, ſeu ædificationem Eccleſiæ pauperis poſſit Epiſcopus aliarum Eccleſiarum fructus applicare? Prima ſententia negat id fieri poſſe abſque licentia Papæ, quia iſta eſt propria alienatio rerum Eccleſiæ, quæ nequit fieri abſque conſenſu Apoſtolico, *Extravagant.* 1. *de rebus Eccleſiæ*, Riccius *in Praxi for. deciſ.* 24. & 25. & in terminis applicationis praxi unius alteri Eccleſiæ, tenent Gratian. *diſcept for. c.* 5. *num.* 9. 10. & 17. & *cap.* 674. *num.* 4. Boſſius *tom.* 3. *var. tract.* 16. § 1. *num.* 268. Riccius *in praxi* 1. *par. reſol.* 44. Ergo minimè poterit Epiſcopus ex fructibus unius Eccleſiæ alteri applicare, etiam pauperi, abſque aſſenſu Apoſtolico. Prętereà alienatio rerum Eccleſiæ nequit fieri abſque utilitate ipſius, aliàs ſi propter aliarum commodum id concederetur, faciliter bonis propriis expoliaretur, Cavall. 1. *par. deciſ.* 45. *num.* 34. Rota apud Seraphinum *dec.* 29. Cophinus *deciſ.* 37. Boſſius *dict. tract.* 18. §. 2. *à num.* 101. Ergo Epiſcopns propria authoritate abſque Pontificis licentia nequit fructus alteri Eccleſiæ applicare, etiam ex cauſa ædificationis, ſeu reparationis. Tandem, nam quæ donata, & conceſſa ſunt Eccleſiis determinatis, nequit Epiſcopus aliis Eccleſiis concedere, id enim eſſet commitare dantium voluntates, quod nequit fieri ab Epiſcopo, *c.* 1. 12. *q.* 1. *Clemen. Quia contingit.* 2. *de relig. domib.* Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 8. ergo nec applicare fructus alicujus Eccleſiæ, etiam ſuperfluos, alteri pauperi ad ejus ædificium, ſeu reparationem, Navarr. *conſ.* 2. *aliàs* 15. *de reb. Eccleſiæ*, Barboſa 3. *par. allegat.* 64. *num.* 7.

60 Secunda ſententia affirmat; nam ut docent communiter DD. ad providentiam Epiſcopi pertinet ædificatio, ſeu reparatio Eccleſiarum, modoſque quærere, ut id fiat, quando nec ex fructibus, nec ex bonis communibus, nec vicinorum fieri valet. Ergo quando aliqua Eccleſia pervenit ad ſummam egeſtatem, poterit ex fructibus ſuperfluis alterius Eccleſiæ huic provideri, ad illius ædificationem, ſeu reparationem. Tum licèt Epiſcopus non poſſit propria authoritate fructus unius Eccleſiæ alteri applicare, id tamen non admittitur quando adeſt juſta cauſa, *cap. Præcipimus*, §. *Sicut. duo*, 16. *q.* 1. Gloſſ. *in cap. conſtitutus, de Relig. domib. & in c.* 1. *de reb. Eccleſiæ*. Aſt in ſpecie eſt juſtiſſima cauſa conſtruendæ, ſeu repàrandæ Eccleſiæ pauperis, carente fructibus, & Parochianis divitibus: Ergo rectè Epiſcopus poterit facere hanc applicationem, Burgenſis *in cap. Quæ in Eccleſiarum, de conſtit. num.* 272. Genuenſis *in Manual. Paſt. cap.* 30. *nu.* 8 Layman *in Sum. lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *num.* 16. Urrutigoyti *de Eccleſiis Cathed. cap.* 13. *nu.* 58. Torecilla *exam. de Obiſp. tract.* 3. *quæſt. unic. ſect.* 1. *qu.* 3. *num.* 20. & 21.

In hoc dubio attentè eſt conſiderandus caſus, in quo difficultas verſatur, quia aliquæ Eccleſiæ poſſunt eſſe divites, verùm non ita ut aliqui fructus ſuperfluant; quia omnes illæ divitiæ ſunt illis neceſſariæ ad expenſas ſuas, & divinum cultum: quare dubium verſabitur, quando ita ſunt divites, ut quamplures fructus ſuperfluos habeant: in quo quidem caſu dicendum, duobus modis poſſe Epiſcopum illa ſuperflua tollere ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ pauperis, diſmembrando, ſeu applicando fructus illos perpetuò ad alteram pauperem Eccleſiam indigentem ædificatione, ſeu reparatione: in quo quidem caſu rectè procedit prima ſententia, quia ad hanc diſmembrationem, & perpetuam applicationem requiritur aſſenſus Apoſtolicus, Boſſius *d.* §. 3. *num.* 286. *in fine*, quod procedit abſque dubio ubi Extravagantes, & aliæ Conſtitutiones de his alienationibus loquentes admiſſæ ſunt. 61

Altero etiam modo fieri valet applicatio iſta ab Epiſcopo, tantùm præcipiendo redditus, & fructus perceptos, & expoſitos ad conſumptionem, applicari pro unica vice ad ædificationem, ſeu reparationem alterius pauperis Eccleſię: & in iſto caſu rectè Epiſcopus propria auctoritate procedit; nam licèt bona Eccleſiæ non poſſint alienari abſque ſolemnitatibus, ut notum eſt, id intelligendum tamen quando res immobiles ſunt, vel mobilia pretioſa, quæ ſervari poſſunt, *Extravag. Ambitioſæ, de reb. Eccleſiæ*, Barboſa *dict.* 3. *p. allegat.* 95. *num.* 49. Molina *de juſt. tom.* 2. *diſput* 465. Bonac. *de alienat. rer. Eccleſiæ*, 2. *p. quæſt. unica*, Boſſius latiſſimè *dict. tract.* 18. §. 7. *n.* 371. Delbene *de Immunit.* 1. *p. cap.* 17. *dub.* 2. *ſect.* 1. *per tot.* non verò quando ſunt mobilia, & expoſita ad earum alienationem, prout in caſu de quo loquimur: quamobrem ex licentia, ſeu decreto Epiſcopi fructus, ſeu redditus ſuperflui rectè poterunt applicari alteri pauperi Eccleſiæ, ad illam ædificandam, ſeu reparandam. Rurſus licèt eſſe alienatio iſta prohibita, in Hiſpania tamen ubi non ſunt receptæ ſimiles Extravagantes, & Decreta, ſed bona Eccleſiæ alienantur de licentia Epiſcopi, & cauſa ſubſiſtente, ut de jure communi, *cap. Sine exceptione* 12. *quæſt.* 2. Boſſius *d. tract.* 18. §. 5. *n.* 195. debet admitti talis applicatio, ſi quidē fit authoritate Epiſcopi, & juſtiſſima cauſa ſubſiſtente. 62

Tandem ex alio capite ſententia iſta comprobatur; nam ut *l.* 8. dicemus, Eccleſia tenetur ex ſuperfluis eleemoſynam facere: quamobrem Epiſcopus poterit fructus illos ſuperfluos Eccleſiæ pauperi ad ejus ædificium, ſeu reparationem applicare per modum eleemoſynę, ad quam tenebatur ipſa Eccleſia. Ergo rectè ſuſtinenda eſt talis applicatio. 63

Hinc enim in ſimilibus neceſſitatibus poterit Epiſcopus deſignare perſonas aliquas honeſtas ad petendas eleemoſynas per civitatem, vel oppidum, ubi Eccleſia eſt ædificanda, ſeu reparanda, & per vicos circumvicinos, Guttierrez *dict. allegat.* 10. *num.* 8. Salgado *de Regio protect.* 3. *p. cap.* 5. *num.* 21. Urrutigoyti *dict. cap.* 13. *num.* 125. cui addidit Salgado *num.* 22. poſſe etiam Epiſcopum ex bonis Beneficiatorum defunctorum aliquid detrahere ad ædificationem, ſeu refectionem Eccleſiæ, quando plures redditus, ſeu fructus in vita ex tali Eccleſia perceperunt: quod in reparatione Eremitoriorum ſcripſit Guttierrez *dict. allegat.* 10. *num.* 7. quorum doctrina admittendam cenſeo, quando damnum refectionis, ſeu ædificationis in vita Beneficiati fuerit cauſatum, ad quod ipſe tenebatur contribuere ſimul cum aliis particibus, ut tenet Pekius *de reparand. Eccleſiis, c.* 18. Salgado *d. c.* 5. *num.* 25. quod extendendum ad penſionarios, Pekius *cod. tract. c.* 21. Barboſa *ad Concilium, dict. ſeſſ.* 21. *c.* 7. *num.* 12. & *alleg.* 64. *n.* 18. Aliàs ſi ex nulla providentia Epiſcopi poſſit Eccleſia reparari, demolienda eſt; non ita tamen, ut ad profanos uſus redeat, ſed erigenda Crux, & ibi 64

relinquenda, translata ad matricem, ſeu viciniorem Eccleſia diruta, ut decrevit Concilium *d. cap.* 7. Sperellus *dec.* 68. *num.* 14. Barboſa dans plures *in dict. cap* 7. *num.* 11. & *allegat.* 64. *num. fin.*

65 Hucuſque dicta intelligenda ſunt de inferioribus Eccleſiis. De Cathedralibus verò illud eſt expeditum, ut ad refectionem, ſeu ædificationem earum, priùs bona Fabricæ ſint obligata, *cap.* 1. *de Eccleſiis ædificandis*, ubi Doctores Fuſcus *de viſit lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 15. Urrutigoyti *dict. c.* 13. *num.* 15. quibus non ſufficientibus, Epiſcopus quartam partem fructuum contribuere tenetur tam de præteritis, quàm de futuris, Beroius *conſ.* 3. *à num* 6. Rota apud Farinac. *dec.* 627. *num.* 3. *par.* 1. Azorius *de re benef. lib.* 1. *q.* 11. *n.* 78. Barboſa 3. *p. alleg.* 64. *n.* 5.

66 Verùm eſt dubium, an Epiſcopus præter hanc quartam, ſi non ſufficiat, ampliùs contribuere debeat ſimul cum Canonicis. Prima ſententia negat, *ex cap. Decernimus*, *cap. Quatuor* 27. 12. *q.* 2. ubi dicitur, ad Fabricam Eccleſiæ quartam partem fructuum Epiſcopatus pertinere, Epiſcopumque illam præſtando totam ſuam obligationem adimplere: Ergo non tenebitur contribuere. Cæterum ſi Epiſcopus ampliùs teneretur contribuere, & omnes fructus teneretur impendere, miſera ſibi relicto congrua, in grave præjudicium ſuæ dignitatis ex paupertate facilè deſpiceretur, & Canonici integrè ſuas portiones perciperent, quando ſimiliter ſunt obligati ad refectionem, ſeu reparationem Eccleſiæ, Gigas *conſ.* 117. Cenedo *ad Decret al. collect.* 553. *num.* 1. & 3. Bobadilla *in polit. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 135. Michael Thenoch. *de viſitat. Eccleſ. lib.* 2. *num.* 6. Ergo minimè aſſerendum, ampliùs ultra quartam teneri contribuere, Beroius *d. conſ.* 3. *num.* 6. Barbatia *conſ.* 26. *ſub num.* 4. Surdus *conſ.* 62. *num.* 23. Bellettus *dict. tit. de Cleric. debit.* §. 13. *num.* 16. Lotterius *dict. quæſt.* 11. *num.* 78. Barboſa *d. allegat.* 64. *num.* 5.

67 Secunda ſententia affirmat, reſervata congrua, omnes alios fructus ultra quartam teneri Epiſcopum contribuere, & ſi non ſufficiant, Canonici vocandi ſunt ad tributum. Ratio eſt, nam illa pars quarta, quæ fructibus Epiſcopi reſervatur Fabricæ, eſt propria illius, *c. Decernimus.* 10. 10. *q.* 3. *cap. Quatuor* 27. 12. *q.* 2. & conceſſa Epiſcopis, ut ſi reparatio Eccleſiæ, aut ædificatio ea non indigeat, ad alios pios uſus illam impendant, *cap. unio* 3. 10. *q.* 3. *c. Vobis* 13. 12. *quæſt.* 2. quamobrem in hac contributione Epiſcopus ultra quartam tenetur contribuere omnes alios fructus, excepta congrua: quibus non ſufficientibus, ad Canonicorum tributum eſt deveniendum, Urrutigoyti *de Eccleſiis Cathedr. cap* 13. *à n.* 17.

68 In hoc dubio magnoperè proſpiciendum, quomodò fructus Eccleſiæ Cathedralis dividantur inter Epiſcopum Fabricam, & Canonicos. Si enim Fabrica habeat fructus ſeparatos, & ſigillatim adminiſtrentur, ita ut Epiſcopus nihil de eis percipiat, ex illis facienda eſt reparatio, ſeu ædificatio, ut jam dictum eſt, Molina *de Inſt. tract.* 2. *diſput.* 144. *verſ. Quod Fabricam*. Aſt ſi Epiſcopus aliquam partem fructuum pertinentium ad Fabricam perceperit, veluti tertiam, aut quartam partem, ut in dictis juribus, *in cap. Vnio*, & *cap. Vobis*, tunc illa pars præſtanda eſt ab Epiſcopo, non ut contributio ipſius Epiſcopi, ſed ut reſtitutio neceſſariò ab ipſo facienda; quia advenit caſus ædificationes, ſeu reparationis Eccleſiæ, ad quam pars illa erat deſtinata, ut benè conſiderat Urrutigoyti *d. c.* 13. *n.* 20. & 23.

69 Erit ergo dubium, quando jam iſta pars eſt Eccleſiæ reſtituta, vel quando Epiſcopus nihil de his fructibus percepe-rit, an omnes Epiſcopi teneantur contribuere, excepta congrua, antequam Canonici vocentur ad contributionem? Affirmavit Urrutigoyti *d. c.* 13. *à n.* 18. Verùm in re aſſero tam Epiſcopum, quàm Canonicos pro rata contribuere debere: ducor nam omnes fructus Eccleſiæ Cathedralis æqualiter ſunt obligati ad ædificationem, ſeu reparationem illius: nec obligatio Epiſcopi eſt prior, quàm obligatio Canonicorum, cùm æqualiter pro rata portionum fructus percipiant. Ergo omnes Canonici ſimul cum Epiſcopo pro rata ſimul contribuere tenentur.

70 Sed dices. Inter Epiſcopum, & Eccleſiam adeſt matrimonium ſpirituale, & eſt ſponſus illius, *c. Inter corporalia* 2. *de transl. Epiſcopi*, *cap. Magna* 6. *de vot.* Maritus verò ex propria obligatione tenetur alere, & conſervare uxorem potiùs quàm alter quilibet, ut diximus *lib.* 4. *cap.* 9. *à n.* 80. Ergo Epiſcopus tenetur ex propriis fructibus priùs reædificare, aut reparare Eccleſiam, quàm Canonici. Sed reſpondetur hanc obligationem non provenire à matrimonio ſpirituali Epiſcopi cum Eccleſia; id enim ſolùm conſideratur ne illam deſerat, & ad aliam ſe transferat abſque juſta cauſa, ſeu diſpenſatione; ad ſimilitudinem matrimonii carnalis, in ſenſu morali, ut explicat Barboſa *in d. c. Inter. corporalia*, *n.* 4. At verò ad reparatione, ſeu ædificationem obligatio provenit ex fructibus obligatis ad illius conſervationem, Salgado *d.* 2. *par. c.* 5. *n.* 8. Ergo cùm omnes tam Epiſcopus, quàm Canonici, illos percipiant, omnes æqualiter pro rata ad contributionem tenentur.

Cæterùm probatur, nam onus ædificandi, ſeu repa- 71
randi Eccleſiam, eſt ipſorum fructuum, non habito reſpectu ad perſonas, ſed ad fructus, quatenus eſt onus reale ipſorum ex ſpeciali deſtinatione, *cap. Vnio* 3. 10. *quæſt.* 3. ubi Gloſſa, Ripa *reſponſ.* 14. *tit. de legibus*, Pekius *de reparand. Eccleſiis*, *cap.* 14 *num.* 1. & 2. Solorzanus *dict. lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 10. Cùm ergo in ſpecie Canonici ſimul cum Epiſcopo percipiant portiones fructuum, inde eſt, ut ſimul cum fructibus tranſeat æqualis obligatio reficiendi, & ædificandi Eccleſiam: Ergo Canonici ſimul Epiſcopo ad hanc reparationem, vel ædificationem tenentur pro rata portionum.

Et confirmatur: nam unus iſtud regale ſequitur ipſius fru- 72
ctus, licèt ad alios tranſeant, & ad ſucceſſores, Pekius *de reparand. Eccleſiis*, *c.* 19. Verall. *dec.* 208. Boerius *dec.* 204. *nu.* 54. Paponius *arreſt. lib.* 1 *tit* 1. § 14. Urrutigoyti *d. c.* 12. *nu.* 28 quare rata iſta ineſt in ipſis fructibus in eodem tempore ſimul cum Epiſcopo: Ergo omnes Canonici ſimul cum Epiſcopo tenentur pro rata contribuere.

In defectu Canonicorum, & Epiſcopi, quando non ſunt 73
ſufficientes, alii Clerici, & Parochiani Eccleſiæ Cathedralis ad contributionem tenentur, ut fiat ædificatio, ſeu reparatio: poſſunt etiam abſentium diſtributiones applicari, fructus beneficiorum vacantium, & alia juris remedia, Rot. 2. *p. diverſ. dec.* 325. *n.* 2. Barboſa *d. allegat.* 64. *nu.* 5. Urrutigoyti *d. c.* 13. *n.* 35.

In Cathedralibus Hiſpaniæ Reges noſtri ad ædificatio- 74
nem, ſeu reparationem Eccleſiarum Cathedralium non tenentur; quia non ſunt propriè Patroni, ſed protectores, Lotterius *de re benefic. lib.* 1. *q.* 11. *à num.* 64. Excipitur tamen in Cathedralibus Regni Granatenſis, & Indiarum, ubi ſunt veri Patroni, Solorzano *dict. cap.* 23. *num.* 14. & *in Polit. lib.* 4. *cap.* 23. Villaroel. *Goviern. Eccleſiaſt.* 2. *par. quæſt.* 20. *art.* 3. *per tot.* Urrutigoyti *d. c.* 13. *num.* 68. Fraſſo *de Patronat. Ind.* 1. *par. cap.* 7. *à num.* 1. Quo quidem caſui ſimul cum aliis contribuere tenentur, prout de aliis Patronis diximus: quod ſi facere renuerint, jurepatronatus privabuntur, Moneta *de commut. c.* 11. *num.* 150. Marta *de iuriſdict.* 2. *par. cap.* 48. *num.* 4. Urrutigoyti *cap.* 13. *num.* 70.

Hæc enim de jure communi debent procedere, niſi ad re- 75
parationem, ſeu ædificationem adſint aliquę conſuetudines jam præſcriptæ, quæ in aliquibus Provinciis adeſſe ſolent, ut contribuant Laici ſimul cum Clericis, vel ut Clerici contribuant ad Presbyterium, Laici verò ad corpus Eccleſiæ; prout enim admiſſæ, & præſcriptæ fuerint, ita ſunt obſervandę, ut aliæ præconſuetudines, *cap. Conſuluit* 2. *de obſervat. jejun. cap. Ad Apoſtolicam* 9. *de ſimonia*, ubi Doctores communiter, *cap.* 1. *de Eccleſiis ædificand.* Pekius *de reparand. Eccleſiis*, *cap.* 9. Bellettus *Diſquiſit. Clerical. tit. de Cleric. debit.* §. 13. *n.* 1. qui idem aſſerit de conſuetudine ornandi Cappellam ex paramentis; tum habendi lampadem ardentem ante Sanctiſſimum. Surdus *conſ.* 254. *num.* 9. Bellettus *dict.* §. 13. *num.* 8. Explicant Azorius *Inſt Moral.* 2. *par. lib.* 9. *cap.* 3. *quæſt.* 10. Marta *de juriſdict.* 2. *p. cap.* 38. *num.* 9. Barboſa *d. allegat.* 64. *num.* 5. Campanillus *in Diverſ. rubr.* 12. *cap.* 13. *poſt princip.* Tondutus *tom.* 1. *cap.* 48. *num.* 3. Sperellus *deciſ.* 68. *à n.* 19. Salgado *d.* 3. *p. c.* 5. *n.* 13. 8. *par.* Diana 8. *p. tract.* 7. *reſol.* 16. *verſ. Quando.*

Hæ tamen conſuetudines debent eſſe claræ, & non turbi- 76
dæ: turbida enim nihil operatur, Rota apud Farinacium *in poſthum.* 1. *p. deciſ.* 454. *n. fin.* Nec aliquo modo inducitur ex eo, quod aliquando aliquis reficeret, aut repararet Eccleſiam, ad quod non tenebatur; quia eſt actus facultativus, Rota apud eumdem, 1. *p. deciſ.* 454. *n.* 3. Urrutigoyti *d. cap.* 13. *à n.* 10. Aſt qui illam allegaverit, probare tenetur, aut per inſtrumenta, aut per teſtes videntes eam ad praxim adduci; poteritque etiam judex de ea ſe informare, Pekius *d. c.* 9. *à n.* 3. Sperellus *d. deciſ.* 68. *à num.* 20.

Tan-

77 Tandem in capite iſto diſquirendum ſupereſt, quis ſit judex competens ad cognoſcendum de cauſis ædificationis, aut reparationis Eccleſiæ, & ad cognoſcendum, & cogendum perſonas ad contributionem. Qua in re Marta *de juriſdict. 2. par. cap. 48. n. 15.* aſſerit ſcriptum id non reperiſſe, aſt variis factis conſiderationibus concludit, judicem competentem eſſe Epiſcopum, ex deciſione Concilii *dict. ſect. 25. de reformat. cap. 7.* ubi deciſum eſt, Cevallos verò *de las fuercas 2. p. quæſt. 99. à num. 12.* carpit Martam dicentem ſcriptum non inveniſſe, cùm jam Guillelmus Benedictus *in cap. Raynutius, verbo Et uxorem, deciſ. 2. nu. 138.* rem egiſſet. Verùm Cevallos attentè non perlegit Martam; loquitur enim tantùm quando in ſubſidium ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ ad contributionem veniunt Parochiani, quo quidem caſu inquit, non inveniſſe ſcriptum, quiſnam eſſet judex competens; Et reſolvit eſſe Epiſcopum, ex Concilio *dict. cap. 7.* quod idem eſt dicendum in ſimilibus ædificationibus, ſeu reparationibus Eccleſiarum, prout ibi diſponitur, vel eſſe ejus Vicarium etiam judicem competentem cum ſpeciali mandato, ut conſtat ex dicto Decreto, Pekius *de repar. Eccleſiis, c. 28. per tot.* Surdus *conſ. 101. num. 41.* Pereyra *de manu Regia 1. par. cap. 18. num 8.* Barboſa *3. par. allegat. 64. num. 8.* Lotterius *de re benef. lib. 1. q. 11. n. 81.*

78 Erit tamen dubium, an Judex ſecularis, maximè Princeps Supremus, & ejus Conſilia, poſſint eſſe Judices competentes ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiarum, ſi per prævention em ad eos recurratur. Prima ſententia negat, nam cauſa iſta eſt Eccleſiarum, pertinens ad cultum, Religionem, & adminiſtrationem Sacramentorum; res quippè ſpiritualis eſt, ſpecialiter pertinens ad Judices Eccleſiaſticos, *cap. 2. de judiciis*, cum vulgatis. Ergo nequeunt Princeps, & ejus Magiſtratus eſſe judices competentes in cauſis. Cœterùm ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ obligati ſunt omnes fructus, & redditus illius, etiam decimæ, quorum judices competentes ſunt Judices Eccleſiaſtici, Rota apud Seraphin. *deciſ. 1047. num. 3.* Gratianus *diſcept. 238. nu. 16.* Cevallos *de cognit. per viam viol. 2. p. quæſt. 25.* Barboſa *de univerſ. lib. 3. c. 26. §. 4. nu. 1.* D. Olea *de ceſſ. tit. 6. q. 3. num. 16.* Suntque expreſſiſſima jura *in cap. Tua 36. de decim. Clement. Diſpendioſam, 2. par. de Iudiciis, l. 56. tit. 6. p. 1.* quamobrem Judices ſæculares, etiamſi Princeps fuerit, aut ejus Magiſtratus, nequeunt aliquo modo cognoſcere de cauſa reparationis, ſeu ædificationis Eccleſiæ. Denique, ut ſuprà dictum eſt, Epiſcopus, & alii Clerici ſunt obligati ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ, ratione fructuum. Adverſus quos eſt incapax judex Princeps, aut ejus Magiſtratus, *c. Si diligenti 12. c. Cùm contingat. 13. c. Significaſti 18. de for. compet. c. Cum Epiſcopus 7. de offic. Ordinarii, l. 58. & 59. tit. 6. p. 3.* Cardoſo *in praxi, verbo Iuriſdictio, nu. 6.* Valenzuela *conſ. 26. num. 17.* Ergo nec Princeps ſæcularis, nec ejus Magiſtratus queunt aliquo modo eſſe competentes ad cognoſcendum de ædificatione, ſeu reparatione Eccleſiæ, Surdus *conſ. 301. n. 41.* Lotterius *d. lib. 1. q. 11. n. 81.* qui dicit contrarium non habere fundamentum, Marta *de juriſdict. 2. par. cap. 48. num. 16.* Valaſcus *conſult 179. n. 28.* Delbene *de Immunit. 2. p. c. 9. dub. 26. n. 6.* Diana *3. p. tract. 1. reſol. 8.* Urrutigoyti *dict. c. 13. num. 83.*

79 Secunda ſententia aſſerit, per prævention em eſſe judices competentes Principem ſæcularem, & ejus Magiſtratus: ducitur ex duobus Scripturæ locis, *lib. 4. Reg. cap. 12.* ubi Rex Joas diſpoſuit circa reædificationem Templi, & quomodo pecuniæ ad id conceſſæ debebant conſervari, & expendi. Idem diſpoſitum eſt à Joſia *lib. 4. Reg. cap. 22. Paralipomen. lib. 2. cap. 24.* ubi ad longum hiſtoria iſta refertur. Unde conſtat Reges habere poteſtatem, & juriſdictionem circa ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiarum. Cœterùm probatur, nam hæc cauſa eſt pia, Urrutigoyti *dict. cap. 13. num. 65.* & diximus in principio hujus libri. Sed cauſa pia eſt mixti fori, & cognitio pertinet ad utrumque judicem Eccleſiaſticum, & Sæcularem, *l. Hæreditas 50. §. Si defuncto*, ubi Gloſs. *ff. de petit. hæredit. l. Oſſa. 8. ff. de relig. & ſumpt. fun.* Tiraquellus *de cauſ. piis, privil. 150.* ubi Riccius, & Thorus, & pluries diximus. Ergo Princeps, & ejus Magiſtratus ſunt Judices competentes ad hanc cauſam, ſi præveniant. Prætereà Princeps eſt protector Concilii Tridentini, unde ei provenit, ut poſſit præcipere, ut exequatur, & ejus Decreta ab eo ſtabiliantur, & obſerventur, ut eſt decretum *in d. c. 7.* & conſquenter, ut ſit judex competens, & jus Magiſtratus, ut de hac cauſa cognoſcant, Pekius *de reparand. Eccleſiis, cap. 28. num. 2.* & de praxi Hiſpaniæ teſtatur Cevallos *de las fuercas, 2. par. q. 99. à num. 11.* tenent etiam Benedictus *in cap. Raynutius, verbo Et uxorem 2. n. 138.* Avendanus *de exequend. mandat. 2. par. cap. 3 n. 7. verſ. Idem iudex*, Rebuffus *reſponſ. 135. per tot.* Carolus de Graſſaliis *Reg. Franciæ lib. 2. iur. 6.* Bobadilla *in polit. lib. 2. cap. 18. num. 135.* Salgado *3. part de Reg. protect. cap. 5. num. 8.* Balmaſeda *de collect. q. 56. num. 18.*

In hoc dubio animadvertendum, fundamenta hujus ſententiæ debilia eſſe, & facilè reſponſum admittere. Et in primis factum Joas, & Joſias nihil probat, duo enim interpretamenta ex littera recipiunt: nam Principes iſti cùm viderent quàm maxima incuria Sacerdotes incederent in reparatione Templi, & pecunias ad id deſtinatas ad alia diverterent, ne tantum damnum progrederetur, modum debere, ut in gazophilacio Templi pecuniæ reponerentur, & poſteà numerati operariis ſolverentur. Aſt verò curam à Sacerdotibus non extraxerunt, ſed inſimul cum eis reparatio Templi gerebatur. Unde non conſtat juriſdictionem, & poteſtatem Sacerdotum Reges iſtos abſtuliſſe, ſed tantùm modum dediſſe, ut pecuniæ oblatæ à Fidelibus in Templi reparationem erogarentur, conſentibus ipſis Sacerdotibus, dum id convenientius fuiſſet. Aliud etiam reſponſum recipitur ex littera, nempè quia illa erat urgentiſſima neceſſitas, dum ipſi Supremi Sacerdotes ignavi, & ſegnes de reparatione Templi non curabant, quamobrem ex negligentia Sacerdotum, & urgente graviſſima neceſſitate, ubi non erat ad quos recurſus daretur, & erat periculum in mora, potuerunt illi Sancti Reges ſeſe intromittere in reparatione Templi, ita ut pecuniæ ſequeſtrarentur, & recto regimine operariis traderentur, prout in iſto caſu hodie fuiſſet admittendum, ſi cum iis circumſtantiis occurreret, ut tenet Urrutigoyti *d. cap. 13. à num. 88.* 80

Verùm ſi hæc interpretamenta tibi non placent, ſummè aliud convincens, nempè in lege veteri Sacerdotes, & Levitas juriſdictioni regali ſubditos fuiſſe, quin potiùs quoad Regum juriſdictione gatum, aut nihil differebant à laicis, ut hæc teſtimonia explicat Abulenſis *lib. 4. Reg. cap. 12. 2. p. art. 1.* Unde illatio non eſt facienda ad legem Gratiæ, ubi Sacerdotes, & Eccleſiaſtica negotia penitùs ſunt exempta à juriſdictione Principum ſæcularium, ut tenet Villarroel. *Govier. Eccleſiaſt. 2. p. q. 20. art. 3. à n. 54.* 81

Sed dices, licèt ex his teſtimoniis non probetur, Supremos Principes habere juriſdictionem ad reficiendas, vel reparandas Eccleſias, de Jure tamen Canonicos ſimilis poteſtas eſt eis conceſſa, ut decrevit Marcellus Pontifex *in c. ult. diſt. 69.* ibi: *Boni Principis eſt, ac Religioſi Eccleſias contritas, ac conſciſsas reſtaurare, c. Sicut excellentiam 48. ad fin. 23. q 4. l. Si in aliam 7. §. Ædes ſacras, ff. de offic. Proconſulis.* Ex quibus juribus Pekius *cap. 28.* deſumit, Principem, & ſæculares Judices habere juriſdictionem ad ſartatecta Eccleſiarum ſervanda. Sed Urrutigoyti *dict. cap. 13. num. 90.* ſcripſit tantùm jura illa eſſe intelligenda, ſcilicet quando adeſſet negligentia Sacerdotum, & neceſſitas ædificandi, ſeu reficiendi urgeret. Aſt litteraliter intelligi poſſunt, nempè boni Principis eſſe ſuis ſumptibus Eccleſias reſtaurare, & magnam ipſius excellentiam hoc pium opus valdè decere, ut latè diximus *in hoc lib. cap. 1.* Villareol. *dict. art. 3. à num. 17.* Urrutigoyti *dict. c. 13. num. 90.* nec Ulpianus *in dict. §. Ædes ſacras*, poteſt aliquid probare, quia loquitur ſecundùm jus Ethnicorum Romanorum, *l. 76. ff. de uſufruct.* Cicero *in Verrem 1.* Quod nequit obſervari in Eccleſia Catholica, Jure Canonico reſiſtente, *cap. 1. cap. De his 4. de Eccleſiis ædificand.* Tridentinum *dict. ſeſſ. 21. cap. 7.* 82

Aliud verò fundamentum deſumptum ex cauſa pia, quæ eſt mixti fori, pertinens etiam ad judicem ſæcularem, etiam ſuſpicit reſponſionem; duobus enim modis poteſt conſiderari cauſa pia. Primò quatenus continet aliquas perſonas, vel bona prorſus exempta à juriſdictione ſeculari. Secundò quando nihil tale continet. Quod primum nequit judex ſecularis cognoſcere de cauſa pia, ut eſt in præſentiarum. Ratio eſt, quia nec Princeps, nec aliud judex ſecularis poteſt cognoſcere contra Epiſcopos, vel alios Clericos obligatos ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ; nec in decimis, & fructibus eorum, qui ſunt ſequeſtrandi, aut pignorandi ad hanc cauſam, Ripa *reſp. 68. per tot.* Tond. *d. c. 38. n. 13.* 83

*n.*13. Urrutigoyti *d.c.*23.*n.*83. Ergo licèt ædificatio, ſeu reparatio Eccleſiæ ſit cauſa pia, nequit de ea cognoſcere Princeps, ſeu judex ſæcularis. Si verò cauſa pia ſit in alio modo, ſcilicet quando perſonæ, & bona non ſunt exempta à jurisdictione ſæculari, tunc cauſa pia erit mixti fori, & per præventionem poterit cognoſcere ſecularis. Unde in hac ſpecie fundamentum illud eſt nullius roboris.

84 Aliud fundamentum protectionis Concilii eſt frigidiſſimum; nam ut alibi diximus, non eſt protectio iſta ad aliquam juriſdictionem concedendam Principibus ſæcularibus, ſed tantùm ad ſimplicem advocatiam, & tuitionem, ut meliori modo obſervetur Concilium, Lotterius *d.lib.*1.*q.*11. *n.*81. Urrutigoyti *d. c.*13. *à nu.*85. quare ex alia ratione parum probatur.

85 Ex dictis eliſa videtur praxis contraria Hiſpaniæ, & Franciæ. Verùm in re dicendum, dupliciter eſſe contemplandam hanc difficultatem. In primis quatenus Epiſcopus, & alii Clerici ex fructibus Eccleſiæ tenentur ad ædificationem, ſeu reparationem illius, Petrus Gregorius *lib.*2.*c.*1. *n.*12. Et in hoc caſu minimè eſt admittenda ſecunda ſententia, nec Princeps, nec ejus Magiſtratus poſſunt procedere adverſus Epiſcopum, & alios Clericos, nec in fructibus eorum aliquid diſponere, etiam ad hanc cauſam; quia clariſſimè immunitas Eccleſiaſtica vulneraretur, niſi in caſu quo urgeret graviſſima neceſſitas, & Eccleſiaſtici eſſent negligentes, nec daretur recurſus ad Superiores, ut diximus cum Urrotigoyti *d. cap.*13. *n.*88.

86 Secundo modo contemplanda eſt hæc difficultas, quando deficientibus fructibus Eccleſiæ, eſſet deveniendum ad contributionem Parochianorum, vel ad bona communia Univerſitatis, de quo Pekius *cap.*32. & in hoc caſu Marta *de juriſd.*2 *p.c.*48. *num.* 15. & 16. aſſerit competentem eſſe judicem Epiſcopum, qui ſi fuerit impeditus, eſt recurrendum ad Archiepiſcopum, & ab illo ad Papam, niſi Eccleſia minaretur ruinam, & longa eſſet diſtantia ad urbem Romanam, quia tunc datur recurſus ad Regem, ob inſtantiam neceſſitatis.

87 Sed in hac ſpecie ſatis probabiliter eſt admittenda ſecunda ſententia, ſcilicet ut Princeps, ſeu Magiſtratus ſæculares poſſint facere diſtributionem, & compellere Parochianos, ad eam ſolvenda, bona communia vendere, & alia efficere ad ædificandam, ſeu reparandam Eccleſiam. Et probatur facilè, quia iſta eſt cauſa pia de ſua natura, pertinens ad utrumque judicem, in meliori, & praxi recepta ſententia. Tum perſonæ, & bona illarum ſunt juriſdictionis ſæcularis, & obligatæ, adverſus quas eſt procedendum, & earum forum ſequendum, *c. Cùm ſit generale* 8. *c. Conqueſtus* 16. *de foro competenti*, Rota apud Seraphinum *dec.* 1081. *num.* 1. Riccius 3 *p. collect.* 1930. Tuſchus *litt. A, concluſ.* 122. Ergo rectè judices ſæculares poterunt inter has perſonas, & ſua bona diſtributionem facere ad ædificandam, ſeu reparandam Eccleſiam, & illas cogere ad ſolvendum, ut tenent Barboſa *ad Concilium*, *d. ſeſſ.* 21. *c.* 7. *n.* 16. Urrutigoyti *d. c.*13 *n.*83.

88 Sed quid quando Clerici ſimul cum ſæcularibus collectantur ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ pro rata ſuorum bonorum temporalium, an poſſint Clerici ad collectam cogi per judicem ſæcularem? Hæc difficultas pendet ab alia, an quando Clerici tenentur ad collectas, poſſint cogi ad ſolvendum per judicem ſæcularem? Prima ſententia affirmat; nam licèt Clericus ratione ſuæ perſonæ ſit exemptus à juriſdictione ſæculari, non tamen ejus bona temporalia; hæc enim cùm ſemper temporalia remaneant, ſemper ſubſunt juriſdictioni laicali, & ideò poſſunt capi à judice ſæculari per pignorationem, apprehenſionem bonorum, vel alio modo independenter à perſona: qua facta apprehenſione, poterit collectarum fieri ſolutio. Confirmatur ex doctrina multorum, quos refert, & ſequitur Bobadilla *Polit. lib.* 2. *c.*18. *n.* 260. *lit. F*, aſſerentium Clericorum bona patrimonialia nullam immunitatem, nec exemptionem habere, niſi in caſibus à jure expreſſim exceptis: quapropter quoties ad gabellas tenentur, poterunt cogi ad ſolutionem per bonorum apprehenſionem, vel pignorationem, Mexia *in pragmatica panis*, *concluſ.* 5. *num.*23. Boerius *deciſ.*246. *num.*4. Laſſarte *de decima vendit. cap.*19. *à num.*84. Coriolanus *in Bull. Cæn. exam.* 16. Bobadilla *in Polit. dict. cap.*18. *num* 299. Salgado *de Reg protect.*4 *par. cap.* 14. *num* 103. Vela *diſſert.*45. *num.* 60.

89 Secunda ſententia aſſerit, in præſentiarum judicem ſecularem non ſtatim debere pervenire ad apprehenſionem bonorum ipſius Clerici, ſed priùs Epiſcopum adire, & eum requirere, ut faciat ſtatim, & compellat Clericum gabellam ſolvere: aliàs judex ſæcularis procedit ad apprehenſionem, ſeu pignorationem bonorum, Azevedus *in l.*11. *tit.*3. *lib.* 1. *Recopilat. num.* 5. & cum multis tenet Salzedo *de lege polit. lib.* 1. *cap.*4. *num.* 20.

Tertia ſententia abſolutè ait, minimè ſecularem judicem poſſe cogere Clericos ad ſolutionem gabellæ, etiam per apprehenſionem bonorum, vel pignorationem. Ratio eſt, nam non ſolùm perſona Clerici eſt exempta, ſed etiam bona illius temporalia à juriſdictione ſæculari, *cap.*1. *de Immunit. Eccleſiar. cap Quanquam* 4. *de cenſib. lib.* 6. & eſt clara Bulla Cœnæ, ibi: *Imponentes decimas Perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum, & Eccleſiarum bonis*. Nam ut benè conſiderat Suarez *contra Regem Angliæ lib.* 4. *cap.*24. *num.* 11. bona iſta, licèt patrimonialia ſint, ſemper adhærent perſonæ, & ejus immunitare, & privilegiis fruuntur, aliàs benè potuiſſent bona iſta gabellari: & ſic tenent plures Doctores relati, & ſequuti à Diana 1. *par. tractat.*2. *reſolut.* 39. Tum in qualibet cauſa poterunt puniri à Laicis in bonis, & per ſubtractionem eorum compelli, quod perquam iniquum eſt, Graffis *de effect. Clerical.* 2. *p. à nu.*130. Marta *de juriſd.* 4. *par. cauſa* 1. *a num.* 33. Salgado *de Reg. protect.*1. *p. cap.* 1. *num.* 69. Delbene *de Immunit.* 2. *p. cap.*9. *dub.* 17. *& dub.* 19. Ergo aſſerendum, ad gabellarum exactionem minimè poſſe Judices Laicos compellere Clericos ad ſolvendum gabellas, etiam per apprehenſionem bonorum. Confirmatur, nam ſi bona iſta relinquerentur temporalia, & ſubjecta juriſdictione Laicorum, concederetur per aliam viam, quod per alteram prohibetur; nam Clericus eſſet ſubditus Laicorum, ſaltem ratione bonorum, quod execrantur Sacri Canones: Sed quod una via prohibetur, non eſt concedendum per alteram, *reg.* 84. *de regul. juris*, *l. Nec per. ſe*, *Cod. de hæredibus inſtit.* Eſſe *deciſ. Aragoniæ* 28. *nu.* 11. Ergo ad exactionem gabellarum contra Clericum nequit ſæcularis judex procedere per apprehenſionem bonorum, nec alio modo cogere Clericum, Bartholomæus à S. Fauſto *in Specul. Confeſſ. diſput.*33. *quæſt.*21. Diana 1 *p. tract.* 2. *reſolut.* 41. Delbene *de Immunit.* 2. *p. cap.*9. *dub.*9. Anguianus *de legib. lib.* 2. *controverſ.* 15. *à num.* 130.

Hæc ultima ſententia admittenda eſt, eſt enim contraria valdè periculoſa animabus, etiamſi conſuetudine corroboraretur, nam ut inquit Delbene *d. dub.* 9. *num.* 4. conſuetudo iſta corruptela eſt, quia nulla poteſt facere judicem ſæcularem capacem juriſdictionis Eccleſiaſticæ: quapropter ſententia illa ſemper adducitur ad praxim magno periculo animarum. Hanc ob rem Hermoſilla *in l.* 3. *tit.*5. *p.*5. *gloſſ.*1 *num.*68. Balmaſeda *de collect quæſt.*19. *num.*22. inquiunt valdè ſcrupuloſum eſſe placitum illud, & neceſſariam eſſe cautelam, ut judex ſæcularis poſſit cogere Clericos ad gabellam per apprehenſionem bonorum, nempè ſolùm apprehendendo illa bona, quæ gabellam effecerunt, utpotè quando pecora Clericorum damnum dederint: quo quidem caſu eadem animalia detinentur, quouſque damna perſolvant, Hermoſilla *d. gloſſ.* 1. *nu.* 69. Otero *de paſcuis*, *cap.*8. *nu.* 14. Fontanella *deciſ.* 514. Carleval *de judiciis*, *lib.*1. *tit.* 1. *diſput.*2. *quæſt.*3. *à num.*155. In qua quidem re aliam cautelam dat Balſameda *de collect. quæſt.* 19. *num.*23. 91

Sed adhuc hæ cautelæ incertæ ſunt, & à pluribus Doctoribus impugnantur, ut agnoſcit ipſe Balmaſeda *d. q.* 19. *nu.* 22. *in fin.* Quapropter aſſero in præſentl, minimè Clericos eſſe cogendos à Judice ſæculari ad ſolvendas collectas impoſitas ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ, ut generaliter docent Doctores relati *num.* 83. Tum quia collecta iſta reſpicit principaliter ipſam perſonam, ſcilicet Clerici, quæ quidem exempta eſt à juriſdictione ſæculari, etiam in terminis ſententiæ aſſerentis per bonorum apprehenſionem poſſe judicem ſæcularem procedere adverſus Clericum. Cùm ergo perſona Clerici ſit in hac collecta principaliter obligata, nequit aliquo modo judex ſæcularis procedere per bonorum apprehenſionem, cùm bona illa non ſint obligata; quin ſi procedat, erit cum graviſſimo periculo animæ ſuæ. 92

Illud verò cum Salgado *dict. cap.* 5. *n.* 18. obſerves, poſſe Epiſcopum procedere contra exemptos obligatos ad contributionem pro reficienda, ſeu reparanda Eccleſia, quia procedit, ut delegatus Sedis Apoſtolicæ, ex Tridentino *ſeſſ.*7. *de reform. cap.*8. *& ſeſſ.* 21. *cap.*7. 93

De-

94 Deinde obliviſcendum non eſt, in hac cauſa procedi remota appellatione, ut decrevit Concilium *dict. cap.* 7. quacunque appellatione, exemptione, & contradictione remota, ibi: *Quacunque appellatione, exemptione, & contradictione remota.* Et ratio eſt, nam ex dilatione graviſſimum damnum Sacris, & Animabus inferretur; quamobrem rectiſſimè appellatio eſt remota in cauſis ædificationis, ſeu reparationis Eccleſiarum, Gonzalez *ad Regul. 8. gloſſ. 9. in not. num.* 208. Salgado *d. cap. 5. nu. 9. in fin.* Urrutigoyti *d. cap.* 13. *num.* 94. qui id extendit, etiamſi Eccleſia ſit in totum collapſa.

95 Hæc de ædificatione, & reparatione dicta ſufficiant, quæ ſunt extendenda ad neceſſaria ornamenta, vaſa Sacra, luminaria, & alia ad cultum divinum pertinentia, & ad domum Rectoris. Urrutigoyti *dict. cap.* 13. *à num.* 90. Tondutus *d. cap.* 36. *num.* 8. Barboſa 3. *par. allegat.* 64. *n.* 6. *in fin.*

CAPUT VII.

De Capella Regum, & aliorum privatorum.

SUMMARIUM.

Etymologia Capellæ adducitur, num. 1. *Datur nova etymologia, & aſſeritur Capellas eſſe opus pium, & Deo gratiſſimum, n.* 2.

Capella dupliciter ſumitur. Primò pro Eccleſia per ſe ſubſiſtente, etiam Parochiali, & quomodo olim Capellæ Religioſis tradebantur, & eis inſerviebant, num. 3.

Olim Nobiles Capellas conſtruebant, ſive publicas, ſive privatas: privatæ fuerunt eis ablatæ, num. 4. *Fuerunt tamen excepti Principes habentes proprias Capellas, n.* 5.

De origine capellarum Regiarum, num. 6. *Conjectura eſt, Reges Gothos in Hiſpania habuiſſe Regiam Capellam: expenditur ad hoc Morales, numer.* 7. *Sed certum ab Alphonſo VII. cœpiſſe Regiam Capellam, num.* 8.

De jure communi Regiæ Capellæ ſub ſunt Epiſcopo, niſi à Pontifice eximantur, n. 9.

An ſimilia indulta ſint derogata per Tridentinum, Prima ſententia affirmat, numer. 10. *Secunda negat, num.* 11. *Tertia aſſerit, reduxiſſe indulta ad terminos textus* in cap. Cùm capella 16. de Privilegiis, *num.* 12.

Quando Capellani degunt intra ſepta domus Regiæ, Concilium nihil circa eos diſpoſuit, num. 13. *Si extra degant, ratione officii, & beneficii ſubjiciuntur Epiſcopo, num.* 14.

In his quæ attingunt ſervitium Capellæ, Concilium nihil detrahit; ſi verò non attingant, abrogavit privilegium exemptionis ante Concilium conceſſum, num. 15.

Si verò indulta iſta fuerint conceſſa poſt Concilium, eorum tenori eſt ſtandum. Exempta Capella, ſunt exempti Capellani, num. 16. *Conſuetudines in his privilegiis ſunt obſervandæ, ibid.*

Quando moritur Capellanus Regius, an exequutio ipſius teſtamenti pertineat ad Ordinarium, aut ad judicem Capellæ. Explicatur caſus quæſtionis, n. 17.

Dicendum videtur, pertinere ad judicem Capellæ, tanquam ad Ordinarium. Religioſi etiam poſt mortem ſunt exempti, n. 18.

Sed dantur fundamenta contraria. In his indultis non datur extenſio ad omiſſa, num. 19. *Si Religioſus eſt exequutor teſtamenti, dat ratiocinia coram Ordinario, & ſi deliquerit, ab eo punitur, n.* 20.

Privilegium perſonale extinguitur cum perſona, num. 21. *Si eſt locale, etiam Capellano mortuo extinguitur, & extincta qualitate, extinguitur privilegium, n.* 22. *Et quando conceditur ratione exercitii, ceſſante exercitio, ceſſabit privilegium, n.* 23

Si Capellanus habet hæredes, viſitatio teſtamenti, & exequutio pertinet ad Ordinarium. Bona teſtatoris fiunt hæredis per aditionem, & inventarium pertinet ad judicem hæredis, n. 14.

Si verò non reliquerit hæredes, ſed ſuam animam, videtur pertinere ad judicem Capellæ. Hæreditas jacens repræſentat defunctum, & inventarium pertinet ad judicem teſtatoris, n. 25.

Reſpondetur fundamentis contrariis. Anima hærede inſtituta, non eſt hæreditas jacens, ſed exequutores gerunt vices hæredum. Inventarium, anima hærede inſtituta, vel alia cauſa pia, pertinet ad Eccleſiaſticum, inſtituta verò laica, pertinet ad ſæcularem, num. 26.

Reſolvitur in præſenti exequutionem, & viſitationem teſtamenti Capellani Regii pertinere ad Ordinarium, & defenditur. Succeſſores mariti conveniuntur inſolidum. Epiſcopus ut delegatus Sedis Apoſtolicæ poteſt cognoſcere de ultimis voluntatibus exemptorum. Iudices Capellarum non ſunt Ordinarii, ſed delegati, num. 27.

Religioſus exemptus eſt ratione loci ubi moratur, & ideò exemptio durat poſt mortem illius, n. 28.

Capella aliquando erigitur intra Parochiam, aliquando extra, num. 29.

Definitur Capella, in qua aliquando conſequitur juſpatronatus, aliquando non, n. 30.

Ad Capellarum conſtructionem aliqua deſiderantur, de quibus ibi, n. 31.

Si ſine licentia Epiſcopi aliquis Capellam erigat, ſi Clericus eſt, degradatur; ſi laicus, anathematizatur, & demolitur Capella, ibid.

Capellæ iſtæ membra ſunt Eccleſiarum Matricum, & regulantur cùm eis in privilegiis, & in favorabilibus veniunt nomine Eccleſiæ, & legatum relictum Eccleſiæ, etiam Capellæ debetur, & ad fundandam Capellam cogitur quiſque fundum vendere, n. 32.

Eſt dubium, an qui Capellam fundat intra Eccleſiam, teneatur illam dotare; Communis eſt ſententia non teneri, num. 33. *In contrarium ponuntur fundamenta, num.* 35.

Explicatur communis ſententia, & admittitur, quando nullo jure reſervato, vellet quis ædificare Capellam, num. 35.

Si tamen intra Eccleſiam aliquis ædificaverit Capellam cum janua ad viam publicam, dotare tenetur, num. 36.

Si intra Eccleſiam, reſervato jurepatronatus, aliquis Capellam conſtruxerit, vel jure ſepulchri, tenebitur dotare, n. 47.

Conſtruens Capellam acquirit ibidem ius ſepulchri, ſi id expreſſim paciſcatur, dum non ſit ſub bradellis, aut propè altare, aliàs corpora exhumantur. Tum etiam poteſt ponere arma, inſignia, & ſubſcriptiones, num. 38.

An ex armis, & inſignibus gentilitiis probetur proprietas Capellæ, affirmandum videtur, ſicut probatur juſpatronatus, n. 30.

Sed contrarium tenet Riccius. Conceſſio ſepulturæ non probatur, niſi per Scripturam, n. 40.

Si ſint inſignia affixa in cancellis, vel porta, non probant proprietatem, n. 41.

Si in parte principali, per ſe non probant, ſed faciunt præſumptionem, niſi adſint alia adminicula. Si fuerit affixio tam antiqua, quam capella, plenè probat, num. 42.

Fundator, & Patronus Capellæ poteſt ſcamna, & ſedes apponere in ea, & ſi aliquis amoverit, datur actio iniuriarum, & armis poterit defendi, num. 53. *Sed quoad ultimum non admittitur, ibid*

Si in fundatione ſit appoſita clauſula, Reſervato jure ſepulchri, *fundator hæbet jus ſepulchri. Ex eo quod quis habet jus funerandi, non habet ius capellæ, ſufficit ad id aliquando tacita licentia, & explicatur, num.* 44.

Poterit fundator capellæ præcipere, ut Sacerdos oblationem quandam ei, vel ejus ſucceſſoribus faciat, n. 45.

Capella licèt habeat redditus, beneficium non eſt, unde fructus ſunt Rectoris Eccleſiæ, niſi habeat proprium cum ſeparatione fructuum, n. 46.

Erit beneficium ſi erigatur in titulum authoritate Epiſcopi, cum deſignationem Rectoris, ſeu Capellani. Cadit ſub reſervatione, niſi fuerit iuriſpatronatus. Capellæ plures

in eodem altari ſub oneribus Miſſarum , quæ olim pluribus conferebantur , licèt hodie ſint ſub unico Capellano , ſunt plura beneficia , n.47.

An Capella poſſit vendi , & alienari , affirmant plures , ſicut ſepultura , num. 48. Alteri tenent contrarium , num. 49.

Capella profana vendi valet , ſicut ſepultura , n. 50. Vendere capellam per ſe eſt ſimonia , n. 51.

Vendere verò jura quæ ſunt in patrono , & commoditatis , adhuc non eſſe licitum videtur , nec circa id poſſe tranſigi , n. 52.

Si jura iſta relinquantur in modum majoratus , ſunt invendibilia, n. 53.

Idem ſi capella ſit de familia , & habeat certas vocationes , n.54.

Si verò relinquatur capella ſuis hæredibus , nulla adhibita prohibitione alienandi , & Capella ſit beneficium juriſpatronatus , nequit vendi . Id intelligitur quoad juſpatronatus , quoad verò alia jura honorifica , & commoda , vendi valet , ſicut ſi hæreditaria ſint , quæ alienari valent in extraneos , & pro debitis ſubhaſtantur , num.55.

Rectores Eccleſiarum nequeunt hæc jura vendere invito Patrono, ſeu ſucceſſore , n.56.

An extincta linea , Capella ad Eccleſiam redeat . Prima ſententia negat , & comprobatur exemplo juriſpatronatus , num. 57.

Secunda affirmat , ſicut finito patronatu Eccleſia libera remanet , n. 58.

Si conceſſio Capellæ ſit hæreditaria taxativè , extincta familia , tranſit ad Eccleſiam , nu. 59. & 60. Si fuerit hæreditaria , adhuc extincta familia , non extinguitur , ſed tranſit ad extraneos , n. 61. Ius legitimè alienatum non dicitur vacare, ibid.

Pro ſolutione alicujus decimæ non gravantur fructus Capellæ , niſi fuerit beneficium, n.62.

Ab Exempta Eccleſia , etiam Capella exempta videatur ? Affirmandum videtur , ſed contra , num. 63. Eccleſia exempta , adhuc in Capellis Epiſcopus retinet jura Epiſcopalia, ibid.

Fit inſtantia , & reſpondetur . In capellis Monaſteriorum Epiſcopus non retinet jura Epiſcopalia . A diverſis non fit illatio, n.64.

Si Teſtator capellam fundare præceperit intra annum , & in ſimul dotare ſub pœna , ut ſexaginta ſcuta capellanis ab eo nominatis ſolverentur , ſi eos non nominavit , an pœna committatur . Pœnam non committi affirmandum videtur, n 65.

Sed contrarium ſuſtinetur , & expenditur lex Si Teſtamentum 8. Cod. de inſtitut. & ſubſtitut *Imperfectio voluntatis conſideratur , quando teſtator de præſenti volebat ad alia tranſire , non verò quando perfecta voluntate volebat ad alia futura proſpicere , num. 66.*

Quando teſtator præceperit Miſsas eſse dicendas in Eccleſia , non tamen deſignat capellam , quibus competat hæc deſignatio ? In primis ſtandum conjecturis , de quibus ibi , num. 67.

Si non ſunt conjecturæ , prima ſententia aſserit deſignandam eſse capellam à Rectore Eccleſiæ, n.68.

Secunda ſententia dicit , à nullo deſignandam , ſed ſufficere dicere Miſsas in quolibet loco Eccleſiæ , n. 69.

Hæc ſententia admittenda eſt , ſi Miſsæ ſunt dicendæ pro unica vice : ſi verò memoria ſit perpetua , admittenda eſt prima, n. 70.

Obligati ad conſtruendam , capellam , poſsunt compelli, ut intra quinquennium perficiant per actionem in factum de Jure civili , de Jure verò Canonico per puram actionem, num. 71.

1 DE etymologia Capellæ variè ſenſerunt Doctores: aliqui dixerunt à capris dictam , ſeu à capellis, quæ propriè dicuntur capræ infantes , ſeu anniculæ. Unde Collumela *lib. 7. de re Ruſtica, c.6.* ait : *Anniculæ , vel bibæ capellæ* . Et Virgilius *eclog.* 3.

Tytire paſcentes de flumine pelle capellas .

Idque illa ratione , nam ob Imperatorum tyrannidem magnoperè perſequebatur Eccleſia , nec in Templis celebrari ſinebatur : quapropter in privatis Sacellis , ſeu Tabernaculis ſacra peragebantur, opertis pellibus caprinis . Laurent. Beyerlink in *Theatro vit. hum. litt. C. verbo capella* . Alteri verò autumant à capiendo dictas eſſe Capellas , quia ad Divina capiunt laicos , & populum ; vel quia capiunt laudem . Alii Capellæ nomen derivant à cappa Beati Martini. Reges enim Franciæ cappam illius ad bellum portabant , & eam ſub quodam tentorio reſervabunt , qua ratione ejus cuſtodes Capellani dicebantur , & inde locus ille Capella . Vel quia ſicut cappa nos operit & defendit , ita capella nos munit , & tuetur à peccatis , & à Dæmoniorum incurſibus . Cartagena *ad tit. de capell. Monach. nu.2.* Valenſis *ibid. n.1.* Vincentius Turturetus *de Sacello Regio , c. 1. & 2.* Azorius *Inſtit. Moral. 2 p. lib. 3. c.8. q. 2.* Gonzalez *ad Regul. 8. gloſs. 5. num.* 70. Barboſa *de univerſ. jur. lib. 2. c. 8. à nu.* 18. Petrus Gregorius *Syntag. lib. 15. c.29. nu.1.* Urrutigoyti *de Eccleſ. Cath. c. 16. à n.1.*

Hæc etymologiæ communiter adducuntur , ſed adhuc 2
alia non inconcinna adduci valet : nam cappella eſt quædam ſtella , de qua Plinius *lib.18. c. 31.* ibi : *Quinto idus Septembris Cæſari capella oritur veſperi.* A qua quidem potuit dici capella, dum ibi ad adorandum Dominum quaſi ſtella ducti adducimus , prout ſtella Magos adduxit ab Oriente ad adorandum Chriſtum Domini , Matthæi *c.2. verſ.2.* ibi : *Vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum ;* ut quaſi per ſtellam Domini Divinitatem agnoſcerent , & ſtatim ad eum adorandum adventarent . Origenes *homil. 13. & 15. in Num.* Cyprianus *in tr. de Stella, & Magis* , Baſilius *de Chriſti in generatione* , Greg. Niſſ. *orat. de Nativit.* S. Leo *ſerm.4. de Epiph.* S. Maxim. *ſer.3. de Epiph.* ſive ita evenerit per Aſtrologiam , ſive per Prophetiam , aut exteriùs per ſtellam, & interiùs per gratiam Spiritus Sancti, de quo ſunt plura Patrum teſtimonia relata à Maldonato in *d.c.3. lit. E. verſ Quo autem modo.* Sylveira *in Euang. lib. 2. c. 4. de Adorat. Magorum , q. 12. per totum.* Undè cum in his capellis ad Dominum adorandum , & reverendum congregemur , Capellas iſtas dicimus , quaſi ſtellas nos ducentes ad Chriſti Domini adorationem . Quapropter eas erigere gratiſſimum eſt Deo , & piiſſimum opus . Et ratio eſt , nam fiunt ad celebrandas Miſſas , Dominum adorandum , & ut nos à diabolo protegat . Ergo ſunt opera pia , & Deo gratiſſima . Tum quia ſunt membra Eccleſiæ , *cap. Indemnitatibus 53. §. fin. de elect. in 6.* ubi Doctores . Ergo ſicut Eccleſiæ ſunt opera pia , ſimiliter Capellæ . Urrutigoyti *dict. c.16. num. 6.*

Capella enim dupliciter in Jure conſideratur . Primùm 3
pro qualibet Eccleſia per ſe ſubſiſtente , etiam Parochiali , dummodo Collegiata non ſit , prout ſumitur in *cap. 1. de Capell. Monachor.* Titulus enim ille intelligitur etiam de Eccleſiis Parochialibus , in quibus erant Presbyteri Curiones deſtinati , qui ex nimia devotione res proprias , & inſimul Eccleſias Parochiales cum jure decimarum , & aliorum fructuum Monachis tradebant , ipſi verò Altari ſerviebant, Monachis percipientibus decimas , & cætera emolumenta, & id abſque conſenſu Epiſcopi, ſi tantùm per vita ipſius Parochi fieret . Verùm illo defuncto, cùm Religioſi jura illa habere non potuerint , ſed deficiebant eis , introductum eſt , ut ipſi Monachi altaria redimerent ab Epiſcopo , ideſt ipſas Eccleſias, ad quem omnes Eccleſiæ ſuæ diœceſis ſpectabant , & pro redemptione certum quid, vel annuam penſionem præſtabant ; inſtituebatque Epiſcopus Vicarium , ſeu Capellanum, ut Altari deſerviret, certa portione deſignata, ut ex Joanne Saresbarienſi ſcripſit D. Gonzalez in *d.cap.1. de capell. Monach. n.* 3. Verùm hoc deteſtationi eſt , & ut ſimoniacum damnat Urbanus II. in *c. Quæſitum 4. 1. q.3.* & in epiſtola ad Ingelianum Epiſcopum Laudunenſem, *c. Congregato 2. 16 q.7.* Concilium Claromontanum *can.6.* Nicolaus Lemaiſtre *de iurib. Epiſcop. lib.2. cap.5.* Unde cognoſcitur quamlibet Eccleſiam per ſe ſubſiſtentem ; Capellam eſſe licèt Parochialis ſit, dummodo Collegiata non ſit. Abbas in *c. A nobis, de iurepatronat. n.3. not.2.* Gonzalez *ad Regul.8. gloſs. 5. num.62.* Fagnanus *in c. Expoſuiſti, de præb. num.* 3. Barboſa *in rub. de capell. Monach. num.* 3. Urrutigoyti *dict. c. 16. num.7.*

Quapropter & Capellæ quædam Sacella dicebantur à no- 4
bilibus conſtructa in ſuis villis , vel prædiis ruſticis , ubi Miſſam audirent ; erant enim privata , & publica, ut coloni etiam Sacrum audiret . Privata etiam , ut ibidem privarim & ſigillatim nobiles Sacra audirent . Verùm quia ob hanc cauſam Eccleſias non frequentabant, Capellæ iſtæ privatæ

vatæ fuerunt interdictæ, *Novella* 131. *§. Si quis domui ſuæ*, & *Novella* 57. aliàs 58. de quo Daniel de Nobilibus *diſp.* 44. *à num.* 3. Lemaiſtre *de patrimon. ſeu bon. Eccleſiæ, lib.* 2. *c.* 3. Urrutigoyti *d. c.* 14. *à n.* 13.

5 Ab hac tamen prohibitione Principes Supremi immunis ſunt, ut ex praxi conſtat; quippe omnes in ſuis Palatiis Capellam habent, & Sacerdotes Sacellanos, ut Sacra in eiſdem peragant, & pro Principe orent, de qua re eſt memorabilis Capella Ducum Burgundiæ in *c. Capella* 16. *de privilegiis*, & de ea Altaſerra *de Ducib. cap.* 8. Chaſſaneus *in Catal. glor. mund.* 12. *p. conſid* 63.

6 De origine tamen harum Regiarum Capellarum plura cumulavit Vincentius Turturetus *de Sacello Regio*, *cap.* 2. Verùm quamvis ex aliquibus conjectetur Imperatores Gentiles Sacerdotes ſacrificos habuiſſe, id tamen non ſatis probatur, quod quidem aſſerendum de Regibus Iſrael, licèt probetur circa Templum Domini palatium habuiſſe, ut concludit Turturetus *d. cap.* 2. qui *num.* 3. probat Conſtantinum Magnum primum habuiſſe aulicos Sacerdotes domi celebrantes, & in ſimul portatile Tabernaculum, quando foris peragrabat, vel in caſtris aſtabat, unde Sacerdotes militares dicebantur. In Hiſpania veterem Regum morem habendi aulicum Sacellum, ſeu Capellam, tempore Suevorum, Miro regnante in Gallecia, ex Concilio Lucenſi refert Turturetus *d. cap.* 2. *à num.* 10. & tempore Gothorum ſimile quid in praxi viguiſſe, probatur ex Concilio Toletano VII. *cap.* 1. Res quidem valdè lubrica eſt, nec ſufficienter ex Conciliis comprobata: clarior tamen fit ex Juliani teſtimonio in Adverſariis, Anno 289. cujus verba tranſcripſit Turturetus *d. cap.* 2. *num.* 18. ubi tempore Regis Receſunt nominatur Sacellum Regium, ubi erat conditum corpus Beatæ Leocadiæ: quem locum ait Turturetus probare, Capellam Regiam in aula Regia extitiſſe, ubi claruit apparitio illius Virginis. Sed tamen incertum eſt, licèt enim Julianus dicat Eccleſiam illam eſſe Regium Sacellum, non tamen erat in aula Regia; quippe conſtat miraculum illud accidiſſe in templo Beatæ Leocadiæ, ubi aderant plures Clerici, & celebrabat S. Ildefonſus Archiepiſcopus. Morales *lib.* 12. *Hiſtor. General. cap.* 39. Mariana *de reb. Hiſpan. lib.* 6. *cap.* 10. Saabedra *in Chron. Goth. c.* 25. *verſ. Florecio tambien*, Sanch. *de reb. Hiſp. l.* 2. *c.* 16. Quod quidem Templum in ſuburbano Toleti propè Tagum hodie conſpicitur, & Prætorienſe dicebatur, ut narrat ipſe Julianus, & communi illius urbis traditione ſic receptum eſt.

7 Aſt ex veriſimili conjectura admittendum, Reges Gothos, poſtquam Arrianorum hæreſi dimiſſa, Catholicam Religione amplexati ſunt, Sacellum Regium, & ibidem Capellanos habuiſſe. Fuerunt enim poſt Recaredum ſimul cum ipſo alii catholiciſſimi, & religioſiſſimi; quare præſumendum, tam catholicos, & religioſos Principes ſemper habuiſſe Regiam Capellam, & ſuos Capellanos, qui huic curæ omninò incumbebant. Quare in Aula Regia erat Comes Sacrariorum, cujus officium ſic explicat Morales *lib.* 12. *cap.* 31. ibi: *Conde de los ſagrarios, que firma en eſte Concilio, tengo yo per cierto era el que tenia cuidado, y cargo de guardar las reliquias, y ornamentos de la Capilla Real.* Quod non ita certum, quin ſtatim ipſe Morales non aliter interpretetur nomen illud, ſcilicet ut Comes ille eſſet, cui aderat onus ædificationis, aut reparationis Eccleſiarum totius Regni.

8 Pelagio jam victore, & ejus ſucceſſoribus, quorum ſeriem in Rege noſtro Carolo II. habemus, Capellam Regiam fuiſſe & Capellanos pluſquam ab hinc quingentis annis, indubitatum eſt; ſunt enim duo privilegia Apoſtoli VII. Imperatoris Hiſpaniæ, nominantia Archiepiſcopum Compoſtellanum Regium capellanum. Refert Turturetus *d. cap.* 2. *num.* 19. & *c.* 3. *n.* 18. eſtque idem probans textus Regius in *l.* 3. *tit.* 9. *par.* 3. ubi ad longum comprobatur. Jul. Capponi *to.* 3. *diſcept.* 133 *n.* 58.

9 Hæ Regum capellæ, & Capellani de jure communi Epiſcopi diœceſano ſubjiciuntur, *c. Omnes.* 4. *cap. Solitæ* 6. *de majorit. & obedient.* Capponi *d. diſcept.* 133. *n.* 62. niſi Summorum Pontificum indultis eximantur, idque ex generali regula, qua omnes Baſilicæ, & Clerici Epiſcopatus ex lege diœceſana Epiſcopis ſubſunt. Tum quia ipſi Principes Epiſcopo ſubjiciuntur quoad ſpiritualia, *cap. Omnes Principes* 4. *de majorit. & obed.* Quamobrem eodem modo eſt philoſophandum de eorum capellis, & Capellaniis. Fagnanus in *d. cap. Cùm Capella* 16. *de privilegiis*, *n* 6. Idcircò Capellæ Regum, quæ à juriſdictione Epiſcopi ſunt exemptæ, habent ſpecialia indulta, de quo in *d. cap. cum capella.* Capella Regum Hiſpaniæ exempta eſt ea conceſſione Sixti IV. Innocentii VII. Alexandri VI. Julii II. Clementis VII. Pauli III. Gregorii XIII. & Pauli V. Capella Regum Portugalliæ ex aliis indultis. Cabedo *de patron. Regiæ Coron. cap.* 43. *per. tot.* Idem eſt de Capellis Regum Neapolis, & Franciæ. Turturetus *de Sacello Regio*, *cap* 4. Affligis *de conſtit. Magni Concilii, notab.* 4. *n.* 4. Bengeus *de Beneficiis, c.* 2. §. 27. *n.* 5. Zerola *verbo Exemptio*, *n* 2. Chopinus *de ſacra Politic. lib.* 2. *tit.* 5. *n.* 5. Capponi *d. diſcept* 133. *n.* 66.

Eſt tamen dubium, an ſimilia privilegia, & indulta ab- 10
rogata ſint per Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 11. Prima ſententia affirmat: ducitur, nam ex ſimilibus exemptionibus quàm magnæ perturbationes in Eccleſia Dei oriuntur, & exempti ad laxioris vitæ delubra occaſionem abripiunt, *c. Cùm perſonæ* 7. *de Privilegiis in* 6. quod damnum ut Concilium evitaret, ſimilibus indultis derogavit. Et confirmatur ex eodem Concilio, dum decretum illud ſola ea mente perfecit, ut ſimilem perturbationem, & exemptorum vitia reſecaret, ut patet ex principio illius: quapropter mens Concilii eſt tollere illa privilegia exemptorum Capellanorum, & Capellarum Regiarum; aliàs ſi illa reliquiſſet indemnia, finis illius decreti inutilis redderetur, Rodriguez *quæſt. regul. tom.* 2. *quæſt.* 64. *art.* 4. *& q.* 108. *art.* 3.

Secunda ſententia contrarium tenet; nam licet Conci- 11
lium det facultatem Epiſcopis, ut tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati poſſint cognoſcere de cauſis privilegiorum ibi recenſitorum; attamen quando loquitur de Regiis Capellaniis, cauſam reducit ad textum in *c. cum Capella*, ubi decernitur ſolùm eſſe exemptos quoad cauſas ad ipſas capellas pertinentes, non verò ad Beneficia, & alia ad juriſdictionem Ordinarii pertinentia. Unde colligitur, nihil mutaſſe Concilium de his juribus, & exemptionibus propriis Capellarum, & capellanorum Aulicorum. Cœterùm in capella Regis Hiſpaniæ eſt conſtitutio Pauli V. ubi capellani Regii à juriſdictione Ordinarii exempti ſunt, non ſolùm quoad cauſas ipſam capellam attingentes, verùm & ad alias: idque conſuetudine receptum, dum tamen ſacro miniſterio Capellæ addicantur, & conſueta ſtipendia percipiant. Barboſa in *d. cap. cùm Capella*, *nu.* 3. *ad fin.* Quare Concilium ſimilibus indultis non derogavit, quin contrarium adhuc eſt in viridi obſervantia, & tantùm cognoſcit Judex Capellæ, & Nuntius Apoſtolicus. Barboſa nuperrimè citatus, Turturetus *d. cap.* 42. Cochier *de juriſdict. in exempt.* 1. *par. quæſt.* 31. *num.* 9. Vveyms *conſtit.* 21. *num.* 16. Capponi *d. diſcept.* 133. *num.* 60.

Tertia ſententia aſſerit Concilium omninò non derogaſſe 12
exemptionibus Capellarum, & Capellanorum Regiorum, ſed moderaſſe, & reduxiſſe ad terminos dictis capitis *Cùm Capella*, ubi tantùm privilegium conceſſum eſt loco; quapropter Capellani exemptione non fruuntur, niſi in concernentibus ad miniſterium ipſius capellæ, in cœteris verò ſubditi Epiſcoporum remanent, ut conſtat ex litera, Abbas *in dict. cap. Cùm Capella*, *num.* 2. Jo. Andreas *n.* 3. Covarruv. *pract. cap.* 11. *num.* 5.

In hoc dubio duobus modis conſiderandi ſunt Capellani 13
Reggi. Primò quando actu inſerviunt capellis Regiis, & degunt intra ſepta, & Regum domos, in quo quidem caſu Concilium nihil detraxit de privilegiis conceſſis capellis, & Capellanis earum; nam ex eo quod degant intra ſepta Regia, præſumantur vivere magna moderatione, & virtute, tamquam poſiti in conſpectu Regum: quare ceſſat ratio illus decreti, nec eſt cauſa, ut privilegiis exemptionis priventur.

Secundo modo ſunt conſiderandi quando extra vixerint, 14
& ad miniſteria capellæ accedant: & tunc duæ conſiderationes ſunt faciendæ, nempe ſi aliqua beneficia, aut officia exercuerint, ratione quorum Epiſcopo ſubjiciantur, & in hoc caſu ſi in eis deliquerint, aut quomodolibet erraverint, Epiſcopi juriſdictioni ſubjiciuntur, *ex dict. cap. Cùm Capella*, *l. Vnica*, *C. in quib. cauſis millit. for. præſcript. l.* 2. *C. de decur. ver cohort.* Et ratio eſt, nam Capellani ratione illius beneficii, vel officii exempti non ſunt, cùm duarum perſonarum vice fungantur, nempe Capellani reſpectu Capellæ, & Beneficiati, aut officialis, ratione Beneficii, aut officii? idcircò horum ratione Ordinarii juriſdictioni ſubjiciuntur, qui eſt judex competens illius officii; aut beneficiis,

cii. Calderinus *conſ.* 13. & 14. *de for. compet.* Cochier *de Iuriſdict. in exempt.* 2. *part. cap.* 45. *num.* 5. Salgado *de retent. Bull.* 2. *part. cap.* 15. *à num.* 11. Gonzalez *in dict. cap. Cùm Capella*, *num.* 4. Rota *diverſ.* 1. *part. deciſ.* 744. *num.* 2. Fagnanus *in cap. Tuarum*, *de privilegiis*, *num.* 41.

15 Secunda conſideratio facienda, quando Regiorum Capellanorum cauſę attingunt ſervitium & adminiſtrationem ipſius Capellæ; & tunc Tridentinum ex eo quod approbat decretum Innocentii III. *in d. cap. Cùm Capella*, cognitio harum cauſarum pertinet ad judicem Capellæ. Si verò non attingant, omninò Concilium derogavit privilegiis exemptionis, ſi quæ habuiſſent Capellani circa iſtas cauſas. Quod intelligendum de privilegiis ante Concilium adeptis, & probatur facilè ex littera illius textus; quia cùm vellet perturbationes juriſdictionis Ordinarii ex his indultis reformare, & refrenare laxiorem vitam Capellanorum, revocando omnia privilegia, niſi privilegium dicti capituli *Cùm Capella*, conſequens eſt non eſſe exemptos niſi in his miniſteriis, & ſervitiis capellæ, non verò in aliis cauſis.

16 Si tamen poſt Concilium hæc indulta conceſſa ſint, clauſula conciliari in meliori ſententia abrogata, de quo ſunt jura *in cap. Ex parte* 3. *cap. fin. de Capellis Monachor. cap. Eam* 4. *de ætat. & qualit. Ordin.* Anaſtaſius Germonius *de Indult. Cardin. §. Per quæ ſublata*, *à num.* 69. Sanchez *de matrimon. lib.* 3. *diſput.* 26. *num.* 7. Gonzalez *de regul.* 8. *gloſs.* 18. *num.* 103. Garcia *de Benefic.* 4. *part. cap.* 5. *num.* 23. Balboa *in cap.* 1. *de Iudiciis*, *à nu.* 3. ſunt obſervanda, & eorum tenor magnoperè eſt conſpiciendus, ut inde proſpiciatur quam extenſionem, ſeu limitationem recipiant, *cap. Porrò* 7. *cap. recepimus* 8. *de privileg. cap. Per exceptionem* 9. *in fin. eod. tit. in* 6. Aſt inter cætera obſervandum, quod ſi privilegia capellæ concedantur, exemptam capellam eſſe, & Capellanos; ſecus verò ſi Capellanis, quia erit privilegium muniter Doctores *in dict. cap. Cùm Capella*, *cap. Per exceptionem* 9. *de privilegiis in* 6. Turturetus *cap.* 4. *num.* 41. *in fin.* Capponi *dict. cap.* 133. *num.* 63. Deinde ſunt obſervanda circa hæc privilegia, quæ de conſuetudine obſervantur circa has capellas; quia Concilium minimè has conſuetudines reprobat legitimè introductas, & quæ ſunt in viridi obſervantia. Turturetus *dict. cap.* 4 *num.* 41. Barboſa *in dict. cap. Cùm Capella*, *num.* 3. *ad medium*. Unde concluditur, non obſtante Concilio illa privilegia, & conſuetudines obſervandas eſſe, quæ uſu receptæ ſunt, & obſervantur; quia licèt ante illud ſint conceſſa, attamen quia hìc, & nunc ſunt conſuetudine vallata, ſuſtinentur, & majori ratione ſunt ſuſtinenda, ſi data & confirmata fuerint poſt Concilium.

17 Sed tamen hìc prætermittenda non eſt difficultas, an quando moritur Capellanus Regius, exequutio, & viſitatio illius Teſtamenti pertineat ad Judicem Capellæ, vel ad Ordinarium, quod in lite quadam diſceptatum vidi. Hæc difficultas non eſt diſquirenda in terminis textus *in d. cap. Cùm Capella*; nam cum cauſa iſta non pertineat ad ſervitium, ſeu miniſterium Capellæ, nec ad illius cognitionem pertinebit. Erit ergo difficultas quando ex privilegiis non derogatis, vel ex conſuetudine Capellani exempti ſunt utiam quoad alias cauſas, de quibus agnoſcit Judex capellæ.

18 Et dicendum videtur, ad judicem capellæ competere exequutionem Teſtamenti, & viſitationem; nam in Bullis quibus juriſdictio conceditur Judicibus capellæ Regiæ, dicuntur Ordinarii. Sed exequutio, & viſitatio Teſtamenti ad Ordinarium ipſius defuncti ſpectat, licèt non ſit Epiſcopus, ſed tantùm habeat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ut in Abbate, & alio quolibet Diœceſano ſtatuit Tridentinum *ſeſſ.* 22. *de reformat. cap.* 8. & 9. Covarr. *in cap. Ioannes de teſtam. a num.* 1. Matienzo *in l.* 15. *tit.* 4. *lib.* 5. *recopilat*, *gloſſ.* 1. 46. & 47. Carpio *de execut. teſtament. lib.* 1. *cap.* 22. *à num.* 75. Ergo in præſentia Judex capellæ Regiæ poterit defuncti Capellani Teſtamentum exequi, & viſitare. Cæterùm privilegium exemptionis conceſſum capellis, vel Capellanis, reſpectu eorum eſt perſonale, habita conſideratione ad locum perſonæ etiam exemptæ, & poſt mortem remanent in eadem exemptione, prout videre eſt in Religioſis, quorum ſepultura, his vita functis, pertinet ad Prælatum, non ad Ordinarium, *cap. fin. de ſepult. lib.* 6. Sanchez *in Decalog. lib.* 6. *cap.* 14. *à num.* 1. Ergo in præſenti exequutio Teſtamenti, & viſitatio pertinebit ad Judicem capellæ, defuncto Capellano. Prætereà hæ Capellæ Regię ſunt ſub immediata Regum protectione. Tridentinum *ſeſſ.* 22. *de reformat. c.* 8. & diximus *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 44. Ergo ad omnia pertinentia ad Capellanos, ſive vivos, ſive defunctos, nequibit Ordinarius ſe intromittere: ergo ad Judicem capellæ pertinebit hoc teſtamentum exequi, & viſitare.

Sed in contrarium ſunt validiſſima argumenta, nam in 19
Bullis conceſſis his capellis, & Capellanis, non agitur de teſtamentis eorum, nec de exequutione, & viſitatione ultimarum voluntatum Capellanorum: quare nequeunt extendi ad has cauſas, de quibus non eſt mentio in Bullis. Confirmatur, nam exequutio, & viſitatio teſtamentorum de jure communi pertinet ad Ordinarium loci, *cap. Nos quidem* 3. *cap. Ioannes* 10. *de teſtament. l. Nullius* 8. *Cod. de Epiſcop. & Clericis*, *Auth de Eccleſiaſt. tit. §. Quis autem*, *collat.* 9. Tridentinum *ſeſſ.* 22. *de reformat. cap.* 8. & 9. Carpio *de exequut. teſtament. lib.* 4. *cap.* 2. *à num.* 1. Cochier *de iuriſdict. in exempt.* 4. *part. quæſt.* 49. *num.* 5. Quando enim privilegia opponuntur juri communi, ſtrictiſſimè ſunt interpretanda, quominus juri illi officiant, & non extenduntur ad omiſſa, *cap. Licet* 8. *de translat Epiſcop.* Gironda *de privilegiis*, *num.* 193. Anaſtaſius Germonius *de Iudult. Cardinal. §. Per quæ ſublata*, *num.* 64. & in caſu exemptionis Rota apud Seraphinum *dec.* 605. *nu.* 1. Ergo Bullæ exemptionis conceſſæ Regiis capellis, & Capellanis, quia non loquuntur de hac exequutione, & viſitatione, nequeunt ad illas extendi.

Rurſus ad id expenditur *Clement. unica de teſtament.* ubi 20
decernitur, quod ſi Religioſi fuiſſent exequutores alicujus Teſtamenti, quoad reddendas rationes Epiſcopo ſubjiciantur, & ſi in exequutione deliquerint, poſſint ab eo puniri. Quod non eſt intelligendum prout aliqui exiſtimant de Religioſis exemptis communi exemptione, ſed ex qualibet, niſi ſpecialiter eximerentur à prædicta Clementina, ut benè notat Sanchez *lib.* 6. *Decalogi*, *cap.* 11. *num.* 22. Cùm ergo Bullæ, & ſimilia privilegia Capellarum Regiarum ſpecialiter non eximant Capellanorum Teſtamenta, eorumque exequutionem, & viſitationem, licèt ipſi Capellani ſint exempti à juriſdictione ordinaria, adhuc judex Capellæ nequibit ſe intromittere in ſimili exequutione & viſitatione, cùm id non fuerit ſpecialiter expreſſum, ſed pertinebit ad Ordinarium.

Deinde privilegium hoc exemptionis Capellarum Regia- 21
rum, aut eſt perſonale, aut locale, quatenus conceditur loco Capellæ, comprehendens ipſos Capellanos. Si ſit perſonale, cum ipſis perſonis extinguitur, nec durat exemptio ultra mortem, ut eorum bona ſint exempta, & in ſimul teſtamenta, *l. Quia tale* 13. *ff. ſolut. matrim. cap.* 9. *de Privilegiis*, *cap. Privilegium*, *de Regul. in* 6. & mutatione perſonæ extinguitur privilegium, *l. Licitatio* 9. *§. Fiſcus*, *verſ. Mercatores*, *ff. de publican & vectigalibus*, *l. fin. C. de inoffic. teſtament.* Valle *lib.* 4. *conſ.* 61. *à num.* 5. Guttierez *de gabellis*, *quæſt.* 164. Carpio *de exequut. teſtament. lib.* 2 *cap.* 16. *a num.* 43. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 10. & 11. Salas *de legibus*, *diſput.* 17. *ſect.* 6. & 8. quapropter Capellanorum exequutio, & viſitatio teſtamentorum, cùm deſinente perſona extinguatur exemptio, pertinebit ad Ordinarium, non ad Judicem capellæ.

Si verò privilegium fuerit locale, quatenus conceſſum 22
eſt Capellæ Regiæ, & ejus Capellanis ibi miniſtrantibus, nequit extendi ad Capellanum defunctum, quia ejus morte Capellania vacat, nec ampliùs dici valet Capellanus, *cap.* 2. *de conceſſ. Præbend.* ubi communiter Doctores: nec dici valet adminiſtrare in capella, nec loco illius adeſſe, ut tali privilegio fruatur. Ergo cùm extincta ſit exemptio eo ipſo quod Capellanus deceſſit, exequutio, ſeu viſitatio teſtamenti pertinebit ad Ordinarium, non ad capellæ Judicem. Et confirmatur diſcurſus; nam quoties privilegium conceditur ratione alicujus qualitatis, nēpe quia eſt Capellanus capellæ Regiæ, extincta qualitate, extinguitur privilegium, *l. Medicos*, *l. ult. C. de Profeſſ. & Medicis*, *lib.* 10. Ant. Faber *definit.* 9. *Cod. de dignit.* Narbona *in l.* 9. *tit.* 16. *lib.* 8. *Recopilat. gloſs.* 9. *n.* 9. Fontanella *de pact. nuptial. clauſula* 3. *gloſs.* 1. *num.* 31. Si ergo privilegium hoc eſt locale, competens Capellano, quatenus in capella miniſtrat, cùm tamen per mortem hæc qualitas extinguatur, ſimiliter extinguitur privilegium exemptionis. Ergo Capellani Teſtamenti exequutio, & viſitatio ad Ordinarium pertinebit, ſicut etiam viſitatio ipſius capellæ, licèt exemptæ, ex Trid. *ſeſſ.* 6.

cap. 4.

cap.5. & sess.24. de reform. cap.6. Fagnanus in *c.Cùm Capella, n.8. & 10.*

23 Tandem privilegium hoc exemptionis competit Capellano ratione exercitii in Capella exercitii ; quando enim privilegium competit ratione exercitii, cessante exercitio, cessat privilegium, *l.Sub prætextu 9. C. de sacrosf. Ecclesiis*. Gironda *de privileg. q.27. num. 1027.* Parladorius *different.19. cap.1. à. nu.* 3. Narbona In *l.25. tit 2. lib.4.recopilat. g.off.12. nu.* 6. Ergo cùm per mortem Capellani cesset illius exercitium exemptionis, consequenter testamenti Capellani exequutio, & visitatio ad Ordinarium pertinebit.

24 In hoc dubio distinguendum censeo, quando Capellanus Regius habuerit hæredes, sive ex testamento, sive ab intestato: vel quando non, sed animam suam instituerit hæredem. Quoad primum, si habuerit hæredes, bona Capellani per additionem fiunt hæredum, & nequeunt frui privilegio, Capellani, cùm sit illorum proprium patrimonium, *l. Sed & si plures* 10. *§. Filio impuberi, ff. de vulgar. §.1. institut. de hæred. qualit. & different.* Guttierrez in *c. Quamvis pactum, de pact. lib. 6. verbo Omninò servari, nu.*8. Pichardus *in rub.de hæredib. instit. num.* 16. Unde inventarii confectio pertinet ad judicem hæredis, non verò ad judicem testatoris, Bellet us *disquisit.Clerical. 1.p.tit. de fauor. clericor.§.3. à num.22.* Cevallos *de cognit per mod.viol. 2.p q.* 78. *à nu.*14. Guttierrez *pract. lib. 2.q.49. num.*3. Ponte *volum.1. cons.* 18. *nu.*13. Azevedus in *l. 2. tit.4. lib. 5. recopilat. nu.*53. *& 55.* Bolanos *in Curia, 1.p. §. 5. num.* 26. Ergo quoties hæredes Capellani Regni adfuerint, minimè exequutio, & visitatio illius testamenti pertinebit ad judicem capellæ, sed ad Ordinarium, cujus subditi sunt hæredes, & ad quos incumbit onus adimplendi, & visitandi, non verò ad Judicem capellæ. Confirmatur, nam hæredes radicaliter sunt obligati ad adimplendum, & visitandum testamentum, etiamsi exequutores, sint nominati, isti enim tantùm sunt merè exequutores, quibus datum est mandatum bona vendendi, & suscipiendi quantitates necessarias, quatenus ipsi hæredes, & bona illa sunt ad illa obligata; ut latè probatur per Carpium *lib.3. cap.3. per tot.* Ergo cùm hæc obligatio semper sit hæredum, Ordinarius erit judex competens ad exequendum, & visitandum testamentum Capellani Regii, non verò Judex Capellæ.

25 Si verò Capellanus non reliquerit hæredes, sed animam suam, aut aliam piam causam, major est difficultas : quo in casu asserendum videtur ad Judicem capellæ pertinere exequutionem, seu visitationem Testamenti : nam quoties nullus est hæres, hæreditas ipsa repræsentat personam defuncti, *l. Hæreditas 61. ff. de acquir. rer. dominio, l. Mortuo 23. ff. de fidejussor. l.Cùm hæreditas 9. ff. deposit.* Sed persona defuncti est exempta à jurisdictione Ordinarii, & subditas Judici capellæ. Ergo & exequutio, & visitatio testamenti. Confirmatur, nam quando anima, seu alia causa pia instituitur hæres à testatore Clerico, tunc inventarium pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, quia hæreditas illa repræsentat personam defuncti exempti à jurisdictione sæculari. Marta *de jurisdict. 4.p. casu 122 num.*14. Franciscus Marcus *1.p. decis.*105. *& dec.* 1058. *num.*3. Pereyra *de manu Regia, 1.p. c.*16. *n.*21. Ergo similiter dicendum est in præsenti, exequutionem testamenti Capellani Regii non ad Ordinarium, sed ad judicem capellæ pertinere, utpotè proprium judicem capellani defuncti.

26 Hæc fundamenta debilia sunt : nam quoties Capellanus Regius, vel alius animam suam hæredem instituit, vel aliam causam piam, nequit dici hæreditas jacens, quia aut reliquit exequutores, aut non reliquit : si reliquit, ipsi gerunt vices hæredum, ut latè per Carpium *de exequut.testam. lib.3.cap.9.per tot.* & diximus *lib. 1. c.11. à num.* 61. Si verò non reliquit, exequutio ad Ordinarium pertinet, qui similiter consideratur ut hæres, aut causa pia hæres instituta. Ergo nullo modo potest dici hæreditas jacens, ut tantum repræsentet defunctum. Ad confirmationem respondetur, sententiam Martæ, & aliorum non esse certam, quin potiùs quam plures eam negant, quos refert, & sequitur Carleval. *de iudiciis, lib. 1.tit.1.q.5.num.* 341. Verùm in ea standō respondeo, inventarium faciendum esse an Ecclesiastico, quando anima, vel alia causa pia est hæres instituta, cujus cognitio pertinet ad Ecclesiasticum, *cap.3. c. Ioannes* 10 *de Testament.* Tridentinum *sess. 22. cap.* 8. quare ad eundem pertinet inventarii confectio, non quia sit hæreditas jacens, Carleval. *d.q.5. num.* 334. Confirmo discursum nam si Clericus instituisset hæredem laicum, tunc inventarium in meliori sententia pertinet ad judicem laicum ; jam enim utilitas illa versatur circa bona laici hæredis, & consequenter erit laicus judex competens. Guttierrez *lib.2. q.49. num.1. & 2.* Marta *d.casu 122.num.16.* Bobadilla *in polit.lib. 2.cap.18. num.*179. Bolanos *in Curia, 1 p.§.4. num.*28. Carleval. *d.q. 5. nu.*337. non tamen quia repræsentat personam defuncti, quia pertineret ad Ecclesiasticum : ergo similiter est dicendum in præsenti; nam licèt anima, seu alia pia causa sit hæres instituta, ratione ipsius erit judex competens, non ratione defuncti, licèt eum repræsentet.

Hinc in hoc casu dico exequutionem, & visitationem 27
testamenti Capellani Regii, quando anima, seu alia pia causa est hæres instituta, pertinere ad Ordinarium, non ad judicem capellæ, ex fundamentis relatis *à num.* 19. Tum & à simili probetur; nam maritus licèt habeat privilegium ne pro dote conveniatur nisi in quantum facere potest, ut latè dicemus *lib. 7. cap. 6. num.* 21. attamen eo defuncto bona illius illo privilegio non fruuntur, quin successoris insolidum conveniuntur, quia est privilegium personale mariti, ut cum aliquibus notat Sanch. *Decalog. lib.6. cap.* 16. *num.* 19. Ergo cùm privilegium capellani Regii sit personalissimum, aut locale, extendens se ad personas interim exercentes, nequit exemptio illa transgredi vitam ipsius capellani, & ejus testamentum frui privilegio exemptionis. Deinde Episcopus quoad exequendas ultimas voluntates pias, procedit ut delegatus Sedis Apostolicæ. Tridentinum *sess. 22. cap.*8. Quare in his piis ultimis voluntatibus potest procedere, etiamsi Testatores sint exempti Barbosa in *cap. Nos quidem 1. de testament. num.*8. qui asserit posse Episcopos ut delegatos Sedis Apostolicæ procedere, & cogere exequutores piarum voluntatum à sua jurisdictione exemptos, veluti Officiales S. Inquisitionis, vel alios Professores alicujus universitatis, exemptos ratione litterarum conservatoriarum, prout possumus intelligere etiam Judices capellarum Regiarum. Ergo etiamsi capellani post mortem exempti remanerent, adhuc Episcopus ut delegatus Sedis Apostolicæ poterit eorum pium testamentum exequi, & visitare. Præterea Judices capellarum non sunt ordinarii, sed tantum delegati, prout alii Judices conservatores, qui cùm habeant aliquam similitudinem cum Ordinariis, impropriè Ordinarii dicuntur, quorum jurisdictio cùm delegata sit, & odiosa, nequit se extendere ad casus alios, nisi ad eos, qui strictè in Bulla continentur. Glossa in *c. 1. in princip. de offic. allegat. in* 6. latè Narbona in 3. *Recopilat. l.*60. *gloss.unica, à num.*71. Ergo Judex capellæ non poterit exequi, aut visitare pium testamentum capellani, quia casus iste non est expressus in Bullis.

Rursus licèt exempti aliqui, ut Religiosi, post mortem 28
exemptione fruantur, id est quia non solùm sunt exempti quoad personas, sed etiam ratione Monasterii, in quo morantur : quare si ibidem decedant, ad eorum Prælatum pertinet funus, & sepultura, & non ad Ordinarium, nisi decedant remoti ab illo. Glossa in *cap. final. de sepult. in* 6. Francus *ibidem, num. ultim.* Abbas *cap. 1. de sepult. nu.* 4. Sanchez *lib.6.Decalog. cap.*14. *num.* 4. Capellani verò Regii nec in capella morantur, nec ibidem decedunt: quapropter post mortem nequeunt frui aliqua exemptione. Denique licèt Ordinarius non possit visitare Hospitalia, & Capellas existentes immediatè sub Regum protectione, id non est extendendum ad testamenta capellanorum, cùm diversum sit, à quo nequit fieri illatio. Ergo semper exequutio, & visitatio testamenti capellani Regii pertinebit ad Ordinarium, & non ad judicem Capellæ.

Secundo etiam modo capella dicitur quæ fundatur intra 29
aliam Ecclesiam, aut intra terminos illius, quæ auxiliatrix est, vel non, & ab aliquibus dicitur Capellania. Petrus Gregorius *Syntag. lib. 15. cap.29. num.2.* Frequentius tamen dicitur Capella, etiamsi intra Ecclesiam sit constructa. Gonzalez *ad regul. 8. gloss. 5. num. 67.* Urrutigoyti *de Ecclesia Catholica, cap.* 13. *à num.* 7. Barbosa *de univers. lib. 2. cap.8. n.* 18.

Capella ista est locus privatus in Ecclesia, vel extra posi- 30
tus, & consecratus cum Altari, quo quis juspatronatus obtinet, ut cum Rebuffo docet Barbosa *dict. cap. 8. num.* 18. Fuscus *de visit. lib.2 cap.* 11. *num.* 6. Leon *de offic. Capell. 1.p. q. 3. num.* 1. Ast illud observandum, neutiquam juspatronatus esse de essentia ad esse Capellæ, licèt ex constructione consequatur ; sed est modus magis frequens in

his

his Capellis ædificandis obſervatus à fundatoribus, ut illud adiſcantur. Urrutigoyti *de Eccleſ. Cathedr. cap.* 16. *num.* 21.

31 In conſtruendis Capellis plura deſiderantur, nempe Epiſcopi licentia, ſumptus operis, locus ſeu area, dos, & dedicatio, juſpatronatus, ſeu patrocinii. Lemaiſtre *de illuſtratione ſacri Patrimonii, lib.* 2. *cap.*6. *per tot.* Leon *d. q.* 3. *num.* 14. Spino *de teſtament. gloſſ.* 3. *num.* 9. Valenzuela *conſ.* 18. *num.* 18. Urrutigoyti *dict. cap.* 16. *num.* 16. quibus magnoperè addendum, ne in conſtructione Capellarum præjudicium alicui inferatur, præcipuè juribus Eccleſiis Cathedralibus, aut Parochialibùs competentibus, quod multoties ex his Capellis ſolet evenire, quamobrem conſenſus Plebani deſideratus, Leon *dict. q.* 3. *num.* 13. quo invito nequit erigi Capella, niſi graviſſima ſubſiſtente cauſa. Illud verò prætermittendum non eſt, quod licèt conſtructio Capellæ piiſſima ſit cauſa, Valenzuela *d. conſ.* 18. *num.* 67. ſi tamen aliquis eam, aut Altaria abſque Epiſcopi licentia erigat, ſi Clericus fuerit, degradatur; ſi verò laicus, anathematis mucrone percutitur, *c. Nulla* 25. *de conſecr. diſt.* 1. Lotterius *de re benefic. lib.* 1. *quæſt.* 13. *num.* 41. Urrutigoyti, *d. cap.* 16. *num.* 38. Tum & Capella demolitur, quia cùm ſpiritualis ſit, nequit ab aliquo exſtrui privata authoritate, niſi de licentia Epiſcopi, cui commiſſum eſt ſpiritualia decernere, *c. Ad hæc* 5. *de relig. domib.* Fuſcus *de viſit. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 7. Bengeus *de beneficiis*, 1. *par. cap.* 2. §. 2. *num.* 2. Urrutigoyti *c.* 16. *u.* 45.

32 Hæ enim Capellæ membra ſunt Eccleſiarum Matricum, quibus adjunguntur, & in quibus exſtruuntur, & eodem modo ſunt regulandæ, *c. Indemnitatibus* 43. §. *fin. de elect. in* 6. Ananias *conſ.* 86 *in princ.* Tondutus *q. benefic.* 1. *p. cap.* 73. *n.* 7. & utuntur privilegiis Eccleſiarum, quarum fundatio eſt cauſa pia, & in favorabilibus veniunt ſub nomine Eccleſiæ, ut cum aliquibus advertit Urrutigoyti *d. cap.* 16. *à n.* 47. Similiter quis cogitur proprium fundum vendere ad capellam ædificandam, ſicut ad Eccleſiam. Valenzuela *conſ.* 18. *à n.* 85. Urrutigoyti *d. c.* 13. *n.* 57.

33 Eſt tamen dubium, an qui Capellam fundat intra Eccleſiam, teneatur eam dotare. Et communis eſt ſententia, non teneri. Ratio eſt, nam ſufficit Eccleſiam eſſe dotatam cui incumbit onus ut Capellas reparet, & inſimul omnia contribuat neceſſaria: quapropter conſtruens non tenetur dotare. Calderinus *conſ.* 12. Rebuffus *de pacificis poſſeſſoribus, n.* 88. Lambertinus *de jurepatronat. lib.* 1. *par.* 1. *q.* 3. *art.* 1. *num.* 5. Barboſa *d. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 20. Gonzalez *ad reg.* 8. *gloſſ.* 5. *n.* 70. Lotterius *de re benefic. lib.* 1. *q.* 31. *num.* 6. Urrutigoyti *d. cap.* 16. *n.* 55.

34 In contrarium tamen eſt, nam in qualibet fundatione, ſive Eccleſiæ, ſive Capellæ, ubi munera ſacra ſunt celebranda, neceſſariò eſt dos conſtituenda, ne aliàs ex defectu expenſarum locus ille ſacer facilè corruat, & profanus reddatur, ut diximus ſupra. Leon *d. q.* 3. *num.* 13. Antonellus *de Regim. Eccleſiæ, lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 58. Tum quia ædificatio Capellarum nequit fieri cum præjudicio tertii. Gloſſ. in *c. A nobis, de jurepatron. verbo in Capella.* Urrutigoyti *d. cap.* 16. *n.* 35. Si enim aliqua intra Eccleſiam ab aliquo ædificaretur abſque dote, eſſet in præjudicium Fabricæ, cùm noviter gravaretur, tam in reparatione Capellæ, quàm in veſtimentis ſacris, luminaribus, & aliis quam plurimis neceſſariis ad illius conſervationem: quamobrem ædificans nequit Capellam ædificare abſque dote ſufficienti, aliàs eſſet in grave præjudicium Fabricæ, ut dictum eſt.

35 Ex his fundamentis communis ſententia indiget non pauca explicatione. Quare duobus modis hæc fundatio Cāpellæ intra Eccleſiam eſt conſideranda. Primò quando aliquis ſumma pietate vellet illam ædificare, nullum jus reſervando in Capella, nec juſpatronatus, nec ſepulchrum, ſed libenter eam relinquendo ad uſus Eccleſiæ: & in hoc caſu admittenda eſt communis ſententia, ut minimè dotare teneatur; nam cùm liberè Capella Eccleſiæ relinquatur, ipſa Eccleſia tenebitur de ſua dote providere de neceſſariis, proſpiciens pro re ſua propria. Sed adhuc in hac ſpecie Ordinarius, & Rector Eccleſiæ tenentur proſpicere, ne ex conſtructione novæ Capellæ, liberè Eccleſiæ relinquendæ, gravamen Fabricæ inferatur, ita ut ex ſuis redditibus nequeat novam Capellam conſervare, tunc enim minimè licentia eſt concedenda ad ejus ædificationem. Similiter proſpiciendum, an ſit neceſſaria, nam licèt Eccleſia habeat redditus ſufficientes ad illius conſervationem, attamen abſque neceſſitate non ſunt fructus illi expendendi, cùm ſint ad cultum deſtinati; & ad pauperes alendos.

Aliter intra Eccleſiam poteſt fundari Capella, & liberè 36
Eccleſiæ concedi, nullo jure reſervato, cum porta ad viam publicam, ut poſſit populus majori commoditate ſacrum audire, & preces fundere: & in hoc caſu ædificans tenebitur dotare; nam Capella iſta conſideratur ut particularis Eccleſia, licèt parva; & differt ab aliis Capellis intra Eccleſiam ædificatis: quamobrem conſtruens dotare tenetur, ut cum Genuenſi tenet Leon *d. q.* 13. *n.* 13.

Secundo modo contemplanda eſt Capella, nempe quan- 37
do conſtruens reſervat ſibi juſpatronatus, & ſepulchrum expreſſo pacto, ut docet Genuenſis *in praxi Archiepiſcopal.* 1. *edit. cap.* 40. *aliàs cap.* 44. *n.* 17. Barboſa *d. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 20. Leon *d. q.* 3. *n.* 12. *in princ.* Tondutus 1. *p. cap.* 73. *num.* 2. Ratio eſt, nam ex eo quod juſpatronatus, aut alia jura reſervat, quaſi propriam relinquit Capellam, idcirco dotare tenebitur ideo ei conceditur ſimile jus; quia conſtruxit, & dotavit, ſimul cum authoritate Epiſcopi. Riccius *in praxi juriſpatr. dec.* 167. Duranus *dec.* 285. *num.* 35. Tondutus *cap.* 23. *num.* 5. Urrutigoyti *d. cap* 16. *n.* 59.

Conſtructa Capella, & erecta à laico ex propriis bonis, 38
vel ab Eccleſiaſtico, non expenſis Eccleſiæ, ſi expreſſo pacto jus ſepeliendi reſervaverit, illud acquiret, dum ſepultura ſub bradellis, aut propè Altare non fiat: hoc enim ultimum admittendum cenſuit Sacra Congregatio in una Tremul. 8. Februarii 1594. ita ut ſi in contratium adversùs hanc prohibitionem ibi conſtructa reperiatur Capella, in illo Altari non debet aliquis celebrare, donec corpus alibi transferatur, ut ex alia declaratione tenet Barboſa *de offic. Paroch.* 3. *p. cap.* 26. *num.* 10. Pellizarius *in man. regul. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 5. *ſect.* 4. *ſubſ.* 2. *q.* 20. *num.* 174. Tum acquirit facultatem arma, & inſignia gentilitia ibidem aſſignandi. Riccius *in praxi ſepultur. deciſ.* 667. Urrutigoyti *cap.* 16. *num.* 72. quod nequit fieri ab altero, niſi à Fundatore, vel Patrono; nam armorum appoſitio eſt quoddam argumentum dominii, Chaſſaneus *in Catalog. gloriæ Mundi*, 1. *part. conſiderat.* 55. Sola *in Conſtitut. Sabaud. de inſigniis & arm. gloſſ.* 2. *num.* 7. quare nequeunt ab alio apponi, niſi à fundatore, vel Patrono. Tondutus *dict. cap.* 73. *à num.* 9. Tum etiam poterit poni inſcriptio in honorem Fundatoris. Rota 7. *par. recent. dec.* 609. *num.* 1. Tondutus *ubi proximè, num.* 11. Urrutigoyti *d. cap.* 16. *num.* 76.

Hinc diſquirendum, an ex armis, & inſigniis depictis, 39
ſeu inſculptis in Capella, probetur dominium illius; Et affirmandum videtur; nam ex armis, & inſigniis affixis; ſeu depictis, ſit optimum argumentum dominii, ut diximus. Ergo ex affixione, vel pictura armorum, fit probatio dominii Capellæ. Cæterùm arma, & inſignia gentilitia appoſita in Capella probant juſpatronatus, Romanus *ſingul.* 480. Ferretus *conſ.* 297. *n.* 9. Menochius *lib.* 9. *præſumpt.* 90. *n.* 10. Rota apud Seraph. *deciſ.* 552. *n.* 2. Riccius *de noviſſ. probat. juſpatronat. reſolut.* 31 quod quidem ſupponit conſtructionem, & dotationem illius, unde dependet dominium illius: Ergo arma, & inſignia appoſita in Capella probant dominium illius.

Sed contrarium ſcripſit Riccius *in praxi for. deciſ.* 692. & 40
adducit textum in *l. Monumentorum* 6. *C. de relig. & ſumpt. funer.* ubi deciſum eſt, inſcriptiones monumentorum minimè jura aliqua transferre ad liberos. Ergo nec arma, nec inſignia gentilitia probant dominium Capellæ, quin potiùs probatio aliundè eſt petenda, maximè ſi ageretur de præjudicio alterius. Rurſus dominium Capellæ debet procedere à diſpoſitione, ſeu conceſſione Epiſcopi, prout in ſepulturis, *Clementin.* 2. *de ſepult.* Sed conceſſio iſta non probatur, niſi per inſtrumentum, quia ſcriptura in his eſt de eſſentia probationis. Abbas in *c. in Noſtra, de reſcript. num.* 11. Afflictis *deciſ.* 398. *num.* 6. Ergo nequit probari dominium Capellæ per affixionem armorum, ſeu ſtemmatis gentilitii.

In re tamen dicendum, armorum, & gentilitiorum ſcul- 41
pturam, ſeu picturam duobus modis poſſe adeſſe. Primò quando affixa ſunt, ſeu appoſita in aliquo cancello, porta, vel in alia parte minus principali Capellæ: quo quidem caſu nihil ad dominium probant. Ratio eſt, nam cùm poſita ſint in parte minùs principali, non poſſunt arguere dominium totius Capellæ: Ergo minimè poſſunt hæc arma, ſeu inſignia dominium totius Capellæ probare, ut benè notat Riccius *dec.* 592. *n.* 3. *verſ. Quartò quia.*

Se-

42 Secundo etiam modo quando affixa ſunt in parte principali Capellæ, ex quo argui valet dominium totius, & adhuc in hoc caſu per ſe non probant dominium: ratio eſt, nam ex alia cauſa arma potuerunt apponi, quam ratione dominii, nempe propter eleemoſynam factam Capellæ; quare per ſe non probant dominium. Ferentillus ad Buratum *deciſ.* 323. *num.* 22. Aſt faciunt præſumptionem, quia præſumitur illa appoſuiſſe Fundatorem, ſeu Patronum ad conſervationem familiæ. Rota *recent.* 1. *par. deciſ.* 13. *ſub num.* 3. Barboſa *de univerſ jur. lib.* 4. *cap.* 22. *num.* 94. *in fin.* Ferentillus *ubi proximè*. Si tamen aliis adminiculis arma, & inſignia aſſocientur, tunc plenè probabunt dominium totius Capellæ, & juriſpatronatus illius. Idque proſpicere libet, quando arma, & inſignia ita fuiſſent auribus prout Capella ipſa, nec alia cauſa dari valet pro affixione, niſi quod in fundatione fuerint appoſita; tunc enim plenè probant: nam licèt Capella ſemper libera præſumatur, ex Regula regis *Altiùs*, *C. de ſervit.* attamen hæc antiquiſſima armorum affixio, quando nulla alia cauſa affigendi reperiri valet, probat benè ex ſola fundatione factam fuiſſe, & concludenter probat dominium Capellæ, & juſpatronatus illius. Cavalerius *deciſ.* 150. *num.* 8. Rota apud Vivianum *de jurepatronat. dec.* 26. *n.* 15. & 16. Coccinus *deciſ.* 230. *n.* 1. Ferentillus *d. deciſ* 323. *num.* 22. Medicis *de ſepult.* 1. *p q.* 16. *num.* 29. & 30. Lavor. *lucub. tit.* 2. *cap.* 18. *à num.* 16. Barboſa *d. c.* 11. *n.* 93. & 94.

43 Rurſus Fundator Capellæ, vel Patronus poterit ſcamna, & ſedes apponere in Capella, quod ita certum, ut ſi quis arma, aut ſcamna, vel ſedes amoverit, adverùs eum actio injuriarum conceditur, & officium Judicis: & ſimiliter armis poterit amotionem defendere, prout in aliis præcedentiis agere poteſt, quia tunc eſt defenſio proprii juris. Avendanus *de exequend. mandat.* 2. *p. cap.* 10. *num.* 20. Lara *de Anniverſ. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 23. Parladorius *different.* 88. §. 2. *num.* 8. Gratianus *diſcept. tom.* 2. *cap.* 210. *num.* 32. Tondutus *dict. cap.* 75. *num.* 12. Lavor. *dict. tit.* 2. *cap.* 10. *num.* 18. Verùm quoad iſtam partem, ut armis poſſit ſimilem amotionem in Capella defendere, admittendum id non eſt ut licitum; nam ſimilis defenſio, licèt poſſit admitti in rebus profanis, & locis: aſt in Eccleſiis, & Capellis, uti armorum remedio ſcandalum graviſſimum eſt, Eccleſiarum, & Capellarum pollutio, nec in locis Sacris valet admitti defenſio more caſtrorum. Quamobrem remedium armorum nunquam eſt admittendum in Eccleſiis, Capellis, & in aliis locis ſacris, ut benè conſiderat Urrutigoyti *d. cap.* 16. *num.* 173.

44 Competit etiam Fundatori Capellæ jus ſepeliendi in ipſa, quando jus iſtud reſervaverit expreſsè. Urrutigoyti *de Eccleſiis Cathedr. cap.* 13. *num.* 171. non ſolùm ſibi, ſed etiam aliis de ſuo genere, & familia. Ratio eſt, nam jus funerandi diſtinctum eſt à jure Capellæ, & ſpeciali indulgentia eſt concedendum. Rochus de Curt *de jurepatronat. verbo in Eccleſia, num.* 13. Ergo ex ſola fundatione, aut dotatione hoc jus ſepeliendi non acquiritur, niſi ex pacto expreſſo Fundatori concedatur. Unde Doctores aſſerunt, quod ex eo quod quis habeat ſepulturam in Capella, non infertur habere jure jus in ipſa Capella: nec ſi habeat jus in Capella, inferri poteſt habere jus ſepulchri, utpotè de rebus penitus diverſis. Tondutus *d. cap.* 73. *num.* 2. Idcircò ſemper eſt neceſſarium, ut pacto expreſſo in Capella reſervetur jus funerandi, ut tenent DD. relati *num.* 36. Rota in una Avenionen. Capellæ, 13. Junii 1587 Riccius *in praxi for. deciſ.* 42. *num.* 7. qui animadvertit, aliquando ſufficere tacitam licentiam conſtruendi ſepulchrum in Capella, utpotè ſi ſepulchrum fuerit in loco patenti, & Epiſcopus non contradicat, & Capella fuerit ab eo viſitata. Rot. 1. *p. div. dec* 222. Id verò admittendum quando Capella quæ fundatur, fuerit in aliqua Eccleſia privata, non verò ſi ſit Capella Majoris Eccleſiæ, in qua interdictum eſt cadavera ſepelire. Hanc ob rem nec per pactum poterit Fundator ibidem ſepulchrum habere. Lavorius *d. tit.* 2. *cap.* 5. *n.* 104. Urrutigoyti *d. c.* 16. *n.* 161.

45 Poterit etiam Fundator diſponere; ut Sacerdos oblationem, faciat ipſi, aut ejus ſucceſſoribus, aut aliàs erogare oblationes: ſed quibus competant, dicemus *in hoc libro, cap. fin.* interim vide Urrutigoyti *d. c.* 16. *n.* 166.

46 Capella verò in Eccleſia exiſtens, licèt habet proprios redditus, beneficium tamen non eſt ſeparatum quoad Rectorem Eccleſiæ, quin potiùs non dicitur duo habere beneficia, ex eo quod Capellam ſimul habeat cum Eccleſia, *cap. Super eo* 6. *de Præbend. lib.* 6. Unde fructus relicti Altari, ſeu Capellæ, in Eccleſia aliqua, ſunt Rectoris ipſius; nam hæc omnia acceſſoria ſunt, & ſequuntur principale. Id verò limitabitur, niſi Capella habeat bona, & redditus ſeparatos ab ipſa Eccleſia, vel habuerit proprium Rectorem, cujus contemplatione talia bona, aut redditus ſunt relicti. Valenſis *conſ.* 18. *num.* 7. Barboſa *de univerſ. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 24. Urrutigoyti *d. cap.* 16. *num.* 56. & *num.* 69.

Nec ſimiliter Capella reputabitur beneficium, niſi quando erigatur authoritate Epiſcopi in titulum, & inſimul fuerit dotata cum deſignatione Rectoris, ſeu Capellani; tunc enim Capellania collativa eſt, & beneficium Eccleſiaſticum ſub reſervatione cadens, niſi fuerit juriſpatronatus. Gonzalez *ad regul.* 8. *gloſſ.* 5. *num.* 68. Petrus Gregorius *de re benefic. cap.* 11. *num.* 10. Valenzuela *conſ.* 196. *num.* 3. Salcedo *ad Bernardum, cap.* 18. *num.* 9. Spino *de teſtament. gloſſ.* 4. *in princip. num.* 37. Barboſa *d. cap.* 8. *num.* 25. Unde S. Congregatio 17. Auguſti 1630. cenſuit Capellas plures in eodem Altari, ſub eadem invocatione, cum diverſis oneribus Miſſarum, quæ antiquitus conferebantur pluribus Clericis, & ad præſens reperiuntur ab uno poſſideri ſub titulo unius Capellaniæ, hodie non poſſe retineri abſque diſpenſatione Apoſtolica, cùm ſint revera plura beneficia. Barboſa *d. cap.* 8. *num.* 27. 47

Sed an Capellæ poſſint vendi, & alienari, diſceptatio eſt. Prima ſententia affirmat; nam Fundatores, & illorum ſucceſſores habent illis proprietatem, & dominium, ſaltem impropriè. Ergo poterunt eas vendere, ut ſibi videbitur. Tum habent jura in ipſis Capellis jure æſtimabilia: ergo poterunt ratione horum jurium eas vendere, & alienare. Et exemplo confirmatur ſepulturæ, quæ licet vendi nequeat, *cap. Poſtquam* 13. *cap. In Eccleſia* 14. 13. *quæſt.* 2. *cap. Suam* 29. *c. Apoſtoliçam* 42. *de ſimon.* Concilium Meldenſe *can.* 63. & 72. Metenſe *can.* 2. Nannetenſe *can.* 6. Lateranenſe ſub Alexandro III. 1. *p. cap.* 7. & 2. *p. cap.* 10. Lateranenſe ſub Innocentio III. *can.* 66. Suar. *de Relig. lib.* 4. *de ſimon. cap.* 14. Filiiucius *tom.* 3. *tract.* 45. *cap* 3. *q.* 11. *num.* 26. Jul. Lavor. *var. lucubr. tit.* 2. *cap.* 10. *à num.* 1. Attamen jus ſepeliendi in certo loco, & ſepultura vendi valeat, ſicut tranſmitti ad hæredes; nam hujuſmodi uſus in dominio noſtro eſt, ut cum aliquibus tenet Bonacina *de contract. diſp.* 3. *q.* 21. *punct.* 4. *per tot.* Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 40. Villalobos *in Summa*, 2. *par. tract.* 37. *difficult.* 12. *num.* 3. Molfeſius *in Summa*, 2. *part. tract.* 13. *cap.* 8. *num.* 36. Ergo idem eſt dicendum de Jure Capellarum, ut ex hoc argumento infert Villalobos *d. nu.* 3. Prætereà probatur hæc ſententia doctrina Lavorii *d. tit.* 2. *cap.* 10. *num.* 17. ubi ſcripſit aliquid percipi poſſe quoad Capellas pro illis, quia acquiritur jus ſepeliendi in eminentiori loco, Capellam conſtruendi, arma, & inſignia ponendi; hæc enim cùm inexiſtimatione humana conſiſtant, pro eis pretium percipi valet, & inſimul poſſunt alienari. Aragon. 2. 2. *q.* 10. *art.* 4. Ledeſma *in Summa*, 2. *p. tract.* 10. *concluſ.* 35. Ergo & ob has cauſas Capellæ poterunt vendi, & alienari, ut de conſuetudine probat Gratianus *dec.* 26. *num.* 14. Carol. Maranta *tom.* 2. *reſponſ.* 16. *à n.* 1. Phœbus *dec.* 8. Delbene *de immunit.* 2. *p. c.* 17. *dub.* 14. *n.* 15. 48

Secunda ſententia negat, nam Capellæ iſtæ cùm authoritate Epiſcopi fundantur, fiunt ſacræ, & religioſæ; itaque nec vendi, nec alienari poſſunt, *l.* 4. *ff. de contrah. empt.* Deinde licèt jura iſta Capellarum ſint ab eis ſeparabilia, & temporalia; attamen fundantur in modum majoratus, in quibus ſemper intelligitur clauſula non alienandi, *l. Filiusfamilias* 114. §. *cui*, *ff. de legat.* 1. *l. Pater* 77. §. *Quindecim*, *ff. de legat.* 2. *l. Peto* 69. §. *Prædium, juncto* §. *Fratre*, *ff. de legat* 2. Ergo minimè poterunt vendi Capellæ, nec per ſe, nec per accidens, quoad jura illa ſeparata. Valaſcus *de jur. emphyt. q.* 28. *num.* 11. Valenzuela *conſ.* 196. *num.* 4. Leon *de offic. Capellani* 1. *p. q.* 3. *num.* 93. Garcia *de benefic.* 5. *p. cap.* 9. *à n.* 137. Urrutigoyti *d. c.* 16. *n.* 151. 49

In hoc dubio dicendum, duobus modis contemplandam eſſe Capellam. In primis conſiderata illa per ſe: Secundò quoad jura quæ habet fundator, & ejus ſucceſſores in ea. Quoad primum Capella ſi eſt abſque Epiſcopi authoritate conſtructa, per ſe vendi, & alienari valet. Ratio eſt, nam Capella iſta, licèt deſtinata ut ſit religioſa, adhuc tamen pura eſt, & profana, non accedente authoritate Epiſcopi. 50

Ca-

Cabedo *de Patronat. Reg. Coron. cap.* 38. *num.* 3. Barboſa *dict. cap.* 8. *n.* 29. *in fin.* Ergo vendi, & alienari valet. Confirmatur exempla ſepulturæ, quæ ſi pura ſit, & defunctus in eam non ſit illatus de Jure Civili Romanorum, aut de Jure Canonico, necdum acceſſit authoritas Epiſcopi, religioſa non eſt, ſed pura, & profana, ac vendi, & alienari valet, *l. ſi Monumento 6. C. quæ res pign. obligar. poſſ.* Gloſſa in *c. Abolendæ*, *de ſepult.* Medicis *de ſepult. 1. p. q. 15. n. 17.* Lavor. *d. tit. 2. cap. 10. n. 25.* Gratianus *diſcept. for. to. 2 cap. 210. n. 8.* Ergo ſimiliter eſt dicendum de Capella, quæ ſi conſtructa ſit abſque licentia, & authoritate Epiſcopi, per ſe profana & pura eſt, & vendi, & alienari poteſt.

51 Si tamen authoritate Epiſcopi fuerit conſtructa, remanet religioſa, & ſpiritualis: quapropter vendi nequit, per ſe loquendo, aut alienari; quia id eſſet dare pretium pro re ſpirituali, quod eſt ſimoniacum: Ergo nullo modo vendi valet, ſeu alienari. Gregorius *l. 1. tit. 13. par. 1. verbo Vender*, ubi aſſerit ſimoniacas eſſe pactiones, quæ ſolent fieri cum Clericis, & Religioſis, ut pro Capella aliquod pretium, aut annua penſio præſtetur. Molina *de primog. lib. 1. cap. 24. n. 40.* Leon. *d. 1. p. q. 3. num 93.* Urrutigoyti *d. cap. 16. à n. 90.*

52 Secundò, & aliter libet conſiderare Capellam, non per ſe, ſed tantùm quoad jura, quæ habet Fundator, & ejus ſucceſſores, veluti jus ſepeliendi, jus Patronatus, & honorem ſedis, vel alia quæ offerenda ſunt à Sacerdote: & in his aſſerendum videtur, minimè vendi poſſe, ſeu alienari; nam jura iſta ſunt inſeparabilia à Capella, vel ſaltem illi annexa. Ergo cum Capella ſit religioſa, nequeunt illa jura vendi, aut alienari aliquo pretio interveniente. Confirmatur exemplo juris Patronatus, per ſe enim minimè vendi, aut pretio alienari valet; nam cùm annexum ſit beneficio, quod ſpirituale eſt, ex annexione nequit pretio vendi, aut alienari, quia quaſi ſpirituale cenſetur; & ſi vendatur, remanet Eccleſia libera, *c. De jure 16 de jurepatronat.* Curte *de iurepatronat. verbo vtile*, *q. 3. à num. 8.* Lambertinus *de jurepatronat. lib. 1. par 2. q. 1. art. 12. num. 17.* Suarez *dict. lib. 4. de ſimon. cap. 28. à num. 17.* Vivianus *in praxi juriſpatronat. lib. 3. cap. 5. num. 9.* Barboſa *de univerſ. jur. lib. 3. cap. 12. n. 242.* & propter eandem rationem, nec de eo tranſigi valet, *cap. Præterea 9. de tranſact.* & cum multis notat Valeron *de tranſact. tit. 3. q 6. n. 40.* Ergo cùm jura illa ſint annexa Capellæ religioſæ, & ſpirituali, nequeunt pretio vendi, ſeu alienari.

53 Sed tamen in re dicendum, maxima conſideratione proſpiciendam eſſe fundationem Capellæ, an Capella cum ſuis juribus relicta ſit per modum majoratus. Et in hoc caſu jura illa vendi, aut alienari non poſſe certum eſt; nam natura majoratus prohibet alienationem, ut vocationes verificentur. Tum quia ut plurimùm ſimiles fundationes hanc expreſſam clauſulam non alienandi habent, qui mos inſtituendi Capellas frequentior eſt in Luſitania per modum majoratus. Benedictus Ægidius in *l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſiis p. 5. §. 2. à num. 15* Gamma *deciſ. 6.* Barboſa *dict. lib. 2. cap. 6. num. 29.* Ergo tunc jura illa nequeunt vendi, nec aliquo modo alienari.

54 Idem dicendum, ſi Capella ſit familiaris, & relicta familiæ per certas vocationes; tunc enim jura illa vendi nequeunt, nec alienari, cùm non poſſint exire de familia, & verificandæ ſint vocationes interim quod durant, prout obſervatur in jure ſepulchrorum. Curte *de Iurepatron. verbo in Eccleſia, à n. 15.* Leon *d. 1. p. q. 3. num. 12.* Molina *de pri. mog. lib. 1. c. 14. à n. 40.*

55 Si verò nulla prohibitione adhibita de non alienando, relinquatur Capella, ſed liberè ſuis hæredibus, & Capella ſit beneficium Eccleſiaſticum juriſpatronatus, per ſe independens ab aliqua univerſitate bonorum, minimè juſpatronatus poterit vendi, aut pretio alienari; nam ut ſupra diximus *num.* 51. invendibile eſt, & extra commercium. Rota apud Farinacium *2. q. deciſ. 399. & 2. p. recent. dec. 301. num. 4. & 5.* Barboſa *de offic. Epiſcop. 3. p. allegat. 71. num. 35.* & in *cap. Quia Clerici*, *de jurepatronat. num. 5.* Quod quidem intelligendum in jure tantùm præſentandi, quatenus dat jus ad beneficium. Quo verò ad alia jura, veluti honoris ſedendi, & præcedendi, jus ſepulchri, vel alterius juris competentis poſſeſſori Capellæ, dicendum alienari poſſe, & vendi; nam hæc jura, ut diximus *num.* 47. venduntur & alienantur ab ipſa Eccleſia. Ergo etiam poterunt à poſſeſſore vendi, & alienari, & quando nulla eſt prohibitio fundatoris. Tum jura illa nec per ſe, nec per annexionem ſunt ſpiritualia: non per ſe, quia verſantur circa temporale commodum; nec per annexionem, quia non dant jus ad rem ſpiritualem. Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 4. de ſimon. c. 28. à num. 3.* Ergo poterunt vendi, vel pretio alienari. Cæterùm ſi jura iſta Capellæ hæreditaria ſint, alienantur in extraneos. Leo *d. q. 3. num. 12.* Rota apud Seraphinum *deciſ. 364. num. 3.* Covar. *lib. 2. var. cap. 8. num. 36.* Pariſius *lib. 4. conſ. 48. num. 21. & 22.* Ergo ſimiliter poterunt vendi, vel pretio alienari in extraneos. Denique facit doctrina Leonis *d. q. 3. num. 93.* Barboſæ *dict. lib. 2. cap. 8. num. 20.* ubi ſi quis Capellam conſtruxerit ſuis ſumptibus, verùm deceſſit multis debitis relictis, ad ſatisfaciendum creditoribus Capellam eſſe vendendam aſſeritur, licèt pactum interceſſiſſet non alienandi: quæ quidem doctrina nequit intelligi de Capella ipſa, per ſe loquendo, quia religioſa eſt; ſed de juribus ipſius Capellæ. Urrutigoyti *d. cap. 16. num. 152.* Ergo jura omnia Capellæ, dempto jure præſentandi, poſſunt vendi, & alienari. Urrutigoyti *d. cap. 16. à n. 92.*

Illud verò prætermittendum non eſt, minimè Rectores 56
Eccleſiarum poſſe vendere, aut alienare jura in Capellis acquiſita, ita ut invito fundatore, vel Patrono, alter ibidem ſepeliatur, aut aliquo modo turbet poſſeſſorem, ad tradita per Parladorium *differ. 66. §. 2. à nu. 9.* Urrutigoyti *d. c. 16. num. 175.*

Eſt tamen dubium, an extincta linea, ſeu familia, Ca- 57
pella ad Eccleſiam redeat; & libera remaneat. Prima ſententia negat, quia fundatorum voluntates nequeunt mutari: quapropter cùm fundatio, & voluntas conſtruentis ſit, ut ſemper propria Capella remaneret, etiam extincta familia, poterit poſſeſſor ad extraneos transferre, ſi deficiat familia. Et confirmatur, nam pacta ſemper ſunt ſervanda, *l. 1. de pact. cap. 1. c. Qualiter 3. de pact.* Ergo licèt deficiat familia, adhuc ex diſpoſitione ultimi poſſeſſoris poterit tranſferri ad extraneos. Prætereà à ſimili juri ſpatronatus probatur, quod licèt deficiat familia, & linea fundatoris, attamen tranſit ad extraneos, ut tenet Rota in una Priſtionenſi, 31. Maii 1628. quam refert Leon *d. 1. p. d. 3. num. 12.* Rota apud Seraphinum *deciſ. 378.* Rota apud Farinacium *1. p. deciſ. 53. num. 5.* Barboſa in *cap. Ex litteris 7. de jurepatronat. num. 10.* Ergo ſimiliter eſt dicendum de Capellis, quæ licèt familia ſit extincta, adhuc liberæ Eccleſiæ non relinquuntur, ſed poſſunt tranſire ad extraneos ex diſpoſitione ultimi poſſeſſoris, ut in jure ſepulchrorum tenet Rochus *de jurepatron. verbo in Eccleſia, num. 15.* & in Capellis Leon *dict. quæſt. 3. num. 12.*

Secunda ſententia tenet contrarium; nam mortuo uſua- 58
rio, res ad proprietarium devolvitur, *l. 1. ff. de uſufruct. §. Finitur, inſtit. de uſufruct* quod procedit etiamſi arma, & inſignia ibidem fuerint appoſita, quia non dant amplius jus, quàm quod tenet ipſe uſuarius; qui enim habet Capellam, tantùm uſum habet, quia nequit habere proprietatem, *§. Sacra, inſtit. de rer. diviſ.* Ergo mortuo uſuario poſſeſſore familiæ, Capella libera remanet, & ad Eccleſiam revertitur. Confirmatur à paritate juriſpatronatus, quia Patronatu finito, Eccleſia libera remanet. Vivianus *in praxi juriſpatronat. lib. 4. cap. 9. num. 53.* Barboſa *de univerſ. jur. lib. 3. cap. 12. num. 244. verſ. Quinto*. Ergo ſimiliter dicendum eſt de Capella. Riccius *in praxi, 4. p. reſolut. 345.* Durandus *de regular. tom. 1. tract. 14. quæſt. 80.* Urrutigoyti *d. cap. 16. n. 195.*

In hoc dubio dicendum, magna conſideratione proſpi- 59
ciendam eſſe conceſſionem Capellæ, quomodo ab Eccleſia, ſeu Monaſterio conceſſa fuerit; nam aliquando ſolet ſolùm concedi Capella familiari, ſed gentilitia; aliquando hæreditaria. Familiaris, ſeu gentilitia dicitur, quæ tantùm familiæ, & genti conceditur taxativè, ita ut niſi quis fuerit de teſt tranſire ad extraneos, ut in jurepatronatus benè explicat Gabriel *lib. 2. conſ. 196. num. 2.* Riccius in *tract. de jur. patron reſolut. 132. nu. 1.* Maſſobrius *in praxi habend. concurſ. prælud. 7. dub. 21. num. 54.* Quod idem eſt dicendum, ſi dicat conceſſio, concedere ad agnationem conſervandam, quia intelligitur conceſſio taxativa ad familiam. Rot. *1. p. recent. deciſ. 395. num. 2.* In hoc enim caſu eſt vera ſecunda ſententia; nam ſi omnes de familia, & de agnatione illa fuerint extincti, Capella libera remanet apud Eccleſiam ſeu Monaſterium. Ratio eſt clara, quia conceſſio illa fuit tantùm taxativa ad illos qui ſunt de familia & gente illa. Ergo debet

libe-

libera remanere apud Eccleſiam, ut in jurepatronatus familiari tenet Vivianus *dict.lib.4.cap.9.num.6.* & in jure ſepulturæ Sylveſter *verbo Sepultura, quæſt.* 3. Rodriguez *in Summa, eodem verbo, cap.130.nu.14.*

60 Eſt tamen animadvertendum, quamplurimos Doctorum ſcripſiſſe, adhoc ut Capella libera remaneat ſi familiæ concedatur, requiri ut ſit taxativè relicta; ſecus verò ſi ſimpliciter relinqueretur, aut concederetur familiæ; quia intelligitur hæreditaria, & poteſt per diſpoſitionem ultimi poſſeſſoris ad extraneos transferri: & eſt neceſsarium, ut verba taxativa expreſsa tantùm familiæ relinqueretur, aut concederetur. Rota apud Burattum *deciſ.647.nu.1.* Rota apud Poſthium *de manut.deciſ.172.num.20.* Noguerol *allegat.28.num.11.* Vivianus *dict.lib. 4. cap. 9. num. 1.* Carolus Maranta *lib.1.reſponſ.16. nu.23.* quapropter ſi familia fuerit extincta, ſi non adſint verba taxativa, Capella libera non remanet apud Eccleſiam. Sed in re vide *lib. 6. cap. 7. num. 40.*

61 Si verò Capella fuerit hæreditaria, tunc extincta familia, non libera remanet, ſed ad extraneos valet tranſire ex diſpoſitione ultimi poſſeſſoris, quia cum ea facultate eſt conceſsa, *cap.3.de jurepatr.* Gratianus *diſcept. cap.645. num.* 10. Mareſcotus *lib. 2.var. cap. 55. num.* 7. Moneta *de commut.ult.volunt.cap.11.nu.* 134. Barboſa *de offic. Epiſcop. 3.par.allegat. 71. nu.* 3. & ſic intelligenda eſt prima ſententia. Limitante tamen aliqui, quando Capella conceſsa fuerit ab Eccleſia pro pretio certo, & non ex libera donatione; nam ex eo quòd jus illud legitimè fuit alienatum, ampliùs non dicitur vacare, *cap. Cùm acceſſiſſent 8. de conſtit.* Quare ſemper extincta familia, poterit ad extraneos traduci. Donatus *de Regularibus tom.1.tract.14.quæſt. 80.* Urrutigoyti *d.c. 16. num.* 197. Sed hoc fundamentum eſt debile, quia licet pretium accedat; dum pactum eſt ſolùm pro familia illa, nequit extendi ad extraneos; pacta enim ſunt ſemper ſervanda, *cap. 1. de pact. l.1. ff. eod. tit.* Quare contrarium teneo cum Rodriguez relato ab Urrutigoyti *d.num.* 197. qui *num.* 198. ſcripſit, quod ſi aliquo caſu, ſeu eventu fuerit Capella diruta, vel renovata, arma, titulos, & inſcriptiones eſſe renovandas. Riccius *in praxi 4.part.reſol.345.*

62 In Capellis verò ſuper fructibus nulla decima imponi poteſt, quia appellatione Beneficii non veniunt, niſi habeant requiſita ſupra recenſita, ut fiant propriè Beneficium Eccleſiaſticum. Barboſa *d.lib.2.cap.8.nu.21.* Urrutigoyti *d.cap.16.n.144.*

63 Eſt tamen aliquod dubium, an exempta Eccleſia, etiam Capellæ exemptæ videantur? Et affirmandum videtur, nam de connexis idem fit judicium, *l.3.§. Judicio contrario, ff. de contrar. act. tui.cap. Translato 3. de conſtit.* Gratianus *diſcept.cap.85.n.21.* Caſtillo *controverſ.lib.5.cap.165.nu.15.* Ergo etiam debent eſſe exemptæ. Sed tamen contrarium eſt tenendum, niſi verbis expreſſis etiam Capellæ eximerentur, quia licèt connexæ ſint Eccleſiæ, & Capellæ, exemptiones tamen odioſæ ſunt, nec extenduntur niſi ad expreſſa, *cap.Ex ore, de Privilegiis*, ubi Gloſſa *verbo Non probatur*. Ergo licèt Capellæ annexæ ſint Eccleſiis, ſi tamen expreſſis verbis non eximantur, non erunt exemptæ. Fuſcus *de viſit.lib.2.cap.16.à num.2.* Cochier *de juriſdict.in exempt.2.p.quæſt.45. num.* 70. Quare in eis Epiſcopus retinebit jura Epiſcopalia relata *in cap. Conquerente 16. de offic. Ordin.* Fuſcus nuperrimè allegatus, Barboſa *de offic. Epiſc.3.p alleg.75.nu.29. & d.lib.2. cap.8.n. 23.* Urrutigoyti *d.cap.16.nu.146.*

64 Sed dices, Capellas fundatas in Eccleſiis Regularium per ſæculares Confraternitates nequit Epiſcopus viſitare nec in eis aliquid habere juriſdictionis ordinariæ, ut cenſuit Sacra Congregatio *in Pap. 21.* Auguſti *1615.* & refert Barboſa *dict cap.8.num.16. & collect.deciſ.120.num.6.* Ergo quoties Eccleſia exempta eſt, etiam erunt exemptæ Capellæ. Et reſpondetur, Capellas conſtructas in Eccleſiis Monaſteriorum exemptas eſſe, non quia eſt exempta Eccleſia, ſed totum Monaſterium, in quo etiam includuntur Capellæ, utpotè inſeparabiliter annexæ: quod ſecus eſt dicendum, quando ſola Eccleſia eſt exempta, quia tunc Capellæ ſunt annexæ ſeparabiliter, & non comprehenduntur in exemptione. Tum denique Capellæ reſpectu Eccleſiæ ſunt ab ea ſeparabiles, & non rectè fit illatio à ſeparabiliter diverſis, *l.Papinianus exuli, ff. de Minorib. l.ult. §.fin.ff. de calumn.* ubi Bart. *l. Inter ſtipulantem 83.§. Sacram,*

ff. de verb. oblig. Novarius *quæſt for. lib.1. quæſt.15. num.6.* Gratianus *tom.3. diſcept. cap.516. num. 6.* quamobrem nequit exemptio Eccleſiæ extendi ad Capellas, prout fit in exemptione Monaſterii. Fuſcus *dict.lib. 2.cap. 16. num.2.* Cochier *dict.quæſt. 45. num.* 70. Urrutigoyti *dict.cap. 16.à num.147.*

Eſt tamen caſus non prætereundus in materia Capellarum, nempè quod ſi teſtator intra annum Capellam fundare præceperit, & inſimul dotare, ſub pœna ut ſexaginta ſcuta Capellanis ab eo poſtea eligendis ab hæredibus ſolvantur; ſi tamen teſtator eos nominare omiſerit, an pœna committatur; ſi Capella nec dotetur, nec conſtruatur ab hæredibus intra annum? Et dicendum videtur, pœnam non committi dum nullos Capellanos nominavit, quibus ſcuta ſolverentur, cùm ſpecificè debeat adimpleri voluntas teſtatoris, *leg. Qui hæredi 41.l. Mœius 55. ff. de condit. & demonſtrat.* Menochius *conſ. 35. à num. 4.* Flaminius *de reſignat.lib.2.quæſt.3. num. 15.* Caſtillo *controverſ. lib.5. cap.119. num. 6.* Tum alia rationem; nam voluntas teſtatoris, quatenus ad alia tranſire volebat, ſcilicet ad nominationem Capellanorum, imperfecta eſt, *l.Si is qui 8. ff. de teſtament.* Gomez *in leg.3.Tauri, nu. 106.* Eſcano *de teſtament. cap. 13. num. 15.* Ergo nequit illa imperfecta voluntas teſtatoris adimpleri, ad cogendos hæredes ut ſolvant illa ſexaginta ſcuta; voluntas enim imperfecta, voluntas non eſt, *l.Cùm Syllanianum, C. de his quib.ut indign. leg.Non putavit 8.§. Non quævis, ff. de bon. poſſeſſ. contra tabul.* Mantica *de conject. lib. 3. tit. 3. num. 12.* Fuſarius *de ſubſtit q.476. ſub num. 11. & conſ. 47. num.* Noguerol. *allegat.26. num.79.* 65

Sed contrarium tenendum eſt ex deciſione textus *in leg. Si teſtamentum 8.Cod. de inſtit. & ſubſtit.* ubi ſi aliquis fuerit hæres inſtitutus ſub conditionibus infrà referendis, ſi tamen in teſtamento nihil fuerit adjectum, nec aliquæ appoſitæ conditiones, inſtitutio pura remanet, & valida, prout ex exemplo Papiniani comprobat Imperator *in leg. Si Pater 77.§. fin. ff. de legat.2.* Ergo licèt teſtator dicat Capellanos infra eſse nominandos, ſi verè eos omiſerit, adhuc pœna committeretur, ſi intra annum Capella non fuerit ædificata. Cæterùm licèt Capellanos non nominaverit teſtator, adhuc perfecta eſt ejus voluntas, nempè ut fundetur Capella intra annum, & ſi omiſerint hæredes ſolvant ſexaginta ſcuta. Nam quoties in qualibet cauſa conſtat de perfecta voluntate teſtatoris, conditiones verò, aut alia diſponenda omiſsa ſunt, præſumitur per pœnitentiam teſtatoris eſse omiſsa. Aymon. *conſ. 117. nu. 6.* Ergo licèt in teſtamento non nominaſset Capellanos, adhuc tamen pœna committeretur. Rurſus imperfectio voluntatis non conſideratur, niſi quando teſtator de præſenti volebat ad alia tranſire, non tamen quando perfecta prima voluntate volebat ad alia de futuro tranſire. Bertazolus *conſ.86.n.6.* Menochius *conſ.45.n.28. ad fin.* Eſcaño *d.cap.13. per tot.* In præſenti perfecta erat voluntas fundandi Capellam intra annum, & ſi illa non perficeretur, pœna illa ſolveretur ab hæredibus. Ergo illa neceſsariò eſt adimplenda, licèt non progrederetur teſtator ad nominandos Capellanos. Denique licèt illos non nominaſset, in eorum locum ſubrogantur nominati ab Epiſcopo. Aſt ſubrogati idem operantur quoad pœnæ commiſſionem. Bart. *in l. Multa, ff. de condit. & demonſtr.* Ergo in præſenti pœna eſt committenda. Unde rationes dubitandi remanet reſolutæ. Tenuit Rota coram D. Litta 10. Febr. 1595. Gratianus *diſceptat. tom. 2. cap.220.à.nu.13.* Urrutigoyti *d.cap.16.à nu.155.* 66

Eſt etiam aliud dubium exarandum, an quando teſtator Miſsas in Parochia, aut in Eccleſia Collegiata dicere præceperit, non tamen Capellam deſignaverit ubi dicantur, quibus attingat illam deſignare? Qua in difficultate, ſi ex aliquibus conjecturis conſtare poſſit ubi voluerit teſtator ut dicerentur, in illa Capella ſunt dicendæ, veluti ſi haberet Capellam propriam in illa Eccleſia, vel quando vivebat, habebat ſpecialem devotionem erga aliquam, aut aliqua dona, & oblationes ibidem fecerit, tunc enim Miſsæ ibidem ſunt dicendæ; nam voluntates teſtatorum quando expreſsæ non ſunt, conjecturis libet indagare. Baldus *in l.fin.Cod.de inſtit. & ſubſtit.* Natta *conſ.110. num. 5.* Petra *de Fideicommiſſ. quæſt.9. num. 6.* Rota apud Seraphinum *deciſ. 206. num. 32.* Quapropter ex his conjecturis facilè depromitur, voluiſse teſtatorem in illa Capella Miſsas celebrari. 67

68 Erit ergo difficultas quando nullæ adeſsent conjecturæ. Et prima ſententia aſserit, Capellam non eſse deſignandam ab hæredibus, ſed à Præpoſito, ſeu Rectore Eccleſiæ; nam adminiſtratio Eccleſiæ pertinet ad illos, & conſequenter deſignare Capellam, ubi miſsæ ſunt dicendæ. Praxis Neapolit. *cap.*48.*num.*5. Garcia *in Summa*, *tract.*3. *difficult.*10.*dub.*10.*n.*10.

69 Secunda ſententia dicit, à nullo eſse deſignandam Capellam, nec Altare ubi Miſsæ dicantur, ſed ſufficere in quolibet Altari illius Eccleſiæ adimplere; quia adimpletè patitur voluntati teſtatoris, qui nihil diſpoſuit in qua Capella, ſeu Altari eſsent Miſsæ celebrandæ; quod enim potuit diſponere, & non diſpoſuit, pro non diſpoſito habetur, *l.unica*, §. *Sin autem*, *C.de caduc tollend. d. c. Ad audientiam*, *de Decimis*. Ergo rectè adimpletur ejus voluntas ex eo ſolùm, quod in Eccleſia Miſsæ dicantur, modò in uno, aut altero Altari, ſeu Capella celebrentur. Paſqualigius *de ſacrific.Miſſ.quæſt.*1099.*nu.*3.

70 Hæc ſententia Paſqualigii admittenda eſt quando Miſsæ pro unica vice dicendæ ſunt; ſi tamen fuerit Memoria perpetua Miſsarum, aut illarum fundata Capellania, admittenda eſt prima ſententia, non ex voluntate teſtatoris, qui nihil diſpoſuit, ſed ex bona, & recta adminiſtratione Eccleſiæ, ubi ſunt dicendæ, ne vagè, & abſque determinata Capella celebrentur. Tum ut facilè concipiatur, qui adſint defectus Capellani, ſeu Miſsas adimplentis, ut à Curionibus, & Viſitatoribus emendentur; nam quamvis in hoc Archiepiſcopatu, *conſtit.* 1. *de Teſtament. num.* 12. his defectibus occurſum iri curatum eſt tamen remedium illud in praxi ſuſceptum non eſt, utpotè nimis Capellanis, & Collectoribus oneroſum: idcircò deſignata Capella, ſeu Altari ad Miſsas illas perpetuò dicendas, quando Capellani deficerent, facilè cognoſceretur, quare prima ſententia, ut magis praxi conformis, admittenda eſt.

71 Tandem in capite iſto ſcire oportet, aliquando Capellas iſtas conſtruere obligatos, illas ædificare, aut perficere renuere: & in hoc caſu Eccleſiæ œconomi & Rectores compellere poſsunt eos officio Judicis, ut intra quinquennium ædificent, aut perficiant, ut in Oratoriis decretum eſt *in Auth.de Eccleſiis*, §. *Si quis ædificationem*. Idque de Jure Civili per actionem in factum; nam quamvis de Jure Civili pollicitatio non producat actionem, *l.*1.*in princip. ff. de po.licit.l. Juris gentium* 7.§.*Sed cùm nulla*, *ff. de pactis*, *l.*2.§.*Circa*, *de except.* Vveſemechius *in parat.ad tit.de Pollicit.* Pichardus *in princip. Inſtit.de verb.obligat.nu.*25. Fallit tamen quando qui pollicetur tenetur actione in factum, & cogendus eſt ad aliquid agendum, *l.*1. §. 1. *de Pollicit.* & ita actione in factum erit compellendus ad perficiendam Capellam, ſeu ædificandam. De Jure verò Canonico per puram actionem ad id tenebitur, quia eodem Jure nuda pacta actionem producunt, *cap.*5. *cap. Qualiter* 3. *de pactis*. Et inde eſt, ut pollicens Capellam ædificare, aut reficere, ex actione compellatur. Et ratio eſt, nam de Jure Civili ideò pollicitatio actionem non producit, quia eſt nuda promiſſio, non ad pactum deducta; quapropter tantùm in aliquibus caſibus de jure ſingulari actionem producebat, *l.*1.§.2.*l.Propter* 5.*l.*6. *ff.de Pollicit.* Vveſembechius ubi ſup. num.2. quod cùm de Jure canonico deficiat, inde eſt, ut pollicitatio actionem producat, ex qua qui pollicitus eſt Capellam ædificare, ſeu reficere, poterit compelli, ſeu ejus hæredes, ut proſequitur Urrutigoyti *dict cap.*16. *à n.*178.

CAPUT VIII.

De Altaribus; & elucidantur textus *in cap. Altaria* 31. *cap. Altaria* 32. *de conſecrat. diſt.* 1.

SUMMARIUM.

Altaria conſtruere piiſſimum opus eſt. Traditur definitio Altaris, num. 1.

*De etymologia Altaris tradunt plura Doctores. Sunt neceſſaria in Eccleſia Dei, nu.*2.

De Altarium antiquitate, tam in veteri, quàm in novo Teſtamento, nu. 3.

*Altaria habere ad ſacrificium Miſſæ celebrandum, neceſſarium ſub præcepto eſt obligante ad lethale. Quare Sacerdos celebrans abſque Altari, aut cum notabiliter fracto, graviter peccat, num.*4.

*Altare aliud eſt ſtabile, aliud portatile: & quæ ſint iſta Altaria, & quomodo olim nuncupata, n.*5.

Altaria portatilia in primitiva Eccleſia fuiſſe valdè uſitata, illuſtratur exemplis, nu. 6.

*In primitiva Eccleſia Altaria erant lignea, hodie ſunt lapidea, aliquibus rationibus ita ſuadentibus, à quibus excipitur Pontifex celebrans in Altari ligneo, nu.*7.

*Non eſt neceſſarium, ut totum Altare ſit lapideum, ſed ſola ara; reliquum ex qualibet materia confici poteſt. Immo nec ara eſt neceſſarium ut tota ſit lapidea, ſed ſolùm illa pars ubi imponuntur Calix, & Patena, aut major pars illorum. Scrupulus non eſt habendus, an tota Patena, aut Calix imponantur in ara, necne, num.*8.

*Novatores aſſerentes eſſe inventionem Altare lapideum, refelluntur. Epiſcopus nequit diſpenſare quod Altare non ſit lapideum, ſed ſolùm Pontifex, ex cauſis de quibus ibi, nu.*9.

*Quod etiam valet facere conſuetudo antiqua, n.*10.

De talco, ſeu eſpeguelo, *fieri poſſe aram, dicit Henao, ſed non eſt facilè admittendus, ibid.*

*Figura Altaris debet eſſe quadrangularis. Permitti debet Altare ligneum cum ara lapidea, non obſtante aliqua Synodali, nu.*11.

*Ara nequit fieri ex duobus lapidibus adunatis, nu.*12.

*Altare debet eſſe conſecratum ab Epiſcopo: conſecratio iſta quàm antiquitus, obſervata, nu.*13.

Explicatur textus in cap. Altaria 32. de conſecrat. diſt. 1. *Presbyter nec ex commiſſione Epiſcopi valet Altare conſecrare. Sede vacante, conſecrandum Altare ab Epiſcopo viciniori de licentia Capituli, nu.*14.

Inferior Epiſcopo ex commiſſione Pontificis poteſt illud conſecrare, quod multis privilegiis comprobatur, numer. 15.

*Carpitur Henriquez, & extenduntur privilegia ad Prælatos utentes Baculo, & Mitra, nu.*16.

*An in conſecratione Altaris ſint Reliquiæ in eo includendæ. Prima ſententia affirmat, & id antiquitus uſitatum, num.*17.

*Secunda dicit, Reliquias eſſe imponendas in conſecratione Altaris fixi, non portatilis, nu.*18.

*Tertia aſſerit abſque Reliquiarum impoſitione Altare poſſe conſecrari, n.*19.

Explicatur textus in c. Placuit 26. c. de Fabrica 24. c. Non oportet 19. de conſecrat. diſt. 1.

Dictio Si verò, *eſt adverſativa, & comprehendit eandem materiam, num.*20.

*In ædificatione Eccleſiarum olim Reliquiæ imponebantur, ſed non in conſecratione Altaris, nu.*21.

Reſolvitur Reliquias non eſſe de neceſſitate conſecrationis Altaris, ſed ad melius eſſe. Expenditur S. Thomas. Dictio Quandoque, *idem ſignificat quod aliquando, num.* 22.

*Multa præcipiuntur quæ non ſunt de eſſentia: illa verò de eſſentia ſunt, quæ denotant finem ipſius actus, n.*23.

*Quando Reliquiæ non apponuntur, dicunt aliqui eſſe imponendam particulam Euchariſtiæ: ſed id à Conciliis reprobatum, n.*24.

*Admittitur negativa ſententia, quia id eſſet verus abuſus Euchariſtiæ, n.*25.

*An in conſecratione Altaris ſit fruſtulum corporalis imponendum, affirmavit Hurtado. Negant alteri, & explicantur, n.*26.

Hodie licet Reliquiæ non imponantur, rectè tamen dicitur in introitu Miſſæ. Quorum reliquiæ hìc ſunt, *n.*27.

Sufficit quod ara ſit conſecrata, non verò requiritur, quod totum Altare ſit conſecratum, nu 28.

*Plura Altaria uno die poſſunt conſecrari, olim verò nonniſi unum. Super ſepulturam alicujus nequit Altare conſecrari, ſi verò conſecretur, oſſa, & cineres extrahuntur, n.*29.

An ſit Miſſa dicatur in Altari non conſecrato, remaneat conſecratum. Prima ſententia affirmat, n. 30. *Secunda negat. Conſecratio debet fieri ab Epiſcopo ſub certa forma ab Eccleſia præſcripta, nu.*31. *Tertia dicit, non remanere conſecratum, niſi per æquipollens, n* 32. *Sacerdos celebrans in Altari non conſecrato, peccat graviter, nec remanet conſecratum rituali conſecratione, n.*33.

Du-

*Dubium reſtat, an remaneat conſecratum per æquipollens; Reſpondetur negativè. Lex dans formam ſubſtantialem, irritat contraria. Qui unum admittit, aliud excludit. Refertur revelatio D. Petri, & explicatur, num.*34.

*Altare conſecratum valet exſecrari, & pollui, veluti quando notabiliter frangitur, num.*35.

*Et quæ ſit fractio notabilis, num.*36.

*Reſolvitur eſſe notabilem quando Altare nequit commodè recipere Calicem, nec patenam Eccleſia remanet conſecrata, quamdiu durat ejus major, pars, nu.*37.

*Altare in plures partes diviſum exſecratur, nec ſi partes aggregentur, conſecratum remanet. Limita ſi in duas partes frangeretur, nu.*38.

*An ſi cornua Altaris frangantur, remaneat conſecratum; Aliqui negant, ſed affirmandum, n.*39.

*An per fracturam ſigilli, ſeu ſepulchri. Altare remaneat exſecratum. Prima ſententia affirmat, num.*40. *Secunda negat, nu.* 41.

*Explicatur quid ſit ſigillum, & textus in cap.*1. *de conſecrat. Eccleſiæ, num.*42.

Admittitur ſecunda ſententia, & defenditur, numero 43.

*Fit inſtantia, & reſpondetur, nu.*44.

Conſuetudo admiſſa per errorem non valet, ibid.

*Conſuetudo incerta non admittitur. Doctori aſſerenti de conſuetudine, an credendum. Aliqui affirmant, ſed contrarium tenendum, etiam duo Doctores aſſerant, num.*45.

*Altare remanet exſecratum quando fracto ſigillo ſit incapax continendi Calicem, & Patenam, n.*46.

*Exſecratur Altare per amotionem, & quomodo intelligatur amotio, nu.*47.

Intelligitur quando diſſolvitur Altaris ſtructura, numero 48.

*Quomodo ſit conſideranda amotio ab inferiori ſtructura, explicatur, num.*49.

*Adhuc manet conſecratum Altare, ſi integrum de loco ad locum moveatur, num.*50.

Fit inſtantia, & explicatur textus in cap. Si motum 19. de conſecrat. diſt. 1. cap. Quod in dubiis 3. cap. Ligneis 6. de conſecrat. Eccleſiæ vel Alt. *n.*51.

Altaria aliquando polluntur, & quibus modis, ibid.

Altaribus pollutis, etiam polluitur Eccleſia, n. 52.

*An polluta Eccleſia, Altaria portatilia remaneant polluta, affirmandum videtur, nu.*53.

*Sed contrarium defenditur, nu.*54.

*Altare portatile valet in ſeipſo pollui, nu.*55.

*Hæretici execrantes conſecrationem Altarium refelluntur, num.*56.

Erectio Altarium debet fieri ab Epiſcopo, & ſi in Eccleſia conſecrata erigantur, licentia Pontificis deſideratur. Explicatur caput Quamvis 4. diſt. 88. *n.*57.

Quædam privilegia conceſſa quibuſdam Regularibus, numer. 58.

Quæ extendit ad cæteros Prælatos Paſqualigius, numero 59.

Si Eccleſia non eſt conſecrata, Altare ibidem poteſt erigere quilibet Presbyter, ſed ara ſuperimpoſita, numero 60.

*Altaria nequeant deſtrui abſque licentia Epiſcopi, ſi Eccleſia eſt conſecrata. Idem eſt ſi altare fuerit conſecratum, num.*61.

*Deus graviter caſtigat deſtruentes Altaria, & exemplis illuſtratur, nu.*62.

*Quo in loco erigenda ſunt Altaria, nu.*63.

*Erigens Altare dotare tenetur, niſi Eccleſia ubi erigitur, ſit ſufficienter dotata, n.*64.

*Explicatur, nu.*65.

1 QUàm piiſſimum opus ſit Altaria in Eccleſiis conſtruere, otioſum eſt oſtendere; eſt enim Altare in Eccleſia Dei, menſa ſuper quam conficitur, & offertur Euchariſtiæ Sacramentum, & Sacrificium. Barboſa *de univerſ. jur. lib.*1. *cap.*7. *nu.*1. Unde cognoſcitur, quàm pium ſit erigere Altaria, ubi tam juge Sacrificium quotidie Deo offertur. Tum non ſolùm ex parte exercitii, ſed ex parte ſignificati; quia in quolibet Altari Chriſtus Dominus in præſentatur, cujus eſt menſa veluti Crux & Sepulchrum Domini. Lambertinus *de jurepatr. lib.*1. *p.*1. *q.*11. *n.* 8. Urrutigoyti *de Eccleſ. Cathedr. cap.* 5. *à num.* 137. Hanc ob rem Altaria ædificare piiſſimum eſt opus, ad quod facilè Fideles alliciuntur.

De etymologia Altaris, & unde ita dictum, varia con- 2
gerunt Doctores, Durantius *de rit. Eccleſiæ, lib.*1. *cap.*15. *à nu.*1. Henriquez *in Summa, lib.* 9. *cap.* 28. Suarez *tom.*3. *diſp.*81. *ſect.*3. & 5. Urrutigoyti *de Eccleſia Cathedrali, cap.* 5. *nu.*122. D. Gonzalez *in cap.*1. *de conſecrat. Altaris, verſ. Eccleſiæ, nu.*12. Magiſtris *in Sylva Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 3. *num.*1. In Eccleſia autem Dei neceſſaria ſunt Altaria; nam cùm in veteri Teſtamento ad Sacrificia peragenda fuerint neceſſaria; ſimiliter etiam in Eccleſia Catholica, ubi incruentum Domini Sacrificium quotidie conficitur. Idcircò Optatus Milevitanus rectè contra Donatiſtas ſcripſit *lib.*6. ſic: *Quid eſt Altare, niſi ſedes corporis, & ſanguinis Chriſti: Quid vobis fecerat Deus, qui illic invocari conſueverat? Quid vos offenderat Chriſtus, cujus illic per certa momenta corpus, & ſanguis habitat.*

Altarium antiquitas in Sacris Literis cognita eſt, illa 3
enim extruxere Noe: Abraham, Iſaac, Jacob, & Moyſes, & fuerunt Tabernaculo, & Templo antiquiora. Strabo *de reb. Eccleſiæ, cap.* 1. Similiter Altaria conſtruxere Joſue in Monte Hebal, *Joſue cap.*8. Gedeon, *Judic. cap.*6. Samuel in Ramatha, 1. *Reg. c.*8. Saul in Sabaa, 2. *Reg. cap.* 20. David in Arca, 2. *Reg. cap.*24. Helias in monte Carmelo, 3. *Reg. cap.*18. Joſeph filius Joſedech, 2. *Eſdræ* 5. Judas, *Machab. cap.*2. Juxta vetus Teſtamentum conſtructa fuerunt duo Altaria in Templo: alterum holocauſtorum, in quo holocauſta immolabantur, non verò poſitum in Tabernaculo, ſed in atrio Sacerdotum, ſub die, propter ignem, fumum, & nitrum victimarum; aliud verò thymiamatis, in quo incendebantur thus, & alia aromata ſuaviſſimi odoris. Becanus *in Analogia utriuſque Teſtamenti, cap.* 13. In novo etiam Teſtamento ſtatim uſus Altarium admiſſus eſt, ut probatur ex Matth. *cap.* 5. & 23. Paulo 1. *ad Corinth. cap.*9. & ad Hæbreos *cap.*13. Dionyſio *de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap.*13. Irenæo *lib.*4. *cap.*20. ubi probat Apoſtolos veros fuiſſe Sacerdotes, ſemperque Deo & Altari deſerviiſſe. Idem tradunt Tertullianus *lib. de pœnit.* Gregorius Nazianzenus *orat.*11 D. Auguſtinus *lib.*20. *contra Fauſtum, cap.*21. ibi: *Nulli Martyrum, ſed ipſi Deo ſacrificamus, quamvis in memoria Martyrum conſtituamus Altaria.* Et ibidem: *In Altari corpus Domini offertur, ſanguis Chriſti pro peccatoribus effunditur.* Et idem Auguſtinus *de ſanctis ſerm.*11.

Hinc enim ob neceſſitatem ſacrificandi, & Deo offeren- 4
di juge Miſſæ ſacrificium, in Eccleſia Altaria habere ſub præcepto eſt. Concilium Aquiſgranenſe *can.* 21. Hipponenſe *can.*6. Agathenſe *cap.*14. *cap. Eccleſiæ* 18. *cap. Placuit* 26. *cap. Nullus, de conſecrat. diſt.* 1. Quod quidem præceptum ad lethalem culpam obligat abſque aliquo dubio. Tamburinus *in Method. celebrand. lib.*1. *cap.* 5. *§.* 1. Suarez *de Euchariſtia, diſp.*81. *ſect.*5. *§. ult.* Paſqualigius *de ſacrific. Miſſ. quæſt.* 669. *nu.* 4. aliàs eſſet contra honorem debitum Deo in offerendo ſacrificio, quia oblatio iſta non ſolùm debet fieri ſecundùm lumen naturæ, ſed ſecundùm determinationem Eccleſiæ, quæ modum præſcripſit, quo honorabilibus ſacrificium Deo offerretur. Quod idem eſt dicendum ſi celebraretur in Altari notabiliter fracto, ob defectum conſecrationis, & notabilis irreverentiæ, ut cum aliquibus docet Paſqualigius *d.q.* 669. *n.*5. Quapropter Sacerdos qui abſque Altari celebraverit, vel cum notabiliter fracto, gravem culpam committet, ut dicunt relati, Garcia *in Summa, tract.*3. *difficult.*8. *dub.*3. *punct.*1. *nu.*5. Leander *de Sacram. q.*83. *ar.*2. *dub.*2.

Altarium verò duo ſunt genera, quorum unum dicitur 5
firmum, ſeu ſtabile; aliud portatile, ſeu viaticum, *c. ult. de privil. lib.*6 Firmum, ſeu ſtabile eſt, quod ipſi Altari ſuperimponitur, & in Eccleſia conſecrata nequit imponi, niſi ab Epiſcopo conſecretur, *c. Nullus de conſecr. diſt.*1. Galganetus *de jur. public. lib.*3. *tit* 60. *n.*2. & communiter dicitur tota menſa, in qua integrum Sacrificium fit, prout intelligitur textus *in c. Si motum* 19. *de conſecr. diſt.*1. *c.*1. *de conſecr. Eccleſiæ, ſeu Alt.* Portatile verò eſt, quod de loco ad locum defertur, verùm ab Epiſcopo cõſecratur, *c. In his* 30. *de privilegiis:* quod in Ordine Romano dicitur *Tabula itineraria*, & apud Græcos nuncupabatur *Antimenſia*, ſive *Superaltaria*, ut videre eſt apud Theodorũ Balſamon. *ad can.*31. *Synodi Conſtantinopl.*

in Trullo, *& ad can.* 7. *Synodi VII.* necnon ex aliis Græcis congeſtis à Julio Cæſare Bullengero *can.* 30. *de Templis*. Durantius *de rit. Eccleſiæ*, *lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 7. ubi iſtius Altaris viatici alia nomina congeſſit : de qua diviſione agit Barboſa *de univ. jur. lib.* 2. *cap.* 7. *nu.* 2. Layman *in Summa*, *lib.* 5. *cap.* 6. *tr.* 5. *num.* 3. Henao *de ſacrific. Miſſ. tom.* 2. *diſp.* 24. *ſect.* 1. *num.* 3. Magiſtris *in Sylva Eccleſiaſt. dict. cap.* 3. *num.* 2. Tamburinus *dict. cap.* 5. §. 1. *à num.* 1. alter Tamburinus *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſput.* 23. *quæſt.* 4. *à numer.* 1. Leander *dict. diſput.* 7. *quæſt* 2. Villalobos *in Summa*, 1. *p. tract.* 8. *difficult.* 5. *num.* 2. Laſtra *ad Decret. tit.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 5. *num.* 14.

6 His ergo viaticis Altaribus Primitiva Eccleſia valdè uſa fuit, & ejus Sacerdotes, qui ob tyrannorum perſequutionem in cryptis, & ſpeluncis rem ſacram peragebant, quapropter his viaticis Altaribus frequentius utebantur, facilè de uno ad alium locum amovendis. Illud verò S. Luciani exemplum prætereundum non eſt, qui cùm à tyranno carceri manciparetur, nec Altare etiam portatile haberet, ſupra pectus pro Altari ſacrificabat, ut teſtatur Nicephorus *lib.* 8. *Hiſt. cap.* 31. Baronius *anno* 311. *num.* 7. Quod idem ob graves perſequutiones conceſsum in Concilio Triburienſi, *cap. Conced. mus* 30. *de conſecrat. diſt.* 1. ut in ligneis Altaribus ſacrificium conficeretur. Layman *d. cap.* 6. *num.* 1. *verſ. Altera pars*.

7 Materia verò lapidea communis eſt Altaribus tam ſtabilibus, quàm viaticis; nam licet in primitiva Eccleſia Altaria lignea fuerint ex neceſſitate ſuprà recenſita, attamen à tempore Sylveſtri lapidea inſtituta ſunt, & ad id adeſt præceptum *cap. Altaria* 31. *de conſecrat. diſt.* 1. & in rubricis Miſsalis §. 20. ibi : *Altare in quo Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrandum eſt*, *debet eſſe lapideum*, *& conſecratum*. Id ita conſtitutum eſt ex variis rationibus, quia Chriſtus Dominus Petra dicitur, 1. *ad Corinth. cap.* 10. Tum quia ſignificat ſepulchrum lapideum Chriſti. Ac denique ad imitationem Altarium veteris Teſtamenti ex lapidibus conſtructorum. S. Thomas 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 3. *ad* 5. Henao *d. diſput.* 24. *ſect.* 1. *num.* 4. Durantius *de rit. Eccleſiæ*, *lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 3. Paſqualigius *de ſacrifi. Miſſ. qu.* 688. *à num.* 1. Palao *tom.* 4. *de ſacrific. Miſſ. tract.* 22. *diſput.* 5. *punct.* 9. Urrutigoyti *de Eccleſiis Cadr. cap.* 5. *num.* 132. Attamen excipiendus Summus Pontifex, qui in Altari ligneo celebrat, in quo D. Petrus ſacrificium obtulit, & adſervatur in Eccleſia Lateranenſi. Palao *ubi proximè*, Paſqualigius *d. q.* 668. *n.* 2. Henao *d. ſect.* 1. *n.* 5. D. Gonzalez *in cap.* 1. *de conſecrat. Eccleſiæ*, *n.* 2.

8 Illud verò communiter docent Doctores, non eſſe neceſsarium, ut totum Altare ſit lapideum, ſive ſit mobile, ſive fixum; ſed ſufficere quod Ara ſolùm ſit lapidea, ſeu menſa ſuperior, reliquum verò poteſt eſſe ex alia materia, ſive lignea, ſive terrea, ſive ex cæmento. Immò nec tota Ara neceſſe eſt ut ſit lapidea, ſed tantùm illa pars ſupra quam imponitur Calix, & Patena, dum tamen capax ſit utrumque capere Paſqualigius *dict. quæſt* 668. *à num.* 4. & probabilius abſque aliquo peccato erit dicendum ſufficere, quod capiat majorem partem Calicis, aut Patenæ, quamvis minor ſit extra lapidem: quod ultra Paludanum & alios tenent Suarez *d. diſput.* 81. *ſect.* 5. *diſt.* 2. Coninch *de Sacram. quæſt.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *num.* 139. Paſqualigius *d. q.* 668. *num.* 6. Unde ſequitur, ſcrupulum non eſſe faciendum, an tota Patena, vel Calix ſit intra Aram lapideam? ſufficiet enim ſi major pars ſit intra, & prudenter id exiſtimetur, ut benè docet Villalobos *dict. tract.* 8. *difficult.* 25. *num.* 2. Layman *dict. cap.* 6. *num.* 2. *verſ. Porrò*, Palao *dict. punct.* 9. *nu.* 2.

9 Novatores tamen hæretici qui omnia Sacra evertere conantur, inquiunt novam inventionem eſſe Aram, ſeu Altare lapideum; id enim nec in antiqua Eccleſia uſitatum fuit, nec neceſſarium eſt. Sed tamen contrarium à tempore Sylveſtri uſitatum fuiſſe certum eſt, & poſteà ab aliis Pontificibus rectè decretum, ob myſticas ſignificationes datas ſupra. Tum à SS. Patribus animadverſum, uſitatum, & approbatum eſt, D. Auguſtinus *de Tempore ſermone* 255. Chryſoſtomus *in epiſt.* 2. *ad Corinth. homil.* 20. Gregorius Nyſsenus *orat. de Baptiſm.* Cyprianus *in ſerm. de Unction. Chriſmat.* Unde conſtat inventionem eſſe ex parte hæreticorum, non Catholicorum, cùm hunc morem habendi Altare lapideum à tantis ſæculis habeamus. Bellarminus *de cult. Sanct. lib.* 3. *cap.* 5. *propoſit.* 2. *& de Miſſa lib.* 2. *cap.* 14. *verſ. Jam verò*, Henao *dict. ſect.* 1. *num.* 5. Urrutigoyti *d. cap.* 2. *nu.* 134. Lotterius *de re Benefic. lib.* 1. *q.* 30. *nu.* 21. Idque ita obſervandum, ut à nullo diſpenſari poſſit, niſi à Summo Pontifice. Henriquez *in Summa lib.* 9. *de Miſſa*, *cap.* 18. *verſ. Nec poteſt;* quia hæc non attingunt ſphæram juriſdictionis Epiſcopalis, cùm verè à Summis Pontificibus optimo jure ſint decreta, & nequeunt diſpenſari ab inferioribus, *cap. Inferior* 21. *cap. Cùm inferior* 16. *de Majorit. & obedient.* Fagundez *in præcept. Eccleſ.* 1 *lib.* 3. *cap.* 22. *n.* 3. Paſqualigius *d. quæſt.* 668. *num.* 9. qui ſcripſit, aliquando ob cauſam diſpenſari poſſe præceptum hoc, nempè ſi in aliqua ditione non adeſſent lapides, nec facilè poſſent comparari, aut etiam ob honorem ſacrificii, quando conſtat nobiliorem & excelſiorem adeſſe materiam. Quod & à conſuetudine rectè admiſſa, & præſcripta admittendum eſt, quia hoc præceptum eſt purè Eccleſiaſticum, contra quod prævalet conſuetudo. Paſqualigius *q.* 669. *num.* 2. Urrutigoyti *d. c.* 5. *n.* 143.

Hinc ſi in aliquo Templo aliqua fuerint Altaria non ex 10
duro lapide, ſed ex lateritio, vel ex gypſo, admixto cæmento, antiqua quidem, ubi ſemper Miſſæ fuerunt celebratæ, poterunt tolerari, cùm jam ex antiqua conſuetudine ita fuerit receptum : de novo verò nequeunt talia Altaria introduci abſque expreſſa licentia Summi Pontificis. Paſqualigius *quæſt.* 669. *per tot.* Henao *dict. ſect.* 1. *num.* 6. qui cum Dicaſtillo aſſerit, Aram fieri poſſe, ſeu Altare, ex lapide ſpecillo, vulgò *Talco ò Speguelo*. Sed à cummuni Eccleſiæ præcepto non facilè eſt recedendum; in rebus enim tam gravibus, & ponderoſis, habentibus tantas, & tam myſticas ſignificationes in lapide duro, non eſt facilè admittendus lapis mollis, friabilis, aut in pulverem convertibilis.

Figura Altaris debet eſſe quadrangularis, quia ſic fert 11
uſus : tum eſt accommodatior ad ſacrificium rectè peragendum. Tum figura iſta olim eſt adſervata. Surius *in vita S. Vvalfrimi*, cujus verba dat Henao *dict. ſect.* 1. *nu.* 7. Illud verò obſervavit Barboſa *d.* 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *nu.* 6. non obſtante aliqua conſtitutione Synodali permitti debere Altare ligneum cum Ara lapidea. Urrutigoyti *dict. capit.* 5. *num.* 144.

Ara verò, ſive portatilis ſit, ſive lapidea ſtabilis, ne- 12
quit ex duobus lapidibus, quantumvis connexis, componi; id enim eſſet contra conſuetudinem Eccleſiæ introductam ad denotandam in Chriſto unicam perſonam, ob quam cauſam nequit fieri ex duobus lapidibus, quantumvis connexis, & adunatis. Vaſquez *diſp.* 233. *cap.* 2. *num.* 16. Palao *d. punct.* 9 *num.* 2. Henao *d. ſect.* 1. *nu.* 8. Fagundez *dict. cap.* 22. *num.* 9. Leander *de Euchariſt. tract.* 8. *diſput.* 7. *quæſt.* 5.

Poſtquam verò Altare fuerit conſtructum ex lapidea 13
materia, conſecrandum eſt ab Epiſcopo, ſive fixum, ſive portatile ſit, *cap. Altaria* 31. *cap. Altaria* 32. *de conſecrat. diſt.* 1. *cap. Nullus* 25. *eadem diſt.* Diximus enim *ab Epiſcopo*, quia ab alio hæc conſecratio fieri non valet, *cap. Quamvis* 4. *diſt.* 68. *cap. Quod in dubiis* 4. *de conſecrat. Eccleſiæ*, *vel Altaris*, Lezana *verbo Altare*, *num.* 3. Barboſa *d. cap.* 7. *n.* 13. Hæc verò conſecratio optimo jure admiſsa eſt, quia ſcimus in lege naturæ id adſervatum, ſcilicet Altaris conſecrationem, *Geneſ. cap.* 48. ubi Jacob erexit lapidem pro Altari, & ſuper illud oleum effudit per modum cujuſdam conſecrationis. Idem legitur *Gen. cap.* 35. & in lege ſcripta, *Num. cap.* 7. *Exod. cap.* 40. Eadem etiam conſecratio Altaris obſervata fuit ab initio naſcentis Eccleſiæ, ut deſumitur ex D. Dionyſio *de Eccleſiaſt. Hierarch.* 1. *p. cap.* 5. Tum ratione probatur, nam tam inſigne Sacrificium petit, ut fiat in loco ſacro peculiari deputatione; nam id pertinet ad majorem honorem, & reverentiam illius. Durantius *de rit. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 25. *numer.* 1. Bengeus *de Benefic. de Fundat. Eccleſiar.* 1. *part.* §. 5. *numer.* 1. Layman. *d. cap.* 6. *num.* 4. Garzia *in Summa*, *tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 3. *num.* 10. Bonacina *de Euchariſt. diſp.* 4. *quæſt. ult. punct.* 9. *propoſit.* 1. *num.* 15. de Lugo *de Euchariſt. diſput.* 20. *ſect.* 2. *num.* 67. Palao *dict. punct.* 9. *num.* 3. Beyerlinck *verbo Altare*, *lit. D.*

Sed contrà adeſt textus *in cap. Altaria* 32. *de conſecrat.* 14
diſt. 1. ubi dicitur, Altare eſſe conſecrandum ſacerdotali benedictione. Unde apparet, non eſſe præcisè conſecrandum ab Epiſcopo. Sed tamen textus iſte conſequentiam non probat; eſt enim certum, à nullo conſecrari poſſe niſi ab

Epi-

Epiſcopo; *cap. Miniſtrare* 3. 26. *quæſt.* 6. ibi: *Conſecrare Altare Presbyter non præſumat*. Idque quia conſecratio eſt de gravioribus, & pertinet ad poteſtatem Ordinis Epiſcopalis: quamobrem nec ex commiſſione illius poterit Preſbyter facere conſecrationem, *cap. Cùm aqua* 9. *de conſecrat. Eccleſ. vel Alt.* & Sede vacante facienda eſt ab Epiſcopo viciniori de licentia Capituli. Rodriguez *in Summa*, *tom.* 3. *cap.* 19. *num.* 7. Gavantus *in Mauual. Epiſcop. verbo Altare*, *nu.* 4. Quapropter conſecratio Altaris nequit ab altero fieri, niſi ab Epiſcopo. Nec textus ille probat contrarium; nam pro ſacerdotali benedictione intelligitur Epiſcopalis, quia Epiſcopus antonomaſticè dicitur Sacerdos, & ſic Doctores illa verba interpretantur. Palao *d. punct.* 9. *nu.* 3. Paſqualigius *de Sacrificio Miſſæ*, *quæſt.* 673. *numer.* 2. Pax Jordan. *tom.* 1. *lucubrat. lib.* 5. *tit.* 19. *num.* 15. Bengeus *dict.* §. 5. *num.* 2. Bezerra *de Jure Sacro*, *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 9.

15 Poterit tamen inferior Epiſcopo ex commiſſione Summi Pontificis hanc facere conſecrationem; nam licèt actus iſte ſit Ordinis Epiſcopalis, non eſt tamen de jure divino, ut nequeat fieri ab Ordine Sacerdotali; ſed de inſtitutione Eccleſiæ, ut ſumitur *ex cap. Quamvis* 4. *diſt.* 68. Quamobrem poterit inferior Epiſcopo ex commiſſione Summi Pontificis Altaria, ſeu Aras conſecrare. Et probatur à poſteriori; nam multi Pontifices ſimiles conceſſiones facere non Epiſcopis, prout eſt privilegium Pii IV. 6. Junii 1565. ubi hæc facultas conceditur Ciſtercienſibus Monachis. Aliud eſt etiam conceſſum Abbatibus ejuſdem Ordinis ab Innocentio VIII. 5. Idus Aprilis 1489. Eſt ſimilis conceſſio Gregorii XIV. 28. Junii 1591. facta Abbatibus Congregationis Ciſtercienſium, quod etiam extenſum ad alios Abbates ex indulto Adriani VI. anno 1521. Itidem conceſsum eſt Provincialibus Fratrum Minorum. Rodriguez *quæſt. Regul. tom.* 1. *qu.* 28. *art.* 4. *in fin.* Eſt etiam aliud privilegium Pauli III. 15. Kalend. Novembris 1549. concedens eandem facultatem Patribus Jeſuitis in remotiſſimis à Sede Apoſtolica regionibus degentibus, ubi non adſunt Epiſcopi: quod ad alios Prælatos extendunt aliqui. Unde ex his privilegiis liquidò conſtat, Prælatos inferiores ex commiſſione Pontificis poſſe Altaria, ſeu Aras conſecrare, ut latè probat Garcia *d. difficult.* 8. *dub.* 3. *nu.* 4. Tamburinus *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 23. *q.* 4. Paſqualigius *de ſacrific. Miſſ. qu.* 676. de Lugo *de Euchar. d. ſect.* 2. *num.* 67. Magiſtris *d. c.* 3. *num.* 8. Henao *de ſacrific. Miſſ. diſp.* 24. *ſect.* 2. *num.* 25. Thomas Hurtado 1. *part. reſolut. Mor. tract.* 2. *cap.* 6. *reſol.* 24. *n.* 269. Villalobos *d. difficult.* 25. *num.* 2. *in fin.*

16 Hinc adnotandus eſt Henriquez *de Miſſa*, *lib.* 9. *cap.* 28. *n.* 2. dicens, quod licet Papa committere poſſit hanc conſecrationem Altaris ſimplici Sacerdoti, aſt nunquam commiſit; hoc enim, ex dictis privilegiis refellitur. Eſt ſimiliter obſervandum, quod licèt aliqui Doctorum dicant, Prælatos aliarum Religionum ex his conceſsionibus poſſe Altaria conſecrare ex privilegiis conceſſis Abbatibus; attamen tantùm erunt intelligendi Prælati utentes Baculo, & Mitra: in aliis autem caſibus tantùm uti poterunt privilegio Jeſuitarum, ſi verſentur in remotis, ubi non adſunt Epiſcopi. Paſqualigius *d. q* 676. *à num.* 10. Bezerra *d. cap.* 2. *num.* 10.

17 Eſt tamen dubium, an in conſecratione Altaris neceſſariò ſint reliquiæ includendæ. Prima ſententia affirmat, ita ut ſi aliter fiat, ſit nulla conſecratio. Ducitur *ex cap. Placuit* 26. *de conſecrat. diſt.* 1. ubi aſſeritur, Altaria per agros non eſſe conſtruenda, ubi nullum eſt Corpus, aut Reliquiæ Martyrum. Eſtque etiam textus *in cap. de Fabrica* 24. *eadem d ſt.* ubi ſi Eccleſiæ, ſeu Altaria fuerint deſtructa iterùm eſſe reſtauranda decernitur, & Sanctuaria, & Reliquias eſſe imponendas: ex quibus juribus decerpitur, in conſecratione Altaris Reliquias eſſe imponendas. Eſtque etiam decretum Gregorii Magni *lib.* 9. *epiſt.* 71. ibi: *Sed ipſa, quæ in eis ſunt, idola confringantur, aqua benedicta fiat, in eiſdem fanis aſpergatur, Altaria conſtruantur, Reliquiæ imponantur*. Cæterùm id ex more antiquiſſimo Eccleſiæ probatur, ubi in Altaribus Reliquiæ ſemper imponebantur, ut ex Apocalypſis capite ſexto, ubi Joannes ſcripſit ſe vidiſſe animas occiſorum ſub Ara: quem locum explicans S. Auguſtinus *ſerm.* 11. *de Sanctis*, de viſibili Ara interpretatur, ubi erant Reliquiæ occiſorum: de quo more Durantius *de rit. Eccleſiæ*, *lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 4. Joſephus Vicecomes *vol.* 3. *Obſervat. Eccleſiaſt. lib.* 2. *de antiq. Miſs. ritib.*

c. 27. Bivar. *in S. Joan. Eremit. vindic.* §. 8. Ergo cùm ex more antiquo Eccleſiæ repoſitio Reliquiarum in Altaris conſecratione fuerit obſervata, inde eſt, ut ſi aliter fiat, ſit nulla conſecratio. Denique probatur ex verbis, quæ à Sacerdote proferuntur ſtatim ac ad Altare aſcendit: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hìc ſunt, &c.* Quæ quidem ſupponunt reliquias ibidem adeſſe debere, quando Altare erigitur, & conſecratur. Ergo nulla erit conſecratio, ſi Reliquiæ non adſint. Fuſcus *de Viſit. lib.* 1. *cap.* 21. *nu.* 2. Bonacina *de Euchariſt. diſput.* 4. *q. ult. punct.* 9. *propoſit.* 2. *num.* 14. Barboſa *de univerſ. jur. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 87. Pax Jordanus *d. lib.* 5. *tit.* 10. *nu.* 19. dicit probabile Azorius *Inſt. Mor.* 1. *p lib.* 10. *c.* 7. *q.* 8. Magiſtris *d c.* 2. *n.* 4. Durantius *d. lib.* 1. 25. *nu.* 5.

Secunda ſententia dicit, Reliquias eſſe neceſsarias pro 16
conſecratione Altaris fixi, ſecus verò portatilis; cùm non facilè portarentur. Angelus *verbo Altare*, *nu.* 3. Durantius *de Divinis Officiis lib.* 7. *nu.* 23. dicit probabile Vaſquez 3. *p. diſput.* 233. *c.* 2. *n.* 57.

Tertia ſententia abſolutè tenet, in qualibet conſecratio- 19
ne Altaris, ſive fixi, ſive portatilis, non requirit Reliquiarum impoſitionem: ad id DD. adducunt textum *in c. Concedimus* 30. *de conſecrat. diſt.* 2. qui quidem textus (ut benè conſiderat Henao *d. ſect.* 2. *num.* 15.) aſsumptum non probat. Tum etiam adducuntur alia jura loquentia de conſecratione Altaris, quæ tantùm dicunt, benedictionem Altaris Epiſcopali benedictione faciendam eſſe; nec tamen requirunt Reliquiarum impoſitionem. Ergo quia non ſunt de eſsentia illius conſecrationis. Denique quia licet in aliquibus juribus fiat mentio de Reliquiarum impoſitione, id non dicunt ex præcepto; Ergo Reliquiarum impoſitio in conſecratione Altaris non eſt de eſsentia. Coninch *d. diſput.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *à num.* 241. Hurtado *de Euchariſt. diſput.* 4. *difficult.* 8. Zerola *in praxi Epiſcopal.* 1. *p. verbo Altare*, Valerus *verbo Miſsa, different.* 2. *in fin.* Henao *d. ſect.* 2. *à nu.* 15. Tamburinus *in Method. celebr. lib.* 1. *cap.* 5. §. 1. *num.* 10. Leander *d. tract.* 8. *diſp.* 7. *q.* 6. Diana 11. *p. tr.* 6. *reſp.* 25. *in princ.*

In hoc dubio illud in primis eſt obſervandum, nullum 20
eſse textum probantem aliquam ex his ſententiis. Nam textus *in cap. Placuit*, loquitur contra abuſum aliquorum erigentium Altaria in villis, aut in agris in memoriam Martyrum, ubi nulla aderat memoria certa, ſed fingebatur per inanes revelationes: quæ quidem Altaria everti jubebantur; non verò conſecrata abſque Reliquiis. Eo enim modo *in cap. Non oportet* 29. *de conſecrat. diſt.* 1. alteri prohibentur abuſus quorumdam Clericorum, quia in campis miniſteria portabant, & ibi adminiſtrabant Sacramenta, quibus interdicitur ne id faciant, niſi in Eccleſiis, aut Baſilicis, ubi adſunt Martyrum Reliquiæ. Baſilica, & Altare idem non ſunt, ut inde argumentum fieri poſsit. Nec textus *in d. cap. Fabrica*, quia ibi non agitur de recondendis Reliquiis in conſecratione Altaris, ſed tantùm agitur de conſecratione Eccleſiæ: & nomine Sanctuarii, non intelliguntur Reliquiæ, ſed Altare. Loquitur enim textus ille quando de novo reædificatur Eccleſia, & ponit duos caſus. Primum quando Altaria mota non fuerint; & tunc ibidem celebrari poſſe ait: ſecundum quando fuerunt ablata, & ſic loquitur: *Si verò Sanctuaria quæ habebat, ablata ſunt*; id eſt, Altaria. Sic libet intelligere, non verò Reliquias: & eſt ratio, nam dictio *Si verò*, eſt adverſativa, & comprehendit eandem materiam. Abbas *lib* 1. *conſ.* 63. *in fine*, Alexander *lib.* 6. *conſ.* 139. *nu.* 23. Peregrinus *de fideicom. art.* 16. *nu.* 91. Barboſa *d.* 420. *n.* 2. Idcircò cùm textus ille loquatur de Altaribus, Sanctuaria de his ſunt intelligenda, ut benè docet Henao *d. ſect.* 2. *n.* 17. Paſqualigius *q.* 678. *à n.* 6. Urrutigoyti *d. cap.* 5. *à n.* 168.

Secundò obſervandum, in ædificatione Eccleſiarum 21
olim obſervatum eſſe, ut ſemper Reliquiæ imponerentur. Conſtat id ex allegatis juribus, & eſt decretum VII. Synodi, *can.* 7. Coninch *d. dub.* 2. *à nu.* 241. Idque in odium hæreticorum tunc temporis ſacras imagines è Templis reiicientium, ut ſcripſit Henao *d. ſect.* 2. *num.* 15. *in fin.* Non tamen id fuit neceſſarium in conſecratione Altaris, nec aliquo modo conſtat de hoc præcepto, ut docent Henao *ubi proximè*, Paſqualigius *d. q.* 678. *num.* 11. Garcia *in Summa*, *tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 3. *n.* 7.

Unde in hac difficultate dicendum, bonum eſse in con- 22
ſecratione Altaris Reliquias Sanctorum recondere, ut

ex Decreto Leonis III. oſtendit Beyerlink *verbo Altare, lit C, ſa* 2. non tamen eſt de eſſentia, ac de neceſſitate conſecrationis: idque probatur ex antiquis codicibus Miſſalis, ubi pro rubrica ponitur: *Si reliquiæ non fuerint in Altari, omittatur illa particula orationis, quæ dicitur poſt confeſſionem, ſcilicet: Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic ſunt*. Refert Azorius *d.lib.*10.*c.*7. *q.*8. Unde conſtat Altare poſſe conſecratum, & aptum ad celebrandum, abſque eo quod Reliquiæ ibidem fuerint reconditæ, ut fatetur S. Thomas 3.*p.quæſt.*83.*ar.*3.*ad* 2. ibi: *Quandoque Altare conſecrari cum Reliquiis*. Dictio enim *Quandoque* ſignificat non *ſemper*, ſed *aliquando*, per exceptionem à communi uſu, & regula, *l.Rogo, ff.quando dies legat.ced.l.penult.§.fin.de reb.eor.l.Interdum, ff. de condict.indebit.* Menochius *conſ.*99. *nu.* 187. Si enim in Eccleſia diſpoſitum fuerit, ut Reliquiæ fuiſſent de neceſſitate conſecrationis Altaris, nunquam abſque Reliquiis permitterentur, nec in eis Miſſa celebraretur, quia id eſſet celebrare in Altari non conſecrato. Ergo nullo modo eſt de eſſentia. Cæterùm ab inconvenienti probatur; nam in multis regionibus Reliquiæ non inveniuntur, aut cum magno labore, quod eſſet maximum inconveniens, ſi interim Altaria non conſecrarentur, nec celebraretur Miſſa. Ergo dicendum quod licet bonum ſit in conſecratione Altaris Reliquias apponere, non tamen eſſe de eſſentia.

23 Deinde licet clarum præceptum fuiſſet, ut Reliquiæ in conſecratione Altaris reconderentur, non tamen id probat eſſe de eſſentia illius; multa enim ſunt de præcepto, quæ non ſunt de eſſentia, utpotè quando conſecratur Eccleſia, in cujus conſecratione Miſſa eſt dicenda de præcepto, *cap.Omnis* 3.*de conſecrat.diſt.*1. attamen non eſt de eſſentia. Durantius *de rit.Eccleſiæ, lib.*1.*cap.*24. *num.*8. Et in jure illud eſt ſcitum, ut plura ſub præcepto prohibeantur, quæ tamen facta tenent, *l. Non dubium* 5.*Cod.de legib. cap.Imperialis* 25.*q.*2. Mendoza *de pact.lib.*1.*cap.*4. *à n.*41. Salas *de legibus, ſect.* 8.*n.*19. & ſcripſimus *lib.*2.*cap.*9.*n.*53. Quamobrem licèt clarum fuiſſet præceptum ut Reliquiæ reconderentur in conſecratione Altaris, non inde probatur id eſſe de eſſentia, itaut illis non reconditis annullarerur conſecratio. Tandem illud eſt de eſſentia, quando verba præcepti denotant finem ipſius actus, prout ſunt verba ſubſtantialia Sacramentorum: at in conſecratione Altaris verba denotantia impoſitionem Reliquiarum non denotant finem ipſius conſecrationis; Ergo non ſunt de eſſentia, ſed tantùm ad melius eſſe. Proſequuntur & defendunt Henao *dict. ſect.* 2. *à numer.* 15. Layman *dict.cap.* 6. *à num.* 8. Abbas *in cap.* 1. *de conſecrat. Eccleſiæ, ſeu Alt. num.* 2. Palao *dict. punct.* 9. *num.* 5. Tamburinus *dict. cap.*5. *num.*10. Urrutigoyti *dict.cap.*5. *num.* 167. & hoc jure utimur.

24 In re tamen adnotanda eſt aliquorum ſententia aſſerens, quando non adſunt Reliquiæ in conſecratione Altaris, debere imponi partem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ. Gloſſa *in cap.Placuit, de conſecrat.diſt.* 1. *verbo Reliquiæ*. Hugo *in cap. de Fabrica, eadem diſt.* Durantius *de rit. Eccleſiæ, lib.*1.*cap.*7.*num.* 23. Hoc enim habuit fundamentum, quia narratur, Leonem Papam pro quadam conſecratione dediſſe partem Corporalis, & Euchariſtiæ. Abbas *in cap.* 1. *de conſecrat. Eccleſiæ, num.* 2. Idem refertur de Benedicto VIII. aliàs IX. cum Marchione Mantuæ. Caſtellinus *de certitud. glor. Sanct.* §. 4. Sed harum hiſtoriarum eſt graviſſima incertitudo, quibus annuere non convenit. Poterit tamen fundari ex alio motivo; nam mos fuit antiquorum, ut Euchariſtia ſimul cum mortuis ſepelietur, ut in vita S. Baſilii legitur *not.* 33. *Heriberti Roſweydi*. S. Gregorius *lib.* 2. *Dialogorum, cap.* 24. Baſilius Pontius *quæſt. ſcholaſtica* 2. *cap.* 4. Victores *en el Sol de el Occidente, prælud.*1.*cap.*23.*num.*26. Quamobrem mirum non eſt, ſi etiam pars Euchariſtiæ in conſecratione Altaris reconderetur. Sed mos iſte, utpotè indecens, interdictus eſt in Concilio Carthaginenſi III. *can.* 6. Hipponenſi *can.* 5. Trullano *canone* 83. Antiſſiodorenſi *canone* 12. quare ad rem nihil probat.

25 Idcircò ſententia negant admittenda eſt de qua ab Innocentio III. reſponſum recepit Hoſtienſis, & refertur ad titulum *de Conſecrat Eccleſiæ, vel Alt.*§.*Qualiter, num.* 3. Tum probatur hæc ſententia ab inſtitutione illius Sacramenti, quæ verè fuit ad cibandas animas, & alendas in gratia; non verò ad aliquam conſecrationem Eccleſiæ, vel Altaris. Etlicèt in cuſtodia reverenter reſervetur, *cap. unic.de cuſt. Euchar.* Tridentinum *de Euchar.ſeſſ.*13.*cap.*6. non tamen alium uſum, quàm ad cibum ſpiritualem; quapropter minimè pars Euchariſtiæ eſt recondenda in conſecratione Altaris, quin potius fuiſſet graviſſima irreverentia exponere Euchariſtiam ad certam corruptionem. Henao *d. ſect.*2. *nu.*19. Magiſtris *d.c.*3.*n.*5. Paſqualigius *q.*679. Urrutigoyti *d.c.*5.*n.*164.

De fruſtulo Corporalis imponendo in conſecratione Al- 26
taris, defectu Reliquiarum, eſt aliqua diſceptatio. Affirmavit Thomas Hurtado *tom.*1.*var.tract.*2. *cap.*6. *reſol.* 24. ex facto Leonis Papæ, quod quidem incertum eſt. Tùm quia Corporalia ut Reliquiæ poſſunt exiſtimari, prout veſtimenta alicujus Sancti, quia habent phyſicum contactum cum Euchariſtia. Sed negant Diana 11.*p.tract.*6. *reſol.*25. Henao *d.ſect.*2. *num.*20. dicentes Corporalia non eſſe Reliquias, nec pro talibus poſſe adorari, licet magna reverentia digna ſint. Verùm ſententia Thomæ Hurtado probabilis eſt; nam Reliquiæ reconduntur in conſecratione Altaris ad majorem reverentiam; cùm verò magna reverentia Corporalibus debeatur, ut fatentur Diana, & Henao, inde eſt, ut in defectum Reliquiarum fruſtulum corporalis valeat imponi in Altaris conſecratione.

Interrogabis fortè, an in introitu Miſſæ dicendum ſit: 27
Quorum reliquiæ hic ſunt; cùm jam in deſuetudinem abjerit Reliquias imponere in conſecratione Altaris, præcipuè portatilis. Sed aſſerendum, minimè verba illa eſſe prætermittenda; ſufficit enim de more antiquo impoſitionem earum extitiſſe, vel poſſunt conditionaliter intelligi. Tamburinus *d.cap.*5.*num.*10. Henao *d.ſect.*2.*n.*22. Urrutigoyti *d.cap.*5.*n.*153.

Ad praxim verò animadvertendum, neceſſarium non 28
eſſe, ut totum Altare conſecretur, ſed ſufficere quod benedicatur ritu proprio Ritualis Romani Pauli V. Gavantus *in rubr.Miſſ.cap.*20.*lit.M*, dummodo Ara, quæ in medio reponitur, fit ab Epiſcopo, aut ab alio habente delegationem Pontificis conſecrata. Lotterius *de re benef.lib.*1.*q.*30. *n.*4. Urrutigoyti *d.c.*5.*n.*153.

Poterunt tamen plura Altaria uno die conſecrari, vel in 29
una, aut pluribus Eccleſiis, *cap. Cùm ſis* 5. *de conſecrat. Eccleſiæ, vel Altar.* antiquatus jam nonnullis decernentibus non niſi unum Altare in Eccleſia conſecrandum, *cap. Si motum* 19. *cap. Nullus Presbyter* 25. *cap. Eccleſiæ* 18. *de conſecrat.diſt.*1. Piaſecius *in praxi Epiſcopalis* 1.*p.cap.*6.*n.*7. Paſqualigius *de ſacrif.Miſſ.q.*674. Barboſa *d.lib.*2.*c.*7. *n.*10. Bengeus *d.*§.5.*nu.*3. Urrutigoyti *d. c.* 5.*nu.* 151. Illud verò ſemper obſervandum, nullum Altare erigi poſſe ſupra ſepulturam alicujus defuncti, quin potius ſi de facto erigatur vel conſecretur, oſſa, & cineres ſunt extrahendi, *cap.Cùm oportet* 29.*de conſecrat.diſt.*1. Nam cùm primis temporibus ſupra ſepulchra Martyrum Altaria erigerentur in ſignum honoris, & ſanctitatis, eſſe tribuere aliquam ſanctitatem defuncto, quod non eſt permittendum, ut ſæpiùs declaravit Sacra Congregatio. Gavantus *in Man. Epiſcop. verbo Altare, n.*3. Naldus *in Summa, verbo Sepultura, n.*12. Barb. *de offic. Epiſc.*2.*p.alleg.*27.*n.*27. Paſqualigius *q.*675. *n* 3.

Eſt tamen grave dubium, an ſi celebretur in Altari non 30
conſecrato, remaneat conſecratum. Prima ſententia affirmat, ſive bona, ſive mala fide celebretur; nam ut ſcripſit D. Chryſoſtomus *epiſt.* 2. *ad Corinth.* loquens de Altaribus: *Hoc quidem admirabile eſt, propter ſacrificium, quod ſuper illud imponitur*. Ergo cùm ex eo ſolùm, quod in eo ſacrificetur, remaneat admirabile, ſequitur remanere conſecratum. Cæterùm probatur, nam ſanctitas quam recipit Altare ex conſecratione, conſiſtit in deputatione illa ad Dei cultum, ut loquitur de ſanctificatione Tabernaculi S. Thomas 1.2.*quæſt.*111.*art.*1.*in corpore*. Cùm verò in Altari celebratur, ſuſcipit eandem deputationem ad Dei cultum, & ſacrificium peragendum. Ergo remanet conſecratum. Henriquez *de Miſſa, l.*9.*cap.*27. *num.* 6.*in fin.* Sà *verbo Eccleſia, num.*19. Garcia *d.tract.*3. *difficult.* 8. *dub.*3. *nu.*6.*in fin.* Caſtrus *de lege pœnal. lib.* 2. *cap. ult.* Perſicus *de offic.Sacerdot. lib.*1. *dub* 6. *num.* 61. Paſqualigius *deciſ.* 45. *per totam*, Delbene *de Immunit. cap.* 2. *dub.* 2. *ſect.* 11. *num.*5.

Secunda ſententia tenet contrarium, nam conſecratio 31
Altaris continet certam formam, & ſolemnitatem ab Eccleſia præſcriptam, de qua ſcripſere Selva *de Beneficiis*, 1.*p.quæſt.*9.*à num.*101. Azorius 1.*part.Inſtit.lib.*10.*cap.*27.

quæſt.

*q.*12. & relati à Bonacina *de Euchariſt. diſp.*4. *ſect. ult. punct.* 9. *num.*14. quia non obſervata, nulliter proceditur. Ergo etiamſi Clericus in Altari non conſecrato celebraverit, conſecratum non remanebit. Deinde conſecratio iſta debet fieri ex jure ordinario ab Epiſcopo, aut ab alio facultatem habente, ut dictum eſt, & conſonant Concilium Hiſpalenſe II. *c.*7. Bracharenſe I. *c.*19. Agathenſe *can.*43. Metenſe *c.*5. Meldenſe *c.*44. S. Damaſus Papa IV. *epiſt.*1. Felix Pontifex IV. *epiſt.*1. Ergo abſque legitimo Miniſtro nequit relinqui Altare conſecratum, etiamſi ibidem celebretur. Deinde in dubio, quando non conſtat Altare eſſe conſecratum, etiamſi in eo fuerit celebratum, reconſecratur, *cap. Eccleſiæ* 18 *de conſecrat. diſt.*1. *cap. Quod in dubiis* 3. *de conſecrat Eccleſiæ, vel Alt.* Ergo quia non remanet conſecratum ex eo quod in eo fuerit celebratum. Navarrus *in Man. c.*27. *n.*56. Azorius *d. lib.*10. *c.*26. *qu.*12. Layman *in Summa, lib.*5. *tract.*5. *c.*15. *n.*13. Suarez *de Euchariſt. diſput.* 81. *ſect.*7. *verſ. Alia autem fama*. Quartus *in rub. Miſſ.*1. *part. tract.* 20. *dub.* 4. de Lugo *de Euchar. diſput.* 20. *ſect.* 2. *numer.*62.

32 Tertia ſententia aſſerit per celebrationem Altare non ſuſcipere illam ſanctitatem legalem, ſeu ritualem, quam recipit ex conſecratione, ſed quod æquipollenter ſanctificatur, & deputatur ad uſum Sacrificii. Prima pars probatur apertè ex fundamentis ſecundæ ſententiæ. Secunda probatur, nam ut docet Delbene *dict. ſect.* 11. *num.* 5. per celebrationem magis deputatur Altare cultui divino, quàm per ceremonialem conſecrationem. Ergo per æquipollens ſanctificatur, & deputatur ad uſum Sacrificii. Paſqualig. *de ſacrif. Miſſ. q.*683. *à nu.*6.

33 In hoc dubio illud eſt certum, quod ſi Sacerdos mala fide in Altari non conſecrato, aut polluto celebraverit, gravi ſacrilegii culpa coinquinatur, *cap. fin. de conſecrat. Eccleſiæ, vel Altar.* ubi DD. Delbene *d. ſect.*11. *n.*8. & ſupra diximus nos. Aſt verò quoad conſecrationem Altaris dicendum, rituali conſecratione non manere conſecratum per celebrationem, ut conſtat ex Innocentio III. *lib.* 1. *epiſt.* 357. cujus verba dat Paſqualigius *q.*683. *n.*4. ubi conſtat ex revelatione D. Petri Altaria ejuſdem Eccleſiæ; in quibus quampluries erat celebratum, adhuc D Petrum præcepiſſe conſecrari, & ex ſua parte intimari Summo Pontifici ſuo ſucceſſori. Unde apertè conſtat nullo modo conſecrata remanſiſſe ex ſola celebratione rituali conſecratione.

34 Erit ergo dubium, an ex ſola celebratione ira remaneant Altaria ſanctificata, & deputata ad uſum ſacrificii, ut rectè abſque aliqua culpa poſſit iterum, atque iterum ſuper eis celebrari? Et negativè reſpondeo ex aliquibus inconvenientibus recenſitis à Cardinali de Lugo *dict. ſect.* 2. *nu.*62. Cæterùm præceptum Eccleſiæ celebrandi in Altari conſecrato rituali conſecratione, nequit adimpleri per æquipollens, quando modus eſt præſcriptus, & deſignatus ab Eccleſia ſpecialiſſimis ritibus deputantibus Altare ad ſacrificium; quando enim lex præſcribit formam ſubſtantialem acta in contrarium fiunt irrita & nulla, nec ſupplentur per æquipollens, *l. Non dubium* 5. *Cod. de legibus*. Alphanus *collect.*27. Anguianus *de legib. lib.*3. *controv.*7. *num.*21. Salas *de legib. quæſt.*96. *tract.*14. *diſp.*15. *ſect.*8. *num.*16. Farinacius *in fragment. crim. lit. L. num.*170. Ergo ſi conſtet Altare non eſſe conſecratum, ex ſola celebratione non ita erit ſanctificatum, ut poſſit iterùm abſque culpa gravi in eo celebrari. Confirmatur, nam Eccleſia præſcribendo hanc certam formam conſecrandi Altaria, excludit alium modum conſecrandi, etiam per æquipollens, *cap. Nonne* 5. *de præſumpt.* Thomaſſetus *regul.* 148. Menochius *de Arbitrariis, caſu* 37. *num.* 22. Pichardus *in princ. Inſt. de exhæred. liber. num.*10. Ergo licet Altare aliquo modo ſanctificatum remaneat per celebrationem, non tamen eo modo, ut præſcribitur ab Eccleſia, quamobrem nequit in eo celebrari abſque gravi culpa. Deinde licèt Altare in quo celebratum eſt, maxima reverentia ſit habendum, non tamen tenet illam ſacram prævium deputationem, quam dat ritualis conſecratio. Ergo minimè in Altari illo poterit celebrari iterùm abſque gravi culpa, cùm adhuc revera ſit diſſecratum, ut loquutus eſt D. Petrus in revelatione relata ab Innoc. III. ibi: *Sciat ergo quod in mea Eccleſia pauca ſunt Altaria conſecrata. Unde contigit, quod in Altaribus diſſecratis divina Myſteria celebrentur.* In his enim Altaribus multoties erat celebratum; attamen dicit diſſecrata eſſe, & conſecranda, ut rectè in eis celebretur. Ergo abſque culpa in eis non poteſt celebrari: quod & admittunt plures Doctores. Sayrus *lib.*5. *de cenſur. cap.*16. *n.*11. Fagundez *in* 1. *præcept. Decalogi, lib.*3. *cap.*21. *num.* 15. Fauſtus *de Euchariſt. lib.*2. *quæſt.*238 Franciſcus de Lugo *lib.*5. *de Sacram. Euch.* 1. *p. c.*5. *n.*5. Ergo ex ſola celebratione non ſunt conſecrata, & in eis nequit celebrari abſque gravi culpa.

Prætereà Altare licet conſecratum ſit rituali conſecra- 35
tione, adhuc exſecrari valet, & pollui, itaut Miſſa in eo celebrari non poſſit: idque duobus modis evenire ſolet. Primò per fractionem, nempè quando notabiliter frangitur, itaut in parte integra nequeat Calix, ſeu Patena contineri, *cap.*1. *cap. Quod in dubiis* 3. *cap. Propoſuiſti* 4. *cap. Ligneis* 6. *de conſecrat. Eccleſiæ, verbo Altare*. Pekius *de reparand. Eccleſiis, cap.* 37. & 38. Vigelius *in Method. Jur. Canon. lib.* 4. *tit.* 14. Murga *Diſquiſit. Moral. tom.*1. *tract.*2. *diſp.*6. *per tot.*

Sed quæ ſit fractio notabilis, aut Altare exſecratum di- 36
catur, variæ ſunt ſententiæ. Aliqui dicunt eſſe notabilem fracturam, quando eſt ultra dimidium. Alteri quando eſt tanta, ut apparet deformitas Altaris, & in dubio ſtandum determinationi Epiſcopi. Alii dicunt eſſe notabilem fracturam, quando Altare amittit formam, quod cum aliqua limitatione admittit Paſqualigius *quæſt.* 689. *à num.*5. qui aliorum ſententias refert.

Sed tamen ex communi ſententia dicendum, notabilem 37
eſſe fracturam, quando Altare nequit commodè capere Calicem, ſeu Patenam: ſi autem poteſt, adhuc conſecratum remanet. Ratio eſt, nam adhuc commodum eſt ad Sacrificium Miſsæ peragendum. Tum remanet cum forma Altaris. Ergo conſecratum remanet. Denique probatur ex deciſione textus *in cap. Eccleſiis* 21. *de conſecrat. diſt.*1. Unde communiter percipiunt Doctores, Eccleſiam conſecratam remanere, quando illius major pars confracta, aut diruta non eſt. Cabaſsutius *in Thoria Jur. Canon. lib.*5. *cap.*21. *n.*5. quod idem eſt dicendum de Altari, quando major pars remanet commoda ad capiendum Calicem, & Patenam. Bonacina *d punct.*9. *nu.*15. Palao *tract.*12. *diſp. unica, punct.*9. *nu.*7. de Lugo *diſp.*20. *ſect.*2. *num.*67. Henriquez *dict. lib.* 9. *cap.*28. *verſ. Non licet*, Layman *lib.*5. *tract.*5. *cap.*6. *n.*3. Henao *d. diſp.*24. *ſect.*3. *num.*32. Tamburinus *d. cap.*5. *num.*12. Bezera *de Jur. Sacro, lib.*1. *cap.*3. *n.*12.

Hinc ſequitur, quod ſi Altare in plures partes frangatur, 38
notabilis eſt fractio, quia perdit formam Altaris: nec etiamſi partes iliæ frangantur, & poſteà per aggregationem uniantur, conſecratum remanebit, nec in eo celebrari poterit. Unde non eſt admittendus Llamas 3. *p. Method. c.* 5. §. 16. contrarium tenens, ut benè expendit Henao *dict. ſect.*3. *num.*31. Verùm ſi in duas partes frangatur, nec aliquo modo dimoveatur, adhuc conſecratum remanet; homo enim, licèt vulneratus, homo eſt. Paſqualigius *quæſt.* 689. *nu.*10.

Si verò Altare ſit conſecratum, & ejus cornua fran- 39
gantur, aſserunt aliqui exſecratum remanere, quia cùm totam conſecrationem totum Altare accepiſset, cornuis fractis deficit conſecratio. Sed verius eſt contrarium, quia licèt cornua illa fuerint conſecrata, totum tamen Altare fuit etiam conſecratum, id quod adhuc ſit pars quæ commodè capiat Calicem & Patenam, remanet conſecratum, nec fractura illa eſt notabilis. Palao *d. punct.*9. *num.*8. Secus tamen dicendum, ſi cornua ſint notabiliter fracta, itaut major pars Altaris deficiat, de Lugo *d. ſect.* 2. *num.* 75. Layman *dict. cap.* 6. *num.* 3. Bezerra *dict. cap.*3. *num.*12. Tamburinus *dict. cap.*5. *nu.* 14. Paſqualigius *quæſt.* 690. *per tot.*

Eſt dubium, an per fractionem ſigilli, ſeu ſepulchri, 40
Altare exſecratum remaneat. Prima ſententia affirmat: ducitur *ex cap.*1. *de conſecrat. Eccleſiæ, vel Altaris*, ubi dicitur, lapidem cum ſigillo fructum, exſecratum remanere. Unde videtur ad naturam conſecrationis requiri ſigillum, quod ſi frangatur, amittetur, & Altare exſecratum remanebit. Cæterùm ſigillum, ſeu ſepulchrum, ubi Reliquiæ reconduntur, ſunt de eſſentia conſecrationis, in plurimorum ſententia. Quapropter facto ſigillo Reliquiarum, deficit res eſſentialis ipſius conſecrationis, & conſequenter conſecratio, & remanet Altare exſecratum. Henriquez *d. lib.* 9. *cap.*28 *n.*1. *verſ. Si lignea.* Vivianus *in ration. Jur. Can. lib.* 3. *tit.*40. *c.*1. Azorius *dict. lib.*10. *cap.*27. *quæſt.*12. Miranda

in Man.Prælat.tom.2.q.39.num.2. concluſ.2. Magiſtris *dict. cap.3.num.4.* Pax Jordanus *lucubr.tom.1.lib.5.tit.10.num.5.* Barboſa *de offic.Epiſcop.2.p alleg.27.num.25.* Layman *d.c.6. num.3.*

41 Secunda ſententia tenet contrarium, nam in jure duo ſunt modi amittendi conſecrationem, nempè quando Altare frangitur, aut amovetur, *cap.3. & 4. de conſecrat Eccleſiæ, vel Altar.* ubi explicat Altaſerra *cap. Quod in dubiis 6. eodem tit.* qui quidem modi verſantur circa tabulam, non verò circa ſigillum. Ergo ex fractione ſigilli minimè Altare exſecratum remanebit. Cæterùm licet deſtruatur, & frangatur ſigillum, attamen Altare cum ſua forma remanet. Ergo debet remanere cum ſua conſecratione. Quartus *in rubric.Miſſal.1.p.tit.20. dub.5. in fin.* Tamburinus *d. cap.5.num.15.* Sà *verbo Altare, num.1.* Coninch. *d.qu.83. art.3.dub.2.nu.140.* de Lugo *d.diſp.20.ſect.2.n.75.* Paſqualigus *de Sacrific.Miſſ.qu.691.à nu.4.* Bezerra *de Jur.Sacro, lib.1.cap.3.nu.13.*

42 In hoc dubio obſervandum, olim adſervatum Reliquias recondere in conſecratione Altaris, ut dictum eſt, quod hodie non adſervatur, ut ultra allegatos tenet Trullench *de Sacrament.lib.3. cap.8. dub.16. num.3.* Locus verò ubi erant reconditæ, ſigillum, ſeu ſepulchrum dicebatur. Coninch *dict. num.140.* Bengeus *dict. §.5. num.5.* Verum ad rem, ut ex fractione ſigilli exſecratum Altare relinqueretur, nullus eſt textus difficultatem elidens; nam *cap.1. de conſecrat. Eccleſiæ, vel Altar.* quem adducunt Doctores primæ ſententiæ, non loquitur de fractione ſigilli, ſed de fractura tabulæ conſecratæ, cujus totali fractione remanet Altare exſecratum, ut patet ex litera, & obſervant Coninch *dict.num.240.* Layman *dict.cap.6.num.9.* Palao *dict. punct.9. num.6.* Paſqualigus *dict.qu.691. num.6.*

43 Idcirco admitto ſecundam ſententiam, & ultra fundamenta recenſita probatur; nam conſecratio non perditur, niſi deperdita, & deſtructa re conſecrata, Cùm ergo Altare in ſua forma remaneat, per fracto ſigillo ubi ſunt Reliquiæ, non remanebit exſecratum. Tum in ſententia illa, quam ſupra amplexati ſumus, Reliquiarum impoſitio in conſecratione Altaris non eſt neceſſaria, nec earum ſigillum. Ergo fracto ſigillo non exſecrabitur Altare, utpotè fracta re non neceſſaria.

44 Sed dices, quamvis de jure fracto ſigillo non tollatur conſecratio, attamen ex conſuetudine Altare ut exſecratum habetur, ut teſtantur Layman. *d.cap.6. nu.9.* Palaus *dict.punct.9.nu.6.* Uſus verò, & conſuetudo format jus, & pro jure habetur, *l.De quibus 32. ff.de legib. cap. fin. de conſuetudin* Creſpi *obſervat.1. num.162.* Ergo ſaltem ratione uſus, ſeu conſuetudinis Altare remanebit exſecratum. Reſpondetur, quod licet uſus, & conſuetudo illa fuiſſet certa, originem tamen habuit à textu *in cap.de conſecrat. Eccleſ.vel Alt.* perperam intellecto; unde conſuetudo iſta fundatur in errore, & nullam vim habet, *l.Quod non ratione, ff.de juriſdict. omnium Judic.* Rota coram Coccino *in una Trevienſi Abbatiæ*, Junii 1625. Sanchez *in ſelect.diſp. 54.num.33.* Rota apud Seraphinum *dec.1190. num.2.* Antonius Monachus *dec. Lucenſi 59. num.10.* idcircò nequit admitti talis conſuetudo. Paſqualigus *d. qu.691. numero fin.*

45 Rurſus conſuetudo iſta incerta eſt, nam Palaus enim excepit à Laymano, ut conſtat *d.n.6. in fin.* Unde devenimus ad quæſtionem illam, an Doctori credendum aſſerenti de conſuetudine? de qua Cevallos *com.opin.q.1.* Pareja *de edit. inſtr.1.p.tit.2.reſ.2.n.53.* Gratianus *dec. March.139. num.6.* Rodulphinus *var.lib.2.q.51.n.28.& 29.* Verum credo, non omninò adhibendam eſſe fidem Doctori aſſerenti de conſuetudine, ſed tantum aliquam facere præſumptionem, quia licet Doctores graves, & periti in iis quæ juris ſunt, poſſint calculum ferre, non verò de conſuetudinibus tantùm factum continentibus in quibus facilè decipi poſſunt: idcircò nec unus, nec plures Doctores aſſerentes de conſuetudine, ſunt credendi, niſi aliter de ea conſtet, *l.2. ff.de juris, & fact. ignor. vl.1. C. quæ ſiunt longa conſuetud.* ubi Baldus & Jaſon *num.89.& 90.* Decius *conſ.142.num.5.* Felicianus *de cenſib.lib.3.c.3.nu.3.ad medium*, Vela *differt.15. num.39.* Ergo in præſenti Layman, & Palaus facilè non ſunt credendi affirmantes de conſuetudine, ut ex ſola fractione ſigilli Altare remaneat exſecratum, maximè cùm interdictum ſit Altare ſacratum iterum conſecrare, *cap. Eccleſiæ 18. de conſecrat. diſt.1.* Bengeus *d.§.5. num.4.*

Eſt tamen caſus, quando ex fractione ſigilli Altare exſecratum relinquatur, nempè ſi indiſtinctum ſit ab Ara, vel à menſa lapidea, & ita affixum, ut fracto ſigillo, ara, ſeu menſa non poſſet capere Calicem, & Patenam; tunc enim exſecratum remanet Altare plus ex incommoditate celebrandi, quàm ex fractione ſigilli. Henao *d.ſect.3.nu. 33.* prout ſi additamenta Altaris frangerentur, itaut celebrari non poſſet ſecus è contra, ut latè Paſqualigus *q.692. per tot.* 46

Secundo etiam modo amittitur conſecratio Altaris nempè per amotionem, *cap.ſi motus 19. de conſecrat.diſt.1.c.1. cap.Quod in dubiis 6.de conſecrat.Eccleſiæ,vel Alt.* Sed quomodo intelligenda ſit iſta amotio, diſſentire videntur DD. nam aliqui dicunt, per illam amotionem amitti conſecrationem, per quam mutatur forma Altaris. Gloſſa *in d.c. ſi motum, verbo Altare.* Alteri verò aſſerunt conſecrationem per illam amotionem amitti, per quam partes Altaris invicem diſſolvuntur, & una ſeparatur à toto, utpotè ſi menſa removeatur ab inferiori ſtructura. Sic reſolvunt Henao *d.ſect.3.n.34.* de Lugo *d.diſp.20.ſect.2.n.70.* Hurtado *de Euchariſt.diſp.4.difficult.8.verſ.Sed quæres*, Palao *d. punct.9.n.2.* Bezerra *d.c.3.n.12.* Barboſa *d.c.7. n.23.* Leander *de Sacram.tract.8. diſp.7.q.3.* 47

Sed ut benè conſiderat Paſqualigus *de Sacrific. Miſſ.qu. 686. n.3.* ſententiæ iſtæ non adverſantur, quin potius non differunt; nam amovere per partes, aut quod una ſeparetur à toto Altari, revera nihil aliud eſt, niſi amotio, per quam perditur formalis ſtructura Altaris. Ergo minimè differunt ſententiæ illæ. 48

Quando verò ſolùm amotio eſt ab inferiori ſtructura, aliqua ſunt conſideranda, ut conſecratio amittatur; nam ſi baſis ubi Altare repoſitum eſt, fuerit lignea, ex eo quod menſa ab ea amoveatur, non amittit conſecrationem, quia ſolùm eſt menſa conſecrata, cùm baſis lignea nequeat conſecrari, *capit. Altaria 31. de conſecrat. diſt.1.* Idem eſt dicendum licèt inferius ſuſtentamentum, ſeu baſis ſit lapidea, & ſeorſim conſecratur menſa; tunc enim per amotionem adhuc menſa remanet conſecrata, quia neceſſarium fuiſſet, ut totum Altare ſimul cum baſi conſecraretur, ut per amotionem ab inferiori ſtructura exſecraretur. Garcia *in Summa, tract.3. difficult.8. dub.3. punct.1. nu.6.* Henao *d.ſect.3 nu.34.* Tamburinus *d.c.5.§.1.nu.16.* Paſqualigus *d.q.686.à nu.5.* 49

Illud verò citra dubium ab omnibus Doctoribus admiſſum eſt, ut minimè amittatur conſecratio, ſi integrum Altare de loco in locum amoveatur; tunc enim nulla datur diſſolutio partium illius, ut amittatur conſecratio. Suarez *d. diſp.81. ſect.51. verſ.3.additur.* Henao *d.ſect.3.num.35.* Fuſcus *de viſitat. lib.1.cap.22.num.2.* Pax Jordanus *d.lib.5. tit.10.n.50.* 50

Sed inſtabis ex deciſione textus *in cap. Quod in dubiis 3. cap.Ligneis 6.de conſecr.Eccleſ.vel Alt.* ubi ad exſecrationem Altaris ſolùm requiritur amotio: Ergo ſufficiet, etiamſi integrum Altare amoveatur. Sed reſpondendum, jura allegata, & textum *in cap.Si motum 19. de conſecrat.diſt.1.* non eſſe intelligenda de aliqua motione locali, quando integrum altare amovetur. Henao ubi proximè, *nu.39.* ſed de amotione cum diſſolutione partium, itaut non remaneat forma Altaris, nec commodè ſacrificium ſuper eo poſſit confici. Paſqualigius *dict. q.687. à num.3.* Unde cum eodem Paſqualigio *q.688.* contra aliquos aſſerendum, diſſolutionem, & amotionem Altaris ſufficere ad illius exſecrationem, quando deſtruit formam, tenet Delbene *de Immunit.cap.2.dub.2. ſect.15.n.2.* 51

Ultra exſecrationem Altaria aliquando poſſunt pollui, & indigent reconciliatione, ſcilicet quando polluitur Eccleſia per homicidium, ſanguinis, vel ſeminis effuſionem, vel per ſepulturam infidelis, aut excommunicati, *cap. Eccleſiis 3.diſt.68.cap.Eccleſiis 20.de conſecrat.diſt.1. cap. Propoſuiſti 4. de conſecr. Eccleſiæ, vel Altaris*, de quo Azorius *1.par.Inſt.lib.10.cap.26.qu.13.* Bezerra *dict.cap.3. num.14.* Delbene *de immunit. cap.2. dub.2. per tot.* Decianus *tract. crim.lib.6.cap.24.à numer.36.* Barboſa dans plures *2. par.alleg.28.à num.30.* Henao *dict. diſput.24. ſect.4.* Paſqualigius *de Sacrific.Miſſ. tract.1.de pollut. Eccleſiæ, à qu.539.* Tunc enim etiam polluta Altaria cenſentur. Si tamen Altare polluatur, etiam corpus Eccleſiæ eſt pollutum. Delbene *dict. cap.2. dub.2. ſect.15. num.1.* Lezana *verbo Altare, num.* 52

*num.*21. Azorius *d.lib.* 10. *cap.*20. *qu.*7. Pax Jordan. *dict.lib.* 5. *tit.*10. *num.*55. Barboſa *de univerſ.lib.*2. *cap.*7. *num.*23. Et ratio eſt, nam pollutio conſiſtit in actu irreverentiali contra ſanctitatem loci, & ideò non ſolùm afficit ipſum locum, verùm ſe extendit ad omnes partes inſeparabiles illius, prout eſt Altare fixum; & Altari fixo polluto, ſe extendit ad omnem Eccleſiam. Henao *dict. ſect.*4. *nu.* 51. Barboſa *in cap.*1. *de conſecrat. Eccleſiæ, vel Altar. numer. fin.* Franciſcus de Lugo *de Sacrament. lib.*5. *cap.*7. *quæſt.* 3. *num.*31.

53 Eſt tamen aliquod dubium, an polluta Eccleſia, polluta remaneant Altaria portatilia in ea exiſtentia; Et affirmandum videtur, nam irreverentia illa facta loco, etiam videtur facta Altaribus viaticis, ut admittit Pax Jordanus *dict.lib.*5. *tit.*10. *num.* 56. quando Altare portatile reperiretur incluſum in menſa alicujus Altaris, firmatum plumbo, aut alia materia. Ergo polluta Eccleſia, etiam Altare portatile polluetur.

54 Sed tamen contrarium eſt tenendum; nam ut diximus ſuprà, polluta Eccleſia, ſe extendit pollutio ad Altaria fixa, ut inſeparabilia: portatilia verò ſunt ſeparabilia. Ergo ad ea nequit extendi pollutio, Sylveſter *verbo Altare*, *nu.*7. Tabiena *eodem verbo*, *n.*9. Abbas *in cap.* 4. *de conſecrat. Eccleſiæ*, *vel Alt.num.*4. Pax Jordan. *dict.tit.*10. *n.*55. Paſqualigius *quæſt.*697. *num.*3. qui *num.*5. idem tenet, etiamſi Altare plumbo, vel alia materia adhæreat menſæ alterius, quia fixio illa non eſt facta publica authoritate ex vi conſecrationis, quare ex ſola fractura pollutum non remanebit. Henao *dict.ſect.*4. *num.* 52.

55 Aſt illud obſervandum, poſſe Altare portatile, vel fixum in ſeipſo pollui, veluti quando ſanguinis, vel ſeminis effuſione macularetur, ut tenet Layman *d.cap.*6. *nu.*10. Henao. *d.ſect.*4. *nu.*52.

56 Hucuſque egimus de conſecratione, & exſecratione Altarium, de quibus perridentur hæretici, quaſi de re vana, & ſuperſtitioſa, & gratiæ Dei expertes, ut docuerunt Calvinus, & Magdeburgenſes *cent.*4. *cap.*6. Sed tamen eorum error facilè revincitur ex uſu antiquiſſimo Eccleſiæ, tam in lege naturæ, & ſcripta, quàm in lege gratiæ, ut ex multis Scripturę teſtimoniis probavimus ſuprà, & recenſet Beyerlink *verbo Altare*, *lit.G.& H.* Tum & honor, & authoritas tanti Sacrificii ſimilem ſacrationem petit in loco, ubi eſt peragendum. Turrianus *lib.*2. *Canonibus*, *cap.*19. Bellarminus *controverſ.lib.*3. *cap.*5. D. Gonzalez *in cap.* 1. *de conſecrat.Eccleſ.vel Alt.n.*13.

57 Prorſus in re diſquirendum, à quibus poſſint erigi Altaria fixa, ut ibi celebretur Miſſa. Qui enim hoc opus pium conficere vellet, non per ſe, & authoritate propria valet Altaria erigere, vel transferre; recurrere enim debet ad Epiſcopum illius loci, ad quem pertinet Altaria erigete, ſeu transferre, *cap. Quamvis* 4. *diſt.* 68. Leo Pontifex *epiſt.* 86. aliàs 68. *ad Epiſcopos Germaniæ*, *cap. Nullus* 25. *de conſecrat.diſt.*1. Hoc tamen limitat Gloſſa *in d.cap. Quamvis*, ad Eccleſiam conſecratam, quia id ſolùm valet fieri ab Epiſcopo. Attamen textus *in d.cap. Quamvis*, abſolutè loquitur, & denegat Presbyteris, & Corepiſcopis Altarium erectionem: quod non ſolùm intelligere libet in Eccleſia conſecrata, ſed etiam in benedicta. Paſqualigius *q.* 681. *num.*3. In Eccleſia enim conſecrata ad erigendum Altare, non ſolùm licentiam Epiſcopi eſſe neceſſariam, ſed Summi Pontificis, ex aliquibus juribus deducit Barboſa *de univ. lib.*2. *cap.*7. *nu.*12.

58 Abbatibus Ciſtercienſibus privilegium conceſsum eſt ab Innocentio VIII. 5. idus Aprilis, anno 1489. ut poſſint Altaria erigere in propriis locis, erecta transferre, & deſtruere; eſtque Conſtitutio 343. *num.*2. *Bull. Caſſin.* ibi: *Ac Altaria de novo conſtructa, ſeu translata, aut mutata, in quibuſlibet locis ſui Ordinis, Chriſmate ſacro priùs ab aliquo Antiſtite recepto, conſecrare.* Quod quidem privilegium extendendum ad alios Abbates eiſdem privilegiis communicantes. Julius II. conceſſit Abbatibus Congregationis Caſſinenſis, ut poſſint Altaria erigere, & transferre irrequiſito Conventu, de quo alia adducit privilegia Cruz *de Regul. privileg. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. Paſqualigius *quæſt.* 681. *num.*4.

59 Qui *num.* 5. aſſerit ex vi horum privilegiorum cæteros Prælatos Regulares, qui non ſunt Abbates, poſſe in ſuis locis erigere, & transferre Altaria, non tamen conſecrare. Rationem dat, quia privilegia iſta ſunt diviſibilia per partes, nempè habent erectionem, translationem, & conſecrationem: & licèt ſoli poſſint Abbates conſecrare, tamen poterunt etiam cæteri Prælati Regulares Altaria erigere, & transferre, quia ſunt capaces ſimiles erectionis, & translationis. Verùm Cruz aſſerit *dict. num.* 3. conſecrare etiam poſſe ex aliquibus privilegiis Innocentius VIII. & Urbani II. quæ cùm non viderim, meum judicium non interpono.

Altare verò, ſi non ſit Eccleſia conſecrata, nec illud 60
conſecratum poteſt erigi à quolibet Presbytero, quia cùm non ſit ſacrandum, non requiritur licentia Epiſcopi. Azorius 1. *part.lib.*10. *cap* 27 *qu.*6. Aſt illa pars, de qua Azorius, ſi Eccleſia non eſt conſecrata, debet explicari; nam ſupponit, quod ſi Eccleſia ſacrata non ſit, poſſit quilibet Preſbyter Altare ſacratum erigere, quod non eſt admittendum, ut diximus *num.*57. Igitur poterit Presbyter erigere Altare non conſecratum in Eccleſia non conſecrata, dum tamen neceſsarium fuerit, & ibi Ara conſecrata ſuperimpoſita celebrare; quo enim modo poterit ab eo deſtrui, Ara erecta?

Quoad deſtructionem Altarium, illud ſciendum, quod 61
ſi Eccleſia ſit conſecrata, nequeunt deſtrui abſque licentia Epiſcopi, *cap. Eccleſiæ* 18. *cap. Placuit* 26. *de conſecrat. diſtinct.*1. Quod idem eſt dicendum, ſi Altare fuerit conſecratum, quia quælibet res debet diſſolvi per quaſcumque cauſas, per quas fuit conſtituta, *ex regula nihil, ff. de reg. Jur.* Cùm ergo fuerit conſtitutum per Epiſcopum, ejus licentia debet diſſolvi. Azorius *dict. cap.* 27. *quæſt.*6. Reginald. *in praxi Fori*, *lib* 29 *cap.*9. *ſect.* 6. *num* 19 Paſqualigius *q.*684. *num.*2. qui *num.*3. id extendit ad Prælatos Regularium.

Illud verò prætereundum non eſt contra violantes, & de- 62
ſtruentes Altaria, graviter à Deo fuiſſe punitos, prout & deſtruentes Eccleſias, horrendum quippè ſacrilegium eſt. Quapropter Optatus Milevitanus *lib.* 6. ſcripſit: *Quid eſt tam ſacrilegum, quàm Altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtuliſtis) frangere, radere, & removere, in quibus vota populi, membra Chriſti portata ſunt? Quo Deus omnipotens invocatus eſt, quò poſtulatus deſcendit Spiritus ſanctus, & unde à multis pignus ſalutis æternæ, & tutela fidei, & ſpes reſurrectionis accepta eſt? Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non juſſit Salvator poni, niſi quæ eſſent de pace condita. Quid enim eſt Altare, niſi ſedes corporis, & ſanguinis Chriſti? Quid vobis fecerat Deus, qui illic invocari conſueverat? Quid verò offenderat Chriſtus, cujus illic per certa momenta corpus, & ſanguis habitat.* Ezechiel *cap.* 23. *verſ.* 38. ibi: *Sed & hoc fecerunt mihi, polluerunt Sanctuarium meum in die illa.* Et *lib.* 3. *Reg. cap.* 19. *verſ.* 10. ſic: *Altaria ſua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt.* Concil. Aquiſgr. *cap.* 17. ibi: *Quod ſi Abraham, pro eo quòd Altaria Dei erexit, cultumque ejus veneratus eſt, tot à Deo prærogativis donatur, dubium non eſt, quin Altarium Sanctorum everſores, & ſacrarum rerum, quibus in eiſdem Altaribus famulandum eſt, ſubreptores damnentur.* Et *cap.* 25. Concilium Rhemenſe apud Burchardum *lib.*3. *cap.*97 Dederunt exempla ſimilis punitionis Theodoretus *lib.*3. *cap.*11. & 12. Caſſiodorus *lib.*3. *Tripart. cap.*12. Durantius *de Rit. Eccleſiæ*, *lib.* 1. *cap.* 15. *num* 12. Scortia *de ſacrific. Miſſ. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 7. Henao *dict. ſect.* 4. *num.* 57. Beyerlink. *verbo Altare*, *lit. D.*

Quo in loco erigenda ſint Altaria, res ſanè incerta eſt, 63
cùm Eccleſiarum variæ ſint ſtructuræ, ut jam ſuprà diximus. Illud crebriùs receptum eſt, ut Altaria, maximè majora; orientem reſpiciant; & non ſolùm ipſa, verùm etiam orantes, S. Thomas 2. 2. *quæſt.*84. *art.*3. Scortia *de Sacrific. Miſſ. lib.*2. *cap.*13. *nu.*9. Bulengerus *de Templis*, *cap.*7. Zerda *in adverſariis ſacris*, *cap.*178. *nu.*8. Barboſa 2. *part. allegat.* 27. *nu.*22. Hurtado *de Euchariſt. diſp.* 4. *difficult.* 8. Henao *diſp.*24. *ſect.*4. *n.*58.

Denique in calce hujus capitis non eſt obliviſcendum, 64
erigentem, & conſecrantem Altare, illud dotare teneri: eliciunt Doctores *ex cap. Eccleſiæ* 18. *de conſecrat. diſt.* 1. ubi Concilium Meldenſe præcipit ſuperflua Altaria deſtruere. Altaria enim, quæ dotata non ſunt, & abſque decentia verſantur, ſuperflua, & non neceſſaria ſunt: quapropter ut decenter conſerventur, ſunt dotanda. Gavantus *verbo Altare*, *num.* 2. & 3. Fuſcus *de viſit. lib.* 1. *cap.* 21. *numer.* 10. Pax Jordan. *dict. lib.*5. *tit.* 10. *num.*3. Qui *num.* 35. limitat, quando Eccleſia in qua erigitur

gitur & consecratur, ita fuisset dives, ut congruenti modo posset Altaria conservare. Pasqualigius *quæst.* 602. *num.* 2.

65 Sed tamen doctrina ista explicanda est, ut diximus *in hoc libro, cap.* 7. *nu* 32. Si enim fundator non liberè relinquat, sed aliquod jus in eo reservet, dotare tenetur, etiamsi Ecclesia sit dives: quæ quidem dos designanda est arbitrio Episcopi, diligenter perpensis omnibus circumstantiis, oneribus, expensis, & servitio. Rochus *de jur patronat.* 3. *part.q.* 8. *nu.* 172. Lambertinus *eod. tract. lib.* 1. *part.* 5. *quæst. princip* 21. *nu.* 16. Fuscus *dict. cap.* 21. *nu.* 11. Selva *de Beneficiis, qu.* 5. *requisit.* 8. *nu.* 165.

CAPUT IX.

De Altarium ornatu: de imaginibus: de custodia Eucharistiæ.

SUMMARIUM.

Altaria post structuram mappis cooperiuntur, & id in Ecclesia antiquissimum, num. 1.

Sed quot sint necessariæ. Prima sententia dicit tres. Secunda requirit duas, num. 2. & 3.

Explicatur textus in cap. Si per negligentiam 27. de consecrat. distinct. 1. *& admittitur prima sententia, num.* 4.

Verùm jam usus obtinuit, ut duæ, aut una mappa sufficiant. Est peccatum grave celebrare absque mappa, num. 5.

Mappa est benedicenda, num. 6. *Sed tantùm id obligat ad peccatum veniale, num.* 7. *Verùm nec ad veniale, num.* 8.

Habita causa rationabili, possunt imponi mappæ, seu tobaliæ laicorum, & postea possunt restitui suis dominis. Est peccatum grave, seu veniale uti mappis immundis, secundum quantitatem immunditiæ, num. 9.

Corporale lineum est superimponendum, vel consecratum, vel benedictum. Itidem palla linea, & quæ eorum forma, nu. 10.

Bursa corporalium ex variis fit materiis, sed color debet esse secundùm paramenta, nu. 11.

Purificatorium debet esse lineum, & mundissimum. Est peccatum mortale celebrare absque purificatorio, prout absque corporalibus, nu. 2.

An purificatorium debeat esse benedictum, affirmant aliqui? Verbum debet, *aliquando honestatem importat, nu.* 13. *Sed contrarium, n.* 14.

Manutergium etiam est necessarium. Est peccatum omittere ablutionem digitorum, saltem in mappis Altaris, numer. 15.

Pallium ornans frontem Altaris (vulgò Frontal) *etiam requiritur, & ab antiquo tempore observatum, nu.* 16. *Sed an sit necessarium, negavit Scientia, sed contra antiquum morem Ecclesiæ, num.* 17. *Explicatur, num.* 18.

Ornantur Altaria imaginibus, quibus danda est adoratio, & quomodo, num. 19. *Fuit decretum à Conciliis, num.* 20. *Plurimis rationibus corroboratur, num.* 21. & 22.

Sed contra insurgunt hæretici, & expendunt aliqua testimonia Scripturæ, & Concilia, nu. 23. *Caroli Magni libros, n.* 24. *Et rationes, n.* 25.

Usus imaginum datus rectissimè Fidelibus, in veteri Testamento adservatus, num. 26.

Fit instantia, & explicatur locus lib. 4. Reg. cap. 18. *n.* 27.

Ponuntur tres modi adorandi imagines, nu. 28. *Explicantur duo modi, nu.* 29. *Et tertius, n.* 30.

Differentia harum adorationum, n. 31. *Est similiter inter tertium modum, & respondetur, nu.* 32. *Et ibidem explicatur VII. Synodus* act. 2. 3. & 4.

Fit replica contra tertium modum, & respondetur, num. 33. *Iterum refelluntur hæretici, n.* 34.

Statim in Lege Gratiæ fuerunt imagines, & veneratæ, & adhuc Christo Domino vivente fuerunt tres, alteræ verò eo jam defuncto, & ostenditur à num. 35. *usque ad* 38.

Etiam fuerunt imagines SS. *Mariæ à primordio Ecclesiæ, quas fecit D. Lucas, nu.* 39. *D. Petrus, cùm ad Hispaniam appulisset, imagines Mariæ attulit, & insignem S. Mariæ de Atocha, quæ tempore S. Isidori Agricolæ magna veneratione celebratur, nu.* 40. *Apostoli imaginum veneraciones suis decretis statuere, n.* 41.

Usus imaginum in Ecclesia antiquissimus, n. 42.

Fit instantia ex duobus eventibus Catholicorum, Sereni, & Epiphanii, n. 43. *Respondetur, & explicatur factum Sereni, & textus* in cap. Perlatum 26. de consecrat. dist. 3. *n.* 44. *Et factum Epiphanii, n.* 45.

Explicatur Concilium Illiberitanum can. 37. *Referuntur varia interpretamenta, num.* 46. *datur nova explicatio Patris Quiros, n.* 47. *Noviter explicatur, nu.* 48. 49. & 50.

Resolvitur errare hæreticos. Dantur primi authores hujus hæresis, num. 51. *Respondetur eorum argutiis, & explicantur testimonia Exodi* cap. 2. *& Deut.* cap. 5. *num.* 52.

Concilia adducta pro hæreticis sunt illegitima, & absque aliqua authoritate congregata. Explicatur Concilium Francofordiense. Libros Caroli Magni, ejus non esse, probat Durantius, nu. 53. *Respondetur rationibus, nu.* 54.

Gravissimum peccatum est Imagines sacras frangere, seu conculcare. Delinquentes pro arbitrio judicis puniuntur, sunt judices competentes Ecclesiastici, & Sæculares, Censores quoque Fidei, n 55.

In Altaribus est arcula ad custodiendam Eucharistiam, quæ apud Græcos dicebatur ciborium, apud nos communiter Custodia vocatur, ob varias necessitates, de quibus ibi, nu. 56. *&* 57.

Custodia clavibus observatur. Illustratur caput 1. de custod. Eucharist. *dantur variationes, nu.* 58. *&* 59. *Olim apud Hispanos fœdus percutiebatur cum Eucharistia, ibid.*

A principiis Ecclesiæ ubi non aderant persecutiones, adservabatur Eucharistia: quod illustratur, n. 60.

Custodiæ ad placitum efficiuntur, aut in modum columbæ, aut turris. Olim imponebantur in armario sub Crucis titulo, frequentiùs super Altare: hodie in medio Altaris. Apud Hispanos sacra Syraxis discooperta, num. 61.

Posteà clavibus observata. Animadvertitur Constitutio 16. de celebr. Miss. *hujus Archiepiscopatus, n.* 62.

Custodiæ, & arculæ istæ debent esse fixæ, ne ab aliquo amoveantur, prout contigit tempore Severi: Undè Turres emanarunt, n. 63.

Intra custodiam debet esse pyxis olim lignea, hodie aurea, seu argentea. Propter necessitatem non est grave peccatum, si fiat ex stamno, n. 64.

An pyxis sit benedicenda, affirmant aliqui, non tamen de necessitate, nec in sacro est aliquod sacrum superimponendum, nu. 65.

PIæ Fidelium mentes dum in Ecclesiis erigunt Altaria ad celebrandum Augustissimum Missæ Sacrificium, non solùm lapidea structura contenti esse solent, verùm ornatum addunt, & componunt: quapropter cùm de Altaribus capite antecedenti egerimus, de eorum ornatu aliud illi annectimus. Est enim post structuram ornatus mapparum, qui quidem ab exordio Ecclesiæ institutus, & observatus est, ita ut semper mensa Altaris mappis sterneretur, seu palla, ut constat ex Clemente *in epist. ad Jacob. Episcopum Hierosolymit. cap. Altaris palla* 39. *de consecrat. dist.* 1. Concilium Toletanum XIII. *in cap. Quicumque* 13. 26. *quæst.* 5. Concilium Rhemense apud Burchard. *lib.* 3. *cap.* 95. ibi: *Et mundissimis linteis, & pallis cooperienda.* 1

Verùm quot mappis, seu pallis cooperiendum sit Altare, dubium est. Prima sententia asserit tres esse necessarias, *ex cap. Si per negligentiam* 27. *de consecrat. dist.* 1. ubi imponitur pœnitentia Sacerdotibus, ob quorum negligentiam sanguis Domini stillaverit. Tres mappas esse necessarias ostenditur, & in Missali S. Pii V. *in rub.* §. *De defectibus*, tres mappæ assignantur, ibi: *Si Altare non sit coopertum tribus mappis.* Clemens VIII. *tit. eod.* §. 10. retinet eadem verba, & in rubricis generalibus, §. 20. dixerat: *Altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis.* Ergo tres mappæ erunt ne- 2

cessariæ

ceſſariæ ad ornatum Altaris. Tamburinus *in Meth. celebr. lib.1.cap.5.§.2.num.1.* Henao *de Sacrific.Miſſ.diſp.23.ſect.3. n.47.* Villalobos *in Summa,1.part.tract.8.difficult.26.nu.1.* Hurtado *de Euchariſt. diſp.4. difficult.9. verſ.1.* de Lugo *de Euchariſt.diſp.20.ſect.2.num.76.* qui aſſerit Eccleſiam Romanam uti tribus mappis. Leander. *d.tract.8. diſp.1.q.10.* Palao *de Euchariſt.tract.22.diſp.unica, punct 10.n.1.*

3 Secunda ſententia aſſerit, tantùm duas mappas eſſe neceſsarias,& cum eis Altare cooperiendum,idq; ex Rubricis Miſsalis S. Pii V. Sed rubrica iſta mentionem facit trium mapparum. Tenent ultra plures antiquos Vaſquez *in 3. p. diſput.233.cap.3.nu.21.* Suarez *diſp.81.ſect.6.dict.1.* Bonacina *de Euchariſt.diſp.4 q.ult.punct.7.propoſit.3.n.25.* Layman *in Summa,lib.5.tract.5.cap.6.n.11.* Franciſcus de Lugo *de Sacrament.lib.5.cap.4. q.4. nu. 37.* Laſtra *ad Decretal. tit.1.cap.1.ſect.5. n.14.*

4 In hoc dubio dicendum, ex diſpoſitione Rubricarum conſtare tres mappas eſſe neceſsariò imponendas ſuper Altare, & illis cooperiendum: non tamen id probatur *ex cap. Si per negligentiam;* nam ut benè conſiderat Palao *d. punct. 10.num.1.* in illo textu fit mentio quatuor mapparum, ſeu linteorum, quæ poſſunt conſtare non ſolùm de mappis, ſed etiam de corporalibus: quapropter cùm ex rubricis conſtet tres mappas eſſe neceſsarias, tenenda eſt prima ſententia, quam etiam tenent Quartus *in rub.Miſſ.1.part. tit.20. dub.8.in princip.* Gavantus *1.part. dict. tit. 20.* Marchinus *de Ordin.tract.3.part.3.cap.12.nu.3.*

5 Verùm licet hoc certum ſit loquendo ſecundùm rubricas, tamen jam uſus obtinuit, aut propter negligentiam Miniſtrorum, vel propter Eccleſiarum paupertatem, ut duæ tantùm mappæ apponantur, ſeu una tantùm, ſuper quam imponuntur corporalia ad celebrandum;idque abſque culpa fieri poſſe aſſerunt DD. cùm conſuetudo iſta jam rubricis derogaverit talem neceſſitatem imponentibus. Garcia *in Summa tract.3.difficult.8.dub.3.punct.1.n.10.* Paſqualigius *de Sacrific.Miſſ.quæſt.707. nu.4. & 5.* Villalobos *dict. difficult.26.num.1.* qui aſſerit grave eſſe peccatum celebrare abſque ulla mappa. Tamburinus *d.§. 2. num. 1.* Garcia *dict.dub.3.num.11.* Henao *dict.ſect.3.num. 11.* Paſqualigius *quæſt.712.*

6 Hæ enim mappæ ex lineo linteo debent confici, non ex laneo, aut ſerico. Sed an ex canape, affirmativè reſpondendum; quia eſt ſpecies lini, prout ex lino goſſipio poſſe fieri affirmant plures. Azorius *1.part. inſtit.lib.10. cap. 28. quæſt.8.* Tamburinus *lib.1.cap.5. §.3.num. 3.* Paſqualigius *qu.718.*

6 An verò mappæ ſint benedicendæ, certant DD. quos pro utraque parte adducit Leander *dict. tract. 8. diſput. 7. quæſt.11.* Paſqualigius *quæſt.709. à num.1.* Garcia *d.dub. 3. punct.1.num.12.* Aſt illud aſſerendum, rubricam Miſsalis *lib.1.part. tit. 20.* clarè ſupponere has mappas eſſe benedicendas, ibi: *Hoc Altare operiatur tribus mappis, ſeu tobaliis mundi, ab Epiſcopo, aut ab alio habente poteſtatem benedictis.* Et ratio eſt, nam cùm deſerviant ad tam inſigne ſacrificium, non profanæ, ſed benedictæ debent deſervire, Bonacina *dict.punct.9.num.29.* Leander *d. quæſt.11.* de Lugo *d.ſect.2.num.76.*

7 Erit ergo difficultas, ad quod peccatum obliget hæc rubrica. Et dicendum, non obligare ad mortale, quia rubricæ Miſsalis tantùm ſunt directivæ in ordine ad celebrandum, & ideò quæ ibidem præſcribuntur, non habent vim obligandi ad mortale, niſi obligatio proveniat ex alia lege, aut ex natura rei, Henao *diſp.25. ſect.3. nu.56.* Aſt ex nulla lege poſitiva, nec ex natura rei ſunt mappæ benedicendæ ſub gravi culpa. Ergo talis rubrica non obligabit ad mortale.

8 Idem eſt dicendum de peccato veniali, quia ut dicunt plures, in rubricis iſtis nulla eſt vis obligandi, nec aliquid continent, niſi directionem, nec eſt aliqua indecentia, ſi mappæ non benedicantur. Ergo non erit peccatum veniale mappas non benedicere. Unde Doctores quamplures aſſerunt,non eſſe neceſsarium mappas benedicere: quod intelligo ratione præcepti, non verò majoris decentiæ, & honeſtatis. Villalobos *dict.difficult.26. nu.1.* Garcia *d.dub.3. punct.1.n.12.* Henao *diſp.25.ſect.3. n.54.* Trullench *de Sacrament.lib.3.cap.8.dub.16.n.7.in fin.* Paſqualigius *q.709. à nu.4.* Azorius *lib.10.cap.28.q.8.in fin.*

9 Hinc Trullench *d.n.7.* aſſerit, in caſu neceſsario poſſe adhiberi Mappas,ſeu tobalias laicorũ non benedictas:addit tamen Paſqualigius *qu. 710. n. 3.* ad id non requiri neceſsitatem, prout petebat Trullench; ſed quamlibet cauſam rationabilem, velut ſi adſit ſolemnitas Altaris, aut Eccleſiæ, aut Altare pretioſioribus mappis ſternatur, aut propriæ eſsent laceræ. Itaque poſteà poterunt mappæ iſtæ reſtitui ſuis dominis, cùm eorum remaneant. Trullench *d.n.7.* Paſqualigius *qu.710.nu.3.* Averſa *de Euchar. qu. 11. ſect.13.verſ.Rurſus requiritur.* Reginaldus *in Praxi, lib.9. nu.194.* Bonac. *d.punct.9.nu. 25.* Illud verò non obliviſcendum, Rectoribus, & Sacriſtis Eccleſiarum eſſe peccatum uti mappis immundis,aut laceratis, ſi veniale, ſive mortale, juxta quantitatem immunditiæ, aut lacerationis; quia de jure naturali, aut divino debemus Deum colere, & venerari puriori,& elegantiori modo, & conſequenter omnia pertinentia ad cultum mundiora, & puriora debemus apponere. Paſqualigius *q. 711.à nu.1.*

Corporale itidem ſuper mappas imponitur,quod lineum 10
eſſe debet,nec ex aliqua lana, aut ſerica materia; quia repræſentat ſyndonem, qua Chriſtus Dominus defunctus involutus eſt. Corporalia etiam ſunt conſecranda, aut benedicenda, *c.Conſulto 39.de conſecrat.diſt.1.* Leander *d. tract. 8.diſput.7.q.12. & 13.* Illud verò otioſum non erit, quando corporalia in extremis ſerico, aut auro contexerentur. Quod quidem de palla, qua calix contegitur, dicendum videtur, & quod linea eſſe debeat. Nec corporalia iterum conſecranda,aut benedicenda,ſi laventur.Tambur. *d.cap 5. §.1.n.1.* Bonac. *d propoſit.3.punct.9. n.24.* Vazquez *d. diſp. 233.cap.4.nu.24.* Layman *lib.5.tract.5.cap.5.num.11 verſ. Corporale, & verſ. Palla.* Delugo *d.ſect.2. nu.76.* Palao *d. punct.10.in princ.* Villalobos *d.difficult.26. nu.2.* Laſtra *ad Decret.tit.1.cap.1.ſect.5.nu.14.*

His etiam addenda corporalium burſa, quæ ex variis 11
materiis conficitur, ſive lancis, ſive ſericis, quam manibus portare, & inſimul Calicem, interdixit Bulla S. Pii V. 17. Decembris 1570. Diſpenſavit tamen cum Hiſpanis, ut ex Gavanto oſtendit Henao *d.diſput.25.ſect.4. nu. 62.* Color verò iſtius burſæ debet eſſe paramenti illius diei. Verùm benedictio burſæ nullibi habetur. Henao *d.num.62.*

Purificatorium Calicis ſimiliter debet adeſſe, idque li- 12
neum: quod quidem antiquum non eſſe in Eccleſia dicit Gavantus *in Reſp.2.part.tit.1.§. Ponit purificatorium.* Verùm neceſsariiſſimum eſt, ut lineum ſit, ob miniſterium purificandi, & abſtergendi Calicem, ne aliqua gutta, aut particula corporis Chriſti, aut ejus ſanguinis in Calice remaneat: quapropter à Carionibus, & Sacriſtis curandum eſt, ut mundiſſimum ſtet purificatorium, cùm in eo poſſibile ſit reliquias tanti Sacramenti aliquando remanere, ut benè conſiderat Garcia *d tract.3.difficult. 8. dub.3. num. 16.* Fagundez *1.præcept.Decalog.lib.3.cap.21 nu.30.* qui aſſerit abſque purificatorio celebrare peccatum eſſe grave, prout etiam abſque corporalibus. Villalobos *d. tract. 8. difficult. 26.num.2.* Laſtra *d.ſect.5.nu.14.*

Eſt verò dubium, an purificatorium debeat eſſe benedi- 13
ctum. Et affirmarunt Fagundez *d.cap.21.nn.30.* Layman *d.cap.6.n.12.verſ.Eſt purificatorium.* Sed Doctores iſti non loquuntur de aliqua obligatione, ſed tantùm ad melius eſſe; loquitur enim Layman per verbum *Oportere*, quod licèt aliquando neceſſitatem importet, *l.Si quando, Cod.Unde vi, Auth.de Judicib.§.Oportet,collat.6.cap.1.de præſcript.lib.6.* Rota apud Gregorium XV. *deciſ.23.n.3.* & apud Farinac. *deciſ.50.* ut plurimùm tamen tantùm decentiam, & honeſtatem importat. Gloſsa *in d.cap.1.de præſcript.lib.6. verbo Oportet*, Gratianus *diſcept.cap.146.n.18.* Sanchez *in Decalog.tom.2.lib.6.cap.4.num.37.* qui docet, in dubio, quando non conſtat de neceſſitate,benigniorem partem eſſe eligendam, nempè tantùm importare decentiam, & honeſtatem. Quare Laymanium tantùm honeſtatem, & decentiam voluiſſe ſignificare, intelligendum eſt.

Unde reſolvendum. Purificatorium non debere eſſe be- 14
nedictum de neceſſitate, ſed tantùm ex decentia; quia in Ritualibus non invenitur propria benedictio, ſicut nec veli, nec burſæ corporalium. Gavantus *in Rub. 2. part. tit. 1. lit. I,* Suarez *diſput. 81. ſect. 8. numer. 4.* Leander *dict.tract.8.diſput.7.quæſt.14.* Tamburinus *dict.lib.1.cap.5. §.3.num.2.*

Eſt etiam manutergium neceſsarium, & mundum, quo 15
digiti poſt Offertorium abluantur. Ita in Miſſali recognito à Clemente VIII. *tit.de Rub.general.* §.20. Et quidem ſi

de-

deeſſet, omitteretur ablutio digitorum, quod gravi culpa non careret, ſi ſaltem ſummi digiti mappis Altaris non abluerentur, quod ſaperet indecentiam, eo quòd minùs digiti abluerentur. Scortia *de ſacrific. Miſſæ, lib. 4. cap. 2.* Henao *diſput. 25. ſect. 3. n. 58.*

16 Pallium ornans frontem Altaris ſimiliter requiritur, de quo pallio *in tit. de rit. ſervand.* §. 20. dicitur, *Futurum eſſe coloris, quoad fieri poteſt, feſto diei, vel officio convenientis.* Mos quidem ex veteri Eccleſiæ conſuetudine obſervatus, ut colligitur ex Vincentio Fortunato *lib. 2. carmin. 3.* Scortia *lib. 2. de ſacrific. Miſſ. capm. 14. nu 8.* Gavanto *dict. 1. part. tit. 20. pag. 73.* Pallium iſtud dicere eſſe Cruce inſignitum comprobavit Gretſerus *tom. 1. de Cruce, lib. 2. cap. 13.* quod aliquando obſervatur, & aliquando imagine alicujus Sancti inſignitur.

17 Sed tamen eſt aliquod dubium, an Pallium frontis Altaris (vulgò *frontal*) ſit neceſſarium? Et Scortia *d. cap. 8. n. 8.* aſſeruit non eſſe neceſſarium, ut mos multarum Eccleſiarum oſtendit. Sed in re dicendum, antiquiſſimum eſſe morem Eccleſiarum cooperiendi Altaria, idque mundiſſimis linteis, & Palliis, ad eorum ornatum, ut conſtat ex Concilio Rhemenſi apud Burchardum *lib. 3. cap. 97.* & in Concilio *can. 5.* Concilium Cayacenſe *tit. 3.* & ex Optato Milevitano *lib. 6.* Durantius *de Rit. Eccleſiæ, lib. 1. cap. 15 n. 8.* Idcirco in Concilio Toletano XIII. *can. 7. & in cap. Quicumque 13. 26. quæſt. 5.* decretum eſt, ne ex cauſa cujuslibet doloris, vel amaritudinis Altaria divinis veſtibus exuantur. Id enim ſolùm obſervatur in Eccleſia poſt proceſſionem feriæ quintæ Cœnæ Domini, uſque ab Sabbatum, in ſignum mœroris, ac triſtitiæ Chriſti Domini paſſionis. Aliàs ſemper debent, & decet ut ſuis palliis ornentur, niſi mos fuerit alicujus Eccleſiæ, ut linteis totum Altare cooperiatur.

18 Unde Scortia intelligendus eſt ſecundùm hanc diſtinctionem, ut non ſint pallia iſta neceſſaria, ubi mos eſt, ut linteis totum Altare cooperiatur; aliàs pallia iſta erunt neceſſaria, non ex qualibet materia, ne oculos offendat, ſed ſerica, vel de eleganti lana, vel bractea metallica, prout aliqua Altaria condecorantur. Gavantus 1 *part. tit. 20. lit. S.* Durantius *d lib. 1. cap. 15. num. 8. & 9.* Henao *d. diſp. 24. à nu. 65.*

19 Ornantur etiam Altaria imaginibus in ſuis caſellis collocatis, ac etiam tabulis pictis (vulgò *Retablos*) quod quidem in Eccleſia ſanctiſſimè receptum eſt, coram quibus Fideles vota ſua Deo fundant, Mariæ Virgini, & aliis Sanctis. Quo enim modo cultus imaginibus, & adoratio exhibenda ſit, explicuit optimè Tridentinum *ſeſſ. 25. de invocatione, veneratione, & reliquiis Sanct. & ſacris Imaginib.* cujus hæc ſunt verba: *Imagines porrò Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præſertim habendas eſſe, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quòd credatur ineſſe in eis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fidentia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à Gentilibus, qui in idolis ſpem ſuam collocabant: ſed quoniam honos, qui exhibetur eis, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, itaut per imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt: id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicænæ Synodi, decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum.*

20 Quod enim Concilium docuit, brevibus verſiculis Poeta quidam concluſit apud Venetos, ubi ad pedem imaginis Salvatoris hæc verba inſcripſit:

Nam Deus eſt, quod imago docet, ſed non Deus ipſa.
Hanc videas, ſed mente colas, quod cernis in ipſa.

Antè decreverat id Concilium Nicænum II. *act. 3.* ſub Irene Imperatrice, & ejus filio Conſtantino celebratum: Concilium pariter Francofordienſe ſub Adriano Papa I. coactum in eo ejus nomine præſidentibus Theophilacto, & Stephano, ubi Felicianorum hæreſim renuentem imagines: Patres damnarunt. Conſtantinopolitanum VI. *can. 83.* & VIII. *act. 8. cap. Venerabiles 37. de conſecrat. diſt. 3.* ubi Iconomachi damnantur. Durantius *de Rit. Eccleſiæ, lib. 1. cap. 5. num. 7.* meminit alterius Concilii Gentiliaci habiti, ubi Græci Oratores juſſi ſunt admonere Cæſarem ſuum, ut quoad uſum Imaginum cum piis ſentiret.

21 Idque compluribus annuentibus, rationibus decretum eſt: nam ut patet ex verbis Concilii Tridentini, cultus, & veneratio nullam idolatriam involvit: non enim in imaginibus mens Chriſtianorum ſtat, verùm ad prototypa tendit Chriſti Domini, præclariſſimæ Mariæ, vel aliorum Sanctorum, ad quos cultus dirigitur; & ſi imaginibus veneratio præſtatur, eſt quatenus exemplaria Divorum ſunt, non quatenus imagines. Ergo nulla ibi adeſt idololatria. Cæterùm, nam Imagines rudibus, & idolis libri ſunt; quod enim nec auribus, nec mente percipere queunt, id oculis percipiunt, ut rectè Damaſcenus *orat. 2. de SS. imaginibus*, ibi: *Etenim illiteratis hominibus hoc ſunt Imagines, quod literatis libri: & quod auribus oratio eſt, idem eſt oculis imago, cui tamen imagini intelligentia conjungitur.* Similiter loquitur Greg. Magn. *lib. 7. ep. 19.* ibi: *Idcircò Imagines in Eccleſia adhibentur, ut qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in Codicibus non valent.* Quem legendi, & intelligendi modum habuere primi homines, quando literæ inventæ non erant, Polydoris Virgilius *de invent. lib 1. c. 6. & lib. 4. cap. 11.* & apud noſtros Indos eſt obſervatus, quos cùm noſtrates expugnarent, nullus apud eos literarum uſus repertus erat, ſed tantùm per imagines addiſcebant. Caſtro *adverſus hæreſes, verbo Imago, lit. A*, Garcia *del Origen de los Indios, cap. 3. §. 2.* Quapropter ut ſacra Myſteria, & Martyrum victoriæ à rudibus, & vulgi ingeniis cognoſcantur, rectiſſimè Eccleſia utitur imaginibus.

Rurſus Fideles imaginibus viſis, ubi ad oculum ſacra Myſteria, & Sanctorum virtutes demonſtrantur, magis ad devotionem, compunctionem, & affectum alliciuntur. Unde ſcripſit quidam Poeta: 22

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Quare rectiſſimè Eccleſia Imagines proponit videndas Fidelibus Deinde Deus Optimus Maximus quamplura miracula propter Imagines patrat in maximum bonum Chriſtianorum, tam ſpirituale, quàm corporale: quod, inquam, plurimis Imaginibus quotidie experimur. Zerola *verbo Miraculum, n. 8.* Torreblanca *de jure ſpirituali, lib. 1. cap. 10. à n. 14.* Trullench *lib. 1. Decalog. cap. 9. dub. 7. n. 3.* Ergo rectiſſimus eſt earum uſus. Tandem Imagines Fidelium oculis proponuntur ad imitationem, ut Sanctorum virtutes imitemur, quando tanta gloria à Deo donatos proſpicimus, prout etiam apud Romanos majorum imagines ad imitationem proponebantur. Ponzius *qu. ſcholaſt. 7. cap. 1.* Ergo rectiſſimè eis utitur Eccleſia. Latiùs proſequuntur Agricola *per tot. tract. de Imaginibus*, Ayala *de Eccleſiaſt. tradit. 3. p.* Vaſquez *in 3. p. diſput. 112. q. 25. art. 13.* Georgius Ambianus *ad Tertul. tom. 3. de Idololatr. cap. 3.* Suar. *contra Reg. Angliæ, lib. 2. à cap. 1.* Bellarminus *controverſ. lib. 2. de Imaginib. Sanct. cap. 5.* Durantius *de Rit Eccleſiæ, lib. 1. cap. 5. per tot.* Trullench *dict. dub. 7 per tot.* Bonacina *in Summa, tom. 1. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 3.* Palao *Oper. Mor. tom. 2. tract. 8 diſp. 1. punct. 4. nu. 1.* Rota *per integ. tract. del uſo antiguo de la adoracion de las imagines.*

Sed contra hanc veritatem inſurgunt hæretici, & aſſerunt Imaginum uſum, cultum, & venerationem continere intolerabilem idololatriam: adducunt textum Exodi *c. 20.* & Deuteronomii *cap. 5.* ubi omnia ſimulachra interdicuntur, ibi: *Non facies tibi ſculptile, nec omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra.* Quod præceptum ideò à Domino datum eſt, ne homines ariolarent, ſed tantùm Deum purum adorarent. Cæterùm probant ex tribus Conciliis, Conſtantinopolitano ſub Leone Iconomacho, teſte Paulo Diacono *lib. 1.* Similiter ex alio Conſtantinopolitano 338. Epiſcoporum, congregato ſub Conſtantino Copronymo, teſtificante eodem Paulo *lib. 22.* Utrumque enim Concilium decrevit Imagines eſe abolendas, Tertium Concilium eſt Francofordienſe, in quo reprobata eſt VII. Synodus cenſens Imagines eſſe retinendas, ut refert Ado *in Chron. anno 1295.* Abbas Urſpergenſis *in Chron. an. 1293.* 23

Adducunt etiam ſimiliter quatuor Caroli Magni libros contra imagines: tum Patrum authoritates, quas ad ſuum placitum intorquent, quorum verba retulit Bellarminus *lib. 2. cap. 11. verſ. Quartò:* quibus & adjungunt Ezechiam frangentem ſerpentem æneum, 4. *Reg. cap. 18.* 24

Tandem ratiunculus aliquibus tentant probare; nam imago non eſt capax alicujus adorationis, ſeu honoris, cùm ſit incapax ſenſus, & rationis: nec alicujus ſanctitatis, quia nulla eſt ſanctitas ratione ligni, ferri, aut coloris. Tum 25

quia

quia homo eſt imago Dei, & non adoratur. Nec ad aliud Imagines deſerviunt, niſi ad præbendam occaſionem idololatriæ. Hæc ſunt præcipua fundamenta Iconomachorum Imaginum uſum, cultum, & venerationem abnegantium.

26 Sed in re meritò obſervandum, imagines ad cultum Fidelium inſtitutas eſse, & uſum earum in veteri Teſtamento obſervatum, & conſequenter in novo à tempore naſcentis Eccleſiæ. In veteri Teſtamento eſt locus Exodi *cap.* 25. *verſ.* 18. ibi: *Deus quoque Cherubim aureos, & productiles facies, ex utraque parte Oraculi: Cherubim unus ſit in latere uno, & alter in altero.* Et *Num. cap.* 22. *verſ.* 8. ibi: *Præcepit Dominus Moyſi facere ſerpentem æneum, & ponere eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cùm percuſſi aſpexerint, ſanabantur.* Ecce ergo in veteri Teſtamento imagines Deo præcipiente conflatas, quibus venerationem dediſse Fideles dubitandum non eſt, tum dum Arcam venerarentur. Quia potiùs D. Hieronymus *in epiſt. ad Marcellam*, ſcripſit ideò Tabernaculum fuiſse à Judæis veneratum, quia ibi erat Cherubim Serpens autem æneus etiam fuit honoratus, cum à Deo poſitus in ſublimi fuiſset, & ſalutem miſeris aſpicientibus afferret, ut ex Auguſtino probat Bellarminus *d. lib. 2. cap. 12. in princip.* Caſtro *verbo Imago*, *lit. B.*

27 Sed contra ſerpentem dicunt hæretici, poſteà fuiſse confractum ab Ezechia Rege, 4. *Reg. cap.* 28. eo quòd Judæi idololatrarent, unde conſequitur noſtras Imagines ſimiliter eſse confringendas, ne eandem occaſionem præbeant Chriſtianis. Sed tamen reſpondendum, rectè Ezechiam illum confregiſse; nam Judæi divinos honores illi impendebant, tamquam ſi aliquid numinis in ſerpente adeſset, & verè inter alia excelſa, & lucos æneum ſerpentem perfregit, ut demonſtrat ſacer textus ibi: *Ipſe diſſipavit excelſa, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes.* Idque optimo jure, cùm ſerpentem æneum repræſentantem Chriſtum Dominum in cruce pendentem, non adorabant Judæi propter prototypum, nec in ordine ad illum, ſed materialiter, tamquam ſi materia illa ſtatuæ numen aliquod per ſe haberet, prout cæteri Idololatriæ Deorum ſtatuas colebant. Caſtro *verbo imago*, *lit. B.* Bellarminus *d. lib. 2. cap. 21. in princip. & cap. 17.*

28 Aſt nos Catholici hoc modo Imagines non adoramus, ſed ut nos docuerunt Orthodoxa Concilia, & PP. quorum doctrina tripliciter conſideratur à Doctoribus. Primò dirigendo totam intentionem ad exemplar in imagine repræſentatum, tamquam ad objectum propriè, & per ſe corde adoratum, & non ad imaginem. Secundò dirigendo adorationem tam ad exemplar repræſentatum, quàm ad imaginem, ex utroque mente, & animo conficiendo unum objectum adæquatum, ad quod per ſe terminetur, & adæquata ſit materia circa quam adoratio verſetur ex intentione adorantis. Tertiò, quando dirigitur tota adoratio ad ſolam imaginem tamquam ad rem, & materiam per ſe adoratam; ad exemplar verò ſolùm ut ad rationem adorandi. Poteſt enim aliquid adorari per ſe, ſeu in ſe, quamvis non propter ſe, ſed propter finem, & exemplar.

29 Primum autem modum certum eſt poſſibilem eſse; quis enim poterit dubitare, quin præſente imagine Crucifixi, perſonæ Chriſti Domini non poſſim recordari, & totam mentem meam, & intentionem intendere ad illum, ita ut imago tantùm deſerviat ut medium ad Chriſtum Dominum adorandum: quem modum ſcripſit Suarez 3. *part. tom. 1. diſp.* 54. *ſect.* 4. propriè potiùs dici valere adorationem prototypi, quàm imaginis. Similiter ſecundus modus poſſibilis eſt, nimirum ut uno actu interiori, & exteriori prototypon in imagine, & imago in prototypo adoretur; nam etſi imago in ſe reverà non contineat prototypon, continet tamen illud in eſse repræſentationis. Unde, fit ut homo poſita hujuſmodi imagine ſtatim, ac veluti conjunctim cum imagine comprehendat ipſum exemplar, ac reverà in illa adeſſet, & per modum unius utrumque comprehendat, & inſimul concipiat, ita ut poſita hac apprehenſione, animus adorantis primariò in exemplar, & concomitanter in imaginem feratur, non per deceptionem, quia non judicat imaginem eſſe Chriſtum; ſed per ſimplicem repræſentationem exemplaris in imagine. Hic enim adorandi modus communiter à Patribus recipitur & probatur in VII. Synodo, *act.* 4. Tridentinum *dict. ſeſſ.* 25. Bezerra *de Jur. Sacro*, *lib. 1. cap. 2. num.* 13. *& lib. 2. cap. 2. num.* 7.

Tertius modus iſtius adorationis eſt ſatis poſſibilis, ſcilicet quando adorans dirigit ſuam adorationem, ſeu intentionem ad ſolam imaginem, tamquam ad materiam, ſeu rem per ſe adoratam; ad exemplar verò ſolùm ut ad rationem adorandi. Ita docent latè Suarez 3. *part. q.* 25. *art.* 3. *diſp.* 54. *ſect.* 5. Leſſius *de Juſt. lib. 2. cap. 3. dub. 3. nu.* 19. *verſ. Imagines.* Bonacina *in Decalog. diſp. 3. q. 1. punct. 3. propoſit. unica, nu.* 4. 30

Illa tamen in his tribus adorationis modis eſt adnotanda differentia; nam in primo, & ſecundo modo debetur cultus prout imagines diverſa prototypa repræſentant, & ita debetur latria imaginibus Chriſti Domini, hyperdulia imaginibus Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum imaginibus dulia: & ratio eſt, quia unico corporis motu, & unico actu voluntatis adorans fertur in exemplar, & imaginem, & ſimul cum imagine directè adoratur exemplar, quapropter debet concedi prout prototypo ejuſdem qualitatis: & probat ratione S. Thomas 3. *part. quæſt.* 25. *art.* 3. ubi communiter Theologi, Trullench *lib. 1. in Decalog. cap. 9. dub. 7. num.* 9. Vaſquez *de adorat. lib. 2. diſput. 8. cap.* 3. Azorius *Inſtit. Moral. 1 part. lib. 9. cap. 6. quæſt.* 5. Palao *dict. diſp. 1. punct. 4. num.* 3. Azevedus *in leg. 3. tit. 1. lib. 1. recopilat. num. 2.* 31

In tertio verò modo, quando intentio & actio adorantis non ordinatur ad exemplar, & imaginem ſimul tamquam unum objectum, ſed directè ordinatur ad imaginem, tamquam ad terminum, & objectum quod, & materiam circa quam; ad exemplar, ſeu prototypum tamquam propter quod, vel rationem propter quam adoratur, imago non videtur adoranda adoratione latriæ, quamvis exemplari hæc adoratio deberi videatur; ſed tantùm adoratio præſtanda eſt communis, ut adorantur, & venerantur veſtes ſacræ, & aliæ res deſervientes ad uſum pietatis, & religionis. Ratio diſparitatis eſt, nam in duobus primis caſibus exemplar attingitur in recto, & ut quod; & imago tamquam pars objecti: in tertio verò exemplar non attingitur niſi in obliquo, imago in recto, & tamquam in objecto ut quod: quapropter ſolum communi adoratione eſt adoranda, ut aliæ res ſacræ, & piæ pertinentes ad uſum pietatis, & religionis: quo in ſenſu intelligenda eſt VII. Synodus *act. 2. 3. & 4.* ubi dicitur, imaginibus deberi adorationem, qualis debetur rebus ſacris. Suarez *d. ſect.* 5. Bellarminus latè *d. lib. 2. cap.* 20. Trullench *d. dub. 7. nu.* 10. 32

Sed dices cum Palao *d. punct. 4. num. 3. verſ. Reſpondeo*, imaginem non habere aliquam excellentiam in ſe, ob quam digna ſit adoratione à prototypo diſtincta, ut explicat Tridentinum. Ergo nullo modo hæc tertia adoratio imaginum admittenda eſt, etiam adoratione communi. Trullench verò *ubi proximè*, reſpondet non eſſe admittendum Palaum, ea potiſſima ratione; nam locus Tridentini intelligendus eſt ratione materiæ, ex qua conſtructa eſt imago; res enim inanimata eſt, & ſenſu carens, incapax alicujus adorationis: ſed tantùm reſpectu uſu imaginis deſervientis ad repræſentandum prototypon, & ad excitandam devotionem, & alia bona proſequuta à Tridentino: idcircò communi adoratione adoranda eſt imago, ſicut & aliæ res ſacræ deſervientes ad pietatem, & religionem. 33

Ex his facilè cognoſcitur, quàm iniquè hæretici philoſophantur ex fractione ſerpentis æneï facta ab Ezechia, quia Judæi illum adorabant, tamquam ſi in ſe haberet aliquod numen; nos autem imagines his tribus modis piè, & ſanctè colimus. 34

Adveniente luce, id eſt lege gratiæ, ſtatim imagines fuerunt receptæ in Eccleſia Dei, & magna veneratione habitæ. Superſtite enim & vivente Chriſto Domino, quatuor illius imagines conſtructas fuiſſe tradunt graviſſimi Doctores. Prima fuit ea, quam Dominus ipſe Abagaro Edeſſenorum Regi miſit, conſpectum ejus maximè deſideranti, cujus meminit VII. Synodus *act.* 5. Evagrius *lib.* 4. *Hiſt. cap.* 26. Adrianus Papa I. *ad Carolum Magnum*, *cap.* 18. Damaſcenus *lib.* 4. *Orthodox. Fid. cap.* 17. *& orat. 1. de Imaginibus*, quam poſteà translatum ex Edeſſa ad urbem Conſtantinopolitanam, Græci Hiſtorici tradidere, Nicephorus Calliſtus *lib. 2. cap.* 7. Evagrius *lib. 2. cap.* 26. S. Thomas *ad 3. Sent. diſt. 9. q. 2. art.* Beyerlink *verbo Imago*, *lit. C.* 35

Altera Chriſti imago ſudario Veronicæ impreſsa eſt, cujus 36

cujus ſimplex tobalea Chriſti Domini deſignata pictura apud Noſtrates in Gienenſi urbe demonſtratur: Romæ tamen altera eadem imagine deſignata in Templo Beati Petri à Chriſti Fidelibus inviſitur; hæc enim imago Tiberio Cæſare ægrotante miraculum patravit. Audiamus Philippum Bergamenſem *lib. 8. Chronic. Supplement. anno Chriſti 166.* ibi, *Veronica mulier Hieroſolymitana, Chriſti diſcipula, matrona quidem ſanctitate, ac pudicitia inſignita, his temporibus à Tiberio Cæſare per Voluſianum neceſſarium ſuum, virum ſtrenuum, è Hieroſolyma cum ſudario Chriſti Romam accerſita. Detinebatur quippè idem Cæſar magno infirmitatis morbo, qui cùm primùm mulierem ſanctam ſuſcepiſſet, & Chriſti imaginem contigiſſet, ab omni infirmitate curatus eſt, ob quod miraculum ab ipſo Cæſare Magno pretio habita eſt.*

37 Tertia etiam imago Chriſti Domini adfuit, nempè ſtatua Salvatoris ſanantis mulierem profluvio ſanguinis laborantem; erat enim à Civitate Cæſarea Philippi oriunda. Hæc autem ſtatua, & Chriſti imago pro foribus domus illius mulieris multo tempore collocata perduravit uſquedum ea à Juliano Apoſtata ſubrepta, ibidem ſuam ſtatuam impiè repoſuit. Euſebius *lib. 7. Hiſt. cap. 14.* Sozomenus *lib. 8. cap. 20.* Caſſiodorus *lib. 6. tripart. cap. 41.*

38 Poſt mortem Chriſti Domini Nicodemus Chriſti imaginem ex ligno figuravit, ad ſimilitudinem impreſſæ in linteaminibus ſepulchri, de cujus translatione in Galilæam, & poſt ad portum Lucenſem, ſcripſit Philippus Bergomenſis *ubi proximè*, *ver. Nicodemus*, Durantius *de Rit. Eccleſ. lib. 1. cap. 5. num. 1. verſ. Erat altera*, BeyerlincK *verbo Imago, lit. E. verſ. Eſt alia*. Meminit etiam Durantius alterius imaginis Salvatoris non factæ alicujus hominis manu, Romæ in Oratorio S. Laurentii repoſitæ. Hæc de antiquiſſimis imaginibus Chriſti Domini.

39 Imagines verò S. Mariæ præclariſſimæ Virginis tempore Apoſtolorum adfuere. S. Lucam ſuis manibus aliquas ad vivum depinxiſſe tradidit Nicephorus *lib. 14. Hiſt. cap. 2. & lib. 5. cap. 12.* Metaphraſtes *in ejus vita*, Beyerlinck *dict. verbo Imago, lit. B. verſ. Fertur*. Unam in Templo S. Pulcheriæ in via Ducum, dicitur collocaſſe. Ita Nicephorus jam relatus. Altera ab eodem Luca depicta, & expreſſa, Romæ in Baſilica S. Mariæ Majoris, multis jam ſæculis religioſiſſimè adſervatur. Durantius *in Rat. Divin. offic lib. 6. cap. 89.* Caniſius *de Maria Deipara, lib. 5. cap. 32.*

40 Hinc igitur cognoſcitur, à tempore Apoſtolorum jam imaginum uſum, & adorationem incepiſſe, quapropter D. Petrus cùm ad Hiſpaniam pervenit, imagines ex Antiochia detulit, ut teſtatur Flavius Dexter *in chron. anno 50.* ibi: *Petrus, & Chriſti Vicarius Hiſpanias adit, Imagines Antiochia delatas affert*. Ubi adnotarunt Cano, & Bivar. Inter eas celebris eſt Imago S. Mariæ de Atocha, Matriti celeberrima, quamplurimi cenſent ex Antiochia delatam, unde nomen ſuſcepit, & à D. Petro allatam tradunt Gonzalez, & Quintana Hiſtorici Matritenſes, Pater Villaſeñor *Grandezas de Eſpana, cap. 4. per tot.*

41 Illud tamen certum, ante quingentos annos tempore D. Iſidori Agricolæ imaginem illam extitiſſe, & characteribus in ea affixis multam antiquitatem redolere. D. Gonzelez *ad Concil. Illiberitanum, lib. 3. can. 38. cap. 5. in not. ad Mendozam, lit. B.* Quod non ſolùm exemplo, ſed doctrina, & decretis Apoſtoli docuerunt: quamobrem canonem conſtruxere præcipientem imagines in templo eſſe collocandas, quem retulit Gregorius Epiſcopus Peſſinuntis in Concilio Nicæno II. *act. 1.* & integrè refert Turrianus contra Magdeburgenſes *lib. 1. cap. 25.* qui ſic habet: *Nec decipiantur Salviati, id eſt Fideles, ob idola: ſed pingant ex oppoſito divinam, humanamque manufactam impermixtam effigiem Dei veri, ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ipſiuſque ſervorum, contra Idola, & Judæos: nec errent in Idolis, nec ſimiles fiant Judæis.*

42 Ex his ſemper ſimilis mos eſt adſervatus in Eccleſia Dei, aliis ſuccedentibus temporibus, ut multis hiſtoriis comprobat Durantius *dict. cap. 5. à nu. 2.* BeyerlincK *verbo Imago, lit. A. verſ in Templis*. Tempore enim Tertulliani, ut certus ſupponitur Imaginum uſus, ut ex ipſo conſtat *de Pudicitia, cap. 7. & lib. 6. contra Marcion. cap. 18. & in Apologia, cap. 16.* Tum *lib. 1. ad Natal. cap. 12.* Quæ quidem teſtimonia congeſſit Epiſcopus Manero *in Apolog. Tertull. fol. mihi 73.* & teſtantur Caſtro *verbo Imago, ad medium*, Suarez *lib. 2. contra Reg. Angliæ, cap. 11. à num. 12.* Simancas *de Catholicis Inſtit. cap. 33. à princip.* Roman. *lib. 4. de Republica Chriſtiana, cap. 7.* Simon Majolus *in Hiſtor. totius Orb. cent. 4. cap. 4. & cent. 13. cap. 21.* Palao *d. diſput. 1. punct. 4. num. 1.*

Verùm in re tam antiqua, & ſancta adhuc inter Catho- 43
licos orti ſunt duo eventus, & unum Orthodoxum Concilium, unde hæretici poſſunt argumentari. Et primus ſit Sereni Epiſcopi Maſſilienſis ſacras imagines perfringentis. Et quamvis Gregorius *lib. 6. epiſt. 109. & lib. 9. epiſt. 9. cap. Perlatum 16. de conſecrat. diſt. 3.* temeritatem hanc reprehendat, attamen laudat zelum perfringendi. Unde videtur rectè feciſſe, niſi ſcandalum oriretur. Ergo Imagines, remoto ſcandalo, rectè reiiciuntur, & franguntur. Similiter valent hæretici argumentari ex facto S. Epiphanii *in epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum*, ubi aſſerit ſe ſcidiſſe velum, quia in eo erat imago Chriſti Domini.

Sed tamen Caſtro *verbo Imago, in principio*, hos duos 44
caſus, tam Sereni, quàm Epiphanii, ab errore excuſat, quia tunc temporis res iſta ita expedita non erat, nec clarè determinata, ita ut in errorem Serenus, & Epiphanius incidere potuerint. Sed excuſatio iſta nequit admitti; nam & veneratio Imaginum à temporibus Apoſtolorum recepta, approbata, & expedita fuit, ut ſuprà oſtenſum eſt. Hanc ob rem excuſatio iſta ſufficiens non eſt. Bellarminus *d. lib. 2. cap. 6. lit. B.* meliùs reſpondet, nempè Serenum imaginem perfregiſſe, quia videbat Chriſtianos recenter converſos pro Diis eas adoraſſe, eo modo, quo ante Baptiſmum idola adorabant: quare zelum illius laudat Gregorius, reprehendit tamen temeritatem frangendi; poterat enim Serenus populum inſtruere in modo adorandi imagines, non verò eas frangere: quapropter Gregorius præcepit ut populum inſtruat, & illo edocto, imagines in ſuis locis collocet, ut ex textus *in cap. Perlectum 26. de conſecrat. diſt. 3.* Pineda *Monarch. Eccleſiaſt. lib. 18. cap. 5.*

Epiphanius verò minimè de errore damnandus eſt; ſi 45
enim velum percuſſit, non id fecit quia ibidem erat imago Chriſti depicta, ſed ob aliam cauſam eum ab errore excipientem: quare factum Epiphanii ab eo purgatur in VII. Synodo, *act. 6. tom. 5.*

Reſtat verò Catholicum Concilium Illiberitanum, *can.* 46
37. ubi ſic decrevit: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* Hinc occaſio ab hæreticis arrepta eſt, ut probent Imagines ex Templis eſſe tollendas, ut minimè adorentur: & quibuſdam Catholicis placuit hoc Orthodoxum non eſſe Concilium, ex eo quòd errorem ſuſcepiſſet. Verùm Dominus Ferdinandus de Mendoza *ad Concil. Illiberit. lib. 3. cap. 5.* latiſſimè hanc injuriam Hiſpanorum Patrum vindicavit, quod etiam quamplures fecerunt. Aliqui verò dicunt id prohibitum fuiſſe in dicto Concilio ob imminentem Gentilium perſequutionem; nam cùm imagines in parietibus pingerentur, minimè tolli poterant à Fidelibus, nec removeri, & ſolùm ad irriſionem infidelium deſerviebant. Alteri verò aliter intellexere id ſtatutum, ne imagines deformarentur parietum cruſtis dejectis, & contemptibiles redderentur. Alii dicunt minimè reprobaſſe uſum Imaginum, & venerationem, ſed tantùm ne in parietibus depingerentur, ob majorem earum venerationem, & honorem. Ac denique non defuere, qui dixerunt, non de omnibus picturis Sanctorum intelligendum eſſe decretum illud, ſed tantùm de picturis Dei, & Angelorum, prout in ſe ſunt; nam cùm ſint ſpiritus puri, & incorporei, depingi non valent, prout ſunt in ſe. Congefſerunt has rationes Loayſa, Binius, Albaſpineus, Corolianus, & Gonzalez *ad d. can. 37. Concil.* Bellarminus *de Imaginibus lib. 2. cap. 9.* Suarez *tom. 1. diſp. 53. ſect. 1.* Sanderus *de cult. Imag. lib. 2. cap. 4.* Turrianus *lib. 1. de Hier. Ordin. cap. 12.*

Sed textus iſte duas habet partes, ut cum Patre Quiros 47
ſcripſit Gonzalez *in d. can. 37. in fin.* Prima enim pars continet, non eſſe pingendas Imagines in Eccleſiis, profanas ſcilicet, quod ex facto Epiphanii comprobatur, ſcindentis velum habens hominem depictum ad formam Chriſti Domini, Verba dat Gonzalez *ex epiſtola 60. cap. 5.* apud Hieronym. In ſecunda parte agit Concilium de non pingendis Imaginibus in parietibus, ob rationes ſupra relatas: quod ſatis concipitur, ſi brevis emendatio apponatur, addendo pro *Ne Neque*, ita ut duo diverſa in canone in illo ſtatuantur,

tur, ſic legendo: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere: neque quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* Quam cogitandam explicationem relinquit Gonzalez.

48 Sed hæc interpretamenta juribus emendationes apponentia, non æqua fronte ab omnibus ſuſcipiuntur: quare abſque aliqua emendatione poſſunt hæ duæ partes contemplari; nam dictio *Ne*, aliquando ponitur pro *Non*, *l. fin. Cod. Ubi & apud quos*, *cap. fin. de pœnit. & remiſſ. cap. 2. de conceſſ. præbend.* Corneus *vol. 4 conſil. 287. num. 4.* Barboſa *dict. cap. 207. num. 1.* ita ſit ut cenſus: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere: non quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* Hoc enim modo perpenſus abſque aliqua emendatione textus ille duas habet partes ſuprà recenſitas.

49 Primam, ne in Eccleſia picturæ reponantur. Primis enim temporibus Fideles ad vitandum Gentilium errorem, quos Deos ſuos ſimulachris, & ſtatus repræſentare ſolebant, picturis frequentiùs, quàm ſimulachris utebantur, ut animadvertit Mendoza *dict. cap. 5. lit. B. verſ. De picturis*, *fol. mihi* 355. Attamen dum Concilium in Eccleſiis prohibet picturas, & ſimulachra relinqui, non interdicit uſum Imaginum, ſed dat modum quomodo ſint faciendæ Imagines, non per picturas, ſed per ſimulachra. Ratio hujus decreti potuit eſſe, ne religio noſtra Gentilibus (quorum converſio deſiderabatur) odioſa fuiſſet, verò introduceretur modo magis conformi ſuæ voluntati, & deſiderio, per ſimulachrorum venerationem: quapropter ſtatuit Imagines non pingendas, ſed ſtatuas & ſimulachra eſſe in Eccleſiis conficienda, & pro Jove Chriſtum Dominum in ſtatua, & ſimulachro reponendum: & pro Diana Mariam Virginem, & pro aliis Diis ſimulachra aliorum Sanctorum, docendo populum quoquomodo eſſent adoranda abſque labe idololatriæ. Vel alia etiam ratio dari poteſt; nam ut animadvertit Durantius *de Rit. Eccleſiæ, lib. 1. cap. 5. n. 11.* fortè illo tempore in picturis imaginum erat apud Hiſpanos aliqua ſuperſtitio; quapropter neceſſarium fuit eas in Eccleſiis interdicere, & introducere ſimulachra, & ſtatuas. Quod decretum hoc modo conceptum per plura tempora in Eccleſiis cucurriſſe, autumare non piget ex VI. Synodo *can. 82.* apud Ivonem *4. p. cap. 122. & 126.* ubi picturæ Imaginum non recipiuntur, & eſt decretum Adriani Papæ *in cap. Sextam 29. de conſecrat. diſt. 3.* Unde libet conjecturare per aliqua non pauca tempora picturas Imaginum non fuiſſe in Eccleſiis receptas, ſed tantùm ſtatuas, & ſimulachra, prout decrevit Concilium Illiberitanum.

50 Secunda etiam pars non pingendi Imagines in parietibus extra Eccleſiam, vel in aliis locis publicis, aut privatis, præcepta eſt à Concilio propter rationes ſuprà propoſitas, aut quia picturas iſtas extra Eccleſiam faciliter Gentiles deputabant, & eorum ludibrio deſerviebant. Unde ſequitur duas partes habere canonem illum, ut non imagines pingerentur in Eccleſiis, ſed ſimulachra, & ſtatuæ reponerentur, ut jam aliqui cenſuerunt; nec etiam extra Eccleſiam in locis publicis, & privatis: non tamen negat Concilium imaginum uſum, & adorationem: nec aliquo modo ex illo percipi tale quid valet, quando tam varia, & genuina interpretamenta ſuſcipit.

51 Hinc patet error hæreticorum, quorum primus author adhuc in obſcuro latet, quem diſquiſierunt Caſtro *verbo Imago*, Bellarminus *dict. lib. 2. c. 6. per tot.* Pineda *Monarch. Eccleſiaſticæ lib. 26. cap. 22. §. 2.* qui aſſerit Conſtantinum Patriarcham Conſtantinopolitanum, primum authorem hujus hæreſis fuiſſe. Aſt certius eſt fuiſſe Imperatores Græcos, idque publico edicto Leo Iſaurus à Judæis illuſus præcepit, quem inſecuti ſunt Leo Copronymus, Leo Armenus, & inter noviores hæreticos Vvicleffus, Andreas Carolſtadius. De vitis horum Imperatorum ſcripſerunt Mexia, Joannes Cuſpinianus, & alii. Carrillo *in Annal. ab anno 820.*

52 Reſtat verò argutiis hæreticorum reſpondere. Et in primis ad locum Exodi, & Deuteronomii facillimo negotio ſatisfit; nam ibi prohibentur ſimulachra Deorum, ne adorentur à Judæis, prout Gentiles adorabant: non verò alia ſimulachra ſacra ibi interdicuntur. Et probatur ex litera ſacri textus; nam Deus interdixit Deos alienos adorari, ibi: *Non habebis Deo alienos coram me;* & immediatè ſubſequitur interdictum ſimulachrorum. Unde patet tantùm ibidem prohiberi inanium Deorum ſculptilia, ſeu ſimulachra. Caſtro *verbo Imago, lit. D.* Durantium *d. lib. 1. cap. 5. num. 11.* Trullench *lib. 1. Decalog. cap. 9. dub. 7. nu. 3.* Palao *d. punct. 4. nu. 1.* Damaſcenus verò *d. orat. 1.* aliter interpretatur, nempè Judæis imagines ibidem eſſe interdictas, tamquam proclivioribus ad idololatriam. Aſt primum interpretamentum literæ eſt magis conforme, & comprobatur Levit. *cap. 16.* ibi: *Non feceritis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec in ſignum lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum: ego enim ſum Deus veſter.*

Ad Concilia duo Conſtantinopolitana ab hæreticis ad- 53
ducta dicitur illegitima eſſe, & abſque aliqua authoritate congregata, ut teſtantur Zonaras, Cedrenus, & alii relati à Bellarmino *d. lib. 2. cap. 14.* Concilium verò Francofordienſe non interdixit uſum, nec adorationem Imaginum, quin potiùs probavit: & quamvis interdixiſſet, non eſt tantæ authoritatis, quia in eo tantùm præfuit Carolus Magnus, cujus facultatis non fuit ſimilia decreta decernere, cùm privativè pertineant ad Eccleſiam, ut ſcripſit Durantius *d. c. 5. n. 12.* Nec Synodus illa fuit ab Adriano confirmata, prout Synodus II. Nicæna tantæ authoritatis, quæ hanc controverſiam diffinitam reliquit. Bellarminus *de Concil. authorit. lib. 2. cap. 8. lit. A, verſ. De Concilio, controverſ. 7.* Nec Synodum illam fuiſſe Caroli Magni, pluribus conjecturis probat Durantius *d. cap. 5. num. 13.* Similiter Patrum teſtimonia nihil probant, quibus facilè reſpondet Bellarminus *d. lib. 2. cap. 16.*

Ad primam rationem hæreticorum dicendum, Imagi- 54
nes non eſſe capaces honoris, & venerationis propter ſe, ſed tamen ſunt illius capaces propter prototypon: & idem eſt dicendum de ſanctitate. Quoad ſecundam, homo prout eſt imago Dei, adorationis capax eſt; aſt id non permittitur propter ſcandalum, quia licèt per ſe ſit capax honoris, propter ſe coli putaretur, quod eſt graviſſimum ſcandalum. S. Thomas *3. p. quæſt. 25. art. 3. ad 3.* Trullench *dict. dub. 7. num. 11.* Bellarminus *dict. lib. 2. cap. 19. in fin.* Ad periculum idololatrandi, dicitur tolli, docendo populum quomodo adoratio ſit facienda. Denique quia cuilibet etiam ignaro patet Imagines propter ſe non eſſe adorandas, quia agnoſcit lignum, aut ferrum eſſe; ſed propter exemplar, ut jam declaratum eſt.

Illud tamen, antequam hinc abeamus, ſciendum, gra- 55
viſſimum ſacrilegium eſſe frangere Imagines, aut conculcare. Aſt de jure nulla eſt pœna deſignata ſimilia delicta perpetrantibus, ſed pro qualitate delicti eſt pœna imponenda pro recto arbitrio judicantis, ut eſt textus *in cap. Si Canonici 2. §. ult. de offic. Ordin. in 6.* Quare hæc delicta perpetrantes, aut flagellis, aut exilio, vel manus amputatione damnantur. Imò & pœna mortis, ſi injuria Imaginum ſit publica, & nimis ſcandaloſa, ut per totam rubricam *18. p. 1. l. 7. tit. 5. lib. 1. for. l. 3. tit. 1. lib. 1. Recopil.* Boſſius *in tit. de ſacrilegiis.* Clarus *in praxi crim. verb. Sacrilegium.* Diez *in praxi*, *cap. 87.* Cantera *quæſt. crim. cap. 8. à num. 16.* Menochius *de arbitrar. lib. 2. caſu 376. per tot.* Farinacius *in praxi*, *1. p. qu. 20. à nu. 68.* Eſt verò delictum hoc mixti fori, uterque enim judex, tam Eccleſiaſticus, quàm ſæcularis, poterit de eo cognoſcere, *l. unica*, *Cod. ut nemini liceat*, ubi Scribentes, *l. Manichæos*, *Cod. de hæreticis.* Cenſores etiam Fidei poterunt de eo cognoſcere, & poſſunt in ſimilem delinquentem, tamquam ſuſpectum de Fide animadvertere. Simancas *de Catholicis Inſtit. tit. 33. n. 53.* Souſa *in Aphoriſmis Inquiſit. lib. 2. ap. 42. à nu. 14.* Azorius *Inſtit. Moral. 1. p. lib. 9. cap. 7. quæſt. 4.* Palao *d. punct. 9. num. fin.* Trullench *d. dub. 7. num. 17.* Diana *4. part. tract. 7. reſolut. 9.* qui rectè non admittit Torreblancam aſſerentem non eſſe hæreticale Imagines conculcare, licèt ſit graviſſimum delictum, prout ſcripſit *lib. 3. de Magia*, *cap. 8. nu. 17.*

Prorſus Altaria aliquando cuſtodiam, ſeu arculam ha- 56
bent, ubi Chriſti Domini corpus adſervatur. Apud Græcos, & Latinos aliquando Ciborium dicitur, ut ex multis probat Durantius *lib. 1. de rit. Eccleſiæ*, *cap. 16. num 2. & 3.* Apud noſtrates communiter dicitur, *Cuſtodia*, ubi Sacramentum Corporis Domini adſervatur ad varias neceſſitates, præcipuè ad infirmorum communionem, *cap. Presbyter 2. diſt. 93.* Concilium Rhemenſe, & Turonenſe apud Barchardum *lib. 5. Decreti, cap. 9. de Decimis.* Eſpenceus *de adorat. Euch. lib. 2. cap. 2.* quod olim non ſolùm propter infirmos ſervabatur, verùm etiam ad mortuos ſepeliendos adhibeatur: quapropter infirmus partem hoſtiæ ſuſcipiebat, & partem conſervabat, ut cum eo ſepeliretur, & ſic de facto uſus eſt D. Baſilius, de quo Amphilochius *in ejus*

vita,

vita, cap. 1. & ab Eccleſia fuit id permiſſum uſquequò in aliquibus Conciliis fuit interdictum, quæ alibi recenſuimus. Pontius *quæſt. ſcholaſtica* 2. *cap.* 4. Mendoza *ad Concilium Illiberit. lib.* 2. *cap.* 58. *verſ. Serenus*, Lantmeter. *de vet. Clericor. vict. lib.* 2. *cap.* 7. *verſ. Quia verò*. Eſpenceus *de adorat. Euchariſt. lib.* 2. *cap.* 7. Laſtra *ad tit. de conſuetudine*, *quæſt.* 4. *num.* 63.

57 Aliam etiam ob cauſam adſervabatur olim à Pontificibus, nempè ad mittendam Euchariſtiam Epiſcopis ejuſdem communionis, ut ex Euſebio percepit Lantmeter *d. lib.* 2. *cap.* 75. *verſ. Pontificibus*. Quod idem facere ſolebant cum peregrinis ad Pontificem adventantibus: quod ſanè credo ſi conſt abat Fideles eſſe, & literas formatas exhiberent, ſicut faciebant Epiſcopi non admittentes peregrinos ad communionem, niſi conſtaret eſſe Fideles per literas formatas, aliàs tantùm admittebantur ad preces, & inter ſæculares ſolùm orabant, quæ dicebatur communio, peregrina, *cap. Contumaces* 21. *diſt.* 50. *cap Clericis* 11. 23. *quæſt.* 2. *cap. ult. diſt.* 71. *can* 32. & 34. *Apoſtol.* Baronius *anno* 400. *num.* 66. & *ann* 407. *nu.* 36. Albaſpineus *lib.* 1. *obſervat.* 3. Lantmeter. 2. *p. lib.* 2. *cap.* 36. *verſ. De Clericis*, & *cap* 75. & 77.

58 Tum magnoperè clavibus Cuſtodias iiſtas præcepit obſervari Innocentius III. *in cap.* 1. *de cuſtod. Euch.* & dat rationem ſic: *Ne poſſit ab aliqua temeraria manu extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda*. Quæ verba variis modis explicantur. Nonnulli aſſerunt, hæc nefaria, & horribilia, eſſe horrenda ſacrilegia quorundam hæreticorum ſchiſmaticorum comburentium reliquias Euchariſtiæ, quæ ex ſacrificio ſupererant, vel in lagena terræ infodientium, quorum meminit Leo IX. *in epiſt. ad Michaelem Imperat.* Evagrius *lib.* 4. *cap.* 35. Lantmeter. *d. cap.* 75. *verſ. Ut meritò.*

59 Sed tamen convenientius interpretamentum eſt, clavibus Cuſtodiam eſſe obſervandum ob horrenda ſacrilegia, quæ ſolent committi à ſacrilegis, & ſtrygis. ſubripientibus Euchariſtiam, ex qua plura conficiunt maleficia, maximè ad captandum alicujus amorem, idque per modos nefarios, de quibus Grillandus *de ſortileg. q.* 3. *à n.* 15. Delrius *diſquiſ. mag.* 1. *p. lib.* 3. *q.* 3. Torreblanca *de mag lib.* 2. *c.* 47. *n.* 7. Theoph. Raynaudus *tom.* 6 *tract. de Euchariſt. cap.* 6. *n.* 23. Deinde fœdera aliqua indignè ſolent percuti cum Euchariſtia, idque exemplo Balduini Flandriæ Comitis, oſtendit Delrius *de Magia*, 2. *p. lib.* 4. *cap.* 8. & olim apud noſtros Hiſpanos illud fuit conſuetum, quod ad ineundum fœdus hoſtia conſecrata ferebatur, & ea per partes diviſa inter contrahentes, & illi miniſtrata, juramentum præſtabant ſervandi pactum. Refert Mariana 1. *part. Hiſtor. Hiſp. lib.* 5. *c.* 18. quare ne indignè ſacra Synaxis in his contractibus tractaretur, id abolitum eſt. Unde his, & aliis cauſis exiſtentibus, quas dant Henriquez *in Summa, lib.* 8. *cap.* 39. *lit. A*, D. Gonzalez *ad textum in cap.* 1. *de Cuſt. Euchariſt. nu.* 7. rectiſſimè ſtatutum eſt, ut Cuſtodiæ clavibus obſerarentur. Olim quando Fideles ſub utraque ſpecie communicabant, utramque ſpeciem adſervatam fuiſſe deſumitur ex D. Chryſoſtomo *in epiſt. ad Innocentium Papam I.* D. Gonzalez *ubi proximè, n.* 5. *ad fin.* Hodie verò tantùm adſervatur panis ſpecies in Cuſtodia intus ornata, ubi adeſſe debent duæ pyxides, una ad ſervandum Sanctiſſimum Sacramentum, alia ut ad infirmos deferatur; collocandæ enim ſunt ſuper Aram, aut ſuper Corporale. Fuſcus *de viſit. lib.* 1. *cap.* 5. *à nu.* 3. Barboſa *de offic. Epiſcop.* 2. *p. allegat.* 22. *n.* 2. & 3. Verùm in hoc Archiepiſcopatu Toletano imponuntur ſuper Aram ſimul cum corporali, *conſt.* 1. *de cuſtod. Euchar.*

60 Hoc enim modo magna cura adſervanda eſt Sacra Euchariſtia, prout à principio naſcentis Eccleſiæ conſuetum eſt obſervari, ut conſtat ex Clemente *ep.* 2. *ad Jacobum*, ſeu *Simonem*, ut alii dicunt, cujus verba dat Durantius *d. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 1. Baronius *anno* 57. & hanc enunciationem probant non pauca jura, *c. Non oportet* 26. *cap. Non oportet* 30. *diſtinct.* 23. *cap. De tribus* 13. *cap. Si per negligentiam* 27. *cap. Qui benè* 93. *de conſecrat. diſtinct.* 2. *cap. Sane* 10. *de celebrat. Miſſ. cap.* 1. *de Cuſtod. Euchariſt.* ubi pœnæ, apponuntur, *cap. Officium* 3. *de offic. Archipresbyt.* Concilium Turonenſe II. *can.* 3. & 4. Vvormatienſe *can* 5. Bituricenſe *c.* 2. Oxonienſe *can.* 6. Auguſtenſe *can.* 18. Tridentinum *ſeſſ.* 13. *can.* 6. & 7. Diez *in praxi*, *cap.* 44. Capella Toloſana *deciſ.* 208. ubi Auſrerius. Bollo *œconom. can.* 2. *claſſe*, *cap.* 4. §. 6. Victoria *de Euchariſt. num.* 66. Bonacina *de Euchariſt. q.* 1. *punct.* 1. *propoſit.* 2. *nu.* 8. Henao *de Euchariſt. tom.* 3. *diſp.* 29. *ſect.* 16.

Modus enim cuſtodiarum & arcularum varius eſt, & diverſimodè, & placitum efficiuntur. Olim apud Eccleſias in modum columbæ aureæ, & in formam Spiritus Sancti fuerunt confectæ, prout habuit D. Baſilius, de quo in ejus vita Amphilochius *cap.* 16. ait: *Dividens panem in tres portiones, unam quidem ſuſcepit cum timore, aliam verò ſervavit ad ſepeliendum ſibi, tertiam autem poſitam ſuper columbam auream, ſuſpendit ſuper Altare*. Aliter etiam fiebat, nempè vas aureum, aut argenteum in modum turris, ſeu Caſtelli, de quo Vincentius Fortunatus Poeta clariſſimus, cujus verba tranſcripſit D. Gonzalez *in cap.* 1. *de cuſt. Euch. num.* 5. qui ex D. Hieronymo *epiſt.* 4. refert S. Exuperium Archiepiſcopum Toloſanum, an Barbari hæc vaſa abriperent, in uſum pauperum ea conflaſſe, & in caniſtro viminеo, & calice vitreo corpus Domini reportaſſe. Henao *de Sacrific. Miſſ. diſput.* 26. *ſect.* 2. *nu.* 33. Lantmeter. *d. lib.* 2. *cap.* 75. *verſ. Ex veteri.* Durantius *d. lib.* 1. *cap.* 16. *à nu.* 5. qui adducunt Concilium Turonenſe II. ſub Pelagio I. *can.* 3. ſtatuens, ut corpus Domini in Altari, non in armario ſub crucis titulo componatur, ſed tamen in arcula ſeu cuſtodia ſuper altari includi. Concilium Turonenſe *cap.* 4. apud Burchardum *lib* 5. *c.* 9. Hodie verò in medio Altaris, ad imum Tabernaculi, apponuntur cuſtodiæ, ut facilè Sacerdotes pyxidem Sacramenti ſuſcipiant, & Fidelibus miniſtrent. Illud verò obliviſcendum non eſt, inter Noſtrates ante devaſtationem Hiſpaniæ, in Eccleſiis Cathedralibus ſemper diſcoopertum adfuiſſe Sanctiſſimum Sacramentum. Sic Luitprandus *in Frag. Chronic. nu.* 8. do verba: *Ante Hiſpaniarum devaſtationem à Mauris, in Eccleſiis Cathedralibus Euchariſtia ſemper patens erat, quem morem ſervarunt aliquæ Eccleſiæ, Bracarenſis, Toletana, Lucenſis, & aliæ quæ non captæ à Mauris, ſed vel deſertæ, vel dimiſſæ. In aliquibus Eccleſiis ubi frequentiſſimè Sarraceni degebant, & Eccleſiæ erant debiles, aliquando fiebat, ſed rarò.* In Lucenſis Eccleſia uſque hodie mos iſte adſervatur, ut apud Gallicos commune eſt. Semper Hiſpani devotiſſimi fuerunt erga tam venerabile Sacramentum, & inter omnes Domina Tereſia Erriquez, quæ omnem curam impendit in conſtruendis cuſtodiis, & articulis, ut tantum Sacramentum reſervaretur, cujus meminit Sandoval *in vita Caroli V. lib.* 16. §. 25. *verſ. Dize aſſimiſmo*. 61

Poſteà verò clavibus obſervantur cuſtodiæ, etiam in Cathedralibus, niſi in quibuſdam feſtis, quibus patefiunt. Eſt tamen magnopere animadvertenda Conſtitutio 16. *de celebrat. Miſſ.* in hoc Archiepiſcopatu, ubi diſertè decretum eſt, nullo modo abſque licentia Domini Archiepiſcopi, vel ipſius Conſilii, ad aliquam feſtivitatem Sanctiſſimum Sacramentum patefieri poſſe, nec ad id ſufficere licentiam Vicariorum, ob rationes ibidem perpenſas. Sed ò ſumma infelicitas! nihil enim cordatè, & diſertè decretum obſervatur: jamjam quilibet Vicarius abſque cauſa, & ratione licentiam hanc præſtat, & aliqui Parochi ex ſola Parochianorum inſtantia, ut rixas aufugiant, ex placito id faciunt; quippè res majori remedio indiget. 62

Eſt etiam in his cuſtodiis obſervandum, ut fixæ ſint, & ſecuræ, ne facilè moveantur & abripiantur, prout evenit quando Euchariſtia in columbis aureis adſervabatur: in quo quidem Severus hæreticus Acephalorum Princeps, eam furtim ſubripuit, ut conſtat ex querela Monachorum Antiochenorum adverſus eum data in Concilio Conſtantinopolitano V. quamobrem ſelix Epiſcopus Bituricenſis, qui interfuit Concilio Turonenſi II. turres, & caſtella inſtituit ad cuſtodiam Euchariſtiæ, & ita affixa, ne amoverentur, ut ſcripſit Severinus *in not. ad Concil. Turonenſe II.* cujus verba adſunt ſimul verſibus Fortunati *tom.* 2. *Conciliorum*, *fol. mihi* 661. *col.* 1. & ex eo refert Argaiz *poblacion de Eſpana*, 2. *p. ad dit. ad* 2. *p. anno* 384. 63

Intra cuſtodiam pyxis debet adeſſe, prout decrevit Concilium Eboracenſe celebratum anno 1194. ibi: *Provideatur etiam, ut pyxide munda, & honeſta hodie reſervetur, ſinguliſque diebus Dominicis renovetur*. In hoc Archiepiſcopatu eſt Conſtitutio I. *de Cuſtod. Euchariſt.* idem præcipiens: Olim pyxis lignea fuit, ut ex actis Martyrum apud Surium 2. Januarii, ſcripſit Henao *de ſacrific. Miſſ. diſput.* 26. *ſect.* 2. *num.* 31. idque in aliquibus Galleciæ oppidis teſtatur vidiſſe, quod ab Archiepiſcopo Compoſtellano Cardinali Spinola emendatum refert. Debet enim eſſe aurea, aut argentea, & aliqui recipiunt eburneam, & ex alia materia pretioſa. In hoc Archiepiſcopatu argentea ſaltem eſſe 64

debet

debet, ad minus dimidium marci pendens, ex dicta Conſtitutione 1. Zerola *in praxi, verbo Euchariſtia nu.* 29. Henao *dict. ſect.* 2. *à nu.* 29. Tamburinus *in method. celebrand. Miſſ. lib.* 1. *cap.* 1. §. 6. *num.* 3. qui *num.* 4. cum Suarez affirmat, non eſſe lethalem culpam pyxidem fieri ex ſtanno, vel ære, propter paupertatem. Aſt magnoperè curandum, ne fiat ex aliqua materia unde vermes creari poſſint. Eſt deinde imponenda ſuper aram conſecratam, ſeu ſuper corporale. Leander *de Euchariſt. tract.* 8. *diſput.* 7. *reſolut.* 38. Intra pyxidem non eſt neceſſarium intromittere linteum benedictum benedictione corporalium, ut contra Vaſquez tenet Tamburinus *ubi proximè, nu.* 5. *verſ.* 2. Leander *d. diſput.* 7. *reſolut.* 36. Sed an pyxides ſint benedicendæ, ut decentius affirmat Layman *in Summa, lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 5. *num. fin.* Durantius *de Rit. Eccleſiæ, lib.* 1. *cap.* 16. Sed id non de neceſſitate, nec ubique benedicuntur. Layman *ubi proximè, num* 22. Tamburinus *d.* §. 6. *num.* 6. Suarez *in* 3. *diſput.* 81. *ſect.* 7. *verſ. Tertio obiter*. Coninch *de Sacrament. q.* 83. *art.* 3. *dub.* 3. *n.* 245. Leander *dd. iſp.* 7. *reſol.* 35. Denique prætermittendum non eſt, in ſacrario nihil etiam ſacrum præter Euchariſtiam recondendum, ut ex declaratione S. Congregationis tenet Barboſa *dict. allegat.* 22. *nu.* 3. Hæc de ornatu Altarium dicta ſufficiant, quia licèt alia adducant Doctores magis ad ſacrificii celebrationem pertinent, quàm ad ornatum: quare miſſa ex facimus.

CAPUT X.

De Oratoriis publicis, & privatis. Elucidantur textus *in c. Unicuique* 33. *c. Clericos* 34. *c. Si quis* 35. *de conſecrat. diſt.* 1.

SUMMARIUM.

Oratorium dicitur ab orando. Poteſt quis pro ſuo libito Oratorium privatum conſtruere. Oratorium etiam ſumitur pro qualibet ſacra æde, n. 1.

Dividitur in publicum, & privatum, & quæ ſint iſta Oratoria, n. 2.

In Oratorio publico celebratur Miſſa, numer. 3. *An debeat eſſe conſecratum, negativè reſpondetur. Explicantur cap. Nullus* 15. *cap. Hic ergo* 14. *de conſecrat. diſt.* 1. *num.* 4.

Sufficit quod Oratorium ſit benedictum, aut locus deſtinatus ab Epiſcopo ad celebrandum, n. 5.

Examinatur aliquorum doctrina aſſerentium, non eſſe culpam gravem circa contemptum in quolibet loco celebrare: ſed reiicitur, num. 6.

Limita niſi adſit gravis neceſſitas, & quæ ſit iſta, exemplis oſtenditur, n. 7.

Explicantur textus in cap. 1. c. Tabernaculum 2. Sicut 11. de conſecrat. diſt. 8. *n.* 8.

In his neceſſitatibus petenda eſt licentia ab Epiſcopo, ſeu ejus Vicario, ſic commodè haberi valet, n. 9.

Unde reſolvitur quæſtio, an in his neceſſitatibus ſit neceſſaria licentia, n. 10.

Eſt licentia Epiſcopi neceſſaria, ut aliqua perſona inſignis pro aliqua vice domi celebret, & ut Miſſæ pro defuncto dicantur, ib.

An Oratorium habens publicum ingreſſum, & privatum ad aliquam domum, comprehenditur ſub Decreto Tridentini, ne Miſſa ibi celebretur. Affirmandum videtur, numer. 11. *Sed in contrarium eſt communis ſententia, nu.* 12.

Explicatur communis doctrina, & admittitur ſi Oratorium habet campanam, n. 13.

An campanella ſit neceſſaria ad Oratorium publicum, Affirmant aliqui, & alteri negant: admittitur verò hæc ſententia, n. 14.

Si Oratorium iſtud magis deſervit ad privatam domum, comprehenditur ſub prædicto decreto, n. 15. *Secus ſi principaliter ad uſum publicum deſerviat. In mixtis attenditur qualitas potentior, n.* 16. & 17.

Oratoria publica gaudent immunitate, licèt tantùm ſint benedicta, non tamen privatum, n. 18.

Fit inſtantia. Aliqui dicunt, Eccleſias non habente Euchariſtiam non gaudere immunitate, & ſimiliter ſi ibi non celebrentur Divina Officia, n. 19.

Reſpondetur, & negantur hæc doctrinæ, exemplo Hoſpitalis, & cæteterii, n. 20.

Limita niſi conſuetudo ſit in contrarium, prout in aliquibus ditionibus, ubi pro levibus delictis tantùm conceditur immunitas, n. 21. *Fit inſtantia. Aliqui dicunt immunitatem Eccleſiarum eſſe de jure divino, ſed non admittuntur, n.* 22.

Ad immunitatem non requiritur, ut ibi celebrentur Divina Officia, n. 23. *Explicatur textus* in c. Eccleſiæ 9. de immunit. Eccleſiar. *n.* 24.

Bona Oratoriorum publicorum non alienantur abſque ſolemnitate, & dos eſt eis conſtituenda, n. 25.

Snb nomine Oratorii publici Eremitoria intelliguntur, & aſſignantur ſigna, ut cognoſcatur Oratorium authoritate Epiſcopi conſtructum, n. 26.

Quilibet in ſua domo poteſt erigere Oratorium privatum, dummodò Miſſa ibi non celebretur, n. 27.

Eſt dubium, à quo ſit præſtanda licentia, ut continuè in Oratorio privato celebretur, n. 28. *Supponitur olim Epiſcopos has licentias ediſſe, n.* 29.

An poſſint Epiſcopi poſt Tridentinum has dare licentias. Prima ſententia negat, & aſſerit derogatam eſſe hanc facultatem, n. 30. *Secunda affirmat, n.* 31. *Tertia conciliat has duas, n* 32.

Ponuntur verba Concilii, & explicantur, num. 23. *Colligitur ex eis non poſſe Epiſcopos dare hanc licentiam. Admiſſio unius eſt excluſio alterius, quoties excluſum nequit includi. Antiquatur jus aut per verba expreſſa, aut quando eſt in Decreto novo, ex quo ſequitur neceſſario antiquatio, n.* 34.

In praxi non eſt admittenda prima ſententia ex Conſtitutione ut Pauli V. & Urbani VIII. n. 35. *Ponuntur clauſulæ indultorum ad oratorium habendum Miſſam celebrandi cauſa, n.* 36.

Ex cauſa nobilitatis hæc indulta conceduntur, quæ ſufficit ex parte Patris, ſed an ex parte matris tantùm ſufficiat, negat Tamburinus, n 37.

Sed contrarium tenet Paſqualigius. Deſcendentes ex fœminis ex genere ſunt. Pater, & mater transferunt nobilitatem, n. 38.

Admittitur de jure communi hæc ſententia ut probabilis. In plurimis cauſis admittitur nobilitas matris, & quaſi nobiles iſti exiſtimantur, num. 39. *De jure noſtro Regio difficiliter eam admittemus. Sed nobilitas ex privilegio ſufficiet. Appoſita clauſula*, Ex nobili genere procreatus, *ſi nobilis non fuerit, corruit indultum, n.* 40.

Ratione infirmitatis ſolent ſimilia indulta concedi. An ceſſante infirmitate, ceſſet indultum, pendet ab alia quæſtione, an diſpenſatio, vel privilegium ceſſante cauſa ceſſent. Prima ſententia affirmat, ſecunda negat, n. 41.

Reſolvitur, quod ſi infirmitas eſt cauſa impulſiva, durat indultum, ea ceſſante, ſed ſi ſit finalis, & ceſſet ante indultum perfectum, ceſſabit, n. 42. *Si jam perfectum ſit, ceſſabit ſimiliter indultum oratorii, quia habet tractum ſucceſſivum, nu.* 43. *Ceſſat indultum ceſſante cauſa, ſi læditur jus tertii, vel ſi uſus reddatur iniquus, num.* 44.

In vigore Bullæ Cruciatæ poſſit quis habere oratorium, ut ibi celebretur. Prima ſententia affirmat, & aliqui aſſerunt Commiſſarium Cruciatæ poſſe dare hanc licentiam, n. 45.

Secunda tenet contrarium. Quæ ſunt ſpecialis notæ, non conceduntur, niſi expreſſim, num. 46. *Datur vera interpretatio verborum Bullæ, num.* 47. & 49. *Confirmatur num.* 50.

Admittitur ſententia negativa, & comprobatur: quod una via prohibetur, per alteram non conceditur, ſi per eam itur contra prohibitionem, nu. 51. *Fit inſtantia, cui reſpondetur, & negatur Commiſſariis facultas ſtandi licentiam ad oratoria, n.* 52.

An in oratoriis rectè deſignatis poſſint plures Miſſæ celebrari virtute Bullæ Cruciatæ, Supponitur in Indultum ſolùm dari facultatem dicendi unicam Miſſam, n. 53.

Affirmativè reſpondet prima ſententia, num. 54. *Quælibet conceſſio intelligitur pro unica vice, n.* 59. *Dictio* Vel, *ponitur inter æqualia, n.* 55. *Secunda ſententia negat, nu.* 56. & 57.

Admittitur hæc ſententia, ſicut & conſuetudo dicendi plures Miſſas in Oratoriis, non ex Bulla, ſed ex conſuetudine rectè præſcripta. Subſequuta obſervantia magis prævalet, quàm alia magis conformis interpretatio, num. 58.

An virtute Bullæ poſſit dici Miſſa in Oratoriis privatis diebus profeſtis in indulto exceptis? Affirmant plures, num. 59. Sed contrarium tenendum, niſi adſit conſuetudo uniformis; nec Regularibus id concedendum, num. 60.

Habens Indultum Oratorii nequit præjudicare juribus Parochialibus, & quæ ſint iſta, n. 61.

Explicatur indultum Oratorii quoad nomen Familiæ, *in quo ſtrictè interpretatur, n. 52. Intelliguntur hortulanus, Capellanus, inſervientes infirmo, & qui ſunt in communi ſervitio, n. 63.*

An ſi intra domum degant fratres, aut ſorores habentes diverſas familias, poſſint omnes uti indulto Oratorii fratri conceſſo? Aliqui affirmant. Beneficium Principis latè interpretandum, n. 64.

Alteri tenent contrarium. Beneficium Principis propriè latè interpretatur, aliàs ſecus, nu. 65. Admittitur hæc ſententia, ſed non ex ſuo fundamento. Comprehenſum in privilegio exiſtimatur, quod ſequitur ex expreſſo, numer. 66.

Famuli degentes ruri, venientes ad domum, utuntur rectè hoc privilegio, & etiam famuli domi non degentes, num. 67.

An in Oratorio privato poſſit celebrari familia præſente, & abſente domino? Negarunt aliqui, ſed tenendum contrarium. Dictio &, non ſemper copulat, ſed ponitur inter diverſas perſonas, n. 68.

In quibus indultis id conceditur Hoſpitalibus, & his qui ibid. hoſpitantur, extenditur ad eorum famulos, n. 69. & hoſpites unius diei, n. 70.

Nequit celebrari in Oratorio privato, niſi prius viſitato, & approbato ab Ordinario, vel habentes illius mandatum, num. 71.

An Oratorium viſitatum, & approbatum poſſit iterum viſitari, & approbari ab Ordinario. Aliqui negant, n. 72. Sed contrarium tenendum. Explicatur textus in cap. fin. de cenſib. *n. 73.*

Quid faciendum, ſi Ordinarius viſitare, & approbare renuerit. Aliqui dicunt, ſufficere petere, licèt non obtineatur. nu. 74. Alii tenent contrarium. Ablativus abſolutus importat conditionem, n. 75.

Epiſcopus non approbans Oratorium decens, & benè ornatum, peccat graviter, & tenetur viſitare, & approbare, num. 76.

Si renuat, recurrendum ad Superiorem, & Miſſa ibidem non eſt dicenda. Licentia injuſtè denegata, aliquando habetur pro obtenta, ſi eſt extrinſeca, non verò ſi ſit ſubſtantialis. Defenditur hæc ſententia. Argumentum ab inconvenienti eſt efficax, n. 77.

In aliquibus indultis ponitur clauſula, Ac ipſius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura. *Sed hæc clauſula importat arbitrium ſecundùm jus regulatum, non liberum, nu. 78.*

An privilegium habendi Oratorium privatum ſit perſonale, aut mixtum Prima ſententia dicit mixtum, ſecunda perſonale: quoties dirigitur in perſonam, eſt perſonale, nu. 79.

Diſtinguitur quando indultum dicit, In privato domus tuæ Oratorio celebrare liberè, & licitè poſſis. *In hoc caſu eſt privilegium perſonale, quia indulgetur perſonæ ratione alicujus qualitatis, nu. 80. Si verò dicat* Habeas Oratorium Matriti, (*v.g.*) *Mixtum eſſe tenent aliqui, num. 81. Sed tenendum eſſe perſonale. Qui habet indultum Oratorii in civitate, poteſt illud ruri habere; & qui in Diœceſi, valet habere extrà, num. 82.*

Morte Pontificis non extinguitur Indultum Oratorii, quia gratia facta non exſpirat morte concedentis, etiamſi dicat, Ad noſtrum beneplacitum: *nec morte Epiſcopi, etiamſi continuatio ab ejus licentia penderet, num. 83.*

Hoc Indultum non tranſit ad hæredes, licet Pelliziarius admittat, ſi contineat clauſulam, Ac de ipſius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura, *numer. 84. Sed contrarium tenendum. Clauſulæ acceſſoriæ non mutant ſubſtantiam, nec mutant naturam actus, numer. 85.*

An ſucceſſores virtute Bullæ Cruciatæ poſſint ibidem facere, ut celebretur? Affirmant aliqui n 86. Sed contrarium defenditur, n. 87.

ORatorium ab orando dicitur, & propriè eſt locus aptus 1
ad orandum, quem poteſt qui domi conſtruere, ut eſt textus *in cap. Unicuique 33. de conſecrat. diſt. 1.* Galganat. *de jur. public. lib. 3. tit. 59. n. 1* Rebuffus *de pacific. poſſeſſor. num. 268.* Barboſa *de univerſ. jur. lib. 2. cap. 8. nu. 1.* Veruntamen in Eccleſia Dei aliquando generaliter pro qualibet ſacra ede uſurpatur: nam à principio Eccleſiæ ob varias perſequutiones Oratoria in domibus privatis conſtruebantur, ubi Fideles ſecretè conveniebant ad conciones, & alia ſacra peragenda, & inſimul Miſſas celebrandas: quamobrem Eccleſiæ illæ, etſi parvæ, Oratoria dicebantur. Nicephorus *lib 7. Hiſt. cap. 2.* Unde Aurelianus *in vita S. Martialis*, conſanguineis ſuis ſic ſcripſit: *Conſtituit & ſupra dictum aliud Oratorium ante ſepulchrum ſuum, ut eſſet in honorem S. Petri, & aliorum Apoſtolorum.* Refert Durantius *de rit. Eccleſiæ, libr. 1. cap. 1. num. 13.* Bellarminus *tom. 1. de Rom. Pontifice, lib. 3. cap. 13.* Urrutigoyti *de Eccleſ. Cathedr. c. 15. nu. 79.*

Hinc enim Oratorium communiter dividitur in publi- 2
cum, & privatum. Publicum eſt quod in aliquo loco publico, ad inſtar Baſilicæ, vel Capellæ, authoritate Epiſcopi eſt fundatum, & habet oſtium patens in via publica. Fuſcus *de viſit. lib. 2. cap. 12.* Trullench *in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 4. n. 6.* Barboſa *dict. lib. 2. cap. 8. nu. 11.* Privatum verò eſt quod domi habetur abſque campana, & principaliter ad orandum deſervit, nec in eo dicitur Miſſa abſque Superioris legitimi licentia, Barboſa *d. cap. 8. nu. 10.* Urrutigoyti *cap. 15. numer. 79. in fin.* Paſqualigius *de ſacrific. Miſſæ, qu. 616.* Tamburinus *in Method. celebr. lib. 2. cap. 4. §. 4.* Diana *9. p. tract. 2. reſol. 2.* Fagnanus *in cap. In his, de privil. nu. 16.* Capponi *diſcept. 193. n. 4.*

De publicis Oratoriis, quæ aliquando Eremitoria, vel 3
Capellæ communiter dicuntur, in primis agendum eſt nobis, & poſtea longiori ſermone de privatis diſſeremus. Oratorium publicum illam habet facultatem, ut in eo poſſit Miſſa celebrari. Ratio eſt, nam hæc Oratoria inſtar Eccleſiæ conſtruuntur, habentque Campanile ad Fideles vocandos, ut Miſſam audiant, & ad id principaliter deputantur. Ergo in eis valet Miſſa celebrari prout quotidie praxis docet. Capponi *d. diſcept. 183. num 7. & 8.* illud verò graviſſimæ ab Omnibus Sacerdotibus obſervandum, nec in aliquo loco celebrent, niſi in locis deputatis, & ſacratis ad Miſſas celebrandas, *cap. Hic ergo 14. cap. Nullus Presbyter 15. de conſecrat. diſt. 1.* Felix Papa IV. *epiſt. 1. cap. 1.* cujus verba dat Henao *de ſacrificio Miſſæ diſput. 23. ſect. 1. nu. 2.* Concilium Carthaginenſe II. *cap. 9.* Cabilonenſe ſub Carolo Magno *can. 49.* Aquiſgranenſe ſub Ludovico *can. 84.* Turonenſe celebratum anno 1448. *can 6.* Trullenſe *can. 31.* Tridentinum *ſeſſ. 22. de obſervand. & vit. in celebratione Miſſ.* Alia decreta congeſſit Gratianus *cap. Miſſarum 12. cap. Clericos 34. de conſecrat. diſt. 1.*

Eſt tamen aliquod dubium, an Oratoria iſta publica ad 4
Miſſam in eis celebrandam neceſsariò debeant ab Epiſcopo conſecrari? Dat difficultatem textus *in cap. Nullus 15. de conſecrat. diſt. 1.* ubi hæc ſunt verba: *Nullus Presbyter Miſſas celebrare præſumat, niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis.* Similiter loquitur textus *in cap. Hic ergo 14. eadem diſtinct.* Ergo minimè celebrandum, niſi in Oratoriis ab Epiſcopo conſecratis. Sed tamen jura iſta non urgent, nam intelligenda ſunt juxta morem antiquum Eccleſiæ, quando gravius erat præceptum non celebrandi niſi in Oratorio, aut Eccleſia conſecrata. Aſt hodie id non obſervatur, quin potiùs aliqui dicunt, poſſe celebrare Sacerdotem abſque gravi culpa extra Eccleſiam, vel alium locum deputatum à Papa, vel ab Epiſcopo ad celebrandum, ſi ceſſet contemptus, nec adſit ſcandalum. Sotus *in 4. diſt. 13. qu. 2. art. 3.* Ludovicus Lopez *Inſtruct. 2. p. cap. 76. verſ. Cæterùm.* Sà *verbo Miſſa, num. 20.*

Sed in re dicendum, non eſſe jam neceſsariam conſecra- 5
tionem Oratorii, ſeu Eccleſiæ ad celebrandum, ſed ſufficere eſſe benedicta, aut ſi non ſint benedicta, deputata tamen ſint à Papa, ſeu ab Epiſcopo. Hanc concluſionem ponit

Paſqua-

Paſqualigius *de ſacrific. Miſſæ. quæſt.* 440. *nu.* 3. & probatur *ex dict. cap. Hic ergo* 14. *de conſecr. diſt.* 1. ibi: *In aliis locis ſacrificare, & Miſſas celebrare non licet, niſi in his, quibus Epiſcopus proprius inſervit, aut Epiſcopo regulariter ordinato.* Eſtque etiam textus *in cap. Miſſarum* 12. *eadem diſtinct.* hiſce verbis: *Miſſarum ſolemnia non ubique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel ubi ipſe permiſerit, celebranda cenſemus.* Cæterùm ratione probatur; nam difficilima eſt conſecratio, ſicut & conſecrare tot & tantas Eccleſias, ut ſunt hodie, & Oratoria publica, quæ faciliter eriguntur parvis expenſis. Tum grave foret Fidelibus quærere Eccleſiam, aut Oratorium conſecratum, ut Miſſam audirent: idcirco conſecratio non eſt neceſſaria, ſed ſufficit benedictio, aut deputatio Papæ, ſeu Epiſcopi. Denique hodie in hac concluſione dubitandum non eſt, ex Decreto Tridentini, ubi ſic decernitur: *Ne patiantur privatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem ordinariis deſignanda, & viſitanda, hoc ſacrificium à Sæcularibus, aut Regularibus quibuſcunque per agi.* Verba enim iſta nullam conſecrationem neceſſariò deſiderant, ſed tantùm Eccleſiam, aut Oratorium ad divinum cultum dicatum. Unde cognoſcitur ſufficere benedictionem, aut deputationem perpetuam ad Miſſas celebrandas, Suarez *in* 3. *p. diſput.* 81. *ſect.* 3. Vaſquez *diſput.* 233. *cap.* 1. Palao *Oper. Moral. to* 4. *tract.* 22. *diſq. un punct.* 8. *n.* 1. Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 15. *n.* 24. Fuſcus *de viſit. lib.* 1. *c.* 21. *n.* 8. Barboſa *de offic. Epiſc.* 2. *p. alleg.* 23. *n.* 1.

6 Hinc licèt in Oratoriis, & Eccleſiis non ſit neceſſaria conſecratio, non eſt tamen admittenda ſententia Soti, & aliorum aſſerentium eſſe culpam gravem in quolibet loco celebrare, dummodo non abſit contemptus, & ſcandalum. Dicendum eſt enim eſſe culpam lethalem de ſua natura, & probatur *ex cap.* 1. *de conſecrat. diſt* 1. ubi decernitur, alibi non eſſe celebrandum, niſi in loco ſacro, abſque magna neceſſitate: unde cognoſcitur gravitas præcepti. Tum *ex cap. Nullus* 15. *ead. diſt.* ubi pœna depoſitionis punitur, ſi Clericus contrarium faciat, quæ ſupponit culpam gravem. Idem ſumitur ex Tridentino *d. ſeſſ.* 22. Prętereà materia iſta gravis eſt, & continet gravem irreverentiam, ſi tantum ſacrificium in quolibet loco peragatur. Ergo erit grave peccatum. Palao *dict. punct.* 8. *nu.* 3. Henao *diſput.* 23 *ſect.* 1. *n.* 8. Leander *de ſacrific. Miſſ. tract.* 8. *diſput.* 6. *qu.* 5. Diana 2. *par. tract.* 14. *reſolut.* 38. Garcia *in Summa, tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 2. *punct.* 1. *n.* 5. Thomas Hurtado *reſol. moral.* 2. *par. tract.* 12. *cap.* 1. *n.* 2181. Paſqualigius *qu.* 442. *per tot.* Navarrus *in Man. cap.* 25. *n.* 82. Zerola *verbo Miſſa, n.* 1.

7 Erit tamen admittendum, ut Sacerdos extra Eccleſiam, aut Oratorium publicum celebret, quando urgeret gravis neceſſitas, ut eſt textus *in cap.* 1 *de conſecrat. diſt.* 1. Verùm quæ neceſſitas ſit illa gravis, exemplis demonſtrant Doctores, ſcilicet ſi longam peregrinationem peragas per loca deſerta, ſeu infidelium, ubi non occurrunt Eccleſiæ, tunc in Altari viatico poteris celebrare, ne tanto ſacrificio diu privatus exiſtas. Rurſus ſi Eccleſiæ, ſeu Oratoria ſint diruta, ne populus Miſſa careat, poteris extra locum ad id deſtinatum celebrare, *cap. Concedimus* 30. *de conſecrat. diſtinct.* 1. Deinde ſi Eccleſia, aut Oratorium ſit exiguum, ita ut non poſſit capere multitudinem advenientium, tunc foris poterit celebrari. Prorſus idem facere poteris, ne Milites diebus feſtivis Miſſa priventur. Similiter in littore maris, quando navigantes nequeunt naves deſerere, & Sacrum eſt præceptum audire. Congeſſerunt alia Palao *dict. punct.* 8. *nu.* 4. Sà *verbo Miſſa, nu.* 20. Navarrus *dict. cap.* 25. *num.* 81. Layman *in Summa, lib.* 5. *tit.* 5. *cap.* 5. *num.* 3. Paſqualigius *à quæſt.* 462. Tamburinus *dict. lib.* 1. *cap.* 6. §. 1. *num.* 3. Garcia *in Summa, tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 2. *punct.* 1. *n.* 6. Riccius 4. *p. deciſ.* 78. *num.* 4. Capponi *d. diſcept.* 183. *à num.* 60.

8 Sed contra hos caſus adeſt textus *in cap* 1. *cap. Tabernaculum* 2. *cap. Sicut* 11 *de conſecrat. diſt.* 1. ubi ad hanc celebrationem extra loca ad id deſtinata, graviſſima neceſſitas requiritur. Ergo hæ neceſſitates relatæ, quia graviſſimæ non ſunt, non ſufficient ad ſimilem celebrationem. Sed Layman *d. num.* 3. Palao *d. nu.* 4. inquiunt jam ex conſuetudine eſſe receptum, ut hæ neceſſitates graviſſimæ cenſeantur; & eſt ratio, nam neceſſitas dicendi Miſſam abſolutè non eſt conſideranda, ſed exiſtimanda neceſſitas quoad benè eſſe, quatenus auditio Miſſæ continet gravem utilitatem, & utilitas magna æquiparantur in Jure magnæ neceſſitati, *cap. In cauſis* 19. *de re judicat. c. Si poſt translationem* 11. *de renunciat. cap. Expoſuiſti* 33. *de præbend.* & cum aliis docet Paſqual. *qu.* 461. *n.* 4. Unde jura illa intelligenda ſunt de gravi neceſſitate, nempe de gravi utilitate, quæ quidem adeſt in ſimilibus caſibus ſuprà recenſitis, prout quando adeſt peſtilentia, quia tunc extra illa loca celebratur, ut cum aliquibus advertit Paſqualigius *qu.* 465.

Aſt in his caſibus magnoperè obſervandum, quod ſi Epiſcopus ſit præſens, id non fiat abſque illius licentia. Layman *d. numer.* 3. *in fine.* Quod idem aſſerendum exiſtimo, ſi commodè haberi poſſit, aut ejus Vicarius, qui urgente neceſſitate hanc licentiam præſtare valet. Navarrus *d. cap.* 25. *num.* 82. Barboſa 2 *part. allegat.* 23. *num.* 9. Diana 9. *part. tract.* 1. *reſolut.* 46. Ratio eſt, nam in caſibus ſuprà relatis celebratur extra Eccleſiam, vel Oratorium publicum ex tacita licentia Epiſcopi. Ergo ſi adeſt, aut commodè haberi poſſit, non præſumitur dare illam licentiam, quin potius præſumendum, velle ab eo peti, ut res tam gravis maturius, & maxima conſideratione fiat, Garcia *dict. difficult.* 8. *dub.* 2. *punct.* 2. *n.* 20. Bonacina *de Euchariſt. diſput.* 4. *qu. ult. punct.* 9. *nu.* 9. Si verò abſens fuerit, nec commodè haberi poſſit, nec ejus Vicarius, quidquid reſiſtant Bonacina, & Garcia *d. punct.* 1. *num.* 6. tutè à Parochis, vel ab aliis Sacerdotibus celebrari poterit. Tum quia ſunt jura id probantia: tum quia præſumitur tacita Epiſcopi licentia. Navarrus *d. capit.* 25. *numer.* 82. Barboſa *d. allegat.* 23. *num.* 9. *ad medium.* Lotterius *de re benefic. lib.* 1. *quæſt.* 30. *num.* 15. Thomas Hurtado 2. *part. reſol. Moral. tract.* 12. *cap* 1. *num.* 2179. 9

Hinc reſolvitur quæſtio illa graviter inter Doctores dimicata, an quando propter neceſſitatem celebratur extra loca deputata, ſit neceſſaria licentia Epiſcopi? de qua plures dat Paſqualigius *quæſt* 470. *n.* 2. & 3. Verùm ipſe defendit, quod ſi neceſſitas ſit evidens, minimè licentiam requiri. Sed ex dictis facilè reſolvitur, quod ſi præſens ſit Epiſcopus, aut ejus Vicarius, vel commodè haberi poſſint, petatur licentia, ſecus aliàs; quia ex duabus licentiis, ſcilicet juris, & tacita Epiſcopi, celebratur. Eſt tamen an imadvertenda neceſſitas, ut ſit urgens, & præciſa: ſi verò fuerit voluntaria, & cauſa devotionis, ſemper erit neceſſaria licentia Epiſcopi, ut ſi perſona inſignis, ſcientia, & nobilitate decorat vellet pro unica vice domi celebrare, aut apud ſe celebrari facere. Paſqualigius *q.* 458. Aut conſuetudine exiſtente, ut nobiliori defuncto, domi corpore præſenti vellent hæredes aliquas Miſsas celebrari: in his enim caſibus & ſimilibus ſemper eſt neceſſaria licentia. Paſqualigius *qu.* 457. Thomas Hurtado *reſol. Mor. tract.* 12. *cap.* 1. *in digreſſ.* §. 1. *dub.* 2. *n.* 2198. Capponi *d. diſcept.* 183. *n.* 62. 10

Eſt dubium, an Oratorium habens publicum ingreſsum, & ſimul privatum ad aliquam domum, comprehendatur ſub decreto Tridentini *d. ſeſſ.* 22. ut in eo poſſit Miſsa celebrari? Et negandum videtur, nam Concilium Tridentinum *d. ſeſſ.* 22. multos abuſus reiicere intendit in celebratione Miſsarum: quapropter ibidem Barb. *n.* 22. aſserit, in dicto decreto non comprehendi Oratoria publica, & habentia januas ad vias publicas; dum tamen feneſtræ in illis non adſint, ut ex domo privata ſacra audiant. Ergo multò magis ſi oratoria iſta habeant januam ad domum privatam. Cæterùm hæc Oratoria non propriè publica ſunt, ſed mixta, quatenus pertinent ad commoditatem domus privatæ, & publicam: ergo ſaltem ex parte illa comprehenduntur in dicto Decreto. Denique exeadem parte cauſatur irreverentia loco ad ſacrum deſtinato, & conſequenter in illo territorio Miſsa non rectè celebratur, & comprehenſum videtur in dicto Decreto. 11

Sed in contrarium eſt communis ſententia: & eſt ratio, quia ingreſsus privatus non tollit formam Oratorii publici; nam illud dicitur publicum, quod eſt omnium uſui deſtinatum, *l. Sed Celſus* 6 *l. Pacta conventa* 72 *§ Papinianus, ff. de contrah. empt. l. Riparum* 5 *ff. de rer. diviſ. §. fin. Inſtit. eod. tit.* Gratianus *diſcept. cap.* 678. *num.* 14. Ergo cùm in hoc Oratoria janua publica ſit omnium uſui patens, & ad id principaliter deſtinata, ſemper Oratorium erit publicum. Ergo minimè comprehenſum in dicto Decreto. Cæterùm nulla irreverentia ſequitur ex privato ingreſsu, quia ſolùm conceditur aliquibus perſonis, dummodo ſemper pateat publicus ingreſſus. Ac denique doctrina Barboſæ valet intelligi, quando feneſtræ iſtæ ita eſsent plurimę ad usũ privatum, ut magis Oratorium ad uſum privatum deſerviret, 11

quàm ad publicum. Ita tenent Thomas Hurtado *dict. 2. part. tract. 12. cap. 1. num. 2193.* Baldus *in quæſt. ſelect. lib. 4. quæſt. 10. §. 10.* Pax Jordan. *tom. 1. lucubrat. lib. 4. tit. 1. nu. 161.* Paſqualigius *quæſt. 449. à num. 2.* Diana *9. p. tract. 1. reſol. 21.*

13 In hoc dubio dicendum cenſeo, aliqua eſſe Oratoria publica, & ad id principaliter ordinata, cum campana, & aliis requiſitis à jure decretis, in quibus adeſt aliquis privatus ingreſsus, ex commoditate alicujus perſonæ illuſtris ad Sacrum audiendum: & in hoc caſu faciliter admitto communem ſententiam affirmantem, non comprehendi ſub dicto Decreto tale Oratorium. Erit ergo difficultas quando abſque campanili, ſed ſolùm authoritate Epiſcopi Oratorium conſtrueretur cum janua publica, & privata. Quo quidem caſu Oratorium ſub illo comprehendi videtur. Ratio eſt, nam cùm campana impoſita non ſit, ut populus ad Sacrum vocaretur, apparet Oratorium illud, licèt habeat januam publicam, magis ad uſum privatum per privatum ingreſſum fuiſſe ædificatum, & conſequenter comprehendi ſub prædicto Decreto.

14 Sed dubium iſtud pendet ab alia quæſtione, nempe an campanula ſit neceſſaria ad hoc ut Oratorium dicatur publicum. Affirmarunt Trullench *in Bull. lib. 1. §. 1. dub. 4. num. 5.* Barboſa *dict. lib. 2. cap. 8. nu. 11.* Negarunt Thomas Hurtado *2. part. tractat. 12. cap. 1. nu. 2194.* Paſqualigius *q. 449. num. 7.* & dant rationem, nam campana eſt ſignum Oratorii publici, ac proinde ſupponit jam publicum. Ergo non eſt neceſsaria ad publicum Oratorium. Admitto hanc ſententiam; nam Trullench & Barboſa apertè non luquuntur, nec dicunt campanile eſse neceſsarium præcisè ad publicum Oratorium.

15 Hoc ſuppoſito, dico magna conſideratione proſpiciendum, an ſimile Oratorium abſque campanili ſit conſtructum cum ingreſsu privato, magis ad commoditatem habentis privatum ingreſsum, quàm ad uſum publicum: & tunc dico comprehendi ſub dicto decreto, quia conſtructio illa magis facta videtur in fraudem Decreti, aperiendo januam publicam, quàm ut fiat publicum Oratorium: itaque quamvis habeat januam publicam, erit privatum Oratorium, nec fraus illa debet ædificantem ſuffragare, *leg. Itaque fullo, ff. de furt. c. Dilectum 30. q. 1. cap. 2. de dolo & contumac.* Menochius *de Arbitrariis, lib. 2. caſu 182. nu. 60.* Tuſchus *lit. F. concluſ. 474.*

36 Si verò à principio Oratorium iſtud ſit principaliter deſtinatum ad uſum publicum, & ad id janua publica aperiatur, licèt habeat aliud privatum ingreſsum, erit Oratorium publicum, etiam abſque campanula, ſi apertum ſit oſtium, & cum aliquo tintinnabulo fiat ſignum ad Miſsam celebrandam, ut benè docet Thomas Hurtado *d. cap. 1. num. 2194.* nec in dicto Decreto comprehenditur ratio, nam Oratorium iſtud, licèt abſque Campana, eſt per ſe Oratorium publicum, & ad id principaliter ordinatum, & per accidens eſt, quod habeat privatum ingreſsum, ex quo ſi cauſetur aliqua irreverentia, poteſt Epiſcopus præcipere, ut claudatur. Ergo minimè comprehenditur ſub dicto Decreto. Præterea licèt mixtum conſideretur Oratorium, iſtud attamen ſemper ſtat publicum, quia in mixtis attenditur qualitas potentior, & trahit ad ſe minùs principale, *l. Legatis 65. §. Si unus, ff. de legat. 3.* Gabriel *lib. 1. conſ. 2. n. 17.* Gratianus *t. 3. cap. 56. n. 24.* Larrea *dec. 1. n. 9. & 22.* Ergo cùm Oratorium iſtud principaliter ſit conſtructum ad uſum publicum, tanquam qualitas potentior, ſemper trahet ad ſe qualitatem minorem ingreſsus privati, & conſequenter ſub dicto Decreto non comprehendetur.

17 Eſt verò animadvertendum, quod ſi pro aliqua vice claudatur janua publica Oratorii, & celebretur Miſsa, adhuc remanebit publicum: ſecus ſi continua celebratione id fieret, quia reduceretur ad Oratorium privatum comprehenſum in dicto Decreto. Paſqualigius *deciſ. 173. num. 3. & de Sacrific. Miſſæ, q. 450. per tot.* Quintana Duenas *tom. 1. ſing. tract. 7. ſing. 33. in fin.*

18 Rurſus Oratoria publica gaudent immunitate, ita ut ab eis rei à judice laico nequeant extrahi; nam Oratoria iſta authoritate Epiſcopi eriguntur, & perpetuò dicantur divino cultui, & ſunt loca ſacra, & religioſa. Ergo fruuntur immuuitate, *cap. Eos 6. diſt. 87. cap. Inter alia 6. de immun. Eccleſ.* Concilium Claromontanum ſub Urbano II. *c. 29. & 30.* Synodus Romana ſub Innocentio II. *can. 12.* Rhemenſis *can. 4.* Aurelianenſis IV. *can 21.* Mariſconenſis II. *can. 8. & 9.* Toletanum II. *can. 12.* Tridentinum *ſeſſ. 25. de reformat. cap. 20.* Quod non ſolùm intelligendum, quando ſunt ſacrata, verùm etiam ſi tantùm ſint benedicta, aut authoritate Epiſcopi cultui divino deputata, *c. Eccleſia 9. de immunit. Eccleſiar.* Paz *in praxi, tom. 1. p. 5. cap. 3. §. 3. n. 24.* Cæterùm, nam Oratoria iſta, ex eo quod cultui divino ab Epiſcopo fuerint deputata, nequeunt ad uſus profanos redire; *cap. Ad hæc 4. de relig. domib.* quapropter tanquam religioſa loca cenſentur, & conſequenter gaudent immunitate Paz *d. §. 3. num. 29.* Lezana *verbo Immunitas, n. 2.* Farinacius *in Appendice de Immunit. cap. 17. n. 267.* Barboſa *de univerſ. lib. 2. cap. 3. num. 67.* Diana *9. p. tract. 1. reſolut. 18.* Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 15. num. 39. & conſ. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 2.* Delbene *de immunit. cap. 16. dub. 9. ſect. 12. à num. 1.* qui omnes licèt immunitatem concedant Oratoriis, ſeu Eremitoriis publicis, denegant tamen privatis, quia in eis non datur hæc perpetua deputatio. Urrutigoyti *de Eccleſia Cathed. cap. 26. n. 252.*

Sed dices, Oratoria iſta publica, licèt ſint authoritate 19
Epiſcopi erecta, & perpetuò dicata, tamen in omnibus non eſt Euchariſtia. Ergo nec in eis concedenda immunitas, quia ob reverentiam tanti Domini aſylum conceditur, & non aliàs, ut ſcripſit Covarruv. *lib 2. var. cap. 20. num. 4.* Clarus *§. fin. q. 30. num 30.* Tuſchus *verbo Eccleſia, concluſ. 9. num. 19.* Sarpus *de jure aſylor. cap. 4.* Tum quia ibidem divina officia non celebrantur, aut nunquam celebrari inceperunt, quapropter nequeunt immunitate frui, ut in *cap. Inter alia*, tenet Gloſſa *verbo celebrentur*, Butrius *num. 2. & 3.* Tuſchus *ubi proximè, num. 16.* Ambroſius *de immunit. cap. 10. num. 2.* Decianus *tract. crim. lib. 6. cap. 24. num. 24.*

Verùm reſpondetur, ad immunitatem præcisè non requi- 20
ri, ut adſint in Eccleſia, aut Oratorio Euchariſtia; conceſſa enim eſt loco ſacro, tanquam domui Dei, ab Epiſcopo perpetuò ei dicatæ, *c. Eccleſia 9. de immunit. Eccleſiar.* & ex relatis *num. 17.* Idcircò Hoſpitale authoritate Epiſcopi inſtructum, etiamſi in eo non ſit Euchariſtia, aut divina officia non peragantur, gaudet immunitate. Paz *d. §. 3. nu. 28.* Farinacius *in Appendice, cap. 17. num 265.* Trullench *lib. 1. Decalog. cap. 11. dub. 1. n. 7.* Delbene *d. cap. 16. dub. 9. ſect. 1. n. 12.* Ergo ſimiliter dicendum eſt de Oratorio publico non habente Euchariſtiam, aut ſi ibidem divina officia non celebrentur. Quamobrem ſententia illorum Doctorum hæc duo ad immunitatem requirentium, communiter probatur. Peregrinus *de immunit. cap. 4. n. 1.* Bonacina *in Summa, tom. 2. diſp. 3. q. 7. punct. 4. n. 2.* Farinacius *d. cap. 17. n. 253.* Bezerra *de jure ſacro, lib. 2. cap. 2. n. 1.* Delbene *d. cap. 26. d. 9. ſect 1. num 7.* Diana *6. part. tract. 1. reſolut. 1. verſ. Ad id verò.*

In aliquo enim caſu admittenda eſt doctrina illorum, 21
nempè quando in aliqua ditione adeſſet legitima conſuetudo rectè præſcripta contra Tridentinum, & coſtitutionem Gregorii XIV. quia tunc erit obſervanda, nec Oratorium, ſeu Eccleſia abſque Euchariſtia, aut celebratione Divinorum Officiorum immunitate gaudet; nam immunitas iſta eſt de jure poſitivo, adversùs quam prævalet conſuetudo legitimè præſcripta: quare in materia hujus immunitatis ſtandum eſt conſuetudini. Covarruv. *dict. lib. 2. cap. 20. num. 4.* Clarus *dict. 30. num. 3. verſ. Hujuſmodi*, Faria *ad Covarruv. d. cap. 20. num. 38.* Guazzinus *de defenſ. reor. defenſ. 1. cap. 37. n. 5.* Delbene *d. ſect 1. n. 7.* Unde aliqui Doctorum aſſerunt, conſuetudiem aliquarum Provinciarum eſſe obſervandam, ubi hæc immunitas tantùm pro levioribus delictis conceditur, pro gravioribus negatur. Guazzinus *d. defenſ. 1. cap. 34. num. 1. & 2.* Baiardus *ad Clarum, d. q. 20. n. 5.*

Sed dices, immunitatem locorum ſacrorum eſſe de 22
jure divino, ut tenent plures congeſti à Bobadilla in *Polit. lib. 2. cap. 14. num. 3.* Ergo nulla conſuetudo poteſt prævalere adversùs hanc immunitatem, ut tenent Ambroſius *de immunit. cap. 5. per tot.* Guido Papæ *deciſ. 425.* Decianus *d. lib. 6. cap. 27. num. 6.* Tuſchus *litt. I. concluſ. 59.* Sed reſpondetur, immunitatem eſſe de jure Eccleſiaſtico; nam ut docet S. Thomas *1. 2. q. 108. art. 1. & 2. & quodlibet. 4. art. 13.* Chriſtus Dominus nulla præcepta nobis reliquit, niſi Fidei, & Sacramentorum, & juris naturalis: quapropter alia præcepta, veluti immunitatis, de jure ſunt poſitivo, licèt ad exemplar veteris Legis fuerit inſtituta, cujus teſtimonia dat Bobadilla *d. cap. 14. num. 3.* Becanus

in

in Analogia utriuſque Teſtament. cap. 20. *num.* 3. Marquez *Governad. Chriſt. lib.* 2. *cap.* 31. §. 1. Ergo dicendum, immunitatem eſse de jure poſitivo. Covarruv. *d. cap.* 20. *num.* 2. Decianus *lib.* 6. *cap* 25. Bobadilla *dict. n.* 3. Trullench *dict. dub.* 1. *n.* 1. Farias *d. cap.* 20. *n.* 8. Ambulenſis *in Ioſuè c.* 20. *q.* 1. Unde conſequitur, quamlibet conſuetudinem legitimè præſcriptam valere adverſùs immunitatem hanc, & ita ſi conſuetudo ſit, ne immunitas concedatur, ubi non adeſt Sanctiſſimum Sacramentum, id erit obſervandum. Farias *d. cap.* 20. *n.* 30.

23 Quoad aliam propoſitionem, ſcilicet non eſse concedendam immunitatem Eccleſiis, ſeu Oratoriis, ubi non celebrantur divina officia, aut celebrata non ſunt, ſimiliter à pluribus non admittitur; nam ex eo quod locus ille eſt ab Epiſcopo deſtinatus ad ſacra peragenda, eſt religioſus, cui immunitas de jure eſt conceſsa: nec intereſt, an celebrata ſint, necne, quia id eſt per accidens. Sylveſter *verbo Immunitas*, *n.* 1. & 2. Sanchez *conſ. lib.* 6. *cap.* 1. *dub. n.* 2. Bezzerra *de jure ſacro, lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 1. Delbenè *d. cap.* 16. *dub.* 9. *ſect.* 1. *n.* 9. Guazzinus *d. defen.* 1. *cap.* 37. *n.* 3. Palao *tom.* 2 *diſput.* 1. *punct.* 6. *n.* 19. Ergo contraria doctrina non eſt admittenda, & reſoluta eſt inſtantia.

24 Sed obiicies textum *in c. Eccleſia* 9. *de immunit. Eccleſiarum*, ubi aſſeritur, Eccleſias ubi divina officia celebrantur, immunitate gaudere. Ergo non gaudent, ſi celebrata non fuerint. Sed tamen Abbas *ibidem*, *num.* 9. exponit, ſi celebrentur, aut celebranda ſint, aut aliter de conſuetudine obſervatur; quia ſi ex conſuetudine obſervatur, ne Eccleſiæ, aut Oratoria immunitate gaudeant, niſi ibidem fuerint officia divina celebrata, id erit obſervandum, ut illum textum etiam intelligit Pax *dict. cap.* 3. *à num.* 24. Ergo dicendum, Oratoria publica authoritate Epiſcopi erecta immunitate gaudere, ſicut etiam tenent Barboſa *d. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 13. Urrutigoyti *de Eccleſia Cathedr. cap.* 28. *num.* 250. Guzzinus *d. cap.* 37. *num.* 29. Delbene *d. ſect.* 1. *num.* 4. Bezerra *d. cap.* 2. *num.* 9.

25 Præterea Oratoria iſta publica gaudent privilegio, ne bona illorum abſque ſolemnitatibus juris alienentur, ſicut & bona Eccleſiarum. Ratio eſt, nam hæc publica Oratoria authoritate Epiſcopi eriguntur, & ſunt loca ſacra & religioſa: quapropter ſimile privilegium habent. Barboſa *d. c.* 8. *n.* 14. qui etiam aſſerit, dotem eſse conſtituendam in Oratorii erectione, ſicut Eccleſiæ.

26 Sunt tamen, antequam hinc abeamus, duo animadvertenda. Primum ſub nomine Oratorii, etiam Eremitoria authoritate Epiſcopi conſtructa intelligi. Trullench *d. c.* 11. *dub.* 1. *nu.* 9. Pax *d. cap.* 3. §. 3. *num.* 28. Secundum, quod aliquando ſolet dubitari, an Oratorium ſit authoritate Epiſcopi fundatum: & ad id cognoſcendum, ſunt aliqua ſigna proſpicienda: & in primis, an Oratorium, ſeu Eremitorium ſit antiquum, de cujus fundatione memoria non extat. Si ſint conſtructa in formam Eccleſiæ, ubi Miſsæ celebrantur. Idem dicendum ſi ibidem Divina celebrentur, omnibus indifferenter ad illa admiſſis. Tum ſi per decennium ſine contradictione Divina celebrentur. Denique ſi habet Altare, ſeu campanile. Congeſserunt Decianus *lib.* 6. *crim. cap.* 25. *n.* 16. Maſcardus *de probat. concluſ.* 869. *à n.* 1. Bezerra *d. l.* 2. *cap.* 2. *n.* 9. Trullench *d. lib.* 1. *cap.* 11. *dub.* 1. *n.* 9. & diximus *lib.* 4. *cap.* 11. *à n.* 10.

27 Hæc de Oratoriis publicis dicta ſufficiant: tranſeamus nunc ad Oratoria priuata. Et in eis illud eſt certum, poſse quemlibet in domo ſua Oratorium conſtruere, & habere authoritate ſua propria, dummodo in illo Miſsa non celebretur, *c. Unicuique* 33. *de conſecrat. diſt.* 1. cujus hæc ſunt verba: *Unicuique fidelium in domo ſua Oratorium licèt habere, & ibi orare: Miſſas autem celebrare non licet.* Et ratio eſt, nam optimum eſt, ut privatim Fideles in domibus Dominum deprecentur, & laudent, ut eis perpetuò timor, & amor Domini permaneat. Bengeus *de benefic. de Fundat. Eccleſ. cap.* 2. §. 1. *n.* 1. Fagnanus *in c. Ad hæc* 4. *de relig. domib. n.* 52. Capponi *tom.* 3. *diſcept.* 183. *n.* 17.

28 Eſt tamen dubium graue, à quo præſtanda ſit licentia ad hoc ut in his Oratoriis priuatis poſſit licitè Miſsa celebrari, In quo ſupponimus quæſtionem non eſse, quando hæc licentia peteretur pro aliqua vice, graui exiſtente cauſa, ut jam ſupra diximus; quia tunc poterit ab Epiſcopo concedi. Erit ergo difficultas de licentia celebrandi aſſiduè in Oratoriis priuatiis nobilium: quod hodie ita in abuſum irrepſit, ut non ſolùm hæc oratoria nobilibus concedantur, ſed etiam ignobilibus, & ſordidis occupationibus addictis.

De jure antiquo ſimiles licentiæ ab Epiſcopo concedi poterant juſta exiſtente cauſa, nempe ſi Parochia longè diſtaret, & propter diſtãtiam loci familia ad audiẽndam Miſſam fatigaretur, *c. Clericus* 34. *c. Si quis* 35. *de conſecrat. diſt.* 1. ubi hæc cauſa deſignatur: & eſt ratio, nam cùm tunc temporis paucæ adeſſent Eccleſiæ, ne Fidelibus ſacra myſteria deficerent, conceſſum eſt hanc licentiam præſtare, ſicut eis conceſſum erat exiſtente cauſa licentiam dare ad celebrandum extra loca ad id deſtinata, *cap.* 1. & 2. *c. Miſsarum* 12. *de conſecr. diſt.* 1. Ergo tunc temporis ad continuè celebrandum in Oratorio privato, ſufficiebat licentia Epiſcopi, cauſa exiſtente. Bengeus *d.* §. 1 *n.* 1. & 2. Trullench. *in Bull. lib.* 1. §. 3. *dub.* 4. *num.* 6. Navarrus *in man. cap.* 26. *n.* 68. Barboſa 2. *p. alleg.* 23. *n.* 6. 29

Nunc dubitatur, an hæc facultas ſublata ſit Epiſcopi per Concilium Tridentinum, *d. ſeſs.* 22. Prima ſententia negat derogatam, quia Concilium minimè tractat de abroganda facultate Epiſcoporum circa hanc licentia, ſed de tollendis quibuſdam abuſibu s circa celebrationem Miſſarum. Idcircò aſſerit, non eſſe Miſsas celebrandas, niſi in quibuſdam locis ab Epiſcopo deſignandis, & ab eo viſitandis, ut omni decentia, & ornatu Miſsæ celebrentur. Hinc Epiſcopis non aufertur hæc facultas, verùm eam quam anteà habebant, confirmat Concilium. Cæterùm jurium antiquorum revocatio minimè eſt admittenda, niſi expreſſim fiat, *leg. Præcipimus* 3. *C. de appellat.* ubi Scribentes, & in ſpecie Riccius *in praxi for.* 1. *edit. dec.* 538. *nu.* 2. aliàs 466. Ergo cum in Decreto, Concilii minimè revocetur hęc facultas expreſſim, ſequitur adhuc durare. Sà *verbo Miſsa, n.* 20. Navarrus *conſ.* 5. *de privilegiis*, Piaſecius *in praxi Epiſcop.* 1. *part. cap.* 5. *num.* 8. Layman *in Somma, lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 5. *nu.* 4. Raguſius *de Miſs. quæſit.* 57. Rodriguez *quæſt. regul. tom* 1. *q.* 43. *art.* 6. Palao *tom.* 4. *Oper. moral. tract.* 22. *diſp. un. punct.* 8. *à num.* 6. 30

Secunda ſententia affirmat eam reſervatam eſse Summo Pontifici. Sic declaravit Sacra Congregatio apud Barboſam *in Summa, verbo Oratorium, collect.* 541. *num.* 2. & 3. ibi affert duas declarationes, ubi juſsu Sanctiſſimi decretum eſt, ut intimaretur Archiepiſcopis, & Epiſcopis, eſse derogatam hanc facultatem, & Pontifici reſervatam. Eſt etiam alia declaratio apud Bellarminum ad Concilium *ſeſs.* 22. *c.* 6. idem probans hiſce verbis: *Epiſcopus non poteſt concedere licentiam celebrandi in Oratoriis poſitis in domibus privatorum, ſed hæc licentia petenda eſt à Papa.* Unde ex his declarationibus conſtat, mentem fuiſse Concilii derogare huic facultati. Deinde probatur, nam quando Concilium voluit abuſus celebrandi tollere, non ſufficienter provideret, niſi hanc facultatem Epiſcoporum tolleret, ex quorum incuria, & abuſu tanta damna in celebratione emerſerant. Guttierrez *can. lib.* 1. *q.* 30. *n.* 24. Coninch *de Euchariſt. q.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *n.* 225. Henao *de ſacrific. Miſsæ, diſp.* 23. *ſect.* 2. *num.* 5. Bonacina *de Euchariſtia, diſp.* 4. *q. ult. punct.* 9. *n.* 11. Lotterius *de re benefic. lib.* 1. *q.* 30. *n.* 15. Cardozo *verbo Epiſcopus, n.* 9. Paſqualigius *de ſacrific, Miſsæ, q.* 616. Magiſtris *Sylu. Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 7. 31

Tertia ſententia has duas opiniones conciliat dicendo, ſolum Concilium derogaſse huic facultati Epiſcoporum, quando non deeſset juſta cauſa; ſecus verò ſi adeſset. Barboſa *d.* 2. *p. alleg.* 23. *num.* 9. Garcia *in Summa, tract.* 3. *diffic.* 8. *dub.* 3. *punct.* 2. *n.* 13. *ad fin.* 32

In hoc dubio penſanda ſunt verba Concilii anſam huic difficultati præbentia, ibi: *Ne patiantur privatis in domibus atque omninò extra Eccleſiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium à ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcunque peragi.* Ex his enim verbis Doctores primæ ſententiæ aſserunt, non eſse derogatam, quin conceſsam hanc licentiam, & falcultatem Epiſcopis, ut eam dare poſſint in Oratoriis privatis, dummodo ab ipſis deſignẽtur, & viſitentur, ita ut magna honeſtate, & reverẽtia in illo loco privato, ab aliis curis domeſticis ſegregato, & decenter ornato Miſsa celebretur. Verùm contrarii meliùs perceperunt illa verba, dicentes Oratoria illa *in quibus ab Epiſcopo deſignatis, & viſitatis* eſt Miſsa celebranda, non eſse illa privata domorum loca, quæ pro libito habentur, ſed tantùm Oratoria publica ſignanda, & viſitanda ab Epiſcopo, ita ut ſenſus ſit, minimè ab Epiſcopis permittendum Miſsam celebrari, 33

niſi in illis Eccleſiis, aut Oratoriis publicis ad divina peragenda deſtinatis.

34 Unde conſequitur, Epiſcopos non poſſe permittere, nec dare licẽtiam ut in Oratoriis privatis Miſſa celebretur. Ratio eſt, nam ex eo quòd tantùm conceditur Epiſcopis, ut patiantur Miſſas celebrari in Eccleſiis, aut Oratoriis publicis ad id deſignatis, ſequitur ut non poſſint dare licentiam, ut in privatis locis celebretur; permiſſio enim, & admiſſio unius, eſt excluſio alterius, *cap. Nonne 5. de præſumpt.* quæ quidem Regula optimè procedit quoties excluſum nequit alio modo includi, ut in præſenti notat Menochius *conſ.406. num.44.* Caldas Pereira *quæſt. forenſ. conſ 4.n.20.* Surdus *dec.291. num.55.* Tuſchus *tom.4. litt. I concluſ. 71.* Ergo Epiſcopi nequeunt dare licentiam ad celebrandum in Oratoriis privatis ex vi illius Decreti. Cæterùm duobus modis jus antiquatur, aut per verba expreſſa, aut quando aliquid in Decreto novo præcipitur, ex quo neceſſariò revocatur jus antiquum. Cùm ergo ex dictis verbis ſequatur per neceſſe, ne Epiſcopi dent licentias ad celebrandum in Oratoriis privatis, ſequitur derogatio juris antiqui, idcircò expreſſio non eſt neceſſaria: quare amplector ſecundam ſententiam, ut etiam tenet Villalobos *in Summa, 1. part. tract.8. difficult.23. num 2.* Averſa *de Euchariſt. quæſt.11. ſect.14. verſ. Multò minus*, Trullench *lib.3. de Sacram.c.9. dub.14. n 2.*

35 Ad praxim verò Domini Epiſcopi minimè primam ſententiam ſequantur, eſt enim Conſtitutio S.Pii V. 10. Martii 1615. ubi licentia dicendi Miſſam in Oratoriis reſervatur Sedi Apoſtolicæ. Et quamvis die 30. Junii 1618. hanc poteſtatem ſub quibuſdam limitationibus reſtitueret Epiſcopis; attamen Urbanus VIII. iterum, atque iterum ademit abſolutè, ut refert Portel. *t.2. reſponſ.regul.3.p.caſu.20.* Diana 9. *p. tr.1. reſolut.42.à verſ. Non tamen.* Henao *d. ſect. 2. nu.15.* aſſerens hoc interdictum in Hiſpania vigere, non in Germania.

36 Hinc hodie qui Oratoria domi habere voluerint, indultum à Sede Apoſtolica impetrant, ut Miſſa ibidem celebretur. Quod quidem indultum ad unguem debet obſervari, ut cætera privilegia, *cap. Porrò 7 cap. Ex parte 13. cap. Petitiſtis 20. de privilegiis*, ita ut ultra limites illius nequeat extendi. Paſqualigius *q. 616. in fin.* Communiter Brevia iſta aliquas clauſulas continent, nempe ut impetrans ſit ex nobili genere procreatus, aut propter aliquam infirmitatem. Tum ut Oratorium ad hoc ſit decens, & ornatum, & omnibus curis domeſticis liberum, ab ordinario loci viſitandum, & approbandum. Deinde ut Miſſa celebrari poſſit per quemcunque Sacerdorem ſæcularem, vel regularem, de ſui Prælati licentia. Itidem ut indultum intelligatur abſque jurium Parochialium præjudicio, & exceptis diebus Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis. Ac denique adiici ſolet, ne aliæ perſonæ præter familiares adimpleant præceptum audiendo Miſſam in prædictis oratoriis. Refert Diana 9 *p tract 1. reſolut.1.* Riccius *d. deciſ. 538. num. 2. verſ. Ex quibus.* Marchinus *de ordine, 3. par. tractat. 3. cap.9. à num. 8.* Paſqualigius *de ſacrific. Miſſæ, q. 618.*

37 Circa has conditiones, & requiſita plura inſurgunt dubia. Et in primis quæ nobilitas ſit neceſſaria ad valorem indulti, in quo hæc verba ſolent apponi: *Qui ut aſſeris, de nobili genere procreatus.* Nobilitas enim ex parte patris eſt ſufficiens. Eſt tamen dubium, an ſufficiat tantùm ex parte matris, licèt pater ſit ignobilis. Negavit Tamburinus in *Meth. celebr. lib.1. cap.4. §.4. num 3.* quia abſoluta nobilitas ſolùm ex parte Patris procedit, non ex matre, prout in diſpenſationibus ſcripſit Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 19. num.6.*

38 Sed contrarium tenet Paſqualigius *q. 622. num. 2.* quia ad juſtificandam narrativam, ſufficit hæc nobilitas matris; ex eo enim quod clauſula dicat, *Ex nobili genere*, intelligitur nobilitas matris, cùm filius ſit ex genere illius Menoch. *conſ 825.n.65.* Lopez *in l 3. tit.13.p.6. in gloſſa magna*, Rota apud Duranum *dec.8. num 7.* Tum quia ex patre, & matre tranſcenditur nobilitas in filios, *l.fin. de Senatorib.* & ideò ſufficit, ut quis dicatur nobilis, ſi habeat matrem nobilem. Menochius *conſ 227 n.1.* Franchis *dec.2.n.28.* Rota *4.p.rec. dec. 575. nu.5.* Ergo juſtificabitur narrativa, ſi ſit nobilis ſolùm ex parte matris.

39 Hæc ſententia probabilis eſt de jure communi; nam in plurimis caſibus nobilitate matris filii fruuntur, licèt Patres fuerint igobiles, *l. Feminæ 8. l. Nuptiæ 12. ff. de Senatorib. l. Eum qui 10. Si nupta, & §. Si injuria, ff. de injuriis, l. Nati, C. de Decurionib. l. fin. C. de agricolis, & cenſit. lib.10.* & quaſi nobiles, exiſtimatur. Baldus *in l. ult. in fin. Cod. de ſerv. fugitivis.* Tiraquellus *de nobilit. cap.19. n.26* Guardiola *de nobilit. cap.8.* Pichardus *de nobilit. communicand. à n.14.* Moreno *de la nobleza, diſc.3. n.14.* Quapropter ex eo quod impetrans indultum ſit nobilis ex parte matris, ſufficienter verba illa verificantur, prout in multis nationibus pro nobilibus habentur. Tiraquellus *d cap.19. à nu.22.* Pichardus *ubi proximè, n.14.*

40 De jure tamen noſtro Regio id non facilè admittendum, apud noſtrates enim parum de nobilitate matrum curatur, *l.1. tit. 11 p.7. l.3 tit.21. p.2. l.4. tit.21. p 4* & in aliis quam plurimis, Otalora *de nobilit.1. p. cap.1.* & 3. & alii relati *lib. 3 cap.10. n.21.* quapropter verba illa non ſatis in Hiſpania verificantur, & conſequenter non facilè admittenda eſt ſententia Paſqualigii. Nobiles ex privilegio ſatis ſunt ad hoc indultum, cùm privilegiis Nobilium perfruantur, ut benè advertit Paſqualigius *d.q.622.à n.5.* Verùm clauſula iſta appoſita, ſi nobilis non fuerit, neutiquam indultum ſuſtinebitur. Paſqualigius *q.623. per tot.*

41 Solent aliquando indulta iſta Oratorii privati concedi propter cauſam gravis infirmitatis, utpote quando perſona eſt impedita è domo exire. Unde dubitatum vidi, an extincta infirmitate, adhuc duret indultum Oratorii, & in eo celebrandi. Hæc difficultas pendet ab alia, an diſpenſatio, ſeu privilegium conceſſum propter aliquam cauſam, ea ceſſante ceſſet ipſummet privilegium, ſeu diſpenſatio. Affirmarũt Sanchez *lib 8. de matrim. diſp.30. à num.13* Tiraquellus in *tract. Ceſſante cauſa, limit.23.n.11* Granados *in 2.p.controv. 7.tr.3.p.2. difficult.17 ſect.4. n.36.* Negarunt Angelus *verbo Diſpenſatio, n.14.* Sylveſter *eodem verbo, n.6.* Sà *verbo Gratia, n.6.* & 10. Guttierez *de matrim. cap.126.n.6.* Maſcardus *de Probat. concluſ.1126.n.20.* Unde in hoc dubio dicendum videtur, utramque partem eſſe probabilem, & conſequenter ceſſante infirmitate poſſe durare indultum celebrandi in Oratorio.

42 Sed in re dicendum, cauſam infirmitatis duobus modis eſſe contemplandam, aut quando eſt cauſa impulſiva, aut quando finalis: ſi enim eſt cauſa impulſiva, etiamſi ceſſet, durabit indultum: ſi verò fuiſſet cauſa finalis, ſi ceſſet tempore impetrationis, aut tempore quando ab Ordinario viſitatur, & dat licentiam, & approbationem, tunc ceſſat indultum; quia adhuc gratia perfecta non eſt, & ita cauſa ceſſante ceſſabit, ut latè docet Sanchez *d. diſp.30. à n.7.* Bonacina *de legibus, diſp.1 q.2. punct.10. §.1. propoſit.3. à n.5.* Diana 8 *p. tract.3. reſol.24. in princ.*

43 Erit ergo tota difficultas quando indultum jam fuerit perfectum, & exequutum, an ceſſante cauſa ceſſet facultas celebrandi in Oratorio privato? Et aſſero ceſsare; nam ut benè conſiderant Palao *oper. Mor. tom.1. de privilegiis, tract.3. diſput.4. punct.15. à nu.5.* Layman *in Summa, lib.1. tract.4. cap.21. à num.15.* Suarez *de legibus, lib. 6. cap. 20. num.18.* duobus modis poteſt conſiderari indultum, aut quando uno actu completur, perficiturque, & tunc ſi cauſa finalis ceſſet, non ceſsabit privilegium, quia jam in totum ceſsavit obligatio legis, veluti quando perfecta fuiſſet diſpenſatio impedimenti dirimentis ad contrahendum matrimonium. Aut habet tractum ſucceſſivum, veluti non jejunandi, vel recitandi horas propter infirmitatem, aut habendi Oratorium propter eandem cauſam; & tunc ceſsat indultum ceſsante cauſa. Ergo in præſenti ceſsabit. Cæterùm, nam hæc indulta quę verſantur circa materiam habentem tractum ſucceſſivum, conditionaliter conceduntur, donec cauſa duret. Diana *d. reſolut.24 ad fin.* Bonacina *dict. propoſit.3. num 5.* Cùm ergo habere facultatem celebrandi in Oratorio privato contineat tractum ſucceſſivum, inde eſt, ut ceſsante cauſa ceſset indultum. Rurſus licèt admittamus contrariam ſententiam, nempè indulto perfecto, ceſsante cauſa non ceſsare, id intelligendum quando non læditur jus tertii, utpote in indulto veſcendi carnibus diebus interdicti, aut non recitandi. Aſt in hac ſpecie læditur jus tertii, nempè propriæ Parochiæ, & aliarum Eccleſiarum, ob retardatam frequentiam Fidelium, devotionem & receptionem Sacramentorum. Ergo ceſsante cauſa, ceſsabit indultum, ſemper enim intelligitur cum minori damno tertii. Maſcard. *de probat. concl.1003. n.12.* Cabedo *dec. Luſit.2. p.dec.93. n.2.* Azevedus *in l.1. tit.14. lib.4 Recopilat. num. 35.* Tandem, quando

do uſus privilegii redditur iniquus, ceſſat privilegium. Suarez *de legib. lib.* 9. *c.* 30. *n.* 6 ceſſante enim infirmitate. uſus indulti celebrandi in Oratorio redditur iniquus, quia ex nulla cauſa fit licitus. Ergo ceſſante infirmitate, debet ceſſare.

44 Prætereà eſt aliud dubium non prætereundum, an vigore privilegii Bullæ Cruciatæ poſſit quis habere Oratorium ubi celebretur in ſua domo. Prima ſententia affirmat. ex clauſula Bullæ, ibi: *Pueda oir Miſſa, ò dezirla en Oratorio particular, ſenalad, y aprobado por el Obiſpo.* Quibus in verbis duo ſunt adnotanda. Primum, quod Epiſcopus virtute Bullæ poteſt approbare, & deſignare Oratorium in domibus privatis. Secundum, quod habens Bullam, poſſit in eo Miſsam audire, & celebrari facere, nec id poſſit ab Epiſcopo interdici, iam deſignato, & approbato Oratorio. Unde conſequitur, virtute Bullæ poſſe erigi Oratorium in domibus privatis ubi celebretur. Cæterùm Commiſsarius Cruciatæ valet concedere licentiam ad habendum Oratorium privatum, in quo Miſsa celebretur. Perez de Lara *compendio de las tres gracias, l.* 1. *fol. mihi* 36. *verſ. El Commiſſario.* Mendo *in Bull. diſp.* 37. *cap.* 15. *nu.* 106 Gallego *in Explicat. Bull. cap.* 14. *clauſula* 14. *dub.* 182. & ſic à nonnullis Commiſsariis declaratum ſcripſit R. Moya *Select. to.* 1. *tract.* 2. *diſput.* 3. *q.* 1. *§.* 1. *nu.* 7. Aſt verò hanc licentiam præſtat Bullam ſumentibus. Ergo rectè quiſque virtute illus poterit domi erigere Oratorium ubi celebretur. Rurſus aliqua inconvenientia expenſa ab aliquibus Doctoribus, nempe quod viles perſonæ haberent Oratoria, irreverentia tanti ſacrificii, defectus doctrinæ, & prædicationis, non ſunt alicujus ponderis, quia cùm ſimilia Oratoria debeant viſitari, & approbari ab Epiſcopo, ipſe illis occurret, ut expendit Thomas Hurtado *tom.* 2. *reſolut. var. tractat.* 2. *cap.* 1. *§.* 4. *n.* 2238. Ergo ex nullo inconvenienti poterit impediri hoc Bullæ privilegium, & conſequenter virtute illius poterit quiſque habere Oratorium domi ubi celebretur. Sotus *in* 4. *diſt.* 23. *art.* 3. Ludovic. à Cruce *in Bull. diſp.* 1 *cap.* 5. *d.* 1. *n.* 5. dicunt probabile Thomas Hurtado *d. §.* 4. *nu.* 2242. Garcia *in Summa, tract.* 3. *difficult.* 8. *dub.* 2. *punct.* 3. *num.* 25. Palao *t.* 4. *tract.* 25. *diſput. unica, punct.* 6. *à n.* 2. & alii relati à Moya *d. §.* 1. *n.* 4.

45 Secunda ſententia contrarium tenet; nam Bulla ſolùm dat licentiam celebrandi in Oratorio privato, jam deſinatio, & approbato ab Epiſcopo tempore interdicti; ſupponit enim Oratorium jam deſignatum, & approbatum ab Epiſcopo cum legitima ſuperioris licentia ad celebrandum. Ergo non dat licentiam, ut de novo erigatur ad celebrandum. Cæterùm mens Pontificis concedentis Bullam, non eſt omnibus ſumentibus concedere licentiam habendi Oratorium ubi celebretur: res quippe eſt magnæ conſideratio-nis; nec enim illa quæ ſingulari nota conceduntur, videtur conceſsa, niſi expreſſim concedantur. Surdus *conſ.* 210. *num.* 18. Covarr. *pract. cap.* 1. *n.* 10. Sixtinus *de Regal. lib.* 1. *cap.* 1. *à n.* 6. Maſtrillus *de Magiſtrat. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 6. Antunez *de donat. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 18. Ergo dicendum, virtute Bullæ non eſſe conceſsam hanc facultatem. Denique ex Conſtit. S. Pii V. & Urbani ſublata eſt hęc facultas Epiſcopis, & nunc Nuntiis Hiſpaniæ non conceditur a Pontificibus, utpote facultas de gravioribus. Ergo minimè præſumendum, ex ſolo privilegio Bullæ concedi. Trullench in *Expoſit. Bull. lib.* 1. *§.* 3. *dub.* 4. *nu.* 7. Gallego *d. cap.* 4. *diff. cult.* 31 Garcia *d. difficult.* 8. *dub.* 2. *punct.* 3. *num.* 26. Mendo *ad Bull. diſp.* 16. *cap.* 1. *à n.* 1. Paſqualigius *de ſacrific. Miſſ. q.* 638. Diana 9. *part. tract.* 1. *reſol.* 23. R. Moya *d. diſp.* 3. *§.* 3. ubi contrariam dicit improbabilem. Henao *diſp.* 23. *ſect.* 11. *num.* 146.

49 In hoc dubio animadvertenda ſunt verba Bullæ Latinæ, quæ dedit Diana *in principio reſolut.* 22. *ubi proximè*: dicunt enim tempore interdicti poſſe Bullam habentem, Miſsam audire, aut celebrare in Oratorio privato, *ad divinum cultum deputato, ab Ordinario viſitando, & deſignando.* Hæc enim verba de futuro anſam Doctoribus aliquibus præſtitere, ut exiſtimarent ibidem dari licentiam habendi Oratorium privatum ubi celebretur; quia datur licentia, ut ab Epiſcopo deſignetur, & viſitetur: non ergo ſupponit deſignatum, & approbatum. Tum quia antecedenter dixerat Bulla, d. anno durante, ubi id diſpoſitum videtur pro toto anno, etiamſi interdictum non duraverit; non enim credendum eſt, toto anno durare.

47 Sed tamen hoc interpretamentum repugnat verbis Bullæ; nam cùm dicat, *in Oratorio ad divinum cultum deputato*, jam ſupponit licentiam Summi Pontificis ad habendum Oratorium, in quo celebretur; alia enim verba, *ab Epiſcopo viſitando, & deſignando*, ſunt clauſulaque communiter ponitur in Brevibus, ubi à Papa conceditur hæc licentia, ut diximus ſupra, *n.* 36. Unde relinquitur, omnia illa verba aliud non probare, niſi Oratorium privatum jam ad divinum cultum deputatum de licentia Pontificis, ſimul cum clauſula, ab Epiſcopo deſignetur, & viſitetur; non tamen Bulla præſtat hanc facultatem, ſed ſupponit conceſſam ad hoc ut Bullam habens poſſit tempore interdicti in ſuo Oratorio privato celebrare, aut celebrari facere.

Confirmo diſcurſum ex doctrina R. Moyæ *d.* a. 3. *num.* 13. ubi aſſerit, Conſtitutionem Pauli V. revocaſſe facultatem Epiſcoporum, non ſolùm ut darent licentiam celebrandi in Oratoriis privatis, ſed etiam approbandi, & deſignandi Oratoria; & ideò eſt neceſſarium, ut indultum habendi Oratorium contineat clauſulam, ut Epiſcopus viſitet, & approbet: quapropter dum dicit Bulla, viſitandum, & approbandum ab Ordinario, ſupponendum eſt indultum jam eſſe conceſsum cum hac clauſula: Ergo ex virtute Bullę minimè poteſt quis erigere Oratorium privatum, ut ibi celebretur. 48

Hinc admitto ſecundam ſententiam, quæ apertè probatur ex Bulla Hiſpanica, ubi pro viſitando, & deſignando, ponit *ſenalado, y viſitado por el Ordinario.* Commiſsarius enim exponens Bullam, illa verba de futuro, de præſenti repoſuit, ne ulteriùs dubium progrederetur. Cæterùm, adhuc intelligendo illa verba de futuro, non probant contrariam ſententiam, quia poteſt evenire, ut habens breve jam à Domino Papa expeditum ad habendum ſimile Oratorium, non ſit adhuc deſignatum, & approbatum ab ordinario tempore interdicti: quapropter eo tempore poterit deſignari, & approbari, ut privilegio fruatur audiendi miſsam. Ergo non eſt credendum, per illa verba de futuro voluiſſe Pontificem hanc facultatem concedere habendi oratorium priuatum, ut ibi celebretur. Prætereà maxima cura interdictum eſt, ne permittantur oratoria priuata ubi celebretur, ob maxima damna inde ſequuta, de quibus Urrutigoyti *de Eccleſia Cathedr. cap.* 21. *à n.* 50. Ergo minimè præſumendum, voluiſſe Pontificem per verba graviſſimè dubia omnibus indifferenter illa concedere, nec jus permittit una via concedere, quod per aliam ſtrictiſſimè interdicitur, *l. Quod dictum, ff. de pact. leg. Cùm hi* 12. *§. Si cum his, ff. de tranſact.* Petrus Barboſa *in l. Cùm Prætor, §. ult. ff. de Iudiciis, n* 235. Scaccia *de Commerciis, §.* 1. *q.* 7. *punct.* 7 *ampliat.* 1. *n.* 2. idque abſque dubio, quando alia via conceditur ipſa res interdicta. Bart. *in l. Ambitioſè, ff. de decret. ab ordin faciend. n.* 22. Barboſa *in l.* 1. *ff. ſolut. matrim.* 1. *p. n.* 57. Gomez *in l.* 45. *Tauri, n.* 19. *ad fin.* Cardoſo *in praxi, verbo Alienatio, n.* 15. ut eſt in præſenti, ubi tam facilè per Bullam concederetur, quod alibi tam ſtrictè eſt interdictum. 49

Sed dices, licèt virtute Bullæ id fieri non poſſit, ex licentia tamen Commiſsarii poterit adipiſci. Sed adhuc generali Commiſsario hoc denegatur; nam licèt ſimiles licentias aliquando conceſserit, attamen id fecit ductus aliquorum Doctorum ſententia, quæ hodie admittenda non eſt, quia contrarium declarauit Gregorius XV. anno 1622. & Clemens IX. in litteris ſub Annulo Piſcatoris, 28. Octobris, anno 1668. quorum decreta refert Moya *d. diſput.* 3. *q.* 1. *§.* 4 *n.* 16. & 17. & antea abnegauerant Diana 9. *p. tract.* 1. *reſolut.* 24. Quintana Duenas *tom.* 1. *tract.* 7. *ſing.* 33. *num.* 7. Garcia *in Summa, d. difficult.* 8. *punct.* 2. *nu.* 15. Paſqualigius *q.* 638. *nu.* 4. Fagnanus *in c. Authoritate, de Cenſibus, n.* 11. & dubiam dicit hanc Commiſsarii facultatem Prado *tom.* 1. *mor. cap.* 6. *q* 4. *nu.* 14. Ergo nec hac via abſque licentia Sedis Apoſtolicæ poterit haberi Oratorium privatum, in quo celebretur. 50

Deindè aliud eſt dubium, an virtute Bullæ plures Miſſæ celebrari poſſint in Oratorio priuato? Quia in quęſtione prę-mittendum, in ſimilibus indultis tantùm concedi ut una miſsa celebretur. Hanc ob rem nequeunt plures celebrari, Marchinus *de ordine, 3. p. tract.* 3. *cap.* 9. *n.* 9. Quintana Duenas *to.* 1. *tr.* 2. *ſingul.* 33. *n.* 6. Tamburinus *in Meth. celebrand. lib.* 1. *cap.* 4. *§.* 4. *n.* 2. Paſqualigius *q* 635. & rationem præſtat *n.* 3. quia priuilegia non extenduntur ultra ea, quæ in verbis exprimuntur, *l. cum Capella* 16. *de privil. l. Si non ſortem* 26. *§. Libertus, ff. de condict. indebit.* Rota ad Seraphinum *deciſ.* 605. *num.* 3. Cùm ergo in indultis expreſsè dicatur, 51

ut non celebretur nifi unica Miſſa, inde eſt ut non poſſunt plures vi privilegii celebrari.

52 Hac hypotheſi ſuppoſita, diſquirimus an ex privilegio Bullæ Cruciatæ in his Oratoriis poſſint plures Miſſæ celebrari. Prima ſententia affirmat, nam in Bulla permittitur Oratoria habere, ut dicunt DD. ſuprà recenſiti, & quoad numerum Miſſarum ſic ait: *Miſſas, & alia divina Officia per ſeipſos, ſi Presbyteri fuerint, celebrare, vel per alium, ſeu per alios celebrari facere.* Unde conſtat, hoc indultum Bullæ minimè reſtringere numerum Miſſarum dicendarum in his Oratoriis privatis; quin potiùs plures celebrare concedit. Bardi *in Expoſit. Bull. 2. part. tractat. 2. cap. 6 ſect. 12. num. 10. & 13.* Trullench *dict. lib. 1. §. 3. dub. 4. nu. 12.* Mendo *diſp. 16. cap. 2 num. 9.* Tamburinus *lib. 1. cap. 4. §. 4. num. 37.*

53 Secunda ſententia tenet contrarium *ex cap. Vt privilegia 24. de privileg.* ubi quibuſdam conceſſum erat Regularibus, ut adventantibus Confratribus tempore interdicti aprirentur Eccleſiæ; attamen inquit Pontifex, non omnes Eccleſias Regularium eſſe aperiendas, quas Confratres, velent viſitare, duabus rationibus. Prima, nam licèt indultum pluraliter loquatur, dicendo in eorum adventu eſſe aperiendas Eccleſias, diviſim tamen referenda ſunt verba, & conjunctim intelligenda ſano modo, & intellectu, ita ut abuſus non ſequatur. Secunda, nam vilipenderentur cenſuræ, ſi omnes Eccleſiæ aperirentur. Ergo ſimiliter dicendum in ſpecie noſtra, quia licèt Bulla loquatur in numero plurali, dicendo *Miſſæ celebrentur*; ſunt tamen verba illa intelligenda ita diviſim, ut per conjunctionem tantùm una intelligatur ſententia, ita ut intelligas quod Miſſæ celebrentur per plures dies, ita ut una Miſſa ſit in quolibet die, quòd quidem ſenſit Trullench. *d. n. 12.* reſtringendo ſuam ſententiam; tum quia vilipenderetur cenſura.

54 Deinde quia illa verba Cruciatæ concipiunt alternativam, ſcilicet ut quis poſſit celebrare in Oratorio privato tempore interdicti, vel quod faciat celebrare; quando enim ipſe dominus celebrat, tantùm poteſt dicere unicam Miſſam, *cap. Sufficit 53. de conſecrat. diſt. 1. c. Conſuluiſti 3. de celebrat. Miſſ.* Ergo in alia alternativa, ſcilicet quando facit celebrare, nequit niſi unicam Miſſam celebrari facere. Alternativa enim *Vel*, ponitur ſemper inter æqualia, & idem importantia, *l. 2. ff. de reb. dubiis*, Gratius *vol. 1. conſ. 43. num. 17.* Rota *recent. 7. p. dec. 229. n. 25.* Mandoſius in *Regul. 1. Cancel. q 10. num. 18.* Barboſa *d. cap. 41 5. n. 1. ad fin.* Ergo cùm unica Miſſa poſſit à domino Oratorii celebrari, ſimiliter niſi unicam non poterit facere celebrare virtute Bullæ. Paſqualigius *q. 637. à n. 3.* Capponi *dict. diſcept. 183. à n. 67.*

55 Hæc ſententia admittenda eſt, quia privilegium Bullæ ſolùm concedit, ut qui non dederit cauſam interdicto, vel per eum non ſteterit, quominus amoveatur, poſſit ſi Preſbyter fuerit, tempore illius Miſſam celebrare, aut Miſſam facere, celebrare, ut Miſſam audiat: non verò numerum Miſſarum præſcribit, nec de eo loquitur. Quapropter ex vi Bullæ plures Miſſæ non ſunt dicendæ. Aſt in Hiſpania, ut quotidie experimur, plures Miſſæ dicuntur in privatis Oratoriis, quod aliqui intelligunt virtute Bullæ, ſed non rectè, ut benè examinat Paſqualigius *ubi proximè*. Aliter ex conſuetudine legitimè præſcripta id meliùs ſuſtinebitur, quæ cùm ſit uniformis, & ab omnibus obſervata (de qua teſtimonium non fero) rectè valebit, quia conſuetudo benè privilegium interpretatur, *c. Quod 3. de conſanguin. & affinit.* Alexander. *lib. 5. conſ. 9. num. 2.* Rota *3. per. recent. deciſ. 29. nu. 2.* & interpretatio ex ſubſequuta obſervantia magis prævalet, quàm quælibet alia, licèt magis vera ſit, & magis juri conformis. Rota *1. p. diverſ. dec. 574. n. 3.* Beltraminus *ad deciſ. Ludoviſi 184. n. 8.* Hondedeus *lib. 1. conſ. 92. n. 30.* Molina *de primogenitis, lib. 2. cap. 6. à nu. 58.* quare ſi hæc conſuetudo ſit uniformis, ut Miſſæ plures in die celebrentur in Oratorio privato, ſuſtinebitur magis ex vi conſuetudinis, quàm Bullæ, ut benè conſiderat Paſqualig. *d. q. 637. à n. 7.*

56 Rurſus eſt alia difficultas, an ex virtute Bullæ in Oratoriis privatis poſſit celebrari in diebus profeſtis in Indulto exceptis, utpotè Paſchatis, de quibus Marchinus *tract. 3. de Ordine, p. 3. cap. 9. num. 9.* Paſqualigius *q. 639.* & affirmant plures ob clauſulam Bullæ, quam refert Gallego *c. 4. clauſula 4. dub. 37* quia Bulla tantùm excipit Paſcha Reſurrectionis, ut præceptum communicandi adimpleatur in Parochia. Ergo in aliis feſtis poterit celebrari. Trullench in *Bull. l. 1. §. 3. dub. 4.* Diana *4. p. tract. 4. reſolut. 76.* Quintana Duenas *tom. 1. tract. 7. ſingul. 33.* Mendo *diſp. 16. cap. 2. nu. 9.* Ludovicus à Cruce *diſput. 1. cap. 5. dub. 1. num. 3.* Gallego *d. dub. 37. per tutot.* Buſembaum in *Medul. l. 8. dub. 12. nu. 4.* Tamburinus *d. cap. 4. § 4. n. 37.* Henao *d. ſect. 11. à num. 151.*

Sed contrarium tenet Paſqualigius *quæſt. 640. à num. 2.* 57
cui aſſentior; nam in Bulla dies excepti in Indulto Oratorii minimè eliduntur, & quamvis dicat: *Y recibir el Sanctiſſimo Sacramento de la Euchariſtia, ſalvo el dia de Paſcua;* hæc tamen exceptio eſt intelligenda de communione Euchariſtiæ ad adimplendum præceptum, non verò ad celebrationem Miſſarum; quia licèt ex privilegio Bullæ habens Oratorium poſſit ibidem ſacram Synaxim recipere, excipitur tamen communio Paſchatis, ut præceptum adimpleatur in Parochia, Gallego *dicta clauſula 4. dub. 36.* Tullench *dict. lib. 1. §. 3. dub. 7.* Diana *9. p. tract. 1. reſolut. 25.* Paſqualigius *quæſt. 647.* quæ diſpoſitio non refertur ad primam clauſulam celebrandi Miſſam in Oratorio privato: Ergo ex vi Bullæ, his diebus exceptis in indulto Oratorii; nequit Miſſa celebrari. Verumtamen ſi conſuetudo ſit uniformis, admittenda erit prima ſententia: interim negandum non eſt, verba Bullæ dubium involvere, quare uniformiter à conſuetudine interpretata poterit obſervari. Illud verò non eſt obliviſcendum, nec etiam Regulares ex ſuis privilegiis, in his diebus exceptis poſſe celebrare, ut demonſtrat Paſqualigius *quæſt. 641. per tot.*

Debent habentes indulta Oratorii à Summo Præſule, 58
non inferre præjudicium juribus Parochialibus, ut præcavet Indultum. Hæc Parochorum jura ad duo referuntur, nempe ad alia quæ pertinent ad poteſtatem, & facultatem adminiſtrandi Sacramenta, & Euchariſtiam in Paſchate: ad jus ſepeliendi, & ad alia quæ ſunt propria Parochorum, veluti decimæ, primitiæ, & oblationes, quartæ Parochiales. Altera etiam ſunt quæ in Parochiis exercentur, veluti Panis benedictio, Candelarum, Palmarum, Cinerum: & hæc ſecunda propriè parochialia non ſunt; cùm enim etiam fiant in Eccleſiis Regularium, ideò his alia adjunguntur, nempè denunciare feſta, jejunia, & pacem dare. Barboſa *ad Concilium, ſeſſ. 22. c. 8. num. 27. & ſeſſ 25. de reformat. cap. 12. num. 7.* Tamburinus *dict. lib. 1. cap. 4. §. 3. num. 12.* alter Tamburinus *de jur. Abbat. tom. 1. diſputat. 18. quæſt. 6. num. 18.* Trullench *de jur. Paroch. cap. 3.* Unde qui Oratorium privatum habuerit, his juribus præjudicium inferre nequit. Henao *diſp. 23. ſect. 12. n. 172.*

Prætereà, in Indultis privatorum Oratoriorum poni- 59
tur clauſula: *In tua, & familiæ tuæ, necnon hoſpitum tuorum nobiliorum præſentia celebrare liberè, & licitè poſſis.* Hæc enim verba pariformiter in omnibus non ponuntur, quia licet familia ponatur, non tamen hoſpites, ut animadvertit Tamburinus *dict. cap. 5. §. 4. num. 32.* Nomine autem familiæ hìc tam ampla ſignificatio non intelligitur, prout in majoratibus, aut fideicommiſſis familiæ relictis, in quibus non ſolùm deſcendentes intelliguntur, ſed etiam tranſverſales, ſive domi, ſive extra degant ſuis ſumptibus, *l. fin. C. de verb. ſignificat.* Maſcardus *de probat. concluſ. 1236. num. 43.* Menochius *conſ. 197. à nu. 37.* Tuſchus *tom. 2. lit. D. concluſ. 222. n. 4.* Fuſarius *de ſubſtitut. quæſt. 352.* Rota *1. p. recent. deciſ. 707. nu. 6.* Barboſa latè *appellat. 94 per tot.* Aſt in hac ſpecie ſolùm familia ſignificat maritum, uxorem, filios, & filias, necnon nurum, aut generum, propter paritatem rationis, habitantes in eadem domo, commenſales, tum famulos, & famulas, ſervos, & ſervas miniſterio ejuſdem familiæ inſervientes. In his verò qui inſerviunt, duo requiruntur, ut expenſis domini vivant, & ſint in actu inſerviendi, *cap. Sicut nobis, fin. de verbor. ſignificat. in 6.* Maſcardus *concluſ. 755.* Tuſchus *lit. F. concluſ. 72. num. 11.* Hi ſub nomine familiæ intelliguntur. Diana *4. part. tract. 4. reſolut. 208. in fin.* Tamburinus *dict. cap. 4. §. 4. num. 28.* Paſqualigius *quæſt. 648.* iterum Diana *9. part. tractat. 1. reſolut. 27.* Palao *tom 4. tract. 25. diſp. unic. num. 7.* Henao *diſp. 23. ſect. 11. à num. 154.*

Hortulanus qui in viridario domus continuæ aſſiſtit, & 60
ſalarium à domino percipit, ſub nomine familiæ intelligi-

tur,

tur, ad audiendam Miſſam in Oratorio Pellizarius *num.2. Manual. tract.8. cap.2. ſect.3. q.12.* Tamburinus *d.§.4.n.18. in fin.* Paſqualigius *q.648. nu.7.* Idem dicendum de Capellano, qui propter ſalarium domi Miſſam celebrat, Tamburinus *dict. §. 4. n.20.* Similiter dicendum de perſona veniente ad inſerviendum infirmo, Paſqualigius *quæſt.649. n.8.* qui *n.5.* idem affirmat de aliquibus non pertinentibus ad parentelam, verùm ſunt ibi in communi ſervitio aliorum famulorum, licèt pro alimentis aliquid præſtent; quia ſunt incorporati cum familia, & actu inſerviunt.

71 Eſt tamen dubium, an quando in eadem domo degunt filii, ſorores, vel fratres, habentes per ſe diſtinctas familias cum ſuis ſervitoribus, poſſint uti privilegio audiendi Miſſam in Oratorio privato illius domus. Aliqui affirmarunt, nam privilegium habendi Oratorium eſt Principis, & admittit amplam interpretationem, *l.1. ff. de conſtitut.* Seſſe *deciſ.100. num.267.* Giurba *deciſ.23. num.10.* Amaya *in l. unica, Cod. de collat. donat. lib. 10. n. 6.* Larrea *allegat.4. num. 2.* Cùm ergo perſonæ iſtæ largè de familia dicantur, in privilegio comprehenſæ videntur, Pellizarius *tom.2. tract.8. c.1. ſect.2. quæſt.12.* Tamburinus *dict. §.4. n.31.*

62 Sed contrarium tenet Paſqualigius *quæſt.649. à num.2.* & dat rationem, quia iſti non ſunt familiares, cùm in ipſis deficiat commenſalitas, *cap. fin. de verbor. ſignific. in 6.* Ergo non poſſunt frui privilegio Oratorii, conceſſo domino domus: cui addendum, nec expenſis illius vivere, nec in ſervitio exiſtere, unde ut familiares habeantur. Deindè fundamentum contrariorum, nullius eſt ponderis; nam privilegium Principis, quando eſt purè beneficium, latè interpretatur, Valenzuela *conſ.69. n.73.* Antunez *de donat.2. par. lib.1. cap.7. nu.6.* Verùm hoc non eſt propriè beneficium, ſed privilegium ſtrictè interpretandum, cum reſiſtentia juris communis, & præjudicio tertii, *l. 2. §. Merito, & §. Si quis à Principe, ff. ne quid in loco publico, cap. Dudum 31. de decimis, l.16. tit.10. lib.5. Recopilat.* Vincentius de Anna *alleg.62. num.6.* Valenzuela *conſil.93. num.50.* Cyriacus *controverſ.141. num.48.* quare non eſt extendendum ad perſonas, quæ non ſunt propriè de familia, ut ſunt ſuprà relatæ: ita tenet etiam Diana 9. *par. tract. 1. reſol.6.*

63 Hæc ſententia Paſqualigii, & Dianæ de rigore juris admittenda eſt, ſed contraria habet probabilitatem, non ex ſuo fundamento, quia debiliſſimum eſt, ſed quia nomine familiæ in præſenti, etiam conceſſum videtur Indultum pro habitantibus in domo privilegiati: & probatur, nam mens Pontificis indultum concedentis illa eſt, ut domus illa nobilis, & illuſtris condecoretur, ne ſæpiùs è domo exeant ad Miſſam audiendam. Cùm ergo filiæ, aut filii iſti in eadem domo degant, ad eos eſt extendendum, cùm id pertineat ad decorem illius domus; illud enim quaſi expreſſum cenſetur, quod ſequitur ex expreſſo, *c. Nam concupiſcentiam 4. de Conſtit. cap. Cùm ſemper 23. de offic. delegat.* Beroius *vol.2. conſ.84. num.49.* Intrigliolus *de ſubſtit. cent. 1. q.12. n.72.* Cyriacus *controverſ. 141. num. 54.* Cùm ergo expreſſum ſit, ut tota familia illius domus utatur illo privilegio: & ad decorem illius domus pertineant ſimiles perſonæ, privilegium ad eas eſt extendendum.

64 Denique hæc ſententia probatur, nam famuli ruri degentes, aſſiſtentes ad opus rurale, ſi tamen veniant ad domum domini; privilegio Oratorii perfruuntur, Paſqualigius *quæſt.650.* prout etiam famuli, licèt non in eodem tecto vivant, Tamburinus *dict. §. 4. num.29.* Diana *dict. tract.1. reſolut.27.* Ergo multò magis perſonæ, quæ realiter intra degunt, quæ ob realem habitationem etiam ejuſdem familiæ eſſe videntur.

65 Prorſus eſt alia difficultas, an in privatis Oratoriis poſſit celebrari præſente ſola familia, & non domino? Negarunt Rodriguez *in Bull. §.5. num.5.* Henriquez *in Summa lib.7. cap.13. num. 4.* Bardi *in Bull.2. par. tractat. 2. cap. 3. ſect. 8. num.69.* Villalobos *in Summa 1. par. tract. 27. difficul.4. num.16.* Sed tenendum contrarium, nam licèt indulta dicant, *In tua, & familiæ tuæ*, dictio tamen *&*, non ſemper copulat, ſed ponitur inter diverſas perſonas reſpectu ejuſdem rei in oratione, *cap. Cùm olim 34. de teſtib. & in rubr. C. de ſent. & interloquut.* Cenedo *ſing. 50. num. 4.* Gonzalez *ad reg.8. gloſſ.3. num. 11.* Menochius *conſ.107. num. 62.* Barboſa *dict. 110. num.25.* Ergo non obſtantibus illis verbis, etiam Domino abſente, familia poterit uti privilegio audiendi Miſſam in Oratorio privato illius domus, & faciendi celebrari. Cæterùm dictio *Et*, poſita inter diverſas perſonas, effectum diſpoſitionis æqualiter dividit inter ea, ita ut æquales ſint quoad effectum, Gomez *var. tom.1. cap.1. num.26.* Barboſa *dict.110. num. 15.* Quapropter ſicut domino præſente, & ipſo ſolo poteſt in Oratorio celebrari, ſimiliter ſola familia præſente abſque domino, Tamburinus *dict. §. 4. num. 39.* Pellizarius *tom. 2. tractat. 8. capit. 2. numer. 149.* Palaus *tom.4. tract.25. diſp. unica, punct.6. nu.9.* Salas *ad Bull.qu. 19. poſt princ.* Megala *reſol.var. tom.2. reſolut.161. num.18.* Paſqualigius *q.625.* Capponi *dict. cap.183. nu.21.* Henao *dict. diſp.23. ſect.12. n.163.*

De hoſpitibus verò qui non in omnibus Bullis apponuntur, intelligere oportet eos qui domi hoſpitantur: & non ſolùm ipſi uti poſſunt ſimili indulto, ſed etiam famuli ipſos comitantes. Intelligitur tamen ſi nobiles ſint, non ſolùm genere, ſed privilegio, Tamburinus *dict. §.4. num. 32:* Paſqualigius *quæſt.653. à num.1.* Et ſufficit ſi divites ſint, & perſonæ honoratæ, juxta legem 3. *Cod. de commerc. & mercat.* quia nobiles ſunt ſecundùm ſtatum politicum, Guidopapæ *ſingul.85.* Tiraquellus *de nobilit. cap.3.* Mathienzo *in l.7. gloſſ.4. tit.7. lib.5. recopillat.* Ergo poterunt uti hoc privilegio, Paſqualigius *quæſt.653. nu.4.* Henao *dict. ſect.12. n.71.* 66

Sed an clauſula iſta extendi poſſit ad hoſpitem unius diei, affirmarunt Pellizarius *dict. ſect.2. quæſt.13.* Tamburinus *d. §.4. num.33.* Paſqualigius *quæſt.653. num.3.* quorum ſententiam probabilem cenſeo, quia qui tantùm ad prandium invitatur, hoſpes dicitur: quod extendunt, etiamſi tantùm invitaretur, ut poſſet uti privilegio, quia utitur invitans jure ſuo. 67

Illud verò graviter obſervandum, ut minimè qui indultum impetravit, jubeat in Oratorio celebrari, niſi priùs viſitetur, & approbetur ab Ordinario, prout petunt ſimilia indulta, ibi: *Per Ordinarium loci priùs viſitando, & approbando.* Unde hæc viſitatio, & approbatio fieri valet ab Epiſcopo, vel ab alio, qui habet juriſdictionem ordinariam in loco illo, quia continetur appellatione Ordinarii, Abbas *in cap. Vt forma 6. de ſent. excommun.* Navarrus *conſil. 9. de Privilegiis*, Pariſius *lib. 3. de reſignat. quæſt. 11.* Cochier. *de juriſdict. in Exempt. 1. par. quæſt. 1. n.9.* quare & iſti poſſunt viſitare, & approbare Oratoria, Tamburinus *dict. cap.4. §.4. num.12.* Paſqualigius *de ſacrific. Miſſ. quæſt.619. n.4.* 68

Dubitatur, an Ordinarius poſtquam Oratorium viſitaverit, & approbaverit, iterùm poſſit approbare, & viſitare. Aliqui negarunt, quia indulta illa dicunt *Priùs*, quod verbum importat primam viſitationem, & approbationem; non verò ut poſteà habeat Ordinarius facultatem ad iterùm viſitandum, ſeu approbandum: & denique ad id adducunt textum *in cap. fin. de cenſib.* tenet Sanchez *de matrim. lib.9. diſp. 19. num. 39.* Tamburinus *dict. §. 4. num. 11.* 69

Sed contrarium tenet Paſqualigius *quæſt. 619. num. 3.* nam dictio *Priùs*, dat ordinem ad celebrationem, ne priùs celebretur, niſi Ordinarius viſitaverit, aut approbaverit Oratorium, non verò aſſerit, ulteriùs non eſſe approbandum, & viſitandum, quoties fuerit neceſſarium, ne aliqua adſit indecentia. Textus *in cap. fin. de cenſibus*, ad rem non eſt; loquitur enim de procuratione non petenda in viſitatione Oratoriorum in grangiis Religioſorum, quæ Ordinariis non eſt danda. Si tamen conſuetudo dandi permaneat, damnanda non eſt: præſertim id decernit textus in grangiis Regularium, ne expenſis graventur: quod quidem non eſt admittendum in aliis privatis Oratoriis, Azorius *Inſt. Moral.2. part. lib.3. cap.41.* Paſqualigius *dict. quæſt. 619. n.2.* Tamburinus *dict. §.4. n.11.* Barboſa *in dict. c. fin. n.2.* quare ad rem non eſt. 70

Verùm interrogabis, quid faciendum, ſi Ordinarius viſitare, & approbare Oratorium renuerit? Quamplures tenuere, petita, & non obtenta approbatione Ordinarii, ibidem celebari poſſe, quia licentia petita, & injuſtè denegata, pro conceſſa habetur, quando aliud non obſtat. Tenent Ludovicus à Cruce *in Bull. diſp. 1. cap. 5. dub. 1. num.4.* Tamburinus *dict. §. 4. num.15.* Diana *5. par. tract. 10. reſolut.77. & 9. par. tract. 1. reſolut. 10.* Quintana Duenas *tom. 1. tractat. 7. ſingul. 32. num. 3.* Garcia *in Summa, dict. difficult. 8. dub. 2. punct. 2. num.* 71

*n.*16. dicit probabile Lezana *in Summa*, *verbo Bulla*, *n.* 14. & admittit Capponi *dict. cap.*183. *n.*27.

72 Alteri verò negant, quia hoc indultum habendi Oratorium conceditur sub conditione, ut approbetur priùs, & visitetur ab Episcopo, quo uti non valet impetrans, nisi purificata conditione, sive justè, sive injustè denegetur, *l. Pecuniam quam*, *ff. de reb. credit.* Parisius *lib.*3. *consil.*8. *n.* 25. Tiraquellus *in l. Si unquam C. de revocand. donat. verb. Revertatur*, *n.*277. Ripa *cons.*81. *n.*23. Ergo licèt Ordinarius renuat visitare, & approbare Oratorium, petit tamen approbatione, & negata, impetrans non poterit in Oratorio celebrare, aut celebrari facere. Confirmatur, nam clausula ista sic apponitur: *Per Ordinarium loci priùs visitando, & approbando*. Hic enim ablativus absolutus est importans conditionem, *l. A testatore* 109. *ff. de condit. & demonstr. l. Evictus* 35. *ff. de Evict.* Rota apud Burattum *decis.*696. *n.*2. Rota apud Merlinum *decis.*247. *n.*8. Gratianus *discept.* 352. *n.*7. Ergo cùm hæc approbatio, & visitatio posita sit per modum conditionis, etiamsi injustè denegetur, nequibit in Oratorio privato celebrari authoritate propria, quin potiùs in specie recurrendum est ad Superiorem, Duardus *in Bull. 2. par. tract.2. c.2. sect. 2. n.*10. Pellizarius *in Manual. d. tract.8. c.2. sect.2. n.*93. Pasqualigius *quæst.*620. *per tot.*

73 In re dicendum, certum esse, non posse Episcopum, vel alium Ordinarium impedire, ne celebretur in Oratorio privato, quando decens est, & benè ornatum, ex licentia Summi Pontificis; quin potiùs si absque causa impediat, & renuat approbare, graviter peccare, quia grave præjudicium inferret parti, impediens gratiam sibi concessam: tum etiam Summo Pontifici, non exequens gratiam à se concessam, Tamburinus *dict. §. 4. num.*11. Pasqualigius *quæst.*620. *num.*3. quamobrem quotiescunque Oratorium fuisset benè ornatum, & decens, tenetur illud visitare, & approbare.

74 Si tamen renuerit, admitto secundam sententiam, ut minimè, petita approbatione, & non obtenta, ex authoritate propria celebrari facere possit; quin potiùs recurrendum ad Superiorem, ut admittit etiam Capponi *dict. cap.* 183. *n.*27. Et ratio est, nam licèt in quamplurimis casibus licentia petita, & non obtenta, & injustè denegata, habeatur pro obtenta, *cap. Licèt* 18. *de Regularib. Clem.*1. *de for. compet. l.*9. & 10. *tit.*7. *par.*1. id tamen est intelligendum quando licentia ista extrinseca est, & non intra substantiam actus, Gonzalez *ad reg.*8. *gloss.* 43. *num.*200. & *gloss.*45. *nu.* 53. Ponte *de potest. Proregii, tit.*6. §.1. *n.*4. Bobadilla *in polit. lib.*2. *cap.*9. *n.*18. Salgado *in Labyrinth.*1. *par c.*35. *n.*69. aliàs tamen etiam injustè denegata lex actum non permittit. In præsenti igitur illa approbatio, & visitatio Oratorii ab Ordinario facienda intrat substantiam concessionis; non enim vult Pontifex rem tam gravem, & tantæ reverentiæ relinquere arbitro privilegiati, sed Ordinarii, qui attentè id præcipiat, & approbet. Ergo si renuerit approbare Oratorium, etiam injustè, minimè id pro concesso habebitur, sed necessariò recurrendum ad Superiorem. Cæterùm probatur ab inconvenienti, quod est argumentum efficax, Everardus *in Topic. legalib. loco* 92. Genuensis *in praxi*, *quæst.* 160. nam si renuente Ordinario posset privilegiatus in suo Oratorio privato celebrare, aut facere celebari, ansa ei præberetur, quando etiam justè renueret; allegaret enim injustè denegari, prout sibi videbitur. Unde quantoties Missa in locis indecentibus, & pessimè ornatis celebraretur: idcircò ne similia inconvenientia renascantur, prima sententia non est adducenda ad praxim, sed semper si casus occurrat, recurrendum ad Superiorem. Denique licentia petita, & non obtenta, habetur pro concessa, quoties aliud non obstat, ut agnoscunt contrarii: ast in præsenti obstat inconveniens suprà recensitum: ergo licentia in præsenti non habebitur pro concessa, sed semper recurrendum ad Superiorem.

75 Rursus in aliquibus Indultis Oratoriorum ponitur illa clausula: *Ac de ipsius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura*. Hæc verò clausula non dat facultatem, ut pro suo libero arbitro Ordinarius licentiam habendi Oratorium revocare valeat, aliàs frustratoria redderetur Pontificis licentia; sed tanrùm importat arbitrium regulatum secundùm juris dispositionem, & illi conforme, *l. In personam*, §. *Generaliter*, *ff. de Reg. Jur.* Menochius *de Arbitr. lib.*1. *quæst.*7. *num.*15. Gregorius XV. *decis.*465. *num.*1. Rota apud Merlinum *decis.*629. *num.*1. Seraphinus *de privilegiis jurament. privil.*132. *num.*81. idcircò Ordinarius nequit revocare licentiam, nisi ex causa gravi, & quæ concernat usum Oratorii, Tamburinus *d.* §. 4. *num.*16. Quintana Duenas *tom.*1. *tract.* 7. *singul.*32. *nu.*4. Pasqualigius *quæst.* 621. *per tot.*

Est dubium in hac materia non obliviscendum, an pri- 76
vilegium habendi Oratorium privatum sit mixtum, nempè personale, & reale. Prima sententia affirmat illud mixtum esse, quia non est præcisè concessum personæ, sed personæ pro tali loco determinato: Ergo est mixtum. Explicatur, nam quando hoc privilegium alicui conceditur, ut habeat Oratorium Matrici, locus ille designatur taxativè, ut alibi non possit habere Oratorium, aliàs posset illud habere toto orbe terrarum: quod est ridiculum existimare. Ergo privilegium hoc est mixtum, Merola *tom.*5. *Theolog. Moral disput.*6. *c.*8. *dub.*22. *n.*131. Thomas Hurtado *tom.* 2. *tract.*12. *c.*1. *dub.*5. *n.*2027.

Secunda sententia tenet, non esse mixtum, sed perso- 77
nale, quia dirigitur in personam, ut patet ex verbis indulti, ibi: *Specialibus favoribus prosequi volentes*, & alibi: *Vt in privato domus tuæ Oratorio celebrare liberè, & licitè possis, & valeat, indulgemus*. Quæ verba principaliter, & directè tendunt in personam, & non coarctantur ad certum locum, ita ut privilegium relinquant personale, ut per Baldum *in l.*1. *C. de Summa Trinit. n*14. Barbosa *in l. Quia tale, ff. solut. matrim. n.*40. Ergo est personale. Præterea licèt privilegium dicat: *Habeat Oratorium Matrici*, non ponitur taxativè, ut objectum privilegii, sed ut objectum loci, in quo est exercendum privilegium: itaque privilegium hoc semper est personale, Antonius Novarius *in Summ. tit. de Oratoriis privat. n.*6. Quintana Duenas *d. tract.* 7. *singul.*31. Diana 4. *par. tract.*4. *resol.*208. Tamburinus *d.*§. 4. *n.*2. Megala *var. resol. tom.*2. *resol.*161. *n.*6. Pasqualigius *q.*624 *per tot.* Capponi *d. c.*183. *n.*30.

Sed tamen in hac difficultate duo casus sunt distinguendi. 78
Primus, quando indultum dicat, *In privato domus tuæ Oratorio liberè, & licitè possis*. In hoc enim casu proculdubio dicendum, privilegium esse personale: & ratio est, nam illud dicitur privilegium personale, quod personis speciali aliqua ratione indulgetur, veluti nobilibus, aut pupillis, Gujacius *lib* 1. *diffinit. Papin. in l. Ex plurib.*40. *ff. de Administrat. tut.* D. Olea *de cess. tit.*6. *q.*2. *n.*10. Donellus *lib.*21. *comment. cap. fin.* Ergo cùm hæc concessio fiat personæ, semper erit privilegium personale tantùm. Quod verò Missa celebretur in domo ejus, minimè privilegium respicit causam ipsius, sed tantùm designat locum habendi Oratorium, ubi illa persona cui indulgetur, possit celebrare, aut celebrari facere, ut benè considerat Pasqualigius *d. q.*624. *num.*6. Ergo ex eo quod conceditur, ut domus habeat Oratorium, nullo tamen modo potest considerari habere aliquid realitatis, sed tantùm erit privilegium personale. Deindè etiam dicitur privilegium personale, quando verba concessionis diriguntur ad personam, Boerius *decis.*117. *num.*15. Barbosa *in d. l. Quia tale, ff. solut. matrim. n.*5. Diana 3 *p. tract.*5. *resolut.*120. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.*3. *n.*10. Cerier *de primog. lib.*3. *q.*1. *num.*3. Cùm ergo omnia verba indulti Oratorii dirigantur in personam, dicendum esse privilegium personale.

Secundus casus erit, quando quis habuerit indultum ha- 79
bendi Oratorium Matriti, sitne mixtum, aut personale? Et videtur esse mixtum, quia ut aliàs expendit Thom. Hurtado *d. num.*2027. haberet privilegium habendi Oratorium toto orbe terrarum. Tum quia verbum illud *Matriti*, nihil operaretur; & ideò ne superfluum videatur, intelligendum etiam concessum esse loco, *cap Commissa* 35. §. *Porrò, de elect. in* 6. *l. Boves* 89. §. *Hoc sermone, ff. de verbor. signific.* & consequenter mixtum esse, ita ut alibi non possit habere Oratorium, nisi Matriti. Ita tenent aliqu, quos tacito nomine refert Diana 4. *par. tract.*4. *resolut.*208.

Sed tamen contrarium est tenendum, & asserendum 80
esse personale, ita ut si alibi transferatur, possit vi indulti habere Oratorium. Ratio est, quia adhuc in his terminis indultum solùm conceditur personæ, & ejus favore, & causæ; non verò causa loci. Ergo relinquitur personale, nec transit ad naturam mixti. Confirmatur, nam illud verbum *Matriti*, non est causa concessionis, nec verba diriguntur ad locum, ut fit mixtum privilegium; sed tantùm

appo-

appoſitum eſt, quia impetrans narravit vicinum eſſe Matriti, & ibidem habere domicilium, ubi intendit domi habere Oratorium. Ergo relinquitur purè eſſe privilegium perſonale. Denique probatur, nam quilibet habens privilegium habendi Oratorium in civitate, poteſt illud ruri habere, dum ibi commoratur; & tamen non utatur alio habito in civitate, Paſqualigius *q.*630. *per tot.* Diana 9. *par. tract.* 1. *reſol.* 22. Capponi *d. c.* 183. *n.* 33. & eſt ratio, quia eſt privilegium perſonale. Ergo idem eſt dicendum in noſtra ſpecie. Sic tenent Diana *d. reſolut.* 208. Novarius *tit. de orat. privat. n.* 6. Tamburinus *dict. §.* 4. *n.* 2. Quintana Duenas *d. tract.* 7. *ſing.* 32. *n.* 4. alibi Diana 6. *p. tract.* 8. *reſol.* 9. *verſ. Not andum*, Paſqualigius *q* 628. qui cùm aliquibus *q.* 629. idem aſſerit, licèt indultum fiat cum mentione certæ Diœceſis; nam tunc etiamſi impetrans ad aliam ſe transferat, privilegio fruetur.

81 Illud verò certum eſt, ſimile indultum morte Pontificis concedentis non extingui, quia eſt gratia facta, quæ morte concedentis non extinguitur, *c. Si cui* 36. *de præbend. in* 6. ubi Gloſſa *verbo Moriatur*, Abbas *in c. Quoniam, de offic. delegat.* 8. *n.* 2. Guttierez. *can. lib.* 1. *c.* 15. *n.* 24. Sanch. *de matrim. l.* 8. *diſp.* 28. *n.* 64. quod idem eſt dicendum mortuo Epiſcopo, quando continuatio privilegii dependet ab ejus licentia, ob eandem rationem, Navarius *in c. Placuit. diſt.* 6. *nu.* 163. Salzedo *ad Bernardum in praxi, c.* 36. Tamburinus *d.* §. 4. *n.* 17. & 19. Paſqualigius *q.* 625. qui *n.* 4. idem extendit, etiamſi indultum dicat, *Ad beneplacitum noſtrum*, quia beneplacitum intelligitur ipſius dignitatis, quod non expirat morte Pontificis, *cap. Si gratioſè* 5. *de reſcript. in* 6.

82 Similiter abſque dubio aſſerendum, indultum Oratorii ad hæredes non tranſire, ſed finiri morte privilegiati, quia eſt perſonale, *regula privilegium, de regul. jur. in* 6. *leg. Neratius* 151 *l. Privilegia* 157. *ff. de regul. jur.* Eſt etiam alia Regula 65. *ff. eod.* ibi: *Vbi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoque deficiat*, Latrea *deciſ.* 31 *n* 20. Verùm Pellizarius *d. tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 8. *ſect.* 2. *n.* 153. ſcripſit, quod ſi indultum contineat clauſulam, *Ac de ipſius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura*, ad hæredes tranſibit, nec privilegium finietur morte privilegiati, quia hæc verba perpetuitatem ſignificant.

83 Sed Paſqualigius *quæſt.* 626. *n.* 2. rectè eum refellit, quia clauſula illa non eſt extenſiva, ſed modificativa, nec privilegium extrabit à natura ſuæ perſonalitatis; nam clauſulæ acceſſoriæ, & non mutantes ſubſtantiam, non mutant naturam, *l. fin. ff. de conſtit. pecun. l. Si ſtipulatus ſit* 4. *ff. de uſuc.* Socinus *conſ.* 128. *n.* 133. Ergo ſemper indultum illud remanet perſonale, & conſequenter morte privilegiati extinguitur, *l. ex pluribus* 40. *ff. de adminiſtrat. tut. l.* 1. *C. de privilegiis dotal. l. Dabimus* 3. §. *Si quis, ff. de privilegiis credit.* & ita in praxi tenendum, R. Moya *d. tract.* 2. *diſp.* 3. *q.* 2. *n.* 16. Henao *diſp.* 25. *ſect.* 12. *n.* 166.

84 Sed eſt dubium, an mortuo privilegiato, virtute Bullæ Cruciatæ, quando ab Epiſcopo approbatum eſt Oratorium, adhuc ſucceſſores poſſint ibidem celebrare, aut celebrari facere. Affirmarunt Thomas Hurtado *d. tom.* 2. *tract.* 12. *c.* 2. *n.* 2177. Maſcatenas *tom.* 1. *de Sacrament. tract.* 5. *de Sacrific. Miſſ. diſp.* 5. *c.* 5. nam licèt hoc privilegium ſit perſonale, ſuppoſito quod virtute Bullæ valet Oratorium erigi, jam ſemel approbatum ab Epiſcopo, non indiget nova approbatione, nec valet reprobari, *l. Pomponius, ff. de negot. geſtis.* Ergo ſucceſſores privilegiati virtute Bullæ benè poterunt in Oratorio illius celebrare, aut celebrari facere.

85 Sed R. de Moya contrarium optimè tenet *d. q.* 3. §. 2. *à n.* 9. nam Pontifex tantùm approbat Oratorium pro vita privilegiati. Ergo eo mortuo remanet approbatum, nec virtute Bullæ ſucceſſores poſſunt ibidem celebrare, aut celebrari facere. Princeps enim quod ſemel approbavit, valet reprobare, *l. Vt gradatim* 11. §. 3. *ff. de muneribus, & honoribus*, prout etiam quotidie approbati ad excipiendas confeſſiones, reprobantur. Denique ſententia erigendi Oratoria ex vi Bullæ, hodie eſt improbabilis, quapropter extincto privilegio Oratorii per mortem privilegiati, approbatio ſola Epiſcopi non ſufficit, & conſequenter eſt neceſſarium novum indultum, nec aliter ſucceſſores eo uti poterunt.

CAPVT XI.

De Oratoriis Epiſcoporum. & Regularium. Elucidatur caput finale *de Privilegiis in* 6.

SUMMARIUM.

In hoc capite agendum de Oratoriis Epiſcoporum, & Regularium. De Oratoriis Principum, & Senatorum idem dicendum, ut diximus de Oratoriis privatis, niſi publicè ſint erecta, n. 1.

Ponitur privilegium Epiſcoporum in cap. fin. de privilegiis in 6. *Debent quotidie ex decentia Epiſcopi Miſſam audire, n.* 2.

Poſſunt abſentes à ſuis Eccleſiis celebrare in Altari portatili. Eſt difficultas in quo conſiſtat hoc privilegium, numer. 3. *Explicantur textus* in cap. fin. de privilegiis 6. & cap. Concedimus 30. de conſecrat. diſt. 1. num. 4. 5. & 6.

An per Concilium Tridentinum ſublatum ſit privilegium dicti capitis finalis, aut per Conſtitutionem Pauli V. Affirmandum videtur, n. 7.

Sed contrarium probatur. Ceſſante fine præcepti, ceſſat præceptum, n. 8.

Et idem eſt dicendum circa Conſtitutionem Pauli V. Privilegium inſertum in corpore Iuris, niſi de eo fiat ſpecialis mentio, non derogatur, n. 9.

Colligitur ex dicto privilegio, Epiſcopos poſſe in ſuis Palatiis erigere Oratoria, n. 10.

Fit inſtantia ex doctrina aliquorum contrarium tenentium, num. 11. *Reſpondetur, ibid. Epiſcopi in ſuis Palatiis poſſunt habere Oratoria publica, ut habent Hoſpitalia, & carceres, n.* 12.

Et licèt aliqui reſiſtant, poſſunt habere Oratoria privata, quod latè probatur. Privilegium extenditur ob identitatem rationis. Olim erat Euchariſtia in Palatiis Epiſcoporum, & poſſunt habere Oratoria in domo rurali, num. 13.

An poſſit Epiſcopus duo habere Oratoria, unum ad ſuum uſum, alterum ad uſum familiæ. Prima ſententia negat. Conſuetudo eſt optima legum interpres, Privilegium habendi Oratorium, eſſe odioſum affirmat Trullench. negat Paſqualigius, ſed non extenditur, num. 14.

Secunda ſententia tenet contrarium. Explicatur textus in dict. cap. fin. num. 15.

Admittitur ſecunda ſententia ad unum Oratorium, ex dict. cap. fin. *Privilegium nequit extendi, niſi ad perſonas expreſſas, Declaratoria interpretativa debet eſſe congrua verbis, & verba præciſa nequeunt habere aliam interpretationem, n.* 16.

Ad alterium Oratorium extenditur ex facultate textus in cap. Miſſarum. 12. de conſecrat. diſt. 1. *Facultas Epiſcopi ad deſignandum locum celebrandi eſt reſervata quoad domos privatas, n.* 17.

An in Oratorio poſito in Palatio, Epiſcopo abſente poſſit celebrari, negant plures, n. 18. *Affirmant alteri, n.* 19.

Si Epiſcopus erigit Oratorium in Altari privato in ſuo Palatio, admittenda eſt prima ſententia, num. 20. *Si eſt Oratorium cum Altari fixo tantùm ad uſum Epiſcopi, idem dicendum. Si verò non ita, contrarium aſſerendum cum ſecunda. Quiſque præſumitur uti remedio ordinario, non extraordinario. Oratorio Epiſcopi competit immunitas, num.* 21. *An mortuo Epiſcopo poſſint Familiares in Oratorio Palatii celebrare? negavit Diana, n.* 22. *Affirmat Pellizarius, nu.* 23. *Reſolvitur ut ſuprà, niſi domus Epiſcopi fuerit combuſta, aut aliis locata, n.* 24.

Privilegium habendi Oratorium Epiſcopis conceſſum, extenditur ad titulares ſub nomine Epiſcopi comprehenſos, num. 25.

Fit inſtantia, & explicantur verba dict. capitis finalis. Non extenditur pro inferioribus etiam juriſdictionem Epiſcopalem habentibus, nec pro Epiſcopis tantùm electis, & non confirmatis, n. 27.

Regulares habent plura privilegia celebrandi in quolibet

loco

loco in Altari portatili, quæ referuntur, n.28. An sublata sint per Concilium Tridentinum? Affirmant plures, n.29. Negant alteri, n.30.

Admittitur prima sententia: secunda verò in praxi probabilis non est, ex Constitutione Gregorii XIII. n.31. Fit instantia, & respondetur, n.32.

Limita cum Reverendissimis, & doctissimis Patribus Iesuitis ad Missionem missis, ex aliquibus Constitutionibus. Quòd ex Vrbani constitutione extenditur ad alios Regulares ad Indos missos, n.33.

Regulares habent plura privilegia, aut Oratoria habeant in Monasteriis, Claustris, Hospitiis, Grangiis, intra, & extra Monasteria, n.34. Possunt erigere Generales, aut Provinciales, irrequisito Episcopo, n.35.

An hæc privilegia sint derogata per Tridentinum, affirmandum videtur, n.36. Sed contrarium defenditur, n.37.

An exteri Sacerdotes possint celebrare in Oratoriis Regularium? Ponitur ratio dubitandi, num. 38. Resolvitur affirmativè, n.39.

An idem sit dicendum de grangiis Regularium? Prima sententia negat, n.40. Secunda affirmat, n.41.

Explicatur caput Patentibus 10. de privilegiis, *n.44. & caput finale* de Censibus, *n.43. idcircò admittitur secunda sententia, n.44.*

1 IN hoc capite de aliquibus Oratoriis agendum est nobis, præcipuè de Oratoriis Episcoporum, & Regularium: de aliis verò quæ habentur in Palatiis Principum, Senatorum, & aliorum jurisdictionem exercentium, nihil dico; nam aut sunt Capellæ publicæ, de quibus diximus capite antecedenti; aut sunt Oratoria privata similiter ibidem recensita, in quibus nequit Missa celebrari absque indulto Sedis Apostolicæ, ut declaravit Sacra Congregatio 14. Novembris 1648. & refert Valerus *in different. utriusque juris, verbo Missa, different.* 2. §. 2. Diana 9. *par. tract.* 1. *resolut.* 35. Fagnanus *in cap. Authoritate, de censibus, nu.*19. quidquid aliqui resistant, quos dat Diana nuperrimè allegatus, quorum sententia erit admittenda, si in Palatiis sæcularium Magistratum aliqua publica Oratoria erigantur, quæ licèt deserviant ad Principum, vel Magistratuum commoditatem, publici tamen sunt aditus illorum, ut jam expressum est.

2 Episcopis verò de jure communi competit privilegium capitis finalis *de privilegiis, lib.* 6. ut possint in Altari portatili celebrare, aut facere celebrari, si absentes sint à suis Ecclesiis extra diœcesim, idque ob causam audiendi Missam; cùm non debeat aliqua dies præterire qua ab Episcopo non audiatur, vel celebretur, absque rationabili causa, dummodò interdictum observetur. Ex hoc enim textu duo communiter deducuntur. *Primò*, an Episcopus teneatur quotidie Missam celebrare, seu audire, nisi ex rationabili causa excusetur? Et asserendum ad id teneri, & ab eo id fieri ex congruentia, & decentia, non verò ex aliqua obligatione: quæ quidem interpretatio consona est verbis illius textus, ibi: *Sine qua transire non decet*. Verbum enim *Decet*, tantùm congruentiam, & decentiam supponit, *cap. Magna* 6. *de voto, cap. Cùm decet* 30. *de elect. in* 6. Cicero 3. *de Finib.* ibi: *Decet patriam esse charioremnobis, quàm nosmetipsos*. Idcircò tantùm ex congruentia, & decentia Episcopi debent quotidie, aut Missam celebrare, aut eam audire, Navarrus *in Man. cap.* 21. *n.*2. Azorius *Inst. Moral.* 1. *p. lib.* 7. *cap.* 4. *q.*3. Riccius *in praxi*, 1. *p. resol.*203. *n.*6. Fagundez *in præcept. Decalogi*, 1. *p. lib.*2. *c.*2. *n.*11. Barbosa 2. *p. alleg.*24. *num.* 1. Henao *de Sacrifi. Miss. disp* 23. *sect.*9. *num* 103.

3 Ob hanc enim causam concessum est Episcopis, ubi eis visum fuerit, cum Altari portatili celebrare, aut celebrari facere, si absentes sint à suis Ecclesiis. Sed est difficultas, in quo consistat hoc privilegium. Ratio dubitandi sumitur ex decisione textus *in cap. Concedimus* 30. *de consecrat. dist.* 1. ubi omnibus Sacerdotibus conceditur celebrare in itinere cum Altari portatili, si non adsint Ecclesiæ, seu Oratoria: unde communiter Doctores eliciunt, causa itineri, deficientibus Ecclesiis, seu Oratoriis, posse Sacerdotes celebrare in Altari viatico, S. Thomas 3. *p. q.*83. *art.* 3. *ad* 2. Valerus *de different. verb. Missa, different.* 2. Leander *de Sacrament. tract.* 8. *disp.* 6. *quæst.* 16. Layman *in Summ. lib.*5. *tract.* 5. *cap.*5. *num.* 3. de Lugo *de Eucharist. disp.* 20. *sect.* 2. Ergo nullum privilegium conceditur Episcopis *in dict. c. fin.* cùm de jure communi id omnibus Sacerdotibus fuerit concessum.

Huic difficultati aliqui respondent, privilegium magnum Episcopis concedi *in dict. cap fin.* nam textus *in cap. Concedimus*, tantùm ratione itineris concedit Presbyteris celebrare in Altari viatico, quando Ecclesiæ, aut Oratoria deficiunt. Textus verò *in dict. cap. fin.* Episcopis id concedit, licèt adsint, ob commoditatem Episcopi, Suarez *in* 3. *p. disp* 81. *sect.*3. *vers. Tertia exceptio*, Dicastillo *de Sacrament. tract.*5. *disp.*4. *dub.*5. *n.*99. Pasqualigius *de Sacrific Miss. q.*464. *n.*6. 4

Hoc interpretamentum, utpotè conforme litteræ illius textus, est suscipiendum, ut probant apertè verba illius: *Nec semper possunt commodè ad Ecclesias accedere pro Missa celebranda, seu audienda*. Apertè enim supponuntur Ecclesias adesse; verùm quia commodè Episcopi ad illas accedere non possunt, simile privilegium conceditur eis: quod diversum est *in dict. cap. Concedimus*, loquente quando non ad sunt Ecclesiæ. 5

Verùm licèt hæc interpretatio sit conformior, adhuc alia est probabilis, scilicet dictum caput *Concedimus*, solùm dare hanc facultatem Sacerdotibus, quando per plures dies celebratio deficeret, aut non speraretur de cætero, vel instet præceptum audiendi Missam, ut tenent plures quos refert Pasqualigius *q.*464. *n.*1. Ast Episcopis *in d. cap. fin.* quotidie celebrare, aut facere celebrari conceditur in Altari portatili, ne Missa eis deficiat. 6

Est dubium, an per Decretum Concilii Tridentini sublatum sit Episcopis hoc privilegium celebrandi in Altari portatili, vel ex Decreto Pauli V. Et affirmandum videtur; nam Tridentinum *sess.* 12. *in Decreto de servandis, &c* loquendo cum Episcopis, sic decernit: *Ne patiantur privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad divinum tantùm cultum dicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium à sæcularibus, & Regularibus peragi*. Cùm ergo eis injungatur, ne permittant extra Ecclesiam, & Oratoria celebrari, consequens est, ut eisdem præcipitur, ne aliter faciant; non enim Episcopi alios corripere rectè possunt, si ipsi non corripiantur, & ad Decretum adstringantur. Prætereà Concilium ad evitandos abusus decernit, ne extra Ecclesiam, aut Oratoria celebretur; non enim tollerentur, si adhuc Episcopis permissum remaneret ad libitum in Altari portatili celebrare. Ergo abstulit simile privilegium. Denique Constitutio Pauli V. sustulit licentiam, & facultatem Episcopis, quam dabanr ad celebrandum in Oratoriis privatis. Ergo etiam ab eis abstulit facultatem celebrandi quotidie in Altari privilegiato. 7

Sed in contrarium est communis sententia, quia Tridentinum nihil loquitur de hoc privilegio, sed tantùm designat Episcopos exequutores, ne patiantur celebrare nisi in Ecclesiis, & Oratoriis ad id deputatis. Cæterùm Concilium loquitur cum secularibus, & Regularibus Clericis, non verò loquitur cum Episcopis, ut ipsi non celebrent, nisi in locis ad id designatis. Ergo Tridentinum ab illis non abstulit facultatem celebrandi in Altari portatili ad eorum commoditatem. Rursus quando cessat finis præcepti, debet dispositio cessare, *l. Si maritus* 15. *ff. Præscriptiones, ff. ad leg. Iul. de Adult. l. Quod dictum* 32. *ff. de pact. c. Et si Christus* 26. *de jurejur.* Everardus *in Top. loco* 85. Tiraquellus *in tract. cessante causa*, 1. *p. n.*11. Cùm ergo in præsenti finis Concilii fuerit, ut cessarent abusus in celebratione Missarum, qui non adsunt, si Episcopus celebret in Altari viatico, vel faciat celebrari: Ergo debet cessare dispositio Concilii. Confirmatur, quia nullus abusus valet considerari in lege id concedente, utpotè in privilegio inserto in corpore juris, unde non est præsumendum legem illos concessisse, aut permisisse: Ergo cessant abusus, & finis præcepti, & consequenter præceptum. 8

Nec ex constitutione Pauli V. aliquid in contrarium probatur, quia solùm declarat Episcopos non posse dare licentiam ad habenda Oratoria privata, ubi celebretur. Tum in dictis decretis ram Tridentini, quàm Pauli V. non fit mentio specialis hujus privilegii, ut derogaretur, quod fieri debebat, quia est insertum in corpore juris, *l. Ejus militis* 34. *ff. Militia, ff. de testam. milit.* Felinus *in cap.* 1. *de rescripti. nu.*12. Lotterius *de re benefic. lib.*1. *quæst.*7. *num.*26. Ruinus *vol.*1. *cons.*228. *nu.*13. Suarez *de legib. lib.*8. *cap.*38. *num.*12. Palaus 1. *par. Oper. Moral. tract.* 3. *disput.* 4. *de* 9

pri-

privileg. punct. 2. §. 5. *num.* 5. Ergo nec decreto Tridentini, nec Pauli eſt derogatum hoc privilegium *in d. c. fin.* Sic declaravit Sacra Congregatio, ut teſtatur Barboſa 2. *par. alleg.* 23. *n.* 5. Alzedus *de Præcell. dignit. Epiſcop.* 1 *p. c.* 13. *n.* 3. Fagnanus *in c. Quod nonnullis, de privileg. n.* 8. Valer. *verbo Miſſa, different.* 2. *verſ. Hæc tamen Regula*, Azor. *Inſtit.* 1. *p. lib.* 10. *c.* 26. *q.* 4. Garcia *in Summ. tract.* 3. *difficult.* 8. *dub* 2. *punct.* 2. *n.* 19. Coninch *de Sacrament. q.* 83. *art.* 3. *dub.* 1. *n.* 224. Layman *dict. tract.* 5. *c.* 5. *n.* 3. Lugo *dict. diſp.* 20. *ſect.* 9. *n.* 49. Paſqualigius *q.* 1215. *per tot.* Henao *dict. diſput.* 23. *ſect.* 9. *n.* 110. quorum ſententiam admitto.

20 Secundum, quod obſervandum eſt *in hoc d. c. fin.* eſt, ut ex hoc privilegio, & aliis facultatibus de jure communi Epiſcopis conceſſis, poſſint in proprio Palatio authoritate propria erigere Oratoria ad celebrandum. Ratio eſt, nam ſi Epiſcopis conceditur facultas celebrandi; aut faciendi celebrare in Altari portatili, commodo loco ad libitum illorum, ſimiliter in propriò Palatio valent ad celebrandum Oratorium erigere, & deſtinare. Tum, nam ſi in decreto Tridentini, & Conſtitutione Pauli V. prohibeatur celebrari in domibus privatis, niſi ex licentia Pontificis, Palatium Epiſcopale non comprehenditur in his decretis; quia non eſt privata domus, ſed gaudet immunitate, *cap. Id conſtituimus* 17. *q.* 4. Quapropter tam de jure communi, quàm ex privilegio dicti capitis finalis poſſunt erigere Oratoria in ſuis Palatiis, non ſolùm ob neceſſitatem, quando eſſent infirmi, ſed ob ſolam commoditatem, Marchinus *de Ordin.* 3. *par. cap.* 9. *n.* 11. Garcia *dict. c.* 2. *n.* 19. Diana 9. *par. tract.* 1. *reſol.* 36. de Lugo *dict. diſp.* 20. *ſect.* 2. *n.* 50. Tamburinus *in Meth. lib.* 1. *c.* 4. §. 2. *n.* 12. Paſqualigius *quæſt.* 1216. *per tot.* Rubeus *in Aphoriſm. Epiſcop. verbo Oratorium*, *n.* 3. Capponi *dict. cap.* 183. *n* 43. Henao *d. ſect.* 9. *n.* 107.

11 Sed in contrarium eſt difficultas, nam ut declararunt Cardinales ad Concilum, *reſponſo* 841. Epiſcopi nequeunt celebrare, nec facere celebrari in Oratoriis habitis in ſuis Palatiis; quia id eſt ſublatum per Tridentinum. Tum quia textus *in dict. c. fin.* ſolùm loquitur de Epiſcopis itinerantibus, non verò domi morantibus, & in ſuis Palatiis. Unde Paſqualigius *quæſt.* 1216. *n.* 4. aſſeruit non eis competere habere Oratoria ex privilegio dicti capitis finalis. Ergo minimè poſſunt habere Oratoria in ſuis Palatiis authoritate propria, ut affirmant Riccius 4. *par. deciſ.* 78. *n.* 5. Valer. *d. different.* 2. *n.* 1.

12 In hoc dubio dicendum, Doctores in aliqua confuſione verſari; duobus enim modis poteſt Epiſcopus Oratoria in ſuo Palatio conſtruere. *Primo*, quando ſunt publica. *Secundo*, quando ſunt privata. Publica verò ſua propria authoritate Epiſcopi valent erigere cum porta ad publicam viam, & cum campana, & aliis requiſitis, prout tenent Noſtri Eminentiſſimi Archiepiſcopi Toletani, & ſunt ſicut cætera Oratoria publica, Fagnanus *in cap. Authoritate, de cenſib. num.* 24. nam ſicut Epiſcopi poſſunt ubi fuerit conveniens, publica erigere Oratoria, ſimiliter in eorum Palatio ex ipſorum propria authoritate erigi poſſunt, prout etiam in Hoſpitalibus, & carceribus fiunt, Fagnanus *ubi proximè*, *num.* 26. Unde in his Oratoriis, & celebrari poterit, & Fideles Miſſam audire quibunt, Paſqualigius *q.* 1216. *n.* 3. & 5.

13 Erit ergo nota concertatio in ſecundo membro diſtinctionis, nempè ſi Epiſcopus poſſit Oratorium privatum in ſuo Palatio propria authoritate erigere: quo in caſu loquitur Reſponſum Cardinalium, & ſimiliter Riccus, & Valer. & improbabilis non eſt eorum ſententia, ex fundamentis recenſitis *num.* 7. Sed adhuc contrarium eſt tenendum in Oratoriis privatis ad uſum ipſius Epiſcopi, & familiæ, *ex cap. Miſſarum* 12. *de Conſecrat. diſt.* 1. ubi Miſſa celebrari permittitur in quocumque loco ab Epiſcopo deputato quæ quidem facultas licèt ſit revocata quoad domus privatas in exectione Oratorii, non tamen in Palatiis Epiſcoporum, nec per Tridentinum, nec per Conſtitutionem Pauli V. ut jam dictum eſt. Ergo rectè Epiſcopi poſſunt erigere Oratorium privatum ad celebrandum in ſuo Palatio. Rurſus ex deciſione textus *in dict. cap. fin.* quem quidem trahere poſſumus ad hæc Oratoria, ex identitate rationis, quia cùm Epiſcopis concedatur ob commoditatem audiendi Miſſam; vel celebrandi quotidie, Altare portatile, ſi ſint itinerantes, eadem eſt, ut domi illo fruantur, ob eandem commoditatem; durum eſt enim Epiſcopis quotidie è domo exire ac Eccleſiam, vel ad celebrandum, vel audiendum Miſſam, quando plurimis negotiis ſunt irretiti. Cùm ergo eadem ſit ratio, ibidem jus debet ſervari, licèt ſit materia privilegii, & odioſa, Cardoſa *in praxi*, *verbo Lex*, *num.* 24. Menochius *lib.* 5. *præſumpt.* 33. *n* 18. Marius Antonius *var. lib.* 3. *reſolut.* 39. *num.* 1. Rebellus *de Inſt.* 1. *par. lib.* 1. *quæſt.* 6. *ſect.* 4. *num.* 20. Ergo benè poterunt Epiſcopi in ſuis Palatiis habere Oratoria privata cum Altari portatili ad celebrandum. Prætereà Epiſcoporum Palatia quodam modo religioſa ſunt, ob authoritatem, & dignitatem eorum: quare in eis erat olim Sanctiſſima Euchariſtia, & locus ubi cuſtodiebatur, & exiſtebat, *Paſtophorium* dicebatur, Clemens Pontifex *lib.* 8. *cap.* 13. & *lib.* 2. *Conſtit. Apoſtol. cap.* 57. quod verbum ſecundùm interpretationem D. Hieronymi *ad cap* 40. *Ezechiel.* thalamum ſignificat, ubi habitabat Templi Præpoſitus, id eſt Epiſcopus, Durantius *de Rit. Eccleſiæ*, *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 7. Lantmeter. *de vet. Clericor. vict. lib.* 2. *cap.* 77. Ergo cùm domus Epiſcopi digna haberetur habendi Euchariſtiam, & illam obſervandi, cur non habebit Oratorium privatum ad celebrandum, ut tenent ſuprà relati, quibus addendi Gavantus *in Rub. Miſſ.* 1. *par. tit.* 20. Squillante *de Privilegiis Epiſcopor.* 3. *par. cap.* 4. *nu.* 5. quod extendunt etiam in domo rurali, ubi aliquando habitaret Epiſcopus ob recreationem, Tamburinus *d.* §. 2. *n.* 12. Diana 9. *par. tract.* 1. *reſolut.* 38. Paſqualigius *quæſt.* 1217. *per tot.*

Prætereà eſt aliud dubium, an Epiſcopi in ſuis Palatiis 14
poſſint erigere duo Oratoria, unum ad ipſius uſum, alterum ad uſum familiæ. Prima ſententia negat; nam privilegium dicti capitis finalis eſt perſonale, reſpiciens ipſius perſonam, ut quotidie Miſſam audiat. Cùm vero illud privilegium in uno Oratorio effectuetur, minimè virtute illius valet Epiſcopus aliud erigere ad ſuam familiam. Cæterùm conſuetudo eſt optima legum interpres, *l.* 37. *ff. de legibus*, Hunnius *in Enyclopedia iur.* 1. *par. tit* 3. *cap.* 7. *num.* 9. non enim invenitur, ut in Palatio alicujus Epiſcopi ſint duo Oratoria: ergo negandum eſt habere hanc poteſtatem. Denique privilegium habendi Oratorium, eſt odioſum, Trullench. *in Bull. lib.* 1. *ſ.* 3. *dub.* 6. *n.* 10. quod non debet extendi. Et licèt aliqui dicant illud favorabile, Paſqualigius *quæſt.* 1218. *num.* 9. non tamen extendi debet ultra id, quod in verbis continetur, *l. Quod conſtitutum*, *ff. de teſtament. milit.* Solorzanus *de jur. Ind. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 20. *num.* 71. Salgado *de Recent.* 2. *par. cap.* 30. §. 5. *nu.* 26. Aſt in privilegio dicti capitis finalis ſolùm continetur unum Altare, ut Epiſcopus celebret, aut Miſſam audiat: Ergo nequit erigere domi duo Oratoria, ad ſui, & familiæ uſum, Diana 9. *par. tract* 1. *reſol.* 37. Capponi *dict. cap.* 183. *nam.* 44.

Secunda ſententia tenet contrarium, quia textus *in dict.* 15
cap fin. loquitur indiſtinctè, & ſine limitatione: quapropter poteſt extendi ad duo Oratoria. Sed Diana *dict. reſolut.* 37. *verſ. Sed pace viri*, aſſerit textum illum aſſumptum non probare, quia effectuatur in perſona Epiſcopi. Verùm ex verbis textus illius, licèt non probetur aſſumptum, ratione tamen probatur; nam ut diximus ſuprà, beneficium Principis latè interpretatur, *l.* 1. *ff. de Conſtit.* Ergo debet privilegium illud non ſolùm ad Epiſcopum extendi, ſed ad familiam, Pellizarius *tom.* 1. *Man. Regul. tract.* 8. *cap.* 2. *ſect.* 9. *num.* 260. Paſqualigius *quæſt.* 1218. *per tot.* Torrecilla *Exam. de Obiſp. tract.* 8. *quæſt. ult. ſect. unic. conſult.* 4.

In re dicendum, admittendam eſſe hanc ſecundam ſen- 16
tentiam, non ſolùm ex privilegio dicti capitis finalis, ſed etiam *ex c. Miſſarum* 12. *de conſecrat. diſt.* 1. ſcilicet unum Oratorium erigere poſſe Epiſcopum cum Altari portatili, ad uſum ipſius, & facilè probatur *in dict. cap. fin.* Verùm privilegium iſtud extendi non valet ad Oratorium familiæ; nam, ut dictum eſt, privilegium eſt perſonale: non egrediens perſonam; idcircò vi illius nequit aliud Oratorium erigi ad familiam, *ex cap. Sanè* 9. *de Privilegiis. l. Quia tale* 13. *ff. ſolut. matr.* Menochius *lib.* 3. *præſumpt.* 103. Gaillus *lib.* 2. *obſervat.* 1441. *à num* 8. Tuſchus *litt. P. concl.* 740. Marius Antoninus *lib.* 1. *reſolut.* 109. *num.* 5. Tum declaratio interpretativa debet eſſe congrua, quatenus verba privilegii patiuntur, Baldus *in l.* 1. *C. de impub. ſubſtitut.* Mantica *de contract. lib.* 1. *tit.* 16. *num* 10. & verba habentia præciſam ſignificationem, non poſſunt recipere

aliam

aliam interpretationem, & si possint extendi, id faciendum intra limites significari Gloss. & Bart. *in l. Stipulatus sum, in princip. ff. de verb. oblig.* ubi etiam Jason *num.* 3. & 4. Salgado *de Reg. protect. 4. par. c. 12. à num.* 35. Cùm ergo verba textus *in d. c. fin.* habeant significationem præcisam ad ipsum Episcopum, & ut Missam audiat, non debent extendi ad aliud Oratorium deserviens ad familiam illius.

17 Sed licèt Episcopi ex hoc privilegio nequeant aliud Oratorium erigere ad suam familiam, possunt tamen *ex dict. c. Missarum*, nempè quia de jure communi competit Episcopis designare locum competentem ad celebrandum: quæ quidem facultas eis ablata non est, ut in suis Palatiis id facere non possint, ut dictum est suprà, Portel. *tom. 1. Respons. 3. par. casu* 20. *nu.* 4. Beja 4. *par. casu* 33. Lezana *tom. 1. quæst. Regul. cap. 21. num.* 14. Ergo rectè poterunt ex facultate alterum Oratorium in suis Palatiis erigere ad usum suæ familiæ, ut ex hoc principio benè probat Pasqualigius *dict. quæst. 1218. à nu.* 5. Ex his fundamentum primæ sententiæ dilabitur, quia solùm indiat in privilegio dicti capitis finalis.

18 Hinc resolvenda est alia quædio, an in Oratorio existente in Palatio, absente Episcopo, possit celebrari. Aliqui negant, quia privilegium dicti capitis finalis, est personale. Ergo absente Episcopo, nequit in eo celebrari, Portel. *tom. 1. Respons. 3. par. casu* 20. *n.* 6. Zambellus *in Repert. verbo Missa, n.* 20. Diana 9. *par. tract. 1. resolut.* 41. & 4. *per tract. 4. resolut. 15. vers. Notandum*, & videtur tenere Aversa *de Eucharistia, q. 11. sect. 4. vers. Quintò, in fin.*

19 Alteri verò affirmant, quia Oratoria non erigunt Episcopi in suis Palatiis ex vi dicti capitis finalis, sed ex capite *Missarum*. Ergo in eis poterunt alteri celebrare, etiam Episcopo absente. Rursus Oratorium, & Capella Episcopi se habent tanquam Ecclesia Parochialis ipsius familiæ, quæ immediatè subditur Episcopo. Ergo sicut in aliis Ecclesiis Parochialibus celebratur etiam absente Episcopo, similiter in Oratorio sui Palatii, Tamburinus *dict. lib. 1. c. 4. §. 2. n.* 10. & 12. Valerius *verbo Missa, different. 2.* Pellizarius *tom. 2. tract 8. c. 2. nu.* 163. Franciscus de Lugo *lib. 5. de Sacrament. cap. 6. quæst. 3. nu.* 15. Quartus *in Rub. Miss. 3. par. tit.* 10. *sect. 2. dub. 4. num. 1.* Pasqualigius *q.* 1233. *à num. 5.*

20 In hoc dubio dicendum, duobus modis posse Episcopum in suo Palatio erigere Oratoria. Primò quando Oratorium non stabile erexerit, sed portatile, ita ut faciliter jam in hac parte palatii reponatur, jam in altera: & in hac specie certa est prima sententia. Ratio est; nam tunc Episcopus tantum erigit Oratorium *ex dict. cap. fin.* quod est privilegium personale, & ad usum tantùm illius: quamobrem alteri Clerici absente Episcopo nequeunt ibidem celebrare, nec facere celebrari. Tamburinus *d. §. 2. num.* 10. Quartus *dict. sect. 2. dub. 4. vers. Respondeo,* Pasqualigius *d. q.* 1223. *n.* 2.

21 Secundo etiam modo potest Episcopus Oratorium erigere in suo Palatio, quod publicum non sit, sed privatum: & in hoc casu est difficultas, & in ea maxima consideratione est procedendum, quia si in parte secreta est constitutum ad usum tantùm ipsius Episcopi, & assuescat ibidem celebrare, nec permittat eo absente aliquem celebrare, tunc alter eo absente celebrare non poterit, nec ad usum familiæ, nec alio modo; quia tunc præsumendum tantùm erexisse Oratorium ex privilegio dicti capitis finalis, quod est personale, quo nullus uti poterit eo absente. Si verò Oratorium non ita sit erectum in secreto, sed palam, nec cum aliqua reservatione, tunc absente Episcopo in eo poterit celebrari, quia præsumitur erectum ex facultate juris communis, deputando eum locum ad celebrandum. Et ratio est, nam in dubio præsumendum voluisse Episcopum uti facultate Ordinaria, & non extraordinaria privilegii, *l. causæ 17. ff. de Minorib. l. 3. Cod. de in integr. restit. l. 4. Cod. si adversus rem judicat.* Donellus *lib. 21. comment. cap. 11.* ubi Ufualdus *litt.* K. Ergo in illo, non solùm quando est præsens Episcopus, poterit celebrari, sed eriam eo absente. Rursus quando Oratorium in Palatio Episcopi est stabile, non solùm consideratur personale ad usum Episcopi, sed reale, cui competit etiam immunitas absente Episcopo, Marius Italus *de Immunit. lib. 1. cap. 4. §. 9* Diana *dict. 6. par. tract. 8. resol. 40. vers. Tum à simili.* Ergo non est intelligendum erectum ex privilegio dicti capitis finalis, sed ex facultate jure communi concessa, & poterit absente Episcopo celebrari.

Similiter est alia resolvenda quæstio, an mortuo Episcopo possint adhuc familiares ibidem celebrare, & sacrum audire. Negavit Diana 9. *par. tract. 1. resol.* 40. quia illud Oratorium est erectum ex vi privilegii dicti capitis finalis, & cum persona Episcopi extinguitur. 22

Pellizarius verò *dict. tom. 2. tract. 8. cap. 2. sect. 2. num.* 63. tenet contrarium, quia Oratorium Palatii Episcopi, etiam eo defuncto durat, & fruitur immunitate, Marius Italus *dict. cap. 4. §. 9. nu.* 4. Novarius *in Summa Bull. tit. de Immunit. n.* 10. Barbosa *ad textum in cap. Constituimus* 17. *quæst. 4. num* 1. Ergo etiam fruitur privilegio, ut etiam ibi celebretur. 23

Sed difficultas ista resolvenda est, ut suprà diximus; nam si Oratorium est erectum ex privilegio dicti capitis finalis, mortuo Episcopo, nequit quis in eo celebrare. Si verò fuerit stabile eo modo, ut constructum sit ex facultate juris communis, adhuc Episcopo defuncto poterit in eo celebrari, ut benè distinguit Pasqualigius *q.* 1224. *n.* 4. Quod ita intelligendum, si modò remaneat domus Episcopalis; nam si sit conducta, aut mortuo Episcopo aliis locetur, est domus privata, in qua nequit ex sola facultate Episcopi celebrari, Tamburinus *dict. 2. num.* 13. Quartus *in Rub. Miss. par. 3. tit.* 10. *num. 1. sect. 2. dub.* 4. Pasqualigius *ubi proximè num.* 7. Aliàs in similibus Oratoriis semper rectè celebretur, & adimpletur præceptum audiendi Missam, Diana 6. *par tractat. 1. resolut.* 40. *in fin.* Tamburinus *dict. §. 2. num.* 13. *in fine*, Squillante *de privileg. Episcop. 3. par. cap.* 4. *num.* 9. Pasqualigius *quæst.* 1225. *per tot.* 24

Deindè illud est certum, Episcopos titulares posse uti privilegio dicti capitis finalis, *de privileg. in* 6. non solùm ad celebrandum quotidie in Altari portatili, sed ad domi habendum Oratorium non stabile; quia privilegium illud concessum est dignitati, sicut alii quamplures Doctores, quos refert Diana 9. *par. tract. 1. resol.* 47. Ergo rectè titularis Episcopus poterit uti illo privilegio. Tum dispositio loquens absolutè de Episcopo, intelligitur etiam de titulari, Baldus *in Auth. Licentiam, Cod. de sacrosan. Eccles.* Simancas *de Cathol. Instit. tit. 25. num.* 12. Sed textus *in dict. cap. fin.* loquitur absolutè de Episcopis. Ergo etiam de titularibus est intelligendus, Diana *dict. resolut.* 47. *vers. Itaque his*, Portel. *dict.* 3. *par. casu* 20. *num.* 3. de Lugo *dict. disput.* 20. *de Euchariss. sect.* 2 *num.* 50. Tamburinus *d. §. 2. num.* 12. Quartus 3. *par. tit.* 10. *num. 1. sect. 2. dub.* 1. Pasqualigius *d. q.* 1226. *à num.* 1. Henao *dict. disp.* 13. *sect. 9. n.* 116. 25

Sed contrà expenditur textus *in dict. cap. fin.* ibi: *Quoniam Episcopi, eorumque Superiores, se habent diversis ex causis à suis Ecclesiis, & Diœcesibus absentes.* Quæ verba non absolutè diriguntur ad omnes Episcopos, sed ad eos habentes suas Ecclesias, & Diœceses, à quibus absentantur. Ergo nequeunt trahi ad Episcopos titulares. Sed respondetur, causam absentiæ non esse finalem, sed impulsivam, quæ non coarctat dispositionem, ne possit extendi ad Episcopos titulares. Causa enim finalis est commoditas Episcopi ad audiendam, seu Missam celebrandam, quæ comprehendit Episcopos titulares majori ratione, quia semper sunt absentes à suis Ecclesiis, & Diœcesibus, quamobrem rectè ad eos extenditur hoc privilegium, Pasqualigius *q.* 1226. *n.* 4. 26

Non tamen extendendum est ad inferiores Prælatos, etiamsi habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, quia concessum est sub nomine Episcopi, solùm illam dignitatem habentibus, non verò jurisdictionem, Diana 9. *par. tract. 1. resol.* 48. Pasqualigius *quæst.* 1227. *à num.* 3. Similiter non est concessum Episcopis tantùm electis, sed etiam confirmatis, licèt non consecratis conceditur, quia gaudent omnibus privilegiis Episcoporum, Pasqualigius *q.* 1228. *num.* 2. Diana *par.* 12. *de consecr. Episcop. resolut.* 102. quidquid alii resistant. 27

His enim de Oratoriis Episcoporum discussis, transeamus ad Oratoria Regularium, circa quæ duo indulta sunt consideranda. Primum, privilegia quædam concedentia Regularibus Missam dicere in Altari portatili in loco decenti, ut est textus *in cap. In his* 30. *de Privilegiis*, in quod id conceditur Reverendissimis Patribus Prædicatoribus, Minoribus, & Carmelitis. Idem concesere Urbanus V, & Sixtus IV. Lezana *quæst. Regul. tom. 1. cap. 21. num.* 45. 28

Mi-

Minimis Julius II. Peyrinis *tom.1. ſuor. Privileg. §.7.n.17.* Hieronymitis Eugenius IV. ex Pereyrinis *in Compendio, verbo Celebrare, §. 2. & 3.* Paulus III. Jeſuitis. Cherubinus *tom.1. conſt. 25. Pauli III. & Sixti IV.* & Minoribus Alex. VI. Rodriguez *tom.1. quæſt. Regul. quæſt. 47. art. 5.* Congeſſerunt Garcia *in Summa tract.3. difficult.8. dub.2. punct. 3. n. 27.* Tamburinus *d. c. 4. §.3. n.7.* Henao *de Sacrific. Miſſ. diſp.23. ſect.10. n.113.*

29 Circa hæc priuilegia gravis eſt quæſtio, an ſublata ſint per Concilium Tridentinum *dict. ſeſs. 22.* Prima ſententia affirmat, quia ſub dicta diſpoſitione Concilii directè comprehenduntur Regulares, quibus non eſt permittendum ab Epiſcopo, ut extra Eccleſiam, aut locum deſtinatum ad celebrandum Miſſas celebrent. Tum ex ſubſequenti clauſula, *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis*. Unde hæc indulta revocata remanent, Navarrus *in Man. cap.25. nu. 82. in fin.* Lotterius *de re benefic. lib.1. quæſt.30. n.15.* Barboſa *de offic. Epiſcop.2. par. allegat.23. nu.4.* Laym. *in Summa, lib.5. tract.5. cap.5. nu.5.* Palao 4. *par. tract.22. diſput. unica, punct.8. num.8.* Becanus *de Sacrament. cap.25. nu.2.* Garcia *d. punct.3. n.28.*

30 Secunda ſententia negat, nam textus *in d.cap. In his* 30. *de Privilegiis*, eſt privilegium inſertum in corpore juris, quod non cenſetur derogatum, niſi expreſſim de eo fiat mentio, ut jam diximus, Grammaticus *deciſ.20. num.1.* Lotterius *de re benefic. lib.2. quæſt.7. num.26.* Coccinus *deciſ.36. num.72.* Suarez *de legib. lib.8. cap.38. num.2.* Sed in Decreto Tridentini non fit mentio illius textus. Ergo non eſt revocatum, ſolùm enim dicitur, ne Epiſcopi patiantur: quod eſt diverſum à revocatione expreſſa illius privilegii. Tenent cum Rodriguez Villalobos *in Summa, 1.p. tract.8. difficult.23. nu.7. verſ. Tabiena*, Tamburinus *dict. cap.4. §.3. n.10.* Thomas Hurtado *2. par. Mor. reſolut. tract. 22. c.2. in digreſs. reſol.222.* Leander *de Sacrament. tract.8. diſp.6. quæſt.17. verſ. Sed quæ*, Paſqualigius *q.474. à nu.5. de ſacrific. Miſs.* Dicunt probabile Lezana *in Mar. Magn. Prædicat. num.118.* Marchinus *de Ordine, tract.3. punct. 3. cap.9. n.12.*

31 Hæc ſententia hodie admittenda non eſt, licèt enim habeat probabilitatem ſpeculativam, non tamen admittenda eſt in praxi. Regulares enim, utpotè Religioſiſſimi, & timoratiſſimi viri, illa non utuntur. Tum etiam ſententia contraria ſolidiſſimis nititur fundamentis, præcipuè ex Bulla Gregorii XIII. Patribus Jeſuitis conceſſa, ubi dando facultatem, ut in miſſionibus in Altari portatili celebrent, ſupponit ſimilia indulta à Tridentino eſſe ſublata, ibi: *Vſum Altaris viatici Societati veſtræ, à felici recordatione Paulo Papa III. conceſsum, deindè à Tridentino universè ſublatum, vobis eatenus reſtituimus*. Quæ quidem verba apertè declarant, ſimilia indulta Regularium ſublata eſſe per Concilium: quæ declaratio cùm facta ſit ab ipſo Papa, utique mentem Concilii fuiſſe demonſtrat, ſimilia indulta abrogare. Cæterùm ratione probatur, nam ſi ſimilia privilegia non fuiſſent revocata, non poſſent Epiſcopi procedere adverſus Regulares frangente decretum Concilii, & eos cenſuris, & aliis pœnis compeſcere, pœna enim dicit ordinem ad culpam, *l. Sancimus 22. Cod. de pœnis*, Menochius *de arbitrariis, lib.1. q.90. num.38.* Tuſchus *litt.P, concl.211.* Farinacius *in praxi crim. q 4. num.10.* Sed Doctores etiam contrarii docent adverſus eos procedere poſſe, & cenſuris coercere. Ergo debent fateri, ſimilia indulta eſſe abrogata per Concilium.

32 Sed dices cum Paſqualigio *quæſt.474. num.9.* ſimilia indulta firma remanere, non abſolutè, ſed quatenus Regulares non prohibeantur ab Epiſcopis: interim tamen licitè poſſe illis uti. Ergo non obſtante, quod Epiſcopi poſſint procedere adverſus Regulares iſtis privilegiis utentes, revocata non ſunt. Reſpondetur tamen decretum Tridentini primùm interdixiſſe, ne Miſſæ celebrarentur extra Eccleſiam, aut locum ad id deſtinatum, ob graves abuſus: & poſteà dicit, non eſſe permittendum contrarium Epiſcopis, nec ſæcularibus, nec regularibus Clericis. Ergo primùm directè revocavit indulta id permittentia, & poſteà decernit ab Epiſcopis non conſentiendum, nec aliis, nec alteris, procedendo contra eos cenſuris, vel aliis pœnis. Ergo in dicto Decreto non relinquuntur indulta in ſuo robore, ſed revocantur, & ita Regulares contrarium facientes delinquunt, & rectè ab Epiſcopis puniuntur. Intellectus verò præſtitus à Paſqualigio magis eſt metaphyſicus, quàm ad praxim conducens, quare teneo per Tridentinum eſſe revocata ſimilia indulta, ex directa diſpoſitione non indigente expreſſione, ut tenent etiam Azorius *1. par. lib. 10. cap. 26. quæſt. 7.* Suarez *d. diſp.81. de Euchariſtia ſect.3. verſ. Quarta exceptio*, Chamerot. *de Sacrament. tractat. de Euchariſtia, dub.15.* Paſſerinus *de pollut. Eccleſiæ, diſp.2. cap.11. n.1.*

Tempero tamen cum Reverendiſſimis, & doctiſſimis Patribus Jeſuitis, hi enim etiam poſt Concilium, quando Miſſionibus adſunt, poſſunt uti Altari portatili, & ibidem celebrare, quamvis loca ſint profana, & communia, ex diſpoſitione Generalis, aut Provincialis, obſervata forma Conſtitutionis Pauli III. ubi etiam poſſunt fideles communicare, idque ex Conſtitutiones Gregorii XIII. Compendium Societatis *verbo Altare*, Villalobos *dict. difficult. 33. num 7. verſ. Los Padres*, Marchinus *d. cap. 9. n.12.* Garcia *dict. punct. 3. num. 3* ubi refert Conſtitutionem Urbani VIII. 22. Februarii 1633. idem concedentem omnibus Religionibus in Miſſionibus ad Indias, præcipuè ad Chinam, Japonium, & Philippinas vacantibus, quibus indultis à jure exorbitantibus magna moderatione uti oportet, ut benè ponderat Villalobos nuperrimè citatos, Henao *dict. ſect.10. n.122.* 33

Quoad Oratoria Regulares etiam habent privilegia, ut poſſint ea habere in ſuis Monaſteriis, Clauſtris, Hoſpitiis, Grangiis, intra civitates, aut extra, tum etiam ubi eorum infirmi curantur: ſunt ad id indulta Innocentii III. Alexan. VI. Sixti IV. Pii IV. Benedicti XIV. Eugenii IV. & Gregorii XIII. Referunt Garcia *dict. dub.2. punct.2. nu.31.* Paſqualigius *de ſacrific. Miſs. q.484. à n.1.* Capponi *d.cap.183. num.38.* 34

Hæc enim Oratoria poſſunt erigere Generales, aut Provinciales, Epiſcopo irrequiſito, & abſque ejus licentia. Idem de Capellis intra eorum Eccleſias majori ratione tenendum docuerunt, Garcia *d.n.31.* Marchinus *d. tract.3. cap.9. punct.3. nu.13.* Diana *9. par. tract.1. reſol.32. in fine*, Henao *d. ſect. 10. n.123.* 35

Eſt tamen dubium, an hæc privilegia erigendi Oratoria in domibus Religioſorum, ſint derogata per Concilium *d. ſect.22.* ibi: *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis*. Et affirmandum videtur, nam clauſula iſta non ſolùm comprehendit privilegia celebrandi in Altari portatili, verùm etiam hęc habendi Oratoria, ubi abuſus celebrandi committi poſſunt. Ergo revocata ſunt per Concilium. Cæterùm hæc Oratoria, licèt ſint in domibus Religioſorum, ſunt privata, quia non habent requiſita publicorum, Fagnanus *in cap Authoritate, de Cenſib. n.13.* Bengeus *de Beneficiis, c.2. de Eccleſ. ædificand.1. par. §. 1. à n.9.* Sed in Concilio Oratoria privata tolluntur, Ergo & iſta. 36

Sed in contrarium eſt communis ſententia, nam in dicto decreto ſublata ſunt Oratoria privata in domibus privatis: monaſteria autem, & domus Religioſorum non ſunt domus privatæ, *cap. Abbatis 22. §. Hæc autem, diſt.54. cap. Almæ mater 24. de ſentent. excommun. in 6.* ubi Gloſſa *verbo Monaſterium*. Ergo in dicto decreto ſublata non ſunt hæc Oratoria. Cæterùm licèt fuerint ſublata per Concilium, tamen adeſt poſteà Conſtitutio Gregorii XIII. concedens Jeſuitis facultatem ſimilia Oratoria, & Capellas habendi in ſuis domibus: quo quidem privilegio etiam aliæ Religiones fruuntur ob participationem, Naldus *in Summa, verbo Miſſa, n.32* Reginaldus *in praxi for. lib. 29. num. 178.* Rodriguez *quæſt. Regul. tom.1. q.43. art.4.* Tum eſt privilegium Pii IV. derogans Concilio, & idem concedens Canonicis Regularibus S. Salvatoris, per eandem participationem omnibus Religionibus extendendum. Ergo minimè exiſtunt derogata, quin rectè iis fruuntur Religioſi ad habenda relata Oratoria. Ita tenent Garcia *d. difficult.8. dub.2. punct. 3. n.31.* Diana *9. par. tract.1. reſolut.32.* Marchinus *dict.3. p cap.9. n.10.* Lezana *tom.1. quæſt. Regul. cap.21. num.15.* Averſa *de Euchariſt. quæſt.11. ſect.14.* Tamburinus *dict.l.1. cap.4. §.3. n.14.* Paſqualigius *quæſt.484. à num.3.* Thomas Hurtado *reſolut. mor.2. par. tract.12. cap.1. in digreſs. §. 1. n.2222.* Capponi *dict. c.183. num.38.* Henao *dict. ſect. 10. num.137.* 37

Eſt verò aliqua difficultas, an in his Oratoriis Religioſorum poſſint exteri Sacerdotes celebrare? Et ratio dubitandi eſt, nam cauſa finalis harum conceſſionum eſt commoditas Religioſorum, & ut poſſit occurrere diverſis occurrentiis neceſſariis ad ſuam gubernationem. Ergo exteri Sacerdotes 38

tes ibidem non poterunt celebrare, cùm ſimilibus neceſſitibus non urgeantur.

Sed contrarium eſt tenendum, nam ſuppoſitis privile-
39 giis, jam iſta Oratoria ſunt loca deſtinata ad celebrandum abſque aliqua reſtrictione Sacerdotum: quapropter alii Sacerdotes exteri poterunt in eiſdem Oratoriis celebrare. Rurſus licèt ſint extra clauſtra, aut in locis aliis, partes tamen cenſentur Eccleſiæ illius Monaſterii: quapropter ſicut in Eccleſia Monaſterii poſſunt exteri Sacerdotes celebrare, ſimiliter in his Oratoriis. Denique licèt hæc Oratoria conſtruantur ex vi privilegiorum, ad commoditatẽ Religioſorum; poſteà tamen jam conſtructa remanent legitimè deputata ad celebrandum, non ratione alicujus commoditatis, ſed ex natura ipſius deputationis: quare etiam exteri Sacerdotes poterunt ibidem celebrare, Garcia *dict. punct.* 3. *num.* 33. Tamburinus *d. cap.* 4. §. 3. *n.* 15. Scortia *de Sacrific. Miſs. lib.* 2. *cap.* 10. Lezana *in Summa, verbo Oratoria*, *n.* 4. Paſqualigius *quæſt.* 486. *à num.* 1. Capponi *cap* 183. *nu.* 38. Suarez *dict. diſp.* 81. *ſect.* 3. *verſ. Quarta exceptio*, Henao *dict. ſect.* 10. *n.* 127.

40 Majus verò eſt dubium, ſi ſpecialiter ſint Oratoria in Grangiis. Prima ſententia docet Regulares non poſſe admittere alios Clericos ad celebrandum ibidem, quia tantùm hæc Oratoria conceduntur ad uſum Religioſorum, & familiæ, ut colligitur *ex cap. Patentibus* 10. *de Privilegiis*, *c. fin. de cenſib.* Ergo nequeunt ibidem admittere alios Clericos ad celebrandum, Bordunius *tom.* 2. *conſ. Regul. reſolut.* 90. *num.* 9.

41 Secunda ſententia affirmat; nam eſt eadem ratio Oratoriorum in Monaſteriis erectorum ſicut in Grangiis, quia licèt ex vi privilegiorum erigantur, verùm jam conſtructa remanent loca deputata ad celebrandum. Ergo poterunt alii Clerici ibidem celebrare, Henriquez Auguſtinianus *in Summa*, *ſect.* 22. *q.* 26. Quarus *in Rub.* 3. *par. tit.* 10. *nu.* 1. *ſect.* 2. *dub.* 9. Diana *tract.* 1. *reſolut.* 33. *verſ. Non tamen*, Capponi *dict. cap.* 183. *n.* 38. & 39. Quintana Duenas *tom.* 4. *tract.* 4. *ſingul.* 34. *num.* 3. Paſqualigius *q.* 489. *àn.* 3.

42 In re animadvertendum, jura quæ adducit pro ſuo fundamento, minimè illud probare; nam textus *in cap. Petentibus* 10. ſolùm agit, ne Templarii, aut Hoſpitalarii campanas habeant in ſuis Oratoriis, ne inde jura Parochialia lederent. Quod quidem in Monaſteriis tempore illius textus obſervabatur, cùm in eis nec Miſſæ publicè celebrarentur, nec adminiſtrarentur Sacramenta: ſed tantùm per varia ſigna ad ſacram Synaxim, & Officia divina Monachi convocabantur, vel tuba, ut ex Pammachii Regula conſtat *n.* 2. vel tabella, vel malleo, vel lignorum colliſione, Cæſarius *lib.* 1. *Hiſt. c.* 40. Poſteà tint innabulo congregari cæperunt, nec aliquo modo campanas habebant, niſi in aliquibus Monaſteriis, ubi adminiſtrabantur Sacramenta, & publicè, Miſſa celebrabatur, ut eſt intelligendus textus *in cap. Nimis* 16. *de exceſſib. Prælat.* Denique Joan. XXII. *in Extravag.* 2. *de offic. Cuſtodis*, Regularibus conceſſit habere unam campanam, & ex conſuetudine plures habere receptum eſt, Alciatus *lib.* 8. *Parergon. cap.* 11. Barboſa *lib.* 3. *vot.* 102. *n.* 62. Tamburinus *de jure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 14. *quæſt.* 15. Gibalinus *de clauſura*, *diſquiſit.* 2. *cap.* 2 §. 1. Tondutus 1. *quæſt. benefic. cap.* 25. *nu.* 14. Ex hoc enim textu nihil ad rem percipi valet, quàm quod Oratoria Grangiarum ſolùm ad uſum Religioſorum deſerviant, ita ut alibi ibidem non poſſint celebrare, ut benè conſiderat Paſqualigius *d. q* 489 *n.* 2.

43 Nec textus *in dict. c. fin. de cenſibus*, aliquid agit de quæſtione noſtra, ſed tantùm ne Epiſcopi procurationes percipiant de Oratoriis Religioſorum, quæ ſunt in Grangiis, quia procurationes feruntur propter viſitationem, *cap. Cùm venerabilis* 21. §. 1. *de cenſib. cap. Cùm ex officiis* 16. *de præſcript.* Ergo cùm Epiſcopi ſimilia Oratoria non viſitent, nec procurationes recipere valent, ut ratiocinatur Fagnanus *ibid. nu.* 2. quæ quidem ratio hodie deſervire valet propter maximam exemptionem Regularium, Diana *dict. reſolut.* 33. *in fin.* Capponi *dict. cap.* 183. *num.* 39. Aſt parum valet ad curſum illius temporis quando Epiſcopus hęc Oratoria viſitabat, & in Monaſteriis habebat jura Epiſcopalia, ut in cæteris Eccleſiis, *c. Omnes Baſilicæ* 16. *quæſt.* 7. *cap. De Monachis* 12. *de præbend.* Quapropter dicendum, in dicto textu liberaliter ab his procurationibus Regulares liberaſſe Pontificem, ut in quantum fieri poſſet ſublevarentur, *c.* 1. *de Capell. Monachor.* Azorius *Inſtit.* 2. *par. lib.* 3. *cap.* 42. *quæſt.* 1. Novarius *de novo jur. concluſ.* 5. *num.* 5. Barboſa *de univerſ. jur. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 15. Gonzalez *in dict. cap. fin. num.* 3. Unde ſequitur, Bordonium ex hoc jure percipere potuiſſe, ut notat etiam Paſqualigius *ubi proximè nnm.* 2.

Hanc ob rem admitto ſecundam ſententiam, non ſolùm 44
ex fundamentis illis, ſed quia grangiæ iſtæ ubi adſunt ſimilia Oratoria, religioſa loca exiſtimantur, & immunitate guadent, ut cum Scortia tenet Diana *dict. reſolut.* 33. *verſ. Vtrum dicta Oratoria*, Henao *dict. ſect.* 10. *num.* 128. & ita non comprehenduntur in dicto Decreto Tridentini, & conſequenter omnes Clerici poterunt ibidem celebrare. Cæterùm probatur; nam ſimilia Oratoria grangiarum benedicuntur, & deſtinantur à Generalibus, vel Provincialibus, taliter ut non poſſint diverti ad uſus profanus, Bordonus *tom.* 3. *reſolut.* 90. *num.* 3. Paſſerinus *de pollut. Eccleſiæ diſp.* 2. *cap.* 11. *num.* 4. Paſqualigius *quæſt.* 494. *per tot.* Ergo celebrare in eis eſt celebrare in loco ſacro ad id deſtinato. Ergo omnes Clerici poterunt ibidem celebrare.

CAPVT XII.

De oblationibus in Eccleſiis faciendis. Elucidatur caput *Omnis* 69. *de conſecrat. diſt.* 1.

SUMMARIUM.

Cauſa pia oblationum fuit uſitata tam in veteri, quàm in novo Teſtamento: de veteri probatur, num. 1. *De novo, n.* 2. *Erant variæ oblationes, & conſuetudines offerendi, & dividendi oblationes, n.* 3.

Olim panis, & vinum offerebatur ante communionem. Apud Græcos de panibus oblatis pars frangebatur ad ſacrificandum, Latini integrè totum libabant. Fiebant oblationes pro natalitiis, & pro defunctis, num. 4.

Examinatur D. Salzedo aſſerens olim oblationes datas fuiſſe pro ſtipendio Miſſarum, & ſtipendii taxam ex voluntate offerentium pendere: ponuntur ejus fundamenta, num. 5. 6. 7. & 8.

Notatur caſus occurrens, n. 9. *Ponuntur contra eum fundamenta. Oblationes ſunt voluntariæ, ſtipendium debitum juſtitiæ, n.* 10. *Et licèt à principio procedat à liberalitate, dicta Miſſa eſt de juſtitia, n.* 11.

Dicere oblationes fuiſſe ſtipendia Miſſarum, eſt incertiſſimum. Explicantur oblationes, & diviſiones earum, num. 12. *Facta diviſione Parochiarum, oblationes Parochis fuerunt applicatæ, ibid.*

Explicatur Concilium Eboracenſe, num. 13. *Piæ conſuetudines diſtinguntur ab ſtipendio Miſſarum, num.* 14. *Epiſcopi poſt Tridentinum poſſunt taxare ſtipendia iſta, num.* 15.

Tempore antiquo oblationes diſtinguebatur ab ſtipendiis, n. 16. *Non dabantur Sacerdoti celebranti, ſed reponebantur in gazophylacio Eccleſiæ, quem locum Græci Propoſitionem dicebant, n.* 17.

Reprobatur Salzedo, & explicantur Chriſtineus Lupus, & Lemaiſtre, n. 18.

Stipendium debetur de jure divino, & naturali, n. 19. *& comprobatur, n.* 20. *& 21.*

Reſolvitur contra Salzedum, & explicantur Sotus, & Navarrus, n. 22.

Oblatio eſt quidquid Deo offertur, ſed propriè loquendo ſunt oblationes, quæ intuitu religionis immediatè Deo, abque immolatione exhibentur, n. 23.

Oblatio differt à Sacrificio, a Decimis, & à Primitiis, num. 24.

An oblationes, ut à Decimis, & à Primitiis diſtinguuntur, cadant ſub præcepto? Aliqui affirmant, ſed non clarè loquuntur, num. 25. *Iuribus, & rationibus corroboratur hæc ſententia, num.* 26.

Sed contrarium abſolutè tenendum, num. 27.

Examinantur plura jura, caput De his 7. *caput* Antiquos 8. *caput.* Quia 13. *caput.* Sanctorum 14. & 15. 20. quæſt. 1. *Decimæ, & Primitiæ ab origine fuerunt ultroneæ, poſteà in Eccleſia præceptæ, n.* 28. & 29.

Doctores aſſerentes oblationes eſſe debitas, intelligendi ſunt de

de quibuſdam conſuetudinibus factis in quibus diebus feſtivis, n.30.
Sed adhuc in hac ſpecie oblationes ſunt ultroneæ, quia procedunt ab actu libero, quod exemplis oſtenditur, n. 31. Et quod ſint ex actu libero probatur, n. 32.
Fit inſtantia, quia in oblationibus, & cauſis piis non præſumitur materia facultativa, & gratioſa: ſed reſpondetur, nu. 33. & admittitur contrarium quando conſuetudo eſt uniformis, ib.
Oblationes cadunt ſub præcepto, quando conſuetudo offerendi eſt laudabilis, & uniformis. Per præſcriptionem acquiritur dominium abſque domini conſenſu, n.34.
Examinatur Suarez. Acquiſitio per præſcriptionem non fit abſque domini præſumpta voluntate, itaque non currit contra ignorantem; & ſi currat, reſtituitur, n. 35. Explicatur lex Bonæ 48. §. 1. de acquir. rer. domin. *ibid.*
An quando varietas eſt in ſpecie, vel quantitate, oblatio cadat ſub præcepto. Prima ſententia affirmat. Generalis obligatio & actio non curat de diverſitate ſpeciei, nu. 36.
Sed admittitur contrarium. Expenditur lex Seio 10. §. Medico, ff. de annuis legat. *Eadem eſt ratio de partibus quod totum, quando ex partibus eſſentialiter componitur totum, numer. 37. & comprobatur, num.38.*
Ut obligent hæ conſuetudines offerendi, aliqua ſunt requiſita. Primum ut inceperint nulla neceſſitate cogente, ſed liberaliter. Secundum, ut nullum pactum intervenerit. Tertium ut quod ſolvitur, ſit certum. Quartum, quod omnis populus, aut major pars in oblatione perſiſtat. Quintum, ut præſcriptio ſit per decennium, n.39. & 40.
Parochus cui competunt ſimiles oblationes, non coget ad illas per ſubtractionem ſpiritualium, ſed implorato officio Ordinarii, n.41.
An valeat conſuetudo, ut Eccleſiaſtici faciant oblationes laicis, ut candelæ in die Purificationis. Prima ſententia negat, nu. 42. Secunda tenet contrarium numer.43.
Si conſuetudo eſt immemorialis, etiamſi gravamen inferat Eccleſiis, eſt ſuſtinenda. Conſuetudo immemorialis ſupponit meliorem titulum, & non intelligitur ſublata, niſi de ea fiat ſpecialis mentio, num.44. Si non eſt immemorialis, & gravamen inferat, non eſt admittenda, n.45. Si non eſt immemorialis, ſed levis eſt præjudicii, ſimiliter eſt ſervanda, n.46.
Non valet conſuetudo non ſolvendi decimas, niſi Parochus ſolvat certas libras carnis. Valet tamen ut de agnum Paſchalem: ſecus de conſuetudine convivandi Parochianos in die Defunctorum, n 47.
Oblationes cadunt ſub obligatione, ſi fiant per modum pacti, obligationis, ſeu legati, num. 48. Vel ex voto, numer.49.
Oblationes relictæ à teſtatoribus ad bonum ſuæ animæ, magna cura adimplendæ, n.50.
Parochiani obligantur ad oblationes, ſi Eccleſia, & Parochus congruam non habent, & quando ſunt deputatæ ad alimoniam Miniſtrorum, n.51.
Itidem ſi ſolvant decimas, & primitias non ſufficientes. Si verò alii ſunt participes, iſti debent ſupplere, non Parochiani, vel qui penſionem percipiunt. Si Parochiani ſunt pauperes, id pertinet ad providentiam Epiſcopi, n.52.
An quando Parochus ex artificio vivere poteſt, compellendi ſint Parochiani ad oblationes. Prima ſententia negat, n.53. Secunda affirmat, n 54.
Explicatur caput Clericus victum 3. diſt. 91. *& laudatur occupatio in Clericis, n.55.*
Aliter interpretatur textus ille. Clericus propter paupertatem poteſt advotare, nu. 56. Reſolvitur difficultas, nu. 57.
An Parochi non aliti à Parochianis, valeant eis ſubtrahere Divino? Aliqui affirmant, nu 58. Sed repelluntur, nu.59.
Oblationes uſuales quæ fiunt ad manum Miniſtri, pertinent ad Parochum, nu.80. Etiam in Eccleſiis Ordinum Militarium In Cathedralibus verò pertinent ad Archipresbyterum, n.61.
Si oblationes fiant in capella Eccleſiæ, ad Rectorem pertinent, niſi dentur ad ornatum, vel ſint ſtipendia Capellani. Idem ſi fiant in Oratorio aut Capella, in qua fuerint aliqua beneficia, n.62.
Sed limita ſi eo animo offerant, ut ſint Capellæ, vel ad alium certum finem, n.63.
An oblationes factæ Confraternitatibus pertineant ad Parochum? De jure affirmandum videtur. Laicis prohibitum eſt offerre. Rector habens ſuam intentionem fundatam in oblationibus, nu.64. Explicatur hæc doctrina, nu. 65.
Aliquando non omnes oblationes pertinent ad Parochum, licet ad eum pertineat adminiſtratio, nu. 66. & 67. Oblationes an ad Epiſcopum pertineant, quando celebrat in loco exempto, n.68. Quando oblationes fiunt in Parochiali, & non pertinent ad Parochum, illarum adminiſtratio ad illum attinet, n.69.
An Regulares poſſint percipere oblationes quæ fiunt in ſuis Eccleſiis. Prima ſententia affirmat, n.70. Secunda negat, nu.71.
In hoc caſu ſunt proſpicienda Monaſterii privilegia, aut quando Religioſi etiam ſunt Parochi, n.72.
Poſſunt etiam Regulares percipere oblationes aliis titulis, à n. 33. Sed ut Miniſtri nequeunt percipere, ſi graves, & continuæ fuerint, n.74. & 75.
De oblationibus factis Imaginibus, remiſſivè, n.76.
Referuntur perſonæ à quibus Eccleſia non recipit oblationes, nu. 77.

CAuſa pia oblationum in calce hujus libri eſt à nobis differenda, quia à Fidelibus in Eccleſiis, Oratoriis vel capellis fiunt, de quibus egimus ſupra. Eſt enim oblatio antiquiſſima, uſitata tam in veteri, quàm in novo Teſtamento. In veteri probatur *Exodi cap.*23. ibi: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Quẽ locum licet aliqui intelligant de oblatione decimarum, attamen de liberis, & voluntariis oblationibus intelligendum demonſtravit Gregorius VII. in Synodo Romana, & refertur *in cap. Omnis* 69. *de conſecr. diſt.* 7. ubi, ſic ſcriptum eſt: *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quod Deus per Moyſem dixit; Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Unde clarè conſtat, Gregoriũ locum illum intellexiſſe de ſimplicibus, & liberis oblationibus, quæ apud Judæos erant in triplici differentia. Ex præcepto offerebantur Decimæ, & Primitiæ: aliæ ex voto, & alteræ ſpontaneè, & liberè, de quibus *Levit.cap.*22. *verſ.* 18. *& cap.* 24 *verſ.* 38. *Num. cap.* 13. *verſ.* Erant enim variæ oblationes iſtæ, nam quilibet ſpontè, vel voto poterat offerre hoſtas, libamina, panes, pecuniam, ſpecies, & his ſimilia, ut ex aliquibus teſtimoniis collegerunt Suarez *de Religion. tom.*1. *lib.*1. *cap.*4. *nu.*2. Becanus *in Analog. utriuſque Teſtamenti, quæſt.*6. *num.* 16. Eſt etiam locus Concilii Matiſconenſis II. *can.*4. intelligens de ſpontaneis oblationibus ſacrificii Abelis, & Cain, ut etiam accepit Ambroſius *in cap. In gravibus* 53. *quæſt.*7. Barboſa *de univerſ. jur. l.* 3. *cap* 23. *n.*4. 1

In novo Teſtamento oblationes abortu Eccleſiæ extitiſſe Sacerdotibus offerendas, oſtendit D. Paulus *ad Hebr. capit.* 5. *verſ.*1. ibi *: Ut offeras dona, & ſacrificia pro peccatis.* Ubi per *Dono*, plures intelligunt has ſpontaneas ablationes, ut teſtatur Suarez *d. cap.* 4. *nu.* 1. & Cornelius à Lapide *ibidem*, *d. cap.* 5. *verſ. Tertiò Pontifex*, ubi ſcripſit: *Dona vocat oblationes primitiarum, aliarumque rerum, ut panis, vini, frumenti, quæ non adolebantur, ſed integra Deo dabantur ad uſum Sacerdotum, & Templi.* Itidem hunc antiquiſſimum morem Eccleſiæ comprobat canon 3. Apoſtolorum, ubi ab aliquibus excipitur offerendum novum triticum, ſicut & uvæ tempore opportuno: tum & oleum in candelabrum, & incenſum. 2

Has enim oblationes ex rebus diverſis fieri certum eſt; erant enim pro voluntate offerentium, & aliquando pro diverſis conſuetudinibus jam erat frumenti oblatio, olei, ſpicarum, mellis, ceræ, & aliarum rerum hujuſmodi Eſt enim antiquiſſimum Decretum Pii I. *in epiſt* 3. *ad Hilarium*, conſtituens omnibus diebus Dominicis, tam à viris, quàm à mulieribus oblationem panis, & vini eſſe faciendam, quod renovatur in Concilio Matiſconenſi II. *can.* 4. apud Burchardum *lib* 5. *cap.*32. D. Cyprianus *lib. de operib. & eleemoſyn.* meminit etiam harum oblationum Concilium Gangrenſe *can.*7. & 8. & Concilium in Trullo, quod 3

ſub nomine *ſextæ Synodi* circumfertur, & Canon. 57. vetat ad Altare offerre mel, & lac. Conciljum Laodicenum *cap.*49.ubi decrevit oblationes perQuadrageſimam non eſſe faciendas, niſi in Sabbato, vel Dominica,quia juxta veterem Orientis conſuetudinem ſolùm illis diebus poterat conſecrari, & communicari, ut conſtat *ex can.*32. *in Trullo*. Similiter eſt decretum Concilii Carthaginenſis IV.*can.* 93. ubi interdicitur oblationes diſſidentium fratrum in Sacrario,vel Gazophylacio Eccleſiæ recipere, *cap. Oblationes* 2. *diſt.*90. & in Concilio Aurelianenſi, *in cap. Autiquos* 8. 10 *quæſt.* 1. oblationes dividi jubetur inter Epiſcopum, & Clerum pro parte dimidia, verùm tempore Tertulliani aliter dividebantur, ut conſtat *ex Apolog.cap.*39. Itidem tempore D. Auguſtini ſimiles oblationes fuiſſe oblatas conſtat ex illius epiſtola 187. & 122. & ex ſermone 214. & Caroli Magni libro 6. Legum Francorum, *cap.*162.

4 Erat olim mos non præmittendus offerendi panem, & vinum ante acceptam communionem. Id demonſtrat Cyprianus *epiſtol.*19. ubi increpat divitem: *Locuples, & dives, Dominicum celebrare id credis, qui coronam omninò non recipis? Qui in Dominicum ſine ſacrificio venis, qui partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis?* Auguſtinus *dict. ſermone* 225. Erat enim oblatio iſta ſignum exſolutæ pœnitentiæ, ut ad ſacram Synaxim accederunt. Ancyrana Synodus *can.* 5. Nicolaus Lemaiſtre *de bon. Eccleſiæ, libr.* 1. *capit.* 14. apud Græcos de his panibus oblatis partem aliquam frangebant ad ſacrificandum: Latini verò integrum libabant. Concilium Toletanum VI. *can.* 6. Deinde fiebant oblationes pro natalitiis, & pro defunctis, ut conſtat ex Tertulliano *de coron. milit.* ibi: *Pro defunctis, pro natalitiis oblationes annua die facimus*. De quibus antiquis oblationibus latè Durantius *de rit. Eccleſiæ, lib.* 2. *cap.* 24. *à numer.* 7. Suarez *dict. lib.* 1. *capit.* 4. *numer.* 3. Mendoza *ad Concil. Illiberit lib.*2. *cap.* 55. Rouſſel *Gſt. juriſdict. Pontific. lib.*2. *cap.*1. *nu.*26. Salcedo *de leg. polit. lib.* 5. §. 1. *per tot.* Barboſa *de univ jur. libr.* 3. *cap.* 23. *num.*4.

5 Hinc examinandus eſt Salcedo *dict. cap.*9. *à num.*20. ubi probare tentat, oblationes quæ in Miſſis offerebantur,fuiſſe Miſſarum ſtipendia procedentia ex mera liberalitate offerentium, & ex eorum voluntate quotam iſtius ſtipendii pendere probat; nam ut dictum eſt, oblationes iſtæ erant panis & vini, tum etiam poſtea pecuniarum. Concilium Emeritenſe *c.* 14. quod quidem uti ſtipendium percipiebat, qui Miſſam celebrat,ſi ſolus adeſſet; verùm ſi alii Sacerdotes præſentes ad Miſſam adſtarent, omnes pro rata oblationes percipiebant. Concilium Bracharenſe I. *can.*7. Concilium II. *can.*6. Grangrenſe *cap.*7. & 8.Loyſa *ad Concil.Emerit.* & *ad Tolet. XVI. cap.*5. Rouſſel *dict. cap.* 1. *à num.* 16. Unde cognoſcitur, ſtipendum hoc à voluntate offerentium pendere, & ex mera eorum liberalitate concedi, & oblationes iſtas eſſe ſtipem Miſſarum,ut aſſumit ex Chriſtineo Lupo *in Schol. ad. can. Concil. General. tom.*2. *diſput.* 2. *cap.* 11.Sed meliùs id percipere poterat ex Lemaiſtre *de bon.Eccleſiæ, lib.*1. *cap. ult.*

6 Deinde hæ oblationes factæ in Miſſis, quoad quotam nequeunt terminum recipere, nec certam quantitatem,niſi in caſu quo ea eſſet conſuetudo pia,& devota Fidelium,*cap. Ad Apoſtolicam* 42. *de ſimon. l.* 8. & 9. *titul.* 19. *part.* 1. aut quota terminaretur à Pontifice, veluti quando conſtituit quartam funeralem concedendam Parochis,*cap.*1.*cap. Relatum* 2. *cap. Certificari* 9. *de ſepult.*Attamen in hoc caſu cum hæ conſuetùdines, ac Decreta pendeant à voluntate Fidelium oblationes facientium, quæ voluntariæ ſunt, *cap. Quia Sacerdotes* 10. *quæſt.* 1. inde eſt, ut etiamſi conſuetudo, aut decretum ſit taxans hoc ſtipendium, adhuc remanet liberum, & voluntarium, ad offerentium voluntatem.

7 Rurſus, nam ut aſſerit *num.*31. ſtipendium Miſſæ,quatenus eſt in conſuetudine quoad textum, non eſt obſervandum ex vi alicujus poteſtatis ordinariæ, ſed tantùm ex quadam exequutione ipſius conſuetudinis, ut in aliis piis conſuetudinibus, *in dict. cap. Ad Apoſtolicam*, adnotarunt Abbas, Butrius, & Innocentius: & in Hiſpania ſic eſt admiſſum *nu.*32. Sed conſuetudo iſta eſt voluntaria, procedens à mera liberalitate offerentium. Ergo ſemper taxa ſtipendii erit voluntaria.

8 Prætereà poſt Concilium Tridentinum *ſeſſ* 25. *de reformat. c.*4. aliqui Doctores aſſerunt Epiſcopum non poſſe taxare hoc ſtipendium Miſſæ. Soto *de Iuſtit.lib.*9 *quæſt.*6.*art.* 1. Navarrus *in Man.cap.*23.*à n.*209. qui aſſerit id fieri poſſe aliquando ex populi conſenſu. Ergo ſemper relinquitur, voluntarium eſſe hoc ſtipendium, procedens à mera liberalitate offerentium.

Hæc fundamenta jecit D. Salcedo quando erat Fiſcalis Regius, adversùs Edictum Illuſtriſſimi Domini D.Ambroſii de Spinola., Archiepiſcopi Hiſpalenſis meritiſſimi,quod doctiſſimè propugnarunt D.Don Mathias Gregorius Reyes & Valenzuela,& inſignis Licentiatus D.Gabriel.de Spinoſa Ribadeneyra, celeberrimus Advocatus, *ad 2. obiectionem, n.*44. 9

Itaque in contrarium reſponſa dederunt dicendo differentiam maximam eſſe inter oblationes, & Miſſarum ſtipendia: illæ enim voluntariæ ſunt, & procedunt à mera liberalitate Fidelium, *cap. Omnis* 69. *de conſecrat. diſt.* 1. *cap. Dos* 118. *de conſecrat. diſt.*4.*cap. Latorem* 19.33.*quæſt.*2.*l.*8. *tit.*19.*part* 1. S. Thomas 22. *quæſt.*86. *art.*1.Suarez *de Relig. tom.*1. *lib.*1. *cap.*5. *n.*2. Acunna *in cap Oblationes* 2. *diſt.* 90. *n.*5. Aſt ſtipendia Miſſarum ſunt oblationes iuſtitiæ,taliter ut ſi quis promiſerit,& Sacerdos Miſſam celebret,promittens ſtipendium dare teneatur,& ad reſtitutionem tenebitur, ſi non adimpleverit.Vaſquez *in* 3.*p. t.*3 *diſput.* 234. *cap.*1.*n.*8. de Lugo *de Sacrament. diſput.*21. *ſect.*1.*n.*3. Ergo licet oblationes illæ ſint voluntariæ,& procedant à mera liberalitate offerentium, nequit tamen fieri argumentum ab illis ad ſtipendia Miſſarum. 10

Et confirmatur ex his quæ ipſi adduxerunt *num.*10. nam ſtipendium Miſſæ eſt debitum de jure naturali ob aliquam ſaltem partem ſuſtentationis Miniſtri, & debitum juſtitiæ non ob laborem inſeparabilem Miſſæ, ſed ob alium extrinſecum, ut probatur *ex Matth. cap.*10.D.Paulus *ad Corinth. epiſt.*1. *cap.*6. Leander *de Sacrament.tom.* 2. *tract.* 6. *diſput.* 4. *quæſt.*1. *num.*1. Suarez *in* 3.*part. tom.*3. *quæſt.*83. *art.*9. *diſput.*18.*ſect.*1.§. *penult.* de Lugo *dict. diſput.*21.*ſect.*1.*numer.*3. Fagnanus *in cap. Fraternitatem, de ſepult. num.*50. Ergo dicta Miſſa non eſt debitum voluntarium, ſed rigoroſa juſtitia, procedens à promiſſione,& adimplemento Sacerdotis, §.1. *Inſtit.de obligat.* Oſualdus *ad Donellum,lib.*1. *comment. cap.* 1. *lit. C.* in quo nequit convenire cum oblationibus voluntariis. 11

Rurſus dicere oblationes factas in Miſſis, olim fuiſſe ſtipendium Miſſarum, incertiſſima res eſt; nam aliquæ oblationes dabantur ad peragendum ſacrificium, nempe panis, & vinum, & ad Fideles communicandos,ut diximus ex Auguſtino *ſerm.* 215. Aut poſteà, relictis frequentioribus communionibus, oblationes illæ benedicebantur, & pro portionibus inter Fideles retribuebantur, ut conſtat ex Concilio Laodiceno *can.* 14. unde Panis benedictus originem habuit, ut ſcripſit Suarez *tom.*1. *de Relig. libr.*1. *capit.* 4. *num.* 3. *ad fin.* Poſteà currente tempore, fuit oblationum diviſio varia; fiebat enim ab Epiſcopo inter Presbyteros, Diaconos, & Clerum, aut inter Epiſcopum, & Clericos, *cap. Antiquos* 8.10. *quæſt.*1. *can.* 5. *Apoſtol.* Vel oblationes in tres partes dividebantur. Concilium Bracharenſe I. *can.*7. *anno* 563.& in Bracharenſi II. *can.* 6. interdicitur, ne oblationes à laicis ferantur. In Concilio Gangrenſi *can.* 7. & 8. ſub anathematis pœna jubetur, nec aliquis oblationes recipiat, niſi Epiſcopus, aut perſona ab eo deputata, *cap.In canonibus* 57.16.*quæſt.*1.& facta diviſione Parochiarum, oblationes fuerunt Parochis applicatæ. Concilium Bituricenſe I. *can.*12.*cap. Ad audientiam* 3.*de Eccleſiis ædificand. cap.Ex tranſmiſſa* 10. *de præſcript.* Altaſerra *diſſert. Iur. Can.lib.*9.*cap.*11.D.Gonzalez *in cap. Cauſa* 13. *de verb. ſignificat. nu.* 5. Ex his enim liquidò conſtat, oblationes iſtas minimè pro ſtipendio Miſſarum datas fuiſſe,ſed diverſis modis applicari, prout Salcedo non benè ſuſcepit ex Goffrido, cujus verba referunt Doctores iſti *nu.* 56. & clarè reſpondent. 12

Nec ex Concilio Eboracenſi, quod refert *nu.* 25. illud percipere potuit, quia eſt intelligendum de Sacerdote Parocho, qui diebus aliquibus tenetur offerre pro ſuis Parochianis, quibus diebus nequit ſtipendium percipere, niſi oblationes liberaliter ſibi conceſsas. Hæc interpretatio conſona, & ſufficiens videtur, quia ut conſtat ex Coriolano, Concilium illud fuit celebratum *anno* 1194. poſt Decretales, *in d. cap. Ad audientiam*, & *capit. Tranſmiſſam*. Ex quibus decretis jam oblationes pertinebant ad Parochos: quapropter dum textus ille aſſerit Sacerdotem contentum 13

eſſe debere oblatione, ſupponit Parochum eſſe. Sed adhuc ex verbis Chriſtinei Lupi *dict. diſſert. 2. cap. 11.* (quæ dat ipſe Salcedo) conſtat illo tempore dari ſolere denarium, non prævie, ſed in ipſa Miſſa, non pro oblatione, ſe pro ſtipendio: quo recepto, Sacerdos nec ante, nec poſt aliquid ultra recipere poterat: quod etiam hodie obſervatur, ut uno pro Miſſa recepto ſtipendio, nequeat pro ea aliud recipere. Hoc verò non eſt probare oblationem deſervire pro ſtipendio, ſed quod ſtipendium offerebatur in ipſa Miſſa.

14 Cæterùm oblationes in modum conſuetudinis, quoad quotam permiſceri non poſſunt cum ſtipendio Miſſarum; piæ enim conſuetudines pertinentes ad oblationem (ut dictum eſt) ſunt diverſæ, nec à diverſis fit illatio. Illæ verò conſuetudines legitimè præſcriptæ tranſeunt ad neceſſariã oblationem, licet à principio fuerint liberales: videtur enim ex tranſcurſu temporis voluiſſe offerentes ſe obligare, cauſa exiſtente recognoſcendi Deum Optimum Maximum: tum eis veniam à Domino impetrare. Caſſiodorus *deciſ. 1. de conſuetud. num. 5* Covarrov. *lib. 1. var. cap. 17. nu. 3.* Guttierez *lib. 2. can. cap. 21. num. 143.* Belletus *diſquiſit. Clerical. 1. p. tit. de bon. Clericor. §. 3. nu. 24.* Aſt Miſſarum ſtipendium ut quis det, niſi ex pacto dicendi Miſſam, minimè obligari poterit, nec quotam partem illius: quare nequit ex conſuetudine aliarum præſtationum fieri argumentum, nec permixtio ad aliquid inducendum.

15 Tandem quod Salzedo affirmat, poſt Tridentinum Epiſcopos non poſſe taxare Miſſæ ſtipendum, eſt ſingularis illius opinio ab eo conſiderata, quia in contrarium eſt concors omnium Doctorum ſententia, Cenedo *q. can. 27. n. 4.* Fagundez *in 1. præcet. Decalog. lib. 3 cap. 6.* Eſcobar *tom. 3. Theolog. Moral. lib. 21. problem. 135.* Pellizzarius *in Man. tom. 1. tract. 5. diſp. 9. ſect. 3. nu. 56.* Barboſa *2. par. alleg. 24. num. 8.* Trullench *de Sacrament. lib. 3. cap. 8. num. 4.* quare minimè admittenda.

16 In hoc diſſidio animadvertendum, tempore antiquæ Eccleſiæ ſtipendium Miſſæ ab oblationibus fuiſſe diſtinctum. Idque tempore S. Petri Dimiani obſervatum probatur, quia *lib. 6. epiſt. 27.* agens de quodam Clerico illiterato, ſic loquitur: *Nimia tamen paupertate conſtrictus, utcumque Miſſarum ſolemnia cogitur celebrare.* Non enim propter paupertatem cogeretur, niſi ſtipendium pro celebratione ſuſcepiſſet ad ſublevandum ſuam indigentiam. Sed antea, anno ſcilicet 821. tempore Gregorii IV. Amalarius Fortunatus expreſſerat *lib. 3. de Eccleſiaſt. Offic. cap. 23* hiſce verbis: *Memoratum ſacrificium pro tribus offerimus, id eſt pro Eccleſia ſancta univerſali, pro ſpecialibus, quorum eleemoſynas, aut munus ſuſcipimus, aut quorum ſponſores facti ſumus.* Dederunt hæc teſtimonia Doctores illi *numer. 61.* Ex quibus conſtat, quandam eleemoſynam, ſeu ſtipem dari conſueviſſe pro labore extrinſeco Miſſarum: quibus eſt adjungenda Synodus Eboracenſis, ut expendimus ſupra, *num. 13.*

17 Hinc etiam conſtat, ſtipendium iſtud diverſum fuiſſe ab oblationibus ſponte in Eccleſiis à Fidelibus conceſſis; hæ enim dabantur non ſolùm celebranti, ſed aliis etiam Clericis, & Epiſcopis: & quando offerebantur, deportabantur ad deputatum locum, quem veteres *Gazophylacium* dicebant. Concilium Carthaginenſe IV. *in cap. Oblationes 2. diſt. 90.* Poſſidius *in vit. S. Auguſtini, cap. 24.* ubi exequirebat Diaconus, an oblationes eſſent dignæ, ut ab Eccleſia reciperentur, & poſteà in Eccleſia Latina ſacris apponebantur: in Græca verò, antequam ad Altare adducerentur, in alia minori parte, quam *propoſitionem* dicebant, reponebantur, & à Sacerdotibus ſuſceptæ benedicebantur, & recitabant nomina offerentium, Germanus *in Hiſt. Eccleſiaſtica, tom. 2. Biblioth. PP.* Gonzalez *in cap. Cauſa 13. de verb. ſignific. num. 3.*

18 Unde facilè concipitur, non benè Salcedum aſſeruiſſe oblationes iſtas pro ſtipendio Miſſarum conceſſas, & oblatas fuiſſe Sacerdotibus, quia etiam illis temporibus diſtinctę fuerunt ab ſtipendiis, à quibus nequit illatio fieri ad ſtipem Miſſæ. Nec Chriſtineus Lupus, nec Lemaiſtre aliqua recta ratione potuerunt id aſſerere, ſi fortè ex eis aliquid percipi valet, quod negamus; nam licet Lemaiſtre, qui magis clarè loquitur, dicat ſolitos Chriſtianos liberales ſportulas, id eſt ſtipes offerre, ex Concilio Emeritenſi *cap. 4.* tamen id non eſt intelligendum de ſtipe Miſſarum debita ex juſtitia, ſed de ſportulis liberalibus, & ultroneis, quæ in Miſſis offerebantur, id eſt de purè oblationibus: dicit tamen ſtipes, quia ad alimoniam Sacerdotum deſerviebant, Durantius *de Rit. Eccleſ. lib. 2. cap. 26. n. 7.* D. Gonzalez *ad Concil. Illiberit. lib. 1. cap. 55. lit. D.* Lantemet. *de vet. Cleric. vict. & diſciplina, lib. 2. cap. 40. verſ. 3.*

Secundò animadvertendum, petita ab aliquo Miſſa, & 19
pro eo oblata: ſtipendium illius eſſe debitum ex juſtitia, jure divino, & naturali, ut probant iſti Doctores *num. 10. & 11.* ubi referunt plures authoritates, quibus adjungere non piget verba S. Pauli *1. ad Corinth cap. 9. à verſ. 7.* ubi Sanctiſſimus Doctor omnium ſcripſit: *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid ſecundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi: Non alligabis os. bovi trituranti. Numquid de bobus cura eſt Deo? An non propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe, qui arat, arare: & qui trutinat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metimus? Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? Sed non ſi ſumus hac facultate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti. Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt: & qui Altari deſerviunt, cum Altari participant? Ita Dominus ordinavit iis, ut qui Euangelium annuntiant, de Euangelio vivant.*

Ex his enim verbis clariſſimè patet, ſtipendia iſta eſſe de- 20
bita de jure divino, ut ibi: *Ita Dominus ordinavit.* Tum ex jure naturæ, quod exemplis adductis demonſtrat: quamobrem Cornelius à Lapide *verſ. 12* explicans illum locum ſcripſit; *Ex ipſa rei natura, ſive jure, non tantùm divino poſitivo, ſed etiam naturali, quod dictat, quod ſicut operario debetur merces, ita miniſtro Verbi, & Eccleſiæ deberi ſtipendium, non quaſi pretium rei ſacræ; hoc enim indignum fuiſſet & ſimoniacum: ſed quaſi ſtipendium ſuſtentationis quod vocant, quo ſcilicet ſuſtentetur, ut ſuas functiones ſacras pro populo obire poſſit; unde ſtipendium ei debetur ex juſtitia.*

Hæc autem doctrina probatur etiam ex concilio Aga- 21
thenſi *in cap. ſi Clerici 10. 1. q. 2. cap. Sacerdos 9. 1 quæſt. 1.* & ratione confirmatur. Nam Sacerdotes tenentur miniſteria ſuo populo exhibere. Paulus ad Hebræos *cap. 5.* Ex qua quidem obligatione naſcitur etiam obligatio ipſius populi alendi Sacerdotes, & ideo introductæ ſunt decimæ, & primitiæ, oblationeſque: Verùm quia iſtæ res præcipuè deſerviunt Sacerdotibus gerentibus animarum curam, remanet obligatio particularis Sacerdotum offerendi ſacrificia, quæ ſi ex pacto, vel pro petitione alicujus offerantur, naſcitur ſimiliter obligatio particularis illius perſonæ concurrendi cum ſtipendio ad ſuſtentationem illius particularis Clerici, ſaltem particulariter, quatenus extrinſecè impendit laborẽ ad illam particularem obligationem adimplendam, ut benè docet Paſqualigius *quæſt. 903. n. 9.* Ergo ſtipendium iſtud debetur ex obligatione juſtitiæ, tam jure divino & naturali, quàm poſitivo, ut tenent plures relati à Paſqualigio *ibi, n. 1.* Henao *de Sacrific. Miſſ. diſput. 31. ſect. 1. per tot.* & diximus *lib. 2. cap. 3. à n. 1.*

Ex his duabus animadverſionibus ſequitur neceſsariò, non 22
eſſe admittendum Salzedum; jam enim probavimus, ſtipendia Miſsarum non fuiſse oblationes antiquas. Tum eſse debitum juſtitiæ, non dependens à voluntate dantis, ſed à taxa, quæ rectè fieri valet non ſolùm à Pontifice, ſed etiam ab Epiſcopis, ut diximus *dict. lib. 2. cap. 4. à. nu. 7.* Et in praxi probant Concilia Diœceſana relata ab ipſo Salzedo *à numer. 32.* Ergo ejus doctrina non eſt admittenda. Nec obſtat locus Soti, cujus verba refert *num. 37.* quia loquitur quando Epiſcopus taxaret ſtipendium Miſsæ, & ſub anathematis cenſura inhiberet, ne minorem ſtipem recipiat Sacerdos, ut patet ibi: *Fertur namque in nonnullis Eccleſiis ab Epiſcopis eleemoſynam, quæ pro una Miſſa offerenda eſt, ſic taxari, ut Sacerdotibus ſub anathematis cenſura inhibeant, ne minorem ſuſcipiant.* Hic enim modus taxandi rectè à Soto rejicitur, quando extra rigorem juſtitiæ id Epiſcopus præceperit; tolleret enim liberalitatem Sacerdotis, ſi velit aliquid ſtipendii condonare: ſicut etiam tolleretur charitas dantis, ſi vellet ampliùs concedere, quod quidem iniquum foret. Quo quidem in ſenſu eſt etiam intelligendus Navarrus, cujus mentem explicui *d. cap. 4. nu. 2.* Henao *d. diſput. 31. ſect. 7. à n. 59.* Hæc dicta ſufficiant pro examine Salzedi; nam cùm illam allegationem in ſuis libri

de lege Politica inſeruerit, fortè aliquis authoritate tanti Viri parum verſatus deciperetur. Scripſit antea allegando, jam docendo, prout facit illis libris, cùm quibus intravit in judicium Domini. Precor cœleſtem Regem, ut ejus animæ miſertus ſit.

23 Redeundo ad noſtras oblationes, præmiſſis antiquis, de quibus jam actum eſt, oblatio generaliter ſumpta comprehendit quidquid Deo offertur: quapropter etiam Decimæ intelliguntur, *Geneſ. cap.* 26. in fin. *Decimæ offerant tibi*. Et *Num. cap.*18. ibi: *Decimarum oblationem*. Tum & Primitiæ, *cap.*1. 16. *quæſt.*7.ibi, *Offerent*: junctis præcedentibus. Aſt propriè loquendo oblationes ſunt illæ, quæ intuitu Religionis immediatè Deo abſque immolatione exhibentur, ut in uſum Eccleſiæ cedant, vel Miniſtrorum, idque ſive ſint res mobiles, ſive immobiles. Nec refert, an fiat oblatio inter vivos, ſive per teſtamentum, vel ex voto, *cap. Cùm inter* 29. *de verb. ſignificat.* Tuſchus *tom.*5. *lit. O. concluſ.*11. Azorius *inſt. mor.*1. *part. libr.*7. *cap.*27. *quæſt.* 8. Moneta *de Decim. cap.*2. *n.*9. Paſtor *de beneficiis, in poſth. tit.* 3. *n.*2. Antonellus *de Regim. Eccleſiæ Epiſcop. lib.*5. *cap.*18. *n.*3. Barb. *de univerſ. jur. lib.*3. *cap.*23. *à n.*1. D. Gonzalez *in cap.*13. *de verb. ſignificat. n.*3.

24 Differunt tamen oblationes à ſacrificio, nam licet Deo offerantur, non tamen mutantur, ſed in ſuo eſſe remanent. Similiter à decimis, & primitiis differunt, quia licet offerantur ad ſuſtentationem Miniſtrorum, debentur tamen ex juſtitia: oblationes verò ſponte offeruntur, & à Fidelibus conceduntur ad Dei cultum. Trullench *in Decalog. lib.* 3. *cap.*3. *dub.*13. Palao *oper. moral. tom.*2. *diſputat. unica, punct.* 17. *num.*1. Bonacina *de præcept. Eccleſ. diſput. ult. q.*5. *punct. ult. n.*3.

25 Eſt tamen aliquod dubium, an oblationes, prout differunt à decimis, & primitiis, cadant ſub præcepto? Et Hoſtienſis *in rub. Parochis*, & latè *in Summa*, *tit. de Paroch. §. In quibus*, *verſ. Sed numquid teneatur*, Lapus *allegat.*58. & alii apud Leandrum *in præcept. Decalogi*, *tract.*6. *diſput.* 10. *quæſt.* 4. affirmarunt. Sed Doctores iſti non ſatis aſſumptum probant. Nam Hoſtienſis tantùm refert opinionem Hugonis affirmantis oblationes ſub præcepto deberi; non tamen abſolutè eam tenet, ſed quando ex aliquo titulo, vel conſuetudine deberentur. Lapus non loquitur de hac controverſia, ſed tantùm quando Prælatus fraudolenter ex pecunia Eccleſiæ aliquos fundos, ſeu lares emerit, in nomine alicujus facto inſtrumento ad fraudandam Eccleſiam, an cognitio hujus cauſæ pertineat ad judicem Eccleſiaſticum? Et affirmativè reſpondet.

26 Solùm eſt opinio paucorum, pro quibus urgere videntur textus *in cap. De his* 7. *cap. Antiquos* 8. *cap. Quia* 13. *cap. Sanctorum* 14. & *cap.* 15. 10. *quæſt.*1. *cap. Statuimus* 55. 16. *q.*1. *cap. Præter* 6. *cap. Omnis* 69. *de conſecrat. diſt.* 1. quibus in juribus ſupponitur præceptum concedendi oblationes, prout etiam in Concilio Aurelianenſi *cap.*19. & 17. Deinde probant ratione, nam oblationes iſtæ dantur ad ſuſtentationem Clericorum, ut ſcripſit Clemens Pontifex *lib.*4. *conſtit. Apoſtolicar. cap.* 7. ubi ait: *Oblationes populi fieri ad victum Sacerdotem*, & *eleemoſynas pauperum*. Alimenta enim Clericorum à populo debentur, ut conſtat ex dictis *à num.* 19. Ergo oblationes ex præcepto debentur: quamobrem D. Ambroſius *ſermone* 8. *de Aſcenſ.* ponit inter opera boni Chriſtiani: *Quod quando ad Eccleſiam venit, oblationem, quę Altari debetur, exhibet* Et poſtea: *Qui de fructibus ſuis non guſtat, niſi prius ex ipſis aliquid Deo offerat*. Unde probatur oblationes Altari deberi.

27 Sed abſolutè loquendo contrarium eſt dicendum, ut declaravit Concilium Cabilonenſe ſub Carolo Magno *capit.*6. ibi: *Oblatio enim ſpontanea eſſe debet*, *juxta id quod dicit Scriptura*: *Voluntariè ſacrificabo tibi*. *Pſalm.* 55. *Et illud*. *Omnis populus mente devota obtulerunt donaria Domino*. Deinde probant; nam oblationes de ſui natura ultroneæ ſunt, ut dicitur *Exodi cap.*25. ibi: *Ab homine qui offert ultroneus*, *accipietis eas*. Et ſupponitur *Matth. cap.* 5. ibi. *Si offers munus tuum ante Altare*. Ergo minimè cadere poſſunt ſub præcepto, abſolutè loquendo. Cæterùm ad alimoniam Clericorum datæ ſunt Decimæ, & Primitiæ. Unde oblationes iſtæ relictæ ſunt ſpontaneæ, & offeruntur à Fidelibus ſi eis placuerit, niſi aliunde debeantur, S. Thomas 2.2. *q.* 86. *art.* 1. Suarez *de Relig. d. lib.* 1. *cap.* 5. *numer.* 2. Palao *d. diſput. unica*, *punct* 17. *num.*2. Leander *d. diſpu.*10. *quæſt.* 4. Covarruv. *lib.* 1. *var. cap.* 17. *num.* 3. Antonellus *d. lib.*5. *cap.*18. *n.*4. D. Gonzalez *in cap. Cauſa* 13. *de verb. ſignificat. n.*2.

In hoc dubio obſervandum, jura recenſita *numer.* 26. 28
pro prima ſententia adducta, illam non probare; quia aliqua loquuntur de conſilio, altera verò, quæ videntur oblationes præcipere ad ſuſtentationem Clericorum, intelligenda ſunt quando decimæ, & primitiæ ad eorum alimoniam non ſufficiunt, aut ubi Clerici eas non percipiunt, aut tempore quo ipſæ decimæ, & primitiæ erant ultroneæ, quod tempore D. Cypriani uſitatum videtur, ſi attendamus ejus verba *in libr. de unit. Eccleſiæ*, quæ ſunt iſta. *At nunc ex patrimonio nec decimas damus*. Et obſervavit Chriſtineus Lupus *in Schol. ad Concilia*, *tom.* 4. *in can.* 5. *Concilii Romani ſub Nicolao II.* ibi: *Ex quo vides*, *decimas fuiſſe dum taxat voluntarias*, *eas quippe non unuſquiſque*, *ſed hic dum taxat*, *aut ille dabat*, *eratque opus admiratione dignum*. A tempore enim quo Conſtantinus pacem Eccleſiæ reſtituit, introduci cœperunt decimæ, jam ſuadendo, jam rogando. uſque dum ad præceptum prævenerunt, ut refert idem Lupus *tom.* 5. *in can.* 5. *Concilii V. ſub Gregorio VII.* quamobrem illo tempore oblationes iſtæ, ut debitæ debebant cenſeri; cùm adhuc certum patrimonium Eccleſia non haberet unde ſuos miniſtros aleret: quo in ſenſu eſt intelligendus locus Clementis *lib.*4. *cap.*7.

Et confirmatur, nam in primitiva Eccleſia Miniſtri ex 29
ſolis oblationibus alebantnr, nec voluerunt illi primi Patres noſtri Fideles aliquo onere gravare, etiam ad levandas proprias neceſſitates, exemplo Pauli 1. *ad Corinth. cap.*9. & *ne redempta pretio Religio videretur*, ut dixit Tertullianus *in Apologet. cap.*39. Baronius *tom.* 1. *anno* 57. *n.* 77. quas quidem ita libenter primi Fideles largiebantur, ut profuſas dixerit Baronius *d. anno* 59. *n.*81. In his verò oblationibus licèt liberaliſſimè conceſſis, debitum latebat, nempe congrua omnibus juribus Miniſtris Eccleſiæ debita: quapropter aliqua jura dicunt debitas oblationes. Itaque ex illis juribus non probatur prima ſententia.

Secundò dico, Doctores aſſerentes oblationes eſſe debi- 30
tas, licet abſolutè loquantur, non poſſe intelligi de puris, & ſimplicibus oblationibus ſecundùm ſe; hæ enim ſunt ultroneæ, ut patet ex dictis *n.* 27. Concilium Mouguntinum *can.*44. *l* 8 *tit.* 29. *p.* 1, ſed tantùm de aliquibus oblationibus fieri conſuetis in aliquibus diebus ſolemnioribus, utpote Nativitatis, Pentecoſtes, & Beatæ Virginis: in his enim diebus ſolemnioribus debitas eſſe affirmandum videtur, *ex l.* 8. *tit.*19. *p.*1. ibi: *Cada buen Chriſtiano de ſua buena voluntad debe ofrecer à lo menos en las tres Paſcuas*, *en la de Navidad*, *è en la Paſcua mayor*, *e en la de Quinqueſma*, *los mas ricos que fueren*, *e lo que pudieren facer en todos los Domingos*, *è en las fieſtas de guardar*. Eſtque doctrina Hoſtienſis *in tit. de Parochis*, *§. In quibus*, *verſ. Sed numquid*: & probat, nam in his feſtis adeſt conſuetudo offerendi in Miſſis majoribus, ut in quamplurimis locis obſervatur: quare propter conſuetudinem ad has oblationes tenentur Fideles, Riccius *in praxi*, 4. *p. reſolut.*295. Bengeus *de benefic. de dot. conſtit.*3. *p.* §. 2. *num.*22. Antonellus *d. lib.*5. *cap.*17. *num.*5. Salcedo *de leg. polit. lib.*2. *cap.*9. *num.*29. Ergo etiam ad has oblationes poterunt compelli, ut tenent aliqui apud Azorium 1. *p. lib.*7. *cap.*3. *q.*11.

Sed adhuc in hac ſpecie dico ultroneas eſſe has oblationes, 31
ut probat apertè textus *in d. l.*8. *part* ibi: *Cada buen Chriſtiano de ſu buena voluntad debe ofrecer*; ſupponit enim noſter Alfonſus, oblationes iſtas in his diebus ſolemnioribus ex propria, & ſpontanea voluntate Fideles peragere: & quamvis dicat *debe*, tamen importat hoc verbum tantùm decentia & honeſtatem, ut alibi eſt animadverſum. Cæterùm, nam oblationes iſtæ ſemper procedunt ex actu libero & voluntario, quæ licet per multùm temporis continuentur, nullo tamen modo inducunt obligatione, ut notarunt Cajetanus *in Summa*, *verbo Horæ Canonicæ*, *§.* 2. Soto *de juſt. lib.*2. *q.*7. *art.*2. nec inducitur aliqua poſſeſſio, vel qſiua Rota 2. *par. diverſ. dec.* 297. *num.*4. Mantica *dec.*257. *n.*2. Riccius *collect.*1227. *in fin.* ſicut in diuturno hoſpite, vel quando quis ex fonte alterius aquam hauriat, aut lingua ex nemore abſcindat, & panem coquat in furno alieno, ut his exemplis oſtendit Poſtius *de manut. obſervat.* 53. *à num.* 3. Caſtillo *lib.* 6. *controverſ. cap.*32. *num.*3. Ergo in ſpecie, etimaſi longa ſit conſuetudo, nullo tamen modo Fideles obligabuntur.

Quod verò oblationes iſtæ in his diebus ſolemnioribus 32
ſem-

ſemper ex actu facultativo, & libero procedant, probatur; quia in his diebus ex devotione fiunt, non verò animo ſe obligandi, Rota 4. *p. recent. dec.* 501. *nu.* 3. Poſtius *d. obſervat.* 53. *n.* 10. *in fin.* Ergo ſemper procedunt ex actu facultativo. Et demonſtratur magis, quia in his oblationibus ſolùm offerunt qui volunt ex devotione, nec ſinguli obligantur, nec in eis eſt determinata quantitas, ſed quæ placet offerentibus. Ergo ſemper hæ oblationes remanent ultroneæ, nec per curſum temporis poſſunt procedere ad aliquam inducendam obligationem.

33 Sed dices: In cauſis piis, & quæ pertinent ad divinum cultum, non præſumitur materia facultativa, & gratioſa ſed ex animo ſe obligandi tanto tempore oblationes factas fuiſſe, Surdus *de aliment. tit.* 1. *quæſt.* 69. *nu.* 5. Poſtius *dict. obſervat.* 53. *num.* 27. & diximus *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 35. Ergo ſi per continuum tempus hiſce diebus oblationes factas fuiſſe conſtiterit, non voluntariæ, ſed ex oblatione præſumentur. Sed reſpondetur, in his oblationibus non uniformis, quæ ad libitum offerentium fiunt in Miſſis, non procedit iſta doctrina, ſed tantùm quando fuerint uniformes ex communi omnium conſenſu, & de certa quantitate, & ſpecie, Rota 3. *p. rec. dec.* 544. *n.* 3. Barboſa *de offic. Parochi*, 3. *p. cap.* 24. *num.* 11. & *d. cap.* 11. *nu.* 33 quod deficit in præſenti, quia nec omnes perſonæ id faciunt uniformiter, nec certa quantitas, & ſpecies offertur, ſed ut quiſque vult. Unde in ſimilibus oblationibus etiam tanto tempore factis nequit radicari aliqua obligatio, poſſeſſio, vel quaſi. Cæterùm doctrina illorum Doctorum procedit quando ſumus in dubio, & cauſa eſt decidenda per præſumptionem, Gratianus *tom.* 4. *diſcept.* 681. *nu.* 6. Poſtius *d. obſervat.* 53. *n.* 20. Aſt in præſentia verſamur in claris, ſcilicet in oblationibus de ſua natura ſpontaneis, & ſponte oblatis, quo caſu etiam ſi per multum temporis offerantur in diebus ſolemnioribus, non inducunt obligationem, nec poſſeſſionem, vel quaſi *l.* 12. *tit.* 22. *p.* 1. Parladorius *different.* 38. *nu.* 10 Gratianus *Marchiæ dec.* 232. *nu.* 5. Garcia *de nobilit. gloſſ.* 6. *nu.* 11. Ergo in ſpecie nullo modo oblationes iſtæ debitæ ſunt, ſed ſemper relinquuntur ſpontaneę. Tempero tamen ſi oblatio iſta fuerit uniformis, & alicujus certæ quantitatis, ut tenent Angelus *verbo Oblatio*, *nu* 1. Sylveſter *verbo Decimæ*, *quæſt.* 2. Azorius *Inſtit.* 1. *p. lib.* 7. *cap.* 7. *q.* 11. Trullench *lib.* 3. *Decalog. cap.* 3. *dub.* 13. *n.* 2. Tuſchus *lit. O. concluſ.* 11. Surdus *conſ.* 24. *per tot.*

34 Sunt tamen excipiendi aliqui caſus, in quibus oblationes obligatoriæ ſunt, & ad earum ſolutionem Fideles tenentur; & per cenſuras poſſunt compelli. Et primus ex dictis eſt, quando adeſſet conſuetudo uniformis aliquid offerendi alicujus certæ quantitatis, aut ſpeciei, per decennium præſcripta, *cap. Ad Apoſtolicam* 42. *de ſimon. l.* 9. *tit.* 19. *p.* 1. Et probatur ex duabus rationibus. Prima, nam quamvis oblationes iſtæ à principio fuerint voluntariæ, ex eo tamen quod tanto tempore duraſſent uniformiter cum certa quantitate, præſumitur offerentes habuiſſe animum ſe obligandi, *capit Veniens* 10. *de teſtib.* Quare inducitur illa obligatio per continuam præſtationem decennii. Secunda, nam in ſpecie non ſolùm libet conſiderare cõſuetudinem derogantem legi facienti oblationes voluntatis per præſumptionem relatam, ſed etiam per præſcriptionem. Præſcriptio enim ex vi naturalis juſtitiæ dat jus in re aliena, etiamſi dominus non conſentiat, & independenter ab illius conſenſu, *l.* 3. *ff. de uſucap. l.* 1. *tit.* 29. *p.* 3. Parladorius *lib.* 1. *rer. quot. cap.* 1. Petrus Gregorius *Syntag. lib.* 40. *cap.* 1. Fornerius *lib.* 2. *Select. cap.* 17. quod non ſolùm intelligas in rebus, ſed etiam in perſonis, & in juribus ad aliquam obligationem, & actionem, *cap. Cumana* 50. *de elect. cap Cùm in Eccleſia* 3. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Ergo quamvis offerentes non habuerint animum ſe obligandi, ex præſcriptione tamen tanti temporis acquiritur jus in his certis oblationibus, ut poſſint offerentes compelli ad ſolutionem: quam rationem ad id expendit Suarez *d lib.* 1. *cap* 5. *à n.* 19.

35 Sed pace tanti, & præclariſſimi Doctoris, negandum non eſt, etiam per præſcriptionem offerentes animum habuiſſe ſe obligandi, prout rationem dant Juriſperiti Doctores, Covarruv. *d. cap.* 17. *num.* 3. Guttierrez *Can. lib.* 2. *cap.* 21. *à num.* 142. Rota 2. *part. recent. deciſ.* 640. *nu.* 3. Cavalerius *deciſ.* 275. *num.* 6. Poſtius *d. obſervat.* 53. *num.* 20. Et ratio eſt, nam quod per præſcriptionem etiam transferatur dominium, & per eam jus in re acquiratur, id non eſt præter voluntatem domini; *Nam id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt. Regula* 11. *ff. de regul. jur.* ubi Gothofredus *lit. O.* explicat, *ſine facto*, id eſt, *ſine conſenſu*: & ibi etiam Decius, *l. Bonæ fidei* 48 §. 1. *de acquir. rer. dom.* ibi. *Ad factum pertinet*, id eſt, *ad conſenſum, ſeu voluntatem*, ut explicat ibidem Bart. Quapropter etiam in præſcriptionibus transfertur dominium ex voluntate domini, quatenus Jus præſumit, eum qui tanto tempore præſcriptionem non interpellavit, nec aliquo modo reclamavit, rem pro derelicta habuiſſe, & inſimul conſenſiſſe, ut dominium per præſcriptionem ad alium transferretur, quare contra ignorantem non currit, aut ſi in aliquo caſu currat, ſtatim reſtituitur, *l.* 2. *Cod. de ſervit. & aqua*, *cap.* 1. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.* ubi Doctores, Rota 4. *p. rec. dec.* 314. *n.* 23. Sperellus 2. *p. deciſ.* 135. *à nu.* 134. Caſtillo *lib.* 6. *controverſ. cap.* 28. *per tot.* Unde conſequitur in præſenti, nam ratione conſuetudinis, quàm præſcrptionis has oblationes deberi ex cõſenſu offerentium violentium ſe obligare ex utroque titulo, S. Thomas 2. 2. *qu.* 86. *art.* 1 *in corpore*, *verſ. Tertio*, Azorius 1. *p. lib.* 7. *cap.* 7 *q* 11. Durantius *de rit. Eccleſ. l.* 2. *cap.* 26. *n.* 9 Barboſa *lib.* 3. *cap.* 23. *à nu.* 10. Becanus *de juſt. quæſt.* 86. *num.* 2. Trullench *d. dub.* 13. *nu.* 4. Palao *d punct.* 17. *nu.* 4.

Eſt tamen majus dubium, quando conſuetudo fuiſſet uni- 36
formis, ſed res incerta, veluti aliquando panis, aliquando uinum, aut alia; ſed tamen legitimè præſcripta. In qua difficultate S. Thomas *dict. art.* 1. *in corpore*, aſſerit ſimilem oblationem eſſe neceſſariam, & ſub præcepto, licet aliquo modo relinquatur ſpontanea quoad ſpeciem, & quoad quantitatem. Tenent etiam Antoninus 3. *p. Summæ*, *titul.* 12. *cap.* 2. Rebuffus *de Decimis*, *quæſt.* 13. *numer.* 66. Guttierez *d. cap.* 21. *num.* 145. & eſt ratio, nam licet ſit varietas in ſpecie, tamen conſuetudo illa eſt certa in genere offerendi, quæ per ſe inducit obligationem. Ergo oblatio iſta erit neceſſaria, & ſub præcepto. Cæterùm, nam generalis obligatio, & actio non curat de diverſitate ſpecierum, *l. Nec refert* 11. *ff. quand. dies legat. cedat.* Ergo licet diverſę ſint ſpecies oblationis, obligatio tamen in genere ſemper remanebit neceſſaria, & obligatoria.

Sed tamen contrarium eſt tenendum ex deciſione textus 37
in l. Seio 10. §. *Medico*, *ff. de Annuis legat.* ubi quidam teſtator Medico ſuo legavit quidquid annum præſtari ei ſolebat: & reſpondet Papinianus, *Videntur relicta, quæ certam formam erogationis annuæ, non incertam liberalitatis voluntatem habuerint*. Non enim poteſt in obligatione legati advenire res incertæ liberalitatis, ſed quæ certam habeat præſtationem, ut explicuit Gomez *tom.* 2. *var. cap.* 11. *num.* 48. *in fin.* Unde licet oblatio ſit generalis, & per conſuetudinem præſcripta, nequit tamen comprehendere liberalitates illas incertas, ſed tantùm certas, & determinatas. Rurſus quando oblationes ſunt incertæ, nec habent uniformitatem, ſed defformitatem, intelliguntur factæ ſolùm ex liberali devotione, etiamſi fiant per longum temporis curſum, ut diximus *num.* 32. Et ratio eſt clara, nam ex eo quod incertæ ſint, & ad libitum diverſarum ſpecierum, multùm involvunt liberalitas, ut agnoſcunt omnes Doctores. Ergo ex ſola generali oblatione diverſarum ſpecierum ad libitum, nulla reſtabit obligatio, ſed ſemper remanebit oblatio liberalis. Eadem enim eſt ratio de partibus quoad totum, quando ex partibus eſſentialiter componitur, *l* 1. §. *Si ſtipulanti*, *ff. de verb. obligat. l. Si alii*, *ff. de uſufruct. legat. l. In eo quod* 111. *l. In toto* 114. *ff. Regul. jur. cap. In toto* 80. *eodem titul. in* 6. Baldus *lib.* 4. *conſ.* 153. *in princip.* Federicus de Senis *conſ.* 259. *in fin.* Cùm ergo in oblatione generali ſpecies ipſæ, & patres ſint liberales: Ergo nequeunt inducere aliquam obligationem, ut cadant ſub præcepto.

Rurſus, ut dictum eſt ſupra, quoties conſuetudo offeren- 38
di eſt certa & uniformis, & res offerenda certa, inducitur obligatio. Ergo quoties res offerenda fuerit incerta, non inducet obligationem. Et confirmatur, quia ex his duobus præſumitur habuiſſe offerentes animum ſe obligandi: ſi tamen aliquid ex his deficiat, reſtat ſolum tempus, quod non inducit obligationem, Capiccius *dec.* 134. *à n.* 3. Guttierrez *pract. lib.* 4. *q.* 34. *n.* 11. Grat. *diſcept. cap.* 399. *n.* 33. Caſtillo *lib.* 6. *cap.* 32. *n.* 2. Ergo talis conſuetudo offerendi rem incertam non erit obligatoria.

Unde Villalobos *in Summa*, 2. *part. tract.* 33. *difficult.* 5. 39
num. 3. loquens de his oblationibus, inquit; *Y pienſo que raras vezes aconte averla, porque lo que ofrecen los Parochianos no es con animo de obligarſe, lo qual era neceſſario*

para la coſtumbre. Eſt enim neceſſarium, ut oblatio ſit de re certa, ut loquitur textus *in l.* 9. *titul.* 19. *part.* 1. ibi: *Ofrenqa cierta*. Et *capit. Dilectus* 30. *in fin. de ſimon* ubi DD. Gregorius *in l.* 15. *titul.* 17. *part.* 1. *gloſſ.* 2. Ozaſchus *dec.* 99. *num.* 21. Guttierrez meliùs ſe expediens *dict. cap. dec.* 99. *nu.* 149.

40 In his tamen conſuetudinibus aliqua ſunt obſervanda, ut obligationem inducant. Primò, quod Fideles nulla coactiones has oblationes ſolverint, *dict. cap. Dilectus* 30. *in fin. cap. Tua* 34. *de ſimon* ſed quod ipſa devotio fuerit, cauſa principalis, *ex dict. capit. Ad Apoſtolicam* 42. *de ſimon*. Secundò, ut nullum factum interceſſerit, aut pignus ad ſolutionem, *dict. cap. Tua*, *cap. Quàm pio* 1. *qu. Auth. de Sanctiſſ. Epiſcop. §. Quia verò*. Tertiò, quod certum ſit id quod debet offerri, ut dictum eſt. Quartò, quod omnis populus, aut maior pars illius perſiſtat in obſervanda conſuetudine: ſi tamen aliquis deficiat, nihil intereſt. Congeſſerunt Paulus Caſtrenſis *vol.* 1. *conſ.* 363. Gregorius *in dict. l.* 15. *gloſſ.* 2. Guttierrez *d. cap.* 21. *nu.* 1499 Suarez *d. cap.* 5. *à nu.* 21. Trullench *dict. lib.* 3. *cap.* 3. *dub.* 13. *num.* 5. Quibus requiſitis addendum, ut conſuetudo ſit præſcripta, ſaltem per decennium, quod tempus eſt ſufficiens, quia ſimiles oblationes ſunt piæ, & favorabiles; & conſuetudo iſta non eſt contra jus, ſed potius illis conformis, Suarez *d. nu* 21. Leſſius *de juſt. lib.* 2. *c.* 39. *dub.* 6 *n.* 39. Fagundez *in præcept. Decalog. præc.* 5. *lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 6. Trullench *d. dub.* 13. *n.* 4. Belletus *diſquiſit. clerical.* 1. *par. tit. de bon cleric. §.* 3. *n.* 24. Guttierrez *d. cap.* 21. *nu.* 143. Gratianus *diſcept. capit.* 210. *à num.* 13. Faria *ad Covarr. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 42. Sperellus *dec.* 70. *n.* 7.

41 Si tamen aliquis de populo has oblationes facere renuerit Parochus non debet procedere per ſubtractionem ſpiritualium; hoc enim grave fuiſſet delictum, quia exiſtimaretur pro illis temporalibus ſpiritualia concedere, quod eſt ſimonia execranda, *cap. Commendari* 1. *quæſt.* 1. *c. Nemo* 14. *cap. Ea quæ* 15. *cap. Sua* 29. *de ſimonia*. Debet enim petere imploraro judicis officio, *dict. cap. Ad Apoſtolicam* 42. *de ſimon.* 9. *tit.* 19. *part.* 1. *l.* 15. *tit.* 17. *par.* 1. qui procedere debet variis pœnis, & etiam ſi neceſſarium fuerit, cenſuris, quidquid Suarez reſiſtat, Gloſſa *in cap. Statuimus* 16 *qu.* 1. *verbo Oblationes*, Guttierrez *cap.* 21. *n.* 152. Azevedus *in l.* 1. *tit.* 5. *lib.* 1. Recopilat. *n.* 9.

42 Eſt quæſtio, an valet conſuetudo, ut Eccleſiaſtici faciant aliquas oblationes laicis, veluti quando in die Purificationis dantur ſecularibus aliquæ candelæ. Prima ſententia aſſerit talem conſuetudinem non valere. Ducitur *ex cap.* 1. *de conſuetudine*, ubi decernitur quod ſi aliqua conſuetudo ſit Eccleſiis oneroſa, minimè valeat: aſt conſuetudo iſta graviſſima eſt, quatenus Eccleſia gravaretur, ſi Eccleſiaſtici quotannis candelas laicis offerrente: Ergo nequit ſuſtineri talis conſuetudo. Cæterùm id eſſet Eccleſiam laicis ſubmittere, contra textum *is cap.* 2. *de reb Eccleſ. alienand. vel non*, *in* 6. Tandem jus quod ſibi offerantur candelæ, eſt Patronorum: quod agere cum laicis, eſſet quodammodo eos Patronos agnoſcere, in graviſſimum damnum Eccleſiæ: quapropter talis conſuetudo nequit ſuſtineri. Sylveſter *verbo Decimæ*, *n* 7. Rochus de Curte *in cap. fin. de conſuetudin. ſect.* 5. *n.* 24. Guttierez *d. cap.* 21. *n.* 157.

43 Secunda ſententia affirmat, talem conſuetudinem eſſe ſuſtinendam; nam diſtributio harum candelarum non eſt Eccleſiis graviſſimi nocumenti, & excitat devotionem Fidelium; unde ob tale bonum, quando Eccleſiæ parum gravantur, eſt ſuſtinenda. Tum ſimiles parvæ diſtributiones pluris à laicis habentur, & amorem Eccleſiarum conciliant. Ergo eſt ſuſtinenda talis conſuetudo. Federicus de Senis *conſ.* 153. Additio Abbatis *in cap.* 1. *de conſuetudin. num.* 2. Gregorius *in l.* 15. *titul.* 17. *part.* 1. *verbo De ſuo officio*, Suarez *dict. libr.* 1. *cap.* 7. *numer.* 20. Trullench *dict. dub.* 13. *numer.* 10. *ad fin.* Riccius 4. *part reſolut.* 165. *num.* 6. Barboſa *d. libr.* 3. *cap.* 23. *num* 7. Capponi *tom* 2. *diſcept.* 76. *num.* 7. ubi aſſerit ſe Neapoli vidiſſe has candelas Religioſos, & Sacerdotes ad domos deferre. Sed hæc circumſtantia deferendi candelas ad domos laicorum minimè admittenda eſt, ut declaravit Sacra Congregatio apud Barboſam *d. cap.* 13. *n.* 7.

44 In re dicendum, totam difficultatem conſiſtere in agnoſcendo an hæc conſuetudo dandi candelas gravamen grave inferat Eccleſiæ, & Eccleſiaſticis rebus, ita ut corruptela. Quam ſpecie animadvertendum, an ſit conſuetudo immemoralis, necne. Si enim conſuetudo iſta eſt immemorialis, etiamſi grave nocumentum inferat Eccleſiis, eſt ſuſtinenda; nam immemorialis conſuetudo ſupponit titulum meliorem ad actum ſuſtinendum, *l. Hoc iure*, *§. ductus aquæ. ff. de aqua quotid. & æſtiva*. Rota 2. *par. diverſ.* 717. *n.* 2. & apud Puteum *lib.* 1. *dec.* 205. *n.* 9. Cevallos *q.* 897. *n.* 223. Borellus *in Summa omnium dec. tit.* 14. *n.* 49. Gonzalez *ad regul.* 8. *gloſ.* 33. *n.* 4. Quapropter licèt conſuetudo iſta inferat gravamen Eccleſiæ, eſt ſuſtinenda; ſupponit enim privilegium, aut præſtationem ex cauſa oneroſa, vel contractu, unde neceſſariò ſuſtinebitur. Cæterùm alia ratione probatur, quia licet *in cap.* 1. *de conſuetud.* tollantur conſuetudines inferentes damnum Eccleſiis, minimè tamen textus ille poteſt intelligi de conſuetudine immemoriali; nam immemorialis conſuetudo non intelligitur ſublata, niſi de ea fiat ſpecialis mentio. Cevallos *d. qu.* 897. *n.* 248. Mena *variar. lib.* 2. *qu.* 10. *n.* 44 Guttierrez *pract. lib.* 3. *q.* 77. *in fin.* Moneta *diſtribut. quot.* 2. *p. q.* 12. *n.* 22. Sanchez *matr. lib.* 7. *diſput.* 4. *n.* 13. Cùm ergo *in d. cap.* 1. non fiat mentio conſuetudinis immemorialis, ſublata non videtur, ſed ſuſtinenda. Et confirmatur, nam conſuetudo etiam inferens gravamen Eccleſiis, non eſt intrinſecè mala, poteſt enim ex cauſa juſtificari, prout præſumitur juſta immemorialis temporis tranſcurſu, nec poteſt dici per ſe corruptela, *c. fin. de conſuet.* Ergo cùm textus ille non faciat mentionem de immemoriali conſuetudine, eam ut jam & validam relinquit, prout in præſentia tenet Valaſcus *de particip. cap.* 35 *n.* 11. Barb. *in d cap.* 1. *n.* 3. Azorius 1. *par. inſtit lib.* 5. *c.* 19. *in princip. verſ. Conſuetudo quæ*.

Si verò conſuetudo iſta immemorialis non ſit, & certè 45
gravamen grave inferat Eccleſiæ, utique tollenda erit, quia non ſupponit aliquam cauſam juſtificantem illam, & per ſe eſt irrationabilis. Ergo non eſt ſuſtinenda, *cap. Mala* 8. *d. cap. Ad noſtram* 3 *cap. fin. de conſuetud. Clement.* 2 *de reb. Eccleſiæ*. Suarez *de legib. lib.* 7. *cap.* 18. & 19. Gratianus *tom.* 5. *cap.* 894. *num.* 27. Hallier *de ſacr. elect. art.* 4. *ſect.* 7. *cap.* 1. Quare ad valorem hujus conſuetudinis diſtribuendi (verbi gratia) candelas in die Purificationis B. Mariæ, proſpiciendum eſt an populus numeroſus ſit, necne, & ponderandæ ſunt facultates Eccleſiæ, quæ illas conceſſit, unde gravamen perpendatur. In celeberrima Eccleſia Toletana harum candelarum diſtributionem vidi, verùm erant mediocres & plurimis concedebantur maxima conſideratione, nec inde grave præjudicium Eccleſiæ inferri poterat

Unde reſolvendum, quod ſi hæc conſuetudo ſit immemo- 46
rialis, ſemper eſt obſervanda; ſi non, ſed levis eſt præjudicii, ſimiliter eſt ſervanda: ſecus verò ſi grave præjudicium Eccleſiæ inferat.

Illa tamen conſuetudo admittenda non eſt, per quam Pa- 47
rochiani non tenerentur Decimas ſolvere, ſi Curatus non ſolverit certas libras carnis ſuillæ, vel bovillæ ipſis Parochianis; quia gravamen iſtud non ſolùm eſt grave, ſed etiam intolerabile. Tum ex hac occaſione anſam arriperent non ſolvendi Decimas in graviſſimum damnum Eccleſiarum, ut cum aliquibus docet Guttierez *d. cap.* 21. *nu.* 257. Capponi *d. cap.* 77. *nu.* 7. Aliam verò conſuetudinem adducit Parladorius *different.* 38. *n.* 11. de quodam Curione, qui die Defunctorum convivabat ſuos Parochianos ex oblationibus panis, & vini illius diei. Verùm cùm diſceptaretur, an conſuetudo illa eſſet ſuſtinenda, Curio per ſententiam fuit abſolutus, quia videlicet magis id officii, & amicitiæ gratia factum eſſe videbatur, quàm ſervitutis, & ſervitii obligatione, *l. ſi certis annis* 28. *C. de Pactis*.

Secundò ex alio titulo oblationes fiunt neceſſariæ, & de- 48
bitæ, nempe ex pacto, vel conventione, ſi per modum cenſus apponantur, ut in tali die, vel diebus oblationes fiant in Eccleſia. Qui quidem cenſus, vel onus non ſolùm imponi valet per contractum inter vivos, ſed etiam per quaſi cõtractum in hæredis inſtitutione, vel legato, & tunc erunt neceſſariæ, & præciſa obligatio juſtitiæ. S. Thomas 2. 2. *q.* 56. *art.* 1. *in corpore*, Becanus *de juſt. q.* 86. *n.* 2. Suarez *d. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 4. Barb *de jur. Paroch.* 3. *par. cap.* 24. *n.* 10. & *d. lib.* 3. *cap.* 23. *nu.* 10.

Huic autem titulo alius proximus eſt, quando ex voto, 49
vel legato aliquid offerendum aliquis voverit, vel legaverit; qui enim vovit, obligatur nõ ex juſtitia ad illam rem in Eccleſia offerendam, vel domandam; ſed ex Religione, & naturali jure dictante vota Deo eſſe reddenda, ſi tamen ex legato hæres ex juſtitia tenetur. D. Thomas *ubi proximè* Suarez *dict. cap.* 5. *nu.* 5. Trullench *dict. cap.* 3. *dub.* 13. *n.* 3.

Leon-

Leoncillus *de privileg. paup. 2. part. privileg. 292. n.3.* Barboſa *ubi proxime*.

50 Illud verò obliviſcendum non eſt, oblationes pro anima, quæ à teſtatoribus relinquuntur, ab hæredibus magna cura eſſe adimplendas, aliàs necatores dicuntur, & excommunicantur à ſacris Canonibus, *cap. Oblationes 9. cap. Qui oblationes* 10. 13. *qu.2.* Verùm hæc excommunicatio tantùm eſt ferenda, Azorius *1. p. lib. 7. cap. 27. q. 26.*

51 Similiter eſt alter titulus unde oblationes debeantur, nempe quando Miniſter Eccleſiæ, aut ipſa Eccleſia ita indigeant ut non habeant congruam decentem; tunc enim oblationes iſtæ debent neceſſariò à Parochianis præſtari, ut docuit S. Thomas relatus, ex illa obligatione divina, & naturali alendi Miniſtros Eccleſiæ, & ipſius ſpiritualia miniſtrantes *Lucæ cap. 10. Matth. cap. 10. cap. Ex his 12. qu. 1. cap. Cùm ſecundum 16. de Præbend. cap. Si Epiſcopus 6. de offic. Ordinar. in 6.* Unde quoties Decimæ non fuerint, vel primitiæ, ex quibus alantur, oblationes iſtæ erunt in præcepto, Socinus *in tract. de oblationib. in 3. libel. verſ. Sexto quæres*, Guttierrez *d. cap. 21. num. 153.* Covarr. *lib. 1. cap. 17. num. 3.* Leoncillus *dict. privileg. 292. à num. 4.* Suarez *dict. cap. 5. n. 6.* Trullench *dict. dub. 13. n. 3.* Barboſa *dict. 3. part. cap. 24. n. 10. & de univerſ. dict. cap. 23. n. 10.*

52 Hæc propoſitio admittenda eſt, etiamſi adſint Decimæ, & primitiæ, dum tamen non ſint ſufficientes ad congruam, & decentem ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ; ſi enim per oblationes ſupplentur, ad eas ſolvendas, & offerendas cogendi ſunt Parochiani. Si verò ipſæ decimæ, & primitiæ ſint ſufficientes, verùm quia Epiſcopo, & aliis participibus communicantur, fiunt inſufficientes, tunc nequeunt cogi Parochiani ad oblationes, quia eſſet eos cogere ad duplicia ſtipendia Miniſtrorum, quod nullum jus patitur, quare alii participes ad hanc congruam, & neceſſaria Eccleſiæ tenentur. Suarez *dict. cap. 5. num. 7.* Barboſa *dict. 3. part. cap. 24. num. 11.* Faria *ad Covarruv. lib. 2. c. 17. n. 14.* Si verò omnia deficiant, & pauperes ſint Parochiani, ad providentiam Epiſcopi pertinebit de hac congrua curare. Suarez *dict. cap. 5. num. 9.* Barboſa *dict. cap. 24. num. 11.* Leoncillus *dict. privileg. 292. n. 13.*

53 Eſt tamen dubium, an quando Parochus ipſe vivere poſſit ex artificio, ad alimoniam iſtius teneantur Parochiani, & cogi poſſint ad oblationes. Prima ſententia negat, ex deciſione textus *in cap Clericus victum 3. diſt. 91.* ibi: *Clericus victum, & veſtimentum ſibi artificiolo, vel agricultura, abſque officii ſui detrimento paret.* Ex quibus verbis facilè concipitur, quòd ſi Parochus alimenta non habet, non per oblationes ſuorum Parochianorum eſt alendus, ſed ſuo artificio, vel agricultura. Cæterùm ſibi imputet, qui tam tenue beneficium obtinuit, ut nec ad victum præſtet: quapropter ex ſuo labore, non ex oblationibus Fidelium eſt alendus. Tenet noſter Alphonſus *in l. 9. tit. 19. p. 1.* ibi. *Nin ſabe hazer ninguno de los meneſteres.* Ubi etiam Gregorius *gloſ. 3. in fin.* Theſaurus Chriſtianæ Religionis *cap. 92. n. 11. verſ. Si verò.* Dicit verus Guttierrez *dict. cap. 21. n. 154.*

54 Secunda ſententia tenet contrarium, quia nemo tenetur ſuis ſtipendiis militare, ut dicebat Apoſtolus, & refertur *in cap. Cùm ſecundùm 16. de Præbend.* Tum quia id eſſet cogere pauperes Clericos ad mendicandum, vel ad laborandum cum dedecore propriæ dignitatis; & quod pejus, adigerentur ut ſe implicarent negotiis ſæcularibus, unde à Divinis avocarentur, *cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi.* Ergo tunc Parochiani compellendi ſunt ad ferendas oblationes neceſſarias ad congruam neceſſariam Rectoris, & Eccleſiæ. Romanus *conſ. 344. num. 4.* Craveta *lib. 1. conſ. 199. nu. 5.* Decius *in cap. Cùm inter, de except. num. 26.* Leoncillus *dict. privileg. 292. n. 9.*

55 In hoc dubio animadvertendum textum *in dict. cap. Clericus victum*, primam ſententiam non probare; nam duobus modis poteſt intelligi. Primò de conſilio, prout fecerunt Apoſtoli, qui licèt rectiſſimè alimoniam à Fidelibus percipere poterant, attamen ne odioſa Religio redderetur novis Chriſtianis, nec pretio redempta, ſuis ſanctis laboribus alebantur, *Act. Apoſtol. cap. 20.* ibi: *Quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.* Et *cap. 1. 21. quæſt. 1.* quod licèt Clerici faciant, non indignè, ſed perfectiùs incedent, quærendo alimoniam ſuo labore, ita ut ſpiritualia abſque aliqua mercede Fidelibus miniſtrent. Paulus *1. ad Corinth. cap. 9.* Rurſus de conſilio id poterit facere clericus nõ ob cauſam recenſitam, ſed ad otioſitatẽ vitandã, ut optimè docuit D. Hieronymus *ad Ruſticum, in cap. Numquam 33. de conſecrat. diſt. 5.* cujus elegantiſſima verba do ad majorem eruditionem Clericorum: *Si Apoſtoli habentes poteſtatem de Euangelio vivere, laborabant manibus ſuis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro ſpiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in uſus tuos ceſſura non præpares. Vel fiſcellam texe iunco, vel caniſtrum lentis plectæ viminibus: ſarriatur humus, areolæ æquo limite dividantur, in quibus cùm olearum iacta fuerint ſemina, vel plantæ per ordinem poſitæ, aquę ducantur irriguæ, ut pulcherrimorum verſuum ſpectator aſſiſtas:*

Ecce ſupercilio clivoſi tramitis undam
Elicit illa cadens, raucum per levia murmur
Saxa cient, ſcatebriſque arentia temperat arva.

Inſerantur infructuoſæ arbores, vel gemmis, vel ſurculis, ut parvo poſt tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabricare alvearia, ad quas te mittunt Salomonis proverbia, & Monaſteriorum ordinem, ad Regiam diſciplinam in parvis diſce corporibus. Texantur & lina capiendis piſcibus, ſcribantur libri, ut & manus operetur cibum, & animus lectione ſaturetur. In deſideriis eſt omnis otioſus. Unde Redoanus *de ſpoliis quæſt. 2. nu. 2.* rem illuſtrans aſſerit, in Clericis artificia iſta non eſſe interdicta, verùm eſſe de præcepto, ut ſic manu operantes otium vitent. Humbertus de Romanis *de Erudit. Relig. 4. part. cap. 18. verſ. Iuventutis.* Genuenſis *in praxi Archiepiſcopali, cap. 62. num. 10. & 11.* Navarrus *de Hor. Can. cap. 7. n. 27.* Bellettus *diſquiſit. clerical. 1. part. tit. de exempt. clericor. à numer. publicis, §. 4. à num. 4.* Fuſcus *de viſit. lib. 1. cap. 20. num. 25.* Farinacius *in Fragm. crimin. 1 part. lit. C. num. 104.* Unde ex his duabus cauſis textus ille intelligi valet de conſilio.

Aliter verò interpretatur textus ille, nempe quando Cle- 56
ricus egeſtate premeretur; tunc enim ſi aliundè non poſſet, nec victum, nec tegumentum quærere, ex honeſto artificio valet illa quærere, prout nec indecorum fuit D. Paulo artem cenofactoriam exercere, nec pingere S. Lucæ, nec D. Antonio terram fodere: aut poterit advocare etiam coram judice laico, *cap. 1. de poſtuland.* quod etiam pro neceſſitate conceditur Monacho de licentia Prælati. Navarrus *in cap. Non dicatis 12. quæſt. 1. nu. 99.* Salzedo *ad Bernadum, cap. 73. gloſſ. 1. limit. 2.* Ergo textus ille eſt intelligendus in gravi neceſſitate cujuſvis Clerici, etiam cui congrua non debetur: vel ſi de Parocho intelligas, erit quando nec decimas, nec primitias nec oblationes habeat, nec à quo petat, tunc enim artificio poterit vivere.

Unde colligo, textum illum non probare primam ſenten- 57
tiam, ſed eſſe admittendam ſecundam, ita ut Parochus ſemper alatur ex Decimis, primitiis, oblationibuſque, vel aliter à Parochianis; & ſi pauperes fuerint, id pertinebit ad providentiam Epiſcopi, *cap. Epiſcopus 23. cap. præcipimus 24. 12. qu. 1.* Tridentinum *ſeſſ. 21. de reformat. c. 7. & ſeſſ. 24. de reformat. cap. 3.* Si tamen omnia remedia deficiant, conſulendus eſt Summus Pontifex, quod conſultò, ſi alimentum deficiat, ſuo labore, aut artificio quærat. Suarez *d. cap. 5. n. 9.* Trullench *dict. dub. 13. n. 3.*

Hinc adnotanda eſt gloſſa *in cap. Omnis Chriſtianus 69. de* 58
conſecrat. diſt. 1. verb. Vacuus, ubi ſcripſit poſſe Parochum pauperem, qui non alitur à ſuis Parochianis, divina Officia ſubtrahere, quia qui non facit quod debet, non conſequitur quod oportet, *l. Quæro 56. §. Inter locatorem, ff. locat.* Tenet etiam Decius *in c. Cùm inter, de except. n. 24.* Marſilius *ſingul. 687.* Leoncillus *dict. privileg. 292. n. 11.*

Sed non eſt admittenda hæc ſententia, uti jam ſupra di- 59
ctum eſt; eſt enim remedium impietate plenum: recurrendum eſt potiùs ad Superiorem, ut pœnis, & cenſuris compellat, ut cum Hugone, & Raynerio animadvertit Additio *ad illam gloſſam*, Trullench *dict. dub. 13. n. 12.*

Oblationes uſuales, quæ fiunt ad manum Sacer- 60
dotis in adminiſtratione Sacramentorum, vel alio modo in Parochum pertinent, *cap. Quia Sacerdotes 13. cap. Sanctorum 14. 10. qu. 1. l. 9. tit. 19. p. 1.* quia cùm ad Parochum pertineat munera illa obire, & Sacramenta adminiſtrare, oblationes iſtæ ei debentur, & in illis, ſicut in decimis, & primitiis habet fundatam ſuam intentionem. Fuſcus *de viſit. lib. 1. cap. 24. num. 11.* Leo *in ſuo Theſauro for. 2. part. cap. 13. a nu. 19.* Riccius *collect. 1113.* Leoncillus *2. part. privileg. 293. à n 1.* Barboſa *3. part. de offic. Paroch. cap. 24. nu. 7.* Capponi *diſcept. 77. num. 11.* Urrutigoyti *de Eccleſia Cath. cap. 21. n. 27.*

61 Unde ſequitur, quod in Eccleſiis Ordinum Militarium oblationes non pertineant ad Commendatarios, ſed ad Rectore,& Vicarios Eccleſiarum, ut cum aliquibus tenet Barboſa *dict. cap.24. num.* 8. Mendo *de Ordinib. Milit. diſquiſit.10. quæſt. 5. num.*37. qui id extendit ad Anniverſaria, & alias, ſimiles diſtributiones. Similiter oblationes quæ fiunt tempore Jubilæi,vel in anno Sancto in Eccleſia Cathedrali non ad Epiſcopum, ſed Archipresbyterum pertinent; nam ut docet S. Thomas *2. 2. quæſt.86. art. 2. in corpore*, ſimiles oblationes conceduntur ratione adminiſtrationis Sacramentorum, prædicationis, & aliorum munerum ſacrorum, quæ per Archipresbyterum adminiſtrantur. Ergo ad eum debent pertinere. Riccius 4. *part. reſolut.* 296. *n.* 6. Belletus *de bon. cleric. §.3. num.*19. Trullench *dict.dub.*13. *num.* 6. *in fin.* Barboſa *de univerſ. lib.* 3. *cap* 23. *num.* 27. Leon *de offic. Capell. quæſt. 5. ſect.* 8. *à num.*97 Antonellus *dict. lib.5. cap.* 18. *n.* 7.

62 Si verò oblationes offerantur in Capella Eccleſiæ Parochialis, niſi expreſſim ad ornatum illius concedantur, ad Parochum pertinent, non verò ad Capellanum, ob dictam rationem, niſi ob ſtipendium fuerint conſignatæ ipſi Capellano.In dubio verò ſemper pro Parocho calculus eſt ferẽdus. Genuenſis *in Praxi Neapolit. cap.*71.*nu.*14.Riccius 4. *part. reſolut.*299. *num.* 3. Barboſa *dict. cap.* 23. *num.* 22. Bengeus *dict.* §.2. *num.*15. Paſtor *dict. tit.* 3. *nu.* 5. Urrutigoyti *de Eccleſiis Cathedr. cap.* 16. *num.* 166. Quod idem eſt dicendum, ſi fiant in Altari, vel in aliquo Oratorio Eccleſiæ,aut in Capella ubi fuerint erecta aliqua beneficia, Barboſa *dict. cap.* 23. *num.* 22. Capponi *dict. diſcept.* 77. *num.*12. Tondutus. *tom.*1. *quæſt.benefic. cap.*63 *num.*8. Qui aſſerit ex perceptione oblationum argui curam ad Parochum pertinere,adCapellanos Rota 3 *part.recent.deciſ.*489. *num.* 3. Trullench *dict. dub.* 13. *num.*7. Leoncillus *dict. privileg.*293. *n.* 15.

63 Aliquando tamen oblationes iſtæ ad Parochum non pertinent, ſed ad ipſam capellam, ſeu Altare, nempe quando ea intentione afferantur, ut ſint propriæ illius; & ad id ſatis eſt conſuetudo, vel quod conjecturis conſtet, velle offerentes non ad Parochum, ſed ad ipſam capellam, ſeu Altare pertinere; quia cùm ſint ultroneæ,nequeunt aliis applicari, niſi eis quibus volunt offerentes. Belletus *tit. de bon.Clericor.* §. 3. *nu.*4. & 5. Antonellus *dict. lib.* 5. *cap.* 18. *num.* 6. Idem dicendum,ſi oblationes iſtę darentur ad certum finem veluti ad Miſſas dicenda, vel fabricam reparandam; tunc enim ad deſtinatum finem applicantur, non ad Rectorem attinent, *cap. Quatuor* 127. 12. *q.*7. Antonellus *dict. c.*18. *num.*8. Barboſa *dict. cap.*24. *de offic. Paroch.n.*30.Tondutus *dict.cap.*63. *num.* 11. Urrutigoyti *dict.cap.*16. *n.*167.

64 Eſt dubium, an quando aliquid offertur Confraternitati laicorum,intelligatur Eccleſiæ oblatum,aut confraternitati Et affirmandum videtur deberi Eccleſiæ & ejus Rectori; namConfratres laici ſunt in capaces accipiendi ſacras oblanes,nec aliquo prętextu poſſunt eas capere,*c.Sanctorum* 10. 1.*q.*1.*cap Statuimus* 55.16.*quæſt.* 1.*cap.Si quis Baſilicam* 10. *de conſecrat. diſt.* 1. *cap. Quamvis* 17. *de Decimis*. Bengeus *dict.*§.2. *n.*20. Antonellus *dict. cap.*18. *n.*11. Ergo minimè poſſunt illas oblationes percipere Confratres ipſi. Cæterùm Rectores Eccleſiarum habent fundatam ſuam intentionem in his oblationibus,ut dictum eſt *cap.Paſtorales* 9.*de his quæ fiunt à maior. part. Capitul. cap. Dilectus* 18. *de offic. Ordin.* Ferret. *conſ.*143. Capella Toloſana *deciſ.*483. Riccius 4.*p. deciſ.* 170. *num.* 7. Ergo nequeunt ſimiles oblationes pertinere ad Confratres laicos.

65 Verùm in re dicendum,mentem offerentium proſpiciendam eſſe; nam ſi ita ſit vafra intentio illorum, ut velint ſacras oblationes confratribus, tanquam laicis offerre, nihil agent, ſunt enim ad id incapaces, ut dictum eſt; quin ſi aliqando percipiant, ut raptores, damnantur, *dict.cap. Sanctorum*, *cap. Hanc conſuetudinem* 15. 10. *q.*1. & excommunicatur. Trident. *ſeſſ.*22. *de reformat. cap.*11.Trullench *dict. dub.*13. *n.*10. Poterunt tamen profanè eis donare quidquid voluerint. Si verò non ea intentione obtulerint,ſed ut oblationes illæ in uſus pios illius Confraternitatis conferantur,idque aliquo modo conſtet,vel conſuetudine,vel aliquibus convincentibus conjecturis,non ad Parochum,ſed ad ipſam Confraternitatem pertinebunt,quia oblationes iſtę in dubio pertinent ad Parochum.Verùm ſi conſtet de voluntate offerentium,aliter eſt dicendum. Riccius *dict. deciſ.* 170. *n.*1. Tõdutus *dict.c.*63.*n.*10.Rota apud Merlinum *dec.*257. *à nu.* 7. Ergo cùm conſtet offerentes voluiſſe illas applicare ad uſus pios confraternitatis, ad eam pertinebunt. Lencillus *dict. privileg.*293. *num.*14. Urrutigoyti *de Eccleſiis Cathedral. cap.*21. *n.*214. & *n.*335.

Rurſus oblationes iſtæ in aliquibus caſibus ad Parochum integrè non pertinent,ſed etiam inter alios Beneficiatos dividuntur,nempe quando ſervitium Eccleſiæ inter eos eſt dividendum,vel conſuetudine ſic eſt receptũ.Chopinus *de Sacra Polit. lib.*3.*tit.*4.*n.*9. Bengeus *dict.*§ 2.*n.*20. In diviſione, & adminiſtratione oblationum magnoperè conſuetudo animadvertenda, quia multùm præſtat. Riccius *dict. deciſ.* 170.*num.* 2. Rota apud Merlinum *deciſ.*257. *nu.* 12. Urrutigoyti *dict.cap.*21. *n.*28. 66

Nec etiam oblationes ad Parochum pertinent,ſi Epiſcopus in Parochia Miſſam celebraverit; ex eo enim quod in ejus Miſſa offeruntur, contemplatione Epiſcopi oblatæ videntur,& ideo ad illum pertinent. Belletus *dict.*§.3 *à n.*46. Antonellus *dict. cap.* 18 *nu.*9. Trullench *dict. dub.* 13. *n.*9. Barboſa *de offic. Epiſcop.* 3. *part. allegat.* 80. *num.* 13. Sed res iſta non facilè admittenda eſt, quoniam obſcuriſſima eſt intentio offerentium,ex qua nihil probabile percipitur: itaque Belletus *dict.* §.3. *n.*47. aſſerit deberi tantùm Epiſcopo ex urbanitate.

Sed quid quando Epiſcopus celebraverit in loco exempto, an tunc oblationes pertineant ad ipſum? Affirmarunt plures recenſiti à Barboſa *dict. allegat.*80. *nu.* 11. Sed meliori jure negarunt Felinus *c. Dilectus*, *de offic. Ordin. num.* 1. Barboſa *dict. allegat.*90. *num.* 12. Antonellus *dict.cap.*18. *n.*9. quia locus exemptus eſt extra Diœceſim,quare nequit Epiſcopus ibidem aliquod jus formare,etiam urbanicè, ad ſimiles oblationes percipiendas; erit tamen in ſimilibus caſibus recurrendum ad conſuetudinem, vel ad privilegia. Barboſa *ubi proximè*, *n.*13. 68

Illud verò obſervandum, antequam abeamus ex hac materia, in caſibus, quibus oblationes ad Parochum non pertinent, ſed fiunt in ſua Eccleſia, adminiſtrationem earum ad illum attingere, ut cum S. Thoma tenet Antonellus *dict. cap.*18. *n. fin.* 69

Eſt dubium, an Religioſi poſſint recipere oblationes factas in ſuis Eccleſiis ſeu Capellis. Prima ſententia affirmat, nam hæ oblationes ſunt ſpontaneæ, & liberæ, quæ fiunt ex voluntate offerentium, & ab eis poſſunt cuilibet applicari. Religioſi verò non ſunt incapaces earum, quia ſunt Altariis Miniſtri. Ergo rectè poſſunt eas percipere. Cruz *de ſtat. Religioſ. lib.*2. *cap.*9. *concluſ.*4.Lezana *quæſt. Regul. tom.* 1. *cap* 9. *num.* 45. Barboſa *de offic. Parochi*, 1.*part. cap.* 11. *num.*22. 70

Secunda ſententia tenet contrarium,quia oblationes Eccleſiarum Rectoribus debentur ob mercedem adminiſtrationis,& eſt proprium jus Parochiale, Bengeus *dict.* §. 2. *n.* 10. Rota apud Merlinum *deciſ.*257.*nu.* 2. Ergo nequeunt Religioſi illas percipere, etiam factas in ſuis Eccleſiis, ſeu Capellis; ſed neceſſariò debent mitti ad Parochum, Azorius *part.* 1. *lib.*7. *cap.*27. *quæſt.* 13. *ad fin.* Trullench *dict. dub.* 13. *num.*9. Fagundez *in* 5.*præcept. lib.* 4. *cap.* 2. *num.*1. 71

In hoc dubio dicendum,privilegia Monaſterii proſpicienda eſſe,an ei concedant hanc facultatem percipiendi oblationes factas in ſua Eccleſia,ſeuCapellis;quia tunc rectè capiet,ſicut quando ipſa Eccleſia Regularis fuiſſet Parochialis, & per Vicarium curam exerceret. Paſtor *dict. tit.* 3. *nu.*3. *verſ. Oblationum*. Idem dicendum ſi ex generalem,& præſcripta conſuetudine id fuiſſet receptum; quia conſentientibus Parochis firmatum videtur. Paſtor *ubi proximè*, *num.* 6. 72

Si verò tituli iſti non exiſtant, ut has oblationes percipiant, minimè ut Religioſi poſſunt eas percipere, quia in ſola Religioſitate non adeſt aliquod jus recipiendi oblationes; ſed tamen aliis duobus modis percipere poſſunt,nempe ſi per modum eleemoſynæ eis concedantur, quia tunc ut pauperes recipiunt. Abbas *in cap.Nimis*,*de exceſſib.Prælat.* Leoncillus *dict.privileg.*193.*n.*11.Suarez *d.lib.*1.*cap.*5.*n.*19. 73

Tum,tanquam Miniſtris Altaris,ſi miniſterium non exerceant ex profeſſione Religioſa,ſed ut purèMiniſtri,quia valent tunc recipere oblationes.S.Thomas *2.2.quæſt.*86.*art.*2. Suarez *d.cap.*5. *n.*19. 74

Doctrinam Angelici Doctoris, & P. Suarez indigere explicatione exiſtimo.Idcircò dico admittendum,ſi oblationes iſtæ non fuiſſent continuæ, & aſſuetæ, & magnæ quantitatis; 75

titatis; quia tunc præsumi valet contemplatione ministrantis fieri, ut considerari valet in Parocho administrante Matrimonium, & dicente Missam de sponso extra Parochiam, Barbosa *dict. cap.*23. *nu.*28. Si verò fuissent continuæ, id permittendum non erit; jam enim cederet in grave præjudicium Parochorum. Tùm quia, nam oblationes istæ non contemplatione personarum concederentur, nec ratione ministerii; sed tanquam si haberent Religiosi jus ut sibi offerentur, quod solùm Parochis congruit. Quapropter consultus à quodam Rectore, an permittendum, ut mulieres recentes enixæ possent in Monasterio audire Missam post purificationem? Responsum præbui negativum, quia jam ibant omnes enixæ cum oblationibus, cum damno gravi Ecclesiæ Parochialis.

76 De oblationibus factis Imaginibuus, & cui competant, scripsimus *lib.*4. *cap.* 1. *à n.*11.

77 Restat verò in hoc capite breviter percurrere aliquas personas, a quibus Ecclesia oblationes non admittit, Glossa *in cap.*2. *dist.*90. *verbo Dona*, septem genera personarum declarat. Primum, Fratrum dissidentium. Secundum, oblationes opprimentium pauperes. S. Thomas *dict qu.*86 *art.* 3. Tertium, sacrilegia committentium, *cap. Divino*, 12. *q.* 2. Quartum extrahentium servos ab Ecclesia, *cap. Miror* 8. 17. *qu.*3. Quintum raptorum, *cap.*2. *de raptoribus*. Sextum, usurarium, *cap. Quia* 3. *de usur.* Isidorus *lib.* 7. *epistol.* 27. Concilium Trosleganum *cap.*7. Septimum pœnitentium, *cap. Eos quos* 118. *de consecrat. dist.*4. Quibus addendi Infideles, hæretici, & ab Ecclesia præcisi, excommunicati nominatim denuntiati, & qui violant jura Ecclesiæ. Cyprianus *epist.*27. Augustinus *epist.*187. Tandem Ecclesia non admittit oblationes, quæ fiunt in detrimentum pupillorum, & filiorum legitimorum, de quibus latè agunt S. Thomas *dict. art.*3. Suarez *dict. lib.*1. *cap.*6. *n.*1. Nicolaus Lemaistre *lib.* 1. *de Decimis*, *c.*15. Bonacina *de præcept. Eccles. disput. ult. qu.*5. *punct.*7. *à num.*4. Azorius *dict* 1. *part. lib.*7. *c.*27. *qu. ult.* Barb. *d. c.*23. *n.*13.

LIBER SEXTUS
DE FUNERIBUS, EORUMQUE SUMPTIBUS:
De Testatis, & Intestatis, & Sepulturis.

CAPUT PRIMUM.

De Funeribus, eorumque Ritibus.

SUMMARIUM.

Totus iste liber agit de Causa Pia *funerandi Christianos ac de sepulturis eorum, quarum maxima fuit Cura apud veteres, non solum Fideles, verum etiam Ethnicos, num.*1.

*Varia genera sepeliendi mortuos, remissivè, n.*2.

Hoc opus pium in sacris Litteris est commendatum, num. 3. *&* 4.

*Ab exordio Ecclesiæ simili pietus sepeliendi defunctos orta est, nu.*5. *Summantur antiqui ritsu sepeliendi defunctus, ex* Durantio, *n.*6.

*Hæretici ritus funerandi mortuos non admittunt, & impiè reprobant aliquibus testimoniis malè adductis, n.*7. *Sed refelluntur, n.*8.

Explicatur Augustinus lib.1. de Civit. Dei, capit. 12. cap. Non æstimemus 19. 13. quæst. 2. *à numer.*9. *Explicatur etiam textus* in cap. Sacris 12. de sepult. *numer.* 13.

*Castro explicat mentem Vvaldensium hæreticorum, & referuntur utilitates sepulturæ sacræ, n.*14.

*Mos aliquarum Ecclesiarum in exequiis defunctorum: de die tertio, septimo, trigesimo, & aliis, quæ ab antiquis adservata sunt, nu.*15. *Ad quorum imitationem dies isti designati illustrantur, à numer.* 16. *Referuntur verba D. Augustini, num.* 18 *Explicantur, num.*19. *Vbi admittitur novemdiale absque aliqua permixta superstitione, ibid.*

Dies trigesimus, & quadragresimus, in aliquibus Ecclesiis observatur ad memoriam defunctorum, & aliquando centesimus, & sexagesimus, n. 20. *&* 21.

*Hæ exequiæ in Funeribus magnis lamentis olim celebrabãtur, & ad id ploratrices conducebantur: sed hoc justissimè abolitum, n.*22.

*Interdicuntur nimii planctus, non mœror, aut tristitia in morte consanguineorum, n.*23 *Fit instantia ex Scriptura testimoniis., n.*24. *Respondetur, n.* 25. *Explicatur dolor Mariæ Virginis juxta crucem Domini, n.*26.

*Posse fieri magnos planctus in morte viri eximii, comprobatur, n.*27.

*Vxoribus de Jure Civili anni luctus indictus fuit, & quare, variis constitutis pœnis, n.*28.

Sed an hæ pœnæ sublatæ sint de Iure Canonico, ne intra annum luctus ad secunda vota transirent, & de aliis disceptatur. Prima sententia affirmat, num. 29 *Secunda negat, num.* 30. *Tertia distinguit. num.*31. *&* 32. *Quarta sententia asserit, omnes pœnas de Iure Civili impositas remanere, excepta pœna infamiæ, numer.*33.

*Aliqui hæretici reprobarunt secundas nuptias, sed reprobantur, n.*34.

Explicatur textus in cap. Hac ratione 9. 31. qu. 1. & cap. Quomodo 10. ead. causa, & quæst. *à num.*35. *usque ad* 37.

Explicatur textus in cap. De his 8. 31. quæst 1. *& variæ referuntur interpretamenta, n.* 38. *&* 39.

*In Hispania observatur ne viduæ Reginæ transeant ad secundas nuptias, n.*40.

Secundæ nuptiæ licitæ, & validæ sunt statim à morte prioris conjugis; sed aliqua considerantur inconvenientia, ob quæ aliquæ impositæ sunt pœnæ ibidem recensitæ, num. 41.

*Pœnæ propriè dictæ propter nuptias intra annum luctus sublatæ sunt à Iure Canonico, num.*42. *Fit instantia, & respondetur, num.* 43. *Quando dubitatur, an filius sit primi, aut secundi matrimonii, intelligitur esse secundi, ibid.*

Fit alia instantia, & explicantur textus in cap. penult. & final. de secundis Nuptiis, *n.*44.

*Mulier transiens ad secunda vota amittit privilegia, Nobilitatis prioris viri, num.*45. *& perdit proprietatem rerum à priori marito relictarum, quæ reservanda est filiis prioris matrimonii, & quare, Mulier si aliquid lucretur cum posteriori conjuge, si ad alia vota non transeat, potest de his disponere cum filiis prioris Matrimonii, n.*46.

*Pater tenetur reservare filiis prioris matrimonii relicta sibi ab uxore, n.*47. *Datur vera ratio, n.*48.

Si conjux transit ad secunda vota ex licentia prioris conjugis, non amittit proprietatem, ibid.

*Hæc reservatio proprietatis non est pœna, sed quædam dispositio legalis, & non est sublata per Ius Canonicum, num.*49.

*Fiunt duæ instantiæ, num.*50. *Si mulier habeat licentiam à viro, ut transeat ad secundas nuptias, nequit intelligi de anno luctus, ibidem Sed instantiis respondetur, num.*51.

*An si mulier intra annum luctus ad secundas nuptias transierit, vestes lugubres, & lectum quotidianum restituere teneatur, Aliqui negant, num.*52. *Lucra acquisita duran-*

rante matrimonio non perdit mulier, etiamſi intra anni luctum nupſerit, ibid. Alteri affirmant, num. 53. Sed diſtinguitur, quando non adeſt conſuetudo dandi veſtes lugubres, & quotidianum lectum, non teneri reſtituere dicunt aliqui: alii dicunt, pretioſas teneri reſtituere, ſecus viles; ſed etiam viles teneri reddere aſſerimus, numero 54.

Si adeſt conſuetudo dandi has veſtes, & lectum quotidianum, ut in Caſtella, dicunt aliqui non teneri reſtituere; ſed in contrarium eſt communis ſententia. Sed hæc difficultas reſolvitur ſecundùm locorum conſuetudinem, num. 55. 56. & 57.

Quando eſt reſtituendus lectus quotidianus, fit poſt mortem mulieris, n. 58.

An mulier tranſiens ad ſecunda vota intra annum luctus, perdat alimenta ſibi debita donec dos ei ſolvatur, num. 59. Vbi ſupponitur hæc alimenta deberi in æquiori ſententia, contra aliquos. Prima ſententia inquit non perdere, ſed ei deberi, ſicut lucra conſtante matrimonio, & arrhæ, vel ſicut quæ ex titulo oneroſo debentur, num. 60. Secunda affirmat perdere, niſi ſecundus maritus pauper fuerit, num. 61. Admittitur hæc ſententia, & latè defenditur, à n. 62.

Reſtitutio dotis in immobilibus facienda eſt ſtatim, in mobilibus poſt annum, n 65.

An maritus ſecundus poſſit petere intereſſe intra annum luctus pro dote non ſoluta. Affirmarunt aliqui. Negavit Sanchez, num. 66. Intereſſe non debetur, niſi debitor ſit in mora, ibid.

Admittitur doctrina Sanchez. Limita tamen, niſi factum fuerit, ut dos mobilium ſtatim à morte mariti reſtituatur, aut dos fuerit à viro uxori legata, numer. 67.

Fit inſtantia, num. 68. & reſpondetur, num. 69. Hærede interpellato, ſecundus maritus abſque uſura percipit intereſſe, ibid.

Explicatur doctrina iſta, ut ſi bona ſunt fructifera, rectè ſecundus maritus percipiat intereſſe, n. 69. & 70.

Si bona dotalia fructus non producunt ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis, rectè ſecundus maritus percipit intereſſe, n. 71. & 72.

Aliqui ob ſolam retardatam ſolutionem deberi affirmant, ſed explicantur, n. 73.

1 IN hoc libro totus erit ſermo de piiſſimis cauſis occurrentibus in Chriſtianorum funeribus, & ſepulchris, quorum apud veteres maxima fuit cura, ut ſcripſit Prudentius.

Hinc maxima cura ſepulchris
Impenditur, hinc reſolutos
Honor ultimus excipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro.
Prætendere linea mos eſt.

Hæc enim pietas non ſolùm Chriſticolis propria ineſt, ſed etiam Ethnicis, qui ex ſolo lumine naturæ de cadaveribus curarunt, & tribus ſuo more inſtitutis, quique ultimam virorum curam impendebant; nam ut aſſerit Chaſſaneus *in Catal. glor. mund. 2. par. conſiderat. 5.* ſicut homo præ cæteris animalibus honorandus eſt in vita, ita ſimiliter in morte, exemplo Chriſti Domini, licet ignominiosè crucifixi, qui fecit ſepulchrum ſuum glorioſum, *Iſai. cap. 11.* prout etiam celeberrima fuerunt ſepulchra Abrahæ, Iſaac, & Jacob, & ſuarum uxorum, *c. Eb on 2. 13. q. 2.* D. Hieronymus *lib. de Quæſt. Hebraic.*

2 Hinc enim apud veteres Albani in opprobrio fuerunt, apud quos nefas erat curam habere de mortuis. Chaſſaneus *dict. conſiderat. 5. verſ. Albani.* Verùm nationes alteræ magnoperè in honorandis, & mortuis ſepeliendis inſudarunt, variis ad id permixtis ritibus, & ſuperſtitionibus, de quibus latè Valerius Maximus *lib. 11.* Alex. ab Alex. *Genial. dier. lib. 3. c. 7.* ubi Tiraquellus, Roſinus *de antiquit. Rom. lib. 5. c. 39.* Gutherius *de jur. Man. per tres integ. lib.* Jon. Kirchinanus *de Feud. Rom. lib. 4.* Spondanus *de Cœmeter. Sacr lib. 1. part. 1. cap. 4.* Plures dat Salzedo *in Theatro honor. gloſſ. 13. num. 27.* Lopez *de ſepult. cap. 4. per tot.* Villegas *2. part. Floſc. in vita Lazari, cap. 5.* D. Gonzalez *in cap. 1. de ſepult. n. 4.* De quibus licet facile fuiſſet plurima hic annectere, tamen agendum non eſt nobis, non enim curioſa ſcribere curamus, ſed utilia ad Animas, & ad Eccleſiarum Regimen, quantum potuerimus pro noſtri ingenioli tenuitate, & parvitate.

Sed tamen, ut alliciamus animos Fidelium ad tam inſi- 3
gne opus pium, & magnæ miſericordiæ, aliqua prætereunda non ſunt, ſcilicet teſtimonium Eccleſiaſtici *c. 7. verſ. 37.* ubi gratos, & liberales erga mortuos nos monet Spiritus Domini. *Gratia dati in conſpectu omnis viventis, & mortuo non prohibeas gratiam.* Idem præcipit Concilium Triburienſe *in c. In Eccleſiaſtico 14. 13. qu. 2.* & ſunt expenſiſſima teſtimonia Scripturæ Sacræ, ubi laudatur gratia, & liberalitas vivorum; quæ in tumulandis, & honorandis defunctis exhibetur: quapropter pluris habetur Abraham, qui magno honore Saram uxorem ſuam duplici in ſpelunca tumulavit, *Geneſ. c. 23.* Ipſe verò Abraham cùm jam in ſenectute defeciſſet, duplici etiam in ſpelunca à ſuis filiis Iſaac, & Iſmael honorificè ſepelitur, *Gen. c. 25. verſ. 8.* Hunc etiam honorem, & miſericordiam rogavit Jacob à filio ſuo Joſeph, ut eum non ſepeliret in Ægypto, ſed cum patribus ſuis, *Gen. cap. 47. verſ. 30.* quod & aliis filiis repetit, *Geneſ. cap. 49 verſic. 30.* & adimpletum cum magno planctu, & exequiis, prout erat in more Ægyptiorum, *Geneſ. c. 50. per tot.* Ubi adnotanda ſunt tria in funere Jacob; nam primùm ibi intervenit honoris exhibitio in condimento corporis defuncti. Secundò fletus ſuper mortuum. Tertio honorabilis deportatio cum inſigni comitatu, & nobili: quod omne nobiliſſimum funus demonſtrat, ut conſiderat Chaſſaneus *dict. 2. part. conſiderat. 5. verſ. Adverte etiam*, D. Gonzalez *in d. cap. 1. de ſepult. n. 4.* Hieronymus Magius *lib. 3. Miſcell. cap. 11.* Urrutigoyti *de Eccleſia Cath. c. 17. à n. 147.*

Eſtque etiam textus *Deut. c. 21. verſ. 13.* ubi jubetur mu- 4
lieri per unum menſem flere patrem, & matrem defunctos. Et *lib. 2. Reg. c. 2. verſ. 5.* David gratias refert viris Jabes Galaad, ex eo quod Saul ſepeliſſent. *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum.* Et *cap. 3. verſ. 31.* David mortem Abner amariſſimè flet: iuſſitque populum plangere ante exequias illius. Notum eſt etiam teſtimonium Tobiæ *cap. 1. & 2.* & notiſſimum illud *lib. 2. Machabæor. cap. 12. à verſ. 43.* Ex quibus locis antiqui Teſtamenti voce, & exemplo nobis demonſtratur quanta cura de mortuis eſt habenda in eorum funeribus, exequiis, & ſepulturis, in quorum celebratione varii ritus, ceremoniæ, & planctus adhibebantur, prout in morte Jacob, Joſeph, Moyſis, & Judæ, De qua re integrum tractatum ſcripſit Sophranis *de Funeribus Hebræorum*, Sancius *in c. 6. Amos, verſ. 10. & 11.* & *1. Regum, c. 31. verſ. 12.*

In exordio noſtræ Matris Eccleſiæ ſimilis pietas tumulan- 5
di, & ſepeliendi Defunctos ſtatim orta eſt, & expreſsè probavit Chriſtus Dominus *Matth. c. 26.* ibi: *Opus bonum operata eſt in me, mittens enim unguentum hoc, ad ſepeliendum me fecit.* Quapropter à tempore Apoſtolorum obſervata eſt. Eſt teſtimonium S. Clementis *in epiſt. 1. ad Jacobum Fatr.* ubi mortuos ſepelire, & diligenter eorum exequias peragere, & pro eis orare, & eleemoſynas elargiri præcipit. Origenes *lib. 5. contra Celſum, & lib. 8. contra eumdem*, ubi ſic loquitur: *Rationalem animam honorare dicimus, & hujus organa ſepulchro honorificè demandare*, D. Hieronymus *l. 1. epiſt. 25. ad Paulam*, Epiphanius *in orat. de Chriſti ſepultur.* Damaſcenus *de Morient.* S. Gregorius *in vit. Patr. c. 10. & 20.* Euſebius *lib. 7. c. 17.* Qui omnes de his exequiis, funeribus, & ſepulturis, pro ſuis temporibus diſertiſſimè loquuntur, & probant.

Quoad funera, & ſepulturas Chriſtianorum, earum ſo- 6
lemnia luculenter tractavit Durantius *de rit. Eccleſiæ, lib. 1. cap. 23. à num. 14.* quem tibi ſummatum refero. In primis poſtquam moriens exhalaverat animam, oculi ejus occludebantur. Deinde corpus lavabatur, erat enim antiquiis maxima pœna fœdatos mori, quapropter poſt lotionem veſtimentis ornabantur, & perungebantur; peruncti tamen linteo involvebantur, & involuta in loculo cadavera reponebantur: & veteres in tricliniis, ſeu cœnaculis exponebant; hodie verò ad veſtibulum domus reponuntur, ut tranſeuntes commiſerti Deum pro defuncto deprecentur. In Nobilibus autem vita perfunctis, aureum velamentum ſuper feretrum, quo corpus obtegebatur, apponi conſuetum erat; feretrum verò ligneum erat. Hoc modo cadavere ornato, exequiis ad id diſpoſitis, cereiſque accenſis,

alio-

aliorum Fidelium comitatu perexistente, Cleroque convocato, & per ordinem dispositio, funus ducebatur, nec id submissa voce, sed Psalmis decantatis: quod non solùm à Clericis aliquando factum fuit, tempore Justiniani Ascerriæ, seu Sanctimoniales, dum corpus ferebatur, psallere consueverant, *Novell. 56. de debit. impens. in exequiis defunct.* Campanæ etiam pulsabantur, nec in aliquibus funeribus egeni, & pauperes deficiebant, sed ad id invitabantur; & etiam Missa funebris dicebatur. Hoc breve compendium ex Durantio suscepimus. Veterum Christianorum, cæremonias quoad funera scripsit etiam, licèt Ethnicorum cæremoniis involutas, Julius Lavor. *var. lucubrat. tit. 2. de prisco, & recent. funerandi more, cap. 1. & 2.* Bellarminus *de Purgat. lib. 2. c. 19.* Thoro *privilegio 55. vers. Vnum est.*

7 Hinc ergo Hæretici novatores refellendi sunt, asserentes exequias defunctorum inanes esse, ac nullius solatii animarum, sed vivorum solatia tantùm esse: quod Bohemi Hæretici affirmarunt Æneas Sylvius *de orig. Bohem. c. 35.* & eorum hæresim, Hugonoti confirmare tentant ex Augustino *lib. de cura pro mortuis agenda, & lib. 1. de Civit. Dei, cap. 12.* sic inquiente: *Nullo modo enim diceret Veritas: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; si quidquam obesset vitæ futuræ quidquid inimici de corporibus occisorum. Nisi fortè quispiam sic absurdus est, ut contendat, eos qui corpus occidunt, non debere timere ante mortem, ne corpus occidant: & debere timere post mortem, ne corpus occisum sepelire non sinant. Falsum est ergo quod ait Christus: Qui corpus occidunt, & posteà non habent quid faciant; si habent tanta, quæ de cadaveribus faciant. Absit, ut falsum sit, quod Veritas dixit.* Et posteà subdit: *Proinde ista omnia, ideò curatio, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis vivorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum.* Estque textus *in cap. Non existimemus 19. 13. q. 2.* ubi hæc adsunt verba: *Diligentiùs tamen facit hoc quisque pro necessariis suis, quo pro illo fiat (similiter ab suis. Corpori autem humando quidquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium, secundùm affectum, quo nemo unquam carnem suam odio habet.* Refertur ex D. Augustino *in lib. de cur. pro mort. c. ult.* pro quibus etiam expendi valent verba textu *in c. Sacris 12. de sepultur*, ibi: *Cùm licet non obsit iustis sepultura nulla vel vilis; impiis tamen celebris, vel speciosa non prosit.*

8 Sed tamen horum Hæreticorum error, quem etiam insequuntur Vvaldenses, ex his quæ scripsimus suprà, facillimo negotio eliminatur: Res quippe sancta est pro Defunctis exorare, exequias, oblationes, & eleemosynas fundere, & alia peragere, quæ ad juvamen animæ deserviunt, si fortè in Purgatorio crucietur, & puniatur: & de fide est, utilissimas esse, quapropter D. Augustinus *relat. in c. tempus 23. 13. quæst. 2.* sic scribit: *Nec negandum est, Defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis sacrificium medi atoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt.* Scripsit etiam D. Gregorius *in cap. Pro obeuntibus 21. eadem causa, & quæst.* Ubi alia congessit Gratianus. Tridentinum *sess. 25. in Decreto de Purgat.* Idcircò in Primitiva Ecclesia tam sanctè ab exordio illius similes ritus instituti sunt, prout hodie etiam similiter observantur, & dum Ecclesia existet, usque ad extremum judicium perdurabunt. Sic enim Romana Ecclesia, cujus filii sumus, certissima quæque nos docet, non leviter introducta, sed quæ à primis Conciliis, & Patribus rectissimè sunt instituta. Itaque exequias defunctorum, funera, sepulturas, oblationes, & cæremonias, prout à nostris primis Doctoribus, & Patribus sunt institutæ, hodie habemus, & ad oculum demonstrat Bellarminus *d. c. 19. vers. Quid sit.* Durantius *d. c. 23. à n. 14.*

9 Nec Augustinus in contrarium aliquid probat, ut animadvertit Bellarminus *d. c. 19. lit. E, vers. At quæ sit.* Volebat Sanctus Doctor duos errores Ethnicorum refellere Primum quia putabant sepulturam esse necessariam, ut animæ requiescere possent, ut ostendit sua fabula Virgilius *lib. 6. Æneid.*

Prætereà jacet exanimum tibi corpus, amice,
Heu nescis! totamque infestat funere classem.
Dum consulta petis, nostroque in limine pendens,
Sebibus hunc refer antè suis, & conde sepulchro.

Ubi adnotat Servius, sepulchrum sedem vocari, quippe existimabant, tanquam in sede requiescere animas in sepulchro.

10 Secundus error erat, quia Ethnici putabant in corporibus defunctorum adhuc sensum aliquem inesse, prout etiam nostri Hispani existimabant, quorum mos fuit cadavera in arboribus pendere. Verùm postquam ea sepelire curarunt in sepulchris scribebant, *Sit tibi terra levis*; quasi putarent, cadavera sentire terræ gravitatem. Hunc enim morem suspendendi in arboribus cadavera defunctorum susceperunt ab Scythis, vel Scythæ à nostris. Silius *lib. 3. Tabareni.* D. Hieronymus *lib. 2. contra Iovin.* Spondanus *d. lib. 1. part 1. cap. 4.* Unde D. Augustinus in dictis locis eleganter explicat locum Matthæi cap. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c.* Ubi probatur, tyrannos minimè esse timendos, qui quamvis occidere possint corpora, non verò amplius agere possunt; nec enim cadaver aliquem sensum habet, licèt posteà in frusta secetur, aut tormentis adjiciatur.

Unde postea dicit, pompam exequiarum, conditionem 11
sepulturę, & alia, quę adhibentur pro honores defunctorum, magis esse solatia vivorum, quàm subsidia mortuorum, hæc enim dicit de pompis funerum, & de his pertinentibus ad vanum hominum honorem, non verò de precibus Fidelium, Officio Defunctorum, & de sepultura in loco sacro, quippe ista multum præstant juvaminis animabus, ut ab ergastulo Purgatorii liberentur, ut probatum est supra. Quo quidem sensu intelligendus est textus *in cap. Non existimemus 13. quæst.*

Textus verò *in d. c. sacris*, intelligendus est de sepultura 12
per se loquendo, non enim prodest justis, nec impiis. De impiis optimè docet Augustinus *in c. Quibus 16. 13. quæst. 2.* his verbis: *Quibus peccata dimissa non sunt, à sacris locis adjuvari non possunt, quia quos peccata graviora deprimunt, si in sacris locis sepeliri se faciunt, restat ut de sua præsumptione judicentur, quia eos sacra loca non liberant, sed culpa temeritatis accusat.* De justis verò, qui in Dei gratia decedunt, licèt per accidens, adjuvantur, si in loco sacro sepeliantur, ut benè notat Gregorius *in cap Cùm gravia 17. 13. quæst. 2.* hujuscemodi loquens. *Cùm gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca veniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino præces fundunt. Nam quos peccata gravia deprimunt, non ad absolutionem, quin potius ad majorem damnationis cumulum, eorum corpora in Ecclesiis ponuntur.*

Unde Castro *adversus hæreses lib. 13. verbo Sepultur, ad* 13
medium, asserit: Vvaldenses, si solùm dixissent, nihil videlicet prodesse corporum sepulturam ad gloriam animæ augendam, vel miseriam inferni minuendam, benè quidem dicerent; verùm, quia absolutè dixerunt, nihil prorsus prodesse animæ, quod corpus in loco sacro sepeliatur, ideò meritò illorũ sententia damnatur. Sunt etenim multiplices sepulturæ utilitates. Prima, quod per sepulturam fœtor, & horror cadaverum arcetur, quod non parum vivis noceret. Secunda, quod eo studio testantur Fideles resurrectionis, & immortalitatis animarum fidem, non enim tanta cura sepelirentur corpora defunctorum, nisi speraremus resurrectura. Tertia, vivi admonentur propriæ mortis, unde defunctorum tumuli Monimenta dicuntur. Quarta, eo modo satisfaciunt vivi affectui suo, quo mortuo prosequebantur. Unde dicebat Augustinus, *Sepulturæ pompam, solatia esse vivorum.* Quinta, ne mortui cum ignominia tractentur, quisque enim naturaliter desiderat, ut post mortem suam corpus honestè tractetur. Sexta, Orationes fiunt à Fidelibus in locis sacris, ubi adsunt sepulturæ, & in Ecclesiis multa peraguntur sacrificia, quæ pro vivis, & defunctis offeruntur. Recensent Castro *ubi proximè*, Bellarminus *dict. cap. 19. à lit. E*, Sotus *in 4. dist. 45. q. 2. art.* S. Antoninus *in Summa, 3. part. tit. 10. cap. 1. §. 1.* Medicis *de Sepultur. in præfat. à num. 1.* Unde quando Pontifex dixit, vilem sepulturam nihil detrahere justo, loquitur de sepultura per se sumpta, non autem de sumpta per accidens, quando in loco sacro fieret, in justis verò quomodolibet non prodesse, etiamsi celebris sit, aut speciosa sepultura.

Quapropter Hærerici prosus damnandi sunt, ut eos refel- 14
lunt Castro, Bellarminus, & Durantius jam supra relati. S. Thom. *in 4. dist. 25. art. 3. & 2. 2. q. 32. art. 2.* Samuel *de Sepult. prælud. 8. & 9.* Beyerlink *in Theatro Vit. hum. n. 7. verbo Sepultura, vers. Sepultis Fidelibus*, Tuschus *de Visitat. lib. 1. c. 25. à num. 1.* Carol. Maranta *tom. 2. responso 4. à num. 103.* Urrutigoyti *de Ecclesia Cathed. c. 17. à num. 120.* Jul. Lavor. *d. tit. 2. c. 14. per tot.*

His tamen sanctis exequiis, & orationibus, & etiam 15
aliis

aliis piis operibus ab Eccleſia inſtitutis,quæ fiunt pro defunctis, tempus decretum eſt ; in aliquibus enim Eccleſiis dies tertius eſt deſignatus, ſeptimus, nonus, trigeſimus, aut annus revolutus in alteris , in quibus Officium particulare decantatur pro defuncto ; & aliæ eleemoſynæ,& oblationes pro illo ad Eccleſiam conferuntur , & miſericorditer dantur , *cap. Quia alii 24. 13. quæſt. 2. cap. Nullus Preſbyterorum. 7. diſt. 44. cap. Nullus 35. de conſecrat. diſt. 5.* Quos quidem determinatos dies non noviter in Eccleſiis adſervatos invenimus, ſed ex antiquiſſimis moribus Eccleſiæ. De Anniverſario , anno revoluto , eſt expenſiſſimus locus Tertulliani *de Coron. milit. cap. 3.* ibi : *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* S. Ambroſius *de obit. Theodoſii*, Amalarius Fortunatus *lib. 3. de Eccleſiaſt. Offic. c. 44.* ubi de tertio , ſeptimo , & trigeſimo die. D. Cyprianus *lib 1. epiſt. 9.* Clemens *libro 6. Conſtit. Apoſtolic. cap. 48.* Samuel *de Sepult. tract. 2. converſ. 5. concluſ. 1. diſp. 2.*

16 Dies enim tertius deſignatus eſt ad imitationem Chriſti Domini ſepulturæ,qui die tertia reſurrexit,propter noſtram juſtificationem . Declaravit Clemens Pontifex *d. cap. 48.* ſic ſcribens: *Peragatur dies tertius mortuorum in Pſalmis, Lectionibus, & Orationibus , propter eum , qui tertia die reſurrexit .* Aut quia ſi defunctus aliquid imperfectionis commiſerit,auxilio S. Trinitatis ei remittatur. Aut ad ſignificandum,quod anima tribus erigitur ad diligendum Deum ex toto corde,tota mente, & tota anima. Amalarius Fortunatus *in lib. inſcripto , Ordo baptizandi , ſub tit. de Exequiis. §. Statutorum.* Jul. Lavor. *dict. tit. 2. cap. 15. n. 74.* Samuel *dict. controverſ. 5. concluſione 2. à n. 3.*

17 Septimus verò ad imitationem SS. Patrum amiſſus eſt ad commemorationem defuncti . *Geneſ. cap. 50. verſ. 10. Eccleſiaſt. c. 22. verſ. 13.* ibi : *Luctus mortuis ſeptem dies.* Nam ſeptimus numerus univerſitatem perfectorum ſignificat. D. Hieronymus *in Marc. c. 21.* quapropter in hac die ſeptima Officium defuncti celebratur . Amalarius *de Eccleſiaſt. Offic. d. c. 44.* Lavor. *dict. tit. 2 c. 15. à n. 75.* Samuel *d. tract. 2. concluſ. 4 5. & 6.*

18 De novemdiali die variè ſentiunt Noſtrates. Illud verò certum eſt,ab Ethnicis plorandi cauſa defunctos admiſſum eſſe ; itaque novemdiale ſacrum dicebatur ad publica prodigia procuranda,vel dicebatur alicujus privatæ familiæ,cùm defunctis parentabant, vel luſtrabant. Livius *lib. 1. decad. 1. & lib. 2 decad. 3. in act. ab Vrbe condit. 807. lib. 6.* Auguſtinus *in Geneſ.* Aſt inter Chriſtianos conſuetudinem nonum diem celebrandi improbat Auguſtinus *quæſt. in Gen. in fin.* hiſce verbis: *Neſcio utrùm inveniatur alicui ſanctorum in Scripturis celebratum eſſe luctum novem dierum , quod apud Latinos Novemdiale appellatur.* Unde videntur ab hac conſuetudine prohibendi , ſi qui Chriſtianorum iſtum in mortuis numerum ſervant,qui magis eſt in Gentilium conſuetudine . Conſentit Durantius *de Rit. Eccleſiæ , lib. 2. c. 43. n. 5. in Rat. Divin. Offic. lib. 7. c. 36 num. 5.* Samuel. *d. controverſ. 5. coucluſ. 9.*

19 Sed tamen teſtimonium Auguſtini tantùm accipiendum eſt , quando numerus novem dierum ſuperſtitiosè ſervatur more Gentilium , aut quando periculum adeſſet alicujus ſuperſtitionis , ut conſiderat Lavor. *d. cap. 15. n. 98.* Si tamen abſque aliqua ſuperſtitione novemdiale ſervaretur,utique improbandum non eſt , prout obſervatur in novemdiali Romanorum Pontificum, quorum exequiæ celebrantur per novem dies,antequam fiant comitia ad novam electionem. Lavor. *d. tit. 2. cap. 1. num. 1.* Barboſa *de univerſ. jur. lib. 1. cap. 1. nu. 65.* Eſtque textus *in cap. Vbi periculum 3. §. Quia verò , de elect. in 6.* Idcircò ſi aliquis mente pia , & devota nono die pro defuncto Officium celebraret , qualibet ſuperſtitione eliminata , & abſque periculo illius , erit admittendus , ut benè conſiderat Lavor. *d. c. 15. n. 98.*

20 Trigeſimus dies etiam in aliquibus Eccleſiis pro defunctis celebratur ; nam ſicut triginta diebus menſis perficitur , qui denotat curſum noſtræ vitę preſentis,ut cognoſcitur ex curſu Lunæ , qui ex triginta diebus perficitur : ita mediante Miſſæ Sacrificio opera mortuorum ſunt plena , & perfecta in conſpectu Dei , ut ex D. Gregorio , & Amalario percipit Lavor. *d. cap. 15. num. 87.* Samuel *tract. 2. controverſ. 6. à n. 1.*

21 In aliquibus etiam Eccleſiis quadrageſimus dies obſervatur ad defunctorum memoriam , & celebrationem , de quo S. Clemens *d. cap 48.* Damaſcenus *de fide defunct.* Ambroſius *de obitu Theodoſii* . Qui quidem in occidentalibus Eccleſiis celebris fuit. Ambroſius *in Orat. de obitu Teodoſii* , Gregorius *Dialog. lib. 2. cap. 23. & homil. 37.* Durantius *d. cap. 43. num. 5.* Samuel *d. controverſ. 6. concluſ. 5. cum ſequent.* Idque ob repræſentationem anni Jubilei, quia numerus perfectus eſt , vel quia numerus iſte denotat quadraginta haras , quibus Chriſtus Dominus fuit in ſepulchro . Durantius *dict. cap. 35. num. 9.* Lavor. *dict. cap. 15. à num 94.* qui *num. 98.* aſſerit,etiam aliquando centeſimum diem celebrari ob defunctorum animas, ut à ſiniſtra ad dexteram , è bello ad pacem , è terra ad cœlum , è tenebris ad lucem, hoc eſt, de Purgatorio ad Paradiſum tranſeant:quod alii in ſexageſimo & centeſimo faciunt. Samuel *dict. controverſ. 6. concluſione 10. & 11.*

Hæ exequiæ,& defunctorum ſacri honores,olim magnis 22
planctibus , & triſtitiæ demonſtrationibus fiebant , ut latiſſimè proſequitur Lavor. *d. tit. 2. cap. 1. à num. 153.* quod non ſolùm uſitatum fuit inter propinquos & affines, verùm etiam mulieres ploratrices conducebantur,quæ fuiſſent optimæ vocis , ut planctus , & ululatus magis vigeret. Vart. *de Vita Patr. lib. 4.* D. Chryſoſtomus *homil. 13. in Epiſt. Paul. lib. 2.* Quod etiam apud Noſtrates uſitatum fuit , & poſteà juſtiſſimè abolitum ; nec enim apud Chriſtianos gemitus , & querelæ nimiæ admittendæ ſunt in funeribus defunctorum, quaſi non credatur animæ immortalitas,& corporum reſurrectio. Unde 1. *ad Theſſalonicenſ. c. 4.* ait Paulus: *Nolumus vos ignorare de dormientibus , ut non contriſtemini , ſicut & cæteri , qui ſpem non habent.* Quinimò D. Ambroſius *in orat de fide reſurrect.* ſic ait : *Sapiens debet lætari de morte , non dolere ; quod enim neceſſarium eſt , noli timere : mors enim non eſt mors , ſed ſomnus , ac dormitio temporanea.* D. Hieronymus *epiſt. 3. ad Helidorum* . Eſtque optimus textus *in c. Vbicumque 26. 13. q. 2.* ubi aſſeritur,mortuos lugere,ex puſillanimitate contingere. Et *c. Quàm præpoſterum 25. eadem cauſa , & quæſt. l. 44. tit. 4. p. 1. l. fin. tit. 1. lib. 1. Recopilat.*

Non tamen in hac doctrina intendimus interdicere tri- 23
ſtitiam , & mœrorem in morte conſanguineorum,& amicorum ; hoc enim naturale eſt . Verùm interdicuntur nimii planctus,capillorum inciſio,avulſio,& alię demonſtrationes exceſſivi doloris,ut faciebant Gētiles,& alii impii. Id optimè docuit D. Auguſtinus *ſerm. 32. de verb. Apoſtoli*,ſic:*Contriſtamur nos in noſtrorum mortibus,neceſſitate amittendi, ſed cũ ſpe recipiendi: inde triſtamur,hinc conſolantur:inde infirmitas afficit, hinc fides reficit : inde dolet humana conditio, hinc ſanat divina promiſſio.* Remque latè proſequuntur Abbas *in rub. de ſepulturis, n. 4.* Contad. Brun. *de Cærem. Eccleſiæ , lib. 4. cap. 3.* Perez *in l. 7. tit. 1. lib. 1. Ordinament. pag. 29.* Mathienzo *in l. 2. tit. 5. lib. 5. Recopilat. gloſſ. 13.* Azevedus *in l. fin. tit. 1. lib. 1. Recopilat. per tot.* Pineda *in vit. S. Ioannis Baptiſtæ . lib. 3. art. 2. cap. 6.* Lavor. *d. cap. 1. à num. 147.* Medina *in Summa , lib. 1. c. 9. n. 3.*

Sed dices,aliquos Sanctiſſimos viros in veteri Teſtamen- 24
to apprimè luxiſſe ſuorum mortes , & etiam in novo ; S. enim Job , audita filiorum morte , tonſo capite corruit in terram , *Iob cap. 1. verſ. 20.* quod à multis fieri uſque ad calvitiem demonſtrat Jeremias *cap. 16. verſ. 6.* his verbis: *Non ſepelientur , nec plangentur , nec ſe incident , nec calvitium fiet pro eis .* Jacob *Geneſ. cap. 37. verſ. 34.* graviter lugebat mortem Joſeph. *Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.* David magnoperè planxit filium ſuum Abſalom, 2. *Reg. c. 18.* & graviſſimè mortem Abner, 2. *Reg. c. 3.* In novo Teſtamento Maria Sanctiſſima Virgo mortem ſui dilectiſſimi filii tenerrimè doluit , unde canit Eccleſia, *Stabat mater doloroſa* : & adfuit multa turba populi plangens in morte Chriſti Domini , *Luc. cap. 23.* ibi : *Sequebatur illum multa turba populi , & mulierum , quæ plangebant , & lacrymabantur .* Et ſuper Stephanum morientem planctus magnus factus eſt . *Act. Apoſtol. cap. 8. verſ. 3.*

Sed tamen in veteri Teſtamento aliqui ſancti Patres luge- 25
bant defunctos,& cum aliquibus ſignis magni doloris ; benè enim ſciebant , defunctos detinendos , nec ad gloriam deventuros,donec Chriſtus Dominus cœli portas reſeraſſet,& dormientium ſtatim reſurrectio fieret per Salvatorem:quapropter Dominus ſæpè ſæpiùs clamitabat , *Ego ſum reſurrectio , & vita .* Hanc ob rem viri illi ſummi doloris demonſtrationes faciebant in morte ſuorum , vel magnoperè plangebant defunctorum reproborum mortem , cùm

ſtatim

ſtatim damnarentur, ſicut fecit David in morte Abſalom. Et hoc benè expendit Azevedus *in d. l. fin. tit.* 1. *lib.* 1. *recopilat.* notant David in morte alterius filii chariſſimi, cùm adhuc parvulus moreretur, minimè planxiſſe dum de ejus ſalute non dubitaret.

26 Quod verò diximus de Maria Sanctiſſima, licèt graviter doluit, non tamen cum lamentis, ſciſſis capillis, tunſo pectore, vel aliis ſignis extraordinariis; verùm licèt ſteterit doloſa, magna conſtantia, & conformitate cum voluntate Domini ſtabat, prout demonſtrat Euangeliſta Sacer: *Stabat juxta crucem Ieſu mater ejus. Stabat*, id eſt, magna conſtantia, & virtute, licèt intus gladio ancipiti tranſverberata. Quod ſimiliter conſiderandum in aliquibus non flentibus ſuorum mortem; ſed cùm magno valore adverſitatem ferant, intus dolore premuntur, de quo varia exempla præſtitit Seneca *epiſt.* 99.

27 Aliter enim fleri poſſunt defuncti magno planctu, veluti ſi vir eximius, & valdè ſanctitate præditus, vel utilitati Reipublicæ aptus moreretur; tunc enim mœror eſt juſtus, cùm tanto bono privetur Reſpublica, vel Eccleſia Militans; ſicut fecerunt Hebræi in morte Moyſis, Judæ Machabæi, & aliorum excelſorum vriorum S. Ambroſius *lib.* 1. *offic. cap.* 41. Id etiam inter noſtros obſervatum, quod multis exemplis illuſtrare poteramus. Sed non obliviſcendum quod dicitur de morte Ferdinandi I. Caſtellæ, & Legionis Regis, de cujus obitu ſic ſcripſit Sanchez *de Rebus Hiſpan. lib.* 4. *c.* 11. *Regnorum lamentis, veroque luctu, Pater Patriæ, Vindex Libertatis, Chriſtianæ Religionis Aſſertor acerrimus, magis Regi dolore, quàm funeris pompa ſepulchro illatus.* Mariana *lib.* 9. *cap.* 6.

28 De Jure verò Civili uxoribus anni luctus indictus fuit, ita ut ſi intra annum ad ſecundas nuptias tranſeant, infames redderentur, & aliis pœnis plectebantur, *l. Vxores* 9 *l. Solet* 10. *ff. de his, qui not. infam. l.* 1. *& 2. C. de inceſt. nupt. l. fin. tit.* 12. *part.* 4. Idque ſtatutum ob temperantiam, quæ in mulieribus debet prælucere: intemperantiæ maximum ſignum adeſſet, ſi ex funere mariti ſtatim ad ſecunda vota tranſirent: tum ex errore id erat admiſſum, putabat enim, manes offendi, niſi defuncti lugerentur; præcipuè uxores, quibus majori cura id incumbit, *l.* 1. *C. de ſecund. nupt.* Apulejus *lib.* 8. *Metam.* quapropter infames reddebantur, & aliis pœnis puniebantur. De quibus in dictis legibus: Rolandus *de lucro dot. quæſt.* 86. *per tot.* Dueñas *regul.* 12. *limit.* 3. Alphanus *collect.* 216. Nevizan. *in Sylva Nupt. verbo Seni non eſt nubendum, à n.* 48. Gabriel *commun. opin. tom.* 3. *l.* 3. *tit. de ſecund. nupt. concluſ.* 5. Lavor. *dict. tit.* 2. *c.* 1. *à n.* 178.

29 Sed eſt dubium grave, an hæ pœnæ ſublatæ ſint de Jure Canonico. Prima ſententia affirmat, nam ut conſtat ex doctrina Apoſtoli relata *in cap. fin. de ſecund. nupt.* ſtatim ac maritus deceſſit mulier liberata eſt à lege viri, valetque libera facultas mulieri, ſi talibus pœnis afficeretur. Ergo de Jure Canonico iſtæ pœnæ ſublatæ ſunt Prætereà Jus Civile nequit facere conſtitutiones impedientes libertatem matrimoniorum, ut patet. Ergo nec pœnas imponere, ut intra annum luctus mulieres non nubant. Ergo ex Jure Canonico concedente hanc liberam facultatem mulieribus ſtatim à morte viri, illas pœnas ſublatas eſſe affirmandum eſt. Abbas *cap. Eccleſiarum, de conſtit. in repet. num.* 20. Felinus *ibidem, num.* 56. Decius *num.* 125. *verſ. in punct. iur.* Menchaca *de ſucceſſ. lib.* 3. §. 27. *num.* 29. Gabriel *d. concluſ.* 5. Peregrinus *de iur. Fiſci, lib.* 3. *tit.* 15. *num.* 3 Azevedus *in l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 5. *à n.* 1.

30 Secunda ſententia tenet contrarium, nempe de Jure Civili adhuc eas pœnas durare, ne revocata eſſe de Jure Canonico, licèt de illo Jure non procedant, ob libertatem ab eo conceſſam nubendi ſtatim à morte viri, *ex cap. Super, cap. fin. de ſecund. nupt.* Ducitur, nam leges illæ civiles fundantur in quadam honeſtate, & temperantia naturali: tum in reverentia primo marito debita, ne mulier intra annum luctus cum altero viro conjungatur: quod quidem per neceſſe non eſt revocandum à Jure Canonico, in quo illa, quæ honeſta ſunt, & temperantia plena, magnoperè manutenentur. Cæterùm in Jure Canonico nulla fit expreſſa derogatio harum pœnarum, ſed tantùm datur facultas mulieri nubendi validè à morte prioris viri. Ergo dicendum, minimè eſſe revocatas, ſed de Jure ipſo Civili ſuſtinendas licèt de jure Canonico in Tribunalibus Eccleſiaſticis non ſervent ur. Cardoſo *in Praxi Advocat. verbo Mulier, n.* 22. Padilla *in Summa leg. pœn.* 2. *p. caſu* 16. Farinacius *in Fragment. crim.* 2. *part. lit. M, n.* 397. Oliva *de for. Eccleſiæ,* 1. *part. quæſt.* 42 *per tot.*

Tertia ſententia communis eſt diſtinguens de pœnis impoſitis mulieribus intra annum luctus nubentibus, in odium ſecundi matrimonii; & de aliis, quæ ſolùm proſpiciunt utilitatem, & commodum filiorum prioris matrimonii. Primæ enim ſublatæ ſunt per Jus Canonicum: & ratio eſt, nam ſunt impedientes ſecunda vota, ad quæ de jure divino poſſunt tranſire, 1. *ad Corinth. cap.* 7. ibi: *Mulier, viro ſuo mortuo, ſoluta eſt à lege viri: nubat in Domino, cui vult. Et cap. penult. & ult. de ſecund. nupt.* Ergo eo ipſo quod Apoſtolus hanc liberam facultatem mulieribus conceſſit, ex conſequentia neceſſaria ſublatæ ſunt illæ pœnæ impeditivæ ſecundarum nuptiarum. Molina *de juſt. tract.* 2. *diſputat.* 154. *n.* 9. *& tom.* 4. *tractat.* 4. *diſputat.* 8. *n.* 3. 31

Alteræ verò pœnæ proſpicientes utilitatem filiorum, & commodum bonorum ipſorum, adhuc etiam de Jure Canonico durare probantur; nam pœnę illæ non ſunt propriè pœnæ, ſed tantùm proviſiones, & præventiones, ne bona filiorum prioris matrimonii detrimentum percipiat; nam ſecundi matrimonii amore correptæ mulieres, & novorum filiorum, multa damna in eis facere poſſent: quapropter ex hac juſtiſſima ratione diſpoſitiones illæ legales ſuſtinentur. Prætereà aliud eſt pœnam pati, aliud verò admitti ad lucrum ex bonis mariti prioris proveniens; eo enim modo relicta mulieri bona illa videntur, ut ſi ad ſecundas nuptias tranſierit, proprietatem eorum amittat, & tantùm habeat uſumfructum. Ergo ſi mulier intra annum luctus ad ſecunda vota tranſierit, his pœnis aut diſpoſitionibus legalibus ſubjicietur; non enim Jus Canonicum circa iſta aliquid diſpoſuit. Gloſſ. *in l.* 1. *C. de ſecund. nupt. verbo Honorarias.* Spino *in Specul. teſtament. gloſſ* 14. *in princip. num* 100. Gregorius *in l. fin. tit.* 12. *part.* 4. Mathienzo *in l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 5. *Recopilat. gloſſ.* 2. *n.* 2. Sarmiento *Select. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. Valaſco *conſult.* 16. *num.* 3. Cevallos *com. quæſt.* 743. Jul. Caponi *tom.* 3. *diſcept.* 195. *à num* 19. Sanchez *de Matr. lib.* 7. *diſp.* 88. *à n.* 39. Lavor. *d. c.* 1. *à n.* 179. D. Gonzalez *in cap. fin. de ſecund. nupt. n.* 9. 32

Quarta ſententia aſſerit, omnes pœnas adhuc ex utroque Jure remanere, excepta pœna infamiæ, quæ irrogatur mulieri intra annum luctus nubenti; marito, & patre conſentientibus, *ex l.* 1. §. *Qui eam, l. ſolet* 10. *l. liberorum,* §. 1. *ff. de his, qui not. infam.* Cujacius *lib.* 1. *qq. Papinian. in l. fin. ff. de his, qui not. infam. & lib.* 6. *obſervat. cap.* 32. Amaya *lib.* 3. *obſervat. c.* 2. *n.* 12. Connanus *lib.* 8. *Comment. c.* 7. Probatur, nam textus *in c. penult. & ult. de ſecund. nupt.* tantùm loquuntur de tollenda infamia, quæ impoſita erat mulieri, & marito, patrique, ex eo quod ad ſecunda vota tranſiret intra annum luctus. Ergo reliquæ pœnæ remanent in ſuo robore. Et ratione confirmatur, nam de Jure Canonico ſola illa pœna erat neceſſariò corrigenda, quæ vim faceret quaſi præciſam, & metum induceret, ne ſecundæ nuptiæ contraherentur: quod quidem per pœnam infamiæ tantùm fiebat, non verò erat neceſſarium tollere alias pœnas ſimilem vim non inferentes, quia alias pœnas temporales poterat mulier compenſare cum commoditate ſecundarum nuptiarum, unde ad illas ſubeundas neceſſariam vim non pateretur. Ergo ſolùm pœna infamiæ correpta eſt de Jure Canonico, & cæteræ pœnæ manent in ſuo robore. Latè tenet Lælius Mancinus *Diſquiſit. Gener. cent.* 2. *capit.* 140. Barboſa *tom.* 6. *collect. ad titul. de ſecundis nuptiis, num.* 6. 33

In hoc dubio illud eſt animadvertendum, hæreticos non ſolùm reprobare ſecundas nuptias intra annum luctus, ſed etiam abſolutè, ita ut dicant illicitas, & reprobatas eſſe. Authores hujus hæreſis fuerunt Cataphryges, quorum Princeps fuit Montanus. Eundem errorem propugnavit Tertullianus, licèt priùs adverſus eum pugnaverat. Suſcepit eundem errorem Novatus tempore Cornelii Papæ & Martyris, ut refert D. Auguſtinus *de Hæreſibus, c.* 26. quibus adjungit Græcos Guido Carmelita *in Summa de Hæreſibus.* Sed tamen error iſte facillimè convincitur ex D. Paulo *ad Roman. cap.* 6. *verſ.* 2. ibi: *Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, allegata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri.* Et 1 *ad Corinth. cap.* 7. *verſ.* 39. ibi: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius vivit: quod ſi dormierit vir ejus, libera eſt: cui vult, nubat tantùm in Domino.* Unde apertiſſimè revincitur 34

error

error horum hæreticorum. Tum exemplis multorum virorum ſanctiſſimorum, ad ſecundas nuptias tranſeuntium, ut Abraham, Ruth, Sara, Samaritana, & alii congeſti à Caſtro *de Hæreſibus, lib.* 11. *verbo Nuptiæ, hæreſi* 2. Ex quibus probatur, licitas, & liberas eſſe ſecundas nuptias, *cap. Deus* 12. *cap. Quod ſi* 13. 31. *quæſt.* 1. *cap. fin.* 32. *quæſt.* 1. *cap. penult. & ult. de ſecundis nuptiis.* Concilium Nicænum *can.* 8. Laodicenum *can.* 1. Toletanum III. *can.* 10. Florentinum ſub Eugenio IV. *c.* 4. *l.* 3. *tit.* 12. *part.* 4. Refellunt Hæreticos Caſtro *ubi proximè*, Bellarminus *de Matrimonio, lib.* 1. *cap* 9. Mancinus *d. c.* 140. *& ſacri jur. controverſ. diſſert.* 10. Valenzuela *conſ.* 13. *à n.* 11. Corraſius *lib.* 3. *Miſcell. cap.* 1. Mendoza *ad Concil. Illiberit. lib.* 3. *can.* 66. Baſilius *de Matrim. lib.* 7. *c.* 52. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *diſput.* 81. *à n.* 1. Azevedus *in d. l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 5. *à n.* 1.

35 Sed adhuc antequam hinc abeamus, examinandi ſunt D. Chryſoſtomus, & D. Hieronymus, qui ſecundas nuptias damnare videntur. Et D. Chryſoſtomus *in c. hac ratione* 9. 31. *quæſt.* 1. aſſerit, ſecundas nuptias ſecundum veritatis rationem fornicationem eſſe. Similiter loquitur D. Hieronymus *in cap. Quomodo* 10. 31. *quæſt.* 1. Eſtque etiam textus *in c. de his* 8. *eadem cauſa, & quæſt.* ubi pœnitentia imponitur ad ſecundas nuptias tranſeuntibus: & ſimiliter ibidē interdicitur Presbytero ſecundis in nuptiis cōvivio intereſſe.

36 Sed tamen ad textum *in d. c. Hac ratione*, reſpondetur textum illum non habere authorem D. Chryſoſtomum, ſed alium Chryſoſtomum, cujus extat opus imperfectum *in Matth.* ut docet Bellarminus *d. lib.* 1. *cap.* 9. *verſ. Secundus canon*, Sanchez *dict. diſput.* 81. *num.* 1. Quapropter textus ille parum habet authoritatis. Sed quamvis fuiſſet D. Chryſoſtomi eſt tamen animadvertendum, diverſum eſſe damnare ſecundas nuptias, tanquam illicitas, & reprobatas; aliud verò conſiderare ſignum intemperantiæ, quod ad eas contrahendas conſideratur: idque duobus modis. In primis quando intra annum luctus contrahuntur, & tam citò à morte prioris viri, ut non ſolùm hæc intemperantia adſit, verùm etiam ſanguinis, vel ſeminis perturbatio, ita ut proles neſciatur à quo viro ſit *l. Liberorum*, §. 1. *ff. de his, qui not. infamia*. Unde in aliquibus Ditionibus, ſi aliquis intra triginta dies viduam uxorem acceperit à morte prioris viri, graviter punitur, ut conſtat ex Haraldo Archiepiſcopo Turonenſi *in Capitul. Turon. cap.* 41. hiſce verbis: *Quicumquæ viduam infra triginta dies viduitatis invitam, vel volentem acceperit, ultrà eam non attingat, & adulterii pœnas luat.* D. Gonzalez *in cap. Cùm ſecundum* 5. *de ſecund. nuptiis, n.* 3. Tum ſecundò eſt valde parum continentiæ, & carnis temperantiæ intra annum ad ſecunda vota tranſvolare, oblito primo conjuge, & quaſi in dedecus illius: quamobrem ex his cauſis aliquo modo per exaggerationem ſecundæ nuptiæ fornicationes dicuntur, non verò, quod propriè ſint fornicatio; quo in ſenſu intelligendi ſunt Chryſoſtomus, & Hieronymus *in d. cap. Hac ratione*, & textus *in dict. cap. Quomodo*. Iſte enim modus loquendi apud SS. PP. uſitatus aliquando eſt, nec eſt ediſonus ab eorum ſanctitate, & veritate, ut teſtatur Epiphanius contra adverſantes Imaginibus, ſic loquens: *Conſueverunt Patres noſtri ſancti, qui volunatem Dei ſalutiferam nobis exponunt, per exaggerationem mandatorum obſervationem nos docere, & ad quod mandatum illis ſcopus vergitur, eò præparare auditores, hoc extallere, & magnificare*. Quod ibidem exemplis illuſtrat, & refert Baſilius Pontius *de Matrim. lib.* 7. *c.* 52. *n.* 17. Unde hæc teſtimonia nihil pro Hæreticis faciunt.

37 Et confirmatur, nam Chryſoſtomus, & Hieronymus, quando expresè loquuntur de ſecundis nuptiis, an illicitæ, & immundæ ſint; licitas, mundas, & honeſtas prædicat Chryſoſtomus *homil.* 6. *in Epiſtol.* 2. *ad Timoth.* ubi ſic fatur. *Non iſtud nunc loquor, quòd ſecundas prohibeam nuptias, aut immundas eſſe putem; nec enim permittit hoc Paulus, qui ori meo frenum impoſuit dicens* 1. *ad Corintb.* 7. *Si autem inupſerit, non peccavit: cœterum beatior erit, ſi ſic permanſerit.* Idem affirmavit Hieronymus *lib.* 3. *epiſt.* 11. ſic: *Noſ ſecundas nuptias non tam appetimus, quàm concedimus*. Et probarunt quamplurimi Patres, quos recenſet Eſpenceus *in tract. de bono viduitatis*. Quapropter quoties ſancti Doctores has ſecundas nuptias fornicationem appellant, intelligendum dictum per exaggerationem, ut intelligunt Chryſoſtomum, & Hieronymum, Baſilius nuperrimè allegatus *dict. n.* 17. Sanchez. *d. diſput.* 81. *à n.* 5. Bellarminus *dict. lib.* 1. *c.* 9. *verſ. Certum*.

Ad textum *in c. De his* varia interpretamenta pararunt Doctores. Baronius *tom* 3. *anno* 314. *num* 91. aſſeruit, olim in Eccleſia pœnitentiam injunctam fuiſſe ſecundò nubentibus, idque non quia illicitæ fuerint ſecundæ nuptiæ, aut aliquo modo peccaminoſæ; ſed quia arguebant parum continentiæ, prout diſpoſitum eſt in Concilio Laodiceno, & Neocæſarienſi, quorum veſtigia inſequutus S. Baſilius *in epiſt. ad Amphil. cap.* 4. bigamis annum pœnitentiæ injunxit, trigamis tres, & quatuor aliquando, verum & aliquando in aliquibus Eccleſiis trigami per quinquennium ſejungebantur, & inter audientes catechumenos annumerabantur: quod idem poſterioribus ſæculis adſervatum teſtatur Theodorus Balſamon. Adeſt tamen in Hiſpania Concilium Tolet. I. *cap.* 4. ubi Subdiaconos ſecundò nubentes abſtinere jubeat. 38

Gloſſa *in dict. c. De his*, verbo *Dicunt*, aſſerit textum illum intelligendum, quando non ſucceſſivè ſecundæ nuptiæ contraherentur, ſed inſimul: quod communiter rejicitur; nec enim ſola pœnitentia erat injungenda ob tam grave ſcelus. Quare Bellarmin. *lib.* 2. *de Conciliis, cap.* 8. *argument.* 4. *& lib.* 1. *de Matrim. cap.* 9. *verſ. Hunc canonem*, ſcripſit canonem illum intelligendum, quando ſecundæ nuptiæ ſolemniter celebrarentur his ritibus, & ſolemnibus cæremoniis, prout primæ (quod etiam hodiè obſervatur) tunc enim ob culpam illam pœnitentia injungebatur; nec Preſbyter in convivio illarum adſtare poterat. Aliter interpretatur Baſilius Pontius *dict. lib.* 1. *cap.* 52. *n.* 19. nempe quando hæ ſecundæ nuptiæ clam celebrabantur, non verò ſi palam per modos ab Eccleſia præſcriptos. Sed tamen primam ſententiam prioris interpretamenti admitto, utpote probabiliorem, prout etiam admittit Barboſa *in dict. cap. de his, n.* 4. 39

In Hiſpania, tamen licèt nuptiæ ſecundæ licitæ, & Sanctæ ſint, prout tota Eccleſia Catholica recepit; attamen ob quamdam decentiam, & honeſtatem viduis Reginis interdictæ ſunt: tum etiam, quia hoc debetur Regiæ dignitati prioris conjugis: tum convenit ad majorem quietem Reipublicæ, & ad educationem filiorum ex primo matrimonio exiſtentium. Sic decrevit Concilium Tolet. XIII. *can.* 5. Similiter obſervabatur in uxoribus Subdiaconi, Exorciſtæ, vel Acolythi, ut conſtat ex Concilio Matiſconenſi II. *can.* 16. D. Gonzalez *in c. fin. de ſecund. nupt. n.* 10. & ad Concilium Illiberitanum *lib.* 3. *c.* 66. 40

Hinc enim colligendum, de Jure Canonico licitas eſſe ſecundas nuptias & abſque peccato contrahi poſſe ſtatim à morte prioris conjugis. Verùm in eis contrahendis adhuc durant aliqua inconvenientia. Primum eſt intemperantiæ ſignum, præcipuè ſi citò à morte prioris conjugis contahantur. Unde optimè D. Hieronymus *lib.* 1. *Contra Iovinia.* ait: *Quaſdam altero die nuptiarum repudiatas, ſtatim nupſiſſe legimus. Vterque reprehendendus maritus, & cui tam citò diſplicuit, & cui tam citò placuit.* Perturbatio enim adeſt ſeminis: tum dedecus aliquo modo prioris mariti. Secundum inconveniens refertur circa damna, quæ inferuntur filiis prioris matrimonii. Quamobrem leges duo genera pœnarum ſtatuerunt. Aliæ imponuntur mulieri, ſi intra annum luctus ad ſecunda vota tranſierit; & hæ ſunt infamiæ pœna, *ex d. l.* 1. *&* 2. *C. de ſecund. nupt.* tum licèt mulier poſſit in dotem dare omnia ſua bona, *l. Mulier bona, ff de jur. dot. l. Nulla, Cod. eod. tit.* attamen ſi intra annum luctus nubat, non niſi certam partem dare valet, nec ullo teſtamento capere poteſt, nec titulo hæreditatis, legati, vel fideicommiſſi, *Novell.* 22. §. *ſed nemo, &* §. *Quidem*: & omne relictum à primo marito perdit quoad proprietatem & uſum fructum. Cujacius *in Novell.* 2. *&* 22. Scipio Gentilis *de ſecundis nupt. cap.* 17. *&* 18. Alteræ verò pœnæ impoſitæ ſunt etiamſi nubat poſt annum luctus, & ſi non habet filios, tantùm punitur, ut perdat omnia privilegia, & dignitatem, quæ habebat ex priori marito, *l. Fœminæ ff. de Senat. l. tit. C. de bon. maternis, l. Muliere* 9. *ff. de incol. lib.* 11. *l.* 7. *tit.* 2. *part* 4. *l.* 14. 15. *&* 16. *Tauri*, Pichard. *de Nobilit. communicand. nu.* 64. Si autem filios habeat mulier ad ſecundas nuptias tranſiēs, ſi à primo marito aliquid acceperit, ſive per donationem inter vivos, hæreditatem, legata, ſive fideicommiſſa, proprietatem eorum deperdit, & tenetur reſervare filiis prioris conjugis, tantùm uſufructu retento, *l. Fœminæ* 3. *cum ſequent. C. de ſecund. nupt. Novell.* 22. *de Nup.* §. *Si vero, l.* 15. *Tauri*. Quod etiam in caſu admittendum, quo aliqui filii decedāt, viva matre, hi enim ad alios fratres proprietatē 41

tranſ-

transmittent *l. in quibus 7. l. Si quis prioris 8. C. de secundis nupt.* Scipio Gentilis *de secund. nupt. cap. 13. per tot.* Marinis *lib. 2. var. c. 273.* Castillo *lib. 1. controv. cap. 2. & 3.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. disput. 87. & 88.* D. Gonzalez *in d. c. fin. num. 5.*

42 Ex his enim pœnis, aut dispositionibus legalibus, aliquæ impositæ intra annum luctus nubentibus per modum propriæ pœnæ, de Jure Canonico sublatæ sunt, nempe pœnæ infamiæ, quod non possit omnia bona in dotem dare, & quod non capiat ex testamento alicujus : nec in praxi admittuntur, ea potissima ratione; nam ut constat, mortuo viro, mulier nupta est libera à lege prioris viri, nec ullum restat impedimentum dirimens, aut impediens ratione prioris matrimonii. Ergo absque aliqua culpa contrahitur matrimonium secundum, etiam intra annum luctus. Ergo nulla, ut possit imponi aliqua pœna. Ergo cùm id permittatur de Jure Canonico, ex eodem jure sublatæ sunt omnes pœnæ illæ impositæ de Jure Civili.

43 Sed dices, etiam considerato Jure Canonico, durat signum intemperantiæ, & perturbatio seminis, si citò secundæ nuptiæ contrahantur; tum est dedecus prioris viri. Ergo eodem jure debent sustineri. Sed respondetur, quod de Jure Canonico maxima consideratione semper est prospectum, ut Matrimonia libera sint, nec aliquo metu, aut pœna interdicant, *cap. ex litteris 10. cap. Consuluisti 28. cap. Gemma 29. de sponsalibus*. Quapropter ex eodem Jure sublatæ sunt illæ pœnæ positæ de Jure Civil adversùs mulierem contrahere volentem intra annum luctus, licet adhuc durent aliqua inconvenientia, cùm ista minora sint, quàm lædere libertatem ad Matrimonia contrahenda, in quibus non solùm tanta bona spiritualia adsunt, sed etiam temporalia, nempe augmentum boni publici, & totius Reipublicæ; *l. 1. ff. de jur. dot cum vulgat*. Tum etiam perturbatio seminis, quod erat majus inconveniens, est dubium facilis solutionis, quia semper præsumitur sic natum esse filium secundi matrimonii, pro quo stat possessio (quidquid aliqui diversis modis loquentur) ut est doctrina Baldi *in l. Si matre, C. de suis, & legitim. hæred.* Beroius *lib. 6. consil. 162. n. 9. & 13.* Menochius *de præsumpt. lib. 1. præsumpt. 53. n. 19. vers. Declaratur*, Vasquez *lib. 2. disp. 66. c. 8. in init.* Palao *tom. 1. Oper. Moral. tract. 1. disp. 3. punct. 5. num. 7.* Bresserus *de Conscient. lib. 4. cap. 13. nu. 122.* Lugo *de Conscient. 2. part. quæst. 10. num. 58.* Bossius *tom. 1. variar. 2. part. tract. 1. §. 43. num. 1470.* Quapropter Jus Canonicum ex necessaria consequentia libertatis matrimonii has pœnas immediatè impositas mulieri contrahere volent intra annũ luctus, omninò sustulit, tanquam contrarias huic libertati.

44 Sed adhuc instabis, Jus Canonicum tantùm abstulit expresse pœnam infamiæ *in dict. cap. penult. & fin. de secund. nupt.* Ergo alias non abstulit, aliàs eas explicasset, prout hanc pœnam explicuit. Tum non abstulit aliam pœnam, nempe perdendi privilegia prioris mariti, nempe Nobilitatis: Ergo signum gravissimum est, non abstulisse nisi pœnam infamiæ. Sed ad primam instantiam respondetur, jura illa non solùm comprehendere pœnam infamiæ, sed alias etiam pœnas impositas à lege civili nubentibus intra annũ luctus; loquuntur enim verbis universalibus, & indefinitis, & sumunt argumentum à doctrina Apostoli hanc licentiam concedentis à morte viri, ut pœnam legalis infamiæ tollant, & consequenter auferant onus aliarum pœnarum hanc libertatem interdicentium, prout ex illis juribus deducunt Covarruvias *in 4. 2. p. c. 3. §. 9. n. 5.* Mathienzo *in l. 3. tit. 1. lib. 5. Recopilat. gloss. 1. n. 5.* Guttierrez *de Matrimonio, c. 108. n. 2.* Gregorius *in l. 3. tit. 12. par. 4. verbo Fasta un anno.* Marinjs *dict. cap. 273. num. 22.* Et ratio clara est, nam est eadem ratio aliarum pœnarum, sicut pœnæ infamiæ, propter libertatem secundarum nuptiarum. Ergo sicut jura illa tollunt infamiæ pœnam, similiter etiam alias pœnas, ut ratiocinatur nuperrimè allegati.

45 Ad instantiam secundam respondetur, mulierem transeuntem ad secundas nuptias amittere privilegia prioris mariti, veluti nobilitati, sive intra annum luctus nubat, sive post, ut constat ex juribus adductis *nu. 37. l. 9. tit. 11. lib. 2. Recopilat.* ubi Azevedus *n. 6.* Verùm id non fit ratione pœnæ, sed quia similia privilegia à Jure conceduntur propter matrimonium præcedens: quapropter illo cessante, necessariò debent cessare similia privilegia ex communi regula, Cessante causa, cessat effectus, *l. Athletæ, §. 1. l. Idem Vlpianus, ff. de excusat. tut. l. Titia Seio, §. Vsuras, ff. de legat. 1.* Tiraquellus *in tract. Cessante causa, 1. p. num. 203.* Ergo nihil mirum, si muliere transeunte ad secunda vota, privilegia similia amittantur, *cap. Ex parte 13. de for. competent.* ubi Felinus, Abbas, & Barbatia, Garronius *ad rub. de secund. nupt. tit. de pœn secund. nub. pœna 4.* Pichard. *de Nobilit. communicanda, à num. 65.* Garcia *de Nobilit. gloss. 35. num. 40.* Bobadilla *in Polit. lib. 2. cap. 16. num. 225.* Cyriacus *controv. 378* Pareia *de edit. instrument. tit. 2. resolut. 6. specie 6.* Salzedo *in Theat. hon. gloss. 51.*

De aliis pœnis impositis etiam post annum luctus, jam 46
dictum est mulieres amittere privilegia prioris viri; quoad alteram verò perdendi proprietatem rerum à priori marito relictarum, eam minimè sublatam esse asserendum, quin potiùs semper durare, & in praxi haberi; ratio enim communiter adducitur ob injuriam, quam mulier infert filiis prioris matrimonii, viroque priori, *Authent. de Nuptiis, §. Si autem, vers. Nos autem, Authent. de non eligendo secund. nub. §. Prospeximus.* Verùm eam rationem rejicit Sarmiento *lib. 1. select. cap. 4. n. 3.* & aliam præstat, nempe quod æquitas naturalis petit, ut bona illa, quæ sudore, & labore prioris viri lucrata sunt, suis filiis reserventur, nec transeant ad filios, & filias alterius. Valenzuela *cons. 13. nu. 20.* Sed tamen Sanchez *d. lib. 7. disput. 89. num. 2.* Guttierrez *dict. cap. 108. num. 5.* Castillo *dict. lib. 1. cap. 2. nu. 86.* asserunt, hanc solam rationem non esse sufficientem; nam si mulier aliqua bona lucrata fuerit à posteriori conjuge, si tamen ad tertias nuptias non transierit, adhuc liberè potest de eis disponere inter filios prioris matrimonii, licèt lucrata fuerint sudore, & labore secundi viri: Ergo similiter est dicendum de sudore, & labore prioris viri, & consequenter hæc ratio non erit sufficiens, nisi ex injuria prioris conjugis stabiliatur.

Sed tamen utraque ratio mihi non placet; nam sola injuria 47
prioris mariti, & filiorum, licèt de Jure Civili validum esset fundamentum, ut probant jura supra recensita, quorum verba dat Sanchez *dict. num. 2* non tamen est solidum de Jure Canonico, cui in hac specie standum est; nam cùm de Jure Canonico liberum sit cuique transire ad secundas nuptios priori conjuge mortuo, transeuntes minimè alteri faciunt injuriam, ob vulgarem regulam, *Qui utitur jure suo, nemini irrogat injuriam.* Tum etiam, quia si pater transierit ad secundas nuptias, tenetur reservare filiis prioris matrimonii quidquid ex titulo lucrativo à sua conjuge acquisierit, *l. Generaliter 5. Cod. de secund. nupt. l. 15. Tauri*, ubi Gomez *num. 4. l. 4. tit. 1. lib. 5. recopilat.* Garcia *de coniug. acquæst. num. 9* Farinacius *in frag. crimin. 2. p. lit. M, num. 405.* Marinis *dict. cap. 273. num. 4* Guttierrez *dict. cap. 108. n. 17.* Castillo *dict. lib. 1 cap. 2. n. 14.* qui tamen transeundo ad secundas nuptias, nullam injuriam inferre uxori videtur; quia ad tam arctam obligationem pudicitiæ non adstringitur, sicut uxor. Capponi *tom. 3. discept. 194. num. 24.* Ergo illa ratio injuriæ factæ priori viro non est sufficiens, ut mulier teneatur ad reservandam proprietatem bonorum acquisitorum lucrativè à priori marito filiis illius matrimonii. Denique si ratio Sanchez, & aliorum esset vera, hæc reservatio esset propriè pœna imposita mulieri secundò nubenti, quod est improbatum de Jure Canonico, quod insequitur nostra lex 3. *tit. 1. lib. 5. Recopilat.* Cevallos *quæst. 743. num. 4.* Ergo dicendum, non ob injuriam factam priori marito & filiis, hanc reservationem fieri.

Ratio verò Sarmienti sufficienter improbatur à Sanchez; 48
quapropter asserendum, alteram esse rationem, nempe quia hæc est conditio legalis imposita ipso jure in ipsa institutione, legato, seu fideicommisso relicto superstiti conjugi, nempe ut si transierit ad secunda vota, proprietatem amittat, & tantùm usumfructum percipiat rerum lucrativè acquisitarum à priori conjuge, idque favore filiorum prioris matrimonii, ne si libera dispositio illorum bonorum superstiti conjugi relinquatur amore secundi mariti, & aliorum filiorum, eos bonis illis privet per donationem, aut meliorationem factam secundo marito, aut ejus filiis, unde alteri detrimentum percipiant: quapropter in ipsis institutionibus, legatis, aut fideicommissis, ex dispositione legali hæc quasi conditio imposita est. Et confirmatur, nam si vir, aut conjux superstiti dederit licentiam, ut transeat ad secunda vota, aut filii prioris matrimonii concesserint hanc facultatem, sive matri, sive patri, tunc non

tene-

tenetur transiens ad secunda vota reservare hanc proprietatem, sed integro jure eam acquirit, *Authent. de non eligendo secund. nub. collat. 1. in principio*, ubi Glossa *verbo Copulantur*. Gomez *in dict. l. 15. Tauri, n. 6.* Azevedus *in l. 4. tit. 1 lib. 5. n. 36.* Fachineus *lib. 3. controvers. cap. 65. in principio*, Gailus *lib. 2. observat. 98. num. 18.* Guttierrez *dict. cap. 108. à num. 5.* Castillo *lib. 1. controvers. cap. 2. num. 85.* Marinis *dict. cap. 273. num. 26.* Sanchez *dict. disput. 89. num. 43.* Ergo conditio ista est legalis, posita in ipsa institutione, legato, vel fideicommisso, quam potest remittere, aut ipse maritus, aut filii illius, qui omnes quasi contraxerunt, aut per testamenti factionem, aut per aditionem hæreditatis.

49 Unde sequitur, hanc reservationem proprietatis filiis prioris matrimonii non esse propriè pœnam, sed dispositionem legalem in favorem filiorum, quæ minimè est sublata per Jus Canonicum, ut communiter tenent DD. Et ratio clara est ex dictis, nam hæc non est pœna, & licèt aliæ pœnæ sint à Jure Canonico correctæ, interdicentes, aut impedientes secundas nuptias; attamen nunquam interdixit illas dispositiones legales, favorem filiorum prospicientes, licèt per accidens differantur secundæ nuptiæ, quia lex tantùm directè respicit filiorum prioris matrimonii utilitatem. Guttierrez *Pract. lib. 2. quæst. 45. num. 5.* Mathienzo *in dict. l. 3. gloss. 2. num. 2.* Ponte *cons. 9. nu. 62. & 63.* Anton. Faber *decis. 1. Cod. de secund. nupt.* Marinis *d. cap. 273. n. 21.* Castillo *d. lib. 1. cap. 2. n. 16.* Valenzuela *cons. 13. num. 15.*

50 Sed dices, hujus pœnæ impositio non pendet à voluntate prioris mariti, nec filiorum, sed solùm à dispositione legali ob injuriam factam marito, cujus anima contristatur de secundis nuptiis, *Authent. de nuptiis, §. Quia verò*. Castillo *dict. cap. 2. num. 87.* Ergo nec valet intelligi de aliqua conditione imposita à jure favore liberorum prioris matrimonii. Et confirmatur, nam etiamsi prior maritus dederit licentiam uxori, ut secundò nubat, si tamen intra annum luctus matrimonium contrahat, pœna ista non liberatur. Benedictus *in cap. Raynutius, verbo Qui cum alia contrahit, num 207.* Burlatus *lib. 1. cons. 12. num. 41.* Mathienzo *dict. gloss 2. num 43.* Mysingerus *cent. 5. observat. 14. n. 17.* Prætis *de interpret. lib. 4. dub. 10. nu. 118.* Ergo hæc pœna imposita est independenter à marito & filiis, & non per modum conditionis inhærentis ipsi contractui, remissibilis ab ipso marito, vel filiis.

51 Sed respondetur negando esse hanc dispositionem legalem pœnam, sed tantùm conditionem inhærentem favori filiorum in ipsa institutione, legato, seu fideicommisso, vel donatione. Ad confirmationem dicendum, doctrinam illam procedere, non quia maritus non possit dare istam licentiam, ut mulier integrè proprietatem acquirat absque aliqua reservatione; sed quia quando maritus simpliciter dat hanc facultatem uxori, ut transeat ad secunda vota, non intelligitur data ad primum annum luctus, ut optimè docet Glossa *in Auth. de nupt. §. Vnum itaque, verbo Si vir*, Baldus *in l. 1. Cod. de secund. nuptiis*, Benedictus *in dict. num. 207. ad fin.* non autem quod non pendeat ab ejus voluntate illã dispositionem remittere, si vellet, id exprimens in anno luctus. Unde constat, ob hanc rationem, nempe conditionis inhærentis in ipsa institutione, legato, seu fideicommisso, vel donatione, mulierem transeuntem ad secunda vota teneri reservare proprietatem bonorum ad filios prioris matrimonii, nec hanc dispositionem sublatam esse a Jure Canonico. Barbosa *in c. fin. de secundis nuptiis, n. 2.*

52 Est tamen aliquod dubium, an mulier intra annum luctus transiens ad secundas nuptias, vestes lugubres, & lectum quotidianum mariti teneatur restituere hæredibus mariti? Et negandum videtur, nam quælibet pœnæ positæ intra annum luctus, ne mulier transeat ad secunda vota, abolitæ sunt de Jure Canonico; Ergo similiter hæc pœna perdendi vestes lugubres, & lectum quotidianum. Cæterùm non perdit lucra acquisita, ex pacto, vel consuetudine, ex primo matrimonio, quoad proprietatem, & quoad usumfructum. Palacios Rubios *in l. 14. Tauri num. 5.* Cifuentes *ibidem, num. 1.* Azevedus *in l. 6. tit. 9. lib. 5. num. 1.* Guttierrez *de Matrim. cap. 108. num. 41.* Sanchez *dict. lib. 7. disput. 89. num. 29.* Ergo similiter hæc lucra vestium lugubrium, & quotidiani lecti, cùm data sint propter servitium, laborem prioris mariti. Sic tenet Barbosa *in l. Quædotis, ff. solut. matrimon. n. 34. & 82.*

Sed tamen contrarium tenent Doctores communiter, 53
quia vestes illę, & lectus quotidianus, dantur solùm ad usum viduitatis: Ergo transiens ad secundas nuptias, utique tenebitur mulier hæredibus restituere. Quesada *var. quæst. 25. num ult.* Padilla *in l. Fideicommissum, Cod. de fideicommis. num. 12.* Azevedus *in l. 3. tit. 1. lib. 5. Recopilat. num. 8.* Guttierrez *in dict. cap 108. n. 19. & 20.* Sanchez *de Matrim. dict. lib. 7. disput. 87. à num. 41.* Spino *de testament. gloss. 14. num. 107.* Cancerius *var. 1. part. cap. 9. num. 64.*

In hoc dubio duo casus sunt distinguendi. Primus, quan- 54
do nulla esset consuetudo, seu statutum, ut hæ vestes lugubres, aut lectus quotidianus præstentur. Secundus, quando adesset. Quoad primum, si nulla esset consuetudo, vel lex præbens has vestes lugubres, & lectum quotidianum viduæ, verùm hæres præstiterit, tunc (ut aliqui dicunt) donasse videtur; quapropter si vidua transierit ad secundas nuptias, adhuc retinebit, nec hæres repetere poterit; non enim est aliqua causa, ut revocetur donatio, *l. Perfecta donatio, Cod. de revocand. donat.* Vel erit distinguendum, quando vestes illæ, vel lectus quotidianus fuerint pretiosæ & tunc non intelligentur donatæ res illæ: secus si viles, quapropter has non tenebitur vidua transiens ad secunda vota restituere; secus verò si pretiosæ essent, ut cum Barbosa explicat Sanchez *d. disput. 87. num. 31.* Siguenza *de clausulis, lib. 2. cap. 11. §. 27. num. 185.* Garcia *de Expens. cap. 8. num. 38.* Sed adhuc quando fuerint viles, existimo esse hæredi restituendas, si intra annum luctus transierit ad secunda vota; vestes enim lugubres, & lectus quotidianus, eo animo datus videtur, ut per annum luctus honoraret defunctum maritum, & lugeret: quapropter cùm mulier ex parte sua non adimpleat finem, ad quem datæ sunt, tenebitur restituere, non enim donatio illa progredi valet extra intentionem donantis, & accipientis, *l. Non omnis 19. de rebus credit. cum vulgat.* Rota apud Seraphinum *decis 890. n. 2.* Gratianus *discept. tom. 5. cap. 948. num. 38.* Riccius *1. par. decis. 75. num. 22.* Tum etiam, quia donatio nunquam præsumitur, *leg. Cùm de indebito 25. §. Si verò, de probat. l. fin. C. de novat.* Mena *var. lib. 1. quæst. 23. num. 90.* Sesse *decis. 182. n. 6.* Menochius *de Arbitrariis, cent. 1. casu 88. per tot.* Quapropter intelligendum, vestes illas, & lectum quotidianum datum esse ad usum, ut lugeat, & honoret defunctum maritum, non verò per propriam donationem; & perfectam, ut sibi retineat, licèt ad secundas nuptias transeat: neque aliud perit causa illa lugendi, & honorandi primum maritum, ut benè docet Barbosa *in d. l. Quæ dotis, num. 82.*

Si tamen adsit consuetudo, vel lex præcipiens, ut vestes 55
lugubres, & lectus, quotidianus viduæ præstetur, ut in nostra Castella est lex 6. *tit. 6. lib. 3. fori*, ubi præcipitur, lectum quotidianum viduæ præstari; asserendum videtur, quod licèt transeat vidua ad secunda vota intra annum luctus, minimè restituere tenebitur; quia cùm per consuetudinem, vel legem sic receptam, hæres teneatur illa præstare, & præstando suam obligationem adimpleverit, non potest repetere, nec mulier tenebitur restituere, *l. Si quis pro uxore 22. ff. de donat. inter, l. penult. ff. de impensis, &c.* Tum etiam, quia consuetudines istæ, vel leges, simpliciter præcipiunt, ut hæ vestes, vel lectus quotidianus viduis præstentur, absque aliqua conditione, nec expressa, vel tacita: quapropter etiamsi intra annum luctus mulier transeat ad secunda vota, hæres non repetet, *l. Si repetendi 7. Cod. de condict. ob causam.* Tenet Barbosa *in dict. l. Quæ dotis, n 82. in medio.*

Sed in contrarium est communis sententia relata suprà, 56
num. 49. Quapropter dico, in hac specie prospiciendam esse consuetudinem cujuscumque loci; in aliquibus enim partibus semel concessis vestibus funeralibus, & lecto quotidiano, ampliùs hæredes de illis non curant; signum quidem non parum efficax affirmandi, consuetudinem illam introduxisse puram donationem irrevocabilem, ut censebat Barbosa, etiamsi mulieres intra annũ luctus transierint ad secunda vota: in aliis verò ditionibus repetitur lectus quotidianus, non verò vestes lugubres, prout aliquando vidi, & in hoc observatur ad litteram textus *in l. 6. tit. 6. lib. 3. fori*, ibi: *Si el marido, ò la muger muriere, el lecho, que haviam quotidiano, finque al vivo, è si se casare, tornelo à particion con los hærederos*. Et denique aliquando vestes, & lectus quotidianus restituuntur, quod quidem

obser-

obſervandum prout in conſuetudinibus notatum ad fuerit, qua in re multùm valent. Guttierrez *Pract. lib.2. quæſt. 95. num. fin.* Queſada *var. lib.1. c.18. ad fin.*

57 Si tamen conſuetudo, vel lex ſit dandi has veſtes lugubres, & lectum quotidianum, non tamen ſe extendat ad aliquem certum modum reſtituendi, nec conſtet de conſuetudine non reſtituendi, amplector communem ſententiam relatam *num.*37. quia non intelligitur pura donatio, ſed tantùm cenſentur datæ; & traditæ quoad vidua fuerit, & fictè videtur adeſſe donatio in primo matrimonio, *l. fin. C. de bon. matern.* Garronius *in rub. de ſecund. nupt. n.*22. Covar. *in* 4. 2. *p. c.*3. §. 1. *nu.*11. Ergo tranſeundo ad ſecundas nuptias intra annum luctus, tenebitur eas reſtituere, & lectum quotidianum. Tum etiam probatur ex doctrina Julii Capponi *d. diſcept.*194. *num.*13. Marinis *dict. c.*273. *num.*23. probantium antefatum perdere mulierem viduam intra annum luctus nubentem. Quod quidem variis rationibus probat Capponi, verùm ea potiſſima eſt, quia in honorem primi matrimonii conceditur, qui cùm ceſſet per ſecunda vota, inde eſt, ut rectè à muliere auferatur. Ergo ſimiliter dicendum eſt in hac ſpecie, cùm veſtes, & lectus quotidianus propter eundem honorem concedatur.

58 Illud verò obſervandum, ut quando lectulus quotidianus eſt reſtituendus, id ſit intelligendum ſecundum deciſionem textus *in l.*15. *Tauri*, id eſt, ut mulier donec vivat, illo utatur; æſtimatio verò illius reſervanda eſt poſt ejus mortem, ut filiis primi matrimonii, aut hæredibus reſtituatur. Caſtillo *in d. l.*15. *Tauri*, *in principio*, *verſ. Poteſt etiam*. Siguenza *de clauſulis*, *lib.2. c.*11. §. 28. *n.*188. Sanchez *d. diſp.*87. *n.*32. *ad finem*.

59 Deinde diſquirendum, an ſi mulier intra annum luctus tranſierit ad ſecunda vota, privetur alimentis ab hærede præſtandis, donec dos ſibi reſtituatur? Qua in re illud prætermittendum, à morte viri dotem reſtituendam eſſe, ſi in rebus immobilibus conſiſtat: ſi tamen adſint res mobiles, & immobiles; immobiles ſtatim ſunt reſtituendæ, mobiles verò poſt annum; prout etiam quando dos in rebus mobilibus tota conſiſteret, *l. unica*, §. *Exactio*, *Cod. de rei uxor. act. l.*31. *tit.*11. *p.*4. Joſeph Ludoviſius *in communib. opinion. concluſ.*56. Gomez *in l.*50. *Tauri*, *nu.*46. Connanus *lib.*8. *comment. cap.*10. Caſtillo *lib.*8. *cap.*49. *num.*4. Eſt tamen dubium; an per annum illum hæredes teneantur alimenta præſtare, quod in puncto juris aliqui negarunt. Capycius *dec.*24. *per tot.* Diez *regul.*481. Villalobos *in communib. opin. lit. H, nu.*19. Rolandus à Valle *lib.2. conſ.*55. *in diſcurſu*. Sed in meliori ſententia, & æquiori contrarium eſt dicendum; ob ratione, quas præſtat Gomez *in dict. l.*50. *Tauri*, *n.*48. *verſ. Sed his non obſtantibus*. Quod quidem intelligendum, ſi mulier pauper ſit, nec habeat unde alimenta percipiat, ut explicat ipſe Gomez nuperrimè allegatus. Craſſus *tom.2. comm. opin. lib.1. c.6. quæſit.*47. Farinacius *in repert. de contractib. quæſt.*34. *à num.*19. Surdus *de aliment. tit.1. quæſt.*44. *à num.*1. Barboſa *in l.2. ff. ſolut. matrim. à n.*17. & latè per Caſtillum *dict. lib.*8. *c.*49. *per tot.* Barboſa *in dict. leg. unica*, *n.*44. Boſſius *de aliment. cap.*14. §. 5. *à n.*868.

60 Hinc orta eſt difficultas, an mulier tranſiens ad ſecunda vota intra annum luctus, perdat hæc alimenta? Et negandum videtur, nam iſta alimenta ſunt debita ipſi mulieri ob dotis retentionem in rebus mobilibus, cui annexum eſt onus ſuorum alimentorum, *l. Si cùm dotem* 22. §. *Sin autem in ſæviſſimo*, *ff. ſolut. matrim.* Myſingerus *cent.1. obſervat.*65. quidquid enim debetur ex juſtitia, mulieri non aufertur, ſed tamquam ſuum ſuſcipit, etiamſi intra annum luctus tranſierit ad ſecunda vota, ut ſi ei dos deberetur, vel lucra conſtante matrimonio acquiſita, quia parta ſunt, ex contractu ſocietatis, & ex utriuſque conjugis labore. Covarruv. *in.*4. 2. *part. c.*3. §. 9. *num.*8. Azevedus *in l.6. tit.*9. *lib.*5. *Recopilat. n.*1. & ibi etiam Mathienzo *gloſſ.*2. *num.*2. Sanchez *dict. diſput.*89. *num.*29. & arrhæ quæ datæ ſunt à marito ob præmium virginitatis, vel nobilitatis. Guttierrez *de matrimon. c* 108. *à num.*37. Caſtillo *dict. lib.1. cap.*2. *num.*29. prout etiam alia, quæ ex titulo oneroſo ei debentur, Guttierrez *dict. cap.*108. *num.*42. & latiſſimè Sanchez *dict. diſput.*89. Ergo ſimiliter hæc alimenta, cùm ei debeantur ratione juſtitiæ ob dotis dilatam ſolutionem. Et confirmatur, nam dos ſoluto matrimonio habeat eadem privilegia, prout ſi adhuc matrimonium conſtaret, *l. Etiam*, *ff. de fund. dot.* Ergo ſi maritus ob dotis retentionem tenetur mulierem alere, ſimiliter ejus hæres, donec dotem reſtituat, etiamſi intra annum luctus tranſeat ad ſecunda vota cum marito divite, ut cum aliquibus docet Boſſis *de Dote*, *cap.* 20. *num.*90.

Sed in contrarium eſt communis ſententia, nempe ſi mulier intra annum luctus ad ſecunda vota tranſierit, hæc alimenta perdere. Et ratio eſt, quia hæredes tenentur hæc alimenta præſtare, quia mulier pauper eſt. Cùm ergo ad ſecunda vota tranſierit, jam ceſſat ratio horum alimentorum; nam ali debet à ſecundo marito? Ergo ſi intra annum luctus ad ſecundas nuptias tranſierit, ex tunc alimenta ei non ſunt præſtanda. Excipit tamen iſta ſententia, ſi ſecundus maritus pauper etiam fuerit: nam tunc ratio alimentorum non ceſſat. Azevedus *in dict. leg.*3. *tit.1. lib.*5. *Recopilat. num.*7. Surdus *de aliment. tit.*7. *quæſt.*22. *nu.*9. Mathienzo *in dict. leg.*3. *gloſſ.*2. *n.*34. Guttierrez *d. cap.*108. *n.*18. Cancerius *var.1. part. cap.*9. *nu.*65. Molina *de Iuſt. tract.2. diſput.*322. *verſ. Interim dum uxor*, Sanchez *d. lib.* 7. *diſput.*87. *n.*30. 61

In hoc dubio dico, hanc ſententiam communem admittendam eſſe, ſed animadvertendum ex duobus principiis à Doctoribus defendi, quia aliqui dicunt hæc alimenta perdere mulierem pauperem ob pœnam, quia injuriam facit priori matrimonio. Notavit Alex. *vol.2. conſ.*20. Cancerius *d. c.*9. *num.*65. Verùm hic modus defendendi ſolidus non eſt; nam ut ſuprà probatum eſt, omnes pœnæ impoſitæ a Jure adverſus mulierem tranſeuntem ad ſecunda vota, ſublatæ ſunt de Jure Canonico, & ſic in praxi admiſſum: quapropter ob rationem pœnæ nequit defendi opinio iſta communis. 62

Alteri etiam eam defendunt ob ſolam paupertatem mulieris, & quandam juris æquitatem, ut hæres, qui retinet dotem mulieris, interim eam alat, maximè cùm toto illo tempore fructus ad maritum, aut ejus hæredes pertineant. Barboſa *in l.2. ff. ſolut. matrim.1. p. à n.*5. Caſtillo *d. lib* 8. *c.*49. *n.*6. Barboſa *in d. l. unica*, *n.*45. quamobrem hæredes mariti ad ejus alimenta tenebuntur; inquiunt tamen hanc æquitatem ceſſare, ſi ad ſecundas nuptias intra annum luctus tranſierit. Hic ſecundus modus defendendi hanc opinionem graviſſimam difficultatem percipit ex rationibus conſideratis *n.*56. quæ probant de rigore juris hæc alimenta deberi, tamquam onera præciſa illius dotis: quas ad id expendit Gomez *in d. l.*50. *n.*48. *verſ. His non obſtantibus*. Unde ſequitur, tamquam proprium debitum ſecum ferre poſſe mulierem ad ſecundas nuptias, etiamſi intra annum luctus ſecundum matrimonium contraxerit. 63

Sed tamen aſſerendum, rationes illas non probare efficaciter alimenta iſta intra annum reſtitutionis dotis de rigore juris deberi; hoc enim negarunt plures recenſiti à Farinac. *d. quæſt.*34. *nu.*19. & ſuprà, *nu.*55. & quamvis mulier vidua durare videatur in primo matrimonio, *l. fin Cod. de bonis matern.* non tamen quoad hanc partem alimentorum, & alia onera, quibus tenebatur maritus, eo durante, ſed tantùm quando realiter exiſtit, *l. Pro oneribus* 8. *de jur. dot. l. Si cùm dotem* 22. §. *Sin autem*, *ff. ſolut. matr. l. Aſſiduis*, *Cod. Qui pot. in pign. habeantur*. Valaſcus *conſ.*84. *n.*2. Giurba *ad conſuet. Meſſan. c.*3. *gloſſ.*5. 1. *part. num.* 11. quapropter ſummæ æquitate introductum eſt, ut mulier pauper, non habens unde alatur, alimenta percipiat ab hæredibus dotem in rebus mobilibus detinentibus, & fructus, & lucra earum percipientibus. Idque licèt aliquo jure humano non induceretur, ratio ipſa naturalis dictat, pauperem mulierem ab hæredibus eſſe alendam, ut latè ratiocinatur Surdus *de aliment. tit.1. quæſt.*45. *n.*55. Mareſcotus *var. lib.2. c.*83. *n.*46. Unde ſequitur, alimenta illa eſſe ei tribuenda, donec dos illius per annum ab hærede detinetur, ſi pauper ſit; perdere tamen, ſi ad ſecunda vota tranſierit cum marito divite, ut poſſit eam alere; quia non ut debitum de rigore juris præſtantur, ſed tantùm ſecundùm æquitatem, donec non habeat unde alatur: quapropter ſi maritus dives ſit, ea perdet, ſecus ſi pauper, cùm adhuc inſtet eadem neceſſitas, & æquitas, ut tradunt relati *n.*57. 64

Et probatur magis; nam reſtitutio dotis in immobilibus facienda eſt ſtatim, poſt annum verò in mobilibus, exploſa annua, bima. trima die, *d. leg. unic.* §. *Exactio*, *Cod. de rei uxor. act.* Idque ob varias rationes ſtatutum eſt, aſt potiſſimùm ob miſerationis cauſam, cùm bona mobilia ſint difficilioris præſtationis, ut latè per Barboſ. 65

in d.l 2. ff. ſolut. matr. in principio, *num.* 2. Ant. Fab. *definit.* 5. *Cod. de rei uxor. act.* Gomez *in l.* 50. *Tauri*, *nu* 46. Fontanella *de pact. nupt. clauſula* 7. *gloſs.* 4. *part.* 11. *num.* 2. Boſſius *de dot. cap.* 19. §. 2. *nu.* 11. *verſ. Ratio*. Unde ſequitur, per hoc beneficium hæredes mariti in anno illo ad nihil teneri, cùm juſtè retineat illa bona; idcircò ſi mulier pauper fuerit, ex quadam æquitate conſtringuntur ad alimenta præſtanda: ſi tamen ad ſecunda vota tranſierit cum marito divite, æquitas iſta ceſſat, & tunc jam eſt extra familiam primi mariti; nec durat fictè matrimonium, niſi quando intra annum luctus non nubit, ſecus ſi nubat, ait optimè Barboſ. *in d. l. unic. C. de rei uxor. act. nu.* 46. Unde nulla reſtat ratio, ut hæc alimenta percipere poſſit, ſi intra annum luctus ad ſecunda vota tranſierit cum marito divite, ut rectè concedit communis ſententia.

66 Aliqui tamen Doctores adhuc aſſerunt, maritum divitem, viduam in uxorem accipientem intra annum luctus, licèt alimenta illius percipere non poſſit, poſſe tamen petere intereſſe ob retardatam ſolutionem dotis, *ex cap. Salubriter* 16. *de uſuris*. Verùm Sanchez *dict. diſp.* 87. *num.* 30. horum Doctorum ſententiam reprobat; nam hæredes primi mariti tantùm tenentur ad intereſſe dotis, quando ſunt in mora non reſtituendi dotem tempore à lege deſignato; quam non habent, ſi intra annum luctus non reſtituant in rebus mobilibus, ut probatum eſt. Ergo nec ſecundus maritus poterit intereſſe dotis petere. Et confirmatur, nam in meliori ſententia, in aliis debitis tantùm debere intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis, quando debitor culpabiliter eſt moroſus poſt tempus deſtinatæ ſolutionis. Valaſco *conſult.* 8. *num.* 4. Covar. *var. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 3. *verſ.* 6. Cyriacus *controv.* 502. Barboſa *lib.* 2. *vot.* 63. *num.* 6 Carleval *de judiciis*, *tit.* 3. *diſput.* 8. *num.* 5. quod ita certum, ut nec pactum valeat, ut intereſſe ſolvatur, niſi debitor fuiſſet moroſus, ut cum Alex. & Rota tenet Barboſa *dict. vot.* 63 *nu.* 4. Cùm ergo in ſpecie intra annum luctus hæres moroſus non ſit reſtituendi dotem in rebus mobilibus: Ergo ex eodem tempore nullum intereſſe percipere valet, ut tenet etiam Boſſius *de dot. cap.* 20. *n.* 85. Caſtillo *d. lib.* 8. *cap.* 49. *nu.* 15.

67 Hæc ſententia abſolutè loquendo admittenda eſt. Verùm in aliquibus caſibus tenenda eſt doctrina aliorum Doctorum, aſſerentium intra annum luctus petere poſſe ſecundum maritum intereſſe dotis ob retardatam ſolutionem, non ſolùm quando dos conſtituta eſt in rebus immobilibus, quæ ſtatim à morte mariti ſunt tradendæ; & ſi hæredes interpellati, & requiſiti, ſtatim non tradant, culpabiliter moroſi exiſtunt: ſed etiam quando in rebus mobilibus extaret. Itaque duobus caſibus, nempè ſi tempore contracti matrimonii conventum fuerit inter conjuges, ut dos reſtitueretur à tempore ſoluti matrimonii abſque aliqua retardatione, vel ſi maritus dotem mulieri legaverit; tunc enim dos ſtatim eſt reſtituenda, nec annus luctus expectandus eſt, ut tradunt plures relati, & ſequuti à Caſtillo *dict. cap.* 49. *n.* 8. & 9. quibus quidem caſibus cùm ſtatim reſtitutio dotis etiam in mobilibus facienda ſit, hæredes non reſtituentes moroſi eſſe poſſunt, quapropter ſecundus maritus ob retardatam ſolutionem poterit petere dotis intereſſe.

68 Sed dices cum aliquorum ſententia, etiam poſt annum, licèt hæres moroſus ſit, & interpellatus à muliere, & factæ ſint omnes diligentiæ, nequit mulier propter retardatam ſolutionem dotis aliquod intereſſe percipere, quia eſſet uſura. Quod probatur, nam licèt *in dict. l. unica*, § *Exactio*, *Cod. de rei uxor. act.* uſuræ dotis concedantur, retardata ſolutione, id intelligendum de Jure Civili, ex quo ſimiles uſuræ permittebantur, non verò ex Jure Canonico, ubi reprobantur. Tum textus *in dict. cap. Salubriter*, eſt intelligendus reſpectu mariti ſuſſerentis onera matrimonii, non verò reſpectu mulieris, eo jam ſoluto: Ergo non eſt ratio, unde mulier percipiat aliquod intereſſe, ut tradunt Covarruv. *dict. lib.* 2. *capit.* 1. *numer.* 3. *verſ. Sextò*, Rodulphus *tract. de uſuris*, *quæſt.* 52. Gratianus *diſcept. forenſ. tom.* 3. *cap.* 247. *à num.* 11. Hermoſilla *ad leg.* 10. *tit.* 1. *part.* 5. *num.* 213. Caſtillo *dict. lib.* 8. *cap.* 49. *à num.* 28. Ergo in præſentiarum maritus ſecundus nihil poterit petere, nec intereſſe, neque aliquid prætextu alimentorum. Caſtillo *d. cap.* 49. *num.* 35.

69 Sed ad hanc inſtantiam dicendum, mulierem, ſeu ejus maritum, tempore deſtinatæ ſolutionis dotis, anno tranſacto, adeſſe debere, aut procuratorem conſtituere ad percipiendam ſolutionem, aliàs non committitur mora, nec hæredes debitores tenentur ad aliquod intereſſe, *l. Pecuniæ* 9. §. *Uſurarum*, *verſ. Si tamen*, *ff. de uſuris*, ubi ſic eleganter Conſultus: *Si tamen poſt mortem creditoris nemo fuit*, *cui pecunia ſolveretur ejus temporis*, *inculpatam eſſe moram conſtitit*. Covar. *Pract. cap.* 10. *num.* 4. Mohedanus *deciſ.* 15. aliàs 307. *tit. de locat.* Barzius *dec.* 111. *num.* 8. Gratianus *diſcept. tom.* 1. *cap.* 42. *num.* 12. & 21. Attamen ſi mulier, aut ejus maritus per ſe inſtet, aut procuratorem conſtituat ad dotem repetendam, tunc eſt dubium, an hæredes mariti ad intereſſe teneantur, tanquam culpabiliter in mora conſtituti? Negarunt relati *num. antecedent.* Sed affirmarunt quamplurimi. Surdus latè *de aliment. tit.* 1. *quæſt.* 45. *à num.* 7. Valaſcus *conſult.* 8. *n.* 48. Vincentius de Franchis *deciſ.* 217. *num.* 4. Amato *reſolut.* 49. *num.* 84. Barboſa *in leg.* 2. *ff. ſolut. matr. in princip.* 1. *part. num.* 45. & 48. Collerius *de alimentis*, *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 16. Unde in hac ſententia ad inſtantiam facillimè reſpondetur.

Verùm hæc doctrina indiget explicatione, quia confuſè à Doctoribus tractatur. Quapropter dico, difficultatem 70
non eſſe, quando dos habuiſſet bona, ſive immobilia, ſive mobilia, fructus producentia; tunc enim à tempore moræ fructus iſti debentur mulieri: quod quidem extenditur non ſolùm ad res immobiles fructiferas, verùm ad cenſus, vel ad alias penſiones annuales, *l. Divortio* 8. §. *Non ſolùm*, *ff. ſolut. matrim.* Mantica *de tacit. lib.* 12. *tit.* 31. *n.* 8. Gomez *in l.* 50. *Tauri*, *n um.* 47. Gratianus *tom.* 4. *cap.* 610. *à num.* 14. Molina *de Juſt. tract.* 2. *diſput.* 322. *num.* 3. Quod quidem intelligendum eſt, etiamſi alimenta mulieri præſtiterint; tenebitur tamen poſteà mulier expenſas illas alimentorum hæredibus ſatisfacere, aut ipſi hæredes retinere poterunt. Mantica *dict. tit.* 31. *num.* 10. Hodierna *ad Surdum deciſ.* 211. *à nu.* 1. Gratianus *d. cap.* 610. *n.* 19. Unde in hoc caſu dubium non eſt; tenentur enim hæredes fructus illos tradere, aut eorum intereſſe, ſi illos conſumpſerint, ut latè proſequitur Boſſius *de dot. d. cap.* 20. *à nu.* 105.

Eſt verò difficultas quando poſt annum luctus dos eſt re- 71
ſtituenda in pecunia, aut in rebus mobilibus, per ſe nullos fructus producentibus: quo quidem caſu intelligendæ ſunt duæ opiniones recenſitæ *nu.* 63. & 64. Sed dicendum, duas illas opiniones non eſſe contrarias, verùm in unam coaleſcere; ſententia enim affirmans intereſſe deberi ex mora culpabili non reſtituendi dotem ob retardatam ſolutionem, non eſt intelligenda ob ſolam ſolutionem retardatam per ſe, ſed ratione damni emergentis, aut lucri ceſſantis. Ratio damni emergentis poteſt mulieri evenire, quando non haberet alia bona unde aleretur, niſi à dotalibus non ſolutis, & aliunde expenſas fecerit ad ſui alimoniam; tunc enim damnum emergens conſtantiſſimum eſt, quod quidem etiam evenire poterit, ſi illa bona dotalia iterum ad dotem cum ſecundo marito trahat; & non ſolùm ob dotem maritus ab alimentis præſtandis eximeretur, unde expenſas faceret, & damnum perciperet. Lucrum ceſſans ſimiliter conſideratur, in præſentiarum, ſi mulier ſolita eſt negotiari cum pecuniis, aut illis rebus mobilibus, aut dare mercatoribus ad honeſtum lucrum, vel pecunia dotali fuiſſet emptus fundus fructiferus, vel quia in locis illis annui redditus facillimè venduntur; ex his enim cauſis lucri ceſſantis, & damni emergentis Doctores primæ ſententiæ minimè negant, mulierem intereſſe percipere poſſe, hæredibus mariti exiſtentibus in mora culpabili, & ſufficienter lucro ceſſante, aut damno emergente probato, & liquido: quod quidem etiam admittunt in caſu, quo hæredes, aut maritus teneretur alere uxorem, ut cum aliquibus docet Gratianus *tom.* 2. *cap.* 244. *n.* 9. & 10.

Unde Doctores utriuſque ſententiæ ad unum coaleſ- 72
cunt; non enim ob ſolam dilatam ſolutionem, per ſe loquendo, intereſſe percipi valet abſque alio titulo ſuſcipiendi intereſſe. Leotardus *de uſuris*, *q.* 30. *à num.* 54. Molina *d. diſp.* 322. *n.* 3. Rubellus *de Juſt.* 2. *part. lib.* 6. *qu.* 11. *nu.* 8. Molinus *de ript. nupt. lib.* 3. *qu.* 39. *n.* 37.

Contra hanc tamen concordiam dices, quod ſi nul- 73
lum ſit damnum emergens, aut lucrum ceſſans, adhuc ob dilatam ſolutionem intereſſe debetur in dotis reſtitutione. Ratio eſt, quia illud tacitè pactum videtur à marito do-

tem

tem recipiente, ut si non statim restituatur à se, vel à suis hæredibus, alimenta mulieri præstentur: Ergo ex hoc solo pacto interesse debebitur, ut tradunt Surdus *dict. tit. 45. num. 7. & 11.* Navarrus *de usuris, num. 67.* Fachineus *controvers. lib. 3. cap. 101.* Afflictus *decis. 284.* Gratianus *discept. 240. num. 21.* Scotus *de Justit. lib. 6. quæst. 1. art. 2.* Trullench *tom. 2. in Decalog. lib. 7. cap. 19. dub. 14. num. 10.* Sed respondet aliqui; hoc pactum non intelligendum tacitè in receptione dotis, nisi ad tempus matrimonii: quapropter soluto matrimonio alimenta non præstantur, nec aliud interesse, nisi adsit titulus lucri cessantis, aut damni emergentis, ut cum Barbosa expendit Gratianus *dict. cap. 244. num. 6.* Sed quamvis recipiamus aliorum doctrinam, asserentem etiam soluto matrimonio hæc alimenta deberi non solùm intra annum luctus, sed posteà, retardata solutione, prout asserunt relati, quos defendit Bossius *de dote, cap. 20. nu. 95.* intrat ratio lucri cessantis, & damni emergentis; nam si alimenta sunt ista præstanda uxori, & nec dos, nec alimenta ista præstentur, quis negabit non deberi interesse alimentorum ex damno emergente, aut lucro cessante, si mulier cum divite marito contraxerit? Unde sententiæ istæ minimè inter se disentiunt; & si alimenta præstantur, percipit mulier, seu ipse maritus interesse ipsorum alimentorum: quod idem in casu alimentorum cum Gratiano scripsimus suprà, *nu. 66. in fin.*

CAPUT II.

Prosequitur materia antecedens.

SUMMARIUM.

Est ab Ecclesia statutum, ut in funeribus Christianorum Psalmi, & sanctæ Preces cantentur, num. 1. Et decantetur Missa funebris, quæ non thurificatur, sed tantùm corpus defuncti, & sepultura insimul aqua benedicta aspergitur, nu. 2.

An Missa funebris, corpore præsente, possit celebrari in diebus festis. Ponitur ratio dubitandi. In duplicibus festis non potest celebrari Missa de Requiem, *numer. 3.*

Sed contrarium declaravit Sacra Congregatio, nempè celebrari posse, num. 4. Limita, nisi dies festus sit primæ classis, num. 5.

Missa funebris dicenda est in diebus festivis, etiamsi corpus detinetur in aliqua Capella, seu Oratorio, numer. 6.

Missa solemnis in die obitus, an possit celebrari in die feriæ quintæ hebdomadæ sanctæ, & in Sabbato Sancto? Aliqui negant, num. 7. & 8. Respondetur fundamento hujus sententiæ, & explicatur textus in cap. In cœna 17. de consecrat. dist. 7. *nu. 9. Consuetudo difformis non obligat, ibid. Explicatur caput* Sabbato 13. de consecrat. dist. 3. *num. 10.*

Pasqualigius asserit, Missam funebrem, corpore præsente, posse dici feria quinta Cœnæ, nu. 11. Sed in hoc standum consuetudini Ecclesiarum, etiam particularium, quæ obligat; num. 12. Et idem dicendum de Sabbato sancto. In die Parasceves absque gravi culpa nequit Missa celebrari, num. 13. In Hispania cùm ex more multæ Missæ celebrentur in feria quinta Cœnæ, potest dici Missa funebris, corpore præsente, num. 14.

Jus sepeliendi defunctos ad Parochum pertinet, nu. 15. Sed jus funerandi non probat efficaciter Ecclesiam esse Parochialem, sicut nec jus baptizandi, n. 16.

Quando quis Ecclesiam construxerit, reservato sibi, & successoribus jure sepeliendi, ibi est sepeliendus, etiam Parocho contradicente, data sibi quarta, etiamsi interesse recuset, aut non præstet licentiam, n. 17.

Erecta nova Parochia, statim habet jus sepeliendi, nisi Matrix hoc jus sibi reservet, nu. 18. aut cœmeteriumliberum sibi non constituatur, n. 19.

An corpora damnatorum sint sepelienda in Parochia, ubi puniuntur. Supponitur posse sepeliri ex licentia Judicis, num. 20.

Affirmativè respondetur, & habet suam intentionem fundatam Parochus illius Parochiæ, ob qualitate Parochialis Ecclesiæ, nu. 21.

Si defunctus fuerit intra limites Parochiæ illius, est efferendus, & vocati ad funus ibidem conveniendi, etiamsi fuerit nova Parochia ab alia dismembrata, numero 22.

Si corpus extra Parochiam fuerit humandum, deferenda est Crux illius Ecclesiæ, & post eam incedere debet associantes secundùm antianitatem, nisi concurrat Capitulum Cathedralis; nam Curatus, & Sacrista Cathedralis, etiam amovibiles, præcedunt etiam Parochum defuncti. Si tumuletur in Ecclesia Parochiali, funus Parochus peragit, etiamsi Capitulum Cathedralis interveniat, nu. 23.

An quando Capitulum Cathedralis ad funus peragendum in Parochia vocatur, Parochus illud faciens præcedat? Negarunt plures, num. 24. Affirmant quamplurimi, num. 25.

In hoc dubio in primis consuetudini standum, num. 26. Sed magnoperè consideranda est consuetudo, ut fuerit introducta, facta contradictione contra Parochos; & contra hanc consuetudinem facilè remedia possessoria conceduntur, & restituitur per unicum actum, num. 27.

Tum ad has consuetudines considerandum est tempus, in quo certant DD. Aliqui dicunt, spatium quadraginta annorum esse necessarium: alteri decem tantùm requirunt, n. 28.

Sed admittitur sententia asserens, esse necessarium tempus quadraginta annorum. In his præcedentis nequit fieri transactio, nisi de licentia Superioris, & causa cognita. Jura Ecclesiastica non præscribuntur, nisi per quadraginta annos, nu. 29. Quod debet considerare Parochus, nu. 30.

Si nulla adsit consuetudo, & Episcopus sit præsens cum Capitulo, tunc Parochus funus gerens non præfertur, nu. 31. Secus, si Episcopus abfuisset, nu. 32.

Fit instantia, & respondetur, nu. 33. Fit etiam replica, & datur responsum, n. 34.

An in funeribus in propria Parochia faciendis à Parocho, præcedat Capitulum Collegiatæ simul cum Abbate? Negarunt plures, num. 35. Sed affirmat communis sententia, n. 36.

Parochus exercens officium in sua Parochia, debet præcedere omnes Canonicos, sive Cathedralis, sive Collegiatæ Ecclesiæ: Parochi in ordine Hierarchico sunt immediati Episcoporum; idque ab origine ex D. Petro probatur, num. 37. Resolvitur quæstio, num. 38.

An quando non exercet officium proprium, veluti quando in funeribus, aut processionibus concurrit cum Canonicis Collegiatæ, debeat præcedere? Aliqui negant: alteri affirmant, nu. 39.

Resolvitur difficultas cum distinctione, si collegialiter concurrunt Canonici Collegiatæ; tunc enim præcedunt Parochus; secus si non concurrant collegialiter, num. 40. & 41.

Quando cura exercetur per Canonicos, Canonicus agens funus, ut Parochus consideratur in præcedentiis, num. 42

Hæc dicta de Canonicis Collegialium, intelliguntur quando eorum indultum nihil expressérit de præcedentiis respectu Parochorum, si tamen declaret, aut sit consuetudine legitima receptum, id erit observandum. Qui quidem si non habent jus funerandi, non possunt in funeribus erigere Crucem, sed Parochus defuncti, etiamsi defunctus sepeliatur in sua Ecclesia: nec valent percipere funeralia, ne eorum Sacrista, aut Capellanus præcedat Parochum, n. 43.

An quando defunctus sepelitur in Ecclesia Cathedrali, si Capitulum associet, possit Parochus defuncti deferre Stolam, & Crucem? Videtur dicendum, non posse, ob rationes ibidem adductas, nu. 44.

Sed contrarium tenet Lavorius, nu. 45. Explicatur doctrina ista, & ponitur, n. 46.

Quando Parochianus eligit sepulturam in Cathedrali, aut ibi habet sepulchrum majorum, videtur non posse deferre Crucem, seu Stolam, num. 47. Sed contrarium defenditur, salva præcedentia Cathedralis, num. 48. Parochus, quando Parochianus alibi sepelitur, percipit obventiones ob associationem. Ca-

nonici irrequiſito Parocho nequeunt levare corpus. Parochia interdicta, ſepeliuntur Parochiani in Cathedrali, num.49.

Si Canonicus domicilium habuerit in aliqua Parochia, ſepeliendus eſt in Cathedrali, & tunc Parochus nec Stolam, nec Crucem defert. Canonicus, licèt habitet in aliqua Parochia, non eſt Parochianus illius, num.50.

Parochus poteſt vocare Clericos ad funus, niſi aliter ab hæredibus defuncti fuerit diſpoſitum, vel à teſtatore. Explicatur declaratio Cardinalium in una Ferrarienſi, 9. Sept.1613. *n.51.*

Confraternitates nequeunt ad funus accedere, niſi expreſſim vocatæ, nec poſſunt Crucem erigere, n.52.

Vocati ad funus debent convenire ad Parochialem defuncti, vel ad alium locum ſecundùm conſuetùdinem; nec permittendum quod expectent per vias, vel ad domum defuncti, non obſtante contraria conſuetudine, num.53.

Regulares vocati ad aſſociandum funus, debent ire ad Eccleſiam, unde cadavera aſportantur, & exire cum Clero. Si funus eſt agendum in ſua Eccleſia, non debent expectare per vias, ſed in Parochiali, aut in alia Eccleſia, ſecundùm conſuetudinem loci, n.54.

Ad Parochum ſpectat deſtinare vias ad funus, niſi aliàs conſuetudo ſit, ut ſpectet ad hæredes, n.55.

Quantum tempus debeat corpus detineri, poſtquam defunctus mortuus eſt, diſſentiunt DD. Aliqui dicunt per ſex horas: alteri per octo: alii per vigintiquatuor. Verùm hoc arbitrio Parochi relinquitur, n.56.

Quando dubium eſt, an infirmus defunctus ſit, necne, Medici ſunt conſulendi, quorum placito funus eſt detinendum, ne vivus ſepeliatur, prout ſæpiùs accidit. Referuntur morbi, in quibus id accidere valet, ibid.

Ponuntur ſigna, quibus valet agnoſci, an infirmus è vita migraverit, n.57.58. & 59.

Tempore peſtis citiſſimè cadavera ſunt ſepelienda, numero 60.

Qua hora, & die funus peragendum, decretum non eſt Nocturno tempore, ſecretè, & abſque exequiis funus non eſt peragendum, nec in curribus. In die Paraſceves funus eſt agendum, non tamen pulſatis campanis, n.61.

1 His de anno luctus peroratis, tranſeamus proſequendo materiam, ad alios ritus funerum Chriſtianorum. Eſt deinde ab Eccleſia rectiſſimè inſtitutum, ut in funeribus fidelium Pſalmi, & aliæ ſanctæ deprecationes alta voce cantentur, & cum eiſdem corpora defunctorum tumulentur. Quamobrem D. Chryſoſtomus *homil. 61. cap.12.* ſcripſit, *honorem haberi pro defuncti, non eſſe fletum, & ejulatum, ſed hymnos, & pſalmos, & optimam vitam.* Meminit etiam *homil.4. in cap.2. ad Hebræos*, ibi: *Quod etiam hymni? Nonne ut Deum glorificemus?* Eſtque decretum Concilii Toletani IV. *can.22. in cap. Qui divina 28.13. quæſt.2.* hiſce verbis: *Qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum pſalmis tantummodò, & pſallentium vocibus debent ad ſepulchra deferri.* Ubi funebre carmen decantare prohibetur; fortè enim magnis ululatibus, & lamentis decantabatur apud Noſtrates; unde Prudentius in hymno *in exequiis defunct.*

Quid turba ſuperſtes inepta
Plangens ululamina miſces?
Cur tam benè condita jura
Luctu dolor arguit amens.

Quapropter prohibetur carmen illud funebre, nimis doloroſum, & ululatibus refertum concinere, ſed tantùm ſacros pſalmos, & deprecationes ab Eccleſia ad id inſtitutas, ut docuerunt Abbas *in rub. de ſepultur. num.4.* Albanus *de Cardinalib. quæſt.51.* Durantius *de rit. Eccleſiæ, lib.1.cap.23. num.14. ad medium.* Lavor. *dict.tit.2.cap.1. num.201.* Samuel *de ſepultur. tract.1. controverſ.15. concluſ.12.* Urrutigoyti *de Eccleſia Cathedrali, cap.17. numer.126.*

2 Tum etiam in funeribus Miſſa decantatur funebris, quæ communiter dicitur de corpore præſente, in eaque plures ritus omittuntur, qui in aliis vivorum Miſſis conficiuntur, & recenſentur. Explicantur à Durantio *in Rat. Divinor. Offic.lib.7. rub. de offic.mortuor. verſ. Verumtamen.* Samuel *tract.2. de ſepult. contro verſ. 6. num.5.* Lavor. *dict. tit.2. cap.3. à num.51.* Illud tamen aſſerit, in hac Miſſa non eſſe thurificandum, ſed tantùm corpus defuncti, & ſimul cum aqua benedicta aſpergendum, non ut ejus peccata tollantur, ſed ut omnis præſentia immundorum ſpirituum eliciatur. Idemque fit in ſepultura ipſa, eo quòd communiter dæmones in ſepulchris habitent; unde ad errorem plures traxerunt, exiſtimantes de fructorum animas dæmones eſſe, ut latè convincit Divus Chryſoſtomus *homil.in Matth.29.cap 8.* Petr.Gregorius *Syntag.lib. 3.cap. 24.num.15.* Quapropter ſepultura thurificatur, & aqua benedicta aſpergitur.

Eſt tamen difficultas, an in diebus feſtis poſſit celebra- 3
ri Miſſa ſolemnis de *Requiem* in die obitus defuncti? Et negandum videtur, nam Miſſa de *Requiem* nequit dici in diebus duplicibus, niſi ex aliqua cauſa, nempè pro adimplenda voluntate teſtatoris. Gavantus *in rub. Miſſal. 2. part. tit.5.num.2. lit.A.* Tamburinus *de ſacrific. Miſſ.lib.2.cap.6. §.2.num.1.* Garcia *in Summa, tract. 3. difficult. 8. dub. ult. punct.2. difficult.3.* Non ita tamen ſi dies fuerit feſtus, in quibus Miſſæ de *Requiem*, etiam in diebus certis Anniverſariorum nequeunt celebrari. Gavantus *in Rub.1.part. tit.5.num 2.lit.T*, Quartus *in Rub.Miſſ.1. part.tit.5. dub.2. difficult.2.verſ.Dico ſecundò*, Paſqualigius *de Sacrific.Miſſæ, quæſt.284. num.7.* Ergo nec etiam in die obitus defuncti poterit celebrari Miſſa ſolemnis de *Requiem*, corpore præſente.

Sed in contrarium eſt declaratio Sacra Congregationis 4
23. Maii 1605. & 16. Januarii 1677. quæ quidem abſolutè ait, Miſſam ſolemnem, corpore præſente celebrari poſſe, etiam in diebus feſtivis. Et ratio eſt, nam Miſſa illa eſt magis privilegiata, quàm aliæ Miſſæ Anniverſariorum, quantumvis in die certa celebrandorum, ex eo quod pietas erga defunctum, antequam corpus ſepulturæ tradatur, exigat hoc officium religionis. Ergo rectè Miſſa ſolemnis de *Requiem* poterit celebrari præſente corpore in die obitus, licèt dies feſtivus ſit. Barboſa *de Offic. Parochi, cap. 11.nu.25.part.1.*

In ſpecie tamen dicendum, non in quolibet die feſto 5
hanc Miſſam dici poſſe; nam Rituale Romanum, *tit. de exequiis, in Rub. Pont.* aſſerit, hanc Miſſam in feſtis dicendam, *Niſi obſtet magna diei ſolemnitas.* Unde Doctores communiter percipiunt, poſſe hanc Miſſam celebrari, niſi feſta ſint primæ claſſis, quia dicunt, magnæ eſſe ſolemnitatis, cui nequit pietas defunctorum præponderare. Gavantus *in Rub.1.part.tit.5. n.2. lit.X*, Quartus *d. tit.5. dub.2. difficult.1.* Caſtaldus *in praxi cœrem.lib.2 ſect.5.cap.4.* Quod aliter intellexit Paſqualigius, non abſolutè in diebus feſtivis primæ claſſis, ſed in ſolemnioribus ejuſdem primæ claſſis, ut in die Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, & Reſurrectionis. Ita ſcripſit *q.285.nu.2. & 3.* Sed tamen communis ſententia admittenda videtur, ut in diebus feſtivis primæ claſſis Miſſa ſolemnis de *Requiem* non dicatur, etiam præſente corpore; quia negandum non eſt, diem illum non eſſe magnæ ſolemnitatis, indecenſque eſſe, ut tanta ſolemnitas permiſceatur exequiis, & Miſſa ſolemni defunctorum. Tum quia facilè occurritur pietati defunctorum, cadavere tumulato, dicendo pro eo Miſſam diei occurrentis, ut jam uſitatum vidi.

Illud verò non obliviſcendum, quod ſi ex aliqua cauſa 6
corpus non ſit præſens, veluti ſi ex cauſa detineatur in aliqua Capella, ſeu Oratorio, adhuc Miſſa ſolemnis de *Requiem* valet dicit, etiamſi dies ſit feſtus; nam licet Sacra Congregatio requirat corpus præſens, id eſt intelligendum largo modo, quatenus eſt inſepultum, non verò ut ſit præſens ad exequias, & Miſſam, ut contra Quartum probabiliter tenet Paſqualigius *d. q.5.n.4.*

Sed dubitari poterit, an feria quinta, & in Sabbato 7
ſancto poſſit celebrari Miſſa ſolemnis in die obitus? Et negandum videtur, nam in die cœnæ Domini nequeunt plures Miſſæ celebrari, ſed tantùm ad Miſſam ſolemnem debent Presbyteri communicare, ſicut & cæteri Fideles, *c. In Cœna 17. de conſecrat. diſt. 2.* Quod Soterus Pontifex aſſerit, antiquiſſima conſuetudine eſſe introductum. Ergo cùm nequeat dici niſi una Miſſa, ad Presbyteros, & alios Fideles communicandos, nequibit in Cœnæ die dici Miſſa ſolemnis de *Requiem*, etiam corpore præſente, quod per neceſſariam conſequentiam affirmare tenentur DD.

aſſe-

asserentes, feria quinta hebdomadæ majoris nullam aliam Missam dici posse. Francolinus *de Hor.Can.cap.*30.*nu.*40. Azorius 1.*p.lib.*10.*cap.*24.*q.*5. Bonac.*disp.*4. *de Sacrament. q.*7.*punct.*7.*n.*17.

8 Quod quidem fundamentum non solùm deservit ad feriam quintam, sed ad Sabbatum ejusdem Hebdomadæ Sanctæ; nam constat *ex cap.Sabbato* 13.*de consecrat.dist.*3. nullam eodem die celebrari posse: & licèt quoad Missam solemnem jam cessavit interdictum illud, non verò quoad privatas Missas, ut tenent plures. Navarrus *in Man. cap.* 25.*nu.*88. Villalobos 1.*p.Summæ,tract.*8.*difficult.* 20.*nu.*8. Reginaldus *in Praxi fori, lib.*29.*cap.*9.*sect.*4.*nu.*170. Palaus *Oper.Moral.*4.*p.tract.*22.*disput.unic.punct.*7.*nu.* 4. Layman *in Summa,lib.*5.*tract.*5.*cap.*4.*nu.*8. Ergo cùm in die illa alia Missa non possit celebrari, nisi Missa solemnis illius diei, non potest celebrari Missa solemnis de *Requiem*, etiam corpore præsente.

9 Sed hæc fundamenta solida non sunt, nam in feria quinta plures Missæ privatæ possunt celebrari, & de facto in nostra Castella celebrantur ante Missam solemnem; nam posteà nequeunt celebrari, quia incipit officium Paraskeves. Pasqualigius *quæst.*351. *nu.*6. Nec obstat textus *in dict. cap. In Cœna*, quia tantùm loquitur de antiqua consuetudine, quæ quidem non habet vim obligandi, etiam in locis ubi vigeret, quia non est introducta tamquam obligatoria: tum & uniformis non est, cùm jam in hac Ecclesia observetur aliud, alterum in alia; signum quidem grave, minimè aliquam obligationem inducere, ut per Bart. *in l.*2.*ff.solut.matrim.num.*22. Rota *part.*4. *divers. decis.* 69. *num.*3. & apud Ludovisium *decis.*51.*num.*3. Puteus *lib.*2.*in noviss. decis.*426. Marta *decis.*69.*num.*35. Ergo rectè poterunt privatæ Missæ dici in feria quinta majoris Hebdomadæ; ut tradunt innumeri relati à Pasqualigio *dict. quæst.* 351. *num.* 2. & latè Henao *de sacrifitio Missæ*, *disput.* 20. *sect.* 3. Diana *part.*11.*tract.*5.*resolut.*32.

10 Alterum fundamentum de die Sabbati sancti difficilius est; nam non solùm adest decretum *in d.cap. Sabbato*, verùm prout quotidie videmus; nullæ privatæ Missæ celebrantur die illa. Verùm magnum Doctorum agmen affirmat, privatas Missas dici posse, maximè si Missa solemnis illius diei inceperit; Missa enim illa est Missa nocturna Resurrectionis, quæ olim incipiente nocte dicebatur, ut explicuimus *lib.*2.*cap.*11.*num* 15. quæ hodie ante meridiem dicitur; sed non ita manè, quia est vetitum à Pio V. *in sua const.*4. *nu.* 2. *Bull.* Quapropter cessat mœstitia Passionis Domini, quæ unica fuit causa, ut *in dict.cap. Sabbato*, Missas celebrari interdiceretur; quamobrem cessante causa, debet cessare interdictum illud, ex regula vulgari passim repetita. Refert quamplurima Pasqualigius *de sacrific. Miss.quæst.*358.*num.*3. Henao *d.disput.*20. *sect* 2. Leander *de Sacrament.tract.*8.*disp.*5.*quæst.*25.& 26. Barbosa *de offic. Parochi*, *dict.*1.*part.cap.* 11. *num.*50. Guttierrez *can.lib.*1. *cap.*30.*num.* 36.

11 Unde cùm fundamenta ista solida non sint, quin potiùs ex probabili saltem sententia plures Missæ dici possint feria quinta, & Sabbato majoris hebdomadæ, Pasqualigius *quæst.*286.*à num.*1. aserit, Missam solemnem de *Requiem*, corpore præsente celebrari posse, dum tamen feria quinta ante Missam solemnem celebretur, & in Sabbato ante, vel post. Et probat; nam, ut dictum est, Missæ istæ solemnes, corpore præsente, non impediuntur in Ritualibus, nisi quando magna adesset solemnitas; ista enim magna solemnitas non occurrit his diebus, quia licèt sint privilegiati quoad officium, non sunt tamen dies solemnes, sed potiùs mœstitiæ deputati, ubi non adest aliqua repugnantia cum Missa solemni de *Requiem*, corpore præsente. Ergo rectè hisce diebus poterit dici, ut ostendere videtur Gavantus 1.*part.rubric.tit.*5.*num.*2.

12 Sed tamen in praxi consuetudo Ecclesiarum observanda est, quando enim nec in feria quinta, nec in Sabbato majoris hebdomadæ Missæ in aliquibus Ecclesiis nullæ dicuntur, nec dicenda est Missa solemnis de *Requiem*, etiam præsente corpore; nam ritus cujuscumque Ecclesiæ observandi sunt, præcipuè cùm illi Juri communi congruunt, ut tanta mysteria, prout tunc celebrantur, majori decore, & significatione celebrentur. Tum quia consuetudines illæ, etiamsi particulares sint Ecclesiarum, sunt observandæ; nec ad generales, nisi in subsidium recurritur, *cap. Super eo* 22.*de censibus*. Bart. *in l.*2. *C. quæ sit long. consuet. nu.*41. Parisius *lib.*2.*cons.*25. *nu.*42. Rota apud Caval. *dec.* 95.*nu.*3.*& dec.* 419. *num.* 4. Quapropter si in illis diebus in aliquibus Ecclesiis non dicantur, tunc feria quinta omnes Presbyteri in Missa solemni communicant, ut habentur in Ordine Romano, *cap. Cœna Domini*, ibi: *Communicent Presbyteri primo, posteà Diaconi, & cæteri omnes, & ita perficiatur Missa.* Tunc enim non est dicenda Missa solemnis de *Requiem*, etiam corpore præsente; nam cùm cessent omnia sacrificia ob ritum communicandi, similiter istud funebre Missæ de corpore præsente.

Quod idem dicendum judicio, si idem observetur in Sab- 13
bato sancto, prout in Hispania observatur; quia tunc non est dicenda Missa de *Requiem*, etiam corpore præsente, ob rationes perpensas *num.* 12. Tum etiam, quia celebratio Missarum in Sabbato sancto eodem jure interdicitur, sicut feria sexta Paraskeves, *d.cap.Sabbato* 13.*de consecrat.dist.*3. ob rationem præstitam ab Innocentio ibidem, quia in hoc biduo fuerunt Apostoli in mœrore, & jejunio. Sed in die Paraskeves nequit aliqua Missa celebrari absque culpa gravi. D. Thomas 3.*p.quæst.*83.*art.*2. Hurtado *de Sacrament. disp.*4.*de Eucharistia*, *difficult.* 2. *vers. Secunda est*, Scortia *de Sacrificio Missæ*, *lib.*2.*cap.*4. Leander *de Sacrament.tr.*8. *disput.* 5. *quæst.*22. Villalobos *in Summa*, 1.*part. tract.* 8. *difficult.*20.*num.*2. Nec etiam ex causa communicandi moribundum. Pasqualigius *de sacrific.Miss. quæst.* 356. *nu.* 2. Ergo nec dicenda est Missa solemnis de *Requiem*, corpore etiam præsente, in Sabbato sancto, quoties mos fuerit non dicendi privatas Missas, nec alias, nisi solemnem; viget enim præceptum illud ob eamdem entitatem rationis.

In Hispania verò in feria quinta Cœna Domini quam- 14
plures Missæ dicuntur ante Missam solemnem illius diei; quapropter poterit dici Missa funebris solemnis, præsente corpore.

Prætereà in funeribus sunt aliqua, quæ ad Parochum 15
pertinent pro illis efficiendis: & quoad primum, jus sepeliendi defunctos ad Ecclesiam Parochialem pertinet de jure communi. Et probatur *ex cap.Ecclesia* 1.13.*quæst.*1. ubi Dionysius Pontifex Parochias divisit, & cuique cœmeteria designavit, cum jure sepeliendi suos Parochianos. Unde patet, de jure communi competere Parocho jus funerandi, & sepeliendi suos Parochianos. Cæterùm probatur *ex cap.*1.*de sepultur.circa fin.* ubi probatur, jus sepeliendi competere Ecclesiæ populum habenti, quem habet Ecclesia Parochialis: Ergo ad illam, & ejus Rectorem competit jus funerandi de jure communi. Angelus *verbo Sepultura*, *num.* 3. Sylvester *eodem verbo*, *quæst.* 5. Rodriguez *tom.*3. *quæst.* 58. *art.* 3. *in princip.* Medicis *de sepult.*1. *part.quæst.*6. *num.*2. Trullench *de jur.Paroch. cap.*9.*dub.*2. *num.*1. Urrutigoyti *dict.cap.*17.*num.*7. Rota *divers.*2.*part. decis.* 50.

Quæ quidem probat, Ecclesiam esse Parochialem ex 16
eo quòd habeat jus sepeliendi. Sed animadvertendum, id solum sufficienter non probare. Et est ratio, nam Ecclesia, quæ non sit Parochialis, potest habere jus sepeliendi defunctos, vel ex consuetudine legitimè præscripta, vel ex Episcopi authoritate habendi cœmeterium, & consequenter jus funerandi. Rota 1.*p.Recent. decis.*228. *num.*7. Hojeda *de incompatibilit.*1.*part.cap.*13.*num.*19. Flaminius *de resignat.quæst.*1.*num.*108. Barbosa *de jur.Paroch.*3.*p.cap.* 26.*num.*14. Riccius *in Praxi fori*, *decis.* 660. veluti etiam jus baptizandi, ut cum Soto docet ipse Riccius *d.decis.*660. quapropter jus funerandi sufficienter non probat, Ecclesiam esse Parochialem, nisi aliis concurrentibus. Lavor. *d.tit.*2.*cap.*9.*nu.*6.

Prorsus Parochus, licèt habeat jus istud de jure com- 17
muni, si tamen aliquis Ecclesiam ædificaverit, reservato sibi jure sepeliendi, non poterit prohibere, quin ibidem sepeliatur: quod idem est dicendum, si non solùm pro se, sed pro suis successoribus reservaverit: & est ratio, nam cùm liberum sit cuique sepulturam eligere (ut dicemus posteà) ibique constituens Ecclesiam pro se, & suis successoribus elegerit, nequit Parochus ex jure funerandi id contradicere; ex eo enim, quod jus hanc facultatem sibi concessit, consequenter ab hoc jure Parochum elisit, ut censuit Sacra Congregatio, cujus verba dat Barbosa *de jur. Parochi*, *dict. cap.* 26. *num.* 22. qui aliam declarationem refert 22. Decembris 1629. ubi deciditur, quod si Curatus in præsenti casu interesse recuset, vel petitam

licentiam funerandi deneget, poſse fundatorem in dicta Eccleſia à ſe conſtructa ſepeliri abſque ejus interventu, & licentia: quod quidem intelligendum, quarta funerali Parocho relicta, ut declaravit S. Congregatio 31. Martii 1629.

18 Quid verò dicendum quando nova Parochia erigitur, an ſtatim habeat jus ſepeliendi? Et affirmant communiter DD. *ex cap. Fraternitatem 3. de ſepultur.* quia ſtatim quod erigitur, deſignatur ab Epiſcopo cœmeterium, & eo benedicto, quiſque in eo valet ſepeliri, & eligere ſepulturam. Lavor. *dict. tit. 2. cap. 9. num. 2. & cap. 8. num. 10.* quod quidem intelligendum, niſi nova Parochia erigatur intra limites alterius, & Matrix reſervaverit ſibi ſepeliendi jus.

19 Aliter autem dicendum quando in nova Parochia cœmeterium non deſignatur liberum, ſed reſervatum certis perſonis, quia tantùm iſtæ ibidem poterunt ſepeliri; nam legitima eſt iſta reſervatio Butrius. *in cap. Certificari, de ſepultur. num. 17.* Lavor. *d. cap. 9. nu. 2. in fin.*

20 De cadaveribus punitorum, vel ſuſpenſis, vel trucidatis, inveſtigandum eſt, an Parochus, vel Parochia, ubi ſuſpenduntur, vel trucidantur, habeat intentionem fundatam, ut ibidem ſepeliantur? Qua in re præmittendum, cadavera punitorum ſepulturæ eſse tradenda, niſi ex aliquo crimine de jure ea priventur, *l. 1. & tot. tit. ff. de cadaver. punit.* quod in Hiſpania, & Italia obſervatur, licèt in Gallia malè aliquando contrarium obſervetur. De Jure tamen Canonico id procul dubio eſt, *ex cap. Quæſitum, fin. 13. quæſt. 2. Clement. 1. de Pœnit. & remiſſ.* quod intelligendum petita licentia Judicis ſententiam ferentis, *l. 1. verſ. fin. ff. de cadaver punit. l. fin. ff. eod. tit. leg. 7. tit. 13. p. 1. & l fin. tit. 31. part. 7.* Gomez *tom. 3. cap. 14. num 8.* Bolaños *in Curia, 3. part. §. Sententia, num. 16.* Bobadilla *in Polit. lib. 3. cap. 15. num. 143.* prout etiam legimus *Joan. cap. 24.* de corpore Chriſti Domini, quod ut ſepeliretur, licentia à Pilato fuit petita: qua facta diligentia, poterit cadaver humari.

21 Facta hac ſuppoſitione dicendum, Parochum habere fundatam ſuam intentionem, ut in ſua Parochia cadaver puniti ſepeliatur, eo quòd habeat fundatam ſuam intentionem, ut omnes Chriſti Fideles intra limites ſuæ Parochiæ decedentes, ibidem ſepeliantur. Baldus *conſ. 62. n. 7.* Rubeus *conſ. 17.* Cæterùm probatur, nam inter ea, quæ ſunt neceſſaria ad conſtituendum jus Parochiale, adeſt jus ſepulturæ, *cap. Sacris 12. de ſepultur.* licèt enim ſuprà dixerimus, hoc jus per ſe non conſtituere Parochiam, prout etiam tenet Federicus *de Senis conſ. 135. num. 2.* Gambarus *de Officio Legat. fol. 148. num. 18.* ſed conſtituatur ex eo quod Parochiani audiant Miſsam ibidem diebus feſtivis, & Sacramenta percipiant ab ipſo Presbytero Parochiali, vel in eadem Parochia; tum quia decimæ, & primitiæ eidem ſolvantur, & ibidem oblationes fiant: attamen ſimul cum eius conſideratur jus ſepeliendi, *cap. Omnis 12. de Pœnit. & Remiſſ. Clement. Dudum 2. §. Verùm de ſepult.* tamquam quid neceſsarium ad conſtituendam Parochialitatem. Rota *2. p. diverſorum, deciſ. 52.* Maſcardus *de Probat. concluſ. 469.* Sarnenſis *in Reg. de Idiomate, quæſt. 11.* Gonzalez *ad Reg. 8. gloſs. 6. à num. 34.* Vivianus *in Praxi juriſpatr. 1. part. lib. 1. cap. 7. à num. 5.* Quapropter habet ſuam intentionem fundatam ad ſepelienda cadavera punitorum intra limites ſuæ Parochiæ decedentium. Riccius *part. 1. deciſ. 215.* Lavor. *d. tit. 2. cap. 12. num. 51. cum ſequentib.* Quapropter, niſi cœmeterium alibi ſit ex conſuetudine, vel ex authoritate Epiſcopi ad id deputatum, ſemper Parochus, & ejus Eccleſia habet fundatam ſuam intentionem, ut cadavera punitorum ibidem ſepeliantur.

22 Ex his ſequitur, quod ſi defunctus fuerit intra limites Parochiæ, Crux Parochiæ deferenda eſt cum Curato, vel Vicecurato ad corpus ſepeliendum; & ſi non fuerit Parochia libera, nullo jure reſervato, Crux illius afferenda eſt, & vocati ad funus ibidem debent convenire, non autem in antiqua, à qua diſmembratio facta eſt, ut cenſuit Sacra Congregatio Rit. 22. Martii 1631. Barboſa *de univerſ. jur. lib. 2. cap. 10. nu. 79. & de offic. Parochi, 3. p cap. 26. n. 79.* Samuel *d. tract. 1. diſp. 3. controv. 3. nu. 1.*

23 Si verò extra Parochiam corpus fuerit humandum, unica Crux deferenda eſt illius Eccleſiæ, ad quam corpus tranſfertur, ut eadem cenſuit Sacra Congregatio 21. Febr. 1633. Gratianus *tom. 2. diſcept. 298. num. 88.* poſt quam ſequi debent immediatè perſonæ illius Eccleſiæ, & deinde cæteri ſecundùm antianitatem, ut ſimiliter decrevit Rituum Congregatio 30. Septembris 1614. & 22. Novembris 1631. ad 3. ubi declarat ad intelligendum, dummodo non interveniat Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, ſeu quo omnes funus aſsociantes incedere debent. Hinc enim Curatus, & Sacriſta Eccleſiæ Cathedralis, etiam quod ſint amovibiles, quando Capitulum Cathedralis intervenerit, debent præcedere proprio Parocho defuncti. Eſt declaratio ipſius Congregationis 22. Martii 1631. Refert has declarationes Barboſa *ubi proximè, in utroque loco, nu. 78.* Samuel *de ſepult. tract. 1. controver. 2. concluſ. 11. num. 62.* Marchetus *de ſepult. tit. 40. num. 22.* Verumtamen, ſi corpus in Eccleſia Parochi tumuletur, debet Parochus funus peragere, etiamſi adſit Capitulum Cathedralis Eccleſiæ cum ſuis Dignitatibus; quia jus illud ad eum pertinet, etiam præſente Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, ut cenſuit Sacr. Congregatio *in Pariſienſi, 20. Decembr. 1603. & 18. Novemb. 1606.* Samuel *d. controverſ. 2. n. 60. concluſ. 10.*

Eſt tamen dubium, an quando Capitulum Eccleſiæ Ca- 24
thedralis accerſitur ad funus conficiendum in aliqua Parochia, Parochus debeat præcedere? Et negandum videtur ex doctrina Felini *in cap. Cùm non liceat 11. de Reſcript. num. 2. verſ. Hìc reſpondi pridie*, ubi decidit Capitulum Eccleſiæ Cathedralis præcedere debere alios Prælatos inferiores, etiamſi ſint Eccleſiæ Collegiatæ, quando ad aſſociandum funus convocantur. Ergo etiam ſimiliter debent præcedere Parochum in funere, etiam in Parochia, quia reſpectu Capituli Eccleſiæ Cathedralis inferior eſt. Cæterùm, nam licèt Rector in propria Parochia, utpotè in propria domo, debeat aliis majoribus præeſſe, hoc tamen fallit quando Capitulum Eccleſiæ Cathedralis ad Parochiam pervenerit; nam Capitulum Eccleſiam Cathedralem repræſentet, quæ eſt valdè honoranda, Felinus *in cap. Poſtulaſti, de Reſcript. collat. 7.* inde eſt, ut præſente Capitulo nequeat Parochus præcedere, etiam in propria Eccleſia. Gratianus *diſcept. for. tom. 2. cap. 298. num. 89.* Salgado *de Regia Protect. 2. part. cap. 9. num. 64.* Nicolaus *lib. 1. obſerv. tit. 31. num. 19.* Ergo in ſpecie Parochus, præſente Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, nequit in funere præcedere. Salgado *de Reg. Protect. 2. part. cap. 9. num. 64.* Barboſa *de offic. Parochi, 2. part. cap. 9. num. 6. & 7.* Samuel *tract. 1. diſput. 3. controv. 2. concluſ. 7.* Lavor. *dict. tit. 2. cap. 3. à num. 210.*

Sed tamen contrarium tenent DD. alteri. Et ratio eſt, 25
quia licèt Rector Eccleſiæ Parochialis ſit minor Capitulo Cathedralis, attamen quando funus agit, facit actum ad ſuum proprium officium pertinentem, & nihil relevat, quod alter ſit major. Gratianus *tom. 1. diſcept. 106. num. 2.* Ferrus *de Præcedent. quæſt. 8. nu. 7.* Ergo licèt majus ſit Capitulum Cathedralis, non debet præcedere in Parochia, quando Parochus in funere proprium officium exercet. Rurſus, in officio ſuo agendo, & in adminiſtrandis Sacramentis, Parochus repræſentant Epiſcopum, cujus immediatè vices gerit. Barboſ. *dict. cap. 9. num. 1.* qui quidem eſt caput illius Capituli: quapropter ſicut Epiſcopus præcedit Capitulum Cathedralis, ſimiliter ipſe Parochus, agens vicem illius in funere ipſo. Denique probatur, nam Parochus in Eccleſia propria dicitur tamquam Imperator, & Rex, *cap. Duo 35. 23. quæſt. 4.* Abbas *in cap. Venerabilem, de Elect. num. 19.* habet præcedentiam præ aliis omnibus Clericis, ſive Beneficiatis, ſive Capellanis omnimodam, Chaſſaneus *in Catalog. gloriæ mundi, part. 4. conſiderat. 81.* Gonzalez *ad Reg. 8. gloſſ. 6. à n. 100.* Salgado *d. cap. 9. à n. 56.* Barboſa *d. cap. 9. num. 5.* Ergo etiam debet præcedere Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, quando ſuum officium exercet. Hanc ob rem in funeribus ducendis de conſuetudine receptum eſt, ut Parochus cum Cappa, & Cruce præcedat Capitulum, ſive ſit Eccleſiæ Cathedralis, ſive Collegiatæ, ut ſunt deciſiones Rotæ, quas referunt Ferrus *de Præcedent. quæſt. 32. à num. 2.* Riccius *in Praxi, tit. de deciſ. omiſs. 6. à num. 4.* Gratianus *d. diſcept. 298. per tot.* Gonzalez *d. gloſs. 6. nu. 101.* Barboſ. *de offic. Epiſcopi, 3. p. alleg. 78. n. 38.* Bonac. *de contract. diſp. 3 q. 21. punct. 5. nu. 4.*

In hoc dubio magnoperè conſideranda eſt conſuetudo 26
legitimè præſcripta, quia in materia præcedentiarum multum valet. Rota *in noviſs. deciſ. 4. de elect in fin.* Navarrus *conſ. 1. de majorit. & obedient.* Menochius *lib. 1 conſ. 126. num. 3.* Valenzuela *conſ. 201. à num. 42.* Medicis *Marchiæ*

de-

decis.21.per tot. Salgado *dict.cap.* 9. *num.* 18. quapropter si adsit consuetudo, ut in funeribus Capitulum Ecclesiæ Cathedralis præcedat proprium Parochum, etiam officium suum gerentem, ea erit observanda.

27 Sed animadvertendum, non quamlibet consuetudinem esse sufficientem ad inducendam hanc præcedentiam oppositam juri communi; nam potest accidere, quod Parochus ignoranter eam permittat, non utendo, aut patiendo: quod non est sufficiens ad inducendam renunciationem hujus præcedentiæ, in magnum præjudicium sui Beneficii, & successorum. Decianus *lib.1.cons.21.n.74.* Ferrus *de præcedent.quæst.18. num.17.* Requiritur igitur prohibitio, & interpellatio facta contra, & ut illi contradictione facta succumbant; nam in istis actibus liberis, & facultativis non nascitur possessio, aut quasi, nisi postquam interpellatus recusavit; tunc enim ab illo tempore nascitur præscriptio, aut consuetudo, quæ facit, ut prohibitus tunc gerat actum non gratuitum, sed meræ servitutis. Abbas *in cap. Significante, de appellat.1.notab.* Surdus *lib.1.cons.227.num.23.* Caponi *tom.1.discept.4.num.20.* Gratianus *tom.1. discept. cap. 89. à num. 18.* & in terminis *tom. 2. cap. 298. num. 20.* qui *num.21.* scripsit. Parochus posse recuperare jus suum, & ipsam possessionem præcedentiæ, si fortè sui majores perdidissent; nam non fuit bonum jus perditum, quamvis fuerit amissa possessio, cùm res facilè ad suum statum revertatur, & ad suam naturam, & in similibus casibus præcedentiæ dantur passim remedia possessoria, quibus perdita possessio recuperatur, & contra turbantes arma suscipi possunt. Gratianus *ubi proximè*, Samuel *de sepult.tract.1. controvers.2.num.27.* Larrea *allegat.52. num.3.* Castillo *de tertiis, cap.41.nu.6.* Antuñez *de Donat.lib.1.part.3. cap.42. num.19.* Jul.Caponi *tom.1.discept.4.num.9.* Et ex solo unico actu, aut quis manutenetur, aut restituitur; quia unicus actus dat quasi possessionem. Castillo *d.cap.41.nu.61.* Noguerol *allegat.28.num.37.* Posthius *de manut.observat. 18. num.10.* Salgado *d.2.part.cap 9.num 19.* Autuñez *dict.cap. 42.nu. 20.* Cyriacus *controvers. 210. num. 173.* licèt aliqui resistant. Ferrus *d.quæst.18.num 22.*

28 Secundò in his consuetudinibus considerandum est tempus necessarium ad earum præscriptionem, in quo dissident DD. nam aliqui dicunt, spatium quadraginta annorum esse necessarium. Gratianus *d.cap.298.nu.8.* Andreas Siculus *lib.2.cons.5.* Purpuratus *in l.1.ff.de offic. ejus, n.200.* Rota apud Seraph. *decis.964. à num. 2.* Capponi *tom. 1. discept.4.num.16.& 17.* qui asserit, hanc consuetudinem sic præscriptam esse probandam, cùm hoc tempore, & insimul animo eam introducendi fuerit introducta, & non ob aliam causam. Sed in contrarium est agmen gravissimorum Doctorum asserentium, præscriptionem decem annorum sufficere ad causam istam præcedentiarum, quia in jure tempus hoc longum dicitur, quapropter sufficiens erit ad hanc consuetudinem inducendam. Cyriacus *dict.controvers.201. n.169.* Gamma *decis.1.nu. 49.* Mastrillus *de Magistratibus, lib.4.c.14.n.1.* Genuensis *in Praxi Neapol c.52.n.1.* Barbos. *d.2.p.alleg.78.n.27.* Fabius de Anna *cons.40. à n. 1.* Conterol. *de Præcedent.n.6.* Riccius *in Praxi for.cap.478.n.2.*

29 Verùm ego admitto primam sententiam; nam causa præcedentiæ est gravissimi præjudicii, & per se gravissima, quatenus honor læditur, & turbatur ordo regiminis politici. Puteus *lib.2.decis.449.nu.4.* Gonzalez *ad Regul.8. in proœm.§.4.nu.30.* Castillo *d. cap. 41. nu. 28.* Valenzuela *d.cens.201.n.99* Antuñez *d.cap.42. nu.58.* Cyriacus *d.controv. 201. nu. 3.* & præferenda cuicumque commodo pecuniario, *l.Julianus 26.vers. Non enim, ff.Si quis omiss. causa testam. l.Miles 11.§.Socer, ff. de adult.* & magis æstimanda, quàm vitæ salus, *l.Isti quidem 8.§.Quod si dederit, ff. Quod metus causa*, Cyriacus *ubi proximè, num. 4.* Quapropter ad consuetudinem istam inducendam decem annorum tempus breve est, idque maximè inspiciendum in his præcedentiis Ecclesiasticis, ubi non solùm læditur honor personæ, verùm ipsius dignitatis, & offici; tum & aliorum successorum: quapropter in eis nequit fieri transactio, nec compromitti, nisi ex Superioris licentia, & causa cognita utilitatis, aut præjudicii. Ratio apud Seraphinum *decis.36.* Barbosa *d.allegat.78. num. 31.* Gratianus *in addit. ad March. decis. 232. à num. 1.* Valeron *de transact. tit. 3. quæst. 6. num. 50.* Ergo erit necessarium spatium quadraginta annorum. Cæterùm in causis Ecclesiasticis, & quando contra Beneficia, & Ecclesias aliquid præscribitur, hoc spatium temporis est necessarium, *Authent. Quas actiones, Cod. de sacros. Ecclesiis.* Quod non solùm intelligas quando aliquis privatus rem Ecclesiæ præscripserit, *cap. Sanctorum 3. de præscript.* sed quando inter ipsas Ecclesias, & personas Ecclesiasticas aliqua jura præscribuntur, *cap. de Quarta 4 cap. ad aures 6. cap. Illud 8. de præscript.* Ergo idem tempus erit necessarium quando præscribuntur per consuetudinem jura præcedentiæ, quæ competunt alicui dignitati, vel beneficio: tum denique hæc jura, cum propria non sint, faciliter ab aliquibus conceduntur, vel per ignorantiam, vel ob interesse, aut propter aliorum timorem, vel reverentiam: quare est necessarium tempus quadraginta annorum, ut per tantum spatium similia inconvenientia purgentur; idcircò admitto primam sententiam, ut etiam tenent plures, quos refert, & sequitur Valenzuela *d.cons.201.nu.42.*

Hinc Parochus magnoperè considerabit, an rectè consuetudo illa possit sustineri, ut det præcedentiam in funeribus Capitulo Cathedralis, aut aliis personis eam intendentibus in funeribus, aut in aliis Ecclesiasticis functionibus; aliàs tamen non permittet, nec ei renuntiare poterit. Cyriacus *d.controvers.201.nu. 20.& 21.* 30

Cæterùm, si non adsit aliqua consuetudo, & Episcopus sit præsens cum Capitulo Cathedralis ad funus, tunc Parochus etiam funus gerens, nequit præcedere, sed in loco digno erit convocandus, cum Cappa ad illud conficiendum. Ratio est, nam Capitulum unum corpus considerabatur cum Episcopo. Cùm ergo Episcopus præsens debeat præcedere Parochum in funere, similiter Capitulum Cathedralis. Hanc ob rem Doctores asserentes, Parochum præcedere debere in funere in propria Parochia conficiendo, Capitulum Cathedralis excipiunt, nisi præsens sit Episcopus. Gennensis *in Praxi, quæst.230.num.3.* Ferrus *dict.q.32.nu.6.* 31

Erit verò totum dubium, quando Episcopus absens fuerit, & in funere adsit tantùm Capitulum Cathedralis, cum Parocho in sua Parochia funus faciente: quo quidem casu asserendum, Parochum præcedere debere Capitulum, ut asserit communis sententia Doctorum recensitorum *n. 25.* Et ratio est firma, & solida illorum Doctorum: tum quia fundamenta aliorum nihil probant, quando Parochus exercet proprium officium, Capitulo Cathedralis præsente; sed quando concurrit Episcopus cum Capitulo, quo quidem casu proculdubio Capitulum, & Canonici debent præcedere, ut benè in specie considerant respondentes Felino, Gratianus *dict.cap.298 num.16.* Ferrus *dict. quæst.32. nu.4.* & eodem modo est intelligenda Rota apud Posthium *de manut.decis.35.num.2.* Nec clarè loquitur Salgad. *d.c.6. num.64.* 32

Sed dices, adesse declarationem Cardinalium 25. Junii 1611. quam refert Barbosa *de officio Parochi 1.p.cap.9.nu.7.* asserentem, in funere faciendo in Ecclesia Parochiali Capitulum Cathedralis debere ipsum Parochum præcedere, quamvis ad ipsum Parochum pertineat officium facere: Ergo minùs rectè asseruimus, præcedere debere Parochum facientem officium cum Stola, & Cappa. Sed tamen has Sacræ Congregationis declarationes negare possumus, cùm in probabiliori sententia jus non decernant. Sed adhuc declaratio ista habet responsum, quia est intelligenda, quando Episcopus est præsens, & Capitulum simul cum eo unum corpus conficiunt, quapropter eadem Sacra Congregatio *in Turitana, 14. Februarii* 1632. ordinem dat in simili specie, hisce verbis: *In Ecclesia Parochiali digniorem locum deberi Canonici Cathedralis, immediatè post Episcopum, & post Canonicos cedere debere Rectorem.* Refert ipse Barbosa *d. cap. 9. num. 7. ad fin.* Itaque si absens fuerit Episcopus, semper præcedet Parochus faciens funus. 33

Sed adhuc instabis cum Capponi *tom. 1. discept. 5. nu.13.* asserente Parochum, etiamsi Stolam deferat in funere, minimè dici valere officium gerere, sed tantùm associare; quapropter nullam præeminentiam debet habere respectu Capituli Cathedralis Ecclesiæ, aut alterius, prout in primicerio per totam illam disceptationem defendit. Sed non benè loquitur Capponi; nam ut diximus suprà, est proprium jus Parochi funera conficere, & defunctos suos Parochianos sepelire, & exercet proprium jus & officium, quando cum Cappa, & Stola ad funus efficiendum venit: tum Parochus in propria Parochia ut Episcopus censetur, & habet similem potestatem. Abbas *in cap.1.de dol.* 34

& contumac. nu. 28. Barboſa *d. cap.* 9. *nu.* 3. & tamquam Epiſcopi vicem gerens eſt honorandus, ut tradit Priſcus apud Capponi *d. cap.* 4. *n.* 7. quapropter non eſt dicendum, tantùm funus aſsociare, ſed proprium officium exercere, & ſimiliter honorandum eſse per præcedentiam, tanquam illam perſonam, cujus vicem gerit.

35 Hinc diſcutiendum, an in funeribus efficiendis Parochus in ſua Parochia præcedat Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ, ac eorum Capitulum, ſimul cum Abbate, vel Præpoſito? Et negandum videtur propter plures declarationes Cardinalium; quarum tres refert Barboſa *de Offic. Parochi* 1. *p. cap.* 9. *num.* 9. aſſerentes, in funeribus dicendis Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ præcedere debere Parochum; jus tamen funerandi, & faciendi officium, ſemper ad Rectorem pertinere. Quod etiam in proceſſionibus adſervandum declaravit Sacra Rituum Congregatio 11. *Decembris* 1613. *in Vertienſi, & in Senogallienſi*, 23. *Martii* 1619. & 4. *Aprilis* 1620. ut refert idem Barboſa *d. num.* 9. *in fin.* Cæterùm ratione probatur, nam Eccleſiæ Cathedrales, & Collegiatæ, etiamſi ſint poſteriores, ſemper debent præcedere alias Eccleſias inferiores in quaſi poſſeſſione præcedendi ante erectionem; quamobrem Canonici Eccleſiæ Collegiatæ præcedunt Rectores Parochialium. Joan Monachus *in cap.* 1. *de filiis Presbyt. lib.* 6. *num* 8. Chaſſaneus *in Cathol. gloria mundi*, 4. *part. conſiderat.* 38. Salgado *dict.* 2. *part. cap.* 9. *num.* 44. Rota apud Seraphinum *deciſ.* 1223. etiamſi erectio Collegiatæ fiat abſque præjudicio alicujus; & etiamſi ante erectionem in Collegiatam mixti intercederent Clerici, ut declaravit Sacra Congregatio *in una Syracuſana*, 20. *Decembris* 1601. idque ex natura rei, quia major eſt dignitas Eccleſiæ Collegialis, quàm Parochialis, Rota apud Seraphinum *deciſ.* 1445. *nu.* 2. Ergo in efficiendis funeribus. Parochus, etiam cum Cappa, & Stola, in propria Parochia non debet præcedere Eccleſiam Collegiatam. Ita tenet Barboſa ex adductis declarationibus *dict. cap.* 9 *nu.* 9. Lavorius *d. tit.* 2. *cap.* 3 *à nu.* 213. Marchetus *tit.* 40. *de ſepult. nu.* 22.

36 Sed in contrarium eſt communis ſententia, & apertè declaravit Sacra Congregatio *in una S. Angeli terræ Saxiferrati*, 24. *Octobris* 1609. & *in alia Eugubina*, 15. *Julii* 1614. & *in Præneſtina Cavarum*, 13. *Julii* 1619. refert Barboſa *d. c.* 9. *num.* 8. Lavor. *dict. tit.* 2. *cap.* 3. *num.* 212. & aliam declarationem refert Samuel *de ſepultur. tract.* 1. *diſp.* 3. *controverſ* 2. *num.* 10. Et probatur, nam Parochus in funeribus debet omnes Clericos præcedere. Rit. Roman. *tit. de Exequiis pag.* 150. Cardinalis de Sancta Severina *in ſuo opuſculo Sacerdotali*, *cap. De delatione corpor. ad Eccleſiam*, cujus verba dat Samuel *d. controverſ.* 2. *nu.* 16. Ergo etiam præcedere debet Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ. Confirmatur, nam hujuſmodi Canonici carentes jure ſepeliendi, ibidem habentur ſicut cæteri Clerici. Ergo ſicut Parochus præcedit alios Clericos, ſimiliter etiam Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ. Rurſus Parochi ratione adminiſtrationis, ſcientiæ, curæ, & majoris periculi, ſunt præſtantiores aliis Canonicis cujuſcumque qualitatis: Ergo debent habere majorem præcedentiam, *cap. Cùm illis* 16. *de Præbendis in* 6. Probatur magis, nam inter Canonicos Parochus, ſi non habet præcedentiam cum Cathedralibus, eſt quia unum corpus repræſentant cum Epiſcopo, nec ulla eſt ratio iſtius præcedentiæ, niſi iſta, cùm Epiſcopus adeſt cum ipſis in funeribus: quæ quidem ratio non militat cum Capitulo Collegiatæ, ubi non adeſt Epiſcopus, ſed tantùm Abbas, ſeu Præpoſitus. Ergo ſi Parochus adeſt cum Cappa, & Stola, ſemper iſtis Canonicis Collegiatis eſt anteponendus, præcipuè cùm ſuum funus exercet in propria Parochia. Gratianus *d. diſcept.* 298. *per tot.* Ferretus *dict. quæſt.* 32. *num.* 5. Lezana *in Summa, tom.* 3. *verbo Defunctus*, *num.* 4. Gonzalez *ad Reg.* 8 *gloſſ* 6. *num.* 105. Tamburinus *de jur. Abbatum, tom.* 1. *diſput.* 25. *quæſt.* 2. *n.* 31. Lavor. *dict. tit.* 2. *cap.* 4. *à nu.* 215. Samuel *d. controverſ.* 2. *per tot.* Hieronymus Garat. *de jur. Paroch. tit.* 3. *cap. ult.* Salgado *de Regia Protect* 2. *p. cap.* 9. *nu.* 88.

37 In hoc dubio à Doctoribus diverſa admiſcentur; involvunt enim fundamenta probantia dignitatem, & præcedentiam Canonicorum Eccleſiarum Collegiatarum, abſolutè loquendo: tum involvunt cum eadem præcedentia adminiſtrationem in propria Eccleſia Parochiali, faciendam per Parochum, & jura ſuæ adminiſtrationis, & exercitii. Verùm, ut clarè procedamus, dico Parochum ſemper præcedere debere Canonicos, etiam collegialiter aſſociatos in ſua Parochia, quoties exercet proprium officium, ſive ſint Cathedralis, abſente Epiſcopo, ſive Collegialis Eccleſiæ. Et ratio ſumitur ex dictis, nam tunc gerit vicem Epiſcopi, & quia Prælatus dicitur Eccleſiæ Parochialis. Lavor. *dict. cap.* 4. *num.* 214. & 217. Quapropter debet habere præcedentiam omnibus Canonicis, ſive Cathedralis, ſive Collegialis Eccleſiæ. Tum etiam in officio proprio habet ordinem Hierarchicum, immediatum ab officio Epiſcopi; ex eo enim quod Epiſcopi non poterant omnia adminiſtrare, & in omnibus locis ſuæ diœceſis agere, inſtituti ſunt Parochi, quod originem habuit à noſtro Parente D. Petro, qui cùm ad omnia aſſiſtere non potuiſſet, aliquos Presbyteros conſtituit, qui poſteà ad apicem Cardinalatus ſunt vocati. De quo Lantmeter. *de vet. Clericor. victu*, *lib.* 2. *cap.* 70. *verſ. Miſsus*. Hi enim Fideles inſtruebant, & Sacramenta adminiſtrabant, officium Parochorum exercentes. Trullench *de jure Parochi*, *cap.* 1. *nu.* 3. Quæ quidem neceſſitas Dionyſium Summum Præſulem ita adſtrinxit, ut Parochias divideret, ut in qualibet Parochus certus inſtitueretur. Fileſacus *de orig. Paroch. cap.* 4. Barboſa *de offic. Paroch. cap.* 1. *num.* 18. *part.* 1. Capponi *diſcept.* 4. *num.* 2. Hanc ob rem quoties Parochus ſuum proprium officium exercet, utpotè perſona immediatè repræſentans Epiſcopum, debet habere omnem præcedentiam, tam Canonicis Cathedralis quàm Eccleſiæ Collegiatæ. Quo in ſenſu ſunt intelligendæ declarationes Cardinalium, quas ſuprà recenſuimus.

Hinc colligitur ad noſtram ſpeciem, Parochum facien- 38
tem funus intra ſuam Parochiam, præcedere debere Canonicos Collegialis Eccleſiæ, vel Vicecuratum, qui nomine illius exercet. Et probatur facilè, nam ut diximus ſuprà, præcedit Canonicos Eccleſiæ Cathedralis, abſente Epiſcopo, qui ſunt digniores, quàm Canonici Collegiatæ, cùm illi ſint Clerici primi gradus, iſti ſecundi. Innocentius, *in cap. Sedes*, *de Reſcript.* Salgado *dict.* 2. *part. cap.* 9. *num.* 44. Ergo neceſsariò in his funeribus faciendis in ſua Parochia ab ipſo Parocho, debet præcedere Canonicos Collegiatæ. Tum indecens fuiſſet, ut Parochus in propria domo, cum Cappa, & Stola, Canonicis Collegiatæ præcedentiam daret; nam licèt Stola, nec Cappa aliquam juriſdictionem, aut prærogativam det, ſed tantùm ſit ſignum Sacerdotale, ut cenſet Lavorius *dict. cap.* 4. *num.* 217. *in fin.* Attamen negandum non eſt, cum illis ſignis Sacerdotalibus in funeribus exercere proprium officium, ad quod de jure habet fundatam ſuam intentionem, ut diximus *ſuprà*: & in conſequentiam debet præcedere Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ, & alios quoslibet Canonicos, niſi adeſset realiter Epiſcopus, ut etiam admittit Lavorius *d. cap.* 3. *n.* 218.

Si verò non exerceat officium proprium, ſed extra Pa- 39
rochiam ſimul cum Canonicis Collegiatæ, Parochus, vel Parochi vocarentur ad funus aſsociandum, vel ad proceſsionem faciendam, tunc eſt majus dubium, quod pro utraque ſcripſit Barboſa *dict. cap.* 9. *à num* 8. & aliqui affirmant, tunc Canonicos præcedere debere. Et ratio eſt, nam Parochus ratione ſui Beneficii debet præcedere inter pares, non verò inter alios, qui ſunt majoris dignitatis, ut ſunt Canonici Collegiatæ Eccleſiæ, *cap. Licèt canon*, *junctо cap. Statutum*, *de elect. in* 6. Salgado *dict. cap.* 9. *nu.* 45. Ergo ſemper debent præcedere Canonici. Tum etiam alia ratione, nam quando Parochi ſunt extra Parochiam, conſiderantur tamquam ſimplices ſacerdotes, & nullam reſpectu Canonicorum collegialiter ſumptorum poſsunt habere præcedentiam. Gratianus *dict. cap.* 29. *num.* 40. Lavorius *dict. cap.* 3. *num.* 217. Sed tamen pro Parochis eſt adhuc altera ſententia, quam refert Barboſa *dict. cap.* 8. *num.* 9. & probatur, nam Parochi ſunt Superiores aliis quibuſcumque Canonicis, quia habent adminiſtrationem, majorem ſcientiam, ordinem, curam, & periculum, unde præſtantiores ſunt: Ergo ſemper debent eos præcedere, ut ſcripſit Molina *de Canonicis*, *lib.* 2. *cap.* 14. cujus elegantia verba tranſcripſerunt Lavor. *dict. cap.* 3. *num.* 214. Barboſa *dict. cap.* 9. *num.* 2. Hieronymus Garat. *de juribus Parochorum*, *tit.* 1. *cap. ult.* Marchetus *dict. tit.* 40. *num.* 24.

Sed tamen duobus modis conſideranda eſt hæc difficul- 40
tas, nam ad aſſociandum funus poſſunt concurrere Canonici collegialiter extra Parochiã Parochi, vel ad proceſſionẽ fa-

faciendam. Quo quidem casu assero, Canonicos præcedere debere; nam tunc nullo modo Parochus adest nomine Parochiæ, sed tantùm alius quilibet Sacerdos simplex, nullum Officium proprium exercens: quamobrem Canonici Collegialiter adsciti debent præferri. Tum Parochi habent præcedentiam in his, quæ pertinent ad animarum curam, & proprium Officium exercendum. Gratianus *d.cap.*298.*num.* 41. Cùm ergo in hac specie nullam curam, nec proprium officium exerceant, necessariò debent præcedere Canonici. Denique intrat Regula, ut Ecclesia superior debeat præcedere Clericos Ecclesiæ inferioris, prout est Parochus, quando non exercet curam, aut proprium officium, ut benè perpendit Barbosa *d. cap.* 9. *num.*5. Ergo in hac specie semper Canonici Collegiatæ debent præcedere.

41 Si verò non collegialiter Canonici conveniant, sed tantùm ut particulares, ad funus associandum, vel ad aliquam processionem, tunc Parochi debent præcedere, etiam ut particulares; nam habito respectu ad particulares personas, ut est Parochus, & Canonicus, sunt Parochi majoris ordinis, & superioritatis, & Canonici inferioris, ut optimè probat Molina *lib.*2.*de Canonicis*, *cap.* 14. hisce verbis: *Semper igitur Canonici honorent Pastores, & sese coram Deo humiliter inferiores agnoscant, etsi parva quædam hujus sæculi judicia aliud acclament.* Samuel *de sepult. d. tract.*1. *controvers.* 2. *concluf.* 2.*nu.*4. ibi: *Nam Parochus est oculus dexter Episcopi, cujus gerit vices, & ipsi Canonici, etiam Cathedralis Ecclesiæ, honorare debent Pastores, quales sunt Domini Parochi, & sese coram Deo humiles agnoscere debent: licèt prava quædam hujus sæculi judicia aliud acclament, nam Cura est dignior Canonicatu, & præsertim Collegiatarum Ecclesiarum.* Quapropter si concurrant ut particulares, semper sunt Parochi præferendi. Quo in sensu admittenda est sententia relata num.39. asserens, Parochos in his funeribus Canonicis præferendos esse.

42 Sed quid si penes Capitulum sit animarum cura exercenda per ipsos Canonicos per hebdomadas, prout olim fiebat; priscis enim temporibus cura animarum per Canonicos exercebatur, & ipsi tenebantur ad Sacramenta administranda, populum docendum, & alia agenda pertinentia ad Parochias; & quod minus erat eorum exercitium fuit Psalmos canere, ut est testimonium Onuphrii *de Septem Urbis Ecclesiis*, *tit. de Ecclesia Lateranensi*, hisce verbis: *Canonicorum priscis illis temporibus mos erat Sacramenta p'ebi administrare. Nam in psallendo minùs erant occupati, cùm eo tempore Psalmodiam fideles populi frequentarent.* Lantmet. *de vet.Clericor.vict.lib.*2.*cap.*70. *vers.Porrò*, Si tamen hodie in aliqua Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata adsit cura animarum per ipsos Canonicos exercenda, & ad funus associandum concurrat Canonicus cum Parochis, quis præferendus? Et ex dictis resolvendum, Canonicum exercentem curam, solùm ibidem considerari ut Parochum particularem, qui si agat officium in propria Ecclesia, est aliis Parochis anteferendus; si verò tantùm associet, habebit præcedentiam secundùm prærogativam suæ Ecclesiæ, quæ tantùm respectu illius exercitii consideranda est tanquam Parochia. Ratio est, nam quando concurrunt plures Parochi, quisque est præferendus secundùm prærogativam suarum Ecclesiarum, ut censuit Sacra Congregatio, quam refert, & sequitur Barb. *d.cap.*9. *n.*11. *in fin.* Ergo similiter in præsentia.

43 Hæc enim, quæ diximus de Canonicis Collegialium Ecclesiarum, sunt intelligenda quando earum indultum nihil aliud expresserit de præcedentia respectu Parochorum; nam si ad id habeant indultum, aut consuetudinem legitimam, inductam his requisitis, de quibus suprà, utique Canonici illi præcedent, ut supponunt DD. recensiti. Samuel *dict.controvers.*2. *in principio*, qui *concluf.*3. *nu.* 29. asserit, Canonicos Collegiatæ non habentes jus sepeliendi, & funerandi in sua Parochia, non posse erigere Crucem quando cadavera ad suam Ecclesiam asportantur ibidem sepelienda; sed Parochus defuncti debet erigere Crucem Parochiæ, quamvis totum Capitulum associet. Et ratio est, nam in funeralibus tantùm possunt Crucem erigere, qui habent jus sepeliendi. Cùm ergo Canonici isti jus istud non habeant (ut supponimus) ergo nequeunt erigere Crucem, etiamsi defunctus in Ecclesia sepeliatur. Gratianus *d.cap* 298.*num.*88. Gavantus *in Man.Episcopor. verbo Exequiæ*, *num.* 14. Et idem est dicendum, si medietatem, aut aliquam partem funeralium desiderarent, ex eo quod defunctus in sua Ecclesia Collegiata sepeliatur, ob solam sepulturam; nam cùm Ecclesia Collegiata per se, independenter ab aliquo indulto non habeat jus sepeliendi, nec funerandi, in tali casu considerantur Canonici, etiam collegialiter associantes, tanquam alii Clerici particulares. Ergo nequeunt aliquid percipere ex funeralibus tantùm pertinentibus ad illum qui habet jus funerandi defunctum. Mantica *decis.*284. *num.* 6. Lezana *tom.* 2. *cap.*1. *à num.*48. Samuel *dict.controvers.*2.*concluf.*4. *d.n*37. qui *concluf.*5. asserit, quod si Sacrista, aut Capellanus Ecclesiæ Collegiatæ ad funus associandum proficiscatur in sua Ecclesia peragendum, nequibit Crucem erigere, nec locum habere super Parochum defuncti, nec funeralia agere, sed hæc omnia ad ipsum Parochum pertinebunt; quia nequit Sacrista, seu Capellanus habere majus jus quàm Capitulum, cujus loco subrogatur, *cap. Præcipimus dist.*93. Romanus *singul.*340. Gratianus *dict.cap.* 298. *num.*4. Ergo nec Sacrista, aut Capellanus illius Ecclesiæ, quæ venit ad funus, poterit Crucem erigere, nec funus conficere.

Est tamen dubium, quando quis sepeliretur in Ecclesia 44
Cathedrali, an tunc Parocho liceat Crucem deferre, & Stolam, quando Capitulum ipsum associaret funus? Et dicendum videtur, non licere, quia ut dictum est suprà, Parochus officium suum non exercens debet Ecclesiæ Cathedrali sese subiicere, utpotè majoris dignitatis, quia luminare majus offuscat minus, *cap. Solitæ*, §. *Prætereà*, *de majorit. & obedient.* Tum quia omnes Clerici diœcesis debent Cathedrali obedientiam præstare. Abbas *in cap.Cùm non liceat*, *de rescript.not.*3.*num.*2. Felinus *ibidem*, *num.* 2. Quapropter quando funus fit in Ecclesia Cathedrali, Parochus debet se submittere Cathedrali, nec Stolam, nec Crucem deferre, prout judex minor non administrat, præsente majore, nisi major assentiat, *cap. Denique*, *dist.*1. *cap.penult. & ult. dist.* 95. *cap. Antiqua*, §. *Dominicæ*, *de præbend.* ubi Glossa, & communiter DD. & quia cum majori judice minor deponit insignia, & non utitur in aliena jurisdictione, *l.* 1. *& ult. ff. de offic. Proconsul.* ubi Scribentes, Abbas *in cap.* 1. *ut lit. pend. num.* 1. Ergo Parochum, quando funus fit in Cathedrali, & extra Parochiam propriam, nec Crucem, nec Stolam deferre posse, existente præsente Capitulo Cathedralis, asserendum videtur.

Sed in contrarium sunt alia fundamenta, nempè defun- 45
ctum esse propriæ Parochiæ, & Parochus habet fundatam suam intentionem ad funus suorum Parochianorum, ut dictum est supra, *cap.Nostra* 10. *de sepult.* Marius Antonius *lib.*1. *resol.* 112. *casu* 59. *vers.*4. quapropter licèt sepeliendus sit in Ecclesia Cathedrali, non perdet jus funerandi: quapropter habebit jus ad deferendam Crucem, & Stolam ad illud funus conficiendum. Cæterùm licèt Ecclesia Cathedralis dicatur Parochialis totius diœcesis, *cap.* 1. *de Rapt.* Lapus *allegat.*62.*num* 4. Guttierez *Canon. quæst. lib.* 1. *cap.* 27. *à n.* 24. & habet majoritatem respectu aliarum Ecclesiarum inferiorum; non tamen id est cum præjudicio Parochialium Ecclesiarum, ita ut Parochiani non dicantur proprii illius Ecclesiæ, itaut Parochus non possit associare funus defuncti Parochiani. Ergo licet Parochianus sepeliatur in Ecclesia Cathedrali, adhuc tamen Parochus poterit Crucem deferre, & Stolam in ejus funere. Prætereà etiamsi deferat Crucem, & Stolam, nihil aufertur de dignitate Capituli, nec minor debet deponere insignia, quando ipse exercet suam propriam jurisdictionem; nam licèt insignia debeant deponi coram majori, ob reverentiam, non tamen quoad jurisdictionem contentiosam, *cap. Pervenit* 11. *quæst.* 1. *Auth.de defens. Civit.* §. *Nulli*, Butrius *in cap. Volentes*, *de offic. delegat. nu.* 6. Quapropter semper Parochus poterit in similibus funeribus Crucem deferre, & Stolam, ut latè defendit Lavor. *d.tit.* 2. *cap.* 11. *à n* 11.

In re tamen animadvertendum, aliquibus modis casum 46
hunc accidere posse, nempè quando quis esset Parochianus certus alicujus Parochiæ, verùm sepulturam elegerit in Ecclesia Cathedrali, aut ibidem habuerit sepulturam suorum majorum; quia tunc, ut posteà dicemus, si decedat nulla electa, ibidem erit sepeliendus: vel id accidere valet, quando Canonicus domicilium habuerit in aliqua Parochia, verùm nulla electa sepultura decedat; quia

quia

quia in Eccleſia Cathedrali eſt ſepeliendus Innocentius *in cap.1.de ſepult.* Medicis *de ſepult.* 1. *quæſt.* 6. *n.* 8. Lavorius *dict. cap.* 11. *num.* 62. Urrutigoyti *de Eccleſia Cathedr. cap.* 17. *num.* 15.

47 Hinc in his duobus caſibus diſcutienda eſt illa quæſtio ſuprà poſita. Et in primis, quando Parochianus eſt proprius Parochi, & eſt tumulandus in Eccleſia Cathedrali, dicendum videtur, minimè eſſe vocandum, Parochum, nec poſſe in aſſociatione deferre Crucem, nec Stolam. Et probatur, nam ut declaravit Sacra Congregatio in Telſina, 18. Auguſti 1629. & in una Adrian. 29. Novembris 1631. quas refert Samuel *de ſepult. tract.* 1. *controverſ.* 5. *concluſ.* 3. *num.* 6. & eas ſequitur, quando cadaver in Eccleſia Cathedrali ſepelitur, irrequiſito proprio Parocho, licitè, ac liberè levatur è domo, ſeu ab Eccleſia Parochiali, & ad Matricem defertur. Ergo nullum jus relinquitur Parocho in funere illo: Ergo nequibit, nec Crucem, nec Stolam deferre. Prætereà, licet prout eſt proprius Parochianus, haberet aliquod jus, non poterit tamen deferre Crucem; nam quoties adeſt Crux Eccleſiæ Cathedralis, nequit alia erigi in aſſociatione funeris, prout declaravit Sacra Congregatio in una Piſaurienſi 22. Martii 1631 ut quando adeſt Eccleſia Cathedralis cum Regularibus, id fit ob reverentiam Matricis. Samuel *dict. tract.* 1. *controverſ.* 3. *num.* 39. *concluſ.* 6. Ergo licèt Parochus habeat aliquod jus ad aſſociandum funus, nequibit in hac ſpecie, nec Crucem, nec Stolam deferre.

48 Verùm in hoc caſu contrarium teneo, nempè Parochum proprium poſſe aſſociare funus cum Cruce, & Stola, ſalva prærogativa Eccleſiæ Cathedralis, tam in præcedentia Canonicorum, quàm eorum Crucis: nec ullo modo Parochus eſt negligendus à Canonicis. Et probatur, nam Parochus in his, qui ſunt Parochiani, habet proprium jus ad funus eorum: nec ex eo quod alibi, aut in Eccleſia Cathedrali ſepeliantur, poteſt hoc jure privari, nempè aſſociandi cum inſignis Parochiæ, quin potiùs ob hanc aſſociationem, quando alibi ſepeliuntur, obventiones percipit, & eis privatur, ſi non aſſociet, ut declaravit Sacra Congregatio 1. Februarii 1641. & refert Samuel *dict. tract.* 1. *controverſ.* 5. *concluſ.* 2. *num.* 4. nec enim eſt negligendus, nec excludendus Parochus proprius, ut declaravit Sacra Congregatio, quam refert, & ſequitur Barboſa *de offic. Parochi*, 3. *part. cap.* 26. *num.* 62. Lezana *tom.* 2. *verbo Sepultura quoad Regul. n.* 5. Ergo ſimile jus debet habere etiamſi defunctus ſepeliatur in Eccleſia Cathedrali, ut aſſociet cum inſignitis Parochiæ; Cæterùm probatur, nam nec Capitulum, nec Canonici Eccleſiæ Cathedralis, queunt, irrequiſito Parocho, defunctum levare è domo ſua: quo in ſenſu intelligendæ ſunt declarationes Cardinalium ſuprà recenſitæ, quas non rectè adduxit Samuel pro contraria parte, ut conſtat ex declaratione in Adrianenſi, 29. Novembris 1631. Ugolinus *de offic. Epiſcop. cap.* 17. *num.* 3. Gratianus *diſcept. tom.* 3. *cap.* 492. *à num.* 34. Barboſa *de offic. Parochi*, 3. *p. cap.* 26. *num.* 66. *& lib.* 2. *de univerſ. jur. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 66. Marchetus *dict. tit.* 40. *num.* 11. Unde ſequitur, ratione ipſius Parochialitatis jus habere ad funus etiamſi cadaver in Cathedrali humetur, itaut poſſit aſſociare cum Cruce, & Stola; aliàs tamen nulla requiſitio eſſet neceſſaria, cùm ad nihil deſerviret, nec ſuperfluitas in jure admittenda eſt, *l. Tunc cogendum*, *§. Sabinus*, *ff. de Procurat.* Scaccia *de commerc. §.* 7. *gloſſ.* 3. *num.* 20. Gratianus *num.* 4. *diſceptat. cap.* 639. *num.* 31. & multa prohibita ſunt, ne ſuperfluitas inducatur. Tuſcus *lit S. concluſ.* 894. Cæterùm licèt Cathedralis ſit Parochia totius diœceſis, *capit. Licèt in Regulis* 16. *quæſt.* 3. & Clerici, & laici poſſint ibidem abſque licentia Parochi Sacramenta recipere, Abbas *in cap. Omnis*, *de pœnit. & remiſs. num.* 12. Lavor. *dict. tit.* 2. *cap.* 11. *num.* 65. & ſi Eccleſia Parochialis ſi interdicta, debeat Parochianus in Cathedrali ſepeliri, Riccius *in praxi*, 4. *p. reſolut.* 294. Antonellus *de Regimine Eccleſiæ Epiſcop. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 16. Unde cùm habeat jus ſepeliendi, debet habere jus ſe introducendi in aliena Parochia ad funus peragendum, quia aliquo conceſſo, conceditur neceſſarium ad illud peragendum, *l.* 3. *§. fin. ff. de ſervit. ruſtit. c. Prudentiam* 4. *de offic. delegat.* id tamen intelligendum abſque præjudicio tertii, nempè proprii Parochi habentis jus ad funus aſſociandum cum ſua Cruce & Stola; hoc enim non tollitur ex facultate funerandi conceſſa Cathedralibus Ergo rectè Parochi poſſunt aſſociare funus proprii Parochiani, licèt in Cathedrali ſepeliatur.

Denique licèt Cathedrali debeatur præcedentia, & majoritas in caſu, quando in ea ſepelitur cadaver, & non in Parochia, Ferrus *dict. quæſt.* 32. *num.* 3. non tamen ex eo quod Parochus cum Cruce, & Stola aſſociet funus, perdit hanc præcedentiam; nam ſupponimus eam habere debere, ſicut in aliis proceſſionibus, ubi Capitulum Cathedralis, & Parochi concurrunt, in quibus nihil Cathedrali detrahitur ex eo quod in ſuo loco, data præcedentia, ibidem adſint Cruces aliarum Parochiarum, & earum Rectores; quod idem dicendum eſt in ſpecie: & licèt alia Crux non deferatur, quando adeſt Crux Cathedralis, Praxis Archiepiſcop. Neapolit. cap. 74. & ex declaratione Cardinalium ita obſervent Regulares; id tamen intelligendum quando data legitima præcedentia, & reverentia ex proprio jure Parochiali, Rector Eccleſiæ ad funus aſſociandum accedit: vel intelligenda eſt doctrina illa quando nulla præcedentia, aut reverentia Cruci Cathedralis deferretur. 40

Alter caſus eſt quando Canonicus in aliqua Parochia vixerit, & domicilium habuerit; & tunc contrarium eſt dicendum: nam licèt controverſum ſit, an in Cathedrali, aut Parochiali Eccleſia ſit ſepeliendus, melior tamen ſententia eſt, ut ſepeliendus ſit in Cathedrali, ubi utplurimùm Sacramenta percipit, & Divina peragit. Lapus *allegat.* 62. *num.* 4. Fuſcus *de Viſit. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 12. Antonellus *dict. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 12. Antonellus *dict. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 29. Tuſcus *tom.* 6. *litt. P. concluſ.* 99. *num.* 5. Ergo cùm Parochus nullum jus habeat ad funus illius, inde eſt, ut non poſſit deferre Crucem, & Stolam ad ejus aſſociationem. Deinde eo ſolido fundamento aſſeruimus, poſſe id facere Parochum, quia defunctus eſt ejus Parochianus, quod deficit in Canonicis, & aliis dignitatibus habentibus Beneficium in Cathedrali; nam non ſunt Parochiam illius Parochiæ, ubi habitant, ſed Eccleſiæ Cathedralis; quia plus conſideratur ubi quis percipit Sacramenta, & audit divina, quàm ubi habitat, *cap. Cum quis* 3. *de ſepult. lib.* 6. Petrus de Ubaldis *de Can. Parochiano*, *cap.* 7. *nu.* 11. Quapropter non eſt Canonicus Parochianus illius Eccleſiæ, ubi habitat, ſed Cathedralis, ubi continuè percipit Sacramenta, & divina audit, aut peragit. Quintilianus *ad Lap. dict. allegat.* 62. *lit K.* Bonacin. *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 21. *punct.* 3. *propoſit.* 2. *num.* 6. *verſ. Decimo*, Diana 5. *part. tract.* 3. *reſolut.* 111. Urrutigoyti *dict. cap.* 17. *nu.* 58. Ergo cùm Parochianus non ſit illius Eccleſiæ, ubi habet domicilium, Parochus nullum jus habet ad aſſociandum funus Canonici, ſeu dignitatis Eccleſiæ Cathedralis, nec ad Crucem ferendam, nec Stolam, tanquam inſignia Eccleſiæ Parochialis. 50

Prætereà Sacra Congregatio in una Ferrarienſi, 7. Septembris 1613. cenſuit Parochum ad libitum vocare ad funus Clericos, quos voluerit; nec cogitur vocare vicinores, niſi aliter fuerit diſpoſitum ab hæredibus defuncti, quorum voluntas eſt ſervanda. Ex qua quidem declaratione ſatis depromitur, intelligendum illam facultatem conceſſam eſſe Parochis, niſi aliter ab hæredibus defuncti diſpoſitum fuerit, quibus in primis competit deſtinare numerum Sacerdotum, & cætera ad defunctum aſſociandum, quolibet prætextu Parochorum deducto non obſtante, ut reſpondit Congregatio Epiſcoporum in una Caſ. 5. Maii 1617. quibus ab hæredibus deſignatis, Parochus alteros nequit convocare, ut cenſuit Congregatio in Laudenſi 20. Auguſti 1601. quapropter prima declaratio ſolùm eſt intelligenda quando hæredes nullos Clericos deſignaverint, in quo caſu Parochus eos deſignare poterit: quod idem eſt dicendum, ſi deſignati fuerint à teſtatore defuncti. Barboſa *dict.* 3. *par. cap.* 26. *à num.* 57. *& de univerſ. jur. lib.* 2. *cap.* 10. *à num.* 57. Samuel *de ſepultur. tract.* 1. *controverſ.* 5. *concluſ.* 10. *à num.* 21. Lavorius *dict. tit.* 2 *capit.* 3. *à numer.* 101. Si tamen Parochus præter deſignatos à teſtatore, vel ab hæredibus alios ad funus aſſociandum deſignaverit, convocaveritque, erit onus hæredum, & ad reſtitutionem illius tenebitur, cùm id agere non poſſet. Sanchez *in Select. diſp.* 47. *num.* 24. Marchetus *de ſepult. tit.* 40. *num.* 3. 51

Si tamen Confraternitates vocatæ fuerint ad funus aſſociandum, ad funeralia poſſunt accedere, aliàs non; & 52

ed

ad id requiri ſpecialem vocationem, cenſui Sacra Congregatio Rituum in Bononienſi, 9. Decembris 1617. Verùm id Parochi advertere debent, quando ſpecialiter vocantur Confraternitates, ne permittant ut in actu aſſociationis Crucem erigant; eſt enim eis interdictum, ut declaravit Sacra Congregatio *in Adrian.* 22. *Novembris* 1631. *ad dub.* 2. Samuel *d. controv.* 5. *concl.* 9. *n.* 29. & 20. Barboſa *d. cap.* 26. *nu* 61. & *de univ. jur. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 61.

53 Clerici enim, vel Confraternitates ad funus vocati debent convenire ad Parochialem defuncti, vel ad aliam Eccleſiam, juxta loci conſuetudinem; nec permittendum expectare per vias, vel ad domum defuncti, non obſtante contraria conſuetudine expectandi per vias, vel ad domum defuncti, ut cenſuerunt duæ declarationes in Bononienſi, 9. Decemb. 1617. & in Tull. 12. Februarii 1633. quapropter ad Parochiam debent convenire, & inde ſimul cum Parocho, aut ejus Vicario proceſſionaliter ire ad aſportandum cadaver. Marchetus *d. tit.* 40. *n.* 8. Barboſa *d. c.* 10. *n.* 63. & *d. cap.* 26. *nu.* 63.

54 Qui in utroque loco, nu. 64. ſcripſit, Regulares vocatos ad ſepeliendum corpus, etiam in propria Eccleſia, debere accedere ad Eccleſias, unde cadavera aſportantur, & amoventur, & inde cum Clero Sæculari diſcedere; non autem expectare extra januam Eccleſiæ, ut inde aſſociare poſſint, ut fuit reſolutum in Congregat. Epiſcop. in Viglevan. 13. Novemb. 1600. Si tamen in eorum Eccleſia funus agendum non erit, debent convenire in Parochiali, aut in Eccleſia alia juxta loci cõſuetudinem, non verò expectare per vias, aut ire ad domum defuncti, ut declaravit Sacra Congregatio in Limenſi, 15. Decemb. 1632. & inde ire cum Parocho ad extrahendum cadaver. Barboſ. ubi proximè, *n.* 65. Marchetus *d. tit.* 40. *n.* 7.

55 Illud verò obliviſcendum non eſt, quod quando corpora ſepulturæ traduntur in Parochiis propriis, aut in aliis Eccleſiis Clericorum, aut laicarum Confraternitatum, aut in Oratoriis, ad Parochum ſpectat deſtinare vias per quas funus incedere debeat, niſi alias conſuetudo ſic ſpectet ad hæredes, ut in una Caſtellanenſi, 2. Januar. 1594. cenſuit Congregatio Epiſcop. & Regul. & in una Brigianenſi, 18. Junii 1591. Samuel *de Sepult. d. tract.* 1. *controv.* 5. *concluſ.* 7. *à nu.* 13. Marchetus *d tit.* 40. *n.* 17.

56 Quanto verò tempore à morte Parochus debeat detinere corpus, antequam ſepeliatur, res quidem incerta eſt; in aliquibus enim locis obſervatur ut octo per horas detineatur, in aliis per ſex ſervatur, ut obſervatum vidiſſe teſtatur Poſſevinus *de offic. Curat. c.* 14. *n.* 1. alibi verò per quatuordecim horas, Lavorius *tit.* 2. *c.* 2. *n.* 42. Marchetus *de ſepult. tit.* 38. *à n.* 4. Verùm hoc arbitrio diſcreti Parochi eſt relinquendum; quando enim dubium aliquod exiſtit ratione infirmitatis, an defunctus verè ſit, necne? Medici conſulendi ſunt, quorum placito funus detinere oportet, ne aliquod grave damnum ſequatur, ut ſcripſit idem Poſſevinus de multis, qui vivi ſepulti ſunt, de quibus Reyes *juc. q.* 79. *nu.* 11. & aliqui ſepulturæ jam deſtinati, revixere, SchenKius *lib.* 1. *obſer. Medic. cur.* 170. Valer. *lib.* 1. *c.* 8. Sunt enim aliqui morbi, præcipuè tres, in quibus ſolet homo aliquando abſque ſenſu, & motu permanere, & mortuo ſimillimus apparere, prout ſunt apoplexia, ſyncope, & uteri ſuffocatio, quibus Paulus Zacchias *lib.* 4. *q. Medicol. tit.* 1. *q.* 11. *num.* 30. annectit epilepſiam graviſſimam, ut nec ab apoplexia diſtingui valet, vel aquæ ſuffocationem, quod ita affectos licèt communiter perſuaſum ſit perire, quia multùm aquæ hauriant; attamen ſuffocari potiùs conſtat ex eo quod reſpirare non poſſint: huic autem ſuffocationi adjungit ſuſpenſionem ex laqueo, vel ex carbonum fumo, Reyes *jucund. q.* 79. *n.* 10. multi enim ex his ſuffocationibus revixere, ut latius ipſe proſequitur. Quapropter in ſimilibus infirmitatibus non citò, ſed paulatim procedere Parochus ad funus faciendum Medicos conſulendo, & alia faciendo neceſſariò ſcienda, ne vivus aliquis ſepeliatur: quare Medici inquiunt tales non eſſe ſepeliendos intra ſpatium ſeptuaginta horarum, aut ad minus quadraginta octo. Rhaſis *lib.* 1. *continent. tract.* 1. *cap.* 4. Zacutus *de Princip. Medicorum Hiſt. lib.* 1. *hiſt.* 34. *verſ. Quare cum*, & *obſerv.* 32. Reyes *d. q.* 79. *n.* 12.

57 Nec abs re erit aliqua ſigna hic adhibere ad dignoſcendum an infirmus è vita migraverit, quæ licèt in communi Medicorum placito certiſſima non ſint, attamen multùm conducunt ad aliquam certitudinem capiendam, & ſecurè operandum. Solet in his caſibus goſſipii, ſeu lanæ tenuiſſimè carptæ flocculum, vel accenſam candelam oriri jacentis Medicus, ſeu alius admovere, ut motu, ſeu immobilitate flocculi, aut flammæ candelæ, deprehendat mortem, aut vitam infirmi: vel ſolent alteri imponere ſuper ægri pectus cyathum aqua plenum, ut ex ejus motu vitam explorent: vel etiam puriſſimum ſpeculum ad os infirmi admovent, quod ſi infectum, aut offuſcatum viderint, vivum adhuc exiſtimant; ſi verò non, defunctum: quæ quidem ſigna recenſet Zacchias *d. q.* 11. *à n.* 54. qui *n.* 55. aſſerit evidentiorem cognitionem fieri poſſe ex accidentibus ipſius morbi, quæ ſi fortiſſima fuerint, & validiſſima, ex numero eorum quantum exitialia ſint conſiderabitur, aut modicam ſpem vitæ relinquunt, prout in ſyncope, ſi abſque manifeſta cauſa proveniat, atque illicò ægrotus omni motu, ſenſu, pulſu, & reſpiratione privetur, cum faciei lividitate, cum tenui, ac frigido ſudore, pallore, & intenſa partium frigiditate; tunc enim mortuus eſt cenſendus, maximè ſi antea ſolebat abſque cauſa manifeſta exſolvi frequenter, & fortiter. Zacutus *Praxi Hiſt. lib.* 1. *cap.* 7. *verſ. Differentia*, *verſ. Licèt autem*, Reyes *d. q.* 79. *à num.* 15.

Cæterùm in quacumque ſuffocatione, ſi ſpuma in ore 58
apparuerit, de morte major erit certitudo: de his enim Hippocrates 2. *Aphoriſm.* 43. ſcripſit, non ampliùs ad vitam remeare. Sed hoc ultimum Galenus *in comment. illius Aphoriſmi*, incertum dicit, cùm aliquando revocentur, Reyes *qu.* 79. *nu.* 4. Sed tamen negandum non eſt, exitialiſſimum, & quo apparente perpauci mortem aufugiant, maximè ſi reſpirationis deperditioni, & totali ejus abſciſſioni adjunctum remaneat, & aliis ſæviſſimis ſymptomatibus, quia fortiſſimam apoplexiam, & ſuffocationem demonſtrat, à quibus perpauci liberantur. Hippocrates 2. *Aphoriſm.* 42. Reyes *à nu.* 5. & quamvis in ſimilibus moribus tres dies aſſignentur à Medicis omnibus pro termino vivendi, Avicen. 3. *p. tr.* 5. *c.* 12. Mercur. *Pract. lib.* 1. *cap.* 19. Valles *lib.* 1. *Philunii*, *cap.* 19. *in Clar.* Paſchal. *lib.* 1. *pract. c.* 13. Zacutus *d. hiſt.* 34. *Paraph. verſ. Quare*, attamen quando in ſuffocatione ſpuma cum his ſignis proſpicitur, nec ad tertium uſque diem perdurat ægrotus, ut cum Holler. & Piſo notat Zacchias *d. q.* 11. *n.* 55.

Prætereà, ſi facies appareat livida, & nigra, aut viridis, 59
mortis ſignum eſt; talia enim præbent indicium caloris ſuffocati, & extincti, quod quidem certam mortem reddit. Idem dicendum ſit multa remedia ſternutatoria naribus ægroti applicentur, & ille non ſternutaverit; tunc enim pro mortuo erit judicandus, id namque conſopitam, & extinctam virtutem omnem denotat, quæ ſi adhuc aliquantula in illo extitiſſet, aut permaneret, ad ſternutatorii irritationem expergiſceretur. Tum denique alia ſunt conſideranda, maximè oculi; ſi enim homo vivit, quantumvis ſit vita exilis, tantiſper fulgere, & intuentium imaginem reddere ſolent. Sunt etiam membra proſpicienda, an rigida evadant, & nullo modo flexibilia; ſqualor enim, & eorum ſiccitas, licet in vivo poſſint remanere, non tamen adeò conſpicua ſunt. Conſiderandus etiam livor partium, aut alicujus partis, æſtuatio cadaveris, & fœtor ex ipſius putredine ortus, ut latè proſequitur Zacchias *d. q.* 11. *à n* 55. Mercatus *lib.* 1. *de intern. morbo ca.* 13. Piſo *de morb. cur. & cognoſcend. lib.* 1. *c.* 16. Reyes *jucund. Quæſt. q.* 79. *à n.* 9.

Illud verò à Parocho curandum, ut tempore peſtis quam- 60
citiſſimè mortuorum cadavera ſepulturæ mandentur, & altè defodi curet; quia citiſſimè putreſcunt. Ambroſius Parcus *lib.* 21. *c.* 10. Zacchias *q. Medicol. lib.* 3. *tit.* 3. *q.* 4. *n.* 22.

Verùm, qua hora, & die funus ſit faciendum, deſignatum 61
in jure non eſt; aliquibus enim in partibus de noctu prohibitum eſt mortuos ſepelire, quod credo admittendum, ſi id fiat ſecretè abſque Eccleſiaſticorum aſſociatione, & funeralibus ſacris ritibus; quamobrem in hoc Archiepiſcopatu rectè decretum eſt, ne defuncti in curribus (vulgò *Coches*) ad funus deferantur ſecretò, & abſque Eccleſiaſticis ritibus, *conſtit.* 3. *de ſepult.* Hinc (ſi aliqua Conſtitutio non impediat) qualibet die, & hora, niſi inſueta, & nocturna ſit, funus peragi valet, etiam in die Paraſceves, non tamen pulſatis Campanis. In re tamen videnda ſunt Synodalia, & quidquid diſpoſuerint obſervandum. Poſſevinus *d. c.* 14. *n.* 2. Barboſa *d. 3. p. c.* 26. *n.* 37. & *de Univerſ. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 37. Samuel *de ſepult. tr.* 1. *controverſ.* 4. *nu.* 24.

CA-

CAPUT III.

De juribus funerandi ex privilegio Regularibus concessis.

SUMMARIUM.

De jure communi funera pertinent ad Parochiam, verùm etiam aliis competunt ex privilegio, veluti Regularibus; possunt enim sepelire suos famulos, & alios eligentes sepulturam in suis Ecclesiis, dummodò Quartam relinquatur Parochiæ, nu.1.

Nequit Parochus impedire, quin aliquis eligat sepulturam in suis Ecclesiis, alias si violenter rapiat funus, perdit Quartam, ibid.

An Regulares in aliena Parochia possint intrare, & invicto Rectore, seu Episcopo, funus levare. Prima sententia affirmat ex Constitutione Sixti IV. numero 2.

Secunda negat privilegium strictè interpretandum; possunt enim Regulares intrare, invito Rectore, ad levandum corpus proprii Monachi, n. 3.

Constitutiones Sixti IV. & Pii V. ut Regulares intrent ad Parochiam alienam processionaliter cum Cruce, irrequisito Parocho, abrogatæ sunt à Leone X. & in eo standum jure communi, n. 4.

Admittitur secunda sententia, & stabilitur, n. 5.

Fit instantia, & respondetur, n. 6.

Explicatur textus in l. 2. §. fin. ff. de servit. præd. urb. *num. 7.*

Declaratur regula illa: Aliquo concesso, etiam concessum videtur quidquid est necessarium ad causæ expeditionem. Si irrequisito Parocho intrent Regulares ejus Parochiam, poterit auferre eorum Crucem, numero 8.

Requisito Parocho, & venia petita, si ad funus venire ipse recuset, tunc Regulares valent eo invito, intrare, & levare corpus, n. 9.

Resolvitur quæstio, n. 10.

Ubi expenditur textus in l. Quemadmodum 29. §. 1. ff. ad l. Aquil.

Parochus tenetur associare funus usque ad portam Ecclesiæ Monasterii; in his verò poterit intus intrare, alias graviter peccabit, si dederit occasionem rixis, numer. 10.

Ad quem pertinet designare viam, & erigere funus, quando cadaver tumulatur in Ecclesia Regularium. Prima sententia asserit, ad Regulares pertinere, numer. 12.

Secunda ad Parochum defuncti, n. 13.

Admittitur hæc sententia, absolutè loquendo, & explicatur quando transitus fit per Parochiam; nam in jus funerandi, etiam liberè concessum, non tollit jus istud, num. 14.

Fit instantia, & respondetur, ibid.

An Regulares possint ire processionaliter pro defuncto, Aliqui affirmant, alii negant, n. 15.

Regulares nequeunt facere processiones, nisi intra ambitum suæ Ecclesiæ. Excipitur, stante contraria consuetudine, n. 16.

Si funus dicendum sit per locum exemptum, à quo parum distet domus defuncti, tunc designare pertinebit ad Regulares, n. 17.

Ad Parochum pertinet levare corpus ad illud tumulandum in Ecclesiis Regularium, docere Antiphonam Subvenite, *& aquæ benedictæ asperſionem facere; Officium verò dicendum in Regularium Ecclesia, ab ipsis faciendum, non à Parocho, nisi ex licentia expressa Superioris, n. 18. & 19.*

An sustinenda sit consuetudo immemorialis, ut Paeochus, seu Canonicus faciat Officium defuncti in Ecclesiis Regularium. Et negandum videtur. Reprobata consuetudine, etiam immemorialis reprobata videtur, ut censuit Carrasco. Non valet immemorialis, ut judex sæcularis cognoscat de causa Clerici, numero 20.

Sed in specie contrarium tenet Gratianus, num. 21. Reprobata consuetudine, non intelligitur immemorialis, ut est communis sententia. Consuetudo immemorialis habet vim legis, & privilegii, & est immutabilis. In funeralibus multum valet consuetudo, & in præcedentis, nu. 21.

Facilè admittitur sententia Gratiani respectu Parochorum, quia est rationabilis. Consuetudo date jurisdictionem personæ capaci, nu. 22.

Majus est dubium circa Canonicos. Si Ecclesia Cathedralis habet Parochiam, deserviens Canonicus ut Parochus est censendus, ut servetur hæc consuetudo, numero 23.

Si verò perveniat ad funus ut Canonicus, videtur non posse valere consuetudinem, ut irrationabilem, quæ etiam immemorialis non suffragatur, ibid.

Sed contrarium tenendum. Consuetudo immemorialis supponit causam meliorem, & potentior est privilegio, & supponit in infinitum. Privilegia Religiosorum præscribuntur per immemorialem, vel quadraginta annos, immò per non usum, & spatio sexaginta annorum, vel centum, nu. 24.

Fit instantia, & respondetur, n. 25.

Explicantur textus in cap. Ad nostram 3. de consuetudine, & capit. Cùm olim 6. eodem tit. *Per non usum præscribitur privilegium non solvendi decimas, numer. 25.*

Consuetudo immemorialis quomodo probetur, n. 26.

Sed an secluſa consuetudine, si Canonici ad funus perveniant, debeant facere officium in Ecclesiis Regularium. Affirmavit Salgado, n. 27.

Sed negarunt alteri, n. 28.

Admittitur hæc secunda sententia. Honor non est deferendus in præjudicium tertii. Ex urbanitate non læditur proprium jus, nu. 29.

Regulares an possint ire processionaliter cum Cruce ad corpus asportandum, & tumulandum in sua Ecclesia. Prima sententia affirmat, n. 30.

Secunda negat, n. 31.

Tertia dicit, standum consuetudini, n. 32.

Admittitur secunda, & defenditur, à n. 33.

Et quid in praxi, n. 34.

Declaratio Cardinalium, ut una tantùm Crux deferatur in funeribus illius Ecclesiæ, ubi est defunctus tumulandus, explicatur, ibidem.

Non admittitur Samuel asserens, Parochum absque Cruce associare debere funus usque ad portam Monasterii, num. 35.

In his si adsit consuetudo, erit observanda, n. 36.

Examinatur Samuel scribens, consuetudinem, ut Parochus ferat Crucem in funeribus faciendis in Ecclesiis Regularium, ad lucrandam dimidiam partem funeralium, invalidam esse. Nulla consuetudo valet absque consensu totius communitatis, n. 37.

Sed defenditur contrarium. Consuetudo obvians sacris Canonibus, & introducens, abusum, non sustinetur, nu. 38.

Quarta debetur Parocho, aliquando tertia, & aliquando dimidia pars funeralium, prout fuerit in consuetudine, nu. 39.

Consuetudo ut Parochus ferat dimidium funeralium, sufficit quod per decennium fuerit admissa, numero 40.

Similis consuetudo nequit dici ex avaritia introducta, nec cum peccato sustineri, n. 41.

Quartam, seu aliam partem funeralium non percipiunt Parochi pro funeralibus, sed pro labore, & administratione, n. 42.

Nec si dimidiam partem ferant, tenetur ad restitutionem, nu. 43.

Quando cadavera tumulantur in Ecclesiis Regularium, nequeunt Parochi majorem eleemosynam percipere, quàm si in suis Ecclesiis tumularentur; nec obligare hæredes ad tot officia, seu legata, n. 44.

Nec possunt plus recipere, quando exteri in suis Ecclesiis sepeliuntur, quàm si Parochiani sepelirentur, ibidem.

Nequit corpus insepultum remanere, aut detineri occasione quartæ non solutæ, aut prætextu alicujus interesse, num. 45.

Idque

Idque maximè Parochis commendatur, pauperes autem sunt gratis humandi: & quis ad id pauper dicatur, numer. 46.

*An Parochus, quando suus Parochianus sepelitur in Ecclesia unita Monasterio, possit illam intrare cum Cappa, & Stola? Affirmandum videtur. Visitatio in his Ecclesiis pertinet ad Episcopum. Episcopus nequit se intromittere in Ecclesiis propriè Regularium, num.*47.

*Sed negat Samuel. Ecclesiæ per unionem fiunt Regularium, num.*48.

*Unio Ecclesiarum tribus modis fit, nempè quando ex duabus Ecclesiis fit una, vel quando unitur accessoriè, ut alteri subiiciatur, n.*50.

Quod aliquibus modis fit, de quibus, n. 51.

*Fit etiam, quando æquè principaliter uniuntur, nu.*52.

In primo, & secundo modo unitæ Ecclesiæ fiunt Regulares, num. 53. *Nisi unio fiat solùm quoad temporalia, numer.* 54.

Quando unio fit æquè principaliter, & Ecclesia est deservienda per Regulares, tunc fit Regularis, & nequit Parochus intrare cum Cappa, & Stola: Si verò est deservienda per Vicarium perpetuum, & decimas, & oblationes percipiat, solumque pensionem, aut partem præstet Abbati, Ecclesia est sæcularis, & intrabit prout in aliis Ecclesiis Sæcularibus, num. 55. *&* 56. *Respondetur fundamentis positis, nu.* 47.

*Ex eo quod Episcopus visitet Ecclesiam, non desinit esse Regularis, n.*57.

*Quando Regulares vocantur ad funus, debent convenire in Parochiali, aut in domo defuncti, n.*58.

*Quando Religiones concurrunt ad funus, vel processiones, ordinem, & præcedentiam debent observare. Recensentur varia ad id Decreta, nu.*59.

*In his præcedentiis observanda est consuetudo, etiamsi sit contra jus, & est manutenibilis, si est temporis considerabilis, nu.*60.

*Si non adsit consuetudo, attendenda est antiquitas Religionum à confirmatione, n.*61.

*Semper Clerus Sæcularis est præferendus, nec Religiosi cum Clericis sunt permiscendi: sequuntur postea Canonici Regulares, n.*62.

*Quidam dixerunt, ob antiquitatem Basilianos esse præferendos Benedictinis; posteà Religiones mendicantes sequuntur, inter quas solet esse dissensio, nu.*63.

*Fratres Prædicatores aliis Mendicantibus præferuntur, num.*64.

*Et sic observatur in Hispania, n.*65.

Sublata est Bulla Gregorii XIII. quia non est recepta: quod sufficit per decennium, ibid.

*Post Fratres Prædicatores succedunt Fratres Sancti Francisci, & Eremitarum Sancti Augustini, Carmelitani, & de Sancta Maria à Mercede: & sic de praxi: numer.*66.

An quando Fratres D. Augustini Discalceati intrant ad habitandam domum desertam à Calceatis, præferendi sint aliis Religiosis, quibus præferuntur Calceati? Affirmavit Tondutus, n. 67.

Sed contrarium ut probabile defenditur. Fratres Discalceati Sancti Augustini sunt separati à Calceatis, & reguntur per Vicarium generalem. Subrogatus cæpit naturam ejus cui subrogatur, & eisdem utitur privilegiis. Ad subrogationem debet esse potentia activa ex parte subrogantis, nu. 68.

Respondetur Tonduto, n. 69.

Parochus, si impediat electionem sepulturæ in Ecclesiis Regularium, excommunicatos remanet; & si defunctum rapiat, cogetur restituere, & quidquid hac occasione receperit, & quarta etiam privabitur, numer. 70.

1 JAm diximus suprà, jure communi funera defunctorum Fidelium pertinere ad Parochiam, ubi sunt Parochiani verùm etiam aliis competit ex privilegio, nempè Regularibus: idque eis concessum est, nam possunt in suis Ecclesiis sepelire famulos, qui in suis obsequiis morantur, sicut & illis Sacramenta ministrare. Ita Augustinianis concessit Innocentius VI. Bulla 1. & Carmelitis Sixtus IV. Minimis Leo X. Bull. 41. & declaravit Sacra Congregatio. Refert Cruz *de stat. Reg. lib. 2. cap. 6. dub. 1. num. 1 & cap. 5. dub. 4.* Trullench *de jur. Proch. cap. 9. dub. 1. nu. 5.* Samuel *tract. 1. disput. 4. controvers. 15 per tot.* Tum etiam Religiosi habent privilegia funerandi quoslibet sæculares, sive Ecclesiasticos, eligentes sepulturam in suis Ecclesiis, *Clement. Dudum 2. de sepult.* Suntque concessiones Clementis IV. Sixti IV. Martini IV. Leonis X. Eugenii IV. & novissimè Pii V. in Bulla incipiente *Et si Mendicantes*. Refert Samuel *in Apparatu de sepult. prælud. 10.* Trullench *dict. cap. 9. dub. 1. n. 2.* Quid quidem ita est intelligendum, ut semper quarta relinquatur Ecclesiæ Parochiali, ubi de jure communi competit funus, ut *in dict. Clement. 2. §. Hujusmodi*, decretum est, Ugolinus *de offic. Episcop. cap. 17. num. 2.* Tuschus *lit. P. concluf. 97. num* 5. Hieronymus Rodriguez *in compendio, resolut. 128. num. 3.* Hanc ob rem, sibi quarta reservata, nequit Parochus quilibet impedire, ne quis eligat sepulturam in Monasteriis Regularium, ut declaravit Sacra Congregatio in una Capuana, 31. Martii 1629. Riccius *in praxi, 4. p. resolut. 293. num. 32.* Barbosa *de jur. Parochi, 3. p. cap. 26. num. 21.* Quin potius, si ibidem electa sepultura, aut alibi; violenter rapiat, vel spoliet funus antequam veniat ad manus Regularium, vel aliorum, ad quos pertineat, perdit jus quod habet, & quartam Parochialem, & tenetur cum corpore restituere quidquid acceperit. Emmanuel Rodriguez *Quæst. Regul. tom. 3. q. 61. ar. 3.* Portel. *in dubiis Regul. verbo Canonica Portio, n. 6.* Hieronym. Rodriguez *d. ref. 128. n. 15.* Barbosa *d lib. 2. cap. 10. nu. 27.* Samuel *de sepult. tract. 1. disp. 4. controv. 15. per tot.*

Est verò quæstio, an quando Religiosis competit jus funerandi laicos, possint intrare alienam Parochiam, & invito Episcopo, seu Rectore, funus levare, & an oporteat prius funus ad Ecclesiam Parochialem portare. Prima sententia affirmat ex Constitutione Sixti IV. quæ eis hanc facultatem concessit. Deinde, nam quando alicui competit jus funerandi, liberum est ei funus ducere absque aliquorum impedimento, *cap. cùm liberum 6 de sepult.* Graffis *decis. 1. eod. tit.* Barbosa *dict. cap. 10. num. 56.* Cùm ergo in specie jus funerandi Religiosis competat, ut supponimus. Ergo liberum erit eis funus ducere, & corpus levare, etiam invito Parocho, vel Episcopo. Prætereà, quando aliquid conceditur, præstatur omne quod est necessarium ad causæ expeditionem, *leg. 2. ff. de jurisd. omn. jud. cap. Prætereà 5. de offic. delegat.* Ergo concesso Religiosis hoc jure funerandi, etiam conceditur licentia intrandi alienam Parochiam, & corpus levandi, etiam invito Rectore, seu Episcopo. Oldradus *consilio 259.* Abbas *in cap Cùm liberum 6. de sepultur. num.* 4. Rodriguez *tom. 3. quæst. 58. artic. 3.* Samuel tenens de jure, *tract. 1. controvers. 14. à conclus. 1. disp. 4.* 2

Secunda sententia tenet contrarium ex declaratione Cardinalium in negotiis Episcoporum, Romæ 12. Januarii 1604. quam retulit Gratianus *discept. for. tom. 3. cap. 492. à num* 45. & refert decisum Novarius *in Summa, tit. de offic. super cadav. num. 3.* & Lavorius *dict. tit 2. cap. 3. nu. 207.* quæ in terminis contrarium decidit. Cæterùm, nam licèt Regulares habeant privilegium funerandi laicos in suis Monasteriis sepulturam eligentes; est tamen privilegium istud strictè interpretandum, utpotè lædens jus tertii, *cap. Super eo 15. de offic. delegat. cap. Mandatum 38. de rescript. cap. In singulis 7. de statu Monach.* quamobrem non est intelligendum cum tanto præjudicio Parochorum, ut illis non requisitis, possint liberè Regulares intrare ipsorum Parochias, & corpus levare, funusque ducere, Rursus, distinctum est jus sepeliendi, ac intrandi ad funus peragendum, irrequisito, & absque Parocho; hoc enim solùm concessum est quando Regularis aliquis moriatur in aliena Parochia; tunc namque ad funus Regularis poterunt intrare Regulares pro suo Monacho, irrequisito Parocho, ut declaravit Sacra Congregatio sub die 2. Julii 1620. Peyrinis *in Const. sui Ordinis tom. 2. const. 7. Pii IV. num.* 13. Barbosa *d. c. 10. n. 68. & de offic. Parochi, d. c. 26. num. 68.* Marchetus *dict. tit. 40. num. 15.* non verò quando laici Parochiani proprii elegerint sepulturam in Monasteriis. Ergo cum hoc concessum non sit eis, nequeunt irrequisito Parocho intra ejus Parochiam ad funus intrare, & levare corpus. Denique Clementina *Dudum, de sepult.* ubi hoc jus Prædicatoribus conceditur, contrarium ostendere videtur, ibi: *Omnes recipere valet.* Quibus verbis denotatur, ca- 3

davera recipere debet à Parochis, non verò ex propria authoritate levare, illo requiſito. Tenet latè Gratianus *dict.c.*492.*à num.*45. Fuſcus *de Viſitat.lib.*1.*c.*25.*nu.*8. Hieronymus Rodriguez *in compend.reſolut.*109. *num.*7. Oldradus *conſ.* 82. Villalobos *in Summa*, 2.*part. tract.* 21. *difficult.*5.*num.*3. Trullench *dict.cap.*9. *dub.*1. *num.* 4. Barboſa *dict.cap.*10.*num.*67. Lavorius *dict. tit.*2.*cap.* 11.*numer.*73. Villaroel. *Govierno Eccleſiaſtic.* 1. *part. quæſt.*6. *art.* 13. *num.* 12.

4 In hoc dubio animadvertendum, Conſtitutionem Sixti IV. & Pii V. & alia hujuſmodi privilegia intrandi proceſſionaliter cum Cruce intra Parochiam alienam, irrequiſito Parocho, derogata eſſe à Leone X. in Concilio Lateranenſi, ut referunt Sorbus *in Compendio Privileg. verbo Sepultura*, Gratianus *d. cap.*492. *num.* 45. Trullench *dict. dub.*1.*num.*4. Et quamvis Rodriguez *tom* 1. *quæſt.* 8. *art.* 7. ſcripſerit, Privilegia Regularium revocata à Leone X. in Concilio Lateranenſi, reſtituta eſſe etiam in foro exteriori per aliqua Summorum Pontificum Decreta, exceptis his,quæ decretis Tridentini ſunt contraria; adhuc tamen reſpondetur, Privilegia Masis Magni quoad hoc eſſe revocata, & redacta ad terminos juris communis per Gregorium XIII. *in ſua Conſt. incipiente tanta negotiorum mole*. Quapropter difficultas iſta remanet in terminis juris communis ubi prohibiti eſt, ne quis mittat manum in alienam Parochiam, *cap. Scriptum eſt* 1.6.*quæſt.* 3. Trullench *dict. num.*4. Fuſcus *dict. c.* 25. *num.*8. Gratianus *dict cap.* 492. *num.*17.

5 Hoc igitur ſuppoſito, dico duobus modis contemplandam eſſe hanc difficultatem. Primò, quando eſſemus in caſu, quo Regulares prætenderent, irrequiſito Parocho, & abſente, intrare ſuam Parochiam, & propria authoritate funus agere, & corpus levare: & in hoc dicendum, proculdubio admittendam eſſe ſecundam ſententiam aſſerentem, à Regularibus fieri non poſſe, ut tradunt plures declarationes relatæ à Samuele *d.controv.* 14. *concl.*3. *à nu.* 11. & ex illius fundamentis ſatis patet;nam hoc jus intrandi in alienam Parochiam, Rectore proprio irrequiſito, diſtinctum eſt à jure funerandi. Cùm ergo Regulares tantùm habeant jus funerandi, ut dictum eſt; & jus intrandi ſit relictum in diſpoſitione juris communis, inde eſt, ut nequeant authoritate propria intrare ad funus agendum, & levandum corpus, Parocho irrequiſito.

6 Sed dices cum Ancharano *conſ.* 56. conceſſa Regularibus libera facultate funerandi laicos eligentes ſepulturam in ſuis Monaſteriis,diſſolutum eſt omne jus Parochi quoad funus illud. Ergo licèt habeat jus, ne quis mittat manum in ſuam Parochiam, ſopito jure illo quoad funus iſtud, neceſſaria non erit ejus requiſitio. Sed reſpondetur, conceſſa libera facultate funerandi Regularibus, diſſolvi omne jus Parochi, ut cadaver ſepeliatur in ſua Eccleſia, concedo; non verò jus intrandi ad ſuam Parochiam ad levandum corpus, & funus agendum, illo irrequiſito; hoc enim jus non includitur in primo, quod ſtrictè interpretatur, ne jus Parochi latè lædat. Tum quia diſtinctum eſt à priori jure ſepeliendi, & ad diſſimilia non fit argumentum, ut ſæpius dictum eſt: Ergo in hac ſpecie nequeunt Regulares habentes jus funerandi, intrare ad funus faciendum, & ad levandum cadaver, in alienam Parochiam, irrequiſito proprio Rectore.

7 Sed adhuc inſtabis *ex l.*2.*§.fin.ff.de ſervit.præd.ruſt.* ubi ſi hauſtus aquæ conceditur, ſimiliter conceſſum videtur iter ad fontem: *& ex l. Olympico, fin. ff.de ſervit. præd. urban.* ubi ſi horreum legatur, ad quod erat tranſitus per domum, videtur etiam conceſſus tranſitus: Ergo conceſſo Regularibus jure funerandi laicos eligentes ſepulturam in ſuis Monaſteriis, conceſſus videtur tranſitus per alienam Parochiam, etiam irrequiſito Rectore. Verùm hæc non obſtant, nam conceſſione hauſtus, ſeu horrei, conceditur quidquid neceſſarium eſt ad hauſtum aquæ, vel ad uſum horrei, ne aliàs inutilis redderetur conceſſio, vel legatum. Itaque iter conceſſum videtur, quod idem conceſſum videtur conceſſo jure funerandi, nempè mittendi manum in Parochiam alienam, idcircò ne jus illud lædatur, requiritur ut Parochus ipſe requiratur: quod non adeſt in conceſſione hauſtus, aut horrei, in cujus conceſſione, ſeu legato, uſus aquæ, vel horrei præſtatur, & conſequenter ſimpliciter neceſſaria, nempè iter ad hauriendam aquam, vel ad uſum horrei, etiam invito domino fontis, vel domus, in qua eſt tranſitus horrei.

Prætereà probatur hæc ſententia; nam licèt aliquo 8
conceſſo, etiam videatur conceſſum quidquid eſt neceſſarium ad cauſæ expeditionem, & ſine quo nequit expediri, *l. Ad legatum* 62.*l. Ad rem mobilem* 56.*ff. de Procurat.* Tuſchus *tom.* 1.*litt. A, concluſ.* 77. Barboſa *axiomat. uſufrequent.* 4. *num.* 9. Id tamen intelligendum, quando conceſſo principali, acceſſorium venit in neceſſariam conſequentiam, non tamen quando acceſſorium eſt ſeparatum, & in eo militat diverſa ratio. Alex. *lib.* 1.*conſ.* 4. *num.* 5. Thomaſetus *in Floribus Legalibus*, *reg.* 8. Tuſchus *tom.* 1.*lit.A. concl.*76.*num.* 36. Molinus *de Ript. nupt. lib.*1.*cap.* 12.*num.* 22. licèt enim jus funerandi concedatur Regularibus, & conſequenter iter ad funus, tanquam inſeparabile, & neceſſaria conſequentia illius; non tamen id extenditur ut id fiat irrequiſito Parocho, & abſente, intrando ad alienam Parochiam; hoc enim jus Parochiale ne quis intret ibidem, Rectore irrequiſito, ſeparatum eſt à jure funerandi, & eundi ad funus; quapropter non intelligitur conceſſum in ſolo privilegio funerandi, ſed eſt neceſſarium, ut exprimatur. Aliàs tamen, ſi Regulares id facere præſumpſerint, poterit Parochus Cruces eorum auferre, & alia proceſſionalia. Oldradus *d.conſ.*82. Ugolinus *de offic. Epiſcopi*, *cap.* 17. *num.* 3. Lavorius *dict. cap.*11.*num.*73. Seſſe *deciſ.Arag.* 413. Salgado *de Reg. Protect.*2.*part.cap.*9. *nu.*86.

Secundo caſu, quando ipſi Regulares requirerent Pa- 9
rochum, & veniam peterent; verumtamen ipſe monitus, & requiſitus, & inſuper expectatus, venire recuſet; tunc enim Regulares valent, etiam eo invito, recto tramite corpus deferre ad ſuas Eccleſias. Ratio ejus eſt, nam iter eis conceſſum eſt ad funus, cum requiſito monendi, & expectandi Parochum, quod fecerunt, ut ſupponimus. Ergo tunc eſſet irrationabiliter invitus, cùm jam Regulares adimpleverint illam obligationem requirendi, & expectandi. Cæterùm, nam ut advertit Fuſcus *de Viſitat.lib.* 1.*cap.* 25. *num.* 8. *in fine*, tunc cùm juribus Parochi conſultum ſit, non rectè funus impediret, quin potius occaſionem daret rixandi, & ut diſſidia orirentur; quapropter rectè Regulares, etiam eo invito, corpus ſuſcipiunt, ut feratur ad ſuas Eccleſias, ubi de jure eſt ſepeliendum, ut declaravit Sacra Congregatio in una Nepeſina, *ad dub.* 4. quam refert, & ſequitur Samuel *de ſepult. tract.* 1. *diſput.* 3. *controverſ.* 5. *concl.* 5. *num* 10. Federicus de Senis *conſ.* 154. Tuſcus *lit. P. concl.*95. Lavorius *d.tit.*2.*c* 3.*nu.*206. *& d.c.*11.*num.*74. Barboſa *d.cap.*10.*nu.*66.*&* 70. *& collect.*245. *nu.*6. Marchetus *d.tit.*40.*nu.*12.

Unde reſolvendum, Regulares poſſe venire ad aliam 10
Parochiam, requiſito, monito, & expectato Parochiam, Parocho, ad levandum corpus, ſepeliendumque in ſuis Eccleſiis;non tamen eo irrequiſito,quia tunc poterit Parochus impedire: & quamvis excedat,Fratribus imputabitur, qui violentiam facere inceperunt, *l.*1.*§. Cum arietes, ff. Si quadrupes paup. feciſſe dicatur*, & propria authoritate poterit prohibere, ex eleganti texto *in l. Quemadmodum* 29.*§.*1.*ff. ad l.Aquiliam*, ubi ex reſcripto Imperatoris Severi contra Proculum aſſeritur, quod ſi quis projectum immittit in meum fundum, authoritate propria poſſim præſcindere. Ergo ſimiliter dicendum eſt in ſpecie, ut latè proſequitur Lavorius *dict. cap.* 3. *à num.* 206. Tum etiam eo requiſito, & expectato; ſi tamen recuſet, poterunt levare corpus, & recta via ad ſuas Eccleſias transferre, ut ſuprà ſcriptum eſt.

Prorſus Parochus tenetur, niſi aliàs ſit legitimè impe- 11
ditus, aſſociare funus uſque ad portam Eccleſiæ Regularis, in qua ſepelitur, ut declaravit Sacra Congregatio ad inſtantiam Procuratoris Generalis Diſcalceatorum D. Auguſtini. Refert Samuel *de ſepultur.dict.controverſ.*5. *num.*3. Verùm in his Regnis poteſt intrare intra Eccleſiam Regularium ex Decreto Alexandri VII. 6. Maii 1655. quòd ſi facere recuſaverit ex malo animo, ut inde rixæ, & ſcandala oriantur, utique graviter peccabit, & agei contra Decreta Apoſtolica, jura funerandi Regularibus concedentia; nam proprius Parochus tenetur aſſociare funus ſui Parochiani,nec ab illa aſſociatione poteſt excludi. Ergo ſi id non egerit,malo animo rixas,& ſcandala excitâdi, graviter peccabit,& operaretur contra Decreta Apoſtolica, ut cenſuit Congregatio Epiſcoporum *in una Nicoterenſi*,5.*Julii* 1615.

&

& 1267. Samuel *dict. controverſ. 5. concluſ. 1.* Lavorius *dict. tit. 2. cap 9. nu. 119.*

12 Eſt ſimiliter dubium, quando cadaver ſepeliendum eſt in Eccleſiis Regularium, ad quem pertineat viam, per quam incedendum eſt deſignare, ut funus dicatur, an ad Parochum, vel ad ipſos Regulares? Prima ſententia affirmat ad ipſos Regulares pertinere, prout declaravit Congregatio Epiſcoporum in una Bituntina, 22. Aprilis 1588. Ratio enim videtur eſſe, quia jam Parocho requiſito, monito, & expectato, diſſolutum eſt jus Parochi quoad illud funus, & jus funerandi remanet penes Regulares. Ergo ad illos pertinet deſignare viam, per quam funus incedere debeat. Samuel *de ſepultur. tract. 1. diſput. 4. controv. 12. concluſ. 4. num. 8.* Lezana *tom. 4. verbo Sepultura quoad Regulares, nu. 23.*

13 Secunda ſententia aſſerit, pertinere ad Parochum, ut tenuit Sacra Congregatio Epiſcoporum, 3. Ianuarii 1594. in una Caſtellaneten. ubi declaratum eſt, ad Curatum defuncti ſpectare declarare omnia neceſſaria uſque ad januam Eccleſiæ Regularium, idque ea ratione; nam quando Parochianus in aliena Eccleſia eſt ſepeliendus, portatio funeris uſque ad illam pertinet ad Parochum proprium, Gemi-nianus *in cap. Ut animarum poſt medium, de Conſtit in 6. nu.* 20. Gratianus *dict. diſcept. 492. nu.* 29. Ergo licèt Parochianus ſit ſepeliendus in Eccleſia Regularium, uſque ad illam rectè Parochus poterit deſtinare viam, & modum portandi defunctum; non verò ad Regulares pertinet, ut conſentire videtur Lavorius *dict. tit. 2. cap. 9. nn. 116. verſ. Licèt ſecus.* Barboſa *d. cap. 26. n.* 74. Salgado *2. p. cap. 9. num.* 79. Marchetus *d. tit. 40. n 17.*

14 Hæc ſententia, abſolutè loquendo, admittenda eſt: verùm indiget explicatione; poteſt enim accedere, ut Parochianus ſepeliendus in Monaſterio, dum è domo, vel ab Eccleſia Parochiali levatur, tranſitum faciat per ipſam Parochiam uſque ad Eccleſiam Regularium: & tunc admittenda eſt hæc ſententia abſque aliqua difficultate; nam ut ſcriptum eſt ſuprà, jus funerandi conceſſum Regularibus, licèt etiam concedat iter ad tranſitum ad portandum cadaver, etiam proceſſionaliter, ut cenſuerunt Oldradus *conſ. 225. nu. 14.* Tuſchus *tom. 1. lit. A. concluſ. 77 nu.* 9. Barboſa *in cap. Acceſſorium, de Reg jur. in 6. nu.* 3. Id tamen dependenter eſt à Parocho, ut ipſe requiſitus, & expectatus ſit ad aſſociandum, quam vis jus iſtud liberè concedatur Ugolinus *d. c. 17. n. 3.* Gratianus *d. c. 492. nu.* 39. Ergo habet Parochus jus ad ordinandam deportationem cadaveris, aliàs non requireretur, nec expectaretur, cùm id eſſet ſuperfluum. Ergo ad ipſum pertinebit ordinare viam, & tranſitum, per quem deferendum eſt cadaver.

15 Sed dices, conceſſo jure funerandi, conceditur jus eundi pro deportando cadavere proceſſionaliter, ut dicunt relati *num. antecedenti*, & Barboſa *dict. lib. 2. cap. 10. num.* 56. *& de jur. Parochi, dict. cap. 26. nu.* 56. conceſſum etiam videtur jus deſtinandi viam, & modum proceſſionis: Ergo cùm Regulares habeant jus eundi proceſſionaliter, eis competit deſtinare vias, & tranſitus funeris. Sed reſpondetur, hanc propoſitionem non ab omnibus pariformiter admitti, quin potius aliqui tenent, cum Cruce ire non poſſe ad levandum corpus; ſed tantùm poſſe ire ad Parochiam ad corpus levandum & aſſociandum, uſquedum ad ſuam Eccleſiam aſportetur, ut cenſuit Sacra Congregatio in una Viglevan. 13. Novembris 1600. Lavorius *d. tit. 2. cap. 3. à n. 101.* Quapropter hæc inſtantia parvi ponderis eſt. Verùm ſi admittamus aliorum Doctorum ſententiam aſſerentium proceſſionaliter ire poſſe, adhuc reſpondetur, poſſe ire proceſſionaliter, dummodò intra Parochiam Parochus proprius deſignet vias, & tranſitus, per quos cadaver proceſſionaliter eſt ferendum; id enim diſtinctum eſt à jure eundi proceſſionaliter, ordinatis viis à Parocho ipſo.

16 Prætereà probatur; nam proceſſiones facere per Parochiam ad ſolum Curatum pertinet, & ſine ejus conſenſu nullus etiam Regularis dirigere valet, ut ex Sellio refert Barboſa *ad Concilium, ſeſſ. 25. de Regularibus, cap. 13. n. 45.* Illud enim expeditum eſt, id tantùm Regularibus conceſſum eſſe intra ambitum ſuarum Eccleſiarum, non verò extra, itaut nullam proceſſionem agere, nec dirigere poſſent. Peyrinis *in conſtit. ſui Ordin. tom. 2. conſtit. 7 Pii V. num. 13. verſ. Ad 8* Villalobos *in Summa, 2. part. tract. 35. difficult. 5. n. 5.* Barboſa *de Offic. Epiſcop. 2. par. allegat. 78. numer. 7.* niſi conſuetudo adſit, ſeu conſenſus Epiſcopi. Diana *3. part. tract. 2. reſol. 77.* Salgado *de Reg. Protect. 2. par. cap. 9. num. 74.* Ergo cùm in aliena Parochia nequeant agere proceſſiones, nec dirigere, proceſſio illa quæ ſit ad aſportandum cadaver, nequibit dirigi ab eis per vias, ſeu tranſitus, etiam ſi in ſuis Eccleſiis ſepeliretur; ſed erit dirigenda à Parocho, cui de jure competit.

Si verò funus ducendum ſit per locum exemptum, parumque ab eo diſtet domus cadaveris, vel Eccleſia, à qua eſt deferendum, & locus ille pertineat ad Monaſterium, ubi eſt facienda ſepultura, tunc eſt admittenda prima ſententia, & pertinebit ad Regulares deſignare vias, & tranſitus, per quos funus eſt ducendum. Et ratio eſt, nam tunc proceſſio illa fit per locum exemptum, pertinentem ad Monaſterium, ubi Parochus aliquid præcipere non valet, ſed ipſi Regulares. Ergo ad eos pertinebit vias, & tranſitus deſtinare. Cæterùm, nam licèt corpus ſit in Parochia aliena, tamen cùm parum diſtet à loco exempto ipſius Monaſterii, pro nihilo reputatur, ex vulgari Regula adducta *ex l. 1. §. Perinde, ff. de ædilit dict. l. Quamvis, ff. de condit. & demonſtrat. cap. Coram dilecto 24. de Offic. delegat.* aliàs enim inconveniens ſequeretur, ut Parochus in domo defuncti aliquid præcipere, & ſtatim accedendo ad locum exemptum, aliud juberet Superior Regularis; & anſa præberetur rixandi, vel excitandi ſcandala, quod magnopere in his funeribus, & in aliis rebus ſacris eſt auſugiendum, pro quo aliquando è jure communi receditur. Samuel *d. controverſia 14. diſp. 4. concluſ. 3. à nu. 11.* Hanc ob rem in præſentia Regulares poterunt oſtendere, & deſignare vias ad funus ad ducendum, & hoc modo poterit intelligi prima ſententia. 17

Concurrentibus verò Regularibus ſimul cum Parocho, aut ejus Vicario, ad corpus levandum, & ad funus ducendum ad ſuam Eccleſiam in quolibet caſu, etiam ſtatim introducendum ſit in locum exemptum Monaſterii, primam Antiphonam *Subvenite*, & aſperſionem aquæ facere, ad Parochum pertinet, ſive ex domo, ſive ex Eccleſia Parochiali cadaver ſit extrahendum; hoc enim de jure pertinet ad Parochum, nec licet Regularibus illa efficere, aut aliquod Officium ſuper corpus agere intra Parochiam. Ita declaravit Sacra Concilii Congregatio in una Squillacenſi, 18. Novemb. 1608. & in una Catanienſi, 12. Octobr. 1619, Samuel *de ſepult. diſput. 4. controverſ. 12. concluſ. 5. à nu. 11.* Barboſa *d. lib. 2. cap. 10. num. 60. & de offic. Parochi dict. cap. 26. num. 67. in fin.* Marchetus *tit. 40. num. 18.* Salgado *d. 2. p. cap. 9. nu. 81.* 18

Aſt verò officium, quod eſt faciendum intra Eccleſiam Regularium, non ad Parochum pertinet, ſed ad Regulares ipſos, ut conſtat ex plurimis deciſionibus, & reſponſis Sacræ Congregationis, quas congerit Samuel *diſput. 3. controverſ. 1. à num.* 3. Et ratio eſt clara, nam Regulares habent jus funerandi in ſuis Eccleſiis, ut prædicatoribus conceſſum eſt *in d. Clement. Dudum 2. de ſepult. Extravagant. Super Cathedram 2. de Sepultur. Extravagant. Inter cunctos, un. de Privilegiis inter communes*: & poſteà cæteris Regularibus, ex Conſtitutione Pii V. Ergo etiam eis conceſſum eſt jus faciendi officium in ſuis Eccleſiis, in quibus, quia exemptæ ſunt, nequit Parochus abſque Regularium facultate illud efficere, & id non quomodolibet, ſed de expreſſa licentia Superioris Eccleſiarum, non obſtante contraria conſuetudine, ut declaravit Sacra Congregatio in Tolet. loci de Baraxas, 19. Julii 1636. Peyrinis *tom. 3. Privileg. Regul. in fine*, ubi de decretis noviſſimis Sacr. Congregatio *decret.* 19. Samuel *de Sepult. tract. 1. diſput. 3. concluſ. 1. per tot.* Barboſa *in Bull. collect. 245. num. 9. de offic. Parochi, dict. 3. p. cap. 26. num* 82. Samuel *d. diſput. 3. controverſ. 1. concl. 2. num. 26.* ubi de licentia Superioris, Marchetus *d. tit. 40. num. 32.* 19

Sed quid verò, ſi adſit conſuetudo immemorialis, ut Parochus, vel Canonici officium defunctorum faciant in Eccleſiis Regularium, an ſit ſuſtinenda? Et negandum videtur, nam ut ſupra diximus, ad rem hanc reprobata eſt quælibet conſuetudo: Ergo etiam immemorialis, ut tenet cum aliquibus Carraſco *de aliquas leges Recopilat. cap 8. nu. 35.* & confirmatur, nam conſuetudo iſta, licèt immemorialis, irrationabilis eſt, quia in territorio alieno dat juriſdictionem Parochis, vel Canonicis, cùm ſint Eccleſiæ iſtæ exemptæ. Ergo nequit ſuſtineri. Qui quidem diſcurſus comprobatur; nam conſuetudo, quantumvis immemorialis, juriſdictionem non dat, prout ſi ex conſue- 20

ſuetudine immemoriali vellet judex laicus cognoſcere de cauſis Clericorum. Clarus *in praxi crim. §. fin. quæſt.* 36. *num.* 3. Farinacius *in praxi crimin tit. Inquiſit. quæſt.* 8 *nu.* 3. Petrus Gregorius *Syntag.* 3. *part. lib.* 3 *cap. fin. nu.* 18. Bobadilla *in Polit. lib.* 2. *cap.* 18. *nu.* 18. Ergo nec conſuetudo immemorialis dabit juriſdictionem, ut exerceatur in territorio alieno; quia eadem irrationabilitas conſideratur in una, ac in altera cauſa, dum ex utraque turbaretur Reſpublica, & Eccleſiarum diſciplina. Cæterùm, nam ut ſuprà dictum eſt, Regularibus conceſſum eſt liberum jus ſepeliendi in ſuis Eccleſiis. Ergo à fortiori talis conſuetudo irrita eſt, quamvis immemorialis; nam iſta ſimiliter turbat hanc liberam facultatem, prout temporalis. Ergo tanquam contraria erit derogata, nec vi illius poterunt Parochi, aut Canonici Officium agere in ſepeliendis defunctis in Eccleſiis Regularium.

21 Seu contrarium tenet Gratianus *tom.* 3. *diſcept.* 493. *per tot.* Et probatur, nam licèt conſuetudo iſta ſit reprobata, non tamen declarationes illæ expreſsè irritant conſuetudinem immemorialem contrarium obſervantem, quod quidem eſt neceſſarium ut fiat ſigno ſpeciali, deſignante conſuetudinem immemorialem; utpotè irrationabilem, & iniquam. Covarr. *lib.* 2. *var. cap.* 13. *n.* 5. Decianus *vol.* 2. *Reſponſ.* 44. *nu.* 19. Cevallos *quæſt.* 897. *nu.* 248. Guttierrez *Pract. lib.* 3. *quæſt.* 77. *nu. fin.* Mena *Variarum lib.* 2. *quæſt.* 10. *nu.* 44. Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *diſput.* 4. *nu.* 13. Diana 6. *part. tract.* 5. *reſolut.* 32. Ergo in præſentia per jus declarationis derogatum non eſt conſuetudini immemoriali. Cæterùm conſuetudo immemorialis habet vim legis & privilegii, etiam in caſibus reſervatis Epiſcopo, Prælatis, & Principi. Soccinus *lib.* 3. *conſ.* 7 *num.* 4. Graffis *de effect. clericat. effect.* 1. *à nu.* 383. Salgado *de Regia Protect.* 1. *part. cap.* 1. *prælud.* 3. *à nu.* 131. & immutabilis cenſetur, tanquam alterum jus naturale. Molina *de Primogen. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 1. Barboſa *in collect. ad textum in cap. fin. de conſuet. nu.* 6. Ergo etiam habebit locum, etiamſi Officium defunctorum ſit reſervatum, ut fiat tantùm à Regularibus in ſuis Eccleſiis. Denique in funeralibus plurimùm valet conſuetudo, quamvis aliàs alicui Eccleſiæ libera ſepultura concedatur. Refert plures Gratianus *dict. cap.* 492. *nu.* 7. & in materia præcedentiæ ad officium agendum conſuetudo eſt multi roboris, ut per Menochium *lib.* 2. *conſ.* 126. *n.* 3. Rota apud Seraphinum *deciſ.* 716. *nu.* 18. & *deciſ.* 402. *n.* 1. etiamſi talis conſuetudo repugnaret juris diſpoſitioni. Rota apud eundem *deciſ.* 964. *nu.* 2. Ferro *de Præced. quæſt.* 18. *per tot.* Diana 6. *part. tract.* 5. *reſol.* 29. Ergo cùm in præſentia adſit conſuetudo immemorialis, ut Parochus, ſeu Canonici faciant Officium Sepulturæ in Eccleſiis Regularium, id erit obſervandum.

22 Hæc ſententia Gratiani admittenda eſt, quam quidem probare intendimus, in primis reſpectu Parochorum, in quibus eſt major ratio, quàm in Canonicis, ut benè advertit Gratianus *d. cap.* 492. *à nu.* 27. nam Parocho de jure communi competit ſuos Parochianos ſepelire, idque erat eis conceſsum abſolutè, donec ſimilia privilegia conceſsa fuerunt Regularibus: quamobrem ſi adſit conſuetudo immemorialis, ut Parochus agat officium in Eccleſia Regularium, id erit conforme juri communi, nec aliqua cauſa irrationabilitatis valet conſiderari, quin ex juſto tramite juris ſuſtinebitur: Ergo cùm in præſenti conſuetudo iſta nullam iniquitatem contineat, nec cauſam irrationabilem, ſublata non cenſebitur ex generali abrogatione conſuetudinis: quin illa non obſtante, ſuſtinebitur. Gonzalez *ad Reg.* 8 *gloſſ.* 33. *n.* 2. Valaſco *conſult.* 141. *n.* 13. Affictus *dec.* 254. *n.* 5. Salgado *d.* 1. *p. c.* 1. *prælud.* 3. *n.* 153. Barboſa *ad cap. fin. de conſuetud. n.* 7. Ergo ſtante conſuetudine immemoriali, rectè Parochus aget officium defunctorum in Eccleſiis Regularium. Prætereà conſuetudo dat juriſdictionem, quoties perſona ſit capax illam habendi: & licèt ex conſuetudine, quantumvis immemoriali, laicus non poſſit Clericos judicare, quia incapax eſt illius ſpiritualis juriſdictionis, *cap. Maſſana* 7. *de elect.* Creſpi 2. *par. obſervat.* 53. *nu.* 41. Attamen in alia qualibet cauſa conſuetudo immemorialis dat juriſdictionem perſonæ capaci illam habendi. Segura *in Direct.* 2. *part. cap.* 13. *nu.* 42. Bobadilla *in Polit. lib.* 2 *cap.* 17. *à nu.* 170. & *lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 36. Diana *tom.* 9. *tract. reſolut.* 190. Ergo ex vi illius conſuetudinis immemorialis poterit Parochus efficere officium in Eccleſiis Regularium, cujus actus non ſolùm eſt capax Parochus, verùm eſt juriſdictio illius propriæ Parochialitatis.

Majus erit dubium circa Canonicos, quod quidem duo- 23
bus modis conſiderandum eſt; nam poteſt fortè Eccleſia Cathedralis incluſam habere Parochiam, & deſerviri per unum Canonicum, aut viciſſim per plures, qui ſi ad aſſociandum corpus adveniat, ut Parochi cenſendi ſunt; & ita ſi adſit conſuetudo immemorialis peragendi officium in Eccleſiis Regularium, id erit facilè obſervandum, prout de aliis Parochis dictum eſt. Si verò non adveniant ut Parochi, ſed ut Canonici, videtur dicendum, conſuetudinem illam irrationabilem eſſe, & non ſuſtinendam, quantumvis immemorialem; nam cùm ipſi non habeant Parochiam, nec jus funerandi defunctum (ut ſupponimus) præſcriptio illa nihil aliud eſt, niſi ſe introducere in facultatem, & juriſdictionem Regularium, cujus ipſi capaces non ſunt, nec ut Canonici poteſt convenire. Ergo præſcriptio illa ſemper erit irrationabilis, & cum mala fide, quæ non ſuffragatur, quantumvis immemorialis ſit. Molina *de Primogen. lib.* 2. *cap.* 6. *à nu.* 67. Pareja *de edit. inſtrum. tit.* 10. *reſol.* 2. *à nu.* 12. Menochius *de Arbitr. caſu* 225. *à nu.* 1. Covar. *in regula poſſeſſor.* 2. *par. §.* 8. *nu.* 4 Barboſa *cap. fin. de præſcript. nu.* 6. Ergo, &c. Samuel *d. diſp.* 3. *controv.* 7. *concluſ.* 2. *nu.* 14.

Sed tamen contrarium eſt tenendum cum Gratiano 24
dict. cap. 492. *à num.* 1. nam conſuetudo immemorialis ſupponit cauſam meliorem, ut ſuſtineatur; quapropter in jure habet vim privilegii, immò potentior eſt privilegio. Molina *dict. lib.* 2. *capit.* 2. *à num.* 19. Riccius *part.* 6. *collect.* 2114. Guttierrez *Pract. lib* 3. *quæſt.* 14. *à num.* 57. & præſtat jus plenum, & dominium. Guttierrez *lib.* 3. *Pract. quæſt.* 17. *nu.* 298. & ſupponit in infinitum. Molina *dict. lib.* 2. *cap.* 6. *nu.* 46. Guttierrez *dict. quæſt.* 17. *à num.* 290. latè Caſtillo *de tertiis*, *cap.* 22. & 23. Ergo licèt Canonici non habeant jus funerandi defunctum: conſuetudo tamen ipſa immemorialis eis illud præſtat, & ſupponit hanc cauſam eis præſtitam fuiſſe, ſaltem per privilegium, unde incapaces non ſunt ad præſcriptionem. Cæterùm privilegia data Religionibus, licèt aliqui dicant præſcribi non poſſe, verius tamen eſt per immemorialem præſcribi; quod alii extendunt ad præſcriptionem quadragenariam. Felinus *in cap. Cum acceſſiſſent*, *de conſt. num.* 19. Gaillus, & alii recenſiti à Gratiano *d. cap.* 492. *num.* 20. Immò per non uſum, & ſpatio ſexaginta annorum amittuntur, ut conſtat ex Conſtitutione Eugenii IV. Bull. 7. vel per centum, ut ex ejuſdem Bulla 17. Cruz *de Stat. Regul. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 2. *n.* 2. Quapropter ſtante conſuetudine immemoriali in contrarium, ut Canonici peragant officium defuncti in ſuis Eccleſiis, eſt ſuſtinenda, præcipuè cùm conſuetudo iſta ſit levis præjudicii, quod valet inferre Prælatus. Felinus *in dict. cap. Cùm acceſſiſſent*, *nu.* 30. Gratianus *ubi proximè*, *nu.* 22.

Sed dices cum Samuele *in Apparatu Sepulchr. prælud.* 6. 25
num. 8. privilegia funeralia competentia Regularibus, nulla conſuetudine præſcribi poſſe; nam conſuetudines, quæ Canonicis obviant inſtitutis, nullius ſunt momenti, *cap. Ad noſtram* 3. *de conſuetudin.* tum quia eſſent cum præjudicio tertii, *cap. Cùm olim* 6. *cod. tit.* prout ſunt hæc privilegia funeralia. Ergo Canonici nequeunt conſuetudine, etiam immemoriali muniri, ut peragant officium defunctorum in Eccleſiis Regularium. Sed tamen reſpondendum eſt, in præſentia non eſſe admittendam ſententiam Samuelis; nam privilegia poſſunt præſcribi, aut per actus contrarios, aut per non uſum legitimo tempore præſcriptum, ut etiam in materia cujuslibet juriſdictionis, *l.* 1. & ibi Gloſſa *ff. de Nundinis*, *l.* 42. *tit.* 18. *p.* 3. & *l.* 3. *tit.* 7. *p.* 5. Bobadilla *in Polit. lib.* 5. *c.* 10. *n.* 12. Cyriacus *controv.* 57. *à n.* 61. Salgado *de Reg. Protect.* 3. *p. cap.* 10. *à nu.* 100. Caſtillo *lib.* 6. *controverſ. cap.* 19. Barboſa *de offic. Epiſcopi*, 2. *part. allegat.* 26. *à nu.* 10. Quapropter ſimilia privilegia funerandi Regularibus conceſſa, & faciendi officium in ſuis Eccleſiis, immemoriali conſuetudine poſſunt præſcribi, vel per non uſum renunciari ab ipſis Regularibus. Suarez *de legibus*, *lib.* 8 *cap.* 34. *à nu.* 6. Barboſa *dict. alleg.* 26. *à num.* 11. Nec jura, quæ pro ſe adducit Samuel, aliquid probant; nam textus *in dict. cap. Ad noſtram*, recto jure non admittit conſuetudinem in contrarium, quia dabat juriſdictionem laicis contra Eccleſiaſticos, ut de ſuis cauſis cognoſcere valerent, quæ quidem per iniqua erat, & contra inſtituta Eccleſiaſtica, quapropter ſuſtineri non valet: ſecus autem in offi-

cio

cio faciendo in Ecclesiis Regularium à Canonicis ipsis ; hoc enim nullam iniquitatem continet, sed tantùm præscriptionem privilegii per consuetudinem immemorialem, aut per non usum. Deindè in damnum tertii admittitur quælibet præscriptio, aut renunciatio per non usum ; quia id rectè statutum est, ne in quamplurimis rebus in confuso laboremus, magna turbatione Reipublicæ : quapropter in terminis privilegiorum, quando damnum sequitur persolvendi decimas Fratribus Cistercienſibus, per non usum amissum est privilegium non solvendi, *cap. Si de terra 6. de privilegiis*. & per præscriptionem etiam amittitur, *cap. Accedentibus 15. eod. tit.* Barbosa *dict. allegat. 26. num. 12.* Castillo *d. lib. 6. cap. 19. num. 3.* Unde sequitur, Canonicos consuetudine immemoriali vallatos posse facere officium, defunctorum in Ecclesiis Regularium, & sustinebitur talis consuetudo.

26 Erit tamen animadvertendum, quod si lis ad causam istam exoriatur, consuetudinem istam immemorialem cum aliquibus requisitis esse probandam, scilicet ut testes sint de viu per tempus quadraginta annorum, & rationem reddant absque relatione ad articulum : Quod sint testes saltem quadraginta annorum : Tum ut deponant de auditu per idem tempus, & à majoribus audivisse, qui etiam ab aliis majoribus audivisse dicebant. Cœterùm debent testes affirmare se ita credere, & de fama publica, & communi opinione, nec unquam audivisse, nec vidisse contrarium : Et quod testes sint integræ fidei, & opinionis. De qua re latè Crespi *1. par. observ. 14. per tot.* Marescott. *var. resolut. lib. 2. cap. 100.* Riccius *4. par. collect 2266.* Valenzuela *consil. 93.* Pareja *de edit. instrum. tit. 2. resolut. 2. à num. 57.* Castillo *de tertiis, dict. lib. 6. cap. 17.*

27 Est tamen dubium, an quando ad associandum corpus convenit Collegialiter Ecclesia Cathedralis, etiam rejecta qualibet consuetudine, debeat peragere Officium, & alia munera circa funus, in Ecclesiis Regularium ? Affirmavit Salgado *de Regia protect. 2. par. c. 9. num. 68. & 69.* Quia Ecclesia Cathedralis Collegialiter unita, est digna majoris honoris, quàm sint aliæ Ecclesiæ : Ergo ea Collegialiter existente, nullus alius officium, aut alia munera agere debet circa funus, etiam in Ecclesiis Regularium.

28 Sed contrarium tenent Zerola *1. p. verbo Funus, in Praxi, vers. 9.* latè Samuel *de Sepulturis, disp. 3, controvers. 1. per tot.* Idque ex multis declarationibus Sacræ Congregationis, quas ad unguem refert Samuel, ubi expressè dicitur, Regulares in faciendo officio funeris in suis Ecclesiis, esse præferendos aliis Canonicis, & Parochis. Tum etiam, quia ut dictum est, hoc jus funerandi competit Regularibus ex juribus, & declarationibus suprà recensitis : quod eis auferendum non est, ex eo quod præsens adsit Ecclesia Cathedralis Collegialiter unita.

29 Hæc ultima sententia admittenda est de juris rigore, ex suis fundamentis : nec fundamenta Salgadi sunt alicujus ponderis. Licèt enim Ecclesia Cathedralis sit superior, & magis honoranda, quàm aliæ Ecclesiæ ; attamen id intelligendum quoad præcedentiam, & honores debitos sibi de jure : non autem honor iste extendendus est ita ut præjudicium aliis inferatur, prout fieret auferendo Regularibus jus funerandi. De æquitate tamen semper Prælati Regulares licentiam præstabunt, & obsequenter sese offerent, ut officium fiat ab Ecclesia Cathedrali : hoc quidem obsequium facultativum est, & decens ut exhibeatur majori Ecclesiæ funus associanti ; nec tamen ex his urbanitatibus aliquod jus læditur, aut vulneratur, nec alteri tribuitur, Rota *2. p. recent. decis. 671. num. 4.* Annot. ad Gregorium XV. *decis. 572. num. 6.* Riccius *collect. 1293. in fin.* nec ex eis aliqua possessio acquiritur, Ripa *in cap. Cùm Ecclesia Sutrina n. 39.* Mantica *decis. 227. num. 2.* Tuschus *verbo Quasi possessio concluſ. 32. num. 7.*

30 Est etiam aliud dubium non prætereundum, an Regulares, quando defunctus est sepeliendus in sua Ecclesia, processionaliter possint ire cum Cruce, etiam invito Rectore, ad funus associandum ? Prima sententia affirmat. Probatur, nam ut censuit Sacra Congregatio Episcopor. & Regular. 28. Novembris 1641. in funeribus ducendis tantùm una Crux est ferenda, & illa debet esse illius Ecclesia, ubi cadaver est tumulandum. Quod itidem decretum est 22. Novembris 1637. in terminis, quando defunctus est tumulandus in Ecclesia Regularium : & similiter est textus *in Extravag. Inter cunctas, de Privilegiis*, & Constitutio Sixti IV. id similiter concedentes, ut latè tenet Samuel *disp. 3. tract. 1. controvers. 3. à num. 2.* Novarius *in Lucerna Regularium verbo Crux, num. 1.* Barbosa *in Bullario, verbo Crux*, & alii recensiti à Salgado *dict. 2. par. cap. 9. num. 77.* Marchetus *tit. 40. num. 25.*

Secunda sententia tenet contrarium, nam ut diximus suprà, Regulares etiam ad asportandum cadaver non possunt se intromittere, irrequisito Rectore, nec extra ambitum suæ Ecclesiæ processionaliter ire, ut testatur Campanillus *in Divers. rub. 12. c 13. sub n. 18.* licèt aliqui per triginta passus suę Ecclesię affirment posse ire processionaliter, ex sententia Graffis *cons. 20.* quod rectè non admittit Salgado *dict. cap. 9. num. 74.* Ergo minimè possunt ire processionaliter cum Cruce intra Parochiam alienam ad corpus asportandum. Tum Parochiæ ad id divisæ sunt, ne quisque ad aliquod officium in ea peragendum se intromittat, *cap. 1. 13. quæst. 1. cap. Episcopi, 7. quæst. 1. cap. Scriptum, 16. quæst. 1.* Ergo nec Regulares occasione asportandi corpus, aliàs daretur occasio rixarum, & scandalorum, ut defendit Oldradus *cons. 82.* Salgado *d. cap. 9. à num. 70.* 32

Tertia sententia asserit, in hoc standum consuetudini ; nam Bulla Leonis X. Sacro approbante Concilio, statuit minimè Regulares intrare posse processionaliter ad funus cum Cruce, invito Rectore, nisi consuetudine stante in contrarium, ut refert Rodriguez *tom. 3. Regul. quæst. cap. 28. art. 2.* Lauretus de Franchis *de controv. inter Episcop. & Regul. quæst. 67.* Quapropter si adsit consuetudo, ut Regulares cum Cruce processionaliter pervadant ad Parochiam pro corpore levando, id erit observandum, ut in multis partibus Portugaliæ observatum vidit Barbosa *de offic. Parochi, 2. par. cap. 26. num. 67.* Lezana *n Summa Regul. quæst. cap. 10. num. 18.* Marchetus *dict. num. 25.* 32

In hoc dubio dicendum, Constitutionem Sixti V. & Extravagantem *Inter cunctas*, & Leonis X. Constitutiones abolitas esse, ut diximus suprà, *num. 4.* quapropter licèt aliquæ sint declarationes, non tamen obstant, cùm aliæ sint quamplurimæ contrarium recensentes, quas dedimus suprà, *num. 3.* Et est declaratio in Squillacensi, 18. Novemb. 1606. quam refert Barbosa *dict. num. 67. in fin.* censens Curatis competere, in quorum Parochia obiit defunctus, benedicere corpus defuncti, non verò Regularibus, quamvis sepeliendus sit in eorum Ecclesiis. Unde cùm tantùm una Crux in funeribus sit habenda, ista debet esse ipsius Rectoris, non verò Regularium : Ergo nequeunt Regulares se introducere processionaliter cum Cruce ad asportandum cadaver. 33

Quapropter dicendum in specie, Curatum cum Cruce sua, & processione, simulque cum Cappa præesse Regularibus, dicitque responsum *Subvenite*, & comitatur usque ad Monasterium, & in ejus porta, seu atrio dicit responsum aliud, & ultimum dat vale, ut *in cap. Cùm liberum 6. de sepult.* Postmodum verò recipiunt Monachi, & cætera officia funeralia in sua Ecclesia perficiunt, & sic practicari testatur Salgado *dict. cap. 9. num. 79.* & comprobatur ; nam licet in funeribus una tantùm Crux sit deferenda, & illius Ecclesię, ubi corpus est humandum, ut declaravit Sac. Congregatio suprà recensita, Barbosa *dict. cap. 26. nu. 78.* id tamen intelligendum quando funus peragendum est in propria Parochia, Curato, seu Vicecurato assistente, qui quidem debet præcedere, & immediatè sequi personæ illius Ecclesiæ, & deindè cæteri secundùm antianitatem, ut censuit declaratio S. Congregat. Rit. in Narnien sis, 30. Septembris 1614. & in Adrianensi, 22. Novembris 1631. ad 3. Barbosa *ubi proximè* : non autem est intelligenda propositio ista, quando Regulares cum Cruce intenderent venire processionaliter ad Parochiam defuncti, quod ex aliis regulis est dicendum, ut suprà demonstrat secunda sententia, *num. 31.* 34

Hinc admittendus non est Samuel *dict. controvers. 5. num. 34.* scribens, Parochum tantùm teneri associare mortuos usque ad portam Ecclesiæ Regularium, & absque Cruce, quod non benè probat ex declaratione Cardinalium, quæ non loquitur nisi de associatione Parochorum usque ad portam Ecclesiæ Regularium ; non verò de introducendis Regularibus cum Cruce, & processionaliter in Parochiam defuncti, de quo nihil loquitur, id auferendo à Parochis. Tum nec sufficienter ratione probat suam sententiam ; nam licèt Regulares habeant jus funerandi, non tamen intrandi processionaliter cum Cruce ad asportandum corpus in Parochiam alienam. 35

36 Aſt verò, ſi in aliqua parte, ſeu ditione conſuetudo ſit admiſſa, & patienter à Parochis tolerata ut Regulares intrent proceſſionaliter cum Cruce ad aſportandum corpus defuncti in alienam Parochiam, id erit obſervandum, vel quia id per præſcriptionem acquiſierunt, vel huic juri Parochi renunciarunt per multùm temporis, ſaltem quadraginta annorum, prout dictum eſt obſervari in Luſitania cum Barboſa *d. cap. 26. num. 67.*

37 Eſt tamen in ſpecie examinanda doctrina Samuelis *dict. diſp. 3. controv. 3. concluſ. 3. à n. 11. cum. ſeqq.* ubi aſſerit, conſuetudinem à Parochi introductum deferendi ſuas Cruces ad aſſociandum funus ſui Parochiani, qui in Eccleſiis Regularium ſepelitur, eo ducti intereſſe lucrandi dimidiam partem funeralium, introduci non poſſe, ac ſemper invalidum eſſe. Et probat, nam quoties Parochi attollunt ſuas Cruces, quando corpora tumulantur in Eccleſiis Regularium, avaritiæ cauſa id factum eſſe cenſetur ad lucrandas dimidietates funeralium, cum gravi damno Regularium, quod nequit fieri abſque peccato; Ergo nequit ſuſtineri talis conſuetudo. Cæterùm, nam in dubio ſemper credendum, avaritiæ cauſa hanc conſuetudinem introductam eſſe, quia extollitur Crux propter temporale lucrum, nempè propter medietatem ſumptum funeralium, quod execrabile eſt in exequiis defunctorum, *cap. Quanto, de cenſibus*, Abbas *in cap. 1. verſ. Notant ultimo de Decimis*, Bellamera *conſ. 31. col. 7.* quapropter ut irrationabilis non eſt ſuſtinenda. Tum nulla conſuetudo valet ſuſtineri, niſi adſit conſenſus totius communitatis, aut majoris partis populi, S. Thomas *2. 2. q. 97. art. 3. ad 3.* Tum etiam nequit ſuſtineri ſi ſit contra utilitatem publicam, aut contra privatam, ut per Bart. *in l. De quibus 32. ff. de legib.* Abbas *in cap. 1. de treg. & pace*: nec in rebus Eccleſiaſticis abſque Superiorum authoritate, quod omne deficit in præſentia. Ergo nequit ſuſtineri talis conſuetudo, præcipuè cùm ſit pernicioſa Eccleſiis Regularium. Denique conſuetudo iſta eſt peccati nutritiva, *cap Non ſatis 8. de Simonia, cap. fin. de conſuetudine*, quæ nequit ſuſtineri: Ergo minimè eſt ſuſtinenda, quibus adjungit alias rationes inferiùs diluendas.

38 Sed tamen licèt ex multis fundamentis ſuam tutare ſententiam curet Samuel, contrarium nihilominùs teneo, ſcilicet talem conſuetudinem aſportandi Crucem, & lucrandi dimidietatem funeralium à Parochis, etiam quando defunctus in Eccleſiis Regularium ſepelitur, juſtam eſſe, & ſuſtinendam; nam licèt conſuetudo, quæ obviat ſacris inſtitutis à patribus decretis, & abuſum introducit contra diſciplinam, & libertatem Eccleſiæ, non ſuſtineatur, *c. Conſequens 2. cap. Nolite 3. cap. Eccleſiaſticarum 5. diſt. 11. cap. Ridiculum 5. diſp. 12.* Molina *de juſt. tract. 1. diſp. 672. num. 6.* Suarez *contra Regem Angliæ, lib. 4. cap. 34. à num. 10.* Azorius *Inſt. Mor. 1. par. lib. 5. cap. 12. q. 1.* hæc verò conſuetudo non eſt hujus qualitatis. Et probatur, nam ire aſſociandum corpus defuncti cum Cruce Parochos ipſos, id eſt proprium jus eorum, uſque ad portam Monaſterii, ut dictum eſt ſupra: Lucrari verò dimidium funeralium ex conſuetudine rectè præſcripta, ex duabus rationibus ſuſtinetur. Prima, nam lucra funeralia, de jure proprio pertinent ad Parochum, Trullench. *de jur. Parochi, c. 9. à n. 1.* & poſteà Pontifices conceſſerunt jura illa Regularibus ex ſpeciali indulgentia, *Clem. Dudum 2. §. per hujuſmodi, de ſepult. Extravagant. Inter cunctas, de Privilegiis*, & ex Conſtit. Pii V. & aliorum Summorum Pontificum: quapropter iniquum non eſt, nec habet aliquam irrationabilitatem contra ſtatuta Sanctorum Patrum, ſi præſcripto privilegio, aut per non uſum derogato, dimidia pars funeralium ad proprium Parochum revertatur, ob adminiſtrationem Sacramentorum, & laborem Parochi proprii illius defuncti.

39 Ex alio verò capite rectè Parochus conſuetudine extante poterit percipere dimidietatem funeralium; nam jura concedentia funeralia Regularibus, aliquam partem ſemper reſervant propriæ Parochiæ, ob laborem adminiſtrationis Sacramentorum, quæ quarta aliquando eſt, aliquando tertia, & aliquando dimidia pars, ut eſt Text. expreſſus in *cap. Relatum 2. de ſepult. cap. Quæſtionibus 12. §. Mortuorum 12. 13. quæſt. 2.* In quo ſtandum eſt conſuetudini legitimè præſcriptæ, *cap. Certificari 9. de ſepult.* Lapus *de can. por. cap. 1. num. 4.* Lavorius *var. lucubr. tit. 2. c. 17. à num. 3.* Trullench. *de jure Parochi, cap. 13. n. 4. & 5.* Barboſa *in d. c. Certificari, num. 2.* Ergo rectè Parochus, conſuetudine exſtante, poterit aſſociare cum Cruce ad portam Monaſterii, & dimidium funeralium percipere; hæc enim conſuetudo non ſolùm eſt conformis juri, verùm expreſſa in jure, & communi calculo Doctorum recepta, quæ neceſſariò debet ſuſtineri.

Præterea probatur, nam cùm pars iſta dimidia funeralium 40
ſit à jure expreſſa *in d. cap. Relatum 2. de ſepult.* non ſolùm valida eſt, & ſuſtinenda, quando præſcripta fuerit per quadraginta annos, ſed etiam ſi tantùm per decem. Ratio eſt, nam conſuetudo iſta non eſt contra jus, ſed ſecundùm ipſum, quapropter ſufficit, ut obſervata fuerit per decenniam, & per id tempus obſervata ſuſtinetur, cùm habeat juris aſſiſtentiam, ut in terminis quartæ tenet Ubaldus *de Canonic. per tot. 2. par. cap. 5.* Miranda *in manual. Prælat. tom. 2. quæſt. 48. art. 5. concluſ. 1.* qui aſſerit præſcriptionem quadraginta annorum ſolùm eſſe neceſſariam quando à Parocho ultra dimidium funeralium peteretur, Lavor. *d. tit. 2. cap. 17. num. 4.* Barboſa *in d. cap. Certificari, n. 3.* Trullench. *dict. cap. 13. num. 5. & dub. 4. num. 5.* Ergo conſuetudo iſta, utpotè conformis juri communi, & magis favorabilis, quàm aliæ conſuetudines, eſt ſuſtinenda.

Rurſus dicere, conſuetudinem iſtam ex ſola avaritia eſſe 41
introductam, & cum continuo peccato, non benè dictum patet ex jam dictis; nam ad percipiendum dimidium funeralium adeſt expreſſa juris diſpoſitio, ſimul cum conſuetudine (ut ſupponimus) quod eſt titulus ſufficientiſſimus ad illam dimidietatem percipiendam: Ergo non ex avaritia, nec cum habituali, & continuo peccato. Idque aliter probatur, nam quamvis hæc conſuetudo non fuiſſet conformis juri communi *in dicto cap. Relatum*, verùm cum peccato fuiſſet introducta adverſus privilegia Regularium; peccabunt tamen primi adverſus illa agentes, non verò alii, qui ex bona fide tutari conſuetudine, dimidium funeralium à Regularibus perceperunt: quapropter ab eis introducta eſt bona fides, & ſuſtinetur conſuetudo, quia in vetuſtis ignoratur principium, *leg. ſi arbiter 28. ff. de probat.* Baſilius Pontius *de matrim. lib. 5. cap. 5. num. 2.* Diana 8 *p. tract. 7. reſolut 37.* Suarez *de legib. lib. 7. cap. 18. à num. 14.* Barboſa *in cap. fin. de conſuetud. num. 10.* Ergo nequit dici, ſimilem conſuetudinem cum peccato continuo ſemper eſſe poſſeſſam, & animam perpetuò habere alligatam, ptout deducitur *ex dict. cap. Non ſatis, de ſimonia & c. fin. de conſuetud.* Quæ jura loquuntur in re de ſua natura turpi, quæ nequit aliquo modo cohoneſtari, ſed ſemper eſt corruptela; non verò in noſtra ſpecie.

Prætereà lucrum iſtud non percipiunt Parochi pro fune- 42
ralibus, quod jura execrantur, nec commodum ex cadavere reportandum eſt, ut eſt Text. *in cap. Quæſtionibus 12. c. Poſtquam 13 13. quæſt. 2.* Sed percipiunt tanquam ſalarium ob laborem curæ; & vigilantiæ ipſius Parochiani in Eccleſiis Regularium tumulandi, *cap. 1. de ſepulturis. Clement. Dudum 2. §. Per hujuſmodi, eod. tit.* Quapropter rectè per conſuetudinem valet percipere dimidium funeralium, quando per aſſociationem vadit ad portam Monaſterii, ubi eſt tumulandus. Ex quibus fundamentis ſolidiſſimis diſſolvuntur alia, quæ cumulat ipſe Samuel, maximè cùm ſupponamus conſuetudinem legitimè præſcriptam, ex qua ſupponuntur adeſſe omnia neceſſaria ad illam conſtituendam, unde admittenda non eſt ejus ſententia.

Nec ſimili modo admittendum quòd dicit *dict. controv. 3.* 43
concluſ. 4. num. 32. ſcilicet in præſenti teneri Parochos dimidium funeralium reſtituere, nec in conſcientia retinere poſſe, hoc enim neceſſariò ex dictis rejiciendum; nam cùm conſuetudo iſta valida ſit, & conformis juri communi, ex quo oritur legitimus titulus percipiendi, inde etiam oritur ratio legitima retinendi; faciliùs enim conceditur retentio, quàm actio ad petendum, *l. 2. Cod. de fideicomm. l. Per retentionem, Cod. de uſuris*, Gratian. *diſcept. 408. n. 7.* Caſtillo *lib. 5. controverſ. 2. par. cap. 164. n. 6.* Mangil. *imput. quæſt. 43. à num. 8.*

Illud verò animadvertendum à Parochis eſt, ut non poſ- 44
ſint recipere majorem eleemoſynam quando cadavera tumulantur in Eccleſiis Regularium, quàm quæ recipitur dum tumulantur in propriis Eccleſiis: idque juſſum eſt ab Urbano VIII. 11. Martii 1638. in ſua Conſtitutione 20. incipiente *Cùm ſicut dilecti*, ubi id Papa Ordinariis locorum committit: quod antea præceperat Clemens VIII. Parochis Indiarum Occidentalium in ſua Conſtitutione incipiente *Expoſitum eſt*, 2. in ordine: nec queunt obligare hæredes defuncti tot officia, & legata peragere. Et ratione

con-

confirmatur, nam cùm interdictum sit Parochis, ne cogant Parochianos ad eligendam sepulturam in Parochia propria, *cap. Ex parte 5. cap. Cum liberum 6. de sepultur.* esset virtualis quædam coactio plus ex funeralibus recipere, quando defuncti sepeliuntur in Ecclesiis Regularium, quàm percipiatur quando in Parochialibus sepeliuntur; quapropter nequeunt plus recipere, sicut nec ampliùs recipere possunt quando extranei sepeliuntur in suis Ecclesiis, quàm si proprii Parochiani sepelirentur, ut censuit Sacra Congregatio Episcoporum in una Cassanensi, 5. Maii 1617. cujus verba dat Barbosa *dict. 3. par. de jur. Parochi cap. 26. n. 83. & lib. 2. de jur. univers. cap.... num. 83.* Peyrinis *de Privil. Regul. tom. 3.* ubi de Constitutionibus Urbani, *constit. 10. pag. 458.* Samuel *de sepultur. dict. disp. 3. controvers. 4. à conclus. 1. & controvers. 8. conclus. 16.*

45 Potest verò accidere, ut occasione quarto funerali non solutæ, quando cadaver in Ecclesiis Regularium tumulandum est, aliquod dissidium oriatur: & tunc caveant Parochi, nec occasione illius litis corpus detineatur, & exhumatum relinquatur, ut censuit Sacra Congregatio in Cassan. 5. Maii 1617. Quod quidem ita est observandum in specie cujuscumque interesse, etiamsi in alia Ecclesia sepeliatur, cùm nulla ratio id patiatur, pietatique Christianæ valdè repugnet insepultum remanere cadaver, maximè ob pecuniarum interesse, Tuscus *litt. A, conclus. 75. à num. 9.* Lezana *tom. 4. verbo Sepultura, num. 13.* Barbosa *de offic. Parochi, 3. par. cap. 26. num. 55. & de univers. jur lib. 2. cap. 10. num. 55.* Samuel *dict. disp. 3. num. 11. & 12.* Marchetus *d. tit. 40. num. 37.*

46 Quapropter animadvertendum, Curatos maxima consideratione in re procedere debere in petendis eleemosynis consuetis pro mortuis sepeliendis; non enim debent aliquo modo funus detinere, nec etiam pro illis repetendis, nec cautionem, nec fidejussores petere antequam tumulentur; hoc enim impium est, & contra pastoralem charitatem, & Christianam humanitatem. Si enim pauper est defunctus, gratis est tumulandus: & quando ad id pauper censeatur, explicat in hoc Archiepiscopatu Constitutio 4. *de sepult.* scilicet si eleemosynis in morbo, ex quo decessit, curatus æger fuerit. Si enim pauper non sit, funus est peragendum, quo peracto, si post aliquos dies consueta stipendia hæredes solvere renuerint, coram Judice petantur, ut benè consuluit Possevinus *de offic. Curat. cap. 14. num. 3.* Samuel *à controvers. 6. conclus. 4 à num. 8.*

47 Est tamen aliquod dubium, an Parochus, quando suus Parochianus sepelitur in Ecclesia unita Monasterio, ingredi possit cum Cappa, & Stola ipsam Ecclesiam; Et affirmandum videtur, nam hæ Ecclesiæ, quamvis uniantur Monasteriis, non pleno jure efficiuntur Regulares, cùm adhuc visitatio pertineat ad Episcopum, ex Tridentino *sess. 7. de reformat. cap. 7. & 8.* Tamburinus *de jur. Abbat. tom. 3. decis. 56. num. 6.* Barbosa *de univers. jur. lib. 1. cap. 14. num. 19.* quapropter adhuc cùm propriè Regulares non sint, non poterunt impedire verè Regulares, ne Parochus intret cum Cappa, & Stola ad peragendum funus. Et confirmatur nam Episcopus nequit se intromittere in Monasteriis, & Ecclesiis Regularium, quæ sunt propriè Regulares, & in quibus viget observantia Regularis, ut tradit Armendariz *in Addit. ad Recopilat. l. Navarræ, l. 1. tit. 6. de visitat. n. 9.* Barbosa *3. par. allegat. 74. num. 16.* Murga *quæst. Past. 1. par. quæst. 2. per tot.* Ergo Ecclesiæ istæ non sunt propriè Regulares: Ergo in eis interdici non valet, ne Parochus proprius defuncti intret in eis cum Cappa, & Stola ad funus peragendum; id enim tantùm decisum est in Monasteriis, & Ecclesiis propriè Regularibus.

48 Sed contrarium tenet Samuel *dict. disp. 3. controversia 7. per tot.* Ducitur, nam ut patet ex multis Cardinalium declarationibus, Parochus proprius defuncti nequit introire ad Ecclesias Regularium ad funus peragendum, & cum Cappa, & Stola nequit, nisi tantùm accedere ad januas illarum. Ergo etiam, nec intrare ad Ecclesias unitas Monasterio, cùm & ipsæ sint Ecclesiæ Regularium. Et confirmatur, quia per unionem fiunt propriè Regularium, ut docet Gregorius Sanchez *in l 3. tit. 1.* Sanchez *tom. 3. Oper. Mor. lib. 7. cap. 29. num. 148.* Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 20. art. 1.* Petrus Perusinus *de union. cap. 2.* Ergo in eis nequibit Parochus proprius defuncti intrare cum Cappa, & Stola in Ecclesias unitas Monasterio. Cæterùm, nam Parochum portare Cappam, & Stolam in funeribus, non solùm importat præcedentiam, sed etiam jurisdictionem, quam nequit exercere in Ecclesiis Regularium, ut patet: Ergo nec intrare in Ecclesias unitas Regularibus cum Cappa, & Stola. Denique licèt Cappa, & Stola solùm ad ornatum deserviret, intrare in Ecclesias Regularium cum tali ornatu, superbia prætenditur, & contemptus jurium, & privilegiorum Regularium, prout ea tenent eorum Ecclesiæ unitæ: Ergo minimè admittendum, ut possint Parochi intrare in Ecclesias unitas Regularibus cum Cappa, & Stola, ad funus associandum, vel peragendum.

Addit tamen *n. 13.* nec hoc fieri posse, etiam consuetudine immemoriali stante, quia nullæ consuetudines possunt introduci contra jus, & privilegia Regularium. 49

In re tamen animadvertendum, tribus modis posse fieri unionem. Primò, quando ex duabus Ecclesiis una fit, vel ex duobus beneficiis fit unum, *c. Decimas, ad fin. 16. quæst. 1.* & tunc fit, ut privilegia, & consuetudines unius alteri competant, Petrus Gregorius *de re benefic. cap. 20. num. 15.* Garcia *de Benefic. 11. par. cap. 2. num. 10.* Gonzalez *ad regul. 8. gloss. 5. §. 7. n. 28.* Secundo modo unio fit accessoriè, nempè ut una Ecclesia alteri, vel Monasterio subjiciatur, ita ut unum tantùm fiat Beneficium, & quod per modum accessionis unitur, maneat omninò extinctum; remaneat tamen ut prædium illius Beneficii principalis, aut Monasterium, cui unitur, ut tradunt DD. *in cap. Cum accessissent, de const.* Verallus *3. par. decis. 349. num. 2.* Garcia *dict. cap. 2. num. 5.* Barbosa *de univers. jur. lib. 3. c. 16. à nu. 7.* Murga *d. 2. p. q. 2. num. 6.* 50

Qui *n. 7.* asserit, hanc accessionem duobus modis posse fieri, vel per unionem ad spiritualia, & temporalia, vel quoad temporalia solùm, quibus modis Ecclesias, sua Beneficia uniri posse Monasteriis, scripsit Layman *in quæst. Canonic. cap. 106.* Mena *var. lib. 1. q. 10. num. 16.* quando enim unio fit quoad spiritualia, & temporalia, cum transeat ad Prælatum Monasterii, ipse per se, aut per suos Religiosos deservire tenetur aut, personas deputare ad servitium, soluta mercede: si vero tantum quoad temporalia uniatur, Vicarius perpetuus erigitur, ipseque debet spiritualia administrare, absque eo quod Religiosi ad id se intromittere possint; nam tantum unio quoad fructus, & temporalia suum effectum sortitur, ut latè prosequitur ipse Murga *dict. q. 2. à num. 8.* 51

Tertio modo fit unio duorum Beneficiorum, vel Ecclesiarum, invicem æquè principaliter, utraque permanente, sicut anteà fuerat, utens suis privilegiis, sive simplex, sive Parochialis fuerit; illum tamen effectum operabitur unio, ut unus sit illarum Ecclesiarum Prælatus, vel Parochus, Rota *2. par. Diversi. decis. 114. num. 72.* Gonzalez *dict. gloss. 5. §. 7. à n. 112.* Gratianus *discept. tom. 4. c. 655. per tot.* Sanchez *in Summ. lib. 7. cap. 49. num. 149.* Azorius *Inst. Moral. 2. part. lib. 6. cap. 28.* Barbosa *dict. lib. 3. cap. 16. nu. 31.* Murga *dict. quæst. 2. num. 5.* 52

Quoad primum modum unionis, nempe quàdo ex Ecclesia unita cum Monasterio sit unum corpus, seu Beneficium, assero in his Ecclesiis unitis Parochum solùm deferre posse defunctum usque ad januam Ecclesiæ unitæ Regularium, nec cum Cappa, & Stola posse ingredi ad illam, nisi de jure novo Alexandri VII. in his Regnis, *ex constit.* edita 6. Maii 1655. Quod idem est dicendum, quando accessoriè uniretur quoad spiritualia, & temporalia, ita ut titulus Ecclesiæ unitæ omninò extingueretur. Ratio est, nam per tales uniones ita Monasteriis adhærent Ecclesiæ istæ, ut Regulares efficiantur, & ad ipsas transeant omnia privilegia Regularium, Bassæus *in Florib. verbo Beneficium 1. num. 2.* Pellizarius *in Manuali Regul. tract. 8. cap. 4 sect. 4. num. 113.* Azor. *3. par. lib. 6. cap. 28. quæst. 2.* Murga *quæst. Past. 2. par. quæst. 6. n. 8.* Ergo sicut in ipsis Ecclesiis Regularium nequit Parochus cum Cappa, & Stola introire, similiter in his Ecclesiis unitis. 53

Si verò unio sit tantùm ad temporalia, in qua solùm fructus, & temporalia transeunt ad Monasterium, sed spiritualia exercenda sunt à Vicario perpetuo, tunc Ecclesiæ illæ Regulares non fiunt, sed remanent sæculares quoad spiritualia, *cap. Extirpandæ, §. Quia verò, de præbend. cap. 1. eod. tit. in 6. cap. unico, de Capell. Monachor.* Quapropter privilegia Regularium ad illas non transeunt; quippè ad rem, tanquam sæcularia sunt censenda, ad hoc ut Parochus defuncti possit intrare cum Cappa, & Stola, cùm funus ad spi- 54

ſpirituale officium pertineat, & regulæ ſæcularium Eccleſiarum quoad id ſunt conſiderandæ.

55 Si verò unio ſit æquè principaliter, ita ut Prælatus, vel Religioſi Rectores Eccleſiæ unitæ relinquantur, etiamſi Eccleſia Parochialis ſit, tunc Eccleſia illa eſt Regularis, & per Regulares deſervienda, ut decidit Rota in una Paroch. Stellæ, 15. Decembris 1598. & eſt apud Seraphinum *deciſ.* 1304. Rota apud Farinacium 2. *par. Select. deciſ.* 204. Et probatur, nam tunc pleno jure pertinet Eccleſia illa ad Monaſterium, etiamſi per Vicarium temporalem deſerviretur pro congrua aſſignata à Prælato; nam tunc exiſtimatur etiam pleno jure pertinere ad Monaſterium, & Regularis remanet, ut exprimit Rota apud Seraphinum *dict. deciſ.* 1304. *num.* 1. Murga 1. *par. quæſt.* 2. *diviſ.* 1. *num.* 3. Quapropter in ſimili ſpecie Parochus cum Cappa, & Stola ad illam non introibit, ut in aliis Eccleſiis Regularium.

56 Si tamen unio æquè principaliter non fiat pleno jure, verùm Vicarius perpetuus adhuc ſit, apud quem remaneat cura Eccleſiæ, non ſolùm in habitu, ſed etiam exercitio, & decimas, oblationes, & primitias percipiat, ſolùmque certam quantitatem Abbati, ſeu Prælato præſtet; tunc Eccleſia illa Regularis non eſt cenſenda, ſed tantùm ſæcularis, cum obligatione ex fructibus penſionem, ſeu partem fructuum diſmembratorum perſolvendi: quapropter privilegia Regularium ad eam non tranſeunt, ſed obſervabitur in re iſta, quod eſt obſervandum in alia Eccleſia ſæculari.

57 Hoc enim modo difficultate iſta explicata, non obſtant; quæ adduximus ſuprà, *num.* 42. Eccleſiæ enim Regulares, unitæ Monaſteriis, licèt ab Epiſcopo viſitentur, non ex eo ſunt impropriè Regulares. Ratio enim eſt, nam ſolùm viſitationi, & providentiæ Epiſcopi relinquuntur in neceſſariis ad curam animarum, ex delegatione ſpeciali Sedis Apoſtolicæ; non verò ex jure proprio ordinario, ut conſtat *ex d. ſeſſ.* 7. *cap.* 8. *& ex ſeſſ.* 14. *de reform. cap.* 9. quapropter non intelligendum, fieri ſæculares aliquo modo, ſed propriè Regulares relinqui, Fuſcus *de Viſit. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 29. Cochier *de juriſd. dict. in exempt.* 2. *par. quæſt.* 45. *concluſ.* 2. Tamburinus *de jur. Abbat. tom.* 3. *diſp.* 9. *quæſt.* 19. Barboſa *de univ. jur. d. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 19. Ergo ſemper in eis Parochus proprius defuncti nequit, invitis Religioſis introire in Eccleſias iſtas unitas Monaſteriis, cùm Cappa, & Stola, prout ipſis in Eccleſiis Monaſteriorum.

58 Prorſus quando Regulares ad funus vocantur, omnes convenire debent, aut in Eccleſia Parochiali, ubi jam eſt repoſitus defunctus; aut in ejus domo, ubi aſſocient ad ſuam, vel aliorum Eccleſiam, ubi eſt tumulandus, ut adſunt plures declarationes, quas congeſſit Samuel *diſp.* 4. *controverſ.* 12. *concluſ.* 1. *n.* 1. *&* 2. Illa tamen declaratio Cardinalium ad meliùs obſervanda eſt, præcipiens ut quando defunctus eſt in Eccleſiis Regularium tumulandus, deponi debeat in Eccleſia Parochiali, unde directè ad Regularium Eccleſiam deferatur, ut refert Barboſa *in Bullario*, *verbo Defunctus*, Lezana *tom.* 3. *verbo Defunctus.*, *num.* 1. Non tamen Eccleſia Parochialis aliquid pro hac depoſitione valet percipere, ut cenſuit Sacra Rituum Congregatio in una Placent. 23. Martii 1619. Samuel *d. controv.* 12. *concl.* 3. *n.* 6.

59 Eſt tamen caſus non obliviſcendus, quando Regulares concurrunt ad aſſociandum funus, vel ad alias proceſſiones, quis Ordo præcedentiam habere debeat. In qua diſquiſitione obſervandum, plures ad eſſe Romanorum Pontificum Conſtitutiones. Prima enim eſt Gregorii XII. quam referunt Genuenſis *in Praxi Archiepiſcopali*, *cap.* 52. *in fine*, Barboſa *de Offic. Epiſc.* 3. *par. alleg.* 78. *num.* 31. decernentis conſuetudinem in his præcedentiis obſervandam eſſe inter Regulares: ſi tamen nulla adſit conſuetudo, vel quaſi poſſeſſio, tunc Ordo ille habebit præcedentia, qui primus in civitate, vel loco illo receptus fuerit, & Monaſterium conſtruxerit. Leo X. *conſt.* 29. ſtatuit, Fratres Minores de Obſervantia Sancti Franciſci præcedere debere Fratres Minores Conventuales. Pius V. & Clemens VIII. decreverunt, Fratres Prædicatores aliis Religionibus Mendicantibus præferendos poſt Clerum, & antiquos Monachos, etiamſi aliorum Monaſteria priùs fuerint fundata. Refert has Conſtitutiones Ferro Manrriquez *de Præcedentiis q.* 45. *num.* 3. qui *num* 4. aſſerit, Clementem Octavum diffiniſſe præcedentiam inter Fratres Carmelitanos & Fratres Beatæ Mariæ à Mercede. Et *num.* 5. aſſerit, eundem Clementem decreviſſe, quod Monachos Congregationis Beatæ Mariæ Tulin, Ciſtercienſis Ordinis Sancti Benedicti omnibus Mendicantibus ſint præferendi. Pius IV. *conſt.* 75. juſſit Canonicos Regulares Ordinis S. Auguſtini, & Monachos Caſſinenſes D. Benedicti, præcedere debere. Unde Pius V. *conſt.* 116. ſtatuit, Canonicos Regulares poſt Clerum Sæcularem præcedere debere omnes Regulares. Quas Conſtitutiones retulit Ferro *d. q.* 45 *à num.* 6. Barboſa *dict. allegat.* 78. *à num.* 73.

His ſuppoſitis Conſtitutionibus in aſſociatione funerum, ac in aliis proceſſionibus, in primis obſervanda eſt conſuetudo recepta, & quaſi poſſeſſio præcedentiæ inter ipſos Regulares; in his enim plurimum valet conſuetudo, ut diximus ſuprà, Barboſa *d. allegat.* 78. *num.* 27. qui plures dat: quod non ſolùm eſt intelligendum inter ſæculares Clericos, ſed etiam inter ipſos Regulares, etiamſi conſuetudo eſſet contra jus; & eſt manutenibiles, quando eſt alicujus temporis conſiderabilis, Rota 1. *par. diverſ.* 334. *num.* 7. *& deciſ.* 595. *num.* 4. Gregorius XV. *deciſ.* 370. ubi Additio *ſub num.* 10. Barboſa *ubi proximè, in fin.* Ferto *dict. q.* 45. *num.* 10. Gamma *deciſ.* 1. *num.* 31. 60

Si verò nulla adſit conſuetudo, nec aliqua quaſi poſſeſſio manutenibilis, tunc recurrendum eſt ad præcedentiam habendam ad ipſam antiquitatem, originem, & approbationem Religionis, ſecundùm aliquas gloſſas, quas recenſet, & ſequitur Gamma *deciſ.* 1. *num.* 34. Et ratio eſt, nam Antiquitas Religionem reddit magis honorabilem, quapropter Religio habens majorem antiquitatem tam reſpectu inſtitutionis, quàm approbationis, eſſe præferendam dicunt Riccius 1. *par. deciſ.* 131. *num.* 18. Chaſſuneus *in catal. glor. mundi*, *par.* 5. *conſiderat.* 52. *verſ. Ergo modo*, Barboſa *dict. allegat.* 78. *num.* 36. Rota *apud Buratt. deciſ.* 868. *num.* 1. 61

Hinc enim Clerus ſæcularis in funerum aſſociatione, & in aliis proceſſionibus ſemper eſt præferendus aliis Religionibus; non autem Clericis permiſcendi ſunt Religioſi, ut in aliquibus partibus fieri ſolebat, aut Regulares præcedere debent, prout in Cæremoniali Epiſcoporum erat ſcriptum. De quo eſt declaratio Cardinalium, cujus verba dat Barboſa *dict. allegat.* 78. *num.* 38. Hoc, inquam, ſemper eſt obſervandum, ut decrevit Clemens VIII. 5. Novembris 1693. in ſua Conſtitutione incipiente, *Quæ ad removendum*. Quam Conſtitutionem obſervari mandavit Gregorius XV. in ſua Conſtitutione incipiente, *Aliàs à felicis*, ſub die 3. Auguſti 1622. Barboſa *d. num.* 35. *verſ. Poſtmodum*. 62

Poſt Clerum ſæcularem Canonici Regulares ſubſequi debent, ex Conſtitutionibus Pii IV. & V. ſuprà relatis, Barboſa *d. allegat.* 78. *ni* 30. Poſteaque inſequentur Monachi ſecundùm eorum antiquitatem. Hanc ob rem quampluri mi cenſuerunt, Monachos D. Baſilii Benedictinis preferendos: ex eo quod antiquiores ſint, Boerius *de Author. magni conſilii*, *num.* 86. & 87. Salgado *de Regia Protect.* 2. *par. cap.* 9. *à num.* 27. Barboſa *d. allegat.* 78. *num.* 29. quos inſequentur Religiones Mendicantes, in quibus eſt aliquod diſſidium, quomodo earum præcedentia ſit ordinanda. Atqui enim cenſuerunt, non ab antiquitate eſſe præcedentiam percipiendam, ſed ex acceſſione ad illam civitatem, aut locum, ubi ſunt fundata Monaſteria, ut ſpecialiter inter Mendicantes decrevit Gregorius XIII. jam ſuprà recenſitus, & relatus à Campanilo *in Diverſ. rubr.* 12. *c.* 12. *ſub num.* 22. Zerola *in Praxi*, 1. *par. verbo Proceſſiones*, *ad* 4. *à num.* 29. 63

Quapropter id erit obſervandum, Salgado *dict. cap.* 9.

Sed tamen Abbas *in cap. Nimis prava*, *de exceſſib. Prælat. num.* 1. aſſerit, Fratres Prædicatores omnibus Mendicantibus eſſe præferendos: nam Ordo iſte antiquior eſt omnibus aliis Religionibus Mendicantium, cùm anteà fuerit confirmatus; quapropter, ut antiquior, eſt præferendus. Cæterùm id diſpoſitum eſt in Conſtitutione Pii V. & Clement. VIII. quapropter Prædicatores Fratres, licèt Mendicantes ſint, debent aliis Mendicantibus præcedere, Fuſcus *ad quæſtat. lib.* 2. *cap.* 15. *numer.* 66. Zerola *verbo Proceſſiones*, *de v.* Ferro *dict. quæſt.* 45. *num.* 9. Barboſa *allegat.* 78 *num.* 30. 64

Hæc ultima ſententia in Hiſpania quotidie obſervari videtur, & in qualibet parte, ſecluſa conſuetudine, obſervanda eſt; nam Conſtitutio Gregorii XIII. ut teſtatur Rodriguez *tom.* 3. *q. Regul. cap.* 37. *art.* 4. recepta non eſt quod quidem eſt neceſſarium, ut obliget, aliàs enim non obligabit; idque ſciente, aut tolerante Principe, vel ignorante per decennium, Moneta *de diſtribut. quot. art.* 2. *q.* 12.

num 5.

num. 5. Garcia *de Beneficiis*, 11. *p. cap.* 4. §. 1. *n.* 156. Tum etiam, nam in Bulla Clementis VIII. respectu Prædicatorum id est sublatum, ut eorum præcedentia non attendatur respectu receptionis in Civitate, aut loco Monasterii; quin potiùs eis concedit præcedentiam, Fratribus aliis Mendicantibus concurrentibus, Ferro *d. q.* 45. *nu.* 3. quapropter recurrendum est ad constitutionem Pii V. quæ fundatur in antiquitate illius Religionis respectu aliarum Mendicantium; & ideò admittenda est secunda sententia.

66 Post Fratres Prædicatores præcedunt Fratres S. Francisci, & Eremitarum sancti Augustini: deindè Ordo Carmelitarum, posteà Ordo Sanctæ Mariæ à Mercede, & aliæ subsequentes Religiones. Quo de praxi testatur Ferro *d. q.* 45. *num.* 9. quidquid sit de horum Ordinum prioritate.

67 Sed quid dicendum, quando Fratres Discalceati D. Augustini intrarent ad habitandam domum desertam à Calceatis Fratribus. An tunc sint præferendi aliis Religionibus, ex eo quod intrent locum Calceatorum. Et Tondutus *tom.* 1. *quæst.* 1. *Beneficialium*, *cap.* 81. *à n.* 3. asserit, debere hebere locum Fratrum Caiceatorum deserentium Monasterium illud, & eandem præferentiam. Ducitur, nam Constitutio Gregorii XIII. dans præcedentiam illis, qui priùs fuerint in Villa, aut Civitate recepti, nequit in casu isto intelligi, quia Discalceati intrarunt in locum Calceatorum, quorum loco subrogantur: Ergo sicut Calceati debent habere præcedentiam, ut priùs recepti, similiter Discalceati. Cœterùm personæ subrogatæ per juris interpretationem eædem reputantur cum primis, *Auth de hæredib. ad inteſt. venient.* §. *Si igitur defunctus*, Natta *conſ.* 346. *n.* 3. Ergo debent habere præferentiam Calceatorum. Denique Calceati, & Discalceati D. Augustini eundem Ordinem constituunt, habent enim eundem Generalem, & eisdem Constitutionibus reguntur: Ergo semper standum est primæ receptioni Calceatorum, nec ut diversi Fratres censendi sunt, sed tanquam ipsi Calceati ad illud Monasterium redirent.

68 Verùm in doctrina ista animadvertendum, unicum recipere fundamentum ex decreto Gregorii XIII. supponit enim admissum esse, & in loco, ubi quæstio illa disceptabatur, receptum: quapropter asserit, præcedentiam istam habere debere Patres Discalceatos, sicut si essent Calceati; ex eo enim quod Calceati priùs fuerint recepti: videtur Discalceatis prodesse. Sed licèt hanc sententiam probabilem esse censeamus, attamen contrarium etiam probabile videtur. Et ratio est, nam Discalceati, licèt sub eodem Generali militent, attamen habent Vicarium Generalem, ex Constitutione Gregorii XV. sub 26. Novemb. 1621. & 20. Augusti 1622. necnon Urbani VIII. 8. Julii 1627. Sunt autem sub regula strictiori, & separati à Calceatis à Paulo V. 10. Kalendas Septembris 1606. Bulla incipiente, *Inter omnes*. Idcircò tanquam aliorum Regularium receptio existimanda est hæc, quæ facta est in civitate, etiam in domo deserta à Calceatis. Cœterùm, nam licèt subrogatus sapiat naturam subrogati, & ejusdem qualitatis censeatur, ex multis juribus congestis à Mena *lib.* 1. *var. quæst. c.* 20. *n.* 1. Molina *de primog. lib.* 4. *c.* 4. *à num.* 24. Castillo *controverſ. lib.* 4. *cap.* 36. *à num.* 51. & eisdem potiatur privilegiis, quibus utebatur is, in cujus locum subrogatur, Surd. *lib.* 1. *conſ.* 127. *num.* 7. Menochius *lib.* 1. *conſ.* 99. *nu.* 48. Castillo *ubi proximè*, *num.* 55. Hæc tamen non est propriè subrogatio, nec expressè, nec per fictionem juris. Non expressè, quia de ea actum non est: non per fictionem, quia non est eadem ratio in aliquibus, ac in alteris Fratribus nec concurrit potentia activa ex parte subrogantis, quod est necessarium, ut subrogatio effectum sortiatur, ut cum aliquibus tenet Molina *dict. quæst.* 20. *num.* 7. Ergo nequit talis subintratio Fratrum Discalceatorum ad domum Calceatorum eisdem cum præcedentiis considerari. Et explicatur magis: Non est eadem ratio, quia Discalceati Fratres Divi Augustini separati sunt à Calceatis, & distinctam habent ab eis præcedentiam. Ergo non est eadem ratio. Tum, non est potentia activa ex parte subrogantis; nam receptio populi in locum Fratrum ad domum deserta Calceatorum, nequit eos facere æquales, & ne distincti sint, & separati à Summo Pontifice: Ergo non adest potentia ex parte subrogantis, ut subrogatio sustineatur. Denique duobus modis potuit populus ille recipere Discalceatos, aut verè eos recipiendo, aut subrogando, casu quo posset: subrogatio enim debet fieri saltem ex aliquibus conjecturis inducentibus subrogationem, ut in re subroganda in majoratu Molina *de primogeniis*, *dict. lib.* 5. *cap.* 4. *à num.* 30. Gratianus *discept. tom.* 4. *cap.* 624. *num.* 10. Mena *dict. quæst.* 20. *num.* 2. Ast in præsentia non est conjectura evincens subrogationem: nam populus potuit eos de novo recipere: Ergo nullo modo per talem subrogationem, quæ revera non est, possunt Discalceati uti prima receptione Calceatorum ad consequendam ipsorum præcedentiam.

Hinc sequitur, fundamentum Tonduti solidum non 69
esse, licèt tanto viro probabilitatem præstemus. Verùm in re, ubi recepta non fuerit Constitutio Gregorii XIII. Fratres isti solùm habebunt præcedentiam Discalceatorum, quia ex eorum confirmatione, & institutione pensanda est prælatio in funerum associatione, & in aliis processionibus.

Illud verò Parochus, quando in Ecclesiis Regularium 70
defuncti sepeliuntur, observare debet, ne aliquo modo, nec pacto electionem sepulturæ impediat, aliàs excommunicatus remanet ipso jure, *cap.* 1. *de ſepult. in* 6. ut declaravit Sacra Congregatio 8. Maii 1643. Si tamen de facto impediat funus, & in sua Ecclesia defunctum sepeliat, cogetur cadaver restituere, ut ab eadem Congregatione Episcoporum, 22. Februarii 1641. declaratum est, Barbosa *d.* 3. *p. cap.* 26. *num.* 21. Riccius 4. *p. reſol.* 293. Rodriguez *in Compend. Regul. quæſt. reſol.* 128. Similiter etiam declaravit Sac. Congregatio 15. Junii 1633. minimè Parochos impedire posse Regulares, ne funus associent, quando defunctus in suis Ecclesiis sepelitur; nec possunt cogere defuncti hæredes, ut Missas celebrari faciant in suis Parochiis. Quin potiùs si corpora in Ecclesiis Regularium sint sepelienda, & à Parocho in sua Ecclesia tumulentur, in pœnam ea restituere tenetur, & cum corpore quidquid occasione funeris acceperit, & etiam quarta funerali privatur, ut censuit Sacra Congregatio Episcop. & Regul. 20. Martii 1643. Rodriguez *d. tom.* 3. *quæſt.* 61. *art.* 3. Gavantus *in Man. Epiſcop. verbo Sepultura*, *num.* 2. Samuel *d. tract.* 1. *diſp.* 4. *controver.* 13. *per tot.* & diximus suprà, *num.* 1.

CAPUT IV.

De impensis funerum, & quæ tales dicantur.

SUMMARIUM.

Impenſa funeris est quidquid in elatione mortui expenditur; & id ſingulariter explicatur, num. 1. *Lectica deſerviebat ad Nobilium funus, ſandapila ad plebeiorum num.* 2.

Sumptus isti referuntur à Conſultis. Veſtis, ſeu Mortaxa, *est ſumptus; ſed nequit fieri ex ſacris paramentis, niſi defunctus Epiſcopus fuerit, aut Clericus, nec ad hoc adhibendæ veſtes pretioſæ, num.* 3.

Si quis ad veſtes pretioſas capiendas ſepulchrum violaverit, in pœnam violati ſepulchri non incidit, ſicut nec ſi ad capiendas pecunias intraverit; ſecus ſi non ſint pretioſæ, num. 4.

Eſt ſimiliter ſumptus funeris, quando corpus in aliquo loco commendatur, ut alibi transferatur, n. 5.

Tum inter ſumptus computatur conſtructio ſepulchri, quam olim ex marmore fieri ditioribus concedebatur, numer. 6.

An veſtes lugubres ad hoc ſumptus pertineant. Prima ſententia affirmat, n. 7. *Secunda negat, n.* 8. *Tertia aſſerit ſtandum conſuetudini, n.* 9.

Amplectitur tertia ſententia, & explicatur, num. 10. *An in Caſtella ex quinto ſint veſtes lugubres deducendæ? Affirmant aliqui, ibid. Sed alteri negant, etiam ſtante conſuetudine, num.* 11.

Quando plura bona ſunt in quinto, veſtes lugubres ex eo poſſunt deduci, n. 12. *Secus ſi pauca, & ſuffragia minuerentur, num.* 13. & 14.

In caſibus, quibus veſtes lugubres extrahuntur, ſunt tantùm uxoris, & famulorum, non autem hæredum, num. 15.

Rejicitur doctrina Telli, & explicantur Gregorius & Azevedus, num. 16.

Sed quid de pannis nigris, vulgò Baietas, *qui ponuntur in domibus Nobilium, & in Eccleſiis, an ſint ſumptus*

ptus funeris ? Affirmat Spino, num. 17. Sed contrarium defenditur, num. 18.

At panni nigri, & alia necessaria ad funus, potuerint tantùm uni concedi, ut locarentur (vulgò Estancar los lutos. *) Negarunt quamplures. Est contra libertatem Ecclesiæ impedire Ecclesias sua locare, aut vendere, num. 19.*

Sed contrarium defendit Aranxio, num. 20.

Princeps sæcularis nequit disponere in spiritualibus funerum, sed tantum in pompis, & excessibus eorum, quoad temporalia, num. 23.

Nequit Princeps excessus in spiritualibus moderari, nec in eis se intromittere, num. 24.

Stanci isti sunt contrà causam publicam, per se loquendo num. 25. Requisita ad hos stancos, num. 26. & 27. Difficillimum est stancum istum ad praxim adducere, repugnantem causæ publicæ, & libertati particularium, num. 28.

Defenditur latè, non rectè admissos fuisse similes stancos Proceres, & magni viri honorandi sunt in morte. num. 29.

Pro his pannis nigris, & hostilibus aliquid recipere licitum est, & locare, num. 30. Si impeditur Ecclesia, ut sua vendat, vel locet, est contra libertatem Ecclesiæ, num. 31.

Princeps nequit disponere cum damno, & detrimento Ecclesiarum, & contra bonum animæ defuncti, n. 32.

Fit instantia, num. 33. Et respondetur, num. 34.

Princeps potest moderari pompam funeralem; non verò in his, quibus damnum præstatur Ecclesiis, & Clericis, num. 35.

Non potest Princeps, vel statutum moderari amplas cultrices, quæ fiunt ad Mobilium funera, & posteà deserviunt ad ornamentum Capellarum, num. 36.

Nequit sæcularis Princeps dare privilegium directè, nec indirectè tendens adversus Ecclesias, num. 37. Fit instantia, & respondetur, num. 38.

Datur responsum fundamentis Aranxi. Negotiatio propriè est ad lucrum captandum, & fieri valet ab Ecclesiam, & à Clerico ad sublevandam propriam indigentiam: & potest fieri per alios, licèt aliqua sit indecentia, num. 39.

Vectigal ad transferendum corpus, est sumptus funeris: id usitatum usque ad tempus Valentiniani, & Theodosii: & simile tributum à Christianis fuit persolutum, num. 40.

An quando corpora defunctorum de uno ad alium locum: transferuntur, vectigal pontium, aut à Parochis aliquid peti possit? Negarunt DD. num. 41. & 42.

Explicatur hæc doctrina, & admittitur, nisi quando esset aliquod municipale jus, aut pia consuetudo dandi aliquid Parochis, num. 43.

In Castella tale vectigal non est impositum, nec dari valet causa impositionis, num. 44.

Idem dicendum de Parochis, nisi vocentur ad associationem, num. 45.

An ad transferendum corpus defuncti requiratur licentia Superioris? Ad translationem nulla requiritur licentia, quando sepulta non sunt corpora, num. 46.

Quando jam sunt sepulta, & ad novum sepulchrum transferuntur, necessaria est licentia Episcopi. Explicatur textus in leg. 14. ff. de relig. & sumpt. funer. *n. 47. Et tunc non debetur portagium, num. 48.*

Sumptus funeris est, quod expenditur ad translationem cadaveris insepulti: quod idem dicendum pro depositione cadaveris, num. 49.

Si testator jusserit, ut corpus suum transferatur de uno ad alium locum, quilibet hæres ad expensas omnes tenetur, licèt ab aliis pro parte eas repetat, ibidem.

An quando corpus jam est sepultum, & ex licentia Episcopi cum causa transfertur, expensæ illæ sint funeris sumptus? Respondetur negativè, num. 50.

Et quid, si id jusserit testator, ut post aliquod tempus transferatur ad aliam sepulturam, an sumptus sint funeris: aliqui dixerunt, non esse hoc adimplendum, num. 51. Affirmatur alteri, num. 52. Vtraque sententia negatur, num. 53. Et affirmatur, esse sumptus funeris, num. 54.

Ad sumptus funeris pertinet quidquid datur pro eleemosyna Fabricæ Ecclesiæ, & quidquid datur pro corpore custodiendo: quod ab antiquis observatum, num. 55.

Ad eosdem sumptus pertinet corpus ungere, vulgò Embalsamar. *Et quid in antiquis de ungendi consuetudine, tam vivos, quàm defunctos: & qui essent pollinctores, num. 56.*

Antiqui Christiani non ungebantur sicut Esseni. Apud Hebræos defuncti ungebantur, num. 57.

Quorum morem insequuti sunt Christiani ob varias significationes, num. 58.

In Regibus, & illustrioribus personis defunctis hodiè unctio admittitur, & in his expensa funeris existimatur, n. 59. & 60.

FUneris sumptus dicitur quidquid in elationem mortui impensum est, *l. At si quis 14. §. Funeris causa ff. de relig. & sumpt. funer.* & quidquid occasione corporis, antequam sepeliatur, consumptum est, *l. Funeris sumptus 27. ff. eod. tit.* ubi communiter Doctores. Idcircò in his sumptibus intelligitur quidquid in candelis, & cereis impenditur: quidquid solvitur in ferendo cadavere ejus, qui peregrè mortuus est: quidquid datur Fratribus, aut in aliis eleemosynis expenditur, & ad custodiendum, & commendandum corpus: eleemosyna, quæ pro funere, sepultura, & associatione Clericorum conceditur; pro campanis pulsandis, & aliis ad id concernentibus. Tum etiam in his sumptibus intelligendum est feretrum, quo corpus ad sepulturam vehitur. Quod quidem apud Romanos dupliciter usitatum est; erat enim lectica, quæ ad Nobilium feretrum deserviebat, sandapila verò ad plebejorum funera. Lectica verò ad tantam intemperantiam pervenit, ut aliquando octophora, & hexaphora diceretur, quia aliquando octo, & aliquando sex ab hominibus vehebatur. Hanc feretri differentiam comprehendit Martialis *lib. 2. epigr. 81.* 1

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit,
Cùm tumen hæc tua sit, Zoile, sandapila.

Et *lib 6. epigr 77.*

Invidiosa tibi quàm sit lectica requiris,
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Et *lib. 9. epigr. 3.*

Octo Syris suffulta datur lectica puellæ:
Nondum sandapila pondus amicas erat.

Hinc etiam lecticarum abusus irrepsit, ubi & vivi commodo ferri inceperunt, ut ex Agellio *Noct. Att. lib. 10. cap. 3.* recipitur, cujus verba dat D. Laurentius Ramirez de Prado *ad Mart. dict. lib. 2. epigr. 81.* Durantius *de Rit. Ecclesiæ, lib. 1. cap. 13. num. 13.* Lavor. *dict. tit. 2. cap. 8. n. 35.* qui animadvertit, inde sandapilarios, vel vespillones dici, quia sandapilæ ab eis asportabantur, ut constat ex Martiali *l. 8. epigr. 75.* Ubi de Domitio. 2

Sumptus isti communiter in funeribus efficiuntur, quorum aliquos recenset Consultus *in l. 14. §. Funeris causa, ff. de religios. & sumpt. funer.* Lavor. alios addit *dict. tit. 2. c. 16. à num. 1.* Iranzo *de Protestat. in Apparat. num. 20.* Medicis *de sepultur. 2. p. quæst. 2.* Bonacina *de contract. disp. 3. quæst. 21. punct. 6. propos. 1.* Barbosa *appellat. 107.* quibus addenda est vestis vulgò dicta *Mortaxa*, qua corpus ad sepulturam ornatur, *dict. l. 14. §. Impensa 4. ff. de relig. & sumpt. funer.* quæ nequit fieri ex sacris vestibus, nisi Prælatus, aut Clericus defunctus fuerit, quos similiter ornare indecens non est, cùm ornamenta suæ dignitatis fuerint, & cum eis Sacra peregerint, Bonacina *de contract. disp. 3. quæstione 21. punct. 5. num. 1. vers. Observa.* Sæcularibus autem id non concedendum, sicut nec ut cum pretiosioribus vestibus tumulentur, ut est elegans Text. *in leg. fin. ff. de auro, & argent. legat.* Ubi narrat Consultus de quadam muliere, quæ jussit se sepeliri cum quibusdam ornamentis intextis ex margaritis, & smaragdis, quæ ad id ipsa fabricaverat: Verùm Consultus ait, illam dispositionem, tanquam ineptam rejiciendam, nec observari debere, *l. Servo 113. in fin. ff. de legat. 1.* ubi Gothofredus *litt. L, leg. 13. tit. 13. par. 1.* Paulus Duranus *de condit. 3. par. cap. 1. num. 16.* Iranzo *ubi supra num. 109.* Larra *de Anniversf. lib. 1. cap. 25. num. 22.* 3

Hinc si quis ad has vestes pretiosas capiendas sepulchri religionem violaverit, in pœnam violati sepulchri non incidit, sicut nec qui ex sepulchro pecuniam obstrusam extra- 4

xe-

xerit, illa enim pœna tantùm committitur quando cineribus injuria irrogata fuerit, non verò quando pretiosas vestes, aut divitias in monumento reconditas sustulerit, *l Julia* 4. *ff. ad l. Jul. pecul.* Lavor. *dict. tit.* 2. *c.* 7. *nu.* 25. Quod admittendum non censeo quando vestis defuncti, seu *Mortaxa*, non ita fuisset pretiosa, sed tantùm illa, quæ ob necessitatem corpus cooperiendi, cum corpore accingeretur; tunc enim cineribus irrogari injuriam quis dubitabit? Est enim vera cadaveris spoliatio, quæ quidem si armis fiat, capite delinquens plectitur; si verò sine armis, damnatur ad metallum, *l.* 3. §. *Adversus ff. de sepulchr. violat. l.* 14. *tit* 73 *p.* 5. Menoch. *de Arbitrariis, casu* 387. *n.* 13. Villalobos *in Summa*, 2. *p. tract.* 31. *diffic.* 6. *n.* 1.

5 Est similiter funeris sumptus, quando corpus in aliquo loco commendatur, seu deponitur, ut alibi transferatur ad quietam, & perpetuam sepulturam, ut est Textus *in d l.* 14. §. *Impensa*, ibi: *Vel etiam commendandum*, *l. si quis* 40. *ff. de relig. & sumpt funer.* Ratio enim est, nam funeris impensa est quidquid expenditur, donec corpus ad perpetuam sepulturam perveniat, & ad propriam collocetur, ut tradunt citata jura. Ergo ut sumptus funeris sunt censendi, qui fiunt ad corpus transferendum, Cujac. *observ. lib.* 2. *c.* 12. & *lib.* 11. *c.* 21. Gibalinus *de variis negot. lib.* 5. *c.* 1. *art.* 3. *num.* 6. *tom.* 2.

6 Quibus & addendus est sumptus ille, qui in constructione sepulchri fieri solebat, ut *in dict.* §. *impensa*, ibi: *Marmor*, sepulchra enim antiquorum ex marmore plerumque construebantur, ut testatur Giraldus *in suis sepulchralibus*, *fol.* 643. simul cum silice, saxo, & ferro, Strab. *lib.* 5. *de Mausolæo Augusti*, Lavor. *d. tit* 2. *c.* 8. *n.* 13. Iranzo *in Apparat. nu.* 108. verùm id non omnibus concessum, seu permissum; tantùm enim ditiores hoc confecerunt, prout refert Lavor. *d. n.* 13. Quapropter Consultus *in d.* §. *impensa*, inter alios funerum sumptus marmor apponit, ostendens quamlibet materiam, ex qua sepulchrum conflatur, ad has expensas pertinere.

7 Sed est dubium, an vestes lugubres ad hos funerum sumptus pertineant, quę apud nos communiter *Lutos* dicuntur. Prima sententia negat, per Textum *in l.* 30. *Tauri*, ubi sumptus funeris enumerantur, non tamen inter eos vestes lugubres recensentur: Ergo ad has expensas non pertinent. Sed Textus ille assumptum non probat, non enim signanter expensas istas annumerat, sed generaliter loquendo asserit, *La cera, y Missas, y gastos de el entierro, se saquen con las otras mandas graciosas de el quinto*. Ex his enim verbis nihil ad rem percipi valet; sub verbis enim, *Y gastos*, etiam comprehendi valent vestes lugubres: Ergo nihil certum ex textu illo percipi valet. Cœterùm probatur, nam funeris impensa dicitur quidquid corporis causa sepeliendi expenditur, *l. funeris* 37. *ff. de relig. & sumpt funer. l.* 14. §. *funeris causa*, *ff. eod. tit.* Vestes enim lugubres non ad hanc causam pertinent, cùm funus strenuè fieri valet absque illis vestibus: Ergo nequeunt computari in sumptibus funeris, Castillo *in l.* 3. *Tauri, verbo Gastos*, Garcia *de Expensis*, *c.* 8. *n.* 17. Tellus Fernandez *in d l.* 30. *vers. Ego verò*, Ferro *quæst. vic.* 1. *p. q.* 48. *à n.* 1. Ayora *de partitionib.* 2. *p. q.* 12. *n.* 24. Quæsada *qu.* 25. *num.* 24.

8 Secunda sententia contrarium tenet ex decisione textus *in l. Si ex re* 28. § *fin. ff. de stipulat. servor.* ibi: *Quod hæredis familia ex morte testatoris funesta facta intelligitur*. Quibus congruunt verba Statii *lib.* 5. *Sylv.*

Nigra domus questu, miseramque accessu ad auram
Conjugis arbati.

Unde perpenditur, in funeribus familiam defunctorum funestam fieri, pannisque nigris indui solere, quasi per quandam necessitatem ostendendi mœrorem, & tristitiam in morte alicujus, quod pertinet ad funeris expensam, Spino *in specul. testament. gloss.* 2. *num.* 61. Surd. *dec.* 255. Mastrillus *dec.* 10. *num* 11. Fontanella *de pact. nupt. gloss.* 2. *p.* 5. *nu.* 33. Regens Leo *dec.* 150. *num.* 14. Cancerius 1. *p. var. c.* 9. *num.* 4. *in fine*.

9 Tertia sententia asserit, in hac re standum esse consuetudini; si enim consuetudo regionis, aut illius loci sit, ut vestes lugubres concedantur familiæ, & non solùm personis illius, sed etiam famulis, id erit observandum, & tanquam funeris sumptus sunt computandi; etenim conducit ad funus efficiendum secundùm morem regionis, quapropter ut sumptus illius sunt censendi, Lavor. *dict. tit.* 2. *c.* 16. *n.* 4. Gamma *dec.* 308. *n.* 5. Riccius 5. *p. collect.* 1931. Iranzo *in Apparat.* *n.* 117. Bonac. *d. disp.* 21. *punct.* 6. *prop.* 1. Spino *de test. gloss.* 2. *num.* 61.

In hac difficultate hæc tertia sententia amplectenda est, 10
scilicet consuetudine extante, ut vestes lugubres dentur uxori, & familiæ, expensas funeris esse censendas. Et ratio est, nam consuetudine extante causa est ad corpus sepeliendum necessaria, sine qua nequit fieri funus illa decentia, aut necessitate causata ab ipsa consuetudine, quapropter ut funeris expensa consideranda est. Id apud Romanos usu receptum est *ex d. l. ex re* 28. §. *fin ff. de stipulat. servor.* & apud nos communiter, dummodò defunctus non sit ex infima sorte, aut rusticus ex oppidulis, vulgò *Aldeas*, ubi rusticani aliquo signo determinato funebrem mœrorem demonstrant, absque aliquibus vestibus nigris, sed solùm funiculo galeri dempto, vel colli linteolo. In locis, & in personis, in quibus consuetudo ista recepta est, vestes istæ funebres ad expensas funeris pertinebunt; idcircò in nostra Castella ex quinto erunt extrahendæ, ut benè tenent Gregorius Lopez *in l.* 12 *tit.* 13. *p.* 1. *gloss. magna*, Azevedo *in leg.* 33. *tit.* 6. *lib.* 5. *Recopil. n.* 6. Cifuentes *in l.* 30. *Tauri*, Angulo *de Meliorat. in l.* 13. *gloss.* 1. *n.* 12.

Sed tamen adhuc consuetudine existente, prout quotidie 11
in his Regnis ad praxim adducitur, contrarium censuerunt Tellez *in d. l.* 30. *Tauri*, Mathienzo *in l.* 13. *tit.* 6. *lib.* 5. *gl.* 2. Ayora *dict.* 2. *p. quæst.* 12. *à nu.* 24. probantes, vestes lugubres de quinto non esse extrahendas, sed etiamsi in consuetudine sit, ex hæreditate esse deducendas; aliàs gravissimum damnum irrogaretur animæ defuncti, dum vestes lugubres ex quinto auferrentur, quod in piis suffragiis est expendendum.

Sed tamen Doctores isti absolutè non sunt recipiendi; 12
possunt enim testatores designare omnia pia, quæ pro sua anima sunt facienda; sed adhuc in quinto remanet alia quampiura bona; idcircò in hac specie, etiamsi de quinto lugubres vestes abstrahantur, nulla injuria irrogatur animæ defuncti. Idem dicendum, si quintum habuisset bona sufficientia, ut pia quæque secundùm qualitatem personæ efficiantur, & in reliquo fuisset sufficiens ad vestes lugubres. Quapropter in his casibus fundamentum eorum solidum non est, nec est recipienda eorum doctrina, consuetudine hac existente.

Erit tamen magis urgens dubium, quando in quinto es- 13
sent pauca bona, ita ut non sufficerent ad ea, quæ facienda sunt pro anima defuncti, & ad funeris expensas necessariissimas, sine quibus nequit effici funus. Et in hoc casu adhuc videtur dicendum, cum diminutione piorum vestes lugubres esse concedendas, consuetudine extante; nam omnes expensæ funeris, tanquam æs alienum de jure communi censentur, *l.* 1. §. *penult. ff. ad l. Falcid. l. fin.* §. *In computatione, Cod de jur delib. l. penul. ff. de relig. & sumpt. funer.* Quod quidem jus Castellæ *in dict. l.* 30. *Tauri*, *l.* 13. *tit.* 6. *lib.* 5. *Recopilat.* ad quintum bonorum reduxit, ne Patres in damnum legitimarum filiorum excederent. Ergo etiamsi in quinto sit pauca bona, adhuc vestes lugubres inde sunt extrahendæ, ne simile damnum sequatur in legitimis filiorum.

Verùm in hac hypothesi admitto doctrinam Tellez, 14
Mathienzo, & Ayoræ recensitorum *num* 11. dicentem esse extrahendas vestes lugubres ex hæreditate, non autem ex quinto. Ducor, nam actio ad funeris impensas ex bono, & æquo procedit, *l. Et si quis* 14 §. *Hæc actio* 6 *ff. de relig. & sumpt fun.* Angulo *in dict. l.* 13. *gloss.* 1. *num.* 12. Quare in specie proposita nequeunt in quinto venire vestes lugubres, cùm non æquum, sed iniquum fuisset privare animam suffragiis, & impensis necessariis ad ejus suffragium pro concedendis vestibus lugubribus. Cœterùm, licèt consuetudine existente, sint expensæ funeris, non tamen præcisæ, sed tantùm ad honorem, & decentem authoritatem defuncti politicam; hæc enim necessitas sumptuum non est facienda cum diminutione suffragiorum animæ, & aliarum expensarum ejus levamini conducentium: Ergo quando bona deficiunt in quinto, facienda sunt ex hæreditate, tanquam æs alienum, quod nequit solvi ex quinto à lege regulato. Denique consuetudo in hac specie nequit aliquo modo efficere, ut ex quinto vestes lugubres extraherentur, quia esset irrationabilis, dum cum detrimento animæ vestes istæ concederentur; quare nullius esset roboris, ex adductis *cap antecedenti*, *num.* 38. quapropter non sunt deducendæ de quinto, sed ex hæreditate; aut non sunt extrahen-

dæ ex aliqua parte, ſed omittendæ, ſi aliàs nequeunt fieri.

15 In re tamen animadvertenda eſt doctrina Gregorii *in d. l.12. tit.13. p.1. gloſſ. magna* 8. *ad finem*, ubi diſtinguit veſtes lugubres, ut ad impenſam funeris pertineant, eſſe tantùm conſiderandas, quæ dantur uxori; & famulis; non autem quæ dantur hæredibus, qui expenſas illarum debent facere ex hæreditate, non verò ex quinto. Et ratio videtur, nam id decrevit conſuetudo; quæ non ita in hæredibus, prout in uxore, & famulis recepta eſt; idcircò non ut impenſæ funeris cenſentur, ut declarat Azevedus *in dict. l.13. num.6.*

16 Verùm Tellez Gregorium carpit *in dict. l.30. num.4.* eo potiſſimè probans, nullo modo veſtes lugubres eſſe funeris ſumptus, prout veriùs etiam dicit Valaſco *de Partit.cap.19. num.53. verſ. At ſine dubio*. Sed tamen Gregorii, & Azevedi doctrina admittenda eſt, ſuppoſita conſuetudine, ut in praxi receptam vidimus, quæ maximè viget, ut veſtes lugubres uxori, & famulis concedantur, ita ut ſi id ab hæredibus contradicantur, debeant probare, in conſuetudine non eſſe eas concedere, ut benè conſiderat Azevedus *dict. num.6.* Siguenza *de clauſulis, lib.2.cap.11.§.27.num.183. in fine*: quod non ita in hæredibus à conſuetudine receptum eſt, quin ſi ipſi tenent, ex quinto eſſe extrahendas, debeant probare ſic in praxi admiſſum, ut explicuit Azevedus *ubi proximè*. Quapropter ſi id ab eis probatum non fuerit, minimè eorum veſtes lugubres ſunt extrahendæ ex quinto, ſed ex hæreditate.

17 Sed quid de aliis pannis nigris, vulgò *Baietas*, qui apponuntur in domibus aliquorum Magnatum, & Nobilium, tum in Eccleſiis ubi tumulantur, & in tumulis, an ſint funeris impenſæ? Et affirmandum videtur, quia reſpectu ipſorum Nobilitatis, vel Magnitudinis, hæc pertinent ad decorem illorum, ut aliæ veſtes lugubres, & ſic à conſuetudine receptum eſt: Ergo ſicut aliæ veſtes lugubres à conſuetudine receptæ ſunt inter impenſas funeris, ſimiliter panni iſti nigri, vulgò *Baietas*, Spino *de teſtament. gloſſ.2. in princip.num.46.*

18 Sed tamen etiam reſpectu Magnatum, & aliorum Nobilium contrarium eſt tenendum; nam iſti panni ſolùm ad ornatum, & pompam funerum pertinent, & eos pompatica conſuetudo admiſit; quare inter funeris impenſas annumerandi non ſunt. Et confirmatur, nam inter funeris impenſas ſolùm ea adſcribuntur, quæ ſunt neceſſaria ad corporis humationem, *l.14. §. Funeris cauſa, l. Funeris ſumptus 37. ff. de religioſ. & ſumpt.* Valaſco *d. c.19. n.53.* non autem quæ ad ornatum, & pompam vanam pertinent. Ergo minimè panni iſti nigri ad funeris impenſas debent pertinere. Denique, nam hæc nigra paramenta ſolùm ad ornatum profana ſunt, & in eis rectè Magiſtratus ſæcularis decernit, Abbas *in c. fin. de reb. Eccleſ. alien. vel non*, Gregor. *in d. l.12. gloſſ.8.* Spino *d. n.46.* Ergo non debent pertinere ad funeris ſumptus.

19 Unde examinare convenit, an Rex Hiſpaniæ rectè potuerit uni tantùm concedere facultatem ad locandum veſtes lugubres, & iſtos pannos nigros ad funera conficienda, vulgò *Eſtancar los lutos?* In hoc dubio duæ ſunt ſententiæ: Prima aſſerit id fieri non potuiſſe, prout factum eſt Matriti, & Cordubæ, etiam certo pretio determinato. Probatur, nam hæ functiones pertinentes ad funera, & eorum ritus, ſunt Eccleſiaſticæ, & ad bonum animarum, & conſequenter ſpirituales; quapropter nequit in eis Princeps ſæcularis manum mittere, ne de eis quomodolibet diſponere, *cap. Duo ſunt 10. 96. diſt. cap Novit. 13. de Judiciis, cum vulg.* Ergo Princeps ſæcularis nequit uni concedere, ut ſolus ipſe veſtes lugubres, & paramenta nigra, haſtilia, & alia neceſſaria locet ad funera, Cœterùm id eſt agere contra libertatem Eccleſiæ; nam poſſunt Monaſteria, & Eccleſiæ Parochiales ſimilia ad locandum habere, unde impediretur hæc libera facultas Eccleſiarum, ſi uni tantùm concederetur, vel ad vendendum, vel ad locandum. Illud verò, quod impedit Eccleſiis facultatem ſua vendendi, vel locandi, eſt contra ſuam libertatem, *cap. fin. de reb. Eccleſ. alien. cap. fin. de Immunit. Eccleſiar. in 6.* Diana 3. *p. tract. 2. reſol.14.* Ergo Princeps ſæcularis minimè potuit uni concedere hanc facultatem, ut ſolus ipſe iſta paramenta, haſtilia, & veſtes lugubres venderet, aut locaret. Denique adducitur conſilium Navarri 3. *de emptione, & venditione*, ubi affirmat, minimè poſſe Principem vendere, aut concedere alicui privilegium, ut ipſe ſolus, & non alter hoſpites recipiat; quia omni juri opponitur vendere jura cum privilegio prohibitivo, ne alius hoſpites recipiat. Quod idem in hac ſpecie dicendum videtur, prout tunc temporis tenuerunt plures viri docti.

Sed contrarium tenet Illuſtr. Araujo *de Stat. Civili, diſp.* 20
12. diffic.1. à n.8. & ad ſuam ſententiam tutandam ſupponit, in his privilegiis, ſeu conceſſionibus, ut unus tantùm locet hæc paramenta, haſtilia, & veſtes lugubres, minimè Eccleſiis interdici, ut ſi propria voluerint habere, habeant ad ſua funera, dummodò non locent: nec particularibus prohiberi, ut ſi nova emere voluerint, non emant; ſed tantùm ſi locare deſiderant, id neceſſariò agant ab ipſo privilegiato habente Lutorum ſtancum.

In his terminis aſſerit, rectè à Principe ſimile privilegium 21
conceſſum eſſe, nec libertatem Eccleſiaſticam lædere, nam hæc paramenta nigra, & funeralia, licèt omninò non ſint profana, ſaltem temporalia ſunt, & communia Clericis, & Laicis, reſpiciuntque politicum regimen; quapropter Princeps ſæcularis habet poteſtatem utendi ſua regalia, & illa utendo, diſponendi in rebus temporalibus, & communibus Eccleſiaſticis pariter, & Laicis, quos omnes comprehendere valet; licèt alteros ex vi, & æquitate juris naturalis, alios verò ex vi directiva, & coactivà illius poteſtatis, ut tradit ipſe Araujo *de legib. diſp.3. ſect.1. diffic.2.* Ergo rectè potuit Princeps Sæcularis diſponere ſuper his paramentis nigris, haſtilibus, & aliis neceſſariis ad funera, ita ut ab uno tantum locentur, & non ab aliis, comprehendendo etiam Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas, prout quotidie factum eſt, diſponendo ſuper his pompis funeralibus.

Cœterùm hoc privilegium non opponitur Eccleſiaſticæ 22
libertati, quia non opponitur Eccleſiæ, ut formaliter Eccleſia eſt, ſed quatenus eſt perſona particularis, locans paramenta temporalia, cui quidem de jure prohibitum eſt hoc genus negotiationis, *cap. Multa 1. cap. Secundum 6. Ne Clerici, vel Monachi*. Ergo non opponitur libertati Eccleſiæ, ut formaliter Eccleſiæ, unde libertas læditur, ex traditis à Bonacina *de Cenſuris Bullæ, diſp.1.q.16. ſect.2. punct.2.* ergo nullo modo ex hoc privilegio offenditur libertas Eccleſiæ.

Denique diſpoſitio iſta regalis eſt in re temporali, de ſua 23
natura ſubdita poteſtati Principis, & communi tam Laicis, quàm Clericis. Unde ſuſtinendum eſt privilegium, licèt per accidens offendat Eccleſias, aut perſonas Eccleſiaſticas; itaque rectè uni concedit privilegium ſolùm vendendi ſalem, licèt ex eo aqua benedicta conficiatur; & idem de thure aſſerendum, licèt ad Altaria adolenda deſerviat: ergo ſimiliter dicendum eſt in præſentia, licèt per accidens offendantur Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ perſonæ.

Hæc difficultas duas diſquiſitiones involvit. In primis, an 24
Princeps ſæcularis poſſit aliquid diſponere in pompis funeralibus, veſtibus lugubribus, & paramentis nigris, haſtilibus, & aliis neceſſariis in funeribus Nobilium, & Divitum? Secundò, an ex hac poteſtate valeat hæc ornamenta uni tantùm ex privilegio concedere, ita ut ipſe ſolus, & non alius illa locet? Quoad primum obſervandum, in funeribus aliqua eſſe ſpiritualia, veluti Miſſæ, memoriæ, eleemoſynæ, luminaria danda Eccleſiaſticis, & in ſepultura neceſſariò imponenda ex obſervatione Eccleſiæ: & in his, cùm pertineant ad bonum animæ, & ſint ex ritibus ſacris, nullo modo Princeps ſæcularis poteſt aliquid diſponere, quia id non eſt ipſius juriſdictionis, & poteſtatis, ut diximus ſuprà, *num.18.* Quamobrem *in l.2. tit.5. lib.5. Recopilat. verſ. Que en quanto a Miſſas*, hæc excipiuntur, quando lex illa dat formam in his ſumptibus funeralibus. Si verò ſtatutum, ſeu diſpoſitio Principis non ſe habeat circa hæc funeralia ſpiritualia, & concernentia ad ritus Eccleſiæ, ſed tantùm circa ornatum, & pompam funeralem, ad corripiendum ſimiles exceſſus, tunc rectè poterit Princeps ſæcularis formam dare, & pompas, & exceſſus in his funeribus corripere, hæc enim temporalia ſunt, pertinentia ad juriſdictionem Principis ſæcularis, & tanquam lex communis Laicis, & Clericis, omnes obligabit, licèt diverſo modo. Inde enim Romani lege lata ſtatuerunt ſumptus in funeribus faciendis, ut conſtat apud Ciceronem *ad Atticum, lib.12.* Sunt ad id plura jura *in rub. ff. & Cod. de relig. & ſumptib. funer.* Quod idem in noſtris patriis legibus decretum legimus *in l.1. & 2. tit.5. lib.5. Recopil.* Ita tenent cum ſimili diſtinctione Abbas *in cap. fin. de rebus Eccleſiæ*,

nu.6.

nu.6. Felinus *in c. Ecclesia S. Mariæ, de Constit. n.91.* Perez *in l.7.tit.1.lib.1.ordinament.gloss. Vestir.* Baeza *de Melior. filiab. c.1.n.12.* Mathienzo *in l.2.tit.5.l.5. gloss.10.nu.1.* Azevedus *in l.1.tit.5.lib.5.n.2.*

25 Sed adhuc in specie maxima consideratione id est faciendum à Principibus, nam potest impensa funeris excessiva considerari duobus modis; nempe quando tendit ad bonum animæ, & hanc quantumvis excessivam, nequeunt moderari; quanto enim magis augetur, etiam animæ bonum augetur, quod nequit à Principe sæculari impediri; verùm dispositio Testatoris est ad unguem observanda. Quod idem dicendum est, si voluntariè fiat ab hæredibus, vel ab alio ob bonum animæ defuncti. Ratio enim est, nam doctrina supra relata intelligenda est quando pompa, seu excessus tantùm est ad honorem, & vanitatem corporum, quam optima reprehendit D. Augustin. *lib.2.de cura pro mortuis habend.* & refertur *in c. Animæ 22. 13. qu.2.* non verò quando est ad animæ bonum, quantumvis excessivum. Ergo licet expensa sit excessiva ad bonum animæ, veluti quamplures Missæ, Orationes, eleemosynæ, & oblationes, & pauperum vestimenta, nequit Princeps sæcularis aliquid circa id statuere, ut *in l.1.§. Impensa, ff. ad l. Falcid.* tenent Alex. *n.3.* Vincentius *n.5.* Mathienzo *in d.l.2. gloss.12. n.1.* Diana *1.p. tract.2. res.64.* Marta *de jurisd. 4.p.cent.1. casu 54.* Graffis *de effect. Cleric. 2.eff. n.467*

26 Quoad secundum, an potuerit Princeps privilegium unicæ personæ concedere, ut ipse, & non alius locet, aut vendat hæc paramenta nigra, & hastilia, concernentia ad funeris ornatum, & pompam profanam? Affirmandum videtur, nam ut supponimus, in his rebus habet potestatem. Ergo similia privilegia potest concedere, existente causa publica id exigente. Tum potest taxare pretium determinatum, pro quo fiat venditio, vel locatio: tum quia hæ res non sunt necessariæ, nisi ad pompam, & vanitatem; in quo quidem casu DD. similia privilegia, vel stancos admittunt. Villalobos *in Summa, 2.p. tract.31. diffic. 17. num. 2.* Soto *de Instit. lib.6. qu.6. art. fin.* Gregorius *in l.2. tit.7. p.5. gloss. 1.* Bobadilla *in polit. lib 3.c.4. à n.13.* Ergo similiter in hac specie.

27 Verùm assertum hoc similibus conditionibus erit admittendum, si ex aliquo accidenti in præsentiarum daretur causa, & ratio publica extrinseca, ut simile privilegium concederetur, & solùm comprehenderet sæculares, prout in privilegiis Matriti, & Cordubæ concessis, ubi Rex noster ob graves Reipublicæ necessitates, & bellorum, privilegia illa vendidit. Verùm si ad ipsam materiam attendamus, nulla causa publica valet excogitari, ut simile privilegium, seu stancus admittatur, cùm non pompa funebris ex eis tollatur, quin potiùs augetur, dum facilè per locationem parvo pretio similia paramenta, hastilia, tumbæ, & alia habentur; quod durissimum esset emere. Quapropter simile privilegium, per se loquendo, tam longè est à bono publico, ut directè adversus illud procedat, nisi causa extrinseca tam gravis, & urgentis sit necessitatis, ut præponderet huic gravi damno, quod per se ex materia ipsa procedit.

28 Unde res ista difficillima est, ut ad praxim adducatur, dum à natura ipsius actus utilitati publicæ repugnet: tum etiam libertati particularium, quibus ex jure gentium competit libertas emendi, vendendi, locandique, & conducendi pretio justo, prout ipsis libuerit, *l.2. ff. de nundin. l. Nec emere, Cod. de jur. deliber. l.4.tit.7 p.5.* & ibi Gregorius *verbo Mas ricas*, Plato *de Republica, lib.31. dialog.2.* Sotus *lib.6. de Just. q.2. art.2. concluf.* Morla *in Emporio, 1.p tit.9. qu. 1. à n.1.* quamobrem privilegia ista, vel stanci, sunt valdè odiosi, & Regibus dissuadendi, ut cum aliquibus tradit Bobadilla *d.lib.3.c.4.n.17.* Avendanus *1.p.de Exeq.c.12.n.12.* Azevedus *in l.fin. tit.11. lib.6. Recopil.* Nec tam facilè debuit Illustriss. Araujo simile privilegium, seu stancum approbare, ad vestes lugubres, paramenta nigra, & hastilia solùm ab uno locanda.

29 Verùm si adhuc omnia ista concedamus in casu præsenti, quando similia fuerunt data privilegia (salvo meliori judicio) mihi videtur defendi non posse, quin potius censendum adversùs Ecclesiæ libertatem concessa fuisse. Et ad id suppono, tempore illo, prout nunc videmus, Ecclesias Conventuales, & Parochiales illa ornamenta nigra, hastilia, tumbas, & pannos nigros quoad funera illa Nobilium, & Magnatum habuisse, pro quibus stipendia certa dabantur, nova verò in aliis tabernis, seu Officinis non locabantur, sed tantùm de novo vendebantur, quod in similibus privilegiis interdictum non est; hoc enim, quod ab Ecclesiis fiebat, rectissimè fieri probatur: nam licet hæc ad majorem ornatum, & pompam funeralem fierent, non tamen indignam; verùm solùm in funeribus Nobilium, & Ditiorum, quibus major honor debetur, secundùm suam qualitatem concedebantur. In qualibet Republica benè ordinata illud semper fuit observatum, ut Illustrium virorum funera excelsiori pompa celebrarentur, *l. Et si quis 14.§. Equitii, ff. de Relig. & sumpt.* latè Herod. *lib.4. Hist. Roman.* Lavorius *d.tit.2. cap.15. per tot.* Chassaneus *in Catalog glor. mundi, 2.p. consider.5.* Bollo *in œcon. can. 2 clas. cap. 5.§.1.* Salzedo *in Theatr. hon. gloss.13. num.23* Idque etiam apud Christianos observatur; non enim sanctissima lex nostra illa, quæ necessaria sunt, ad viros Proceres, & Illustres, etiam in morte decorandos, interdicit; habemus enim Deum strenuè largitorem, præcipitque ut majores nostros, optimosque viros honoremus, & laudemus in morte, prout sanctissimi viri fecerunt. Marta *de iurisdict. d.4. par. casu 54. nu.6.*

Tum etiam aliquid recipere pro his rebus, quæ ad pompam, & ornatum defuncti pertinent, absque aliqua culpa esset probat Suarez *de Relig. tom.1. lib.4. cap. 15. nu.7.* hæc enim spiritualia non sunt, sed tantùm temporalia, pro quibus aliquid recipi valet pro eorum usu, aut ratione stipendii, & laboris, ut concedit ipse Aravio *d. difficult.1. n. 13.* Nec alio modo, etiam per modum locationis, sicut & alia temporalia, locat Ecclesia, *c. Vestra 2. cap. fin. de locato, Extravagant. Ambitiosæ, de reb. Ecclesiæ alien. vel non.* Barbosa *de univers lib.3. cap.13. nu.71.* Quapropter ex nullo Capite hoc stipendium recipere indignum est Ecclesiis conventualibus, vel Parochialibus; nec ex injusta negotiatione contrarium est admittendum, quia Ecclesiam res suas proprias locare ad aliquam utilitatem captandam, negotiatio non est, nec etiam ad lucrum, cùm id efficiat absque commercio emendi, & posteà vedendi, sed ex mera locatione rei propriæ, quod est concessum Ecclesiis, ut in terminis tenet Sylvester *verbo Simonia, quæst.11. vers.3.* prout etiam in quibusdam locis admittitur cultram à Parochis in funeribus ponere, ut inde aliquid recipiant: ad quod licèt non possint cogere Parochianos, attamen si libenter petant, rectè stipendium accipiunt. Riccius *3. p. dec.124.* Lavor. *d. tit.2. cap.3.nu.320.* Samuel. *de Sepult. tract.1. disp.3. controvers.2. concluf. 9. à n.56.* 30

Hoc enim cùm rectè fiat ab Ecclesiis, tam Conventualibus, quàm Parochialibus, dare privilegium certæ personæ, ut ipse solùm locet hæc ornamenta, & necessaria ad funera, cum privatione, ita ut nec ab Ecclesiis id fieri possit, quando nec alius id agebat, directè tendit contra Ecclesiam, & illius libertatem utendi re propria, ad hoc ut stipendium non percipiat, nec ad libitum re propria utatur. Et comprobatur, nam si Ecclesia privaretur directè, vel indirectè ab statuto, ne emat, aut vendat, nec locet res proprias, aut ne alii illi vendant, vel ab ea conducant, nec faciat rem, pro qua stipendium percipit, contra libertatem Ecclesiasticam est, *cap. fin. de immunit. Ecclesiar. in 6.* Suarez *de censur. disp.21. sect.2.n.93.* Reginaldus *in praxi, tom.1. lib.9. cap.24. num 358.* Coriolanus *in Bulla Cœn. excommunicat.15. fol. 637.* Quod idem est dicendum, si interdiceretur, ne Ecclesiis, aut Clericis aliqua obsequia, a ut servitia præstentur. Diana *1. part. tract.2. resolut. 53.* Cùm ergo ex simili Privilegio uni concessio, Ecclesia ista libertate utendi re propria privaretur, ne stipendium, aut salarium percipiat ex similibus ornamentis; inde est, ut similia privilegia sint contra libertatem Ecclesiæ, non per accidens, sed directè, quatenus solùm Ecclesiæ, ad tempus privilegii, ipsæ solæ similia paramenta, hastilia, tumbas, & alia in funeribus ministrabant. 31

Cæterùm, nam licèt Princeps sæcularis possit decernere circa abusus pompæ funebris, & de vestibus lugubribus, pannis nigris, & aliis, quæ nullam relationem habent ad cultum divinum, non tamen super his, ex quibus aliquod emolumentum percipit Ecclesia, aut Ecclesiasticæ personæ quia tunc Ecclesia, & Clerici damnum ex Decreto assumerent, & esset contra libertatem Ecclesiæ, & Clericorum: tum & minueretur stipendium, seu eleemosyna, quæ conceditur Ecclesiæ, & incrementum Ecclesiæ semper cedit in 32

bo-

bonum animæ defuncti, ut benè docet Graffis *de effect. Clericat. eff* 2. *nu.*467. Marta *de juriſd. dict.* 4. *p. caſu* 54. *à num.*2. Pavinus *de offic. & poteſt. Capit* 2. *p. q.*8. *nu.*28. Alterius *de Cenſuris, tom.*1. *diſp.*16. *lib.*3. *cap.*6. Ubaldus *de can. Epiſcopali, c.*18. Diana *ubi ſupra, nu* 64. Cùm ergo in ſpecie agatur per decretum Principis ſæcularis, ne pro pannis nigris, & paramentis ad funera, & alia neceſſaria aliquid Eccleſia recipiat, nec ratione ſtipendii, nec ratione locationis licitæ, inde eſt, ut ſimile decretum opponatur immunitati, aut libertati Eccleſiaſticæ.

33 Sed dices: Princeps ſæcularis cùm hanc pompam funeralem ad modum reducit, & prohibet, etiamſi exinde damnum, aut ſtipendia Clericis, & Eccleſiis eveniant, rectè procedit; nam Statutum, ſeu Decretum cadit in temporalibus, & exceſſivis expenſis civium, licèt per accidens ſequatur, ne ſtipendia percipiant, nec Eccleſia, nec Clerici: quod non eſt in conſideratione, ut in terminis tenent Cajetanus *verbo Excommunicatio, cap.* 31. *verſ. & juxta hanc rationabilem*. Navarrus *in man. cap.* 27. *num.* 120. Souſa *in Bull. Cœn. cap.*16. *diſp.*94. *concluſ.*2. *num.*3. Graffis 1. *part. deciſ. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 135. Ergo rectè in ſpecie potuit Princeps facere decretum, ne hæc paramenta, haſtilia, & tumbæ ab aliis locarentur, niſi ab habente privilegium, etiamſi per accidens damnum Eccleſiarum, & Clericorum ſequatur.

34 Sed horum Doctorum admittenda non eſt ſententia, tribus ex rationibus. Prima, nam quando decretum hoc factum eſt, non niſi Eccleſiæ Conventuales, & Parochiales ad ſuas neceſſitates levandas pro ſtipendio, vel locatione hæc præſtabant paramenta, utpote res neceſſarias ad funera, quæ ibidem erant facienda: quapropter non per accidens, ſed directè ſimilia privilegia tendere videntur adversùs Eccleſias. Secunda, nam ad hoc, ut hoc privilegium opponatur libertati Eccleſiæ, ſufficit ut per indirectum hoc fiat, aliàs facilè Immunitas Eccleſiæ illuderetur, ut appoſitiſſimus eſt Textus *in cap. fin. de immunitat. Eccleſ. in* 6. *cap. Quanto, de privileg.* ubi Gloſſa, & Abbas. Layman *in Summa lib.*4. *tract.*9. *cap.*9. *numer.* 3. *verſ. Notandum vero*, & communiter DD. Licèt enim hoc privilegium non loquatur cum Eccleſiis, vel Clericis, attamen indirectè tendit adversùs eos, quatenus privantur ſtipendiis illis, quæ percipiunt, utendo re ſua. Ergo doctrina illa admittenda non eſt. Quamobrem miror Layman, doctiſſimum virum, *ubi proximè*, poſtquam doctrinam ſupra traditam ſcripſit, dixiſſe, Statutum de moderanda funerum pompa, factum à Principe ſæculari, valere; licet inde Clerici detrimentum accipiant, quia hoc eſt agere indirectè contra libertatem Eccleſiæ.

35 Tertiò eliditur ſententia illorum Doctorum; nam quando in funeribus moderantur, quæ Clericis, aut Eccleſiis conceduntur, unde emolumentum percipiunt, non eſt conſiderandus temporalis honor defuncti, ſed eleemoſyna ſtipendii, & utilitatis, quam percipit Eccleſia vel Clerici in bonum animæ defuncti, qui hæc elargitur ad majorem cultum divinum, & fabricam Eccleſiæ: unde licèt Princeps poſſit moderari pompam funeralem in purè temporalibus, non tamen in ea temporalitate cedente ad utilitatem Eccleſiarum, & Clericorum, ut diximus ſupra, & tenet in terminis Tabiena *verbo Excommunicatio, caſu* 20. *nu* 5. Diana *d.*1. *p tract.*7. *reſol.*64. *verſ. Ex his apparet*. Ergo cùm in ſpecie privilegium hoc det modum locandi hæc temporalis à ſolo uno, auferendo hanc facultatem Eccleſiis cum illarum nocumento; neceſſariò dicendum, agere contra libertatem Eccleſiæ.

36 Hinc obiter adnotandus eſt Marta *d. caſu* 54. *num.*5. dum ſcripſit, ſtatutum valere moderans amplas cultrices ſericas, vel aureas, quæ fiunt Napoli ad Nobilium funera, & poſteà deſerviunt ad ornamenta Capellarum; hoc, inquam, admittendum non eſt, cùm jam ad cultum, & ornamentum Capellarum relinquantur in Dei obſequium, & ejus reverentiam. Cujus contrarium ſcripſerat *d. caſu* 54. *nu.*2. Ergo in ſpecie afferendum, agi contra libertatem Eccleſiæ. Spino *de teſt. gl* 2. *n.*45.

37 Præterea ſimilia privilegia non reformant pompam funeralem, ut diximus *num* 25. ſed tantùm verſantur circa locationem horum paramentorum, haſtilium, & tumbarum, ut à nullis fiat, niſi ab habente privilegium. Aſt reſpectu locationis nequit Princeps dare privilegium, nec directè loquendo cum Eccleſiis, nec indirectè univerſaliter loquendo, ne ſua propria locent, quin eſſet id agere contra libertatem Eccleſiæ, *dict. cap. fin. de immunit. lib.* 6. ubi DD. Ergo privilegia iſta ſunt contra libertatem Eccleſiæ.

Sed dices cum eodem Illuſtriſſimo Araujo *d. difficult.* 1. *num* 10. hæc poteſtas locandi non aufertur Eccleſiæ, ut formaliter Eccleſia eſt: Ergo potuit Princeps, non agendo contra libertatem Eccleſiæ, hanc facultatem ſimilia locandi ab Eccleſiis auferre, prout etiam ratiocinatur Cajetanus *in Summa, verbo Excommunicatio, cap.* 31. *verſ. Quartò nota*. Sed reſpondetur, Eccleſiam, & Eccleſiaſticas perſonas habere poteſtatem, ut res ſuas vendant, locent, &c. Hanc enim poteſtatem ſimul cum aliis civibus tenent; ſed tanquam formaliter Eccleſia, & Eccleſiaſtici habent privilegium, ut liberè hoc facere poſſint, ita ut à nullo Principe ſæculari poſſint ab eo impediri in damnum eorum. Similiter ne impediant eis donare, vendere, locare, &c. ut eſt appoſitiſſimus Textus *in d. cap. fin. de immunit. Eccleſiar. l.*6. Ergo in præſentiarum, nec directè, nec indirectè potuit Princeps dare privilegium, ne Eccleſiæ Conventuales, ſeu Parochiales poſſent ſimilia paramenta concedere, ſive id fiat per modum ſtipendii, ſive ſalarii locationis: aliàs ageret contra libertatem Eccleſiarum, quia opponitur ejus libertati ut formaliter Eccleſia eſt. 38

Ex dictis facillimè fundamenta Illuſtriſs. Araujo diſſolvuntur; nam licet Princeps ſæcularis poſſit diſponere, & decernere circa has pompas funerales, eas moderando; non tamen eo modo, ut ex eis damnum Eccleſiarum ſequatur, aut Eccleſiaſticæ perſonæ alicujus, ut tenent ſupra relati, quibus addendi Megala *in* 3 *p. lib.* 3. *cap.*10. *quæſt.*3. *num.*54. Duardus *in Bull Cœn. lib.*2. *can.*15. *q.*13. *num.*54. Abbas 1. *p. conſ.*63. *qu.*3 Tum opponitur ſimile privilegium Eccleſiæ, ut eſt formaliter Eccleſia: nec habet aliquam ſpeciem negotiationis illicitæ, cum id percipere poſſint Eccleſiæ, ut ſtipendia, aut eleemoſynæ, aut per propriam mercedem locationis: quod etiamſi propria negotiatio fuiſſet, adhuc in Eccleſiis Conventualibus, & Parochialibus pauperibus, prout ſunt quæ hoc faciunt, ſemper eſt licitum; negotiatio enim quæ prohibita eſt Clericis, & Eccleſiis, illa tantùm eſt, quæ fit ad lucrum, ut ſunt jura aperta *in d. cap.* 1. *c. Secundùm* 6. *Ne Clerici, vel Monachi*. Illa enim propria negotiatio eſt, quæ fit ad intereſſe, & lucrum capiendum, interdicta quidem Clericis, *c. Negotiationem* 88. *d. cap. fin. de vit. & honeſt. Cleric. l.*56. *tit.*6. *p.*1. *can.*6. 43. & 80. *Apoſt.* Concilium Illiberitanum *can.*19. & 20. Arelatenſe I. *can.*12. Arelatenſe II. *can.*14. Nicænum I. *can.*17. Chalcedonenſe *can.*3. Cabilonenſe II. *can.*2. & 44. Carthaginenſe I. *can.*6. 8. & 9. Carthaginenſe IV. *can.* 67. Laodicenſe *can.* 4. Agathenſe *can.*69. Turonenſe *can.*13. Aurelianenſe III. *can.*26. Rhemenſe *can.*32. Vvormatienſe *can.*67. & 69. Aquiſgranenſe *can.*93. Tarraconenſe *can.*2. & alia quamplura quæ congeſſit Gratianus *diſt.*46. & 88. 14. *qu.*4. & 21. *qu.*6. propter rationes traditas à Morla *In Emporio, tit.*9. *q.*10. *à num.*1. Non tamen illa eſt illicita, & interdicta, quæ fit ad ſublevandam propriam indigentiam, & neceſſitatem per aliquod artificium, aut aliquam negotiationem ſpecialem; ad id enim ratio naturalis impellit, ut quis à neceſſitate liberetur, etiamſi ſit Clericus, ſeu Eccleſia, *cap.*1. & 2. *diſt.*91. *cap.*1. *de celebratione Miſſæ*, Molina *de Juſt. tract.*2. *diſput.* 352. *num.*16. Leſſius *de Juſt. lib.*2. *cap.*21 *dub.*1. *nu.*6 Villalobos *in Summa* 2 *p. tract.*21. *diffic.*3. *num.*7. Barboſa *in cap.*6. *Ne Clerici, vel Monachi, num.* 4. Aut etiam licitè per alios negotiatio iſta fieri poterit. Textus qui ad id benè expenditur *in Clement.*1. *de ſtat. Monach.* Molina *d. diſp.* 342. *n.*13. Medina *de Reſtit. q.*30. *art.*2. Salzedo *ad Bernardum, cap.*55. *verſ. Sed utrum*. Aragon. 2. 2. *qu.*77. *art.*4. *verſ. Sed dubitabis*. Verùm in hac ſpecie aliqua eſt indecentia, ut advertit Molina *ubi proximè*, Leſſius *d. num.*6. Villalobos *d. diffic.*3. *num.*6. Ex his enim ſequitur, non eſſe hanc rationem ſufficientem, ut Princeps ſæcularis poſſit privilegium hoc concedere cum damno Eccleſiarum, quin potiùs ex eo ſequitur immunitatem vulnerari. Quæ autem de Principum poteſtate in hac materia dicta ſunt hactenus, & in poſterum dicentur, ſalva eis debita reverentia, & ſingulorum regnorum laudabilibus conſuetudinibus, excipiantur, ut aliàs diximus. 39

Eſtque etiam alia funeris impenſa, nempè vectigal, quod præſtatur ob translationem cadaveris de uno loco ad alterum. Eſt textus *in d. l. Funeris* 37. *ff. de relig. & ſumpt. funer.* 40

ibi:

ibi : *Vectigalia* . Idque duravit apud Romanos usque ad tempus Imperatorum Valent. Theodos. & Arcadii, qui lege lata hæc vectigalia abstulerunt , liberumque reliquerunt corpora de uno ad alium locum transferre , in *l. ult. Cod. de Religios. & sumpt funer.* Anteà verò simile vectigal percipere receptum fuit. Quapropter benè carpit Romanos Xiphilinus *in Nerone*, ibi : *Scitis quantum pendamus pro mortuis ? Romanis solis , etiam mortui vivunt , ut aliquid ex his accipiant ; neque enim mori licet apud eos sine tributo , & mulcta.* Besoldus *de Ærario publico, cap.* 4. §. 17. Pancirolus *in Thesauro, lib.* 3. *cap.* 31. Cujacius *observ. lib.* 5. *cap. ult. & lib.* 11. *observation. cap.* 21. Petrus Gregorius *de Republica , lib.* 3. *cap.* 6. *à num.* 21. In primitiva verò Ecclesia id adservatum, ut vectigal , seu tributum imponatur pro humandis corporibus , & ad id Christiani collectas contribuebant , ut ex Tertulliano scripsit Lara *de Capell. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 38. *in fine*.

41 Hinc disquirendum , an licitè , quando corpora de uno ad alium locum transportantur , ut alibi funerentur, aut tumulentur , in transitu per oppida vel Parochias , per quas corpus transfertur , vel in pontibus vectigal , seu portagium aliquod exigatur ? De jure autem communi loquendo affirmandum videtur , minimè aliquid contribuere debere , ex *d. l. fin. C. de relig. & sumpt. funer.* ubi vectigal pro transferendo corpore de uno ad alium locum , percipere interdicitur. Tum etiam, nam vectigal , aut tributum à nullo potest imponi, nisi à Principe, vel ab habente ejus commissionem , ut latè dicemus *lib.* 7.

42 Sed ad id nullum vectigal , aut collecta est imposita , nec à jure, nec ab homine. Ergo minimè valet percipi pro corporis translatione de uno ad alium locum ; non enim quod nec à lege , nec à Principe taxatum est, debet percipi , *l. Si servum* 70. §. *Non dixit Prætor, ff. de acquisit. hæredit. leg. Si verò* 64. §. *De viro , ff. solut. Matrim.* ibi : *Nihil in lege scriptum est , Auth. de non eligendo secund. nubent.* §. *Optimum* , ibi : *Nec quælibet est lex tale aliquid dicens* . Ergo nec in præsentiarum . Prætereà translatio corporum de uno ad alium locum liberè permittitur , ut est optimus Text. in *l.* 1. *C. de relig. & sumpt funer.* ibi : *Si necdum perpetuæ sepulturæ corpus traditum est , translationem ejus facere non prohiberis , l.* 1. *C. eod. tit.* nondum enim corpus conditum est , donec perpetuæ sepulturæ tradatur , *l.* 40 *ff. de relig. & sumpt. funer. l.* 2. *ff. de cadaver. punit.* Quapropter sicut liberum, & necessarium est cadaver humare , similiter etiam ad tumulandum transferre. Lopez *de sepultur. cap.* 16. *à num.* 1. Ergo nullum vectigal, tributum , seu portagium recipi valet à corporibus, quando de uno ad alium locum transferuntur, ut tenent Lara *d. lib.* 1. *de Anniv. cap.* 25. *à n.* 44. Iranzo in *Apparatu , a n.* 101.

43 In re dicendum , duobus modis disquisitionem hanc contemplandam esse , nempe quando corpus insepultum transfertur de uno loco ad alterum , ad illud tumulandum : tum quando jam est sepultum , ossa verò , & alias corpus ipsum ad alterum transfertur locum . Quando corpus humo non est traditum , verùm ad illud sepeliendum foris transfertur , vel quia sic testator præcepit suo Testamento , aut quia alibi habet sepulchrum Majorum, tunc libera est translatio de uno ad alium locum ; nec de jure communi loquendo , aliquod vectigal , nec tributum , vel aliqua portio Parocho illius loci , per quem transfertur , debetur , nisi adsit aliquod jus speciale, vel municipale id præcipiens; aut respectu Parochi aliqua consuetudo pia , & ibi aliqua Divina Officia peragantur prodefuncto , ut in aliquibus locis videtur recepta . Ratio est , nam vectigal antiquum sublatum est per Text. in *d. l. fin. C. de relig. & sumpt. funer.* ubi Gothofredus *lit. H*, Cujacius *observ. lib.* 11. *c.* 21. Ant. Perez *ad tit. C. de relig. & sumpt. funer. num.* 20. Ergo si ex aliqua speciali lege vectigal , aut *Portazgo* impositum non est , liberè cadaver de uno ad alterum locum transfertur absque aliqua impositione vectigalis.

44 In nostra Castella non video aliquam adesse legem imponentem tale vectigal ; nam *lib.* 6. *tit.* 11. *Recopilat* ubi sunt lege tributorum , & portagiorum , minimè id invenitur : nec in *l.* 19. *tit.* 6. *lib.* 3. *Recopilat. l.* 9. *tit.* 5. *lib.* 6. *l.* 2. *tit.* 13. *lib.* 6. *l.* 15. *& l.* 16. *tit.* 27. *l.* 9. *Recopilat. l.* 5. *& l.* 6. *tit.* 7. *p.* 5. etiamsi agant de similibus tributis per transitus imponendis : nec id decens erat , ut à nostris Regibus Catholicis imponeretur ; cum similia tributa , seu portagia , quando adest gravissima causa , & regulariter in rebus ad mercimonium pertinentibus, sint imponenda, *l Interdum* 11. §. *Species , ff. de publician. in rem, d. l.* 5. *tit.* 7. *n.* 5. Azevedus in *l.* 6. *tit.* 11. *l.* 6. *Recopilat. num.* 5. *&* 6. Bobadilla in *Polit. lib.* 4 *can.* 5. *à n.* 15. Solorzano *de Iud.* 2. *tom. lib.* 3. *cap. unico, à num.* 52. Avendanus *de exequend. mandat.* 2. *p. cap.* 3. *per tot.* In præsentiarum autem nulla adesse potest causa, ut simile vectigal, seu portagium imponatur cadaveribus ; interest enim valdè Reipublicæ , ut tumulentur , *l. Sunt personæ* 43. *ff. de relig. & sumpt. funerum* , ibi : *Nam propter utilitatem publicam, ne insepulta cadavera jacerent, &c.* Cujacius *lib.* 3. *observ. c.* 22. Robertus *rer judicat. lib.* 3. *cap.* 15. Lara *d. cap.* 25. *num.* 6. Medicis *opuscul.* 2. *nu.* 21. idcircò vectigalia imponere cadaveribus , quando ad sepulturam transferuntur , fuisset causam ipsam publicam impedire, & retardare , & utilitati publicæ contravenire . Quod jure execratum est , *l. Ius publicum, ff. d. pact.* Rolandus. *lib.* 2. *cons.* 15. *num.* 5. Covarruv. in *c. Quamvis pactum* , 2. *p.* § 1. *in princ. &* §. 6. *n.* 1. Gamma *dec.* 386. *n.* 12. Tum etiam cadavera ad mercimonium trahere, & quæstum de eis percipere, odiosum est; quod Romanis exprobavit Xiphilinus relatus *num.* 38. *cap. Questa* 12. *& cap.* 13. 13. *q.* 2. Unde nulla valet considerari ratio , ut simile portagium , seu vectigal percipi possit ex translatione cadaverum .

Similiter dicendum de Parochis volentibus aliquam por- 45
tionem , seu stipendium percipere ex translatione corporis per ipsorum Parochias ; hoc enim nullo jure decretum est : de jure communi solùm aliquid percipere poterunt , si ad associandum vocentur, ut est Constitutio 5. *vers. Si alguna persona, de sepult.* in hoc Archiepiscopatu : aut si aliqua Divina Officia in sua Parochia per transitum efficerentur , aut si sit aliqua pia consuetudo , vel Synodalis id præcipiens : aliàs non rectè aliquid percipiet Parochus ex eo tantùm , ut invento corpore in sua Parochia , funeralia sumere procuret, quando constat solum cadaver duci ad sepulturam Majorum, vel ad eam , quam ipse defunctus designavit.

Poterit tamen dubitari in hac specie , an ad corpus trans- 46
ferendum de uno ad alium locum , sit necessaria licentia Ordinarii , aut alicujus Magistratus . Ratio dubitandi sumitur ex *d. l. fin C. de relig. & sumpt. funer.* aliàs 14. *ejusdem tit.* ubi absolutè præcipitur , nullum corpus esse transferendum de uno loco ad alterum , absque Augusti affatibus. Ergo semper ad hanc translationem erit necessaria licentia Principis, aut saltem Episcopi. Verùm in re illa est communis doctrina , quando corpus non est sepultum , sed ad sepulturam transfertur , licentiam necessariam non esse: quod idem asserendum est quando corpus in deposito esset ad translationem , quia adhuc tanquam insepultum censetur , *l.* 3. §. *Non perpetuæ , ff. de sepulchro violato , l.* 1. *ff. de Religios. & sumpt. funer. l.* 11. *tit.* 13. *part.* 1. Ad rem est etiam *epistola* 73. *Plinii ad Trajanum , libr.* 10. qui cùm Imperatorem consuleret propter morem usitatum in ea Provincia adeundi Collegium Proconsulum, ut permitterent transferre reliquias defunctorum , respondit Trajanus : *Durum esse necessitatem imponere adeundorum Proconsulum pro transferendis reliquiis* . Hanc ob rem in transferendis corporibus insepultis nulla est necessaria licentia , nec Magistratus , nec Episcopi , *l. Si necdum* 10. *Cod. de Relig & sumpt. funer. l.* 71. *titul* 13. *part.* 1. Glossa Hugo , & Turrecremata *in cnpit. Corpora* 37. *de consecrat. distinct.* 1. Sylvester *verbo Reliquiæ , quæst.* 3. Molina *de primogeniis , libr.* 1. *cap.* 24. *numer.* 36. Sanchez *in Summa , libr.* 2. *cap.* 43. *numer.* 25. Lara *dict. cap.* 25. *numer.* 45. Barbosa *in collect ad textum in l.* 1. *Cod. de Relig. & sumpt. funer. num.* 2. Lopez *de sepult. cap.* 16. *num.* 1. Samuel *de tract.* 1. *disp.* 3. *controvers.* 3. *conclus.* 2. *num.* 3. Iranzo *de Protest. in Apparatu , num.* 68.

Quo verò ad alium modum, quando corpora jam sunt se- 47
pultà, eorum exhumatio fieri non valet, quin id graviter interdictum est ; aliàs tamen si aliquis effoderit, adversùs eum injuriarum actione agetur , *l. Ossa* 8. *ff. de Relig. & sumpt. funerum , l.* 1. *Cod. eodem titul. cap. Corpora* 37. *de consecrat. dist.* 1. Concilium Matisconense II. *can.* 17. Altissiodorense *can.* 5. Meldense *can.* 72. Toletanum IV. *can.* 45. Aliquando tamen si subsit causa , veluti fluminis incursus , vel ruinæ metus , vel alia , & adsit Episcopi licentia , vel alterius , cui competat causæ cognitio , cadavera sepulta transferuntur , ut est textus *in d. leg. Ossa , & lege* 39. *ff. de Relig. & sumpt. funerum , l* 11. *tit.* 13. *p.* 1. Est elegans textus

in l.

in l. 7. C. de Religios. in Theodosiano, cujus verba dat Lopez *de sepult. cap. 18. vers. Sed neque.* Unde intelligendus est textus in *l. fin.* aliàs 14. *C. de relig. & sumpt funer.* quæ licèt absolutè loquatur, intelligenda tamen est quando corpus jam est humatum, ut exprimit Lopez *ubi proximè*: tunc enim licentia Episcopi, vel Magistratus est necessaria, ut dicunt relati *num. anteced.* quibus addendus Lavorius *d. tit 1. cap. 7. num. 29.* Capponi *discept. for. tom. 5. discept. 325. num. 13.* Antonell. *lib. 1. cap. 12. §. 8. n. 61.* Villalobos *in Summa, 2. p. tract. 41. diffic. 6. n. 4.*

48 Quando enim corpus ex causa, & ex licentia Episcopi, aut alterius, cui cognitio causæ competit, transfertur, similiter dicendum, nullum portagium, aut vectigal pro translatione percipi valere, nec etiam aliquod emolumentum à Parocho, pro cujus Parochia corpus transportatur; in hoc enim nulla est distinctio inter corpus insepultum, & sepultum: solùm enim quoad licentiam, & causam est distinctio. De quo diximus *n. 43.*

49 Translatio enim ista de uno ad alterum locum, quando corpus est insepultum, etiam ad funeris impensas pertinet; nam ut asserit Consultus in *l. Et si quis 14. §. Funeris causa, ff. de relig. & sumpt. funer.* quidquid expenditur proferendo cadavere, est expensa funeris; quod etiam est cadaveris translatio de uno ad alterum locum, donec sepeliatur: Ergo similis translatio etiam ad funeris expensas pertinebit, *l. funeris 36. ff. eod. tit.* Quod idem est dicendum, quando aliquid expenditur pro depositione cadaveris, eo animo, ut inde transferatur ad alium locum, sepeliendi causa; & magis temporis causa ibi deponitur, quàm ut sepulturæ tradatur, *l. Si quis 40. ff. de relig. & sumpt. fun.* quare id ad funus pertinet, & consequenter ejus impensa censetur, *l. 14. §. Impensa 4. ff eod. tit.* ibi: *Vel etiam commendandum*. Calvinus *in Lexico, verbo Commendare corpus.* Cujacius *observat. lib. 12. cap. 12.* Gibalinus *de univ. negot. lib. 5. cap. 1. art. 3. num. 6. tom. 1.* Iranzo *in Apparatu de Protestatione, num. 207.* Spino *de testament. gloss. 2. in princ. num. 9.* ubi *num. 10.* asserit; quod si testator præceperit omnibus hæredibus, ut suum corpus de uno ad alium locum transferunt, quilibet cogi poterit per Judicem Ecclesiasticum, ut transferat, per textum in *l. Fideicommissa 11. §. 1. ff. de legat. 3.* ubi Doctorum licèt postea hæc expensa facta, per actionem familiæ erciscundæ poterit recuperare per partes ex annis aliorum cohæredum, ex *l. In exequutiones, §. 1. ff. famil. erciscund. l. 2. tit. 15. part. 6.* & quæ scripsimus *lib. 4. cap. 10. à num. 54.*

50 Quando verò corpus traditum est sepulturæ, ac posteà ex aliqua causa de licentia Episcopi, aut Magistratus transfertur, an id expensa funeris censeatur, aliquod est dubium: & affirmativè respondendum videtur; nam causa existente, ex licentia Magistratus, aut Episcopi, adhuc corpus insepultum videtur, quia non adhuc remanet perpetua, & quieta sepultura: Ergo ad funeris impensas hæc translatio pertinebit. Sed contrarium est tenendum, quia translatio ista per accidens est, corpusque traditum erat perpetuæ, & quietæ sepulturæ: Ergo translatio ista non pertinebit ad funeris impensam, quæ solùm in prima humatione erit consideranda, vel in ordine ad illa, sine quibus fieri non poterat, ut tradit Consultus in *l. 14. §. 3. ff. de relig. & sumpt. funer.* Medicis *de sepult. 1. p. q. 1. n. 6.*

51 Sed quid si testator jusserit, ut postquam corpus suum traditum fuerit sepulturæ, post annum ad aliam sepulturam transportetur, an sumptus iste pertineat ad funeris impensas? Et negandum videtur, nam conditio, seu præceptum hoc testatoris minimè est adimplendum. Primò, nam corpora jam sepulta effodi non possunt ut iterum ad sepulturam alteram transferantur, ut ex multis juribus decisum est supra, *num. 45.* Tum quia hæc translatio nequit fieri absque licentia Principis, quæ de jure impossibilis censetur, *l. Apud Iulianum 40. §. Constat, ff. de legat. 1.* Ergo nequit fieri, ut scripsit Paulus de Castro in *l. 1. C. de religios. & sumpt. funer.* Ergo si de facto hæc translatio ab hærede fiat, non ad expensas funeris pertinebit, sed ab ipso hærede detentur, cùm fecerit quod ipse agere non tenebatur, necessarium ad funus.

52 Hæc quidem fundamenta solida non sunt, est enim alia sententia Doctorum asserentium, hæredem adimplere debere talem dispositionem: nam licèt translatio corporis jam sepulti nequeat fieri absque licentia Principis, ex *l. 14. C. de relig. & sumpt. funer.* & ex traditis supra, *d. num. 45.* impossibilis tamen censenda non est, quando facilè ab ipso conceditur, ut est in præsentia: Ergo talis translatio, ut potè possibilis, est facienda. Menchaca *de succes. creat. tom. 1. lib. 1. §. 7 num. 28.* Spino *d. gloss. 2. num. 8.* Barbosa in *l. 1. C. de relig. & sumpt. funer. n. 2.* Ergo tales sumptus, ut necessarii ad perpetuam sepulturam defuncti, pertinebunt ad funeris impensas.

In hac difficultate animadverto, Doctores utriusque sententiæ in hoc convenire, esse necessariam licentiam Principis ad hanc translationem, quando testator præceperit, ut post annum ejus corpus ad aliam sepulturam transferatur. Dissentiunt tamen, an hoc requisitum sit de jure possibile, necne? Sed in specie assero, nullam esse necessariam licentiam Episcopi, aut Principis ad hanc translationem, sed necessariò efficiendam esse ab hærede. Ratio est, nam prima sepultura non est nisi corporis depositio, usque dum annus adimpleatur ad translationem; quapropter ad eam nulla est necessaria licentia, ut docent Doctores relati *num. 47.* Et confirmatur, nam commenda, aut depositum corporis, ut posteà transferatur, non efficit sepulturam perpetuam, & quietam; sed tamen licentia solùm requiritur, quando translatio corporis fit de sepultura perpetua, & quieta: Ergo quando transfertur de sepultura ad annum, ut ad aliam transferatur, nulla erit necessaria licentia. 53

Unde in præsentia dicendum, expensas hujus translationis ad funus pertinere, sicut alii sumptus ipsius nam adhuc corpus non erat traditum perpetuæ sepulturæ, donec ultima translatio fuerit facta, & id ad funus pertinet, ut diximus *num. 47.* & tradit Andreas Valensis *in prat. ad tit. de sepult. §. 9. n. 2.* Caponi *d. discept. 325. n. 12.* 54

Ad sumptus funerum pertinet quidquid impenditur pro sepultura. Apud Christicolas eleemosyna, quæ Fabricis ex consuetudine conceditur, aut ex taxa Episcopi, ad sumptus funeris etiam pertinet, *l. 14. §. Funeris causa, ff. de relig. & sumpt. fin. l. 12. tit. 13. part. 1* Pertinet etiam ad has expensas quidquid expenditur pro custodiendo corpore, antequam terræ tradatur, ut ait lex Partitæ: quod eriam apud antiquos non solùm observatum fuit antea, verùm etiam postea, quando jam corpora erant sepulta, ne ab inimicis defuncti injuriarentur, vel à creditoribus, ut sunt jura in *d. l. 14. §. impensas*, ibi: *Si quid ad corpus custodiendum, l. 3. §. Si quis sepulchro, & §. fin. ff. de sepulchr. violat. liberis 18. §. fin. ff. de Aliment. & cib. legat.* Unde ait Propertius *lib. 1. elegia 15.* 55

Affert huc unguenta mihi, sortisque sepulchrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.

Illustrarunt Lavorius *d. tit. 2. cap. 1. à n. 134.* Amaya *observ. lib. 1. cap. 10.* Iranzo *in Apparatu, a n. 103.*

Sed quid tamen de unguentis, & pollinctoribus, in quibus ad corpora ungenda (apud Nos *Embalsamar*,) expenditur. Et asserendum videtur, inter funeris sumptus has expensas annumerandas non esse, cùm id ad funus non est necessarium, & ad nihil deservit, nisi ad vanam pompam, & honorem. Sed contrarium scripsit Consultus in *d. l. Funeris 37. ff. de relig. & sumpt. fun.* ibi: *Veluti unguentorum, erogatum est*. Concinit textus in *l. Ideo 7. §. Illud, ff. de in rem vers.* Eratque inter Romanos magnoperè susceptum, non solùm quando vivebant, unguentis suavissimis ungi, & odorari, sed etiam corpora defunctorum eisdem perungere. Quando enim vivi degebant, unguentis oppleri solebant solum ad honestatem, & ornatum, ut scripsit Plinius *lib. 13. cap. 1.* Herodianus *lib. 1. de Civib. Roman.* Posteà ad excessum, & voluptatem capiendam abusus pervenit, itaut in balneis non semel quotidie, verùm bis, terque unctio renovaretur, ut asseruit Seneca *epist. 86. ibi: Parum est sumere unguentum nisi bis die, terque renovetur.* Et ad id domi puellas unguentarias habebant, ut demonstrat Catullus *in Endecasyllab. 13.* 56

Vnguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres, Cupidineque:
Quod cum olfacies, Deos rogabis
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

Mortuos etiam variis suavissimis unguentis linire apud eos usitatissimum fuit, idque perantiquum esse morem probat Virgilius *lib. 6. Æneidos, vers. 219.*

Tarquinii corpus bona fœmina lavit, & unxit.

Idcircò eleganter Martialis lusit *lib. 3. epigramm. 12.* in Fabullum.

Vn-

Vnguentum, fateor, bonum dedisti
Convivis, bene: sed nihil scidisti.
Res falsa est, bene, & esurire.
Qui non cœnat, & ungitur, Fabulle,
Hic verè mihi mortuus videtur.

Carpit enim Fabullum, qui cùm optimo unguento convivas unxisset, eos tamen famelicos dimisit; quapropter mortuis convivas comparat, qui inunguntur, & non cœnant. Erant quidam libinarii, domi habentes servos deservientes ad polienda, & ungenda corpora unguentis pretiosissimis, quibus delinitis, in Sepulchris ex recondebant, & ideò Pollinctores dicebantur, *l. Cuique 5. §. 8. ff. de instit. act.* de qua re Ant. Muretus *var. lect. lib. 3. cap. 19.* Lavor. *d. tit. 2. cap. 1. n. 49.* Bravo *Oper Medic. tom. 3. prompt. 31. à lit. D.* Mendoza *in Virid. lib. 8. cap. 1. & 2.* Iranzo *in Apparat. à n. 218.* Ramirez *ad Mart. d. epigrammat. 12.* Grat. *discept. 155. n. 15.*

57 Apud Christicolas in Primitiva Ecclesia inter vivos magnoperè execrata est unguentorum mollities, prout etiam ab Essenis antiquo legis Philosophis, ut scripsit Josephis *lib. 2. de Bello Iudaico, cap. 7.* Ii enim quasi majoris austeritatis professores à cæteris Iudæis secernebantur, & ad unguentis sese abstinebant, quibus alii Iudæi magna voluntate utebantur. De qua re sunt plura Scripturæ testimonia 4. *Paralipom. cap. 4. vers. 14. lib. 1. Reg. cap. 8. vers. 13. & lib. 3. Reg. cap. 1. versic.* 39. Qui quidem usus, etiam ad cadaveta inter Hebræos porrectus est, ut ostenditur *lib. 2. Paralipom. cap. 6. vers. 14* ut de Alia Rege defuncto dicitur, ibi: *Posueruntque eum super lectum suum, plenum aromatibus, & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta.* Et corpus Christi Domini variis unguentis, & aromatibus unctum fuisse à pollinctoribus Joseph, testatur Textus Sacer *Ioan. cap. 19. Matth. cap.* 26. Lopez *de Sepult. cap. 6. fol. 69. & 70.*

58 Verùm inter Nostrates Christicolas similis usus unguentorum ad liniendos vivos prorsus eliminatus est propter mollitiem, & tanquam res nimis voluptosa. Quapropter Clemens Alexandrinus *lib. 2. Pædagog. c. 8.* sic scriplit: *Oportet viros in primis apud nos unguenta non olere, sed vitæ probitatem. Spiret autem fœmina Christum, qui est regalis unctio, non unguenta.* Quod asservatum ostendit Minutius Felix in Octavio: *Non floribus caput nexuistis, non corpus odoribus honestastis.* Verùm in sepeliendis defunctis contrarium fuit asservatum, perungebant enim corpora variis unguentis, idque religionis causa, cùm viderint corpus Domini etiam ad sepulturam delinitum, ob varias significationes hujus unctionis. Testatur noster Prudentius hymno de Exequiis defunctorum.

Aspersaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.

Tertullianus *in Apologet. cap. 13. & cap. 42.* ibi: *Si Arabiæ quæruntur, sciant Sabæi pluris, & cariores suas merces Christianis sepeliendis profligari.* Lavor. *d. c. 1. n. 54.* Paulus Serlogus *in Cant. to. 2. vestigat. 2. sect. 1. n. 5.* Mendoza *lib. 1. Regum, c. 8. vers. 13. expost. lit. à n. 1. cum sequent.* Ramirez *ad Mart. d. epigram. 12. n. 3.* ubi adducit S. Orientii Episcopi Illiberitani carmen id probans, loquens de cadaveribus resurrecturis:

Non modò quæ tumulis benè condita saxa reservant, Aut arvum solidans pulvis, odorque tenens.

Quapropter mirum non est, si unguentorum, & pollinctorum expensæ ad funerum impensas pertineant.

59 Ad praxim verò trahendo disquisitionem istam, dico hodie defunctorum corpora nec lavari, ut olim fiebat. Lavor. *d. cap. 1. à num. 45.* Nec unguentis, & aromatibus perungi, nisi tantùm personæ fuerint Regales, aut Illustriores Magnatum, in quibus viget tantum consuetudo: nec in eis reprobanda, prout nec Ecclesia improbavit; hoc enim pertinet ad eorum majestatem, ut ne citiùs à putredine tabescant: ad id varia unguenta efficiuntur, de quibus enumerat plura Lavor. *d. cap. 1 à n. 56.* Zacchias *q. medicoleg. lib. 4. tit. 1. q. 10. a n. 5.* Ambrosius Parcus *in Thesaur. Chirurg. tract. de Renuntiat. tit. Quæ sit ars Embammatibus, &c. fol. 658.* Bravo *to. 3. de Miscell. prompt. 31.* Reyes *jucund. q. 34.*

60 Quamobrem in personis gravioribus, quarum corpora de consuetudine unguntur variis aromatibus, ne putrescant facilè, aut fœtorem non admittant, at existimavit Lopez *de sepult. d. cap. 6. fol. mihi 70.* Lavor. *ubi proximè*, quidquid in unguentis, aut in pollinctoribus expenditur, ad funeris expensas pertinebit, ut asseruit Consultus *in d. l. 37. de relig. & sumpt. fun.* Beyerlinch *verbo Vnctio, Mortuos, lit. D.*

CAPUT VII.

Qui expensas funerum expendere debeant: ac de earum privilegiis.

SUMMARIUM.

Si aliquis expensas funeris fecerit animo donandi, misericordia motus, non repetet; secus si animo repetendi, præcipuè si protestetur, n. 1.

Hæc protestatio est necessaria dicendo, non solùm ex pietate illas facere, sed animo repetendi. Est dubium, an quando protestatio facta non est, intelligantur expensæ factæ animo repetendi. Sed hoc arbitrio judicantis relinquitur, num. 2.

An maritus non protestans, possit repetere expensas factas in funere uxoris. Prima sententia negat, & id observatur in consanguineis, num. 3. Secunda sententia affirmat, num. 4.

Tres casus distinguuntur in hac difficultate. Primus quando maritus haberet dotem restituendam. Secundus quando non haberet dotem, sed uxor patrem haberet. Tertius quando mulier nec dotem nec patrem haberet. Primo in casu, sine protestatione maritus expensas repetit. Quando quis dat, & est obligatus, intelligitur pro obligatione. Donatio non præsumitur, nisi quando nulla causa subest, n. 5.

In secundo casu, quando mulier est indotata, sed haberet patrem, necessaria est protestatio, aliàs causa ad dubium traheretur, n. 6.

In tertio casu non repetet, etiamsi protestetur, n. 7.

Pauperes gratis sunt sepeliendi expensis Ecclesiæ, nisi pauper fuerit Ecclesia, quia tunc populus præstabit, num. 8.

Quis ad id sit pauper, arbitrio judicantis relinquitur. In hoc Archiepiscopatu dicitur pauper, qui eleemosynis in infirmitate curabatur, n. 9.

Novitius in Monasterio sepelitur, nec Parochus quartam percipiet. Sed Monasterium expensas funeris repetit, num. 10. Novitius in favorabilibus utitur privilegiis professi, ibidem. Idem dicendum, si recreationis causa in domo patris sui remaneat, nisi pauper sit, num. 11.

Expensæ funebres solùm repetendæ decentes, & modicæ, secundùm qualitatem personæ; & potiùs sunt moderandæ, quàm ampliandæ, n. 12.

Si testator immodicas expensas magno apparatu, & pompa facere præceperit, moderandæ sunt: & si ita minimas, nempe sine clericis, & canticis, ejus voluntas non est observanda, n. 13.

Aliæ sunt personæ, quæ ad expensas obligari possunt, veluti hæredes, qui funebres ex hæreditate extrahere debent, num. 14. In praxi tamen exequutores ad id nominantur, qui tale munus acceptantes, ad id compelluntur, num. 15.

An judex possit compellere hos exequutores, ut acceptent, num. 16.

Prima sententia asserit, in foro exteriori compelli non posse in interiori verò teneri adimplere, sicut qui renuit acceptare arbitrium, n. 17.

Secunda sententia asserit, non omnes nominatos exequutores compelli posse à Prætore, sed parentes, vel consanguineos Expeditur textus in l. 1. §. Quamvis, ff. ubi pupillus educari debeat, *n. 18.*

Tertia sententia asserit, exequutores compelli absolutè non posse ad acceptandum: ast si acceptaverint, compelluntur ad adimplendum. Mandatum nullus cogitur acceptare; sed acceptatum tenetur adimplere, sicut in tutore bonis dato, n. 19.

Exequutor, quatenùs pertinet ad profana, non potest compelli, & non acceptans, non peccat, nisi graviter proximus læderetur, num. 20. Quod extenditur ad exequutores consanguineos, num. 21. Ad educationem pupilli cogi poterit is, quem judex existimaverit, ibid.

Si exequutor fuerit datus ad exequenda pia, aliqui dicunt, posse

poſſe compelli ad acceptandum , quia eſt cauſa publica. num. 22.

Sed defenditur contrariam. Explicatur textus in l. 1. C. Qui pro ſua juriſdict. *n. 23.*

Excipitur , niſi magna ſit neceſſitas , & res ab alio expediri non poſſit , ut in procuratore , & tutore bonis dato. In hoc caſu ſi exequutor fuerit ſæcularis , compellitur à judice, laico ; ſi Eccleſiaſticus , ab Eccleſiaſtico , ſi cauſa fuerit manifeſta, n. 24.

Si Religioſus fuerit exequutor, poterit compelli ad acceptandum abſque cauſa à Prælato, n. 25.

Exequutores poſſunt compelli ad adimplendum , ſi expreſsè ; aut tacitè acceptaverint. Et quid ſit expreſsè , aut tacitè acceptare , n. 26. Qui ſunt caſus inducentes tacitam acceptationem , n. 27.

An quando exequutor fuerit præſens quando nominatur à teſtatore , & non contradicit , acceptare videatur. Affirmavit Peralta : ſed contrarium tenent plures , exemplo compromiſſi. Limitant quando fuerit conſanguineus , num. 28.

Sed in hac ſpecie defenditur , eſſe compellendum ad acceptandum quòad funus , & alia ad animæ bonum concernentia : ſicut in hac ſpecie fit in alia qualibet cauſa pia , n. 29.

Fit inſtantia , & reſpondetur, Officium exequutoris eſt dividuum, & per partes diviſibile, & aliis renuentibus, aliis accreſcit , n. 30.

Officium exequutoris licèt fuerit individuum , ut teſtamenti actio , favore cauſæ piæ fit dividuum , num. 31. & 32.

Si non fuerint exequutores nominati , has expenſas funeris facere pertinet ad hæredes , qui pro rata tenentur, num. 33.

Pater tenetur ad has expenſas funebres pro filiis , & adversùs eos datur actio funeraria : & Patronus , qui petit bonorum poſſeſſionem contra tabulas . Si filius familias habuerit caſtrenſe peculium , qui ei ſucceſſerit , tenetur ad funeris expenſas ex caſtrenſi peculio . De Jure Regio filius familias teſtatur de tertio bonorum quorumcunque ad funeris expenſas , & alia , ad quibus diſponere voluerit , n. 34.

Maritus tenetur ad expenſas funeris mulieris , ſi non habeat unde funeretur . Si verò dotem habuerit , de ea funerabitur , & ſucceſſores dotis pro rata tenentur , num. 35.

Si mulier ſolam dotem habuerit , is tenebitur ad has expenſas qui ipſam lucratur , n. 36.

Intelligitur , ſi dos eſt ſucceſſori tradita : ſi ſit adhuc apud maritum, ipſe convenietur pro his expenſis , & in reſtitutione compenſantur, & ad has tenetur abſque aliqua dilatione , & ſi aliquis pro eo expenderit, ſtatim repetet , num. 37.

Fit inſtantia , & reſpondetur. Explicatur lex Qui hæres 49. ff. famil. erciſcund. *n. 38.*

An quando maritus dotem reſtituit , poſſit non ſolùm compenſare funeris expenſas , ſed etiam infirmitatis . Aliqui negant, niſi proteſtetur, n. 39.

Alteri affirmant , etiam ſine proteſtatione , num. 40. Si mulier infirma poteſt præſtare obſequia , & ſervitia domus, maritus non compenſat, aut repetit. Idem ſi infirmitas fuerit brevis , & modicæ impenſæ , n. 41.

Si infirmitas fuerit longa , & magnarum expenſarum , verùm non excedant dotis fructus , non compenſantur , nec repetuntur , etiamſi maritus proteſtetur , num. 42. Idem ſi infirmitas mulieris procedat ex culpa viri , numer. 43.

Eſt difficultas , quando mulier non magnam dotem attulerit , & fructus non ſufficiant ad infirmitatis expenſas , & tunc aſſerendum , poſſe maritum ex Capitali dotis compenſare , aut repetere à patre , num. 44.

An quando uxor eſt indotata , & habet patrem , aut expenſæ excedunt dotis fructus , Maritus neceſsariò proteſtari debeat ; Affirmativè reſpondetur ab aliquibus , quod melius eſse affirmatur . Explicatur lex , Quod in uxorem 13. Cod. de negot. geſt. *num. 45. & 56.*

Si ſocer adhuc domi habuerit filiam , & graſsante infirmitate , pro ea curanda multas fecerit expenſas , an ſine proteſtatione repetat ? Si dos tradita eſt ſufficiens ex fructibus ad expenſas , repetet à genero , num. 47.

Fit inſtantia , num. 48. Si ſocer litis expenſas pro genero fecerit ; non poſſe repetere aſſerunt aliqui , ibid. Sed reſpondetur , & negatur iſta doctrina . Præſumptio donandi ex affectione ſanguinis , non admittitur , niſi in parvis , vel quando conſanguineus pauper eſt , num. 49.

Explicatur textus in l. Servus communis 38. §. Idem juris, ff. de donat. inter. *Referuntur aliqua interpretamenta , num. 50.*

Rejicitur doctrina Bartoli , conſenſus donandi non diſtinguitur à donatione , num. 51. Datur vera interpretatio : affectio ſanguinis non dat præſumptionem donandi, niſi cum aliis adminiculis , n. 52.

Si gener proteſtetur , nolle quod pater ſuam uxorem curet , nec expenſas faciat , tunc ſocer non repetet . Res non benè geritur contra voluntatem domini , numero 53.

Si verò ſocer adhuc dotem non tradiderit , repetet , & compenſabit , quod tenent aliqui , etiam ſi gener proteſtetur , velle ferre uxorem ad ſuam domum . Sed contrarium tenet ſecunda ſententia , & explicat textum in l. Stichum 8. §. fin. de novat. & l. fin. C. de negot. geſt. *num. 54.*

Sed prima ſententia defenditur . Proteſtatio impedit repetitionem. Fallit niſi adſit favor publicus, n. 55.

Examinatur Cancerius aſſerens , expenſas ultimæ infirmitatis uxoris poſſe maritum repetere abſque proteſtatione. Expenſæ ultimæ infirmitati privilegio fruuntur funeralium , n. 56.

Expenſæ graves cujuſcumque infirmitatis mulieris repetit Maritus , licèt non ſit ultima . Eſt verò diſtinctio , ut ultima fruatur privilegio funeralium , ſecus altera, num. 57.

An ſucceſſor in majoratu tenentur ſuis expenſis ſepelire anteceſſorem? Prima ſententia negat . Succeſſor in majoratu non ſuccedit ultimo poſſeſſori , ſed inſtituenti , num. 58.

Secunda tenet contrarium . Succeſſor majoratus tenetur aliqua debita exigua anteceſſoris ſolvere , maximè ſi ſint ad exonerationem conſcientiæ , n. 59.

Succeſſor majoratus tenetur ſepelire inſtitutorem illius , ſicut debita perſolvere , n. 60.

Si defunctus non eſt inſtitutor , ſed alius ultimus poſſeſſor , ſi ſucceſſor eſt hæres, tenetur vel in ſolidum, vel pro rata , ſi alii ſunt cohæredes, n. 61.

Si ultimus poſſeſſor non habuerit bona , nec hæredes aliqui aſſerant , non teneri ſucceſſorem majoratus illum ſepelire , ſicut nec debita illius ſolvere , num. 62. Sed contrarium de æquitate defendunt plures , num. 63.

Defenditur de juris rigore ex præſumpta voluntate inſtitutoris majoratus . Poſſeſſor majoratus tenetur non ſolùm ad debita expreſsa inſtitutoris , ſed ad præſumpta ex ejus voluntate, n. 64.

Expenſæ funeris ſunt debita ex præſumpta voluntate inſtitutoris, ibid.

Intentio inſtituentis majoratum eſt proſpicere pro honore , & dignitate familiæ , & ignominiam ab ea auferre . Succeſsor in majoratu tenetur ad debita contracta pro alendo ultimo poſſeſſore, n. 65 .

An quando defunctus eſt pauper , & habet conſanguineos divites , a quibus petere poterat alimenta , iſti poſſint compelli ad funeris expenſas ? Ponitur ratio dubitandi. Sed affirmativè reſpondetur . Valet argumentum de alimentis ad piam cauſam . In alimentis etiam funeris expenſæ intelliguntur , n. 66.

Fit in contrariam inſtantia, & reſpondetur , n. 67.

An quando Rector Eccleſiæ , aut Beneficiatus abſque bonis decedit , quis debeat facere funeris expenſas , Aliqui affirmant , Eccleſiam ad id teneri . Mulier tenetur ſepelire pauperem maritum , dominus ſervum , num. 68.

Secunda ſententia aſſerit , expenſas faciendas ab Eccleſia , & ſucceſsore, n. 69.

Tertia ſententia à ſucceſsore faciendas affirmat , num. 70.

Ec-

Ecclesia, vel Camera Apostolica, si succedunt in bonis Beneficiati, tenentur ad has expensas, n.70. Vel illius hæredes, seu successores, n.71.

Si Beneficiatus, seu Rector Ecclesiæ non habet unde sepeliatur, successor in Beneficio ad has expensas tenetur, sicut ad alia onera realia fructuum, & ad pensionem. In defectu illius tenetur Ecclesia, & si hæc pauper fuerit, Parochiani, num. 72.

Si Rector, aut Beneficiatus non habuerit bona lucrata intuitu Beneficii, sed patrimonialia tantùm, an successor in Beneficio teneatur ad has funebres expensas? Et negandum videtur, n.73.

Successor in Beneficio tenetur ad pensionem, excussis bonis antecessoris, ibid.

Si Rector, seu Beneficiatus fructui Beneficii malè perdat, sepeliendus est ex patrimonialibus, ut in pensione, & majoratu observatur, n.74.

Si non malè perdidisset, sed propter sterilitatem fructus non haberet, successor capiens fructus ad has expensas tenetur; non autem hæredes patrimonialium, quod est difficile in praxi, n.75.

Verùm si successor fructus non percipiat, aut saltem necessarios ad congruam, tunc ex patrimonialibus est sepeliendus: congrua nunquam est auferenda, aut minuenda, num.76.

Si Episcopus moritur, ex fructibus Episcopatus sepelitur? si pauper decedat, ab Ecclesia sepeliendus, si indigeat, à Capitulo, n. 77.

Vicarius perpetuus ex fructibus vicariæ sepeliendus, si autem non habeat, expensis Ecclesiæ; n.78.

Si dignitas habet annexam Parochialem, inserviendam per Vicarium perpetuum, juxta Tridentinum, & Vicarius pauper moriatur, non est sepeliendus expensis Ecclesiæ, sed ex fructibus, quos ex Parochiali percipit Dignitas, num.79.

Pontifex expensis Cameræ Apostolicæ sepelitur: Cardinali Legatus expensis Prælatorum Provinciæ, quando non habet redditus sui Officii: Nuncius pauper, expensis Cleri: Visitator Apostolicus, expensis Provinciæ: Collectos ex salario deputato, num.80.

Canonicus ex fructibus Præbendæ sepeliendus jam receptis; si non sint, ex hæreditariis; si isti non adsint, ex fructibus Præbendæ recipiendis: coadjutor, de redditibus Beneficii: Capellanus, de fructibus Capellaniæ: si habeat simul Ecclesiam curatam, ex fructibus illius Ecclesiæ: Commendatarius, ex redditibus suarum Ecclesiarum, num.81.

Abbas sepelitur expensis Monasterii; si habet mensam separatam, expensis mensæ. Religiosus, seu Canonicus Regularis, expensis Monasterii: si Religiosus præest Beneficio manuali, ex fructibus illius: Novitius, ex bonis patrimonialibus; si non habet, expensis monasterii sepeliendus est, numer.82.

Funeris impensa ex hæreditate antè omnia est deducenda; & si caduca sit, ante omne debitum, n. 83. Intelligitur de necessaria: si fuerit magna adversus legatarios; admittitur, non contra legitimas, ibid.

Impensa funeris habet tacitam hypothecam, & aliis creditis tacitam habentibus præfertur. Dubitatur, an doti præferatur? Ponitur ratio dubitandi, n.84.

Sed respondetur affirmativè. Regula, Privilegiatus nequit uti privilegio contra similiter privilegiatum, non currit quando alterius privilegium, est fortius, num.85.

An funeris impensa præferatur creditoribus habenti bus expressam hypothecam? Prima sententia negat. De jure Castellæ impensa ista deducitur de quinto, numer.86.

Secunda affirmat, quia præfertur omnibus creditis, numero 87.

Quæstio intelligitur de impensa funeris necessaria: & quæ sit ista, explicatur, & extenditur ad expensas ultimæ infirmitatis, num.88. Admittitur secunda sententia, & explicatur textus in l. 14. §. Si colonus, ff. de Relig. & sumpt. fun. *n.89.*

Examinatur sententia Surdi, & rejicitur. Etiam tertius, aut mutuans pecuniam ad impensam funeris, præfertur creditoribus habentibus expressam hypothecam, num.90.

An præferatur deponenti? Et distinctione respondetur. Explicatur lex 9. tit. 3. p. 5. n.91.

Impensa funeris, an de Iure Regio præferatur aliis creditoribus? Negavit Mathienzo, n 92.

Sed rejicitur, & tantùm admittitur, quando hæreditas est solvendo, n.93.

Corpus defuncti nequit pro debitis sequestrari, aut detineri ne sepeliatur, n 94.

An quando debitum est liquidum, & exequutivum, possit corpus sequestrari, & detineri? Prima sententia affirmat. In via exequutiva, quando debitor non dat bona, incarceratur, num. 95 Sed admittitur secunda, & defenditur. In libero homine non cadit pignus, nec hypotheca, ibid.

Non admittitur appellatio à decreto judicis præcipientis, ne corpus detineatur, n 97.

Corpus manifesti usurarii rectè detinetur donec restitutio fiat, aut hæres cautionem præstet, num.98.

EXpensæ funerales duobus modis fieri possunt, vel sponte, veluti quando quis misericordia motus, absque aliqua obligatione eas fecerit; vel quando ex propria obligatione. Et quoad primum, si aliquis sponte fecerit, etiamsi ab aliquibus interdiceretur, magnoperè considerandum est, quo animo eas fecerit: nam si ex pietate, animo donandi eas expenderit, non repetet; secùs si animo repetendi, tunc enim ab hæredibus, vel à bonis defuncti suscipiet; quamvis ab aliquo interdiceretur, *l. Et si quis* 14. §. *Sed interdum* 7. *ff. de Religios. & sumpt. funer. l. 12. tit.* 13. *part.* 1. Ratio enim est, nam in duobus modis potuit facere, ut omnimoda charitate, pro sua charitate expendendo illas quantitates necessarias ad funus absque animo repetendi, seu donandi; aut media charitate, quatenus voluit, ne cadaver insepultum remaneret; sed eo fecit consilio, ut expensas illas post recuperaret: quapropter si eo animo fecerit, repetet; si verò solùm ex omnimoda misericordia, secus. Quapropter DD. dant cautelam, ut quoties quis has expensas sponte fecerit animo repetendi, protestetur se velle eas repetere, ut inde causa ad quæstionem non adducatur. Medicis *de sepult. 2. p. quæst. 2. num.* 3. Dilectus *de arte testandi, tit. de sepult. caut.* 5. Lavor. *dict. tit. 2. cap.* 16. *à num* 48. Gratian. *tom.* 1. *discept.* 94. *num.* 23. Villalobos *in Summa, 2. part. tract.* 31. *difficultat.* 4. *num.* 2. 1

Hæc protestatio magnoperè est necessaria, non per simplicem protestationem, dicendo se non facere sumptus causa pietatis; sed oportet addere quod fiant animo repetendi, ut clarior sit, & causa absque quæstione reddatur, *l. Et si quis* 14. §. *Plerique, ff. de Relig. & sumpt. funer.* Favor. *dict. cap.* 16. *num.* 49. Aliàs tamen si hæc protestatio non fiat, causa erit dubia, ob illam quæstionem, an in dubio, quando protestatio facta non sit, intelligatur expensas istas fuisse factas causa pietatis, necne? De qua Cumanus *in l. Gerit, ff. de acquis. hæreditatis, num.* 8. Novellus *de dot. 5. p. num.* 9. Petrus Duenas *reg.* 397. Joseph. Ludovis. 2. *part. decis.* 78. *à nu.* 2. & in qua DD. qui meliùs sensere, arbitrio judicantis reliquerunt, qui ex circumstantiis existimet, an ex causa pietatis aliquis expenderit, aut tanquam negotiorum gestor, animo repetendi, consideratis causæ circumstantiis, affectionis, & obligationis, *l. Si quis* 12. §. *Prætor ait, dict. l.* 14. §. *Interdum, & §. Plerique, ff. de Relig. & sumpt. fun. l. Quod in uxorem* 13. *Cod. de negot. gest. l.* 12. *tit.* 13. *part.* 1. Joseph. Ludovisius *dict. decis.* 78. *num.* 8. Petrus Ancharanus *lib.* 1. *famil. quæst* 52. *cap.*.... Pichardus *in §. Quædam actiones* 20. *Inst. de act. & ad l. Privilegia* 16. *ff. de privileg. cred. num.* 29. Rodriq. *de concurs. cred.* 1. *p. art.* 3. *num.* 13. *in fin.* Quamobrem semper hæc protestatio erit necessaria, & utilissima, & facienda cum omnimoda expressione, sese facere similes expensas tamquam negotiorum gestorem, animo eas repetendi. 2

Hinc disquirenda est quæstio illa, an quando maritus hos sumptus funerarios fecerit in funere uxori, possit repetere, si nullo modo fuerit protestatus? Prima sententia asserit, hanc protestationem esse necessariam. Et probatur *ex l. Quod in uxorem* 13. *Cod. de negot. gest.* ibi: *In funus sanè ejus, si quid eo nomine, quasi recepturus erogasti, patrem, ad quem dos redit, jure convenit.* Ex quibus verbis hanc protestationem necessariã esse probatur, cùm aliter constare non 3

possit,

poſſit, an eo animo fecerit, quaſi recepturus à patre dotem percipiente, ut expendit Antonius Perez *ad tit. C. de Relig. & ſumpt. funer. num.* 20. Cœterùm probatur, nam cùm maritus, & uxor fiant per matrimonium una caro, quando proteſtationem non fecèrit, videtur ex affectione illa ad propriam carnem, & cauſa pietatis expendiſſe. Cùm ergo adſit cauſa iſta exiſtimandi animum non habuiſſe repetendi, inde eſt, ut præſumatur ex cauſa pietatis; & affectionis proteſtationem omiſiſſe. Ergo ſi non fuerit proteſtatus, nullo modo poterit tales expenſas repetere. Confirmatur, nam quoties expenſæ iſtæ funeratiæ fiunt ab aliquo conſanguineo, vel nepote defuncti, repetet contra ſucceſſorem, dummodo fuerit proteſtatus; aliàs exiſtimatur ex affectione ſanguinis hanc pietatem exercuiſſe. Speculat. *de ſepult. n.* 13. Germin. *conſ. 1. num* 6. Ubaldus *de can. port. 2. part. cap.* 13. *num.* 8. Gratianus *tom.* 1. *diſcept.* 94. *num.* 23. Ergo majori ratione idem eſt dicendum reſpectu mariti uxorem funerantis; nam id ex majori affectione procedit, cùm una caro conſideretur cum uxore. Duenas *dict. regul.* 397. *num.* 7.

4 Secunda ſententia tenet contrarium, ſcilicet in hoc caſu maritum proteſtationem facere non teneri, quin abſque ea expenſas funerarias repetere poſſe à ſucceſſore uxoris. Et ducitur, nam cùm maritus ſit debitor dotis, quando has expenſas fecerit, videtur animo compenſandi feciſſe; non verò ut donaret, aliqua exiſtente affectione, & pietate: quapropter abſque aliqua proteſtatione poterit repetere. Cœterùm maritus cùm adhuc retineat dotem, expenſas has feciſſe videtur tanquam adminiſtrator, non verò ex aliqua cauſa pietatis, ex qua quidem cauſa poterit repetere. Ludoviſius *dict. deciſ.* 78. *num.* 10. Ergo nullo modo in præſentiarum erit neceſſaria proteſtatio. Quapropter DD. in præſentia hanc proteſtationem conſulunt; non tamen inquiunt, eſſe neceſſariam ad expenſas iſtas repetendas, ut latè tradit Ludoviſius *dict. deciſ.* 78. *per tot.* Hodierna *ad deciſ.* 112. *Surdi, num.* 23. Fontanella *de pact. nupt. clauſul.* 6. *gloſſ.* 2. *part.* 5. *num.* 25. Boſſius *de dot. cap.* 19. §. 1. *num.* 66. Iranzo *de proteſt. cap.* 18. *num.* 18.

5 In hoc dubio tres caſus ſunt conſiderandi. Primus quando maritus tempore mortis mulieris habeat dotem in ſua poteſtate reſtituendam. Secundus, quando indotatam uxorem recepit, verùm habet patrem. Tertius, quando nec habet dotem, nec patrem. Quoad primum dicendum, quod ſi maritus funeris impenſas fecerit in morte uxoris, etiamſi aliquam proteſtationem non fecerit, eas repetere poterit. Hoc probatur facilè ex fundamentis relatis ſecundæ ſententiæ *num.* 4. Tum quia quando quis aliquid præſtat, non declarans pro quo concedat, intelligitur pro ſolvenda propria obligatione, non autem liberaliter dare, *l. Cæterùm* 3. *l. in his* 5. *ff. ſolut. matrim.* Cardoſo *verbo Solutio, num.* 17. Maſcardus *de probat. concluſ.* 1325. Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 143. Molina *de Iuſt. tract.* 2. *diſput.* 565. Ergo cùm in ſpecie nihil maritus declaraverit, verùm expenſas fecerit, intelligendum eſt, voluiſſe illas facere ad ſolutionem dotis, & ut illas compenſaret, non verò ex cauſa pietatis, & ex mera liberalitate. Denique ad hoc ut præſumatur donatio in dubio, requiritur ut nulla cauſa ſubſit, niſi ipſa donatio, nec alia conjectura capi valeat, *l. Cùm de indebito* 25. *in principio, ff. de probat.* Menochius latè *de Arbitrariis, lib.* 2. *caſu* 88. *& de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 71. *nu.* 2. Aſt hìc eſt cauſa præciſa ſolvendi dotem, & conjectura, eo animo feciſſe maritum. Ergo nulla eſt neceſſaria proteſtatio, ut expenſas iſtas repetat. Conſtat enim eo animo feciſſe, ut ex dote poſtea repeteret.

6 Secundus caſus, quando mulier fuerit indotata, verùm fuiſſet filiafamilias, & patrem habuiſſet, cui competit expenſas facere in funeranda filia nupta, *l. Et ſi quis* 14. §. *fin. l. funeris* 15. Textus *in l. Quod ſi* 28. *ff. de Relig. & ſumpt fun.* & ipſe maritus expenſas funeris fecerit: & in hoc caſu proteſtatio erit neceſſaria, ne patiatur quæſtionem; aliàs enim cauſa ad maximum dubium traheretur: nam ex eo quod habuiſſet patrem adſtrictum ad talem obligationem, verùm ipſe maritus ſponte, abſque aliqua obligatione ad expenſas funeris ſe immiſcuit, videtur ex affectione, & cauſa pietatis expendiſſe, quando nullo modo fuerit proteſtatus, ut tenent Antonius Perez *ad tit. C. de Relig. & ſumpt. funer. num.* 20. Iranzo *d. cap.* 18. *n.* 19. *ad med.* Idcircò niſi ex aliis conjecturis, & probationibus conſtiterit, animo repetendi feciſſe, ſemper cauſa ad graviſſimam quæſtionem perveniet: quapropter valdè erit neceſſaria proteſtatio. Ludoviſius *d. dec.* 78. *num.* 4. Pichardus *in d. l. Privilegia, num.* 29. Armendariz *in ll. Navarræ, lib.* 4. *tit.* 25. *l.* 3. *n.* 22. Boſſius *d. cap.* 19. *num.* 66.

Tertius caſus eſt quando mulier nec habeat dotem, nec patrem, qui adſtringatur ad faciendum ſimiles expenſas: & in hoc caſu ſi maritus aliquid expenderit in ſimilibus impenſis, nec proteſtari neceſſum habet, quin potiùs tenetur in quantum facere poteſt, funebres ſumptus agere ex ſuo proprio intereſſe; eſſet enim graviſſima injuria illius inſepultam uxorem relinquere, ut ſcripſit Conſultus *in l. Quod ſi* 28. *ff. de Relig. & ſumpt. fun.* Garſias *de Expenſis, cap.* 8. *nu.* 24. Medicis *de ſepult.* 2. *par. quæſt.* 3. *n.* 2. Lavor. *d. tit.* 2. *cap.* 16. *num.* 14. Quapropter nihil aget, etiamſi proteſtetur, cùm ipſe obligatus fuerit ad funerandam mulierem, in quantum facere poſſit. 7

Prætereà Parochus, vel alii, quibus incumbit onus funerandi, ſponte, & gratis debent pauperes ſepelire: quare in multis Eccleſiis, aut cœmeteria ſunt ad id deſtinata, vel aliquæ pauperum ſepulturæ gratis eis concedendæ, ita ut corpora inſepulta non remaneant: ſi tamen Eccleſia adeò ſit pauper, ut nequeat ſepulturas concedere, aut aliquam expenſam facere pro paupere funerando, tunc Parochiani ad id tenentur; eſt enim contra publicam utilitatem, ut corpora maneant abſque ſepultura. Medicis *d. qu.* 3. *n.* 5. Lavor. *d. cap.* 16. *n.* 15. Samuel *de ſepult. diſp.* 6. *contr.* 15. *concl.* 1. & 2. 8

Sed quis pauper ad id dicatur, ut gratis ſepeliatur. Nihil de jure certum, & determinatum, ſed id arbitrio judicantis relinquendum eſt; nam licèt quis pauper dicatur, variè Doctores ſenſerint *in l. Nonnulli, ff. de Accuſat. & in l.* 8. & 25. *tit.* 12. *lib.* 1. *Recopilat.* id tamen communi calculo receptum eſt, ut arbitrio judicis recti relinquatur, qui cauſa conſiderata, quis ſit pauper, arbitretur. Menochius *lib.* 2. *de Arbitr. caſu* 65. *n.* 7. Molina *de Primog. lib.* 2. *cap.* 16. *n* 46. Covarruv. *pract. cap.* 6. *n.* 3. Riccius *collect.* 1906. Caſtillo *contr. lib.* 3. *cap.* 27. *n.* 6. Rota *in noviſſ.* 2. *p. deciſ.* 40. *n.* 1. & *deciſ.* 202. *num* 3. quare in præſentiarum, ut ſumptibus Eccleſiæ, & gratis Parochus corpus tumulet, arbitrio recti Judicis relinquitur. In hoc Archiepiſcopatu eſt Conſtitutio 4. *de ſepult.* id declarans hiſce verbis: *Y aquellas perſonas declaramos ſer pobres, que ſe huvieren carado principalmente de limoſnas en las enfermedades de que murieron.* Additque optima ratione: *Y mandamos, que ſi alguna perſona, o cabildo, o cofradria diere, ò llegare alguna limoſna, logaſten en Miſſas, y Sacrificios por el tal pobre difuncto, ſin que de ellos ſe paguen los dichos enterramientos.* Nam ut ſuprà diximus, cùm id gratis à Parochis, & ab Eccleſiis faciendum eſt, eleemoſynæ illæ datæ ſunt ad Miſſas, & Sacrificia peragenda, non ad ſolvendas expenſas funeris, & ſepulturæ pauperis defuncti. 9

Cœterùm, eſt etiam qui abſque aliqua expenſarum obligatione defunctum tumulat, & expenſas funerales repetit, veluti Monaſterium, quando Novitius decedit; iſte enim ſi alibi ſepulturam non elegerit, ſi in Monaſterio moritur, ibidem eſt ſepeliendus, ita ut nec quartam proprius illius Parochus percipiat. Ratio enim eſt, nam Novitius quoad favorabilia omnibus privilegiis utitur, prout utuntur Profeſſi; quapropter ibidem eſt ſepeliendus, nec quartam perſolvet, ut fit cum aliis Religioſis. Verùm quia adhuc translatus non eſt, ſi bona habuerit, aut parentem, utique Monaſterium expenſas facere non tenebitur, ſed ex bonis illius ſunt erogandæ, vel à parente. Unde ſi Abbas, aut Prælatus Monaſterii eas expenderit, utique repetet. Rodriguez *Quæſt. Regul. tom.* 2. *quæſt.* 39. *art.* 4. Sanchez *in ſumma, lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 10. Murga *Mor. Quæſt. tract.* 7. *diſquiſit.* 8. §. 10. Medicis *de ſepult.* 2. *par. quæſt.* 2. *num.* 10. Villalobos 2. *part. Summæ, tract* 1. *difficult.* 4. *num. fin.* 10

Quod idem eſt dicendum, ſi Novitius recreationis cauſa domum patris petierit, & ibi moriatur, alibi non electa ſepultura; tunc enim ſimiliter in Monaſterio eſt ſepeliendus, quia ſimiliter utitur privilegiis Regularium, ut ibi funeretur, nec quartam Parochialem præſtet. Samuel *de ſepult. diſput.* 4. *controverſ.* 3. *à concluſ.* 2. Barboſa *de offic. Paroch.* 3. *part. cap.* 25. *num.* 46. Capponi *tom.* 5. *diſcept.* 325. *à num.* 2. quapropter etiam in hoc caſu, ſi Abbas, vel Monaſterium funebres expenſas fecerit, ex bonis Novitii, aut ab ejus parentibus repetet. Rodriguez *dict. art.* 4. Villalobos *dict. num. fin.* Samuel *dict. diſp.* 4. *controv.* 3. *concluſ.* 6. qui excipit, niſi pauper ſit. 11

Eſt tamen magnoperè animadvertendũ, ad repetitionem ha- 12

harum funeralium expensarum, quotiescumque sunt à marito, vel ab Abbate, vel ab aliquo negotiorum gestore erogatæ, quod solùm illæ decentes secundùm qualitatem & divitias personæ defunctæ repetantur, *l. Et si quis* 14. §. *Æquum*, *ff. de Religios. & sumpt. funer.* Et ratio est, nam actio funeraria procedit ex bono, & æquo: quapropter in ea non veniunt, nisi expensæ moderatæ secundùm qualitatem personæ, divitias, & facultates, ut eleganter exprimit Consultus *in dict. l.* 14. §. *Hæc actio*. Immodicæ verò in hanc actionem non veniunt, quin potius debent reduci per Prætorem, habita etiam consideratione, ut majores expensæ debeant fieri in funere Nobilis, quam ignobilis, ut explicant Ludovisius *dict. dec.* 78. *à num.* 15. Bossius *de dot. dict. cap.* 19. *nu.* 71. Medicus *dict. 2. p. quæst.* 2. *n.* 2. & *quæst.* 5. *nu.* 20. qui & *n.* 3. potius esse moderandas, quàm ampliandas, scripsit. Bonacina *de contractibus*, *disp.* 3. *quæst.* 22. *punct.* 6. *propos.* 3. *n.* 5.

13 Quod ita verum est, ut si testator immodicas facere expensas præceperit, magno apparatu, & pompaticè, id non est observandum, quia voluntas irrationabilis est, & declinat ad vanam, & inanem gloriam, quam debet Episcopus compescere, *ex d. cap. Animæ* 35. 13. *quæst.* 2. Amalarius *de Divinis Officiis*, *lib.* 4. *cap.* 41. Fuscus *de Visit. lib.* 1. *cap.* 25. *nu.* 6. Bonacina *dict. nu.* 5. Lavorius *dict. tit.* 2. *cap.* 16. *à n.* 24. qui rectè *num.* 25. scripsit, quod si aliquis Christianus vetet, ne cum Psalmis, aut luminaribus, & absque Clericis sepeliatur, id injuriosum esse defuncto; & nec observandum, sicut nec quando cum Canticis musicis, & magna lætitia funerari præceperit, ut etiam scripsit Bonacina *d. proposit.* 3. *nu.* 5. *ad fin.* Samuel *d. disp.* 4. *controv.* 15. *concl.* 8.

14 Hisque de his personis scriptis, quę non ex propria obligatione expensas funeris facere tenentur, transeamus ad alias, quę eas expentas ex propriis bonis facere obligantur & ad id per Prætorem possunt compelli. Et in primis hæredes defuncti, quī ejus substantiam receperunt, ad hanc obligationem adstringuntur, *l.* 1. *ff. de Relig. & sumpt. funer.* ubi DD. *l. Si quis* 12. §. *Prætor ait*, *ff. eod. tit.* semperq; expensæ istæ ex hæreditate sunt detrahendæ, *leg. Et si quis* 14. §. *Funus*, *ff. de Relig. & sumpt funer.* Medicis *de sepult. 2. p. q.* 3. *n.* 3. Samuel *d. controv.* 15. *concluf.* 5. *n.* 7. Thoro *vot.* 3. *n.* 8. & 21. Iranzo *in Apparatu*, *n.* 4.

15 In praxi tamen receptum est, à testatoribus diffidentibus communiter de hæredibus, aliquem, vel aliquos exequutores nominare, ut suam ultimam voluntatem exequantur, quibus funus, & expensas has facere competit ex hæreditate, postquam officium illud acceptaverint; quapropter in testamentis mandatum recipiunt, ut ex melioribus bonis vendant, ut statim testamentum adimpleatur. De quorum essentia Carpio *de exequut. testam. lib.* 1. *capit.* 1. latè peregit. Iranzo *dict. num.* 4. Molina *de Just. tract.* 2. *disp.* 247. & Nos aliqua diximus *lib.* 1 *cap.* 11. *à n.* 56. & *cap.* 12. *à num.* 11.

16 Est tamen dubium, an exequutores nominati in testamento possint à Judice compelli, ut mandatum acceptent: Et Placentino placuit dicere, hanc difficultatem nescire, quia à nullo jure est decisa, ut refert Carpio *lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 1.

17 Prima sententia asserit, in foro exteriori exequutorem aut exequutores testamenti à Judice compelli non posse, verùm in foro interiori graviter peccare non acceptantes absque aliqua causa. Ducitur hæc sententia ex Glossa *in cap. Sicut.* 11. *quæst.* 1. *verbo Vsum*, asserente non acceptantem arbitrium absque causa, graviter peccare, nam potest litigantes absque incommodo ad concordiam redigere. Imò idem asserit Sà *in cap. Pastoralis*, *de offic. delegat in principio*, Felinus *ibi n.* 6. Ergo similiter dicendum est in specie majori ratione; nam interest animæ illius maximum bonum, ne in Purgatorio detineatur, & crucietur, sed breviter ad cœlum evolet: quod omittere; contra charitatem est. Tenet Spino *in specul. testam gloss.* 28. *n.* 18.

18 Secunda sententia asserit, non omnes exequutores nominatos in testamento compelli posse, sed tantùm consanguineos, vel parentes, & qui sanguinis vinculo connectuntur. Est ad id textus *in l.* 1. §. *Quamvis*, *ff. ubi pupill. educar. debeat.* Ubi asserit Consultus, quod licèt ad educationem pupilli nullus cogi à Judice possit: affirmat tamen libertum parentem, vel quoslibet alios ex affinibus, cognatisve cogi posse: Ergo similiter dicendum est in specie. Ratione probatur, nam cùm ipsi sanguinis vinculo connectantur, id facere debent ad exemplum temporalium necessitatum, quibus consanguinei succurrere tenentur. Ergo cùm hoc facere debeant, rectè à Prætore possunt cogi, ut acceptent officium exequutorum. Tenent Hippolytus, & Cremensis, quos sequitur Padilla *in l.* 1. *ff. de legat.* 2. *n.* 30. Jacobus à Canibus *de exequut. testam. part.* 1. *n.* 64.

Tertia sententia asserit, regulariter loquendo, exequu- 19
tores testamentorum minimè esse compellendos ad acceptandum; si verò acceptaverint, tunc ad implendum testamentum compelli posse, *l. Si quis* 12. §. *Funus*, *ff. de Relig. & sumpt. funer. c. Joannes* 19. *de testam.* ibi: *Post mandatum susceptum*, *cap. fin.* §. *Sanè*, *eod. tit. in* 9. ibi: *Aut exequi fortè nolente*, *l.* 6. & 4. *tit.* 10. *part.* 6. *l.* 12. *tit.* 5 *lib.* 3. *For. l.* 38. *Tauri*, *l.* 12. *lit.* 4. *lib.* 4. *Recopilat.* Ratio est, nam mandatum susscipere nemo compellitur; susceptum præcisè cogitur adimplere, *l Incommodato* 17. §. *Sicut*, *ff. commodat. l. Si mandavero* 22. §. *Julianus*, *ff. eod.* Ergo nec mandatum exequutionis testamenti, prout nec arbitrium, quod nisi susceptum non tenetur adimplere, *leg.* 3. §. *Tametsi*, *ff. de recept. arbitr.* Cæterùm alia ratione probatur, quia munus hoc privatum est, & authoritate, & utilitate; unde nullus cogetur ad illud acceptandum, licèt post susceptionem possit cogi ad adimplendum, ut patet in Curatore bonis dando, ut textus est elegans *in l.* 2. §. *Quæritur*, *ff. de curat. bon. dand.* Tenent hanc sententiam Tiraquellus *de Privileg. caus. piar. privileg.* 87. *in principio*, Mathienzo *in l.* 7. *tit.* 4. *lib.* 5. *gloss.* 6. *à n.* 1. Guttierrez *de tut.* 3. *par. cap.* 45. *n.* 13. Bobabilla *in Polit. lib.* 1. *c.* 15. *n.* 45. Molina *de Justitia*, *tract* 2. *disput.* 248. *n.* 3. & 4. Diana 8. *part. tract.* 5 *resolut.* 27. Carpio *dict. lib.* 1. *cap.* 17. *à n.* 2.

In hoc dubio animadvertendum, exequutores istos à te- 20
statoribus nominari ad duo adimplenda. Primò ad exequendas voluntates pias, pertinentes ad funeris impensas, Missas dicendas, & ad legata pia exequenda. Tum secundò ad alia profana; quoad verò ista profana, dico admittendam hanc tertiam sententiam in utroque foro: & ratio est, quia respectu horum, munus illud propriè voluntarium est in utroque foro, ut patet: Ergo nec Judex poterit exequutores compellere, nec in animæ judicio aliquo peccato coinquinabuntur. Cæterùm, nam licèt ipsi non acceptent, tamen hæres adimplere tenetur, ut dicemus infrà. Ergo nullum damnum sequitur testatoris, unde charitas lædatur. Ergo non acceptantes, nec à Judice cogi poterunt, nec aliquo modo peccabunt in animæ judicio. Carpio *d. c.* 17. *n.* 61. Sanchez *in consiliis tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 1. *dub.* 42. *n.* 4. & 5. Delugo *de just. tom.* 2. *disp.* 24. *sect.* 16. *n.* 329. Diana *d. tr.* 5. *n.* 28. qui cum Delugo rectè limitat, nisi ex non acceptione graviter proximus læderetur, & ipse munus illud absque aliquo incommodo exercere potuerit.

Idem asserendum, etiamsi Exequutores nominati sint 21
consanguinei: nam etiam respectu eorum est munus privatum, & consequenter voluntarium, quapropter nequeunt cogi ad acceptandum. Nec urget argumentum adductum à paritate educationis pupilli, quia officium illud est necessarium, idcircò quoties judicanti videbitur convenire, ibidem potest educatorem cogere, *l.* 1. *C. ubi Pupillus educari debeat.* ibi: *Sin autem æstimaverit apud quem educari debeat*, *is necessitatem habebit hoc facere*, *quod Præses jusserit*. Tenet Carpio *dict. cap.* 17. *nu.* 17. Sanchez *d. dub.* 42. *num.* 9.

Quando verò ad aliam partem fuerit exequutor datus, 22
nempe ad exequendas funeris expensas, & alia legata pia, respectu istorum major est difficultas; nam aliqui Doctorum asservere, posse compelli ad acceptandum, *l.* 1. *C. Qui pro sua juri sdict.* Tum etiam, quia adimplementum harum funeralium expensarum, & ut defuncti tumulentur, causa poblica est, ut diximus supra. Ripa *de Peste*, *num.* 131. Medicis *de sepult. 2. part. quæst.* 1. *n.* 2. Tum etiam alia legata pia, cùm ad Religionem pertineant, sunt ipsius causæ publicæ, *l.* 1. *ff. de just.* Ergo exequutores nominati respectu expensarum funeralium, & aliorum legatorum piorum, poterunt compelli, ut tale munus acceptent, prout alia officia ad utilitatem publicam concernentia, *l. fin.* §. *Judicandi*, *ff. de Mun. & Honorib.* Tenent Bart. *in l.* 1. *ff. de legat.* 2. *n.* 7. *ad fin.* Baldus *ibid. col.* 7. *vers. Si verò est*. Tiraquellus *de caus. piis*, *privileg.* 87.

23 Sedadhuc in hac ſpecie contrarium eſt tenendum, ſcilicet nec reſpectu harum expenſarum funeralium, nec alicujus legati pii, aut piæ diſpoſitionis exequutorem poſſe à judice compelli ad acceptandum munus, ſed tantùm poſt acceptatum ad illud adimp endum, *cap. Joannes* 19. & *c. fin. de teſt.* nam ut dictum eſt, munus hoc eſt privatum, etiam reſpectu cauſarum piarum, & funeralium; unde nequit exequutor compelli. Nam fundamenta contraria alicujus ſunt ponderis; nam textus *in d. l.* 1. *C. Qui pro ſuâ juriſdict.* loquitur in officio publico, in quo utilitas publica verſatur, & ideò nominatus, ſeu electus, valet compelli ad acceptandum. Ad fundamentum rationis reſpondetur, quod licèt in ipſa cauſa funeris, aut alicujus diſpoſitionis piæ verſetur utilitas publica, non tamen in ipſo officio exequutoris, cùm facilè poſſit hoc ipſum expediri per hæredem, aut per Epiſcopum, ſi hæredes non ſint, quapropter officium hoc ſemper remanet privatum, ne quis compellatur. Covarruv. *in dict. c. Joannes*, *n.* 3. Guttierrez *d. c.* 45. *n.* 13. Molina *de Juſtit. tractat.* 2. *diſp.* 248. *n.* 3. Carpio *d. lib.* 1. *cap.* 17. *à num.* 10.

24 Eſt tamen id temperandum, ſi non reperitur alius, qui hanc cauſam piam teſtamentariam ad effectum perducere poſſit: tunc enim ex hac urgentia neceſſitatis poterit exequutor compelli ad acceptandum, ſicut in Procuratore eſt deciſum *in l. Sed hæc* 13. *ff. de Procurat.* ubi licèt privatum ſit officium, ſit tamen neceſſitas urgeat, poterit à Judice compelli ad acceptandum mandatum: & ita in curatore bonis dando, *in l.* 2. §. *Quæritur*, *ff. de curat. bon dan.* ibi: *Voluntarius itaque quærendus eſt, niſi ex magna neceſſitate.* Quę quidem neceſſitas urget quando non eſt alius, qui piam diſpoſitionem, & expenſas funebres non poſſit ad exequutionem adducere, ut eleganter differit Sarmento *in d. leg.* 1. *ff. de legat.* 2. *n.* 12. Carpio *d. c.* 17. *nu.* 14. Sanchez *dict. dub.* 42. *nu.* 17. qui rectè animadvertunt in ſpecie iſta, quod ſit exequutor ſæcularis fuerit, à judice ſæculari eſſe compellendum, & ſi Eccleſiaſticus, à Judice Eccleſiaſtico: nam licet Epiſcopus poſſit compellere exequutorem, ideſt quando jam acceptavit, non tamen antea, quia ejus juriſdictioni ſæcularis non ſubeſt. Semper tamen curandum eſt, ſive à Judice Eccleſiaſtico, ſive ſæculari, in præſenti ſpicie, ut cauſa iſta ſit manifeſta, itaut urgenti damno aliter obviam iri non poſſit, in quo & utilitas, & pietas verſetur, ut benè docet Sanchez *dict. n.* 17. *in fin.*

25 Tum etiam aſſertum ſupra relatum non eſt admittendum quando Religioſus fuerit exequutor nominatus; tunc enim abſque aliqua cauſa poterit compelli à ſuo Prælato: nam tenetur illi præſtare obedientiam ſtrictiori vinculo. Covar. *dict. cap. Joannes*, *n.* 3. Vaſquez *in opuſcul. de teſtament. cap.* 9. §. 3. *dubio* 2. *n.* 79. Sanchez *dict. dub.* 42. *nu.* 15. & *lib.* 6. *Summæ*, *cap.* 11. *n.* 13. Diana 8. *par. tract.* 5. *reſ.* 28. *in fin.*

26 Rurſus, exequutores iſti poſſunt compelli ad munus ſuum exequendum, quando expreſsè, aut tacitè illud acceptaverint. Acceptant enim expreſsè, quando expreſsè agnoſcunt officium, vel ſi Teſtatori promiſerint ſe illius voluntatem exequutores, *l. Ex ſententia* 29. *ff. de teſtam. tut. leg.* 3. §. *Tametſi*, *ff. de recept. arbitr.* Tacitè verò, quando aliquis exequutor agit, ex quo infertur acceptaſſe officium, quibus in caſibus nequit poſtea officio renunciare, ſed erit compellendus adimplere. Carpio *dict. capit.* 17. *à num.* 20. Spino *dict. gloſſ.* 18. *numer.* 18. Cardinalis *in Clement. unica de Teſtament. quæſt.* 4. Sanchez *dict. dub.* 42. *num.* 5.

27 Verùm qui caſus iſti ſunt, quando exequutor tacitè acceptare videtur? Aſſignant DD. aliquos. Primus eſt, quando litteras receperit, quibus ſibi officium deſerebatur. Quod quidem ita intelligendum, ſi ſciebat litteras illas munus illud continere de Procuratore, *ut in Clement.* 1. *de Procurat.* Secundus eſt quando aliquid fecit pertinens ad officium exequutoris, veluti ſi legatum ſolvit, vel alicui creditori ſatisfecerit: nam acceptaſſe videtur ex eo quod officium exercere cœpiſſet. Tertiò inducitur tacita acceptatio, quando acceptavit legatum, cui erat injunctum onus exequutoris, ſi hoc ſcienter fecerit, ſecus ſi ignoraverit. Mathienzo *in dict. leg.* 7. *tit.* 4. *lib. quinto gloſſ.* 6. *n.* 31. Pacianus *de Probat. lib.* 1. *cap.* 29. *à num.* 24. Guttierrez *dict. cap.* 25. *à num.* 14. Carpio *dict. cap.* 17. *à n.* 33. Sanchez *d. dub.* 43. *n.* 6.

Quartus adducitur ab aliquibus Doctoribus, nempè 28
ſi exequutor ipſe eſt pręſens, quando à teſtatore deſignatur, & tacet, nec tamen contradicit. Ratio eſt, nam tunc ex eo quod tacet, deciperetur ex ejus taciturnitate teſtator, quia ipſa effeciſſet, ut alium exequutorem non nominaſſet, ut benè adimpleretur teſtamentum. Ita tenet Peralta *in l.* 1. *ff. legat.* 2. *num.* 61. Verùm hæc doctrina communiter, abſolutè loquendo, reiicitur; nam taciturnitas quando affert incommodum, & onus tacenti, minimè præſtat conſenſum, & acceptationem, ut latè per Maſcardum *de Probat.* 417. *n.* 16. Hanc ob rem in præſentiarum minimè poteſt inducere acceptationem, ſicut nec compromiſſum, & licèt futurus arbiter ſit præſens dum illud conficitur, tamen arbitrium acceptaſſe videtur. Mathienzo *in l.* 14. *tit.* 4. *lib.* 5. *gloſſ.* 1. *n.* 30. Cevallos *comm. quæſt.* 202. *n.* 9. Covarr. *in d. c. Joannes*, *n.* 4. Molina *d. diſput.* 148. *nu.* 3. Sanchez *dict. dub.* 42. *n.* 8. Diana *d. tract.* 5. *nu.* 27. *verſ. Nota tamen*, Carpio *dict. cap.* 17. *n* 22. Qui quidem limitant, niſi exequutor fuiſſet conſanguineus, aut valdè familiaris, nam hæ conjecturæ junctæ cum taciturnitate, acceptationem inducunt. Pacianus ubi ſupra, *n.* 22. Guttierrez *d. c.* 45. *n.* 14. *verſ. Niſi fuerit conjunctus.*

Sed tamen in hac ſpecie, licèt abſolutè exequutor nomi- 29
netur, adhuc credo compellendum eſſe, ut adimpleat funus teſtatoris, & alia legata pia pertinentia ad bonum animæ defuncti. Ratio eſt, nam non eſt permittendum, ut in re tam gravi deceptus remaneret teſtator, qui ſuam animam exequutoris providentiæ credidit, electa induſtria perſonę. Carpio *lib.* 3. *c.* 7. *n.* 3. Tum etiam, nam quando exequutor eſt præſens, & tacens in deſignatione ad faciendum aliquod opus pium, tunc favore cauſæ piæ præſumitur conſenſiſſe, & feciſſe acceptationem, veluti pro conſtruendo Monaſterio, redimendis captivis pauperibus, pro ſuffragiis pro mortuis agendis, vel pro alia qualibet pia cauſa. Diana *d. reſ.* 27. *verſ. Limita* 2. Sanchez *dict. dub.* 42. *n.* 8. Carpio *d. cap.* 17. *nu.* 27. Ergo ſimiliter in hac ſpecie dicendum eſt acceptaſſe illud officium reſpectu expenſarum funeris, & aliorum legatorum, aut diſpoſitionum piarum. Denique, quia licèt taciturnitas, quando aliquod onus, aut incommodum ſequitur, non inducat conſenſum; aſt id intelligendum quando eſt grave incommodum, vel onus *l. Sabinus*, *ff. commun. divid. l. Tuberonis*, §. *Sunt quidam*, *ff. de Peculio*, Menochius *de Præſumpt. lib.* 6. *præſumpt.* 99. In his cauſis piis, veluti in funerando defuncto, vel in alia cauſa pia exequenda, nullum grave incommodum, vel onus conſideratur, cùm id fiat ob bonum animæ ipſius exequutoris, qui piè, & ſanctè in tam bono opere ſeſe exercet. Ergo ſemper eſt pręſumendum ex eo ſolùm, quod tacuit. & non contradixit, voluiſſe conſentire, *l. Fidejuſſor*, §. *Prætor*, *ff. de Pignor. c.* 2. *de his*, *quæ fiunt à major. part. capit.*

Sed dices: Officium exequutoris eſt individuum, ſicut 30
actus teſtandi: quapropter ſicut non intelligitur conſenſiſſe ad profana ex ſola præſentia, ſimiliter nec ad diſpoſitiones pias: Ergo ex ſola præſentia & taciturnitate, nec reſpectu funeris, aut alterius pii legati, poterit ad acceptandum compelli. Sed reſpondetur negando ſuppoſitum; officium enim exequutoris non eſt individuum, nam quotidiè videmus plures nominari non ſolùm in ſolidum, ſed ut omnes pariter procedant, aut per partes exequutionis: quo in caſu ſi alii renuerint, aut longius exiſtant alii, aut unus procedit, ut latè explicant textus *in cap. Religioſus* 2. §. *ultim. de teſt. in* 6. Molina *dict. diſp.* 248. Sanchez *dict. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 44. Cardinalis de Lugo *de Juſtit. tom.* 2. *diſput.* 24. *ſect.* 16. *n.* 331. Carpio *de exequut. teſtam. lib.* 3. *cap.* 2. *per tot.* Et ſi aliqui officium non agnoverint, aut decedant, pars iſtorum aliis accreſcit: Diana 8. *part. tract.* 5. *reſolut.* 29. *verſ. Declaratur dicta concluſio.* Carpio *lib.* 4. *cap.* 1. *à num.* 2. Mantica *de tacit. lib.* 7. *tit.* 20. *à n.* 1. Ergo officium hoc exequutionis individuum non eſt: quapropter ſi exequutor tempore deſignationis ſit præſens, & tacens, quoad pia, & funeris exequutionem acceptare videtur, licèt non quoad profana.

Prorſus reſpondendum, quod licèt officium hoc fuiſſet 31
individuum, adhuc reſolutio iſta admittenda eſt; nam licèt actus individuus nequeat eſſe pro parte, & pro parte non, ſicut actus teſtandi: quia nequit quis mori pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus, *l. Jus noſtrum* 7. *ff. de Reg. jur. l. Hac conſultiſſima* 21. *C. de teſtam.* Pichard. §. *Hæreditas*

tas 8. *Inſt. de hæred. inſtit. à num.* 16. Attamen favore cauſæ piæ dividuus eſt; in his enim cauſis non inſpicitur juris ſubtilitas, ſed tantùm jus naturale, in quo non implicat, quod quis moriatur pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus, ut in milite, *l. Miles* 6. *l. Miles itaque* 41. *ff. de teſtament. milit.* Quapropter in cauſis piis teſtatio, & inteſtatio admittitur. Tiraquellus *privileg.* 13. Medicis *opuſcul.* 4. *n.* 60. *verſ.* 7.

32 Ergo ſimiliter dicendum eſt in noſtra ſpecie, ut licet officium exequtoris, fuiſſet individuum, tamen favore pietatis, tam in funerando, quàm in adimplendis legatis piis eſt individuum; quapropter ſi præſens, & tacens fuerit, quando deſignatur in teſtamento, pro parte acceptaſſe videtur, ratione funeris, & legatorum piorum, licèt non profanorum.

33 Si verò exequutores teſtamentarii officium non agnoverint, vel teſtator illos non nominaverit, hæredes (ut dictum eſt ſupra) has funeris expenſas erogare tenentur, & adimplere teſtamentum; non verò exequutio iſta ad Epiſcopum pertinebit, niſi data negligentia hæredum, ut eſt textus *in cap. Nos quidem* 3. *de teſtament. l.* 7. *tit.* 10 *p.* 6. Carpio *de exequut. teſtam. lib.* 1. *cap.* 22. *à num.* 6. & diximus ſuprà, *lib.* 1. *cap.* 12. *nu.* 15. Quamobrem pro rata portionum contribuere tenentur. Verùm ſi aliquis eorum expenſas iſtas expenderit, ab aliis pro rata repetet, utpote obligatis pro portione ad has expenſas fundendas, ut diximus *capit. antecedenti, num.* 47.

34 Pater tenetur has expenſas funebres pro filiis tumulandis erogare, ſicut & dominus pro ſervis; quapropter adversùs patrem datur actio funeraria pro dignitate, & facultatibus, *l. In patrem* 21 *l. Quod ſi nulla* 28. *l. Si filius* 31. *ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* obligatur etiam ad funeris impenſam Patronus, qui bonorum poſſeſſionem petit contra tabulas, *l. Funeris* 15. *ff. eod. tit.* Illud verò cum Ulpiano *in dict. leg.* 31. *ff. de Relig. & ſumpt. funer.* prætereundum non eſt, ut ſi filius familias caſtrenſe peculium habuerit ad funeris expenſas, ſucceſſorem teneri, utpote hæredem illius, nec niſi in ſubſidium pater tenebitur. Idque, nam ex Caſtrenſi peculio teſtati poterit de jure communi, *ſ. Illis, verſ. Teſtari, Inſt. de teſtam. milit. l. penul. Cod. qui teſtam facere poſſunt, l.* 13. *tit.* 1. *p.* 6. De jure noſtro Regio id extendendum ad alia quælibet bona, non ſolùm caſtrenſia, vel quaſi, ſed etiam ad alia, quorum uſusfructus patri quæritur; ex his enim filius familias teſtamentum condit, & duabus partibus parentibus relictis, de tertio diſponit pro expenſis funeris, & aliis, prout ſibi placuerit, ut ſunt Jura *in l.* 5. *& 6. Tauri, l.* 4. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopil. l.* 1. *tit.* 8. *Recop.* Guttier. *Pract. lib.* 2. *à q.* 95. Mieres *de Majorat.* 1. *p. q.* 33. *n.* 3. quapropter in hac hypotheſi adversùs patrem non dabitur actio funeraria, ſed adversùs illum, qui tertiam partem bonorum filii perceperit, de qua potuit ad libitum teſtari; alias tamen, quando nulla bona habuerit filius familias, pater ad expenſas iſtas tenebitur, & adversùs eum dabitur actio funeraria, Medicis *de ſepult.* 2. *p. q* 3. *n.* 4. & 5. Samuel *d. diſput.* 4. *controv.* 15. *concluſ.* 3. Lavor. *d. tit.* 2. *c.* 16. *n.* 29. Villalobos *d. difficult.* 4. *n.* 1.

35 Maritus ad expenſas funeris tenebitur, ſi uxor pauper fuerit, nec patrem habeat, ut diximus ſupra. Aſt verò ſi dotem habuerit, aut alia bona, refundere tenetur hæres illius, qui in bonis ſucceſſerit, non autem maritus; ſi verò dotem, & alia bona paraphernalia habuerit, & uni dotem, & alii bona reliquerit, pro rata, & portione bonorum ad expenſas funeris unuſquiſque tenebitur. Unde ſi in dote fuerint centum, & in bonis ducenta, unam partem præſtabit ei, cui dos relicta; duas verò ei, cui alia bona, nec maritus ex ſuis bonis aliquid ad funus præſtare cogetur, *l. Celſus* 20. *l. Veluti* 21. *ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* Ratio eſt, nam maritus non tenebitur ad onera matrimonii, niſi matrimonio durante; cùm ergo per mortem diſſolvatur, *c. fin. de ſecund. nupt.* & latè dixi ſuprà, non tenebitur ad funerandam mulierem, ſed illius expenſis faciendum eſt. Medicis *d. quæſt.* 3. *n* 2. Samuel *d. controveſ.* 15. *concluſ.* 4. Villabolos *d. difficult.* 4. *num.* 1. Garcia *de expenſis, cap.* 8. *nu.* 41. Vivius *deciſ.* 197. *nu.* 19. Cancerius *var. reſolut.* 2. *par. cap.* 7. *nu.* 39. *in fin.* Bonacina *dict. punct.* 6. *propoſ.* 2. *num.* 1. *verſ.* 1.

36 Si verò ſolùm dotem habuerit, nec alia bona, tunc adversùs eum, qui lucratur dotem, dabitur actio funeraria, *l. In eum* 16. *ff. de Relig. & ſumpt. funer.* Nam ut ſcripſit ibidem Conſultus: *Æquiſſimum viſum eſt veteribus, mulieres quaſi de patrimoniis ſuis, ita de dotibus funerari: & eum qui morte mulieris dotem lucratur, in funus conferre debere, ſive pater mulieris ſit, ſive extraneus.* Cæterùm alia ratione probatur, nam funeris impenſas æs alienum cenſetur, *leg. Impenſa* 8. *ff. de Relig. & ſump. funer.* quapropter dos ipſa æs alienum ſentire tenetur, *l. Ideo* 19. *ff. eod.* Garzia *d. c.* 8. *n.* 42. Medicis 2. *par. q.* 5. *n.* 42. Valaſco *de Part. c.* 19. *n.* 52.

Illud verò animadvertendum eſt, doctrinas ſupra tradi- 37
tas intelligendas eſſe quando dos eſt reſtituta; tunc enim adverſus illam habentem dabitur funeraria actio: ſi verò adhuc ſit apud maritum, ipſe convenietur. *l. Sed etſi* 17. *ff. de Relig. & ſumpt. funer.* Ratio eſt, nam actio iſta directè intenditur adverſus eum, apud quem dos remanet, licèt poſteà in reſtitutione funeris ſumptus recuperabit, computando impenſas in ipſa reſtitutione; & id juſtiſſimè decretum, ne aliquo modo funus impediatur, aut detineatur, quando tantùm Reipublicæ intereſt, ut humentur: idcircò adverſus eum, in quo dos reſidet, actio funeraria conceditur, licèt poſtea reſtituenda. Unde nec aliquo modo maritus excuſabitur ex eo quòd non adveniat legale tempus reſtituendi dotem; ad funeris autem expenſas ſimilis dilatio admittenda non eſt Medicis *dict. quæſt.* 5. *numero* 45. Garcia *dict. cap.* 8. *numer.* 42. Samuel *dict. controverſ.* 15. *concluſ.* 4. Cancerius *dict.* 2. *par. cap.* 7. *numero* 39. Vivius *dict. deciſ.* 197. *numer.* 19. Boſſius *de dot. cap.* 19. *numero* 67. Quapropter ſi perſona, cui dos eſt reſtituenda, expenſas iſtas impenderit, ſtatum à Marito repetit, nec tenetur ſperare annum dilationis, *ex l.* 1. §. *Exactio, Cod. de rei uxor. act.* hæ enim expenſæ ſtatim ſunt detrahendæ: quapropter ſi aliquis eas præſtiterit, ſtatim repetet, *leg. Si filio, ff. ſolut. matr.* ubi Bart. Medicis *dict. quæſt.* 5. *numer.* 46. Cancerius *dict. num.* 39. *in fin.*

Sed dices cum Bart. *in l. Qui erat hæres* 49. *ff. Famil. er-* 38
ciſ. nu. 2. ſucceſſorem in hæreditate, vel in dote compelli poſſe Judicis officio ad teſtatorem ſepeliendum: Ergo actio iſta nequit dirigi adverſus maritum, dote adhuc non reſtituta. Sed tamen doctrina Bartoli admittenda non eſt in noſtra ſpecie, nec quando hæreditas, vel fideicommiſſum eſt reſtituendum. actio enim funeraria dirigenda eſt adverſus bona tenentem, ut benè explicat Garcia *dict. c.* 8. *nu.* 44. Nec aliud probat textus *in dict. l. Qui erat hæres* 49. nam qui compulſus eſt à Judice, ut teſtatorem ſepeliret, habebat in ſua poteſtate bona teſtatoris, quapropter Judicis officio fuit compulſus, ut expenſas ſepulturæ faceret: Ergo in noſtra ſpecie maritus adhuc retinens dotem ſuæ uxoris alteri reſtituendam, tenetur expenſas funeris facere, & ad id compelli poterit, ne ex aliqua excuſatione liberabitur.

Eſt tamen dubium grave, an maritus in reſtitutione do- 39
tis poſſit retinere, non ſolùm expenſas funeris, verùm etiam infirmitatis uxoris, quia ejuſdem naturæ cenſentur? Huic difficultati anſam præbuit textus *in l. Quod in uxorem* 13. *Cod. de negot. geſt.* ibi: *Quod in uxorem tuam ægram erogaſti, non à Socero repetere, ſed affectioni ſuæ debes expendere.* Ex quibus verbis plures Doctores deduxere, expenſas iſtas non deberi, niſi per proteſtationem conſtaſſet, illas maritum feciſſe animo repetendi, alias ſemper repetere non poſſe. Et ratio eſt, nam maritus tenetur mulierem propriam alere, tum infirmam curare ex fructibus ſuę dotis, quare expenſas iſtas neutiquam poterit repetere. Tum etiam, quia ſi fructus non ſufficiant, ex affectione donaſſe videtur, ut aſſerit textus *in dict. l. Quod in uxorem*, Ergo poſtea à ſocero, vel ab alio dotem accipiente non repetet, *ut in dicta lege* tenent Alex. Baldus, & alii. Socinus junior, *lib.* 3. *conſ.* 4 *n.* 4. Ozaſcus *dec.* 132. *n.* 17. Menochius *lib* 3. *præſ.* 33. *n.* 7. Maſchardus *de Probat. concluſ.* 77. *n.* 2. Peguera *dec.* 163. *n.* 5. *in fin.*

Alteri verò tenent, etiamſi maritus non proteſtetur, 40
repetere poſſe, aut in ſolutione dotis compenſare; ratio enim eſt, quia expenſæ funeris factæ in infirmitate uxoris, prout expenſæ funeris exiſtimantur, & eodem privilegio fruuntur. Baldus *in leg. Reſtituenda, Cod. de petit. hæredit. in fin.* Gratianus *tom.* 1. *c.* 94. *num.* 14. Lavor. *dict. cap.* 16. *nu.* 12. Ergo ſicut maritus abſque aliqua proteſtatione repetit funeris expenſas, vel compenſat: ſimiliter factas in infirmitate mulieris aut repetet, aut compenſabit. Cæ-

terùm, nam quando maritus eſt debitor dotis, neque ſumi conjectura, feciſſe animo donandi, ſed compenſandi, aut repetendi pro propria obligatione, ut in alimentis tenet Boſſius *de Aliment. cap.* 16. *nu.* 520. *in fin.* Ergo in præſentiarum abſque aliqua præmiſſa proteſtatione maritus aut compenſabit, aut repetet expenſas factas in infirmitate mulieris. Ruinus *volum.* 1. *conſ.* 123. *à nu.* 1. *& volum.* 4. *conſ.* 145. *nu.* 3. Cephalus *conſ.* 85. *nu.* 1. Lara *in l. Si quis à liberis*, *§. Si mater*, *ff. de lib. agnoſcend. num.* 35. Surdus *de Aliment. tit.* 6. *quæſt.* 8. *nu.* 93. *& quæſt.* 12. *à n.* 20. Cancerius 1. *p. var. cap.* 16. *n.* 31.

41 In hoc dubio præmittenda eſt natura infirmitatis, & ejus duratio. Si enim infirmitas ejus eſt naturę, ut mulierem non impediat ab obſequiis viri, & ad curam domus impendendam, tunc maritus expenſas illas non poterit compenſare, nec aliquo modo repetere. Ratio eſt, nam quando mulier curam præſtiterit, tenetur maritus illam alere, & curare, ob meritum ſervitii, etiamſi proteſtatus fuerit, ut tenet Bart. *in d. l. Quod in uxorem* 13. *Cod. de negot. geſt.* Iranzo *de Proteſtat. cap.* 18. *n.* 2. Aſt verò, ſi infirmitas ſit illius naturæ, ut prohibeat à ſervitio, & obſequiis marito præſtandis, verumtamen fuit brevis, & impenſæ modicæ ſunt, tunc maritus nec compenſabit, nec repetet; quia præſumitur modicas expenſas feciſſe, non animo repetendi, ſed ob affectionem, ut cum pluribus tenet Fontanella *de Pact. nupt. clauſ.* 6. *gloſſ.* 2. *p.* 5. *n* 15. Boſſius *de dot. cap.* 19. *num.* 63.

42 Si verò infirmitas gravis fuiſſet, & per multum temporis duraverit, itaut nec mulier aliquid de domo curare potuerit, & plurimas expenſas fecerit; tunc magnoperè conſiderandum, an expenſæ iſtæ exceſſerint doctis fructus necne? Si enim non excedant, nec maritus compenſabit, nec repetet, etiamſi proteſtetur; nam cùm maritus teneatur ex dotis fructibus mulierem alimentare, & curare, *l. Si cùm dotem* 22. *§. Sin autem in ſæviſſimo*, *ff. ſolut. matrim. l. Cùm unus* 10. *in princip. ff. de Aliment. legat. l. Jus alimentorum* 3. *§. Modum*, *ff. ubi pupill. educar.* Bart. *in dict. §. Sin autem*, *nu.* 5 Surdus *de aliment. tit.* 1. *quæſt.* 33. *n.* 27. unde eſt, ut ſi dotis fructus ſufficiant ad alendam, & curandam mulierem, nequeat expenſas iſtas compenſare, aut repetere. Menochius *lib.* 3. *præſumpt.* 33. *n.* 7. Fontanella *dict. 5. part. nu.* 5. Peguera *dict. deciſ.* 167. *n.* 3. Thomas Actius *de legali infirmitate*, *cap.* 48. *n.* 15. Iranzo *d. cap.* 18. *num.* 4. qui *num.* 7. addit, nec repetere, aut compenſare poſſe etiamſi fecerit proteſtationem, quia proteſtatio nihil operatur contra juris obligationem. Tenet etiam Boſſius *dict. cap.* 19. *num.* 63.

43 Idem eſt dicendum, quando culpa viri mulier in aliquam gravem inciderit infirmitatem, utputa quia maritus eam morbo Gallico infecerit, tunc enim in dotis reſtitutione nequit expenſas iſtas compenſare, aut repetere, nam ipſe debet pati damnum quod dedit, §. 1. *Inſt. de obligat. l. Sed ſi damnum* 9. *ff. de pecul. &* ſibi ipſi imputet damnum illud, *l. damnum*, *ff. de Regul. jur.* Unde nec compenſabit, nec repert. Peguera *d. dec.* 167. *n.* 7. Franciſcus Leo *Valent. dec.* 41. Fontanella *d. p.* 5. *n.* 17. Iranzo *d. cap.* 18. *n.* 12. Boſſius *d. c.* 19. *num.* 63. *in fine*.

44 Erit ergo quæſtio quando mulier dotem parvam ad matrimonium attulerit, & ad expenſas infirmitatis fructus deficiant, an neceſſarium ſit recurrere ad illius capitale vel quando nullam dotem maritus ſuſcepit, habetque mulier patrem unde poſſit ab eo has expenſas ſuſcipere. In qua difficultate adſunt duæ ſententię relatæ num. 39. & 40. Verùm aſſerendum eſt, expenſas iſtas immodicas, excedentes dotis fructus, deducendas eſſe de ipſa dote, etiamſi maritus non proteſtetur, ex illo ſolido fundamento, quod debitor minimè præſumatur donare, ſed ſolvere, pro obligatione. Hanc ob rem etiamſi non proteſtetur, expenſas iſtas aut compenſabit, aut repetet ab eo, qui dotem ſuſceperit. Garcia *d. cap.* 8. *nu* 44. Iranzo *d. cap.* 18. *n.* 7. Boſſius *cap.* 19. *n.* 65.

45 Majus erit dubium quando maritus indotatam uxorem receperit, verùm habuerit patrem obligatum ad illam curandam, & alendam, aut ſi expenſæ exceſſerint capitale dotis, & in hoc caſu Iranzo *d. cap.* 18. *nu.* 9. Ant. Theſaurus *quæſt.* 52. & Peguera *dec.* 169. aſſeruerunt, proteſtationem eſſe neceſſariam, alias ſemper intelligetur ex affectione expenſas illas feciſſe maritum. Et ratio eſt, quia ex eo quod maritus non fuerit proteſtatus, cùm poſſet, videtur ex affectione maritali feciſſe, ut deciſum eſt *in dict. l. Quod in uxorem*, *C. de Negot geſt.*

Sed textus iſte aſſumptum integrè non probat, quia poteſt intelligi de modicis expenſis, erogatis in infirmitate mulieris, in quibus facilè præſumitur, fuiſſe factas ex affectione: vel quando aliqua obſequia, & curam domus præſtiterit mulier. Idcircò in præſentia dicendum, maritum in facienda proteſtatione optimè agere, & non quomodolibet, ſed in principio infirmitatis; quia ſi eam fecerit ex intervallo, & poſt actum perfectum, & conſummatum, nihil operatur, quia tunc jus uxoris eſt quæſitum in quantum ad ſumptus jam erogatos. Gomez *in l.* 26. *Tauri*, *n.* 27. Surdus *de Aliment. tit.* 6. *q.* 8. *n.* 67. Cancerius *p.* 2. *var. c.* 16. *n.* 29. licèt deſerviat ad expenſas futuras. Coſta *de re integra*, *diſt.* 62. *n.* 8. Iranzo *ubi proximè*, *n.* 15. Aut ſaltem faciet annotationem, vel deſcriptionem expenſarum, quia talis diligentia habet vim proteſtationis. Cancerius *d. c.* 16. *n.* 27. Leo *d. dec.* 41. *nu.* 2. Fontanella *d par.* 5. *nu.* 9. *&* 10. Iranzo *dict. n.* 15. *in fin.* Barboſa *in l.* 11. *C. de Negot. geſt. num.* 12. Al às ſi non fecerit, in gravem quæſtionem perveniet, & relinquetur arbitrio judicantis, ut diximus ſupra num. 6. 46

Quid verò ſi adhuc ſocer domi filiam habuerit, & in gravem infirmitatem inciderit, & pater multas expenſas fecerit in illa curanda. Et in hac diſquiſitione diſtinguendum, quando jam dos tradita eſt marito illius, ex cujus fructu illas expenſas ſufficienter facere poſſet, aut quando non eſt tradita. Primo caſu aſſerendum, ſocerum & patrem mulieris poſſe repetere omnes expenſas, quas fecerit in filia curanda, etiamſi nullam fecerit proteſtationem. Et ratio eſt, nam ſuſcepta dote ſufficienti à marito, ipſe tenetur ad has expenſas, ut diximus ſupra, n. 42. Quapropter ſocer illud egiſſe videtur tanquam negotiorum geſtor, animo repetendi. Cæterùm id ex æquitate probatur, nam cum pecunia ſoceri per traditionem dotis verſa fuerit in utilitatem generi, propterea tenetur de in rem verſo ad ſatisfaciendum ſocero, ad quam ſatisfactionem videtur proſpexiſſe patrem mulieris, quando illas expenſas erogavit Ergo ſine aliqua proteſtatione poterit impenſas repetere. Tenent Cinus, Baldus, & alii *in l. Alimenta*, *C. de Negot. geſt.* Socinus *vol.* 2. *conſ.* 286. *col.* 1. Surdus *de Aliment. tit.* 6. *quæſt.* 5. *à n.* 1. Menochius *de Arbitr. caſu* 88. *num.* 14. Boſſius *de Aliment. c.* 16. *§.* 13. *num.* 944 47

Sed hæc doctrina, licèt communis ſit, adhuc non levem patitur contra ſe inſtantiam; nam aut pater has expenſas fecit contemplatione filiæ, aut generi; ſi enim facit contemplatione filiæ, adeſt conjectura affectionis, & ſanguinis, unde præſumatur liberaliter ex donatione expendiſſe, præcipuè in gravi infirmitate, unde timebatur mors illius, affectio enim ſanguinis præſtat præſumptionem donationis, *l. Donationes* 31. *§. Species*, *l. fin. §. fin. ff. de Donat. l. Quæ dotis* 32. *ff. ſolut. matrim.* ubi DD. Ergo in præſentia ſi non proteſtetur pater, videtur has expenſas genero donaſſe, nec ampliùs repetet. Si verò contemplatione generi ſocer has expenſas præſtiterit, ſimilis adeſt præſumptio; nam gener habetur loco filii, *l. Quia parentis* 16. *ff. ſolut. matrimon.* Ergo ſicut quando contemplatione filiæ has fecerit expenſas, non repetit, ſimiliter ſi contemplatione generi. Quapr opter Alciatus *reſponſ.* 233. *n.* 4. *&* 5. Lara *l. Si quis à liberis*, *§. Si quis ex his*, *ff. de lib. agn. n.* 27. ſcripſerunt, quod ſi ſocer expenſas litis pro genero præſtiterit, repetere non poſſe, quia præſumitur ex affectione donaſſe. Ergo ſimiliter in ſpecie. 48

Sed hæc fundamenta debilia ſunt, nec rejiciunt doctrinam ſuprà traditam; quin potiùs Menochius *dict. caſu* 88. *nu.* 15. aſſerit, Alciatum aberraſſe: nam ſola ſanguinis conjunctio non inducit præſumptionem donandi, niſi aliis adminiculis conſtaret de animo illio. Et ratio eſt, nam hæc præſumptio affectionis ad donandum levis eſt, & tantùm ſufficiens ad expenſas modicas, non verò ad graves, de quibus loquimur in præſentiarum. Alexander *in dict. l. Alimenta* 11. *Cod. de Negot. geſt. num.* 8. Auguſtinus Barboſa *ibid. num.* Garcia *de Expenſ. cap.* 4. *num.* 14. Menochius *d. caſu* 88. *n.* 12. Surdus *tit.* 6. *quæſt.* 8. *n* 27. vel quando qui percipit; pauper fuerit, nec habeat unde eas perſolvere poſſit, ut probatur *ex dict. l. Alimenta* 11. *l.* 1. *Si paterno* 15. *Cod. eod. tit.* ut intelligit Surdus *d. tit.* 6. *quæſt.* 6. *nu.* 23. Boſſius *dict. cap.* 16. *§.* 2. *num.* 905 Aſt in præſentia loquimur quando dos eſt tradita à ſocero ſufficiens, ut ex fructi- 49

bus

bus fiant hæ expensæ, quo quidem casu sola affectio sanguinis, nec respectu filiæ, nec generi dat præsumptionem donandi; quin potius socer poterit repetere, ut in terminis tenent Surdus *d. tit. 6. quæst. 5. à n. 7.* Menochius *dicto casu 88. à n. 14.* Affectio verò ista donandi poterit considerari quando fructus non essent sufficientes; in illo enim excessu ex affectione paterna donatum videretur, ut cum Surdo & Menochio tenet Bossius *dict. cap. 16. §. 13. num. 945. in fin.*

50 Sed contrà adest textus *in l. Servus communis 38. §. Idem juris 1. ff. de donat. inter vir. & ux.* ubi cùm tres fratres habuissent rem communem, unus habens uxorem, ipsam rem uxori donavit, scientibus aliis fratribus: & inquit Consultus, quod licèt donatio non valeat pro parte mariti, adhuc tamen valet ex duabus partibus aliorum fratrum unde cognoscitur, ex sola sanguinis affectione donationem præsumi, cum reipsa subsistat donatio ex duabus partibus. Jason. *lib. 2. cons. 193. col. ultima*, scripsit textum istum intelligendum de re modica, in qua sola affectio sanguinis absque aliquibus conjecturis præsumit donationem. Bart. *in l. Quæ dotis, ff. solut. matrim. nu. 5.* & Ruinus *lib. 3. cons. 262. nu. 12.* scripserunt *in dict. lege*, ex affectione sanguinis solùm ibidem induci consensum, non tamen aliquam præsumptam donationem; frater enim uxoratus faciebat donationem, & ex taciturnitate, & affectione sanguinis nihil aliud inducitur nisi consensus aliorum fratrum ad ratihabitionem illius, quod diversum est à præsumpta donatione, ut admittit etiam Menochius *d. casu 88. n. 15.*

51 Verùm hæc Bartoli, & aliorum doctrina redditur difficilis; nam consensus iste duorum fratrum non distinguitur à præsumpta donatione. Ratio est, nam frater uxoratus per se uxori nullam poterat facere donationem, *ex l. 1. & tot. tit. ff. de donat. inter, cap. fin. de donat. inter, leg. 4. & sequent. tit. 11. p. 4.* Gomez *in l. 50. Tauri, num. 3.* Covarr. *in Rub. de testament. 2. p. n. 30.* Riccius *part. 4. collect. 799.* Cyriacus *controv. 181.* Molina *de Just. tract. 2. disput. 189.* latè Sanchez *de matrim. lib. 6. disp. 1. cum seq.* tota enim donatio existebat ex parte duorum fratrum: Ergo per illum consensum ex sola taciturnitate, & affectione sanguinis, inducta fuit præsumpta donatio: Ergo in præsentiarum consensus non distinguitur à præsumpta donatione. Cæterùm ratihabitio donationis fratris uxorati nequibat fieri ab aliis duobus fratribus, quia de jure est nulla: Ergo consensus fecit præsumptam aliam donationem ipsorum fratrum, ut ex duabus partibus sustineretur: Ergo consensus in illa specie non distinguitur à præsumpta donatione. Quapropter nonnulli Doctores apud Jasonem *in d. l. Quæ dotis, ff. solut. matrim. num. 23.* non levi, verùm gravissimo fundamento Bartolum non susceperunt, quidquid defendere tentet Menochius *ubi proximè nu. 15.*

52 Unde textus ille, aut est intelligendus de re modica, aut quia alia advenerunt adminicula, ex quibus simul cum affectione sanguinis præsumitur donatio, *ex l. Procul 26. ff. de probat.* ubi non solùm desideratur affectio sanguinis, verùm etiam diuturnitas temporis, & rationes calculatæ, ut donatio præsumatur. Alciatus *respons. 304. in fine, & de Præsumpt. præsumpt. 32. regula 1.* Gramaticus *decis. 103. num. 29.* Menochius *dict. casu 88. à num. 16.* Mascardus *de Probat. conclus. 555.* Aliis etiam conjecturis existentibus, præter solam affectionem sanguinis, talis donatio præsumpta sustinebitur; alias minimè, si expensæ fuerint immodicæ, & magnæ, ut in alimentis tenent Mascardus *conclus. 554. à num. 89.* Barbosa *in l. Alimenta 11. Cod. de negot. gest. num. 6.* Bossius *d. cap. 16. §. 3. num. 906.* Hanc ob rem textus *in d. l. 38.* intelligendus est quando simul cum affectione sanguinis alia adminicula, & conjecturæ donandi adfuerunt.

53 Limitanda est tamen doctrina supra tradita, quando gener protestaretur, se velle suam uxorem ad propriam domum traducere, & ne expensę illæ fierent à socero: tunc enim non repert: negotium namque alterius rectè non geritur contra ejus voluntatem, *l Si pro te præsente, ff. mandat. l. fin. Cod. negot. gest.* Ergo nec socer expensas in curanda filia à genero percipiet, Lara *in dict. l. 5. §. Si quis ex his, num. 28.* Surdus *d. tit. 6. q. 5. à num. 15.* Iranzo *dict. cap. 18. num. 16.* Bossius *d cap. 16. §. 13. num. 466.* qui rectè id cum Surdo limitat, quando culpa viri uxor in domo patris moraretur, veluti propter sævitiam, tunc enim etiamsi maritus protestaretur, adhuc socer expensas repetet, cùm adhuc negotium illius utiliter gereret.

Si verò socer dotem adhuc non tradiderit genero, & has 54
expensas fecisset pro curanda filia, adhuc repetet, nec ullo modo intelligetur donatio, quando est debitor dotis; quin potius animo compensandi dedisse, aut pro capitali, aut interesse solvendo. Quod extendunt aliqui etiamsi maritus protestetur, se velle mulierem ad propriam domum ferre, & ne expensæ fierent à socero: nam licèt creditor protestetur, si tamen debitor pro creditore solvat, etiam invito, compensat debitum, *l. Stichum 8. § fin. ff. de novat. l. fin. Cod. de negot. gest.* Ergo in præsentia etiam socer repetet. Sed contrarium tenet Surdus *dict. quæst. 5. n. 24.* Barbosa *in l. fin. C. de negot. gest. nu. 3.* Bossius *dict. cap. 16. §. 13. n. 947.* & dant rationem, quia textus *in dict. l. Stichum*, & *l. fin.* sunt intelligendi quando solvitur debitum ejus, pro quo fit solutio; ubi verò uxor est sana, vel non ita ægra, quin possit esse in obsequio mariti, non est debitor alimentorum nec alicujus curationis illius, nisi illi serviat, & consequenter ejus negotium non geritur utiliter, & nec socer repetet expensas factas in curanda filia uxorata.

Sed tamen ratio ista adæquata non est; habet enim vim 55
quando filia uxorata esset in domo patris, non omninò ęgra, verùm posset deservire marito, & domus curam impendere. Nos verò loquimur quando infirmitas esset gravis, & magnæ expensæ factæ in ejus curatione. Quo quidem casu assero, quod adhuc si maritus protestetur, se expensas non soluturum, sed velle uxorem ad domum traducere ad illam curandam; si tamen de facto id non fecisset, adhuc socerum expensas repetere posse: nam licèt protestatio ista impediat repetitionem, *l. fin. C. de negot. gest. l. 22. tit. 22. p 5.* Gregorius *gloss. 3. l. 12. tit. 13. p. 1. gloss. 4.* Menochius *de Arbitrariis, lib. 1. quæst. 69. nu. 27.* Corsetus *singul. 90. verb. Expensa*, Romanus *singul. 124.* Surdus *de aliment. dict. tit. 6. quæst. 5. à n. 16* Molina *de Just. tract. 2. disput. 554. n. 1.* Osuald. *ad Donellum, lib. 15. cap. 16. lit. P.* Tuschus *litt. F. conclus. 296. n. 13.* Id tamen fallit quando versatur favor publicus, veluti si expensæ factę fuissent ad hominem liberandum à morte, vel gravi morbo, mutilatione, aut carceribus; quia interest Reipublicæ suum civem indemnem servare, sicut & mulierem nuptam, ad filiorum procreationem, in quo est maxima utilitas publica, argumento textus *in l. Liber homo, ff. ad l. Aquil l. Cùm ratio 6. ff. de bon. damnat.* Nam tunc favore publicæ utilitatis, etiam facta contradictione per protestationem, adhuc repetitio expensarum conceditur, *l. 22. tit 1. p. 7.* Gregorius *in dict l. 12. tit. 12. p. 5. gloss. ult.* Gomez *var. tom. 2 cap. 13. n. 11. in fin.* Barbosa *in d. l. fin. Cod. de negot. gest. nu. 4.* Ergo licèt maritus protestetur se nolle expensas solvere pro curatione ipsius mulieris, sed ad domum traducere; utique si de facto socer eas fecerit in gravi morbo, poterit compensare in fructibus, aut interesse dotis: vel si ista non adsint, in capitali dotis non traditæ: quod magis consonum æquitati, & rationi videtur, ad tradita per Glossam & DD. communiter *in d. l Stichum, §. fin. ff. de Novat.* Parisius *lib. 3. cons. 107. n. 129.*

Est tamen antequam hinc abeamus, examinanda doctri- 56
na Cancerii *1. part. c. 16. nu. 28.* ubi scripsit absque aliqua protestatione posse maritum repetere expensas factas in infirmitate uxoris, si est ultima, ex qua defuncta est. Et ratio est, nam expensæ ultimæ infirmitatis à jure reputantur æs alienum, *l. penult. ff. de Religios. & sumpt. funer.* & ex hæreditate ante omnia sunt deducendæ, *dict. l. penult.* ubi Gothufredus *lit. C.* Anton. Perez *ad tit. Cod. de Religios. & sumpt. funer. num. 6.* quapropter maritus poterit absque aliqua protestatione repetere. Tum quia expensæ ultimæ infirmitatis privilegio expensarum funeralium fruuntur. Cancerius *3. part. cap. 2. num. 163.* Gerardus Maynardus *decis. 47. nu. 2.* Idcircò sicut funerariæ possunt absque protestatione repeti, similiter ultimæ infirmitatis. Quam doctrinam explicat Iranzo *dict. cap. 18. num. 20.* nempe ut quando est necessaria protestatio ad repetendas funeris expensas, similiter sit necessaria ad repetendas ultimæ necessitatis; secus verò quando non est necessaria ad illas repetendas.

Horum Doctorum placitum explicatione indiget, quia 57
ex eo quod dicant, expensas ultimæ infirmitatis esse repetendas, aut cum protestatione, aut sine ea, prout causa requirat, videntur asserere, expensas aliarum infirmitatum repetere non posse, etiamsi magnę fuerint; accidere enim valet,

ut uxor gravi morbo laboraſſet, in cujus expenſis magnam quantitatem expenderit, verùm ultima infirmitas non ſit. Sed tamen breviter reſolvendum, maritum repetere poſſe has magnas expenſas gravis infirmitatis mulieris, quatenus exceſſerint dotis fructus, etiamſi non ſit ultima, ex qua uxor deceſſit, etiamſi proteſtationem non fecerit. Et ratio eſt, nam licèt non ſit ultima infirmitas, attamen cùm magnæ fuerint expenſæ, ceſſat præſumptio affectionis, & præſumptæ donationis; affectio enim maritalis ſolùm conſideratur in modicis expenſis, ut dictum eſt: Ergo abſque aliqua proteſtatione repetet. Tum Judex præſumptionem affectionis parvi habebit, cùm adſit major præſumptio non donandi, nempe magnarum expenſarum, quæ aliam elidit, *l. Divus ff. de in integrum reſt.* Ergo expenſas repetet maritus, etiamſi non ſint ultimæ infirmitatis. Quapropter DD. de hac diſquiſitione agentes, nullam diſtinctionem faciunt inter ultimam, & alias infirmitates. Surdus *de Aliment. tit.* 1. *q.* 33. *à nu.* 27. Theſaurus *Quæſt. for* 2. *p. q.* 52. Garcia *d. cap.* 3. *n.* 44. Iranzo *dict. c.* 18. *n.* 21. Boſſius *dict. c.* 19. *n.* 64. Verùm illa differentia inter ultimam, & alias infirmitates erit conſideranda, ſcilicet ut penſæ ultimæ tanquam funeris conſiderentur; & eodem privilegio fruantur, non verò expenſæ aliarum infirmitatum: quia tantum iſtæ funeris expenſis comparantur, *ex leg. in reſtituenda* 4. *Cod. de petit. hæredit.* & tenet Mena *var. lib.* 1. *quæſt.* 6. *artic.* 3. *nu.* 11. Surdus *deciſion.* 255. *nu.* 25. Argellus *de legit. contradict. quæſt.* 10. *nu.* 185. Marta *var.* 83. *nu.* 5. Cancerius 1. *p. var. cap.* 9. *nu.* 9. Maſtrillus *deciſ.* 10. *n.* 8. & 9.

58 Eſt verò dubium, an ſucceſſor in majoratu teneatur ſolvere expenſas anteceſſoris, factas in ejus funere; Prima ſententia aſſerit, neutiquam teneri: nam, ut dictum eſt ſuprà, hæc obligatio funerandi defunctum pertinet ad hæredem; qui verò in majoratu ſuccedit, inſtitutori primo ſuccedit, non verò ultimo poſſeſſori. Molina *lib. primo cap.* 1. *nu.* 17. Salgado *in Labyrinto* 3. *p. cap.* 15. *nu* 37. Vela *differet.* 48. *à nu.* 22. Olea *de ceſſ. tit.* 3. *quæſt.* 3. *nu.* 13. & 14. Ergo ad eum funerandum non obligabitur. Cæterùm licèt funeris impenſa habeat plura privilegia, de quibus infrà dicemus, non tamen habet privilegium, ut ſucceſſor in majoratu funeret ſuis expenſis ultimum ſucceſſorem. Ergo non tenebitur funerare. Tenet Molina *de Primogeniis*, *lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 33. Sanchez *conſ. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 31. *n.* 15.

59 Secunda ſententia tenet contrarium, ex lege *Quod nulla* 28. *ff. de Relig. & ſumpt. funerum*, ubi dicitur ignominiam eſſe mariti relinquere propriam uxorem inſepultam. Quod idem eſt dicendum de majoratus ſucceſſore, qui cùm defunctum conſanguineum anteceſſorem in majoratu non ſepeliat, magna erit ejus ignominia: quapropter ad has funeris expenſas tenebitur. Unde non eſt admittendus Molina *dict. nu.* 33 aſſerens, diſtinctam eſſe cauſam mariti à majoratus ſucceſſore, ut ad has expenſas obligetur: eadem enim eſt ratio, nempe conſaguinitatis, & ejuſdem familiæ, ut hæc ſimilis ignominia cenſeatur, ut expendit Garcia *de Expenſis*, *cap.* 16. *nn.* 3. Cæterùm probatur, nam hæ expenſæ funeris ex ſola honeſtate debentur, ut diximus de marito habente pauperem uxorem defunctam. Iranzo *de Proteſt. cap.* 18. *nu.* 22. *in fin.* Quod idem eſt dicendum de ſucceſſore Majoratus, qui licèt alio modo non obligaretur ad funerandum anteceſſorem, attamen de decentia, & honeſtate teneretur: ſicut etiam de honeſtate tenetur aliqua debita modica illius ſolvere. Garcia *de Expenſis*, *cap.* 16. *n.* 35. Mathienzo *in l.* 6. *tit.* 7. *lib.* 5. *Recopilat gloſſ.* 3. *nu.* 19. & 23. Padilla *in l. Vnum ex familia*, *§. Si de Falcidia*, *ff. de legat.* 2. *num.* 10. maximè ſi conducunt ad exonerationem conſcientiæ, & animæ ipſius defuncti. Gregorius *in l.* 4. *tit.* 15. *par.* 3. *verbo Sus deudas*. Garcia *dict. cap.* 16. *num.* 35. Ergo in præſentia ſucceſſos majoratus tenebitur ad expenſas funeris ſui anteceſſoris. Garcia *dict. cap.* 16. *num.* 33. Padilla *ubi proxime*, *num.* 1. Spino *in Specul. teſtament. gloſſ.* 2. *à n.* 55. Valaſco *de Part. cap.* 19. *nu.* 44. Gratianus *diſcept. for. tom.* 1. *cap.* 94. *n.* 27. Peregrinus *de Fideicommiſſis*, *art.* 40. *num.* 19. Lima & Maldonado *ad Molinam*, *dict. cap.* 10. *nu.* 33. Surdus *dec.* 255. *n.* 15.

60 In hoc dubio animadvertendum, ſucceſſorem majoratus perſolvere debere funeris impenſas ipſius inſtitutoris, quando alia non reliquerit bona libera, unde ſolvantur, verùm ex omnibus ſuis bonis majoratum inſtituerit. Ratio eſt clara, nam quando bona libera non relinquuntur à majoratus inſtitutore, tunc ſucceſſor tenetur ad debita illius, ut eſt optimus textus *in l. Filius familias* 114. §. *Divi* 14. *ff. de legat.* 1 *l.* 1. *in principio*, *ff. ad Trebell. l.* 2. *Cod. eodem*, Molina *dict. lib.* 1. *cap.* 10. *à n.* 1. Garcia *de Expenſis*, *c.* 16. *à nu.* 7. Larrea *alleg.* 75. *nu.* 3. Caſtillo latè *lib.* 6. *controv. cap* 161. *nu.* 23. & *cap.* 68. *n.* 1. Ergo etiam ad funeris expenſas, quæ tanquam æs alienum cenſentur; & in hoc nulla eſt dubitatio.

Ergo erit difficultas quando funeris expenſæ non fuiſſent primi inſtitutoris, ſed alterius ultimi ſucceſſoris: in qua difficultate diſtinguendum. Aut poſſeſſor majoratus eſt hæres ultimi ſucceſſoris, vel non. Si autem eſt hæres, abſque etiam dubio ad funeris expenſas tenebitur pro rata hæreditatis; nam pro eadem rata tenetur ad debita illius, non habita conſideratione ad bona majoratus, *l.* 1. *Cod. ſi cert. petatur*. Molina *d. cap.* 10. *nu.* 28. Daſtillo *d. cap.* 161. *n.* 34. Ergo quando fuerit hæres illius, ad expenſas funeris tenebitur pro ratione hæreditatis. 61

Si verò nulla bona habuerit ultimus poſſeſſor majoratus, ſed ita inops ſit, ut nec hæredem, aut alium habeat ſucceſſorem, in hoc verſatur tota difficultas, ut benè conſiderant Molina *dict. cap.* 10. *n.* 33. Spino *in Speculo teſtam. gloſſ.* 19. *nu.* 39. Gratianus *d. cap.* 94. *nu.* 29. Rationem ad negandum ſumunt DD. primæ ſententiæ; nam ſucceſſor in majoratu, etiamſi ultimus poſſeſſor inops decedat, & multis debitis gravatus, ſi hæres ejus non ſit, ad debita illius non tenetur; quia non eſt ſucceſſor illius, ſed primi inſtitutoris majoratus, *ex dict. l. Filius familias* 114. §. *Divi* 14. *ff. de legat.* 1. & relatis *nu.* 58. Quapropter ex eo quod ſuccedat in majoratu, non tenetur ad debita ultimi poſſeſſoris. Gomez *in l.* 40. *Tauri*, *n.* 72. Spino *dict. gloſſ.* 19. *n.* 36. Molina *dict. cap.* 10. *nu.* 29. Caſtillo *dict. cap.* 161. *à n.* 22. Sanchez *dict. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 31. *num.* 11. Fuſarius *de ſubſt. c.* 541. & 542. & conſequenter ex eadem ratione, nec ad funeris expenſas tenebitur, cùm tanquam æs alienum ultimi poſſeſſoris conſideretur. 62

Sed licèt hæc opinio de rigore juris procedat, attamen ex æquitate, & pietate eſt admittenda ſecunda ſententia, prout probant illius fundamenta. Deinde, nam non omnia à jure deciſa ſunt; ſed tamen ipſa æquitas, & rationaturalis dictat, quid in re eſt agendum, ut benè conſiderat Caſtillo *lib.* 4. *controverſ. cap.* 61. *n.* 53. In ſpecie verò ipſa ratio naturalis dictat, ſucceſſorem in majoratu inſepultum relinquere non debere ſuum anteceſſorem, nam licèt ipſi non ſuccedat, etiamſi cum clauſula ab eo nominaretur, Molina *de Primog. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 6. D. Olea *de ceſſ. tit.* 3. *q.* 3. *n.* 14. quia ſemper intelligitur nominatus ab ipſo Inſtitutore, Ant. Faber *lib.* 24. *conjectur. c.* 10. *circa principium*. Attamen negandum non eſt, per ipſum ultimum poſſeſſorem ad majoratus ſucceſſionem deveniſſe. Hanc ob rem æquitas ipſa petit, quod ab eo inſepultus non relinquatur. Cæterùm multa in jure ex æquitate admiſſa ſunt contra ipſius rigorem, ratione alicujus commiſerationis, nempe quarta, quę datur viduæ inopi ex bonis defuncti mariti, *Auth Præterea*, *C. Vnde vir*, & *uxor*, quam latè explicuimus *lib.* 4. *cap.* 10. Tum, ut alimenta concedantur viduæ poſſeſſoris ultimi majoratus. Mieres *de majorat.* 4. *part. quæſt.* 27. *n.* 15. Ergo ſimiliter dicendum eſt in ſpecie, quod licet de rigore juris non teneatur funerare ultimum poſſeſſorem inopem; attamen ex æquitate ad id aſtringatur. Denique comprobatur ex doctrina Larreæ *deciſ. Granatenſi* 47. *n.* 5. ubi aſſerit, poſſe patrem alimenta à pupillo petere, quando pauper eſt, ne cum dedecore illius mendicare cogatur, quia id pertinet ad illius honeſtatem, & honorem. Ergo idem eſt dicendum in ſpecie, ne inſepultus ultimus poſſeſſor relinquatur cum injuria, & ignominia ſucceſſoris, & cadaveris inſepulti. Quapropter ad has expenſas tenebitur, ut latè tenet, & proſequitur Maſtrillus *deciſ.* 203. *per tot.* Mieres *de Majorat.* 4. *p. q.* 26. *n.* 37. Caſtillo *d. c.* 161. *n.* 36. *verſ. Ego ſanè*. 63

Hanc enim ſententiâ ex æquitate tantùm defendunt DD. relati, & communiter alteri relati, *n.* 59. Sed adhuc defendi valet de juris rigore, quia in ſpecie nulla eſt juris deciſio repugnans huic placito, niſi illa ratio, quia ſucceſſor majoratus non ſuccedit ultimo poſſeſſoris, ſed tantùm inſtitutori: quæ ratio licèt concludat ad alia debita ultimi poſſeſſoris, non tamen ad has funeris expenſas illius; nam negari non valet, de rigore juris obligari ſucceſſorem majoratus 64

ad

ad illa onera, quæ impoſita fuerint ab inſtitutore illius, ſive ab ejus expreſſa voluntate, vel à tacita, quæ rectè ex conjecturis conciperetur, ut latè per Molinam *lib.* 1. *de Primog. cap.* 27. *per tot.* Noguerol. *allegat.* 2. *num.* 108. Caſtillo *lib.* 8. *controverſ. cap.* 45. *nu.* 5. Ergo etiam tenebitur ad iſtas expenſas funeris ultimi poſſeſſoris, ſaltem ex tacita voluntate inſtituentis majoratum. Probatur, nam ut benè conſiderat Caſtillo *dict. l.* 6. *cap.* 161. *num.* 36. *verſ. Ego ſanè*, hęc obligatio funerandi ultimum poſſeſſorem, quando inops fuerit, procedit à veriſimili voluntate inſtitutoris, qui ſi vidiſſet conſanguineum ſuæ familiæ, & quem ad Majoratum vocavit, inſepultum ob gravem ejus inopiam, utique tumulari præcepiſſet, juxta gloſſam vulgarem *in l. Tale pactum*, §. *fin. ff de pact.* Ergo ex veriſimili voluntate inſtitutoris ſucceſſor in majoratu tenetur ad funerandum ultimum poſſeſſorem inopem, qui non habet unde tumuletur.

65 Et confirmatur, quando aliquis inſtituit majoratum, id maximè proſpicit, ut ejus familia decoretur, & conſervetur, ita ut per Majoratum quilibet, poſſeſſor veluti in dignitate conſtituatur, ut latè explicant Molina *de Primog. lib.* 1. *cap.* 13. Mieres *de majorat. in initio* 1. *part. numer.* 10. Vela *diſſert.* 49. *à num.* 16. Royas *de incompatibilit.* 4 *par. cap.* 4. *à numer.* 16. P Molina *tract.* 2. *de Juſt. diſput.* 260. Cùm ergo id intendat Inſtitutor, ex ejus voluntate facilè concipitur, velle præcipere ſucceſſori, ut ultimum poſſeſſorem pauperem funeret, & ne cum ignominia, & injuria inſepultus relinquatur. Ergo ſemper ſucceſſor majoratus tenebitur de rigore juris ad has funebres expenſas pro tumulando ultimo poſſeſſore egeno, & in neceſſitate conſtituto. Denique, nam ſucceſſor in majoratu tenetur ſolvere debita contracta ad alimenta præciſa, & neceſſaria ultimi poſſeſſoris, ex doctrina Abbatis *in cap. præſentium*, *de Pign. numero* 5. quod non ſolùm ex æquitate tenent plures, ſed etiam de juris rigore, ex præſumpta, & veriſimili voluntate inſtitutoris. Molina *dict. lib.* 1. *cap.* 10. *numero* 32. Caſtillo *dict. cap.* 161. *num.* 35. *& lib.* 8. *cap.* 68. *numero* 8. Ergo majori ratione tenebitur de juris rigore ad has funerarias expenſas, factas pro ultimo poſſeſſore, cùm magis piæ ſint, & majoribus privilegiis condecoratæ. Illud verò animadvertendum ſolùm teneri ſucceſſorem in majoratu ad illas expenſas funerarias neceſſarias, & præciſas ad funus conficiendum; non verò ad illas, quæ magis ex pompa, & vanitate fiunt, verùm ſemper obſervata qualitate perſonæ in neceſſariis expenſis. Gratianus *d. c.* 94. *n.* 21. Caſtillo *d. c.* 161. *n.* 35. *verſ. Maſtrillus quoque.*

66 Ex his colliges, qui dicendum quando aliquis defunctus valdè inops fuerit, & habet conſanguineos valdè propinquos, à quibus poterat petere alimenta, quia divites ſunt, de quibus diximus *lib.* 4. *cap.* 9. *per tot.* Et dicendum videtur, minimè ad has expenſas teneri matrem, fratres, ſorores, aut patruos: nam actio funeraria ſolùm conceditur adverſus alios conſanguineos, etiam propinquos, *leg. in patrem* 21. *l. Si filius* 31. *ff. de Relig. & ſumpt. funer.* Medicis *de ſepult.* 2. *part. quæſt.* 5. *n.* 55. Ergo minimè eſt danda adversùs alios conſanguineos, aliàs exprimerent Conſulti, prout de patre expreſſerunt. Sed tamen contrarium dicendum puto, quod ſi defunctus pauper, & egenus fuerit, diviteſque habuerit proximos conſanguineos, qui ſalva gradus prærogativa tenebantur alere ipſum, has expenſas erogare teneri. Et ratio ſumitur *ex d. l. in patrem*, ubi quando filius pauper moritur, ad eum funus ſolvere ſpectat, qui alere tenebatur, nempe ad patrem. Ergo ſimiliter eſt dicendum de alio quolibet conſanguineo obligato ad alimenta præſtanda defuncto. Quod quidem argumentum fieri valet de marito, qui ad funus pauperis uxoris tenetur ut dictum eſt. Prætereà alimenta, cùm pertineant ad cauſam publicam, ideò conſanguinei proximi ad illa præſtanda obligantur; ſed eadem cauſa publica conſideratur in funerandis corporibus, quia non minus expedit Reipublicæ mortuos ſepelire, quàm viventes conſervare, ut ſcripſit Baldus *in l. fin. Cod. de negot. geſt.* Ludoviſius *deciſ.* 78. *n.* 23. Ergo ſicut iſti tenentur vivum conſanguineum alere, ſimiliter defunctum ſepelire, & expenſas erogare. Deinde argumentum de alimentis ad piam cauſam validum eſt. Tiraquellus *de Privileg. piæ cauſæ*, *in præfat. numer.* 23. Mantica *de conject. ult. vol. lib* 6. *tit.* 3. *n.* 22. Velaſco *de Privileg. paup. quæſt.* 52. *numer.* 20. Ergo cum iſta cauſa funeris inopis defuncta piiſſima ſit, ſicut conſanguinei iſti tenentur ad alimenta præſtanda, ſimiliter ad funerandum conſanguineum pauperem. Denique nomine alimentorum funeris expenſę etiam comprehenduntur; quare cui alimenta debentur, etiam funerariæ expenſę debentur. Molina *de Juſt. tract.* 2. *diſp.* 168. *num.* 6. Boſſius *de Aliment. cap.* 2. §. 5. *numero* 68. Ergo ex eo quod conſanguinei iſti tenentur ad alimenta, ſimiliter ad funeris expenſas pauperis conſanguinei.

Sed dices cum Bonacina *in Decalog. diſput.* 6 *quæſt. unica*, 67
punct. 6 §. 1. *num.* 1. *in fine*, nomine alimentorum expenſas funeris non comprehendi, quia cum his non alitur, nec ſuſtentatur vivens. Ergo licèt conſanguinei iſti proximi teneantur ad alimenta, non tamen ad funeris expenſas. Sed reſpondetur, non eſſe admittendam doctrinam Bonacinæ, quia licèt non veniant propriè ſub nomine alimentorum, quatenùs nec cum eis corpus alatur, ſeu ſuſtentetur; attamen rectè ſub alimentis comprehenduntur, quia ſunt neceſſariæ expenſæ iſtæ ad corporis curam habendam ipſius alimentarii, ne inhumatum relinquatur, vel decenter non poſſit tradi ſepulturæ, ut benè conſiderat Boſſius *ubi ſupra*, *nu.* 68. Ergo qui ad alimenta tenentur, ut ſunt iſti conſanguinei, ſimiliter ad funeris expenſas tenebuntur, ſicut etiam tenentur ad medicinas, & alias expenſas infirmitatis ad corpus curandum, *l. Quod nos* 234. §. *Verbo Vivere*, *ff. de verb. ſign.* Myſingerus *cent.* 3. *obſervat.* 11. Garcia *de Expenſ. c.* 3. *n.* 42. Surdus *de Aliment tit.* 3. *q.* 5. *n.* 1. Boſſius *d. c.* 2. §. 3. *n.* 60. & diximus *lib.* 4. *c.* 9. *n.* 1.

Prorſus diſquirendum, an quando pauper beneficiatus 68
moritur, nec habet unde tumuletur, ad quem pertineant funeris impenſæ? Prima ſententia aſſerit, ad Eccleſiam pertinere; nam inter Eccleſiam, & Rectorem illius matrimonium ſpirituale contrahitur, *cap.* 2. *de translatione Epiſcopi*, ubi DD. quapropter ſi beneficiatus, aut Rector Eccleſiæ decedit abſque bonis unde funeretur, debet ab Eccleſia ſepeliri ſuis expenſis, prout quando maritus decedit in egeſtate, mulier tenetur eum ſepelire, & è contra, *l. Quod ſi nulla* 28. *in fin. de Relig. & ſumpt. funer.* Lavor. *d. tit.* 2. *cap.* 26. *n.* 14. & 15. Surdus *deciſ.* 255. *n.* 9. Cæterùm id petit ſervitium ipſius Rectoris, & Beneficiati; nam cùm Beneficium datum ei fuerit propter ſervitium, *cap. fin. de Reſcript. in* 6. & ille ipſi Eccleſię inſervierit, inde eſt, ut ratione ſervitii ipſa Eccleſia expenſa funeris perſolvat, veluti dominus perſolvit ob ſervitium ſervi, *l. Si quis* 12. *l. Neratius* 20. *ff. de Relig. & ſumpt. funer.* Lavor. *dict. cap.* 16. *num.* 29. Samuel *dict diſput.* 4. *controverſ.* 15. *concluſ.* 3. Medicis 2. *part. de ſepultur. quæſtion.* 3. *nu.* 5. Ergo erit ſepeliendus Rector, ſeu Beneficiatus expenſis Eccleſiæ. Decius *conſil.* 156. *ad medium*, Capicius *deciſion.* 84. Auſrerius *dict.* 2. *part. quæſtion.* 4. *num.* 8. Lavor. *dict. capit.* 16. *num.* 15.

Secunda ſententia aſſerit, Rectorem ſeu Beneficiatum 69
defunctum debere ſepeliri expenſis Eccleſiæ, & ſucceſſoris; nam fructus omnes illius Eccleſiæ ſunt obnoxii ad funus Rectoris, ſeu Beneficiati. Cùm ergo Eccleſia partem recipiat, & partem ſucceſſor ambo ad has expenſas tenebuntur. Geminianus *conſ.* 1. *num.* 5. Belletus *diſquiſit. Clerical.* 1. *part.* 1. *tit. de Cleric. debitore*, §. 3. *à nu.* 3. *& 5.*

Tertia ſententia communis eſt, ſucceſſorem in beneficio 70
teneri ad has funeris expenſas, ex deciſione textus *in cap.* 1. *de ſolut.* ubi ſucceſſor in Beneficio tenetur ad ſolvenda debita anteceſſoris. quæ contraxit pro neceſſitate, & utilitate ipſius Eccleſiæ. Burattus *deciſ.* 482 *num.* 8. Flaminius *de Reſignat. lib.* 1. *quæſt.* 16. *à n.* 49. Comitolus *Reſponſ. Moral. cap.* 49. *à nu.* 3. Ergo etiam tenebitur ad iſtas expenſas; nam cùm tendant ad curam corporis Beneficiati, ſeu Rectoris, & ſuffragium animæ illius; inde eſt, ut tendant ad utilitatem, & neceſſitatem ipſius Eccleſiæ, ad quas tenetur ſucceſſor. Deinde, nam ſucceſſor in Beneficio tenetur ad debita contracta pro ſuſtentatione anteceſſoris, quia pro utilitate Eccleſię videtur contraxiſſe, quatenus Eccleſia illum alere tenebatur. Burſatus *conſ.* 126. *num.* 95. *volum.* 3. Flaminius *d. quæſt.* 16. *n.* 51. Comitolus *dict. quæſt.* 87. *num.* 3. Fagnanus *in c.* 1. *de ſolut. num.* 10. Sed in alimentis comprehenduntur funeris expenſæ, ut diximus ſupra, num. 65. Ergo ſucceſſor in Beneficio tenetur ad funeris expenſas anteceſſoris defuncti. Pavinus *de Offic. Capit.* 2. *p. quæſt.* 8. *num.* 28. *ad fin.* Gratianus *diſcept*

form. tom. 1. capit. 94. à num. 20. Franciſcus Marcus *deciſ. 436. part. prima*, Petrus de Peruſio *de Can. Paroch. 2. part. capit. 13. num 15.* Barboſa *ad textum in cap. primo de ſolut. numer. 4.* Caſtillo *lib. 6. capit. 161. numer. 36. verſic. Et licèt.*

71 In hoc ergo diſſidio diſtinctio facienda eſt, quando bona Rectoris, vel Beneficiati defuncti pertinent ad Eccleſiam, ſeu Cameram Apoſtolicam, nempe intuitu Beneficii lucrata; aut quando ex conſuetudine, ut in Hiſpania ad proprios hæredes pertinent. Quoad primum, ſi bona Beneficiati lucrata, & acquiſita intuitu Eccleſiæ, ad Eccleſiam, ſeu Cameram Apoſtolicam perlineant, ut eſt de jure communi, *cap. 1. 12. quæſt. 4. cum vulgat.* de quibus latiſſimè agemus *lib. 8.* tunc Eccleſia, aut Camera Apoſtolica ſimilia bona percipientes tenentur ad funeris expenſa, ut dicit prima ſententia. Ratio eſt, nam Eccleſia, vel Camera Apoſtolica ſunt hæredes, ad quos de jure attingit funerare teſtatorem, vel perſonam, cui ſuccedunt: quod ita eſt certum, ut licèt Rector, vel Beneficiatus habeat bona patrimonialia, hæredes tamen illorum ad nihil tenentur, quia aliorum bonorum onus eſt ſepelire Rectorem, ſeu Beneficiatum; non verò bonorum patrimonialium, ut tenet Medicis *d. q. 4. n. 8.*

Sed verò ex ſpeciali conſuetudine, aut ex privilegio, bona illa non ad Eccleſiam, ſeu Cameram Apoſtolicam pertinent, onus expenſarum funeralium erit hæredum, aut ſucceſſorum illorum bonorum, cum omnibus tranſit onus funerandi Beneficiatum, ut diximus de aliis hæredibus ad funus obligatis, *ex l. 1. ff. de Relig. & ſumpt. funer.* & diximus ſupra. Gratianus *d. cap. 94. n. 25.*

72 Erit ergo dubium quando Rector, aut Beneficiatus nulla bona reliquerit, nec fructus ipſius Beneficii, unde ſepeliatur. In quo quidem aſſero, ſucceſſorem teneri ad has expenſas, ut verius dicit Gratianus *d. cap. 94. n. 17.* Ratio eſt, nam funeris expenſæ, ſicut & ſuſtentatio ipſius Rectoris, & Beneficiati, ſunt onera realia fructuum ipſius Beneficii, quapropter tranſeunt ad ſucceſſorem cum onere illo ſepeliendi pauperem anteceſſorem, ſicut etiam expenſæ factæ in infirmitate, ut cum Mandoſio tenet Fagnanus *in capit. primo de ſolut. num. 10.* Gonzalez *ibidem*, *num. 5.* ſicut etiam tanquam onus reale tranſit penſio, Gigas *de Penſionibus*, *quæſt. 39. & 40.* Garcia *de Beneficiis*, *1. part. cap. 5. à num. 191.* Garcia *de Expenſis*, *cap. 11. n. 54.* Molina *de Primog. lib. 1. cap. 27. n. 8.* Valenſis *de Beneficiis*, *tit. 12. nu. 17.* Fagnanus *in d. cap. 1. nu. 16.* & alia realia onera, Cæterùm, nam licèt Eccleſia aliquos fructus percipiat, ſunt tamen ſeparati ab aliis fructibus competentibus Rectori, ſeu Beneficiato, & ad alias res deſtinati, nec in eis aliquod onus ſuſtentandi, ſeu ſepeliendi defunctum Rectorem continetur: quapropter ſolùm pertinebit ad fructus ipſius Rectoris, & Beneficiati ſucceſſoris in Beneficio: quia ipſi ſunt aſſignati ad ſuſtentationem, & alia onera perſonalia Rectoris, & Beneficiati: Ergo ad ſucceſſorem, & non ad Eccleſiam, expenſæ iſtæ pertinebunt; ſolùm enim in aliquo caſu Eccleſia has expenſas porriget, quando nec ipſe ſucceſſor haberet unde ſolverentur, & ſi Eccleſia pauper etiam fuerit, Parochiani præſtabunt, quibus Rector, ſeu Beneficiatus in ſpiritualibus inſerviebat. Medicus *dict. 2. part. queſt. 3. numer. 5.* Lavor. *dict. capit. 16. nu. 15.*

73 Quid verò ſi Rector, ſeu Beneficiatus nihil de fructibus Beneficii reliquerit, nec aliqua bona intuitu Eccleſiæ acquiſita, ſed haberet bona patrimonialia; an tunc ſucceſſor in Beneficio teneatur ad funeris expenſas? Et negandum videtur; nam quiſque de bonis propriis debet funerari, *l. 1. l. Celſus 22. cum ſequenti*, *ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* Ergo cùm Rector, ſeu Beneficiatus non habeat bona, nec fructus intuitu Eccleſiæ acquiſitos, ex propriis patrimonialibus debet ſepeliri, non ex fructibus ſucceſſoris, qui alieni ſunt. Prætereà, licèt ſucceſſor teneatur ad onera realia ipſorum fructuum, ideſt in ſubſidium, nempe quando excuſſio facta eſt in bonis anteceſſoris defuncti, & in ejus ſucceſſoribus, ut in penſione ad praxim obſervatur, in qua ex Rota admiſſum eſt, ne adverſus ſucceſſorem procedatur, nec exigatur penſio, niſi factis diligentiis adversùs prædeceſſorem, & ejus hæredes, quibus ſolvendo non exiſtentibus, proceditur adversùs ſucceſſorem, licèt realiter fructus ſint obligati, ut multis deciſionibus adductis tenent Fagnanus *in dict. cap. 1. de ſolut. n. 18.* Garcia *de Beneficiis*, *dict. 1. par. cap. 5. num. 199.* Mareſcot. *var. lib. 2. cap. 18. à num. 54.* Gratian. *tom. 1. diſcept. cap. 49. à nu. 22.* Barboſa *de univerſ. jur. lib. 2. cap. 11. num. 93* Ergo ſimiliter dicendum eſt in ſpecie, ut minimè ſucceſſor teneatur ſolvere expenſas funebres anteceſſoris, niſi factis diligentiis adverſus bona defuncti, cujuſcunque ſint qualitatis, & adverſus hæredes, unde niſi in ſubſidium non tenetur.

Sed in re dicendum, quod ſi prædeceſſor fructus Beneficii habuerit, & ipſe prodigendo expenderit, & ſua culpa perierint, tunc de bonis patrimonialibus expenſæ funeris ſunt expendendæ. Et ratio eſt, nam quando Rector, ſeu Beneficiatus fructus Beneficii malè perdit, tenetur ex proprio patrimonio refundere quantitatem deperditam ad onera neceſſaria illorum fructuum, ut latè diximus *lib. 4.* Sed hæ expenſæ ſunt onera fructuum à ſe perceptorum: Ergo refundere tenetur prædeceſſor ex proprio patrimonio onera illa expenſarum, ut in penſione obſervat Barboſa *d. c. 11. n. 23.* Cæterùm, nam quando ut prodigus Rector, & Beneficiatus fructus Beneficii expenderit juſtum eſt, ut ex ſuis bonis ſepeliatur, cùm ipſe expenſas illas redimere poterat, ut optimè in ſucceſſore majoratus ſcripſit Mieres *4. p. c. 17. num. 14.* ibi: *Et hoc caſu juſtum eſt, quod hoc onus ad ſucceſſorem non pertineat, quod prædeceſſor redimere potuit; quod patet ex his, quæ ſcripſit Joan. de Amicis conſ. 98.* Ergo in ſpecie ſepeliendus eſt ex proprio patrimonio, nec ad id tenebitur ſucceſſor. 74

Si verò abſque ſua culpa ultimus poſſeſſor Beneficii nullos fructus habuerit, aut bona intuitu Eccleſiæ acquiſita, ſed per annos antecedentes adeò fuerit aggravans ſterilitas, ut nec ad ſuſtentationem ſufficerent, tunc ſi uberiores fructus ſucceſſor percipiat, ipſe tenebitur ad funeris expenſas, non tamen hæres in bonis patrimonialibus, ut tenet Medicis *dict. 2. par. q. 4. n. 8.* Lavor. *dict. cap. 16. n. 38.* Et eſt ratio, nam fructus illi (licèt Rector, aut Beneficiatus habeat alia bona patrimonialia) obligati ſunt ad alimoniam, & funeris expenſas illorum: Ergo ex his fructibus ſolvendæ ſunt funeris expenſæ, non autem hæredes capientes ſolùm bona patrimonialia. Sed in praxi id non facilè obtinendum; difficillimum enim eſt diſtinguere bona patrimonialia mobilia, an ſint empta ex fructibus Eccleſiæ, aut Beneficii, niſi tam parvos fructus beneficiatus, aut Rector per ſuos omnes annos acceperit, ut nec ad ſuſtentationem ſufficerent. 75

Verumtamen ſi ſucceſſor non uberiores fructus beneficii ſuſcipiat, ſed tantùm ad congruam naturalem neceſſarios, minimè tenebitur ad expenſas funeris, ſed hæres ex bonis patrimonialibus; congrua enim naturalis nequit auferri beneficiato, vel Rectori adminiſtranti, *cap. de Monachis 12. de præbend* Graſſis *dec. 6. de prębendis*, *num. 7.* Rota *1. par diverſ. dec. 16. num. 4.* Bellet. *diſquiſit. Clerical. 1. par. tit. de Cleric. debit. §. 16.* Ergo nec ad funeris expenſas anteceſſoris, maximè cum habeat bona patrimonialia unde funeretur, quæ ſi non habuerit, vel à Parochianis, vel ab Eccleſia divite erit ſepeliendus, ſemper relicta congrua illa naturali ſucceſſori, ne adminiſtratio ſpiritualis deficiat Lavor. *d. c. 16. n. 41.* 76

Hic quid de Epiſcopis defunctis dicendum, colligitur. In qua diſquiſitione Medicis *dict. q. 4. num. 6.* Lavor. *dict. cap. 16. num. 35.* inquiunt, ſepeliendos eſſe expenſis Eccleſiæ, de cujus bonis extrahi valet centeſima pars pro magnificanda eorum ſepultura, *cap. Bonæ 74. 12. qu. 2. cap. Apoſtolicæ 9. de donat.* Si tamen Eccleſia pauper ſit, nec menſa ejus ſufficiat, expenſis Capituli id eſt agendum. Sed tamen hæc doctrina admittenda quando nulla bona reliquerit Epiſcopus, unde ſepeliatur: ſi verò bona reliquerit, & ad Cameram Apoſtolicam pertineant, ex his funerandus eſt: vel ſi ad Eccleſiam pertineant, prout in multis ditionibus ab Eccleſia expenſæ iſtæ ſunt refundendæ, ut Epiſcopi hærede. 77

Similiter dicendum de Vicario perpetuo, qui ex fructibus beneficii debet alimenta percipere, *c. Extirpandę 30. §. quia verò, de prębendis*, *Clement. quę de Offic Vicarii.* Ideòque ſi ſuperſint redditus, & fructus Vicariæ, ex illis eſt ſepeliendus: quapropter Medicis *q. 4. n. 10.* Lavor. *c. 16. n. 39.* non abſque explicatione admittendi ſunt, aſſerentes abſolutè expenſis Eccleſiæ Vicarium perpetuum eſſe ſepeliendum, quæ niſi in ſubſidium ad id non tenetur, quando deficerent bona Vicariatus perpetui. 78

Idque

79 Idque magis explicatur, potest enim aliqua dignitas habere annexam Ecclesiam Parochialem, in qua ab Episcopo est deputandus Vicarius perpetuus, cum assignatione congruæ, ex Tridentino *sess. 7. de reformat. c. 7.* quod id præcipit fieri, etiamsi in litteris unionis sit clausula expressa, ut possit deserviri per Vicarios amovibiles, dummodo unio facta fuerit ante Concilium. Explicant Navarrus *cons. 11. de stat. Monach. n. 9.* Mena *var. lib. 2. q. 10. n. 39.* Garcia *de Beneficiis, 11. par. c. 2. à n. 5.* Barbosa *in d. cap. Extirpandæ 30. de præbend. n. 7.* Hinc enim assignata congrua Vicario perpetuo, restant alii quamplures fructus, quos percipit dignitas ab ipsa Ecclesia Parochiali, & in hoc casu non admitto doctrinam Medicis, & Lavorii, ut quando Vicarius perpetuus pauper decedit, ab Ecclesia ipsa sepeliatur; tunc enim expensæ istæ sunt erogandæ ab ipsa dignitate, & eam possidente, ex fructibus, quos percipit ab Ecclesia Parochiali; nam fructus isti sunt separati à Fabrica Ecclesiæ, ad curam, & administrationem, illiusque personam administrationi inservientem; quapropter eorum est onus alere, & sepelire Vicarium perpetuum inservientem priùs quàm possidentem dignitatem: Ergo ex eis est sepeliendus Vicarius perpetuus, & non expensis Ecclesiæ; hæc autem tantùm in subsidium tenetur, quando omnes fructus destinati ad curam illam deficerent: quo etiam modo explicandi sunt ipsi asserentes, Vicarium temporalem funerandum expensis Ecclesiæ. Medicis *d. qu. 4. n. 11.* Lavor. *n. 30*

80 Summus Pontifex expensis Cameræ Apostolicæ sepelitur, *ex Clem Ne Romani, de Elect.* & Bulla S. Pii V. *In eligendis*. Cardinalis autem Legatus expensis Prælatorum Provinciæ, in qua est constitutus; idque intelligendum quando non habuerit redditus sui officii. Cardinalis verò non Legatus, si redditus suæ Ecclesiæ non habuerit, expensas præstabit Ecclesia. Nuntius Apostolicus non habens unde funeretur, expensis Cleri ubi mittitur, sepeliendus est: Visitator Apostolicus, expensis Provinciæ, ubi constituitur. Ubaldus *de can. port. c. 13.* Medicis *d. q. 4. à n. 1.* Lavor. *d. c. 16. à n. 30.* Collector Apostolicus ex salario deputato per Sedem Apostolicam funerandus erit. Medicis *ubi proximè, n. 7.* Lavor. *n. 7.*

81 Canonicus, ex fructibus suæ Præbendæ sepelitur, quos fecit suos. Idem est dicendum de fructibus duarum Præbendarum, si illas habuerat; si verò fructus non existent, ex bonis hæreditatis tumulatur, quibus non existentibus, ex fructibus Præbendæ nondum susceptis, ut notatur *in c. Si Canonici 2. de offic. Ordinarii in 6* Petrus Ubaldus *d. c. 13. n. 5.* Medicis *dict. q. 4. n. 12.* Lavor. *d. c. 16. n. 40.* Coadjutor de redditibus Beneficii, cui præest, sepelitur. Lavor *n. 44.* Medicis *n. 16* Capellanus ex redditibus Capellaniæ; si verò simul cum Capellania habuerit Ecclesiam curatam, ex redditibus Ecclesiæ Curatæ; ubi residentiam faciebat, & curam impendebat, funeratur. Medicis *ubi proximè, num. 14.* Lavor. *num. 42.* Commendatarius, ex redditibus suarum Ecclesiarum. Lavor. *num. 43.* quæ quidem doctrinæ sunt intelligendæ, ut diximus suprà, de aliis Prælatis, & Curatis.

82 Abbas Monasterii expensis Monasterii est sepeliendus, quando mensa Abbatis non est divisa; si tamen fuerit separata, mensæ expensis erit tumulandus: nam fructus illi sunt deputati ad sustentationem, & funeris expensas illius. Quod idem de alio quolibet Prælato Regularium dicendum est. Religiosus verò, seu Canonicus Regularis, expensis Monasterii sepeliendi sunt: quod si in partibus decesserit, Abbas, seu Prælatus tenetur mittere pecuniam, ut sepeliatur, *cap fin. de sepult. lib. 6.* Ubi DD. Medicis *d. q. 4. à num. 27.* Lavor. *cap. 16. num. 45.* Si verò Monachus præest Beneficio manuali, quod est de membris Monasterii, de fructibus Ecclesiæ, cui præest, sepelitur. Ubaldus *cap. 13. n. 4.* Medicis *nu. 28.* Novitius verò, qui nondum Religionem professus est, ut suis bonis patrimonialibus sepeliendus est; si verò non habeat aliqua bona, Monasterii expensis sepulturæ datur. Quod idem dicendum de monialibus nondum professis. Advertendum est tamen, quod si aliquid Monasterium jam receperit, retentis expensis, reliquum restituet. Medicis *qu 4. nu 20.* Lavor. *c. 16. nu. 46.* Jul. Capponi *tom. 5. discept. 325. per tot.* Villalobos *tract. 30. difficult. 4. n. 4.*

83 Denique in calce hujus capitis agendum est nobis de privilegiis sumptum funerum; & in primis funeris impensa ex omni hæreditate ante omnia est deducenda, *l. Impensa 45. ff. de Relig. & sumpt. fun. l. Quæsitum 2. ff. de Privileg. credit. l. 12. tit. 13. par. 1.* Ita ut etiamsi caduca fuerit hæreditas, ante solutionem cujuscumque debiti sit deducenda, *l. Papinianus 8. § 4. ff. de inoffic. testam. l. Restituenda 4. C. de petit. hæredit. dict. l. 12. par.* idque optima ratione; nam ut dictum est, causa ista publica est, & magnæ pietatis, religionis: quapropter non solùm consideratur debitum, & æs alienum, *l. 1. l. Si quis 12. ff. de Relig. & sumpt. fun.* ubi Asinius; sed etiam cum maxima prælatione omnium debitorum. Lavor. *cap. 16. à n. 6.* Samuel *dict. disp 4. controvers. 15 conclus. 6.* Gamma *dec. 308. num. 1.* Garcia *de Expensis cap. 8. num 18* Mena *var. lib 1. q. 6. art. 3 num 8.* & minuit legitimam filiorum. Merlinus *de legitima, lib. 2. tit. 1. q. 15.* Bossius *de Dot. cap. 19. n. 70.* Franzo *in Apparat. num. 114* Quod quidem intelligendum est de expensis congruentibus, & necessariis ad qualitatem personæ. Si tamen magnæ fierent expensæ, id in præjudicium legatariorum erit admittendum, non verò legitimarum, ad quas semper Jus benignè prospexit, ut benè considerat Gamma *decis. 308. n. 2.* Bossius *cap. 19. n. 70. in fin.* Marchetus *tit. 40. de sepult. num. 40.*

Hinc etiam funeris impensa privilegiata est, & tacitam 84
hypothecam pro se continet, quæ quidem pro ea repetenda conceditur creditori, *§. fin. Inst. de leg. Falcid l. penult. ff. de Religios. & sumpt. fun. l. fin. §. in computatione*, ubi DD. *C. de jur. deliber.* Quapropter aliis creditoribus anterioribus præfertur. Quod quidem extendendum est, etiamsi tacitam hypothecam habeant, ut habet dos. Ratio est, nam ut benè considerat Surdus *dec. 255. n. 11.* funeris impensa continet causam publicam, & est utilitatis publicæ: quapropter præfertur utilitati privatæ, idcircò præfertur anterioribus creditoribus, etiam tacitam hypothecam habentibus. In dote tamen, licèt DD. communiter hanc prælationem admittant, est aliqua difficultas, nam etiam continet causam publicam, ut habeat similе privilegium, *ex l. 1. ff. solut. matrim.* Ergo nequit doti præferri, ex vulgari regula, Privilegiatus contra alium privilegiatum nequit uti privilegio, *l. Sed & similes 8. in principio, ff. de excusat. tut. l. Assiduis, vers. in duabus, C. Quipot. in pign. habeantur.* Peregrinus *de fideicommiss. art. 3. num. 70.* Cevallos *q. 756. n. 41.*

Sed tamen adhuc in dote similis prælatio admittenda 85
est. Ratio, nam mulier ipsa, quando maritus pauper est, nec habet unde funeretur, tenetur illum ex dote sepelire, ut diximus suprà. Surd. *dec. 255. num. 12.* Ergò necessariò debet concedi talis prælatio. Cæterùm, nam licèt in dote versetur utilitas publica, attamen major utilitas publica versatur in funeris impensis; regula enim illa procedit quando privilegium æquale est, ut *in d. l. Assiduis, vers. in duabus*; non tamen quando unum privilegium fortius est altero, ut tradunt Sfort. Oddus *de Restit. 1. par. qu. 18. art. 4. num. 32.* Gratian. *discept. tom. 4. cap. 661. à num. 13.* Novarius *in Praxi elect. q. 21. nu. 10.* Privilegium enim funerum impensæ est fortius, quàm privilegium dotis, quia continet majorem causam publicam: Ergo non solùm impensa funeris præferenda est anterioribus creditoribus habentibus tacitam hypothecam, sed etiam doti. Gomez *in l. 20. Tauri, n. 2.* Gregorius *in l 30. tit. 13. par. 5. gloss. final.* Azevedus *in l. 12. tit. 6. lib. 5. Recopilat. n. 4.* Mieres *de Majorat. 1. par qu. 26. num. 2.* Guttierrez *pract. lib. 2. qu. 72. à num. 1.* Gratianus *dict. cap. 94. à num. 1.* Medicis *dict. 2. par. qu. 5. num. 73.* Rodriguez *de concursu, 1. part. art. 3. num. 2.* Bossius *d. cap. 19. num. 70.* Lara *de Anniversar. lib. 1. c. 25. num. 23.*

Sed est dubium grave, an funeris impensa præferatur 86
creditoribus anterioribus, habentibus expressam hypothecam. Prima sententia negat, ex decisione textus *in l. Et si quis 14. §. Si colonus, ff. de Relig. & sumpt. fun.* ubi asseritur funeris impensam esse præferendam personalibus creditoribus tacitam hypothecam habentibus: Ergo non habentibus expressam. Cæterùm probatur, nam dos licèt præferatur tacitæ hypothecæ anteriori, non tamen expressæ, ut est textus *in d. l. assiduis*. Ergo licèt funeris expensa præferatur creditoribus habentibus tacitam hypothecam, non ita expressam. Deinde pro hac sententia Nostrates ponderant legem 30. *Tauri*, legem 13. *tit. 6. lib. 5. Recopilat.* ubi decernitur, funeris impensam deducendam esse de quinto bonorum, ad cujus deductionem prius omnia debita ex

hære-

hæreditate extrahantur. Unde ſupponitur, funeris impenſam nullam habere prælationem aliis debitis: Ergo multò minùs habentibus expreſſam hypothecam. Accurſius *in l. impenſa* 45. *ff. de Relig. & ſumpt. fun.* Ripa *in l. queſitum* 2. *de Privilegiis credit. n.* 8. Neguzantius *de pign. 2. membr.* 5. *par. n.* 28. Novell. *de dot. par.* 10. *limitat.* 9. Vanderanus *de privilegiis credit. c.* 3. Franch. *dec.* 51. *per tot.*

87 Secunda ſententia tenet contrarium, & deducitur ex deciſione communi affirmante, funeris impenſam priùs eſſe deducendam, quàm omne æs alienum, *l.* 1. *§. penult. ff. de Relig. & ſumpt. l. fin. §. in computatione, C. de jur. deliber. l.* 30. *tit.* 13. *par.* 1. aſſerens, priùs eſſe deducendam funeris impenſam, *Antes que paguen ninguna coſa de las mandas, que fiziſſe en ſu teſtamento, ni de las deudas que debia, en qualquiera manera que las deba.* Quæ verba jus commune declarantia oſtendunt, non ſolùm funeris impenſam præferri tacitis hypothecis, ſed etiam expreſſis, cùm apertè dicant, eſſe præferendam omnibus anterioribus creditoribus, non ſolùm tacitam, verùm expreſſam hypothecam habentibus; hoc enim totum includit lex illa, dicens: *De qualquiera manera que las deba.* Cæterùm ratione probatur, nam hoc privilegium prælationis, competens funeris impenſis, nititur ratione juris divini, *Tob. cap.* 1. & 2. tum *cap.* 14. *lib.* 2. *Regum, cap.* 2. Tum Juris naturalis, & Civilis ratione & æquitate, *l.* 1. §. *Interdum, ff. de mort. inferend. l. Si quis* 12. *l. At ſi quis* 14. §. *Interdum, l. Sunt perſonæ* 43. *ff. de Religioſ.* Idcircò tamquam naturale debitum cenſetur. Ariſtoteles *lib.* 1. *Rhetor. ad Theodoctem, cap.* 13. Plato *lib.* 4. & 12. *de legibus*, Cicero *lib.* 2. *de legibus*. Quapropter funeris impenſa non ſolùm habet prælationem creditoribus anterioribus, habentibus tacitam, ſed expreſſam hypothecam, cùm etiam reſpectu omnium creditorum vigeat eadem ratio omnium jurium, tam divinorum, quàm naturalium, & Civilium. Surd. *dict. dec.* 255. *num.* 16. Azevedus *in l.* 13. *tit.* 6. *lib.* 5. *Recopilat. num.* 8. Duenas *reg.* 397. *num.* 7. Garcia *de Expenſis, cap.* 8. *num.* 19. & 23. Gomez *in dict. l.* 30. *num.* 2. Guttierrez *in dict. lib.* 2. *qu.* 72. *à num.* 4. Pichard. *in §. Cùm autem* 3. *inſt. de lege Falcidia, n.* 8. & *in §.* 20. *inſt. de Act. in l. Privilegia, n.* 30. Rodriguez *dict.* 1. *p. art.* 3. *à n.* 3. Mena *var. lib.* 1. *q.* 6. *art.* 3. *num.* 11. Oſuald. *ad Donellum, lib.* 23. *Comment. cap.* 15. *lit. E.* Iranzo *in Apparat. num.* 121.

88 In hoc dubio in primis præmittendum, in præſenti diſquiſitione conſiderandum, non de omnibus impenſis funeris eſſe difficultatem, quæ ſecundùm qualitatem perſonæ debent fieri, aut quæ à teſtatore fuerunt præceptæ, ſed tantùm de impenſis neceſſariò faciendis in die obitus, veluti quod expenditur pro pulſatione campanarum, pro cera, ſepulchro, Miſſa illius diei, oblatione, & alia neceſſaria ad funus; in his enim eſt difficultas, nam de aliis Miſſis, aut aliis oblationibus, veſtibus lugubribus, & aliis ad pompam attingentibus, minimè eſt diſceptatio, ut conſtat ex legibus de prælatione debitorum loquentibus, quæ tantùm agunt de neceſſariis ad funeris impenſam, *l. Funeris ſumptus* 37. *l. penult. ff. de Relig. & ſumpt. funer.* Covarr. *in cap. Raynaldus, de teſtam.* §. 3. *n.* 3. Et ratione probatur, nam privilegium hoc ſolùm conceditur, ne defunctus maneat inſepultus, quod inhumanum eſt. Mena *nu.* 11. Ergo non debet intelligi, niſi in neceſſariis ad funus conficiendum, ut humatus relinquatur; non verò ad alia quamtumvis pia facienda pro anima defuncti. Guttierrez *dict. qu.* 72. *num.* 5. Gratian. *diſcept. dict. cap.* 94. *num.* 17. Boſſius *dict. num.* 70. *in fine*, Rodriguez *dict. art.* 3. *num.* 11. & 12. quid id extendunt ad expenſas ultimæ infirmitatis, ex qua deceſſit, cùm eadem ſit ratio conſervandi vivum, ac ſepeliendi defunctum. Gomez *in dict. l.* 30. *Tauri, n.* 3. Porzelin. *de invent. cap.* 4. *num.* 5. Cancer. *var.* 1. *part. cap.* 9. *numer.* 9. Oſuald. *ubi proximè*, Rodriguez *dict. art.* 3. *num.* 10.

89 In his igitur eſt difficultas, an impenſæ iſtæ præferantur anterioribus creditoribus expreſſam hypothecam habentibus? Et in ea eſt admittenda ſecunda ſententia affirmativa, ut eſt appoſitiſſimus textus *in l. Impenſa* 45. *ff. de Relig. & ſumpt. funer.* ibi: *Semper;* & ibi: *Omne creditum.* Quæ verba comprehendunt debitum etiam cum expreſſa hypotheca; generalitas enim illa nihil excludit, *l.* 1. §. *Generaliter, ff. de legat. præſt. l. fin. ff. de pen. legat. cap. Soliſæ, de majorit. & obed.* Eſcobar. *de ratioc. c.* 7. *nu.* 47. Gonzalez *ad regul.* 8. *gloſſ.* 6. *num.* 21. ſuntque etiam jura Regia *in l.* 12. & 30. *tit.* 13. *p.* 1. eadem generalitate loquentia, prout ſuprà expendimus. Unde communiter DD. deducunt, privilegium hoc extendendum etiam ad anteriores expreſſas hypothecas. Deinde ratio hujus prælationis ſimiliter procedit, quando eſt tacita, aut expreſſa hypotheca; nam cauſæ publicæ intereſt æqualiter in uno, ac in alio caſu defunctum inſepultum non relinquere. Ergo ſicut datur prælatio funerum impenſis adversùs tacitam, ſimiliter adversùs expreſsam hypothecam, ut benè conſiderat Gratian. *c.* 94. *nu.* 4. Prætereà cauſa iſta publica prævalet pluſquam privata creditoris habentis expreſsam hypothecam, ut patet: Ergo debet concedi prælatio etiam adversùs eum. Denique textus *in d. l.* 14. §. *Si colonus, ff. de Relig.* quem pro ſe adducunt contrarii, nihil concludit adversùs ſecundam; nam ex eo quod dicat in ſpecie coloni reſpectu inventorum, & illatorum, præferri funeris impenſam, quia ſunt tacitè hypothecata, non tamen negat, præferri hypothecæ, ſed loquitur tantùm Conſultus in una ſpecie, in qua non erat, niſi tantùm tacita hypotheca; quapropter nequit inde fieri argumentum concludens ad probandum, non eſſe præferendam funeris impenſam expreſsæ hypothecæ. Igitur ſemper contra expreſsam hypothecam præferenda eſt funeris impenſa, ut cum multis docet Gratian. *c.* 94. *à n.* 2. Cancer. *cap.* 9. *num.* 9. Joſeph. Ludoviſ. *dec.* 78. *num.* 22.

Hinc adnotandus eſt Surd. *dec.* 112. *nu.* 4. aſſerens hæ- 90
dem acceptantem hæreditatem cum beneficio inventarii, ſi expenſas funeris fecerit, eas de hæreditate retinere poſſe adversùs creditores habentes expreſsam hypothecam, quia ex eo quod acceptavit cum beneficio inventarii, ſemper indemnis debet ſervari; non verò ſi alius tertius eas fecerit, ad quas repetendas non præfertur adversùs creditorem habentem expreſsam hypothecam. Sed tamen Grat. *c.* 94. *n.* 9. Surdum non admittit, & recta ratione; quia licèt hæres ob rationem Surdi habeat minus dubium retinendi expenſas funeris adversùs anteriorem tacitam hypothecam; attamen id non excludit, quin alius tertius agens actione funeraria, ſimiliter præferatur, cùm etiam in eo adſit alia cauſa habendi idem privilegium prælationis, nempe publica funeris, quæ potior eſt privati habentis expreſſam hypothecam, prout ipſe Surd. ſcripſerat *dec.* 255. *per tot.* Unde & mutuans creditor pecuniam ad funeris impenſam, dum tamen conſtet, pecuniam mutuatam converſam fuiſſe ad illas expenſas, ſimiliter creditum illud præfertur aliis creditoribus habentibus expreſsam hypothecam. Gratian *c.* 94. *n.* 11.

Eſt tamen aliquod dubium, an funeris impenſa præfera- 91
tur deponenti. Et in hoc dubio lex 9. *tit.* 3. *par.* 5. inquit, funeris impenſam eſſe præferendam in caſu depoſiti, ibi: *Por razon de la ſepultura.* Sed tamen ſub diſtinctione reſolvendum, an depoſitum ſit factum alicujus rei exiſtentis, & quę poteſt à domino deponente revindicari, & tunc deponens eſt in ea præferendus, etiam contra funeris impenſam. Ratio eſt, nam in re propria ſemper dominus eſt præferendus, prout eſt deponens in re per ſe exiſtente, *l. Si ventri*, §. *In bonis, ff. de privileg. credit. l. Cùm fundus* 31. §. *Servum tuum, ff. ſi cert. pet. dict. l.* 9. *tit.* 3. *part.* 5. Ergo etiam contra funeris impenſas. Si verò depoſitum factum fuit in his rebus pondere, numero, aut menſura conſiſtentibus, ut tantumdem redderetur, quia dominiu ad depoſitarium translatum eſt, funeris impenſa præfertur, etiamſi expreſsam hypothecam habuerit, ut eſt textus *in l.* 30. *tit.* 13. *p.* 5. ubi Gregor. *gloſſ. fin.* quamobrem dicta lex ex qua dubium iſtud exortum eſt, debet intelligi de hoc ſecundo modo depoſiti, ut ex ea conſtat, & rectè diſtinxit Guttierrez *q.* 72. *num.* 4.

Hæc de jure communi dicta intelligantur, de jure no- 92
ſtro Regio circa præſentem quæſtionem eſt major difficultas; nam *ex l.* 30. *Tauri, l.* 13. *tit.* 6. *lib.* 5. *recopilat.* diſpoſitum eſt, impenſam funeris eſſe deducendam de quinto bonorum, jam debitis omnibus extractis. Spino *gloſſ.* 2. *n.* 49. quapropter ex eodem jure videtur funeris impenſam minimè aliis creditis præferendam, ſive tacitam, ſive expreſsam hypothecam habeant; aut tantùm perſonalibus, ut exiſtimavit Mathienzo *in dict. l.* 13. *gloſſ.* 3. & *in l.* 7. *tit.* 16. *lib.* 5. *gloſſ.* 2. *num.* 2.

Sed tamen hęc doctrina Mathienzi communiter repro- 93
batur, quia licèt funeris impenſa de jure Regio ſit de quinto deducenda, ut apertè deciſum eſt in dictis legibus; attamen

men sunt duo casus distinguendi, scilicet quando hæreditas est solvendo; & tunc priùs omnia debita sunt solvenda, & ex reliquo deducitur quintum, ex quo solvuntur funeris impensæ. Si verò hæreditas solvendo non sit, sed tota in debitis solvendis consumatur, aut quintum non sufficiat, tunc prælatio concedenda est funeris expensis, etiam contra omnes creditores, sive tacitam, sive expressam habeant hypothecam, & intrant omnes doctrinæ de jure communi recensitæ. Covar. *in cap. Raynaldus*, §. 3. *n.* 2. Royas *in Epitom. succeſſ. c.* 9. *n.* 23. Guttierrez *d. quæſt.* 72. *nu.* 6. Pichard. *in d.* §. *cùm autem, inſt. de leg. Falcid. n.* 10. Rodrig. *d. art.* 3. *n.* 9. *verſ. Nec obſtat.* Lara *de Capell. lib.* 1. *c.* 25. *n.* 23. & 24.

94 Deinde est alterum privilegium adversùs creditores, nempe ut quando debitor defunctus non habeat unde solvat, neque cadaver sequestrari, aut aliquo modo detineri ne sepeliatur, *l. fin. cum duabus ſeqq. Auth. Cod. de ſepulchr. violat. l.* 12. & 13. *tit.* 9. *part.* 7 *l. fin. tit.* 13. *part.* 1. Et ratio est, nam ex ejus detentione nullum commodum creditoribus provenit. Tum corpus facillimè corrumpitur, unde horrendus fœtor, & pestis valet generari: quamobrem justissimè statutum est, ne aliquo modo, nec à Judice Ecclesiastico ex instantia creditorum detineatur. Grammaticus *decis.* 82. Lara *de Anniverſ. lib.* 1. *cap.* 52. *n.* 9. Gomez *var. tom.* 2. *cap.* 11. *nu.* 56. Baeza *de inope debit. cap.* 1. *nu.* 29. Covar. *lib.* 2. *var. cap* 1. *num.* 10. Garcia *de expenſis, cap.* 8. *nu.* 19. Menochius *de Arbitrariis, caſu* 487. *nu.* 16. Marchetus *tit.* 40. *nu.* 40.

95 Est verò dubium, an quando debitum est liquidum, & exequutivum per instrumentum guarentigium, possit corpus defuncti sequestrari, aut detineri, ne sepeliatur donec debitum solvatur? Prima sententia affirmat, nam jura interdicentia, ne cadavera detineantur pro aliquo debito, debent intelligi quando debitum non est liquidum, & in disquisitione causæ multum temporis est impendendum; tunc enim ob corporis corruptionem minimè est detinendum: non verò quando causa exequutiva est, & liquida, ac breviter discutienda; quo quidem casu nullo modo procedit illud inconveniens. Præterea in his instrumentis persona, & bona obligantur; quapropter si debitor non habeat bona, aut fidejussores non dat, carceri mancipatur, & detinetur. Parladorius *lib.* 2. *rer. quot cap. fin.* 5 *p.* §. 5. *per tot.* Bolanos *in curia*, 2. *p.* §. 17. Ergo similiter dicendum quando fuerit defunctus; non enim per mortem ab illa obligatione liberatur. Tenent Angelus *in Auth. Vt defuncti funera, &c.* §. 1. Hippolytus *ſign.* 119. Segura *in l. Si ex legati cauſa, ff. de verb. obligat. nu.* 37.

96 Secunda sententia communis & contraria tenenda est, quia jura interdicenda, ne funus detineatur, summa æquitate, humanitate, & Reipublicæ bono nituntur; quapropter etiamsi debitum liquidum, & exequutivum sit, nequit funus detineri, nec corpus sequestrari. Tum quia nulla causa ita est brevis, ut priùs cadaver non corrumpatur; promptè enim cadavera humana, sicut & cætera, corrumpuntur; & citiùs quæ sanguine prædita sunt, quòd calido simul, & humido temperamento sint, quorum utrumque principium corruptionis est. S. Thomas 3. *par. q* 51. *art.* 3. Paulus Zacchias *qu. Medicolegal. lib.* 4. *tit.* 1. *qu.* 10. *à nu.* 1. quapropter semper durat illud inconveniens corruptionis, horroris, & pestis, si quamcitò non funerentur, etiamsi debitum liquidum, & exequutivum sit. Denique in libero homine, & ejus corpore, non cadit pignus, seu hypotheca, *l. qui filios* 6. *Cod. quæ res pign. oblig. poſſunt, c. ex reſcripto* 9. *de jurejur.* Ergo nullo modo cadaver valet pro debito detineri, etiam pro debito liquido, & exequutivo. Gomez *in d. c.* 11. *n.* 56. Rodriguez *dict.* 1. *par. de concurſu, ar.* 3. *n.* 7. Parladorius *dict. lib.* 2. 5. *par.* §. 4. *nu.* 26. Spino *in Specul. teſtam. gloſſ.* 2. *n.* 12. Bolanos *in Curia*, 2 *par.* §. 16. *in fine*. Menochius *dict. caſu* 487. *nu.* 20. Guttierrez *de juram.* 2. *par. c.* . . *nu.* 17. Salgado *de Regia protect.* 2. *par. cap.* 8. *n.* 74.

97 Qui *nu.* 72. asserit, minimè esse recipiendam appellationem, etiamsi creditor appellet à decreto, ne funus detineatur, sed statim humetur, *ex cap. ex part.* 5. *de ſepultur.* ubi dicitur, appellationem funus non suspendere. Tum quia corruptio corporis instantanea est, nec patitur dilationem; quo quidem casu non admittitur appellatio, *l. fin. ff. de Appellationib. recipiend.* Ergo nec in præsentiarum est admittenda, ut etiam tenet Pichard. *in princ. inſt. de interdict. nu.* 138. Ayllon *ad Gomez*, *d. cap.* 11. *nu.* 57.

Est tamen aliquis casus, in quo rectè cadaver detinetur, 98
& sequestratur, nempe manifesti usurarii, qui licèt de facto non restituat, aut ejus hæredes cautionem præstent de reddendis usuris, Judex tamen Ecclesiasticus rectè detineri præcipit, donec fiat restitutio, aut cautio ab hærede prædetur; quia aliter nequit sepeliri, etiamsi in suo testamento restituere jubeat, *c. quamquam* 2. *de usuris, in* 6. Zerola *verb. Funus, verſ.* 3. 1. *par.* Faria *ad Covar. l.* 2. *cap.* 1. *n.* 73. Salgado *dict. cap.* 9. *num.* 75. Aliàs creditor petens ut cadaver propter debitum sequestretur, aut detineatur, pœna amissionis debiti, & pecuniaria plectitur, *l. fin. Cod. de ſepulchr. violat. l. ult. tit.* 13. *p.* 1. Marchetus *tit.* 40. *n.* 38. Menochius *d. caſu* 387. *nu.* 16. Vela *de delict. tit.* 21. *de ſepulchr. violat.* Faria *d. nu.* 73. *in fin.*

CAPUT VI.

De testatis, & intestatis, circa funeris impensas, & alia opera pia. Et elucidantur lex 30 Tauri, lex 13. *tit.* 6 *libr.* 5. *Recopilat.* & lex 32. Tauri, lex 6. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopilat.*

SUMMARIUM.

Testatores, relictis filiis legitimis, de reliquo disponere possunt pro funeris expensis, & pro sua anima. Legitima ascendentium de jure communi est quarta pars bonorum, de jure verò Castellæ duæ partes, n. 1.

Legitima descendentium de jure communi est triens, aut semis, secundùm numerum liberorum: de jure autem Castellæ omnia bona sunt legitima descendentium, excepto quinto, de quo ad libitum disponit testator, de tertia verò parte non nisi inter descendentes, n. 2.

An pater disponere possit ultra quintum ad funeris expensas, & bonum suæ animæ? Aliqui negant, nu. 3. *Legitima est debitum de jure naturali & Civili, ibid.*

Alteri affirmant. Donationes remuneratorias minuere legitimas, plures asserunt, n. 4.

Verùm alii asserunt, hanc secundam sententiam admittendam si pater ditissimus fuerit, & filii amplam hæreditatem percipiant, n. 5.

In foro conscientiæ asserendum videtur, posse patrem ultra quintum aliquid disponere ad funeris expensas, & alia opera pia, n 6.

Sed contrarium defenditur. Leges legitimarum justæ sunt, & conformes juri naturali, & divino. Princeps habet potestatem obligandi in foro conscientiæ; etsi leges non declarent, obligant tamen, n. 7. *Verùm pater ditissimus aliquid poterit excedere ultra quintum ob parvitatem materiæ, n.* 7.

In foro fori, absolutè loquendo, Pater non poterit excedere ultra quintum; & si excedat, reducitur. Donationes remuneratoriæ in meliori sententia non minuunt legitimas, n. 8.

An filius possit excedere ultra tertiam partem ad funeris expensas, & opera pia, in præjudicium legitimarum ascendentium? Expenditur lex 30. *Tauri, nu.* 9. *Et ponitur ratio dubitandi, ibid. Resolvitur negativè, n.* 10.

Est casus quando ultra quintam, vel tertiam partem pater potest excedere, vel filius; nempe quando ad funeris expensas, & Missas necessarias secundùm qualitatem personæ, nec quintum, nec tertia pars sufficeret. Æs alienum censentur hæ expensæ necessariæ, quando quintum, vel tertia pars non sufficit, n 11.

An valeat dispositio ultra quintam, vel tertiam partem bonorum ad funeris expensas, & alia pia opera, si ascendentes, vel descendentes consenserint? Ponuntur rationes negantes. Pactum de non succedendo non valet, nu. 12.

Sed contrarium defenditur. Si patre dicente, filius se exhæredem scripserit, remanet exhæredatus. Gravamen potest imponi in legitima, si filius consentit, etiamsi juramentum non interveniat, n. 13.

Expli-

Explicatur textus in l. Si quando 35. §. Illud 1. Cod. de inoffic. teſtam. *n* 14. *Et reſpondetur rationibus dubitandi, n.*15. & 16.

*Eſt majus dubium, quando filius habuerit deſcendentes, vel pater alios filios, an poſſit præſtare conſenſum, ut teſtator diſponat ultra quintam, vel tertiam partem, ad has expenſas, vel alia opera pia? Prima ſententia negat. Filius habens creditores nequit conſentire, ut pater de ſua legitima diſponat. Nec qui habet ſucceſſores legitimos, poteſt nec in vita, nec in morte aliquid diſponere in præjudicium eorum, n.*17.

*Secunda ſententia tenet contrarium. In vita patris legitima non debetur, nec parentibus, vivente filio, n.*18. *Defenditur hæc ſententia, à n.* 19. *Non eſt alienatio hunc conſenſum præſtare, ſed non acquiſitio. Non dicitur in fraudem creditorum, ibid.*

Si hæc licentia, aut conſenſus præſtitus fuit ex intervallo ante actum teſtandi, non ſuſtinetur, niſi jurata, nu. 20.

*Quid vero, ſi filius habens deſcendentes, aut aſcendentes alios filios, & poſt factum teſtamentum approbaverit diſpoſitionem piam in legitima, an ſit validum? Non eſt quæſtio, ſi approbatur judicio generali: tunc enim certum eſt non valere, n.*21.

*Si conſenſus approbans eſt ſpecificus. Prima ſententia negat valere, n.*22. *Secunda ſententia tenet affirmativè, n.*23. *Admittitur, n.*24.

*Sed an agnita hæreditate poſſit filius habens deſcendentes approbare diſpoſitionem piam ipſius patris contra creditores: negarunt aliqui. Sed in ſpecie approbatio valebit in illa parte, de qua ipſe diſponere valet ad cauſam piam, n.*25.

*Examinatur Calderinus aſſerens, patrem expendentem dimidium bonorum in expenſis funeris, & aliis piis diſpoſitionibus, non eſſe admittendum; ſed integrè legitimas deducandas eſſe, & dimidium reliqui in illis piis diſpoſitionibus expendendum. Admittitur prima pars hujus aſſerti, quatenus ad reliquum dicitur totum in illis diſpoſitionibus piis expendendum, n.*26.

Gravamen impoſitum tollitur de legitimis, & in reliquo ſuſtinetur, & idem in legatis, ibid.

*An quando pater totum quintum in funeris expenſis, & legatis piis expenderit, verùm debeat alimenta filio ſpurio, minuenda ſint legata pia propter alimenta? Videtur negativè reſpondendum. Debita extrahuntur de tota hæreditate, n.*27.

*Sed de jure Caſtellæ contrarium eſt tenendum quando teſtator filios legitimos habuerit, etiamſi ad alimenta fuerit condemnatus, n.*28. *Secus ſi non habuerit filios, aut deſcendentes, n.*29.

Pater poteſt duobus filiis legare duo quinta, prout ibidem explicatur, num 30. *Sed dubitatur, ex quo quinto deducendæ ſint funeris expenſæ, & alia legata pia, ibid.*

*Aliqui dicunt ex ſecundo quinto deducenda, quando pater in vita primum quintum irrevocabiliter reliquit, n.*31

*Si pater legavit quintum extraneo, & aliud quintum filio, ex quinto extranei deducendæ ſunt expenſæ, & legata pia, n.*32.

Si vero duobus filiis duo quinta legaſſet, ut propriè quinta, unum ſolùm valet. Difficultas eſt, quando conſtaret, nu. 33.

*Refertur caſus, quando in vita pater irrevocabiliter legavit: & tunc dicunt DD. de ſecundo quinto eſſe deducendas expenſas, & legata pia, n.*34.

Sed contrarium defenditur, à n. 35. *In quinto irrevocabiliter donato intelliguntur exceptæ expenſæ funeris, & alia legata pia, &c. ibid.*

*Fit inſtantia, & reſpondetur, n.*36.

Quando quintum donatur filio in vita, & in morte alteri filio aliud quintum, præſumitur tertia pars ſecundum, nu. 37. *Expenditur lex* 26. *Tauri, nu.* 38 *Reſolvitur, de primo quinto eſſe expenſas, & legata pia deducenda, nu.* 39.

Pater in ſuo teſtamento poteſt duo quinta ſuis filiis relinquere, ut ibi explicatur. Interpretatur textus in l. 28. Tauri, *nu.*40. & 41.

In hac ſpecie dubitatur, de quo quinto ſint deducendæ expenſæ funeris, Miſſæ, & alia legata pia? Aliqui dicunt, de ſecundo; ſed de primo aſſerendum, numer. 42.

Expenſæ funeris priùs deducuntur de quinto, quàm aliæ legata; ſi quintum non ſufficiat, deducuntur de aliis bonis: ſi legatum fuerit quintum, & tertia pars, quod deficit de quinto, extrahitur de tertio, numer. 43.

Commiſſarius datus ad teſtandum, tenetur totum quintum expendere pro funeralibus, & anima defuncti, niſi filios, aut deſcendentes habuerit, ſi aliud non diſponit teſtator. Explicatur lex 36. *Tauri, nu.*44. *De jure communi non admittitur commiſſarius. De Jure Canonico intelligitur datus ad bona diſtribuenda inter pauperes, ibid.*

An quando teſtator habet filios, & deſcendentes legitimos, poſſit commiſſarius totum quintum expendere pro funeralibus, & anima defuncti? Prima ſententia affirmat, num. 45. *Secunda negat, nu* 46.

*Expenduntur leges Regiæ, & obſcuritatis nota deſignatur, num.*47. & 48.

*Explicatur dubium. Aliud eſt commiſſarium teneri totum quintum pro animo expendere, quanto ad ſunt deſcendentes, ſeu aſcendentes: aliud, an poſſit, ſi ſibi uiſum fuerit. Si ſunt deſcendentes, aut aſcendentes, non tenetur; ſecus ſi tantùm Collaterales, num.*49. & 50.

Sed an quando ſunt aſcendentes, aut deſcendentes, poſſit commiſſarius totum quintum expendere? Reſpondetur affirmativè, abſolutè loquendo, num. 51. *Defenditur, nu.* 52. *Quando eſt dubium, pro anima eſt pronunciandum, ibid.*

*Limita quando totum quintum expendere non fuiſſet neceſſarium, ut in exemplo adducto, n.*53. *Idem ſi fuiſſent plures filii, quibus ad alimenta damnum irrogatur, expendendo totum quintum, num.*54.

*Quando defunctus moritur inteſtatus, & non habet hæredes, tunc Judex ex bonis defuncti facit expenſas funeris, & alia opera pro anima, vendendo prius bona mobilia, quàm immobilia, nu.*55.

*Si vero fuerint hæredes, ad eos pertinet id agere, & in Caſtella quintum expendunt ſecundùm qualitatem perſonæ, n.*56.

Verùm in aliquibus ditionibus conſuetudo eſt, ut Judex ſe intromittat, vel Parochus, aut Vicarius Foraneus ad hanc diſpoſitionem animæ uſque ad mediocrem quantitatem. In Caſtella conſuetudo eſt, ut Judex diſponat de quinto, & conſuetudo iſta defenditur, n. 57. *Nemo poteſt eſſe Judex in cauſa propria, ibid.*

*An hæc conſuetudo debeat eſſe immemorialis? Affirmandum videtur, nu.*58. *Sed ſufficit ordinaria præſcriptio, n.*59.

*Defenditur, num.*60. *Conſuetudo præter jus præſcribitur ordinaria præſcriptione: ſed contrarium ſtatuitur, ibid*

Sed quid ſit Judex competens ad faciendas has diſpoſitiones pias inteſtati? Videtur aſſerendum, dari præventionem inter Judicem Eccleſiaſticum, & ſæcularem. Cauſa pia eſt mixti fori. Judex ſæcularis exequutor piarum voluntatum, cognoſcit aliquando circa ſpiritualia, & partim ſpiritualia, & temporalia, num. 61.

Sed contrarium defenditur latè, à num. 62 *In ſpiritualibus nequit laicus ſe intromittere, nec in aliis temporalibus inſeparabilibus ab ſpiritualibus. Judex Eccleſiaſticus cognoſcens de legatis piis, etiam cognoſcit de profanis, ibid. Jus numquam concedit facultatem imperfectam, ut actus imperfecti fiant, num.* 63.

*Voluntas præſumpta eſt defuncti, ut pro ſua anima proſpiciat poſt mortem, qui in vita eam rexit, n.*64.

*Aliqui negant, Judicem laicum poſſe cognoſcere de legatis piis, quorum ſententia admittenda, ſi legata ſunt ſpiritualia, num.*65.

Judex laicus nequit ſe intromittere in his diſpoſitionibus, & decretis ab Eccleſia, num. 66.

*Fit inſtantia, nu.*67. *Reſpondetur, nu.*68. *Eccleſia dat poteſta-*

teſtatem teſtatoribus, ut diſponant de ſpiritualibus ad bonum ſuæ animæ; quod non concedit Judicibus ſæcularibus, ibid.

Reſpondetur fundamentis contrariis. Quando diſponunt Judices de inteſtatis, non ſunt exequutores, ſed diſpoſitores. Judex ſæcularis, licet aliquando diſponat, circa ſpiritualia, admittitur ſolùm quoad factum, & ſic agnoſcit de Decimis, & de Matrimonio, num.69.

De jure communi in his inteſtatis diſponit Judex de quota neceſſaria, ſecundùm qualitatem perſonæ, bonorum, & occupationis, obſervatis quibuſdam circumſtantiis, de quibus ibi, n 70. & 71.

An in noſtra Caſtella totum quintum expendendum ſit in his inteſtatis. Prima ſententia negat, ſed concedit tantum ſecundùm qualitatem perſonæ, n.73.

Secunda ſententia diſtinguit, quando inteſtatus reliquerit neceſſarios hæredes; tunc enim totum quintum erogandum non eſt, ſecus ſi tantùm collaterales, numero 73.

Admittitur hæc ſententia quando ſunt hæredes collaterales: Si verò fuerint hæredes neceſſarii, arbitrio Judicis relinquitur, an totum quintum, an minus debeat expendi, num.74.

Quid dicendum, quando teſtator fecerit teſtamentum, & nihil de expenſis funeris, & Miſſis, & aliis piis loquutus fuerit? Et tunc quintum expendendum eſt, cum diſtinctione ſuprà relata, num.75.

Sed eſt difficultas, an tunc judex ſe intromittere poſſit ad diſpoſitionem inteſtati quoad pia. Affirmativè reſpondendum videtur, n.76.

Sed contrarium defenditur. Conſuetudo contra jus non extenditur ad alium caſum. Conſuetudo, quæ fit irrationabilis per extenſionem, non extenditur, n.77.

1 VT plurimùm teſtatores in ſuis teſtamentis diſponunt ea, quę ad funeris impenſas, & ad bonum ſuę animę conveniunt, per eleemoſynas, & alia opera pia: quod quidem ita obſervandum eſt, ut ſi habeant legitimos hæredes, & neceſsarios, non de omnibus diſponere poſſint; ſed relictis legitimis, de reliquo pro funere, & pro ſua anima ad libitum diſponere poſsunt. In noſtra Caſtella illud eſt expeditum, quod ſi habuerint teſtatores tantùm aſcendentes legitimos, quibus legitima debetur, minimè poſſit teſtator diſponere, niſi de tertia parte bonorum circa funus, diſpoſitioneſque alias ad animę bonum, vel in alia re, quę magis ei placuerit, *l.6. Tauri*, *l.1. tit 8. lib. 1. Recopilat.* De jure autem communi legitima aſcendentium erat quarta pars, hodie autem triens, *Auth. Noviſſima, C. de inoffic. teſtam.* ubi Caſtrenſis *num. 5.* Bart. *in l. Pater Filium, ff. de inoffic. teſtament. num.8.* Cancer. *1. par. var. cap.3. num.1.* Franchis *dec.47.* Riccius *collect. 105. part. 1.* Merlin. *de legitima, lib.1. tit. 2. qu. 12.* qua à teſtatore relicta, de reliquo ad libitum poterit filius diſponere circa funeris impenſas, & alia opera pia, vel ad profana, prout ſibi placuerit.

2 Si verò habuerit deſcendentes, veluti filios, nepotes; aut pronepotes, de jure communi legitima eis debetur; nec quicquam poterit teſtator diſponere in prejudicium illorum, ſed de bonis ſuperſtitibus; eſt enim eodem jure, aut triens, aut ſemis, ſecundùm numerum liberorum, nam ſi teſtator quatuor liberos, aut pauciores habuerit, triens legitima eſt; ſi verò quinque, aut plures, dimidia eſt pars bonorum. *Authent. de trient. & ſemiſſ. §. Hæc nos, Authent. Noviſſima, C. de inoffic. teſtament.* Cancerius *dict. cap.3. num.1.* Valaſco *de Part. cap.17. nu. 1.* Vela *diſſert. 11. à num. 77.* D. Olea *de Ceſſ. tit. 4. quæſt.5. num.15.* Molina *de Iuſt.tract.2. diſput.158.* De jure noſtro Regio omnia bona patris ſunt legitima filiorum, & aliorum deſcendentium, excepto quinto, quem poterit ad libitum expendere, & de eo diſponere ad funeris cauſam, & bonum ſuæ animæ, vel inter extraneos; de tertia verò parte, licèt pater poſſit diſponere, erit tantùm inter deſcendentes, *l. 17. & l. 30. cum ſequentibus Tauri, l.7. tit.6 lib.5. Recopilat.* Gomez *in l. 17. Tauri, numer. 1.* Valaſco *de Part. dict. cap.17. nu.2.* Pichardus *in §. fin. inſt. de inoffic. donat. num. 39.* Menchaca *lib. 2 de ſucceſſ. creat. § 20. num.192.*

3 Verùm eſt dubium, quod alibi tetigimus, an pater poſſit diſponere ultra quintum ad funeris expenſas, & alia opera pia, ad bonum ſuæ animæ? Et communiter negatur, id fieri poſſe à patre in præjudicium legitimorum filiorum. Et ratio eſt, nam legitima conſideratur in jure tamquam debitum de jure naturæ, & Civili, *l nam etſi Parentibus 15. ff. de inoffic. teſtament. l. Scripto 6. ff Vnde lib. l. Cum ratio 6. ff. de bon. damn.* Gomez *var. lib.1. cap.1. n.2.* Sed teſtator nequit in præjudicium creditorum, nec funeris expenſas, nec alia opera pia diſponere. Ergo nec in prejudicium legitimarum. Et confirmatur, nam ſolvere debita, & legitimas eſt juſtitia: aſt hæc opera pia non ex aliqua obligatione, ſed ex pietate, & charitate procedunt: Ergo contra legitimas filiorum nihil ultra quintum poterit pater diſponere, etiamſi ſit in cauſa funeris, aut alterius operis, quantumvis pii. Bald. *in Authent. Hoc amplius, C. de fideicom. col.1. verſ. Reſpondeo.* Valaſco *de part. cap. 17. num.8. & 24.* Merlinus, Boſſius, & Iranzo relati *cap. anteced. num 82.* Purpurat. *conſ.248 num.2.* Cyriac. *controverſ.304. n.17.* Guttierrez *pract. lib 3. q.62. à num.2.* D. Olea *de ceſſ. tit.4 qu.5. num.15.* Sanchez *de Matrim. libr. 6. diſp.36. num.6.*

Alteri tenent contrarium, & concedunt licentiam parentibus, ut ultra poſſint diſponere ad funeris expenſas, & alia opera pia pro ſua anima: & ducuntur, nam hæ expenſæ ut æs alienum conſiderantur; tum & alia opera pia conſiderantur donationes remuneratoriæ, quæ fiunt Deo Optimo Maximo, ob beneficia quotidie ab eo ſuſcepta; æs enim alienùm certum eſt minuere legitimas, quod & ſimiliter faciunt donationes remuneratoriæ. Tenuere Lupus *in Rub. de donat. § 50. num. 12.* Gomez Arias *in l. 26. Tauri, num. 9.* Caſtillo *in l. 29. Tauri, num. 29.* Azevedus *in lib 5. tit.2. lib. 2. Recopilat. numer. 30.* Navarr. *in Mant. Hiſp. cap. 28. addit. ad num. 36.* Ergo ſimiliter funeris expenſæ, & alia opera pia minuent legitimas, & pater poterit ultra quantitatem à lege taxatam aliquid ampliùs ad res iſtas relinquere. Cæterùm de jure noſtro Regio probatur *ex l. 30. Tauri*, ubi aſſerit, de quinto tantum eſſe deducenda legata liberalia, & gratioſa; hæ enim expenſæ funeris ſunt æs alienum: tum alia opera pia, donationes remuneratoriæ, & non gratioſæ, ut dictum eſt. Ergo poſſunt deduci de tota hæreditate, & conſequenter valida erit talis diſpoſitio in præjudicium legitimarum. Vega *in Summa, libr. 5. caſu 295.* qui aſſerit id admittendum ſaltem in foro conſcientiæ. Rodriguez *in Summa, tom.2. cap.93. num. 2.* Lopez *1. par. inſtruct conſcient. cap. 160. concluſ.7.* Sotus *in 4. diſt. 41. qu. unic. art.4.* 4

Tertia ſententia aſſerit, non ſemper patrem poſſe excedere legitimam filiorum, nec ad funeris expenſas, & alia opera pia, ſed tantùm quando ditiſſimus fuerit, & filii opulentam hæreditatem percipiunt; tunc enim ſi aliquid amplius excedat circa diſpoſitiones iſtas, caſſum non erit, nec ad legitimam reducetur; nam cùm filii opulentiſſimam hereditatem, & legitimas percipiant, nullum prejudicium recipiunt, aut parvum, quod non eſt in conſideratione; quapropter ſuſtinebitur talis diſpoſitio. Suarez *in l. Quoniam in prioribus, in declarat. ff. Regni, limit.1. nu. 2.* Azevedus *in l.1. tit.8. lib.5. Recopil. n.67.* Baeza *de melior. filiab. cap.27. num.29.* 5

Hæc difficultas in utroque foro eſt diſcutienda. In foro conſcientiæ aliqui dixerunt, leges legitimarum non obligare. Et ratio eſt, nam in illo foro tantùm alimenta filiis debentur, non verò aliqua certa portio, prout eſt in Jure Civili; idcircò leges illæ ad forum fori debent deſervire, non verò ad conſcientiam, ut ſcripſit Ludovicus à Concept. *1. tom. exam Theol. Mor. tr. 2. caſu 39. n. 47.* Unde ſecunda ſententia ſumit probabilitatem, dicens ultrà legitimam filiorum poſſe patrem aliqua diſponere, vel ad funeris expenſas, vel ad aliam cauſam piam. 6

Sed adhuc in hoc foro teneo contrarium, nam leges legitimarum juſtæ ſunt, & magna conſideratione factæ, ne ſtatus liberorum minuatur, ut augmentum Reipublicæ Chriſtianæ, & Chriſtianorum numerus floreat, defenſio Eccleſiæ, & Regnorum Catholicorum, relicta quantitate ſufficienti, ut parentes ſuæ animæ conſulant; idque totum conforme juri naturali, divino, & poſitivo, ut latè explicant Molina *lib.2. de primog. cap.1. num.14* Menoch. *lib.4. præſumpt.33.* Caſtillo *lib.3. controverſ. cap.5. à nu.33.* Carleval. *de Judic. tom.2. lib.1. tit.3. diſput.25. n.19.* Antunez 7

de donat. lib. 1. p. 3. c. 18. quapropter non ſolùm obligant in foro fori, verùm etiam in foro poli, prout etiam aliæ leges præceptivæ, & diſpoſitivæ Principum, habent efficaciam obligandi in foro conſcientiæ, ut eſt aſſertio, vel de fide, aut proxima fidei, ex illo Pauli *ad Romanos c. 13.* ibi: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem ei reſiſtunt, ſibi ipſis damnationem acquirunt.* Ubi dominationem, non ſolùm intelligunt patres apud ipſos Principes, ſed & apud Deum, ut explicat Chryſoſtomus *homil 23.* D. Thomas *1. 2. q. 96. art. 4* Bellarmin. *tom. 2. lib. 3. de laicis, c. 11.* Turrian *adversùs Magdeburg. cap. 9.* Layman *in Summa, l. 1. tract. 4. cap. 14. à num. 1.* Bonacina *de legibus, diſput. 1. q. 1. punct. 7. §. 1. propoſit. 1. à num. 1.* Suarez *de legibus, l. 3. cap. 21. per tot.* & etiamſi non declarent, obligant quando materia gravis eſt, ut eſt in præſentiarum. Sot. *l. 1. de juſt. qu. 6. art. 4.* Becan. *tract. 3. cap. 6. qu. 3. num. 11. & 16.* Clavis Regia *lib. 3. cap. 7. num. 29.* Filliuc. *in Summa, tr. 21. cap. 11. q. 8. num. 421.* quapropter aſſerendum, leges legitimarum in conſcientia obligare, prout in foro exteriori, adversùs quas nequit pater abſque gravi peccato notabiliter excedere, etiam pro expenſis funeris, vel alterius cauſæ piæ. Unde Doctores tertiæ ſententiæ non ſolùm in foro fori, ſed & poli admittendi ſunt, quatenus dicunt, patrem habentem ditiſſimam hæreditatem, poſſe aliquid excedere ultra legitimas ad cauſam piam pro ſua anima; nam, ut diximus, ſolùm peccabunt quando notabiliter excedent, gravi culpa; venialiter tamen, ſi materia non ſit gravis. Verùm reſpectu tam amplæ hæreditatis, ſi aliquid modicum excedant, materia parva cenſenda eſt, ſed parum pro nihilo reputatur, *l. 1. §. proinde, ff. de Ædil. edict. cap. Coram dilecto 34. de offic. delegat.* Hippolytus *ſing. 276.* Mangilius *de imput. qu. 51. num. 7.* Marius Antoninus *l. 2. var. reſol. 18. num. 6.* Unde nec venialiter delinquent.

8 In foro tamen exteriori neutiquam admittenda eſt ſecunda ſententia, abſolutè loquendo; ſed prima aſſerens, patrem non poſſe excedere, nec quoad expenſas funeris, nec quoad alia opera pia, ultra partem à jure ſibi permiſſam, ut eſt de jure Regio quintum bonorum; quin potiùs ſi de facto excedat, reductio ad quintum facienda eſt, *l. 13. tit. 6. lib. 5. Recopilat.* Et ratio eſt, nam cùm legitima debitum ſit filiorum, & neceſſariò eis relinquenda, *l. 17. tit. 1. par. 6.* Gomez *in l. 14. Tauri, num. 80.* ſi extra quintum excedat, etiam propter funeris expenſas, vel alias cauſas pias, id non erit pium, ſed grave peccatum, perpetratum in præjudicium filiorum, ut benè conſiderant Covarruv. *in c. Cùm in officiis, de teſtam. num. 6. & 7.* Guttierrez *de juram. 1. par. c. 5. num. 28. & l. 2. q. 72. num. 4* Ergo minimè poterit excedere ultra quintum, ad funeris expenſas, vel ad alia opera pia; & ſi de facto exceſſerit, reductio facienda eſt ad quintum. Deinde donationes remuneratoriæ in meliori ſententia non ſunt extrahendæ, niſi de quinto hæreditatis; nam licèt ex debito morali procedant, non tamen ex aliquo debito juſtitiæ, ut deducantur de tota hæreditate, *l 8. tit. 4. par. 5.* ubi Gregor. Guttier. *de juram. 1. par. cap. 5. à num 24. & l. 3. pract. qu. 43. num. 16.* Angulo *de Meliorat. l. 12. gloſſ. 12. num 17.* Pinellus *in l. 1. C. de bon. matern. 3. p. n. 60.* Sanchez *dict. l. 6. diſput. 36. nu. 4.* Unde licèt diſpoſitio funeris expenſarum, & alia opera pia ſint remuneratoriæ donationes, Deo præſtandæ, de quinto ſunt deducendæ, non verò tamquam debitum ex tota hæreditate; quare nec pater ultra quintum ad has diſpoſitiones poteſt diſponere; & ſi de facto diſpoſuerit, debet fieri reductio ad quintum. Cæterùm, nam ut ſcripſit Sanchez *diſput. 36. num. 6.* hæ piæ diſpoſitiones minorem habent rationem debiti, quàm donationes remuneratoriæ; quia donatio remuneratoria eſt debitum ex gratitudine, ex qua etiam hæ piæ diſpoſitiones non debentur. Ergo licèt remuneratoria donatio deduceretur ex tota hæreditate, ex ſententia aliquorum Doctorum, non benè infertur, etiam eſſe deducendas expenſas immodicas funeris, & alia opera pia; quin ſi quintum excedant, ſunt omninò reducenda, ut benè diſſerit D. Olea *d. tit 4. qu. 5. nu. 15.* Vela *diſſert. 43. num. 7.*

9 Sed eſt majus dubium, an hæc reſolutio ſit admittenda in legitimis aſcendentium, ita ut ſit ultra tertiam partem teſtator diſpoſuerit ad funeris expenſas, & alia opera pia, valida ſit diſpoſitio? Et affirmandum videtur, *ex l. 30. Tauri*, ubi ſolùm dicitur, patrem teſtatorem non poſſe pro anima diſponere ultra quintum, etiamſi expreſsè id ab eo fuerit diſpoſitum; non tamen loquitur de legitima aſcendentium. Ergo ſi teſtator ad funeris expenſas, vel ad alia opera pia, ultra tertium bonorum diſpoſuerit, expreſsè id validum erit. Et confirmatur, nam legitima aſcendentium tantùm à jure poſitivo conceſſa eſt ad ſolatium liberorum amiſſorum, nec ita debita eſt, prout legitima liberorum, *l. Nam etſi 15. ff. de inoffic. teſtam. l. Jure ſuccurſum 6. ff. de jur. dot. l. Scripto 6. in fin. ff. unde l. 4. tit. 13. p. 6. l. 6. Tauri.* Ergo ſi expreſsè teſtator ultra tertiam partem bonorum diſpoſuerit ad funeris expenſas, vel ad alias cauſas pias, id erit ſuſtinendum.

Sed adhuc in hac ſpecie contrarium eſt tenendum. Et 10
ratio eſt, nam eadem ratio, quæ procedit in legitima filiorum, eſt in legitimis aſcendentium, cùm etiamſi de Jure Civili debeantur, verè, & ex juſtitia eis debentur: Ergo ſicut eſt gravis culpa, & non opus pium, quintum excedere ad funeris expenſas, & alia opera pia, reſpectu filiorum: ſimiliter nec excedere tertiam partem reſpectu aſcendentium: quapropter leges Regiæ diſponentes funeris expenſas, & alia opera pia ex ſolo quinto, & non ultra eſſe extrahendas, etiamſi contrarium diſpoſuerit teſtator in præjudicium filiorum, ſimiliter ſunt extendendæ ad legitimas aſcendentium. Idque apertè diſponere videntur lex 6. Tauri, & lex *1. tit. 8. l. 5. Recopil.* ubi filiis, & aliis deſcendentibus conceditur diſponere ad bonum ſuæ animæ, ſolùm in tertia parte bonorum, non verò ultra. Ergo etiamſi diſponant, nullum, & irritum erit. Caſtill. *in d. l. 6. verbo por ſu Alma.* Mathienzo *in d. l. 1. tit. 8. lib. 5. gloſſ. 8. num. 8.*

Aſt verò, licèt abſolutè loquendo, ſuprà tradita ſint 11
admittenda: aſt eſt caſus, quando ultra quintum, vel tertiam partem bonorum, expenſæ funeris, non verò alia opera pia, ſunt deducendæ, & ad id filii, deſcendentes, ſeu aſcendentes poterunt compelli, ſcilicet quando ad funeris expenſas, & Miſſas neceſſarias ſecundùm qualitatem perſonæ, nec quintum, nec tertia pars bonorum ſufficeret. Et ducor, nam Jura Regia non loquuntur, niſi quando quintum, aut tertia pars bonorum ſufficeret ad funeris expenſas, & aliquas Miſſas, ſecundùm qualitatem perſonæ; non verò in hoc caſu irregulari, quando non ſufficerent. Ergo quamvis expenſæ iſtæ excedant legitimas, ſive aſcendentium, ſive deſcendentium, ſunt tamen erogandæ, & ad illas compellendi. Cæterùm hæ expenſæ funerum, ſtrictè, & ſecundùm qualitatem perſonæ, quando hæreditas non ſufficit, etiam reſpectu legitimarum, conſiderantur uti æs alienum, *l. Papinianus 8. §. quarta, ff. de inoff. teſtam.* Craſſ. *de ſucceſſ. §. Legitima, qu. 1. n. 3.* Petra *de Fideicom. q. 15. n. 17.* Cyriac. *controverſ. 304. num. 12. tom. 2.* Ergo ſicut æs alienum detrahitur ante legitimas, ſimiliter funerum expenſæ neceſſariæ, etiamſi quintum filiorum, aut tertiam partem, reſpectu aſcendentium excedant: quo in ſenſu poſſunt admitti DD. Theologi, relati *num. 4.*

Quid verò ſi habentes legitimas conſenſerint ut teſtator 12
ultra quintum diſponat, vel extra tertiam partem bonorum, ad funeris expenſas, vel ad alia opera pia; an diſpoſitio iſta valida ſit, & exceſſus neceſſariò reducendus? Et affirmandum videtur, ex deciſione textus *in l Si quando 35. §. Illud 1. C. de inoffic. teſtam.* ubi ſi filius accepta à patre pecunia, pactum cum eo fecerit de non quærelando ſuo teſtamento, etiamſi ipſum exhæredaverit, adhuc de querela agere valet, licèt per pactum libenter conſenſerit. Ergo ſimiliter in ſpecie dicendum videtur, etiamſi conſenſerit filius, ut ultrà quintum pater diſponat ad funeris expenſas, vel ad alia opera pia: quod idem eſt dicendum de aſcendente. Rurſus conſenſus, ſeu pactum de non ſuccedendo, eſt invalidum, & inutile, *l. qui ſuperſtitis, ff. de acquir. hæredit. l. Pactum 3. C. de pact.* Ergo idem dicendum de conſenſu præſtito, ut teſtator poſſit diſponere ultra quintum inter filios, & ultra tertiam partem inter aſcendentes, cùm revera priventur ſucceſſione integræ legitimæ, quæ de jure eis debetur. Denique in conſervatione legitimæ verſatur favor publicus, ut diximus ſupra, *n. 7.* quæ enim circa jura publica verſantur, nequeunt everti ex conſenſu privatorum, *l. Jus publicum 38. ff. de pact. l. Nemo poteſt 58. ff. de legat. 1.* Ergo nec ex conſenſu filiorum, aut aſcendentium, poterit teſtator diſponere ultra quintum, aut ultra tertiam partem pro expenſis funeris, aut aliis operibus piis.

Sed

13 Sed tamen contrarium est tenendum. Ratio est, nam in præsentiarum loquimur tantùm de admittenda aliqua parte legitimæ: sed ex consensu filii, non solùm parte, sed etiam tota legitima valet à patre privari, ut est elegans textus *in l. Non putavit 8. §. Si quis sua manu, ff. de bonor. possess. contra tabul* ubi si patre dictante, filius se exhæredem scripserit, habetur pro exhæredato. Gomez *var. tom. 1. cap. 11. num. 14.* Covarruvias *in cap. 18. de test. §. 2. à num. 2.* Cancer. *var. 1. par cap. 4. num. 31.* Ergo multò magis parti legitimæ, quæ à patre, vel à filio expenditur ad funeris expensas, vel ad alia opera pia. Cæterùm licèt gravamen nequeat poni in legitima, *l. Quoniam in prioribus 32. C. de inoffic. testam.* & dicam statim; attamen si filius consenserit, aut ascendens, sustinetur gravamen, ut latè per Suarez *in dict. leg. quoniam, ampliat. 10. à num. 31.* Molina *de Primog. lib. 2. cap. 3. num. 7.* Castillo *libr. 5. controvers. cap. 67. num. 52.* Amat. *dec. Ferr. 46. numer. 12.* etiamsi juramentum non interveniat. Molina *num. 7.* ubi Lima, qui etiam extendit ad legitimam ascendentium in bonis descendentium: Ergo in præsentiarum rectè ex consensu filiorum, aut ascendentium poterit minui legitima, ad funeris expensas, vel ad alia opera pia. Deinde in sententia aliquorum, quos refert Thoro *de Privilegiis caussæ piæ, privileg. 54.* legitimæ filiorum possunt recipere diminutionem à dispositionibus piis, etiam absque eorum consensu: Ergo multò magis illo interveniente, diminuentur ad funeris expensas, & ad alia opera pia, sicut etiam in alia qualibet dispositione tenent suprà relati, quibus addendi Guttierrez *in cap. Quamvis pactum, num. 16. vers. His non obstantibus.* Salgado *in Labyrinth. 2. par. cap. 16. à num. 16.* Castillo *dict. lib. 5. cap. 107. à num. 46.* Carleval. *de Judic. tom. 2. lib. 1. tit. 3. disput. 25. num. 25.* Molina *de just. tract. 2. disp. 597. num. 19. & 20.* Sanchez *cons. tom. 2 l. 7. cap. 7. dub. 26.*

14 Hac enim admissa sententia, non obstant fundamenta, quæ pro contraria adduximus *num. 12.* quia textus *in d. l. Si quando, §. Illud,* loquitur de pacto de non succedendo, facto in vita patris, quando de ejus testamento non agebatur: quod quidem in jure reprobatissimum est, etiamsi filius, accepta pecunia, illud fecerit, ut patet ex juribus adductis ibidem; idque optima ratione decretum, ne aliàs facilè filii legitimis privarentur, aut parentum precibus, minis, aut molestia, aut propter præsentem pecuniam, qua susceptа, spei succedendi facillimè renuntiarent. Unde de Jure Canonico similiter statutum est, ne valeat talis renunciatio absque præstito juramento, *c. Quamvis pactum 2. de pact. lib. 6. l. 33. tit. 11. par. 5.* Avendan. *respons. 27.* Gomez *in l. 22. Tauri, à n. 6.* Guttierrez *de juram. 1. p. c. 59.* Seraph. *de juram. priv. 21.* Cabedo *1. p. dec. 164.*

15 Verùm nos loquimur quando in ipso actu testandi, aut proximè ad actum, aut posteà filius patris dispositionem probaverit, & consenserit expressè, aut tacitè, per aliquem actum approbationem probantem; tunc enim non est pactum de non succedendo, factum in vita patris, sed præstare consensum, & approbare dispositionem patris, ut aliquam partem legitimæ circa funeris expensas, aut alia legata pia expendat, quod quidem jure receptum est. Et est ratio, nam eo potissimè pater nequit disponere ultra quintum, aut filius extra tertiam partem bonorum, in præjudicium ascendentium, quia gravis injuria succesoribus in legitimis irrogaretur; si tamen consensum præstent, nulla injuria eis fit, *l. 1. §. Vsque adeò, ff. de injuriis, l. 1. ff. de act. empt. cap. Scienti, de Regul. jur. in 6.* Ergo si filii, aut ascendentes consenserint, rectè talis dispositio, etiam cum gravamine legitimarum, sustinebitur circa expensas funeris, vel alia legata pia, ut benè legem illam explicat Gomez *d. tom. 1. c. 11. n. 14.*

16 Attamen fundamentum, nempe de utilitate publica circa conservationem legitimarum, nullius est roboris; nam licèt conservatio legitimarum bonum publicum contineat, directè tamen prospicit utilitatem privatorum, licèt per redundantiam etiam publicum jus respiciat: quapropter est jus renuntiabile ex libero consensu partium, *l. Quod favore 6. C. de legibus.* Unde si filius consenserit, aut ascendens, ut testator disponat de tota, aut de aliqua illarum parte, circa funeris expensas, aut alia opera pia, id sustinendum.

17 Hæc doctrina benè procedit quando filius non habuerit filios, aut descendentes, vel ascendens alteros filios, quibus etiam legitima debeatur: si tamen qui consensum præstat, alios habuerit, quibus legitima debetur, majus est dubium, an testator ex solo consensu ipsius possit in parte, aut in tota legitima disponere ad funeris expensas, aut ad alia legata pia? Prima sententia negat, nam licèt filius, aut ascendens, per hunc consensum possit sibi præjudicium inferre, non tamen aliis, quibus sua bona competunt ex debito legitimæ; hoc enim fuisset illos fraudare, *l. Fraudis 80. de regul. jur.* prout videre est in filio habente creditores, qui nequit consentire, ut pater de sua legitima disponat, aut in ea gravamen imponat, etiam tempore testamenti, aut post, delata hæreditate; quia id esset fraudare creditores. Menoch. *lib. 1. cons. 77.* Gratian. *discept. for. tom. 2. c. 271. à num. 1.* Merlin *de legit. l. 3. tit. 2. qu. 29.* Peregrin. *de fideic. art. 3. à num. 131.* Fontanella *de pact. nupt. clausul. 4. gl. 9. p. 5. n. 122.* Ergo similiter dicendum, quando qui consentit, habet successores, quibus legitima debetur. Deinde si adsint habentes successores legitimos quibus legitima debetur, nequit pater, aut filius habens ascendentes, nec in vita, nec in morte disponere in præjudicium legitimarum. Cepolla *caut. 21. à n. 1.* Surd. *de aliment. tit. 8. priv. 77. n. 7.* Merlin. *de legitima, l. 5. tit. 3. q. 6.* Sanchez *de Matr. lib. 6. disp. 36. n. 6.* Ergo neque præstare consensum, ut testator disponat de legitima sibi competenti in parte, aut in toto, in præjudicium successorum. Latè defendit Carleval. *l. 1. tit. 3. disp. 25. à num. 20.*

18 Secunda sententia tenet contrarium. Et ratio est, nam quando successor in legitima præstat consensum, ut pater, v. g. disponat de sua legitima, nihil de jure acquisito præstat, sed tantùm de jure acquirendo, quod potest omittere, etiamsi habeat filios, aut parentes, quibus legitima debeatur; quia hæreditas ista, & legitima non est delata, sed deferenda, *l. Superstitis, ff. de acquir. hæredit.* Deinde legitima, parte vivente, aut filio, respectu ascendentium, non est propriè debitum, sed improprium, ut benè probat Sanchez *de matrim. lib. 4. disput. 25. à num. 1.* Ergo etiamsi quis habeat successores, quibus legitima debeatur, poterit tamen præstare consensum, ut testator de ea disponat; non enim fraudat debitores propriè, sed impropriè, quibus non tenetur vivens omninò consulere. Et confirmatur, nam illud in jure est cognitum proloquium, ut in vita patris, aut matris legitima non debeatur, *l. 1. §. Si impuberi, ff. de collat. bon. l. Cum quæritur 6. C. de inoffic. testam.* nec filiis à parentibus debetur. Surd. *dec. 167. num. 1.* Guttierrez *in cap. Quamvis pactum, verbo Quamvis pactum, num. 21.* Ricc. *collect. 665.* Franch. *decis. 133.* Cùm ergo consensum præstat, quando nihil debet, rectè testator disponit, etiam de parte legitimæ, aut ex voto, vel consensu filii, etiamsi habeat descendentes, vel ex consensu descendentis, licèt habeat alios filios Noguerol. *alleg. 19. num. 43.* Gomez Bajo *in Praxi, lib. 2. qu. 127. per tot.* Parlador. *diff. 150. §. 4. num. 11. & 12.* Hermosilla *in l. 11. tit. 4. part. 5. gloss. 8. num. 6.* D. Olea *de cess. tit. 3. qu. 3. nu. 29.* Sanchez *de matrim. lib. 6. disp. 4. num. 19.* Salgado *cap. 116. num. 43.*

19 Hæc sententia in specie tenenda est, & asserendum patrem ex consensu filii, aut filium ex consensu parentis, de parte, aut de tota legitima posse disponere ad funeris expensas, vel ad alia pia legata, prout etiam ad quælibet alia, licèt profana, etiamsi habuerit descendentes, aut ascendentes is qui consensum præstat. Idque procedit clarè quando filius, aut alius ascendens præstat consensum in ipso actu testandi, aut proximè antecedenter ad actum. Et ratio est, nam cùm hæreditas, & insimul legitima adhuc ei non sit delata, præstare consensum, ut testator de ea disponat, non est alienatio legitimæ, sed tantùm non acquisitio illius partis, de qua disponit testator, aut totius. Molina *de Primog. lib. 2. cap. 3. num. 43.* Guttierrez *pract. lib. 2. qu. 75.* Azeved. *in l. 1. tit. 8. lib. 5 Recopilat. numer. 76.* Tello *in l. 6. Tauri, num. 64. & 65.* quapropter nihil alienat in fraudem successorum habentium legitimas, nec aliquo modo præstatio inofficiosa in præjudicium eorum censenda est. Præterea legitimæ istæ integre debentur descendentibus, aut ascendentibus, nisi hunc consensum præstiterint, ut dictum est suprà; quoties enim consentiunt, ut testator de eis disponat, nullo modo debetur. Ergo supposito consensu, nihil etiam debitum alienat in præjudicium successorum. Præterea in hac specie comprobatur doctrina Salgadi *2. p. cap. 16. num. 25.* ubi asserit,

per

per hunc conſenſum præſtitum in ipſo actu teſtandi, aut proximè ad actum, quod idem eſt, ut teſtator diſponat de legitimæ parte, aut gravamen imponat, nullo modo eſt in fraudem creditorum. Ergo nec ullo modo erit in fraudem ſucceſſorum, quibus legitima debetur, ut etiam admittunt Boer. *dec.*43. *à n.*2. Maſtrill. 2.*par. dec.* 181. Theſaur. *l.* 3. *qu. for. q.*74. *per tot.*

20 Si verò conſenſus, aut licentia præſtita fuit non in ipſo actu teſtandi, aut proximè, tunc ſi ante teſtamentum ex intervallo id fiat, nullo modo teſtator poterit diſponere de parte legitimæ, aut de illa ad funeris expenſas, vel ad alia opera pia; quia tunc eſt pactum de non ſuccedendo, quod nec reſpectu ipſius, nec ſuorum ſucceſſorum validum eſt ex juribus vulgaribus jam ſuprà recenſitis; ſed tamen ſuſtinebitur, ſi juramentum interveniat, quia pactum illud eſt ſolùm contra bonos mores civiles, quod juramento firmatur, *c. Quamvis* 2. *de pact. l.*6. Gomez *in l.*12. *Tauri*, *n.*6. Sanchez *diſp.* 4. *nu.* 19. qui licèt dicat ſemper juramentum intervenire debere, etiamſi conſenſus, aut licentia iſta præſtetur in actu teſtandi, intelligendum ad melius eſſe, non verò de præciſa neceſſitate.

21 Eſt verò major difficultas, quando poſt mortem Patris filius approbaverit teſtamentum, aut aſcendens filii, in quo de parte legitimæ diſpoſuit teſtator quoad funeris expenſas, vel ad alia legata pia, aut de tota legitima. In quo quidem caſu præmittendum, quod ſi filius, aut aſcendens agnoverint hæreditatem judicio generali, tunc non videtur præſtare conſenſum, & approbationem gravaminis, aut diſpoſitionis piæ factæ in legitima, poteritque poſteà revocare diſpoſitionem illam; ſed eſt neceſſarius expreſſus conſenſus, & ſpecificus agnitionis hæreditatis cùm gravamine, & diſpoſitione illa, ut benè conſiderat Salgado *dict. cap.*16. *num.*17. Caſtillo *dict. lib.*5. *cap.*107. *à num.* 36.

22 Idcircò procedit quæſtio, ſuppoſito hoc expreſſo, & ſpecifico conſenſu, an diſpoſitio illa valida remaneat. Prima ſententia negat. Et ratio eſt, nam tunc hæreditas jam eſt delata, habetque acquiſitum jus in ipſa legitima; quapropter nequit aſcendens, aut deſcendens in præjudicium ſucceſſorum habentium legitimas conſentire, & approbare; ſicut nec in damnum creditorum, ut tenet Menoch. *conſ.*77. *per tot.*

23 Secunda ſententia tenet contrarium. Et ratio eſt, nam per ſolam delationem non acquirit filius, aut aſcendens jus firmum in ipſa hæreditate, ſed tantùm variabile, & conditionale, quia repudiare poteſt; quapropter poterit ex ſua libera voluntate illi renuntiare, non ſolùm in præjudicium ſucceſſorum habentium legitimas, ſed etiam creditorum; & ſimiliter ſpecificè conſentire circa diſpoſitionem piam factam à teſtatore in legitima circa funeris expenſas, aut alia opera pia, ut abſolutè tenent Flores de Mena *ad Gam. dec.*219. *verſ. Secundus caſus*, Noguerol. *alleg* 19. *n.* 67. Salgado *c.*16. *à n.*46.

24 Hanc ſecundam ſententiam admitto in præſentiarum, nempe quando diſpoſitio iſta pia læderet ſucceſſores legitimarum. Et ratio eſt, quia duo concurrunt, nempe jus tantùm variabile, & conditionale per ſolam delationem; tum debitum improprium, quia adhuc vivit perſona, cui poſſunt ſuccedere. Ergo talis diſpoſitio ſuſtinenda eſt ex ſola approbatione, & conſenſu expreſſo habentis legitimam. Si tamen conſenſum dans, aut approbans talem diſpoſitionem, habuerit creditores certos (in quo caſu loquuntur Flores, Noguerol, & Salgado) quando gravamen, aut diſpoſitio fuerit ad rem parvi ponderis, admitto ſententiam Menochii; quia non ſubſiſtente cauſa, videtur approbata talis diſpoſitio in fraudem creditorum; ſi verò diſpoſitio illa in legitima ſit gravis, & contineat cauſam neceſſaria, & piam, prout in funeris expenſis, & aliis diſpoſitionibus piis in bonum animæ teſtatoris, exiſtimo ſemper eſſe ſuſtinendam, etiam cum præjudicio creditorum. Ratio, nam pro gravamine, & cauſa profana, contra creditores id probant viri doctiſſimi. Ergo multò magis pro cauſa pia in bonum animarum non ſolùm teſtantis, verùm & approbantis, concurrendo ad illam cauſam piam. Tum quia tanto bono exiſtente, facilè præſumitur, non approbaſſe animo fraudandi creditores, ſed propter bonum ſpirituale; quapropter talis diſpoſitio ex ſpecifica approbatione ſuſtinebitur.

25 Quid verò, ſi jam filius, aut aſcendens agnoverit hæreditatem, & poſt agnitionem ſpecificè approbaverit talem piam diſpoſitionem. Et in hoc caſu contra veros creditores communis eſt ſententia, non valere talem ſpecificam approbationem, quia jam jus eſt plenè acquiſitum per agnitionem hæreditatis, quapropter id cedet in fraudem creditorum. Mena *dec.*219. *verſ. Tertius caſus*. Salgado *c.* 16. *à n.*60. Verùm in ſpecie venimus ad quæſtionem illam, an pater poſſit in vita opera pia facere, & eleemoſynas, cum damno legitimarum? De qua Sanchez *de matrim. libr.* 6. *diſp.*36. *n.*3. & 6. Et in ſententia affirmantium conſequenter dicendum, validam eſſe talem approbationem. Sed in negantium ſententia adhuc dicendum, valere talem approbationem in parte illa, de qua diſponere valet approbator in vita, & in morte; ſecus aliàs, quod neceſſariò eſt concedendum. Et ratio eſt, nam in illa parte poteſt diſponere libenter abſque præjudicio legitimarum, etiam in bonis jam acquiſitis. Ergo ſimiliter jam agnita hæreditate poterit pro illa parte præſtare conſenſum, & approbare diſpoſitionem factam à teſtatore ad funeris expenſas, vel ad alia opera pia conficienda.

Hinc etiam examinanda eſt doctrina Calderini *conſ.*115. 26
ubi aſſerit, quod ſi pater dimidium bonorum in funeris expenſas, & alias pias cauſas legaſſet, & diſtribuiſſet, legitimam integram priùs eſſe deducendam, non obſtante tali diſpoſitione; ſed adhuc de reliquo non totum expendendum in illis piis cauſis, ſed tantùm dimidium reliqui. Hęc enim doctrina habet duas partes. Prima quod legatum, ſeu diſpoſitio illa nequeat legitimam filiorum lædere, ſed integram eſſe deducendam, non reluctante diſpoſitione illa; & pars iſta certa eſt. Secunda verò, ſcilicet tantùm dimidium partis ſuperſtitis ad pias cauſas expendendum eſſe, non eſt admittenda, verùm affirmandum, reliquum à legitima totum expendendum ad funeris expenſas, vel ad aliam piam diſpoſitionem; nam legitima integrè filiis relicta, reliquum eſt ſub diſpoſitione libera teſtatoris, ut diximus ſuprà: quapropter diſpoſitio illa pia reduci tota debet ad partem integram ſuperſtitem, legitima filiorum integrè ſoluta, prout quando gravamen imponitur à patre in hæreditate, quod omninò tollitur de legitimis, & relinquitur in toto reſiduo, veluti de jure Caſtellæ in quinto, ut latè proſequitur Caſtillo *lib.*5. *controverſ. cap.*64. *à num.*11. Gomez 1.*var. c.*3. *n.* 18. Cæterùm, nam quando legata facta ſunt in legitima, & ultrà, filius nullam habet actionem, niſi ad integram legitimam percipiendam; in reliquo verò legata ſuſtinentur, *l. omninò* 30. *C. de inoffic. teſtam. Auth. de trient. & ſemiſſ. in princip. Auth. Vnde ſi parentes*, *C. de inoff.* Ergo ſimiliter dicendum eſt in ſpecie, ut hæc diſpoſitio reguletur, ut legitima filiorum integrè ſolvatur, & in toto reliquo, veluti in Caſtella in quinto, diſpoſitio illa pia ſuſtineatur, non verò tantùm in dimidia parte, ut benè defendit Suarez *in l. quoniam in prioribus*, *in declarat. legis Reg. n.*5. Coſta *de Rat. rat. q.*28. *n.*3. Guttierrez *pract. l.*3. *q.* 58. D. Olea *de ceſſ. tit.*4. *q.*5. *n.* 15. Rodriguez *de concurſ.* 1.*p. art.* 3. *num.*14.

Cæterùm in re diſquirendum, quando teſtator totum 27
quintum expenderit, & diſtribuerit ad funeris expenſas, & ad alia opera pia, verùm debeat alimenta filio illegitimo, an totum quintum in his piis cauſis ſit expendendum, deductis alimentis ex tota hæreditate. Et affirmandum videtur; nam ut cognitum eſt, hæc alimenta ſunt debita ipſius patris, unde debent deduci ex tota hæreditate; illud enim eſt expeditum, ut priùs de toto corpore hæreditatis debita extrahantur, & poſteà ex bonis liquidis quintum, *l.*6. *tit.*4. *lib.*5. *Recopilat.* ibi: *La quinta parte de ſus biennes que pagadas las deudas*, *montare*. Angelo *in l.* 13. *gloſſ.* 3. *num.*1. Valaſco *prax. par. cap.* 19. *n.*2. Ergo cùm quintum integrum patri relinquatur, poterit de eo diſponere ad funeris expenſas, & alia opera pia; quod fortiùs videtur admittendum, quando illegitimus cum patre litem egerit, & pater fuerit ad alimenta præſtanda condemnatus; quia tunc erit verè debitum ex juſtitia ex tota hæreditate extrahendum.

Sed tamen licèt de jure communi fundamentum propo- 28
ſitum ſolidum ſit, non verò de jure Caſtellæ, in quo diſtinctio eſt facienda; ſi enim teſtator habuerit alios filios legitimos, aut deſcendentes, tunc diſpoſitio facta de quinto, ad funeris expenſas, & ad alia opera pia, ſuſtinenda non eſt, quin potiùs de quinto deducentur funeris expenſæ neceſſariæ, & ex reliquo ſolventur alimenta debita filio

ille-

illegitimo. Ratio enim est, nam de jure Castellæ, quando alii adsunt filii legitimi, alimenta ista de quinto bonorum necessariò sunt deducenda, *l.* 10. *Tauri*, *l.* 8. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recopil.* quapropter non ex hæreditate, sed ex quinto deducuntur, & alia dispositio pia causa redditur; non enim, nec etiam ad piam causam valet pater disponere in prejudicium legitimarum filiorum ex hæreditate, quando quintum erat obligatum ad illegitimi alimenta. Gomez *in l.* 10. *Tauri*, *num.* 41. Angulo *de Meliorat. l.* 12. *gloss.* 1. *n.* 30. quod idem est dicendum etiamsi pater in judicio fuerit condemnatus ad alimenta illegitimo præstanda, quia semper ex quinto sunt deducenda, si adsint filii, aut descendentes legitimi, ut benè Ayora *de partit.* 2. *p. q.* 7. *per tot.*

59 Si verò filii, aut alii descendentes non fuerint, tunc totum quintum ad funeris expensas, & alia legata pia est expendendum, & alimenta illegitimi sunt deducenda ex tota hæreditate. Et ratio est, nam respectu aliorum hæredum extraneorum, aut transversalium, alimenta non sunt deducenda necessariò de quinto, ut constat ex *l.* 10. *Tauri*, *d. l.* 8. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recopilat.* quapropter cùm disposuerit de quinto integro ad funeris expensas, & ad alia opera pia, voluit testator, ut alimenta ex cæteris bonis hæreditatis præstarentur; quare integrum quintum in funeris expensis, & aliis operibus piis est erogandum. Idque in fortiori casu admittendum, quando testator expressè jusserit, ut alimenta ista ab hæredibus præstarentur, ut prosequitur Ayora *d.* 2. *p. q.* 6. *per tot.*

30 Est tamen casus non prætermittendus, an quando pater uni filio quintum reliquerit, & alteri alterum quintum, ex quo quinto debeant deduci funeris expensæ, & alia pia legata? Quia in re, ut clarè procedamus, præmitto, hæc duo legata de duobus quintis factis his duobus filiis valere; nam licèt pater non possit legare ex propria hæreditate, nisi unum quintum, l. 28. *Tauri*, *l.* 12. *tit.* 6. *lib.* 5. *Recopilat.* Natarrus *in man. cap.* 26. *num.* 39. id intelligendum quoties uni tantùm duo illa quinta legassent per modum quinti; secus autem si duobus filiis: nam tunc intelligeretur legasse uni quintum, & alteri aliud quintum, per modum tertii; quota enim illa præsumenda est apposita, non ut quintum præcisè legaretur, sed tantùm, ne filius integrum tertium perciperet, sed quotam illam in ratione tertii; idque admittunt faciliter Doctores, quando jam pater in vita filio quintum irrevocabiliter donasset. Cifuentes in *l.* 18. *Tauri propè fin.* Tellus Fernandez in *l.* 28. *Tauri*, *n.* 1. Ayora *de partit.* 2. *part. q.* 8. Azevedus in *l.* 12. *tit.* 6. *lib.* 5. *Recopilat. num.* 2. Angulo *ibidem*, *gloss.* 2. *num.* 2. & 3. Guttierrez *lib.* 3. *pract. q.* 57. *per tot.*

31 Hoc ergo supposito, est difficultas, ex quo quinto deducendæ sint funeris expensæ, & alia legata pia, dum legata illa sint de duobus quintis, nec agnoscitur quisnam sit, qui verè quintum, aut quotam, per modum tertii percipiat. Ayora *d.* 2. *p. q.* 9. Azevedus in *d. l.* 12. *num.* 3. asserunt, quod si quintum pater in vita irrevocabiliter donasset uni filio, & in testamento alteri aliud quintum, expensas, & alia legata pia ex quinto secundo in testamento relicto deducenda esse. Ratio est, nam prima donatio quinti irrevocabilis perfecta extitit, neque aliquo modo est diminuenda, *l. perfectæ donatio* 4. *C. de Donat. quæ sub modo*, *l. Sicut ab initio*, *C. de Act. & obligat.* Tum quia ex eo quod irrevocabiliter Pater donavit, præsumendum est donasse ratione tertii, quod propriè fit irrevocabiliter, *l.* 17. *Tauri*, ubi Gomez *num.* 10. Ergo legando quintum in testamento, videtur propriè ut quintum legasse, ex quo deducendæ sunt funeris expensæ, & alia pia legata, ex *l.* 39. *Tauri*. Valasco *de partit. cap.* 19. *n.* 43.

32 Doctrina ista non aperit difficultatem totaliter, quapropter dico, duobus modis esse contemplandam. In primis, quando quintum legatur extraneo, & alterum uni filiorum, & descendentium; & tunc ex quinto extranei deducendæ sunt funeris expensæ, & alia legata pia. Ratio est clara, nam tantùm quintum bonorum parens habens filios potest extraneo legare, ut constans est. Ergo illud legatum est intelligendum propriè esse quintum, ex quo necessariò funeris expensæ, & alia legata pia sunt extrahenda, ex *l.* 30. *Tauri*, & rectè tenet Ayora *d. q.* 9. *nu.* 18. Guttierrez *pract. lib.* 3. *q.* 57. *n.* 3.

33 Si verò duobus filiis, aut descendentibus duo quinta reliquerit pater, distinctio facienda est; si enim expressè voluerit, ut legata, aut dispositiones illæ valerent, ut duo quinta præcisè nequeunt sustineri, quia id lege interdictum est, ex *l.* 28. *Tauri*, *l.* 12. *tit.* 6. *lib.* 5. *Recopilat.* quod non solùm intelligendum, si uni filio legarentur, aut relinquerentur, sed etiam si duobus; illa enim fuit mens legis, ne duæ quintæ partes legarentur, aut relinquerentur, ne inde occasio præberetur id faciendi, etiam cum extraneis: quapropter etiam cum filiis est interdictum. Mathienzo in *d. l.* 12. *gloss.* 4. Si verò de voluntate patris non constiterit, sed dubium ab eo relinquatur, tunc quintum unum censebitur quota ad tertium; aliud verò quintum, unde extrahantur funeris expensæ, & alia legata pia. Mathienzo *in d. l.* 12. *gloss.* 3. *per tot.*

Hinc procedit difficultas nostra, quidnam quintum propriè dictum censeatur. Et Doctores inquiunt, quod si in vita pater unum quintum reliquerit irrevocabiliter, & aliud in testamento filiis; quintum irrevocabiliter in vita relictum pro tertio censebitur; & ex secundo quinto in testamento relicto funeri expensæ, & alia legata pia erunt extrahenda. Et confirmari poterit ex doctrina Telli Fernandez in *l.* 30. *Tauri*, *nu.* 1. ubi asserit ex quinto irrevocabiliter in vita relicto, nullo modo expensas funeris esse extrahendas; nam sicut nequit testator alia legata extrahere, ita nec funeris expensas; ratio enim illa, quæ est de toto, debet considerari quoad patres, *l. Quæ de tota*, *ff. de rei vindicat.* Ergo necessariò intelligendum est quintum istud de tertio, ex quo expensæ funeris deducuntur; & de secundo sunt deducendæ, quòd est verè quintum. Præterea dicunt quod si in testamento duo quinta relinquantur à patre, validam dispositionem non esse, cùm id à jure interdicatur, ut ex Ayora, & Azevedo diximus supra, *n.* 30. 34

Verùm mihi suprad cta doctrina incerta existimatur; non enim credo, ex eo quod pater in vita quintum uni filio donasset irrevocabiliter, in tertio esse computandum: Et ratio est, nam hæc donatio non in totum valet irrevocabiliter, sed tantùm in ea parte excedente funeris expensas, Missas, & alia necessaria quoad animæ expiationem; aliàs pater habens filios intestatus relinqueretur, ut benè considerat Gomez in *l.* 17. *Tauri*, *n.* 14. Mathienzo in *dict. l.* 13. *tit.* 6. *lib.* 5. *glos.* 2. *num.* 2. Avendanus in *l.* 1. *tit.* 6. *lib.* 5. *Recopilat. num.* 18. ubi Azevedus *num.* 18. *& in l.* 13. *ejusdem tit. n.* 11. Siguenza *de claus. lib.* 2. *cap.* 11 §. 3. *num.* 204 quapropter non pro tertio imputabitur legatum illud, sed pro vero quinto, in quo semper sunt exceptæ funeris impensæ, Missæ, & alia ad animam expiandam, licèt in aliis irrevocabile relinquatur. 35

Sed dices, hanc irrevocabilitatem puram existere, nec aliquo modo esse infringendam per deductionem expensarum funeris, & Missarum: quapropter Doctores asserunt, minimè esse infringendam, etiamsi ex causa fiat, *l. Velles*, *necne*, *C. de revocand. donat.* Baeza *de dot. cap.* 1. *num.* 27. Molina *de primogeniis*, *lib.* 1 *cap.* 12. *num.* 19. *& lib* 4. *cap.* 1. *num.* 84. Ergo non ut propriè quintum est censenda donatio illa, si fiat inter liberos, sed ut tertia pars bonorum. Sed respondetur, esse donationem illam quinti irrevocabilem quoad alia, præter funeris expensas, & Missas concernentes ad animæ expiationem, concedo; non verò quoad ista, quæ semper excepta videntur ex dispositione leg s 30. *Tauri* Azevedus *d. n.* 18. Mathienzo in *d. l.* 1. *tit.* 6. *lib.* 5 *gloss.* 3 *nu.* 22. & in *l.* 13. *ejusdem tit. gloss.* 3. *num.* 23. Angul *de Meliorat. l.* 13. *gloss.* 3. *nu.* 11. qui omnes in specie asserunt in donatione quinti irrevocabiliter facta exceptam, & revocabilem remanere partem istam expensarum funeralium & Missarum, quia sunt juris publici, quæ nequeunt ex contractu privatorum elidi. Ergo quintum in vita, etiam irrevocabiliter relictum, remanet in puro esse quinti, à quo extrahendæ sunt expensæ funebres, Missæ, & alia ad expirationem animæ concernentia. 36

Cæterùm eliditur illa doctrina, nam fundamentum illius solidum non est, consistit enim in aliqua conjectura non urgenti; nam irrevocabilitas non facit considerari, donationem quinti esse tertium, quia ut probatum est; includit, non obstante irrevocabilitate, expensas funeris, & Missas: Ergo non est unde per irrevocabilitatem tertia pars existimetur. Quin potiùs, si benè causa prospiciatur, præsumendum quintum secundum in testamento relictum, esse tertium. Ratio est, nam quinto jam in vita filio relicto irrevocabiliter, de nulla alia parte valet pater disponere inter liberos, nisi de tertia, *l.* 17. *cum sequentibus Tauri*, plures damus supra, *n.* 2. Ergo præsumendum est, secundùm legatum quinti 37

eſſe quotam de tertia parte bonorum, ex qua non ſunt extrahendæ funeris expenſæ,& Miſſæ, aliaque concernentia ad animę expiationem

38 Deinde ad id eſt textus in *l.26. Tauri*, *l.10. tit. 6. lib. 5. Recopil.* ubi ſi parentes aliquid donaverint, ſive in vita, ſive in teſtamento, ſuis filiis, intelligitur facta melioratio, ſive tertii, ſive quinti bonorum; idque intelligendum, ut minimè excedat quintum, & tertium, ut ibi communiter DD. ex illis legibus animadvertunt. Mathienzo *gloſſ. 1. & 2.* Cùm ergo jam quintum fuerit in vita irrevocabiliter obnatum, conſequens eſt, ut ſecundum quintum in tertia parte bonorum ſit intelligendum, cùm hæc reductio ſit facienda ad quintum, & tertium. Ergo expenſæ funeris, Miſſæ, & alia ad expiationem animæ, deducenda ſunt ex primo quinto, non autem ex ſecundo, qui neceſſariò intelligendus eſt de tertio.

39 Quamobrem penſatis fundamentis utriuſque partis in hac ſpecie, aſſero de primo quinto, expreſſè relicto ut quinto, deducendas eſſe funeris expenſas, & Miſſas, aliaque ad animæ expiationem; non verò de ſecunda, quando aliud non expreſſerit pater, quia poteſt in teſtamento facere meliorationem quinti eo animo, ut primum quintum imputetur in tertio, itaut nihil de his expenſis ſolvat, quia quoad hanc partem expenſarum, & Miſſarum revocabilis remanet, ut dictum eſt ſuprà.

40 Quoad verò aliam partem, nempe patrem non poſſe in ſuo teſtamento duo quinta relinquere duobus filiis, ſimiliter non admitto; nam licèt jura Regia interdicant, duo quinta relinquere etiam filiis; admittunt tamen interpretamenta. Aliqui enim cenſuerunt, eſſe intelligenda inter extraneos; verùm quia lex 28. Tauri, apertè loquitur de filiis interpretamentum illud eliditur. Unde Guttierrez *lib.3. q. 57. num.6.* benè interpretatur, ut jura illa ſint intelligenda quando jam pater inter liberos legaſſet, aut donaſſet quintum, & tertium bonorum; tunc enim inter liberos nequit diſponere de alio quinto, quia præjudicium inferret legitimis; ſecus verò, ſi tantùm unum quintum fuerit ab eo relictum, quia poterit alterum alteri filio relinquere, ut quotam tertii; non enim pater tenetur integrum tertium legare, quia poteſt minùs illius tertii relinquere, quapropter pro tertio valet, ut defendunt relati *n.29.*

41 Hinc enim ſequitur, poſſe patrem in ſuo teſtamento duo quinta ſuis filiis relinquere, & legare, non obſtantibus juribus Regii, quæ non loquuntur, niſi quando tertia, & quinta pars bonorum, jam aliis filiis eſt legata. Et confirmatur, nam pater in ſuo teſtamento poteſt filium, aut filios meliorare in tertio, & quinto bonorum, *l.3. tit. 6. lib. 5. Recopil. l.25. Tauri*, cum aliis quamplurimis. Ergo ſimiliter duo quinta filiis relinquere, unum quintum pro propriè quinto, & alterum pro quota tertii, quod nullum recipit inconveniens ex eo quod fiat in eodem teſtamento, ut deducitur ex Angulo in *d. l.12. gloſſ. 1. num. 13. verſ. Si autem.*

42 In hoc tamen caſu poterit dubitari, ex quo quinto deducendæ ſint funeris expenſæ, & Miſſæ ad ſalutem animæ defuncti. Et Angulo *ubi proximè, n.13. in fin.* aſſerit eſſe deducendas de ſecundo quinto, quia primum quintum intelligitur factum de tertio, ut pars illius. Sed admittò ſententiam Arias, & Telli, quos ipſe refert, aſſerentem de primo eſſe deducendas, ex fundamentis relatis *à n.1.*

43 De jure noſtro Regio expenſæ funerum, & alia pia legata, vel gratioſa, ex quinto deducuntur, ut dictum eſt; verùm in damnum legitimæ nunquam reputabitur, ſed tanquam æs alienum intra quintum expenſæ funerum reputabuntur: quapropter ſi teſtator quintum reliquerit alicui, expenſæ funeris ex quinto ſolventur cum prælatione aliorum legatorum, quantumvis piorum, *l. Sed etſi quis* 14. *§. Sed ſi res, ff. de relig. & ſumpt. funer. l. 12. tit. 13. par.1.* Si autem quinta pars his funeralibus expenſis non ſufficiat, minuerentur alia bona, etiam legitimarum, quia conſideratur ut æs alienum. Si verò ultra quintum melioratio facta fuerit tertii, id quod defecit ex quinto ad funeris expenſas, deducendum de tertio, prius quàm ex legitimis. Et ratio eſt, nam tertium capitur ex titulo lucrativo legati, *l. Mævius 66. ſ. Duorum, ff. de legat. 2. l. Si hæreditatem 32. ff. mandat. §. Si res aliena, inſt. de legat.* Legitimę verò ex titulo oneroſo, *leg. Et quia 10. ff. pro ſocio, l. fin. §. Sin autem, C. de curat. fur.* idcircò funeris expenſæ deducendæ ſunt de tertio, quando quintum ad illas non ſufficeret. Covar. *in cap. Raynaldus, § 3. num.2.* Angulo *de Meliorat. in l.13. gloſs.2. num.18.* Azevedus *in l.11. tit. 6. lib. 5. Recopilat. à nu.19.* Guttierrez *in l. Nemo poteſt, n.94. & 97.*

Aliquando tamen teſtator non vult facere teſtamentum, 44
verùm alicui dat mandatum, ut faciat. Tunc commiſſarius mandatum recipiens, & acceptans, teſtamentum faciat quibuſdam limitationibus, & ampliationibus recenſitis à noſtris patriis legibus, quæ in legibus Tauri recenſentur, & in Compilatione, *tit.4. lib.5.* Ad rem tamen animadvertenda eſt lex 36. *Tauri*, & lex 10. *titul. 4. lib. 5. Recopilat.* ubi decretum eſt, quod ſi dans mandatum, nihil expreſſerit, commiſſarius poterit totum quintum bonorum expendere pro funeris expenſis, & aliis legatis piis; & ad id teneri, niſi filios, aut deſcendentes habuerit. Idcircò explicanda erit illa lex per aliam 32. Tauri, *l 6. tit. 4. lib. 5. Recopilat.* ubi facultas commiſſarii exprimitur his verbis: *Quando el Teſtador no hizo heredero, ni menos dio poder al Commiſſario, que lo hizieſſe por el, ni le dio poder para hazer alguna coſa de las dichas en la ley proxima; ſino ſolamente le dio poder, para que pueda hazer teſtamento el tal Commiſſario: mandamos, que pueda deſcargar los cargos de concientia de el Teſtador, que le dio el poder, pagando ſus deudas, y cargos de ſervicio, y otras deudas ſemejantes; y mandar diſtribuir por la Anima del Teſtador la quinta parte de ſus bienes, que pagadas las deudas, montare.* Hoc enim ſingulare eſt de jure noſtro Regio; de jure enim communi civili, illud erat exploratum, ne in arbitrium alienum committeretur ultimum elogium, ut diximus *lib. 1. cap.6. numer. 31.* De Jure verò Canonico id admiſſum, quadam perpenſa conſideratione, nempè ut hæres exiſtimaretur inſtitutus ea conditione, ut bona inter pauperes diſtribueret, *cap. Cùm tibi 13. de teſtament.* De jure verò noſtro alio modo res iſta conſideratur; nam ſi teſtator det alicui mandatum, pro eo teſtetur, poteſt id facere, non tanquam perſona, cui committitur diſpoſitio ſuorum bonorum, quia tunc omnia debet diſtribuere inter pauperes, *ex dict. cap. Cùm tibi*, ſed tanquam perſona, quæ poteſt unicum, & non aliud teſtamentum conficere, ubi ſuam conſcientiam exoneret, expenſas funeris faciat, & alia legata pia ex quinto inſtituat; reliquum verò hæreditatis det hæredibus ab inteſtato: qua diſpoſitione obſervata, teſtamentum, ſuſtinetur, ut benè explicant Covarr. *in d. cap. Cùm tibi 13. de teſtament. nu.10 verſ. Regia verò lex.* Mathienzo *in l 6. tit. 4. lib. 5. Recopil. gloſſ. 3. per tot*: Guttierrez *lib.2. Pract. q.44.*

Eſt tamen dubium in ſpecie non prætereundum, an 45
commiſſarius, quando teſtator habet deſcendentes, vel aſcendentes, ſunt neceſſarii hæredes in bonis, præter quintum, alteri præter tertium, poſſit totum quintum expendere pro expenſis funeris, aut aliis piis legatis, & pro exoneranda conſcientia? Prima ſententia affirmat; nam textus *in l.32. Tauri, l.6. titul.4. lib. 5. Recopilat.* id præcipit, ut commiſſarius poſſit totum quintum pro his expendere, & reliqua bona ad conſanguineos perveniant, ſuccedentes ab inteſtato, in quibus comprehenduntur filii deſcendentes, & parentes aſcendentes. Ergo licet adſint deſcendentes, aut aſcendentes hæredes neceſſarii, adhuc commiſſarius poterit totum quintum expendere pro funeris expenſis, & aliis legatis piis, aut pro exoneratione conſcientiæ: quod pondus fieri etiam valet *in l. 37. Tauri, l.11. titul.4. lib.5. Recopilat.* ubi ordinatur, ne commiſſarius excedat quintum; attamen relinquitur ei libera facultas, ut poſſit de toto quinto diſponere pro cauſis jam dictis, non obſtante conſanguineorum ſucceſſione ab inteſtato. Ergo ſemper poterit diſponere de integro quinto, licet adſint deſcendentes, vel aſcendentes neceſſarii hæredes. Tenent Gomez *in dict. l.37. numer. 1. & 2.* Velaſquez *in l. 32. Tauri, n.11.* Mathienzo *in l.10 tit.4. l.5. Recopilat. gloſſ.4. n.3.*

Secunda ſententia tenet contrarium, *ex l.36. Tauri, l.* 46
10. tit.4. lib.5. Recop. ubi lex illa excipit, quintum integrum eſſe expendendum, quando non adeſſent deſcendentes, vel aſcendentes legitimi; unde percipitur, quod ſi adſint, non integrum quintum commiſſarium expendere poſſe in his funeribus, ac aliis legatis piis, aut pro exoneratione conſcientiæ. Tenent Tellus *in l.36. Tauri, num. 4.* Guttierrez *Pract. d. lib.2. quæſt.44.* Azevedus latè *in l.6. tit.4. lib.5. Recopilat. à n.29.*

In hoc dubio animadvertendum, jura adducta pro prima 47
ſen-

sententia obscurè loqui in proposita specie ; solùm enim universaliter loquuntur de consanguineis venientibus ab intestato, ibi : *De los parientes, que venien à hæredar ab intestato*. Si enim clarè loquerentur, expressissent de consanguineis collateralibus, descendentibus, & ascendentibus : quapropter ex illis verbis non satis firmum argumentum sumi valet, ut leges istæ protrahantur ad descendentes, & ascendentes necessarios hæredes, arguendo de aliis collateralibus non necessariis. Et ratio est, nam descendentibus, & ascendentibus legitima de jure debetur, non verò aliis collateralibus, ut notum est ; quamobrem speciali nota erant digni, ut in præsentiarum designarentur, quoties commissarius vellet totum quintum expendere pro funere, aut aliis legatis piis, ut benè perpendit Mathienzo in *d.l.*10. *gloss* 4. *n.*2.

48 Hinc in *dict. l.* 10. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopilat. & l.* 36. *Tauri*, expressum est signanter in descendentibus, & ascendentibus, ut commissarius non expendat quintum integrum. Sed adhuc decisio ista clara non est, quia Doctores primæ sententiæ asserunt, esse has leges intelligendas quando nec testator aliquid disposuerit, nec commissarius testamentum condiderit : quo quidem casu integrum quintum non est expendendum, si adfuerint ascendentes, aut descendentes ; quia perinde est, ac si omninò intestatus decesserint, Quam solutionem improbant Doctores secundæ, ut videre est in Azevedo *d. l.*6. *nu.*29. Guttierrez *d. q.*44. *vers. Nec obstat.*

49 In præsentiarum ergo disquisitio facienda est duobus modis. In primis, an commissarius teneatur expendere totum quintum pro funeris expensis, legatis piis, & exoneratione conscientiæ testatoris, quando adsunt ascendentes, seu descendentes illius ? Secunda, an possit id facere ex legum commissione, & authoritate ? Et quoad primum asfero, commissarium quando tantùm essent consanguinei collaterales, teneri totum quintum pro exoneratione conscientiæ, funeris expensis, & legatis piis expendere, si testamentum conficiat. Id probo, nam quoties testator nihil aliud disposuit, sed tantùm mandatum dedit ad testandum, tantùm collateralibus existentibus, mens ejus fuit, ut totum quintum pro funeris expensis, & aliis legatis piis expenderetur, prout interpretatur lex in *d. l.*32. *Tauri*, *l.* 6. *tit.*4. *lib.* 5. *Recopilat.* asserens id facere debere commissarium : Ergo tenebitur totum quintum integrum expendere, quando tantùm adsunt collaterales consanguinei. Cæterùm probatur ex *l.*26. *Tauri*, *l.*10. *tit* 4. *lib.* 5. *Recopilat.* ubi asseritur, quod si commissarius renuerit acceptare mandatum, & testamentum concedere, tunc consanguinei collaterales cogentur, ut totum quintum expendant pro anima defuncti : Ergo similiter tenebitur ipse commissarius integrum expendere ; hæredes enim ad nihil tenentur, nisi ad quod commissarius tenebatur : Ergo sicut ipsi tenentur, & cogi possunt ad expendendum totum quintum, similiter ipse commissarius, ut rectè considerat Guttierrez *d. q.* 44. *vers. Nec obstat.* Azevedus *d.l.*6. *n.*29.

50 Ab hac obligatione liberatur commissarius, si testator habuerit ascendentes, vel descendentes legitimos. Et probant prædicti Doctores ex *d.l.*36. *Tauri*, quia excepit hæredes ab intestato, si sint descendentes, seu ascendentes, ut obligentur integrum quintum expendere pro anima, si commissarius testamentum non confecerit : Ergo supponit, ut illis existentibus, non teneatur commissarius integrum quintum pro funeris expensis, & aliis legatis piis expendere. Quæ quidem omnia intelligenda sunt de obligatione, præcisa expendendi totum quintum ex voluntate testatoris à lege interpretata.

51 Quoad secundam disquisitionem, nempe si existentibus descendentibus, aut ascendentibus possit commissarius pro anima defuncti totum quintum expendere ? Affirmandum videtur, *ex l.*32. *Tauri*, *l.*6 *tit* 4. *lib.* 5. *Recopilat.* ibi : *Pueda descargar los cargos de concientia del testado*. Et infrà : *Y mandar distribuir por la Anima la quinta parte de suis bienes, que pagadas las deudas montare*. De reliquo tamen inquit : *Y el remanente se parta entre los parientes, que venieren à hæredar aquellos bienes ab intestato*. Ubi enim descendentes adsunt, debent comprehendi, quia qui totum dicit, nihil excludit, *l. Julianus in princip. ff. de leg.* 3. *l. fin. ff. de pen. legat. cap. Solitæ, de majoritat. & obedient.* Gonzalez *ad Reg.* 8. *gloss* 6. *num.* 11. Escobar *de rat. cap.* 7. *num.* 47. & includit quod aliàs non veniret. Surdus *cons.* 459. *num.* 44. Ergo cùm consanguinei sint, & hæredes ab intestato, ascendentes, & descendentes rectè in legibus illis comprehenduntur, ut tenent Doctores primæ sententiæ.

Hanc doctrinam absolutè loquendo admittendam censeo, & ultra sua fundamenta probatur ; nam ut diximus supra, voluntas concedentis, & mandatum est, si aliud non disposuerit, ut totum quintum pro anima sua expendatur, quod potest facere, etiamsi descendentes, & ascendentes sint. Ergo & commissarius poterit id agere ex mandato ; debet enim commissarius diligenter mandatum exequi, *l. Diligenter* 5 *ff. mandat.* Golinus *de Procurat.* 5. *p. cap.* 3. *per tot.* Salgado *de Regia protect.* 4. *par. cap.* 3. *à nu.*48. Ergo poterit totum quintum expendere pro funeris expensis, & aliis legatis piis, absolutè loquendo, etiam extantibns descendentibus, seu ascendentibus, quibus legitima debeatur. Cæterùm quoties est dubium, legitimis reservatis, calculus ferendus est pro anima defuncti, vel alia causa pia, quia favorabilior est filiis. Mantica *de conject. lib.* 6. *tit.* 3. *n.* 13. & 33. Mastrillus *decis Sicil.* 132. *n.*50. Thoro *privileg.* 154. Ergo quando testator dat mandatum commissario ad testandum in his quæ pertinent ad suam animam, reservatis legitimis, amplè dare conjectandum est, ita ut totum quintum pro ea expendat, etiamsi adsint descendentes, aut ascendentes, quibus legitima debetur. 52

Aliquibus verò casibus temperanda est doctrina ista, nempe quando ex verisimili voluntate testatoris fuerit res immodica, & non necessaria totum quintum expendere, utpotè in casu, quem affert Azevedus in *d. l.*6. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopilat. num.* 19. scilicet de quadam Rustica ditissima, quæ filiam habebat ; & commissarius volebat totum quintum expendere pro funeris expensis, & anima defunctæ : tunc verò ex ejus verisimili voluntate totum quintum expendendum non est, nec commissarius poterat expendere : nam cùm mulier illa nullos contractus habuisset, sed ex re rustica omnia illa bona perlucrata fuerat, parumque haberet oneris conscientiæ, tanta bona, prout erant in quinto, expendere, non erat verisimile ita velle testatricem pro ejus anima expendi ; facultas enim illa regulanda est à verisimili voluntate testatoris, tum & ab honesta causa, & ratione, ut semper expensæ istæ fiant secundùm qualitatem, conditionem, & necessitatem defuncti, *c. Faciat* 12. *q.* 1. *cap. Cùm teneamur* 6. *de præbend. Clement. sæpè, de verb. signif* ut benè concludit ipse Azevedus *n.*30. 53

Idemque dicendum quando plures fuissent filii, quibus grave fuissent incommodum circa sua necessaria alimenta, totum quintum à commissario pro anima & funere parentis defuncti expendi ; tunc enim ex verisimili voluntate patris commissarius totum non expendet, sed illa bona, quæ necessaria fuerint ad funeris expensas, Missas, & alia ad exonerationem conscientiæ defuncti, secundùm ejus qualitatem, rationem, & necessitatem. Tum etiam, quia necessaria ad alimenta filiorum, & educationem, sunt debita, *§.* 1. *Inst. de jur. nat. l. Si quis à liberis* 5. *ff. de lib agnoscend. l.* 1. *C. de alend. liber. cap. Cùm haberet* 5. *de eo qui duxit in matr.* Quapropter leges Civiles, quando ista deficiunt, nequeunt concedere licentiam, ut totum quintum pro anima defuncti expendatur, sed tantùm necessariæ funeris expensæ, Missæ, & aliæ necessariæ secundùm qualitatem personæ. Quapropter in his casibus commissarius totum quintum non expendet, sed tantùm quod sit necessarium secundùm qualitatem personæ, ut dicunt Doctores secundæ sententiæ. 54

Et hæc de testatis, sive per se, sive per commissarium, dicta sufficiant quoad funeris expensas, & alia legata pia, quoad bonum animæ concernentia. Transeamus ad eos, qui ab intestato moriuntur ; & qui nihil disposuerunt circa propriam animam, nec funeris impensam. De qua re duplex inspectio facienda est, scilicet quando non apparent hæredes ab intestato, & in hoc casu Judex potest se introducere, & tenetur disponere circa funeris expensas, & eas facere tenetur, si bona defunctus reliquerit, *l. Si quis sepulchrum* 12. *§. fin. cum lege sequenti, ff. de relig. & sumpt. funer. l.*12. *tit.* 13. *p.*1. id præcipiens, ita ut Judex, si ad id bona vendat, priùs mobilia, quàm immobilia alienet. Et ratio est, nam corpora defunctorum humare, causa publica est, & ad bonum commune Reipublicæ : quapropter quando nullus est hæres, qui id peragat, faciendum est à Judice, ut tenet Gregorius in *dict. l.* 12. *gloss. fin.* Rodriguez *de concurs.* 1. *part.* 55

art. 3. *num.* 6. Villalobos *in Summa*, 2. *p. tract.* 31. *difficult.* 4. *nu.* 2.

56 Aliter enim diſquiſitio ſit, quando hæredes adeſsent ab inteſtato: & in hoc caſu videtur Judicem minimè poſse ſe introducere ad aliquid agendū; verùm ipſi hæredes tenentur funeris expenſas, Miſſas, & alia pia peragere pro anima defuncti, ſecundùm qualitatem perſonæ, bona, & alia requiſita, quibus inſpectis huic obligationi ſatisfaciant, *l. Et ſi quis* 14. §. *Sumptus*, *ff. de Relig. & ſumpt. funer. l.* 7. *titul.* 10. *par.* 6. illa moderatione, ne extra vires hæreditatis expenſæ iſtæ fiant. Albericus *in l. Nec amplius*, *ff. ad l. Falcid.* Samuel. *de Sepultur. tract.* 1. *diſput.* 6. *controverſ.* 15. *concluſ.* 5. & 7. Lavor. *de Priſco*, & *recent. funer. rit. tit.* 2. *cap.* 16. *num.* 17. Quod in Caſtella id receptum eſt, ut hæredes ab inteſtato venientes compellantur ad id expendere quintum bonorum, ſecundùm conſuetudinem, qualitatem & dignitatem defuncti, nec citra compelli poterunt, ut cum Gregorio tenet Spino *de teſtament. gloſſ.* 2. *num.* 54 Gomez *in l.* 36. *Tauri*, *n.* 2.

57 Verùm in praxi in aliquibus partibus, & ditionibus illud eſt receptum, ut in utroque caſu, quoties defunctus moritur ab inteſtato, aut cum teſtamento nullo, ſive appareant hæredes ab inteſtato, ſive non, Judex ſe intromittat, vel Parochus, vel Vicarius, etiam foraneus, & diſponat ad funeris expenſas, Miſsas, & alia legata pro anima defuncti uſque ad mediocrem quantitatem, ita ut animæ, & hæredibus conſulatur: quod etiam in noſtra Caſtella obſervatur, ut Judex de quinto diſponat: quam partem exiſtimat lex ſufficientem eſse, ut abſque hæredum præjudicio animæ defuncti provideatur, etiamſi hæredes ſunt deſcendentes, aut aſcendentes: quæ quidem conſuetudo conformis rationi valdè eſt. Et probatur, nam ſi non adſunt hæredes ab inteſtato, nec præſto apparent, id ad Judicem diſponere de jure pertinent, ut diximus *num.* 55. Si verò apparent, & acceptant hæreditatem, parte ſunt intereſse percipientes, quibus non eſt committendum, ut judicent, & diſponat in cauſa propria, *ex rub. & nigro C. Ne quis in ſua cauſa iudicet*, *l. Qui iuriſdictioni* 20. *ff. de juriſdict. omnium Iudic.* Surdus *conſ.* 47. *nnm.* 1. Carolus de Graſs. *de Except. ad ſtat.* 1. *except.* 2. *nu.* 67. Amicis *de iur. emphyt. quæſt.* 76. *nu.* 4. Salgado *de Retent.* 2. *part. cap.* 16. Matth. *de re crim. controverſ.* 64. *à numer.* 50. quapropter rectè introductum eſt, ut Judex ſe intromittat, etiamſi appareant hæredes, ad diſponendam quantitatem mediocrem pro anima defuncti ab inteſtato decedentis. Cæterùm ſi id arbitrio hæredum relinqueretur, animæ defunctorum quamplura damna perciperent ex dilatione ſuffragiorum; tum ex quantitate, quia ob proprium lucrum minimè ab hæredibus fierent expenſæ ad funus, ad Miſsas, & ad alia legata pia; quapropter rectè introductum eſt, ne ab hæredibus fiant, ſed à Judice, & appoſitiſſimè ſuſtinenda eſt hæc conſuetudo, ut rectè defendunt Genuenſis *in Praxi Archiepiſcopali*, *c.* 79. & multis adductis declarationibus, Hieronymus Nicolius *lib.* 2. *tit.* 10. *de teſt. nu.* 16. Addit. Michael Juſt. *ad Novar.* 2. *part comment.* 123. Cardinalis de Luca 9. *part. de teſtament. diſc.* 24.

58 Verùm eſt aliquod dubium, an conſuetudo iſta debeat eſſe immemorialis, centenaria, aut quadragenaria; an verò ſufficiat ordinaria. Et affirmandum videtur, debere eſse immemorialem, aut ſaltem longiſſimæ præſcriptionis. Et ratio eſt, nam de jure interdictum eſt, ne ultima diſpoſitio in alieno concedatur; ne aliàs plures fraudes committantur, ut dictum eſt: quamobrem Judices id intendentes, abſque ullo titulo ſe introducerent, & cum juris reſiſtentia, quapropter conſuetudo iſta, aut debet eſse immemorialis, aut longiſſimæ præſcriptionis, *ex cap.* 1. *de præſcript. in* 6. Garcia *de Beneficiis*, 9. *par. cap.* 2. *n.* 388. Grat. *diſcept. cap.* 161. *n.* 28. Ergo aliàs non ſuſtinebitur.

59 Sed tamen Eminentiſſimus de Luca *dict. diſcurſ.* 24. *numer.* 6. aſserit, ordinariam ſufficere præſcriptionem ad hanc conſuetudinem ſtabiliendam. Et ratio eſt, nam hæ diſpoſitiones, quæ fiunt pro anima, piæ ſunt, in quibus ſolùm inſpicitur jus naturale, in quo nulla eſt prohibitio, ne poſsint ultimæ voluntates committi alieno arbitrio; quin id de jure conceſsum eſt *in cap. Cùm. tibi* 12. *de teſtam.* Quapropter id præſentiarum nulla eſt juris reſiſtentia, & ſufficiet præſcriptio ordinaria.

60 Hæc ſententia inſigniſſimi viri admittenda eſt, quia non ſolùm in præſentiarum abeſt juris reſiſtentia, ſed eſt aſſiſtentia; ex eo enim quod judex ſe intromittit ad id diſponendum, ſtatim funus peragitur, quod eſt conveniens cauſæ publicæ: tum bonum animæ proſpicitur, quatenus ſuffragia citò adimplentur, & in proportionata quantitate, quod omni juri eſt conforme. Ergo adeſt juris aſſiſtentia, quæ per præſcriptionem ordinariam poterit conſuetudinem ſuſtinere. Deinde materia iſta non eſt contra jus, ut dictum eſt, ſed præter jus, ad quam præſcribendam, & ad inducendam conſuetudinem, ſufficit ordinaria præſcriptio decennii, ut jam cenſuit Rota, quam refert, & ſequitur Diana 6. *part. tract.* 5. *reſol.* 2. Cardoſo *in Praxi*, *verbo Conſuetudo*, *num.* 8 Parladorius *different.* 39. *num.* 9. Suarez *de legib. lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 12. Ergo in præſentiarum ſufficiet ordinaria præſcriptio. Denique conſuetudines iſtæ, licet habuiſſent aliquam juris reſiſtentiam, tamen ſemper præſcribuntur ex tolerantia illarum ſecundùm jus; ex eo enim quod à Principibus non reclametur, videntur conſentire, ut jus tollatur. Ergo etiamſi adſit juris reſiſtentia, ex decennio præſcribentur. Granados 2. 2. *controverſ.* 7. *tract.* 3. 2. *par. diſput.* 16. *ſect.* 1. *num.* 9. Palao *tom.* 1. *oper. moral. tract.* 3. *diſput.* 3. *punct.* 2. §. 2. *nu.* 9. Ergo licèt conſuetudo iſta habuiſſet juris reſiſtentiam, adhuc per decennium rectè præſcribetur.

Sed tamen in re diſquirendum, cui judici competat hæc di- 61
ſpoſitio inteſtatorum pro anima defuncti. Et affirmandum videtur, non ſolùm ad Epiſcopum pertinere hanc diſpoſitionem, ſed etiam ad ſæcularem, data præventione. Probatur, nam iſta cauſa eſt pia, & conſequenter mixti fori, ut in hoc opere pluries dictum eſt, *l. Nulli* 28. *C. de Epiſcop. & Clericis*. Tiraquellus *Privileg.* 139. Cenedo *Pract. q.* 14. *n.* 2. Cevallos *de cognit. per viam violent. quæſt.* 21. *num.* 2. Oliva *de For. Eccleſiæ*, 3. *part. q.* 35. *per tot.* Caſtillo *de Aliment. lib.* 8. *cap.* 6. *nu.* 9. Ergo poterit judex ſæcularis, data præventione, cognoſcere de inteſtatis, & illas pias diſpoſitiones facere, data præventione. Deinde hæc non eſt propriè diſpoſitio de bonis defuncti; ſed exequutio ad piam cauſam ſuæ animæ; nam qui Chriſtianus eſt, & piè vixit, cognita alia vita per fidem, & quàm impoſſibile eſt cœlum intrare, niſi anima purgata ad integrum, conſequenter vult diſponere de aliqua portione bonorum ſuorum ad ſuffragia illius, tam pro funere religiosè perficiendo, quàm Miſsis, & aliis piis legatis: quapropter mortuo inteſtato, quando judex intrat diſpoſitionem illam piam, magis eſt exequutor, quàm conſtructor ipſius. Sed judex ſæcularis poteſt ad præventionem exequi diſpoſitionem, & legata pia, *l. Hæreditas* 53. *in fin. ff. de pot. hæreditatis*, *d. l. Nullus* 28. *C. de Epiſcop. & Clericis*. Marta cum multis *de Iuriſdict.* 2. *par. cap.* 10. *n.* 14. Molina *de Iuſt tract.* 2. *diſput.* 250. *poſt principum.* Guttierrez *Pract. lib.* 1. *quæſt.* 44 *nu.* 6. Mathienzo *in l.* 10. *tit.* 4. *lib.* 5. *gloſſ.* 7. Ergo ad præventionem poterit diſponere de inteſtato. Rurſus Iudex ſæcularis non eſt omninò incapax agendi circa aliqua ſpiritualia; quapropter cognoſcit in cauſis Decimarum. Cevallos *de las Fuerzas*, *q.* 23. & ſaltem in aliquibus caſibus id permittunt communiter Doctores. Guttierrez *de juram.* 1. *par. cap.* 2. *nu.* 35. Germonius *de ſacror. immunit. lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 84. Diana 1. *par. tract.* 2. *n.* 86. & circa Matrimonia, Sanchez *de Matrimonio*, *lib.* 6. *diſput.* 3. *n.* 2. Oliva *dict.* 3. *part. quæſt.* 36. *per tot.* Unde licet hæ diſpoſitiones ab inteſtato contineant aliquam ſpiritualitatem, poterit tamen Judex laicus ad præventionem illas facere, & diſponere. Denique in his diſpoſitionibus piis diſtinctio eſt facienda, quando ſunt purè ſpirituales, & in hoc caſu nequit ſe intromittere Judex laicus; ſecus verò, ſi purè ſpirituales non ſint: nam ex parte, qua ſunt temporales, ſunt mixti fori. Marta *dict. cap.* 10. *num.* 34. Caſtillo *dict. lib.* 8. *cap.* 6. *n.* 9. *circa fin.* Aſt diſpoſitiones iſtæ inteſtatorum non ſunt purè ſpirituales: Ergo ſuper eis ad præventionem poterit diſponere Judex laicus, prout quotidie videmus in Senatu Regio Caſtellæ, ubi cauſæ iſtę per viam violentię deferuntur; & ſi Iudex laicus prævenerit, obtinet, & declaratur Eccleſiaſticum vim facere.

Sed ſalva pace inſigniſſimi Senatus, illuſtriſſimorum, & 62
peritiſſimorum virorum cœtu compoſiti, hanc doctrinam ſuſcipere non audeo, & periculoſiſſimam eſſe in foro conſcientiæ arbitror. Ducor, nam in his diſpoſitionibus inteſtatorum, quod magis diſponitur, eſt purè ſpirituale, nempe funus, ſepultura ſacra, aſſociatio Clericorum, Defunctorum Officia, Miſſæ quamplurimæ, quæ ut dicendæ ſunt de *Requiem*, aut diei, in quibus Orationibus, aut Collectis, ut purè ſpiritualibus, nequit ſe intromittere Iudex ſæcularis,

laris, ex *cap. Decernimus 2. de Iudic.* ubi cummuniter Doctores, *cap. Tuam 3. de ordin.cognit. cap. Ut inquisitionis 18. §. Prohibemur, de hæretic. in 6.* suntque optima jura de jure Regio, *l. 56. & 67. tit. 6. p. 1.* Carpio *de exequut. testam. lib. 1. cap. 6. nu. 5.* Duarenus *lib. 1. de Sacr. Ecclesiæ Minist. lib. 1. cap. 5. & 6* Villaroel. *Goviern. Ecclesiast. tom. 1. quæst. 1. art. 12.* quare laici Judices non possunt se intromittere in dispositionibus testati. Cæterùm licèt post hæc, quæ principalia sunt, adsint alia legata, quæ non purè sint spiritualia, veluti eleemosynæ aliquæ, aut aliæ dispositiones, in quibus ex præventione possit Judex laicus cognoscere; attamen hæ dispositiones pendent à dispositione principali purè spirituali, tanquam inseparabiles: quapropter nequit Judex laicus de eis cognoscere, *cap. Quanto 3. de Iudiciis, Clement. Dispendiosam, de iudiciis.* Et quæ de jure Patronatus scripsere Garcia *de Beneficiis, 5. p. cap. 9.* Lotterius *de re benefic. lib. 2. quæst. 9. per totum.* Pereyra *de Manu Regia, 2. par. cap. 29. per tot.* Et confirmo discursum, nam si Judex Ecclesiasticus cognoscat de exequendis legatis piis, tum potest cognoscere de exequtione legatorum profanorum, de quo nequit cognoscere in meliori sententia. Et ratio est, nam sunt individua à prima cognitionem piorum, ut tenent Barbosa *cap. Si hæredes, de testament. num. 4.* Cevallos *de las fuerzas, quæst. 23. num. 8. vers.^o Vel respondetur.* Castillo *dict. cap. 6. num. 10.* Ergo similiter dicendum est in specie; Iudex enim Ecclesiasticus est competens ad disponendum ab intestato de rebus istis spiritualibus purè, & non laicus. Ergo ipse solus erit competens ad disponendum de illis legatis piis, in quibus habet præventionem laicus, cùm inseparabiliter dependeant à prima dispositione, quam alter nequit facere, nisi Iudex Ecclesiasticus.

63 Cæterùm, si separabilia censeantur hæc pia legata, si præveniat laicus, solùm de his disponere posset; nam ut considerat Carpio *d. cap. 6. à num. 5.* legata pia distinguntur à rebus purè spiritualibus: quapropter sunt mixti fori, & de eis cognoscit Iudex laicus, non tamen de purè spiritualibus: ast hoc est maximum inconveniens, nec sufficienter funeri, sepulturæ, & Missis pro anima defuncti dicendis consulitur, quin opus imperfectissimum relinquit. Ergo dicendum, Iudicem laicum non habere ad præventionem hanc facultatem disponendi de intestatis; non enim in jure concedere debemus facultatem ad actum imperfectum, & ridiculum, prout fieret si relicto funere, Missis, & aliis spiritualibus, disponeretur tantùm de aliquibus legatis piis, remittendo causam intestati Iudici Ecclesiastico, ut aliam partem purè spiritualem conficeret.

64 Rursus probatur ex præsumpta voluntate defuncti; nam ut considerat Luca *d. disc. 24. de testament. num. 7.* qui Christianè vixit, vult has pias dispositiones, & suffragia fieri pro anima; & si morte præventus non disposuerit, rectè præsumitur velle fieri ab Episcopo, tanquam à patre spirituali; qui enim rexit in vita animam suam, melius posteà pro ea prospiciet: quapropter ex voluntate defuncti ab intestato Iudex Ecclesiasticus censendus est non solùm Iudex, sed commissarius datus à defuncto ad hanc dispositionem ab intestato; sed quando est commissarius datus, nequit alius Iudex se intromittere ad hanc causam, *l. 32. Tauri, l. 6. tit. 4. lib. 5. Recopil.* Ergo nec in his intestatis Iudex laicus poterit se intromittere per præventionem.

65 Præterea, quod in legatis piis sit Iudex ad præventionem laica potestas, non ita est certum; sunt enim aliqui existimantes, cognitionem eorum solùm ad Ecclesiasticum competere, *ex cap. Tua nos 3. cap. Si hæredes 6. c. Ioannes 19. de testament.* Glossa, Sylvester, & alii apud Martam *d. 3. par. cap. 10. num. 12.* Spino *de testament. gloss. 28. num. 44.* Bonacina *de contractibus, disp. 3. quæst. 18. punct. 1. §. 10. num. 1.* Diana *4. p. tract. 1. resolut. 90.* Quæ quidem doctrina, licèt communiter reprobetur; attamen semper est admittenda, quando legata ista sunt spiritualia, ut benè explicat Castillo *dict. cap. 6. num. 9.* aut cum purè spiritualibus commiscentur. Sed in præsentiarum, aut sunt ut plurimùm spiritualia purè, quia in hæreditatibus pauperum ad alia legata pia, & mixta pervenitur; aut si dives fuerit hæreditas, cum purè spiritualibus permiscentur. Ergo nullo modo Iudex sæcularis valet disponere de intestatis, etiam per præventionem.

66 Porsus nec Princeps sæcularis, nec potestas laicalis potest se intromittere in his actibus, quibus Ecclesia jam formam præscripsit, & decrevit quomodo sint faciendi, & quibus ritibus, prout jam dedit in funeribus, in sepulturis, in Missis, & deprecationibus, & aliis suffragiis defunctorum, de quibus jam supra diximus, & cogerunt Bellarminus *de Purgator. lib. 2. cap. 19.* Durantius *de Rit. Ecclesiæ, lib. 23.* Samuel *de sepult. tract. 2. disput. 2. per tot.* Indecentissimum enim fuisset, ut pro arbitrio Iudex sæcularis in his dispositionibus aut adderet, aut tolleret, licèt non in forma, saltem in quantitate, & modo, in stipendiis, & eleemosynis, quæ Clericis conceduntur, in certa, in pulsandis campanis, & aliis, quæ communiter in intestatis disponuntur; hoc enim clarè suam potestatem excedit. Ergo sæcularis Iudex, nec per præventionem poterit disponere de his intestatis.

Sed dices, hæc omnia disponunt ipsimet testatores in sub 67
testamento, & commissarii, si ad id fuerint ab eis designati, quamvis laici sint; & dant modum circa funera, Missas, & alia pia legata, favore animarum: Ergo etiam id poterunt disponere Iudices sæculares, quando laici intestati decesserint. Consequentia probatur, nam laici testatores, & commissarii sunt incapaces alicujus juris spiritualis, ut tenent communiter DD. in *d. cap. 2. de judiciis, cap. Causam 7. de præscript. c. Massana 56. de elect.* Ergo si laicus in suo testamento potest disponere de his causis pro sua anima, etiam si Iudex laicus sit ejusdem juris incapax; poterit favore animæ defuncti intestati ipsam dispositionem facere; quia favore animæ eandem capacitatem debet habere, prout idem testator laicus.

Sed tamen respondetur, disparitatem facilem esse; nam 68
Ecclesia id concessit testatoribus, & quibuscunque Fidelibus, ut disponerent pro sua anima quidquid sibi placuerit, ex suffragiis, & tribus ab ipsa præscriptis, dummodo de eorum forma nihil detraherent, aut adderent; sed eligant modum, prout eorum fuerit voluntas, ut patet ex allegatis juribus *de testament. num. 65.* idque observare præcipitur *cap. Vltima voluntas 4. cap. Qui oblationes 9. cap. Qui oblationes 10. 13. quæst. 2. Clement. Quia contingit de Relig. dom.* quapropter etiamsi laici sint, possunt disponere ad libitum circa ista, etiamsi sint purè spiritualia, quia sunt ab ea facti capaces, prout potest facere Ecclesia, seu ipse Pontifex. Glosa in *cap. Benè quidem, 96. distinct. verbo Laico.* Covarruv. *in pract. cap. 31. num. 4.* Garcia *de Nobilit. gloss. 1. à num. 23.* Balboa in *cap. Decernimus, de Iudic. num. 147.* Navarrus *in man. cap. 27. num. 6.* Aufrerius *de Potest. sæcul. regula 4.* Diana *1. p. tract. 2. resol. 112. in princip.* Quæ quidem potestas, & facultas concessa non est Iudicibus sæcularibus, ut possint disponere in his intestatis, nec est aliquis textus canonicus, qui id concedat. Cæterùm aliud est disponere de rebus propriis circa spiritualia facienda in bonum suæ animæ; aliud verò ex potestate Iudicis laicalis disponere circa spiritualia de rebus alienis. Primum enim quilibet Fideli conceesum est ex jure ipso naturæ, & religiosa pietate. Secundum verò nullo modo admittendum, propter illius incapacitatem. Tum quia favore animæ defuncti debet fieri à Iudice Ecclesiastico.

Ex his fundamenta contraria dilabuntur. Nec obstat pri- 69
mum, quia licet piæ causæ sint mixti fori, non verò spiritualia, & cum quæ spiritualibus permiscentur. Ad secundum dicendum, quod hæc non est pura exequutio, sed dispositio facienda per Iudicem, quæ non fuit facta à defuncto morte prævento. Ad tertium, dicendum, Iudicem sæcularem esse incapacem decernendi circa spiritualia; & licèt in aliquibus casibus cognoscat de causis spiritualibus, in aliquorum sententia; attamen est tantùm quando cognitio est de facto, non verò de aliquo jure illius. De quo Barbosa *in l. Titia, ff. solut. matrim. num. 22. concluf. 2.* Barbosa *de Offic. Episcopi, 3. p. allegat. 84. num. 31.* Tondutus *de Præventione, p. 2 cap. 22. à nu. 9.* Balboa *in dict. cap. Decernimus à num. 136.* & hoc modo tantùm de facto cognoscunt de decimis. Balboa *ubi proximè nu. 144.* Moneta *de Decimis cap. 8 q. 1. num. 1. & 5.* Nec de matrimonio valet cognoscere, nisi tantùm de facto, ut eleganter docet Basilius *de Matrimon. lib. 7. cap. 2. num. 3.* Diana *dict. 1. p. tract. 2. resolut. 127.* Nec ultimum fundamentum est alicujus ponderis, nam ut constat, in his dispositionibus intestatorum dispositio principaliter versatur circa purè spiritualia, & in bonum animæ purè spirituale. Quapropter non audeo admittere contrariam sententiam: itaque hanc consuetudinem admittunt in Iudicibus Ecclesiasticis Luca *d. disc. 24.*

Nicolius *d lib.2. tit.13. num.16.* Sylvester *verbo Sepultura, num 15.*

70 Prætereà disquirendum ex quota parte bonorum facienda sit hæc pia dispositio testatorum? Et de jure communi illa est cognita doctrina, ut facienda sit ab Ordinariis cum paterna discretione, nec expendendum, nisi modicum quid, ratione quantitatis bonorum, qualitatis defuncti, hæredum, & exercitii, quod defunctus habuit quando vivus erat; vel ratione mercimonii, vel bonorum, si fuerint ex titulo Ecclesiasticorum; si fuerit defunctis pauper, aut dives, *l. Si quis sepulchrum 12. §. fin. ff. de Relig. & sumpt fun.* Et declaravit Sacra Congregatio Episcoporum in monte Pelusio, 9. Maji 1581. refert Michael Justinianus *in Addit. ad Nov. d.2.p. comment. 123. num. 1.* qui in numeris sequentibus aliqua observanda proponit, nempe ut hæ dispositiones fiant in scriptura, ut semper de eis constet, & ratiocinium Visitatori præstetur, ne cadaver ad effectum exigendi insepultum remaneat, nec occasione cautionis præstandæ. Tertiò, ut omnia applicentur funeris expensis, celebrationi Missarum, & pauperum subventioni, secundùm conjecturam verisimilem ipsorum defunctorum, attenta devotione, & inclinatione, quam viventes ostendebant. Quartò, quod hæc dispositio fiat cum consilio hæredum, & cum eorum satisfactione exequutioni mandetur. Quintò, ut Ordinarii non procedant cum rigore contra hæredes pro solutione, nisi in casu moræ culpabilis, vel si ipsi hæredes contradicerent; quia tunc compelli possunt per censuras ad subsidium præstandum.

71 Sextò, ut Ordinarii isti sint ubi intestati mortui sunt, non verò Ordinarius loci ubi adsunt bona hæreditaria. Septimò, quod ex hac distributione nihil Ordinarii percipiant, nec eorum officiales, etiam ratione quartæ canonicæ. Octavò, ne hæc distributio fiat nisi ære alieno soluto, exceptis funeris expensis necessariis. Nonò, & denique magnoperè debent curare Ordinarii, ne faciant in simili distributione magnos sumptus, prout in quibusdam partibus fecerunt Præsules, quod impium, & detestabile est, ut latè prosequitur Cardinalis de Luca *d. disc. 24. à n. 8.* Nicolius *d. lib. 2. tit. 10. num 16. vers. quod autem.*

72 Hinc discutiendum, an in nostra Castella totum quintum expendendum sit, quando Ordinarius intestati dispositionem fecerit? Et absolutè affirmant aliqui DD. non totum esse expendendum, sive hæredes sint necessarii, sive non; sed quod necessarium fuerit secundùm quantitatem bonorum, qualitatem personæ, & regionis consuetudinem: nam lex 36. Tauri, præcipens quintum necessariò expendendum pro anima, loquitur conditionaliter, & in certo, & limitato casu, nempe quando commissarius fuerit datus, & testamentum non egerit; quæ quidem ad alios casus extendenda non est, quia limitata causa limitatum producit effectum, *l. Age cum Geminiano*, cum similibus, *C. de transact.* Cæterùm in dubiis illud est faciendum, quod maximè non gravet hæredes, *l. Fideicommissa 11. §. Si rem, ff. de legat. 3.* Cùm ergo defunctus intestatus decesserit, nec constet de ejus voluntate, totum quintum non est expendendum pro anima, sed illud quod fuerit necessarium secundùm quantitatem bonorum, qualitatem personæ, & consuetudinem regionis. Denique jure communi idem tenent DD. quando in aliqua regione fuisset consuetudo exigendi quartam ad hanc distributionem, ut tenent Nicolius *d. n. 16. vers. Et quando esset.* Michael Justinianus *ubi proximè, n. 2.* Ergo idem est dicendum in nostra Castella, licèt aliqua sit consuetudo expendendi quintum ab Ordinariis. Gomez in *l. 36. Tauri, num. 2.* Castillus *num. 3.* Angulo *de Meliorat. in l. 13. tit. 6. glos. 4. num. 4.* Garcia *de Expens. cap. 8. num. 2.* Guttierrez *pract. lib. 2. q. 46.* Didacus Gomez *in Addit. ad l. 36. Tauri, a num. 2.* Azevedus *in l. 13. tit. 6. lib. 5. Recopilat. num. 12.* Matthienzo *in l. 6. tit. 4. lib. 5. glos. 4. num. 3. & 4.* Altamirano *de Visit. verbo Etiam testamentum, n. 59.* Valdes *in Addit. Roderici, in l. Quoniam in prioribus, in declar. 1. Reg. ad principal. lit. B.*

73 Alteri verò Doctorum distinctionem faciunt, nempe si quando defunctus intestatus decesserit, reliquerit filios, aut descendentes; tunc enim totum quintum exigendum non est, sed tantum illud, quod fuerint necessarium secundùm quantitatem bonorum, qualitatem personæ, & regionis consuetudinem, *l. Et si quis 14. §. Æquum, ff. de Religios. & sumpt. funer.* Si verò solùm transversales habuerit, totum quintum est expendendum. Ducuntur ex decisione textus *in d. l. 36. Tauri*, ubi decisum est, quod si commissarius non fecerit testamentum, tunc hæredes consanguinei transversales possunt cogi ad expendendum totum quintum, secus si fuissent descendentes. Ergo in præsentiarum similiter est dicendum. Et confirmatur, nam licèt textus ille loquatur in casu speciali, nempe quando commissarius non fecerit testamentum; attamen nihil impedit, ut lex illa trahatur ad similes casus, *l. Non possunt. 11. l. Nam ut 13. ff. de legibus.* Si enim commissarius non fecit testamentum, rectè intestatus defunctus moritur, prout quando absque testamento, & commissario decesserit. Ergo nulla datur differentia, ut lex ista ad nostrum casum non trahatur. Tellus *in d. l. 36. n. 3.* Rojas *de succes. ab intest. cap. 9. n. 24.* Parladorius *differ. 26. §. 1. à n 1.*

In hac difficultate recurrendum est ad ea, quæ diximus 74
suprà, *a num. 41.* ubi de commissario loquentes tractavimus, an totum quintum expendere possit? Quapropter asserо, Ordinarium facientem dispositionem intestati, quando sunt tantùm collaterales consanguinei, posse integrum quintum expendere, idque ex voluntate præsumpta testatoris à lege interpretata. Si verò intestatus descendentes reliquerit, idem absolutè dicendum censeo, nisi quando aliter ratio petierit, & humanitas; non enim in ditissima hæreditate totum quintum expendendum est, procedendo ad excessum, ne quando sunt plures descendentes, ipsi pauperes relinquerentur, sed totum Ordinarii arbitrio est relinquendum. Quod similiter est dicendum, quando infans decedit, qui suffragiis non indiget; aut quando in septennio, nec culpis, nec malitia fuerit irretitus, nisi malitia suppleret ætatem, ut benè considerat Parladorius *d. differ. 26. §. 1. à n. 3. & 4.*

Sed quid dicendum quando testator condidit testamentum 75
verùm nec ad expensas funeris, nec quoad ejus animæ expiationem aliquid fuerit locutus? Et in hac disquisitione duo sunt quærenda. Primum, quæ quantitas sit expendenda pro anima? Et asserendum dico, totum quintum esse expendendum, si hæredes nominati fuerint consanguinei collaterales, aut extranei; si verò necessarii, utpote descendentes, aut ascendentes, absolutè loquendo, totum quintum, nisi aliud petierit ratio, secundùm qualitatem personæ, & bonorum expendendum erit. Angulo *in d. l. 13. gloss. 4. n. 3.*

Quoad secundum major erit difficultas, an tunc Judex se 76
possit intromittere, prout quando defunctus moreretur ab intestato? Et affirmandum videtur, nam respectu hujus piæ dispositionis defunctus intestatus decessit: Ergo sicut quando ab intestato decedit defunctus, se intromittit ad hanc dispositionem ex consuetudine, similiter si omiserit testator testamentum faciendo, ut de consuetudine, *l. 1. ff. de legibus.* Vela *dissert. 3. à n. 35.*

Sed in hac specie contrarium teneo, nam quando sunt 77
hæredes nominati à testatore, & certi, ad eos pertinet hæc dispositio de jure; si verò id facere renuerint, poterit tunc Ordinarius eos cogere ad implenda hæc necessaria ad funeris expensas, & alia pia pro anima defuncti, ut est textus expressus *in cap. Si hæredes 6. de test am. cap. 4. de sepult. l. 7. tit. 10. p. 6.* Parladorius *d. different. 26. §. 1. num. 4* Spino *in specul. test. gloss. 28. in princip. num. 67.* Menochius *de Arbitrariis, casu 489. num. 58.* Ergo minimè poterit Judex se intromittere ad faciendam hanc distributionem, sed tantùm ad cogendos hæredes, si eam facere, & adimplere renuerint. Deinde consuetudo introducta, ut intestatis defunctis se intromittat Judex, onerosa hæredibus, quibus de jure competit facere, & adimplere hanc piam dispositionem: nec enim excedere valet alium distinctum casum, cùm juri opponatur, ut per Baldum *in Auth. Si quas ruinas, Cod. de sacrof. Ecclesiis.* Molina *de Primog. lib. 2. cap. 6. nu. 20. & 21* Valenzuela *cons. 8. à num. 25. & cons. 33. a n. 228.* Duenas *reg. 136.* Ergo minimè per extensionem trahenda est ad alios distinctos casus. Et confirmatur, nam quamvis consuedo ista potiùs assistentiam, quàm resistentiam habeat, quando defunctus intestatus decessit; non tamen quando testatus, & hæredes nominavit, quos dilexisse præsumitur, & de eis fiduciam habuisse quoad funeris expensas, & alia pia pro anima, quando ipsis institutis, nihil de illis disposuit: quamobrem cùm in specie ista hæredes habeant juris assistentiam, & insimul pro eis stet voluntas testatoris, inde est, ut consuetudo illam absque sufficienti ratione relinquatur, nec extendi possit ad hunc casū. Bellonus *cons. 42. à n. 8.* Solorzano *in Polit. lib. 2. c. 23. vers. Lo cierto,*

Octa-

Octavianus *decis. Pedemont.* 19. Valenzuela *cons.* 166. *a num.* 83. Flaminius Marchetus *de sepult. tit.* 38. *à nu.* 88. Ergo in præsenti Judex ordinarius nequibit se introducere ad hanc disposition em, & distributionem faciendam, sed fiet ab hæredibus; & si renuerint, aut non benè fiat, à Judice cogentur, & punientur, ut est textus in *d.cap. Si hæredes*, & cum Gregorio tenet Spino *d. gloss.* 2. *nu.* 54. *citat. n.* 52. *in fin.*

CAPUT VII.

De sepulturis Ecclesiasticis, & earum differentia.

SUMMARIUM.

Inter debita naturalia hominis est sepultura. Statutum in contrarium non valet. Quoties testator legatis sua bona exhauriat, excepta videtur sepultura, & funus, num. 1.

Anaxagoras reprehenditur contemnens sepulturam, & barbarè loquutus est, n. 2.

Ut mortui sepeliantur, ad Magistratuum curam pertinet, maximè tempore pestis, n. 3.

Aliquando defunctum sepelire, cadit sub præcepto, quando non fuisset alius, qui sepeliret, & tu possis facere absque incommodo, n. 4

Omnium fuit cura mortuorum, præcipuè Christianorum. Bona, quæ ex sepultura sacra proveniunt, referuntur, num. 5.

De variis nominibus sepulturæ ibi recensitis, & explicatis, num. 6.

In præsentiarum agendum de sepultura, ut de loco, ubi defunctus est sepeliendus, n. 7.

Sepultura alia est pura, alia religiosa: & explicatur, n. 8.

Agendum est de sepultura Religiosa, prout Ecclesia Catholica admittit, n. 9.

Sepultura definitur, & ejus diffinitio explicatur, n. 10.

Sepulturæ aliæ sunt communes, aliæ privatæ. De communibus apud Romanos, n. 11.

Ecclesia habet communes sepulturas, & quæ istæ sint, n. 12. *Privata sepulchra, aut familiaria sunt, aut hæreditaria: & quæ sint ista, explicatur, & quomodo litteris secernebantur, n.* 13.

Sepultura Ecclesiastica quomodo privata, & propria fieri possit, difficilè est ostendere. Sepultura nequit vendi, sicut etiam inter gentiles facta religiosa non vendebatur, nu. 14.

Sepultura extra Ecclesiam ad sepeliendos Infideles vendi valet, n. 15.

Quod idem est dicendum, quando terra venditur, etiam ad sepeliendum Christianum, qui nequit sepeliri in loco sacro, n. 16.

Sed an vendi possit sepultura sacra? Prima sententia negat, nu. 17.

Secunda dicit, vendi posse quoad usum, n. 18.

Tertia idem affirmat quoad terram, semota consecratione, nu. 19.

Difficultas consistit in segregatione spiritualitatis ab aliquo temporali sepultura, ut vendi possit. Aliqui dicunt, ratione materiæ vendi posse, nu. 20. *Sed modus iste reiicitur, nu.* 21. *Cautela quomodo calix vendi valet, ibid.*

Alteri asserunt, ratione usus vendi valere sepulturam, quatenus datur, & quatenus adest obligatio, ne ibidem aliquis sepeliatur, nisi emens, & ejus familia, aut hæredes, n. 22.

Sed ratio usus reiicitur, num. 23. *Et admittitur, quatenus est obligatio Ecclesiæ alium ibidem non inferendi, num.* 24.

Alii Doctorum asserunt, pretium suscipi posse ratione loci honorabilioris, & sic vendi sepulturam, num. 25. *non admittit Suarez, n.* 26. *Sed probabiliter defenduntur, ibid.*

Modus securus est, ut pretium pro sepultura recipiatur per modum eleemosynæ, ad Fabricam, vel ad sustentationem Clericorum, & cum authoritate Prælati, ut præcipitur in hoc Archiepiscopatu, n. 27.

An qui habet sepulturam privatam, & propriam, possit aliis vendere? Et respondetur affirmativè, sed cum cautela, de qua ibi, n. 28.

Sepultura cum universitate bonorum vendi valet, sicut jus patronatus, n. 29.

An sepultura cedi valeat? Prima sententia negat, sicut nec cedi valet jus patronatus libertorum, nu. 30. *Secunda sententia affirmat, quia jus sepulchri est vendibile, n* 31.

In hoc dubio tres casus sunt contemplandi. Primus, quando jus sepulchri est simplex: secundus, quando sepulchrum fuerit hæreditarium: tertius, quando fuerit familiare. Quoad primum jus sepulchri pretio est cessibile probabiliter, n. 32.

Fit instantia. Exequutio nequit fieri in jure sepulchri, utpote à persona inseparabili, n. 33.

Respondetur, quod jus sepulchri est separabile à persona, sicut jus patronatus, & potest in eo fieri exequutio, num. 34.

Jus sepulchri liberaliter potest cedi, sicut gratis in hæreditate aut legato relinqui, n. 35.

Explicatur textus in l. Quia proinde 41. §. 1. ff. ad Trebell. *Quid dicat D. Olea, n.* 36.

An jus sepulchri transeat ad fideicommissarium universalem? Aliqui negant, alii affirmant. Explicatur D. Olea, n. 37.

Aliter respondetur in specie, n. 38.

Explicatur lex Si quis 33. ff. de Relig. & sumptib. funer. *ibid.*

Quando bona confiscantur, jus sepulchri non transit ad Fiscum, si hæreditarium est, sed extinguitur, ut jus patronatus; sed transit ad Fiscum Ecclesiasticum, nu. 39.

Quando sepulchrum est hæreditarium, an cedi possit? Negandum videtur. Ponitur ratio, n. 40.

Sed admittitur contrarium. Ius sepulchri hæreditarium potest legari, non tamen per titulum universalem, nisi ad hæredem, vel in parte, vel in tota hæreditate. Ius sepulchri potest permutari, & quomodo? nu. 41.

Quando sepulchrum est familiare, an cedi possit? Affirmat Olea, n. 42.

Sed contra arguitur. Familiaria sepulchra solùm ad posteros, & familiares conceduntur. Quod instituitur pro familia & posteris, nequit cedi ad extraneos, sicut in majoratu, qui solùm immediato creditur. Majoratus nequit cedi in præjudicium vocatorum. Deficiente familia jus sepulchri redit ad Ecclesiam, n. 43.

In sepulchro familiari jus, & commoditas personæ possessoris rectè ceditur, ut commoditas majoratus, num. 44.

Ast totum jus sepulchri familiaris nequit extraneo cedi, nec in meliori sententia ad illum transferri per hæredis institutionem. Ast potest cedi in quolibet de familia, num. 45. *Fit instantia, & respondetur, numer.* 46.

An quando pro tertio jus sepulchri ceditur, aut venditur, debeatur gabella? Quando Ecclesia vendit, & similiter Clericus, gabella non debetur. Prædit quando laicus possessor sepulchri pretio cedit, aut vendit? Prima sententia negat deberi, n. 47.

Secunda sententia tenet contrarium. De usu, seu commoditate proveniente à re sacra, gabella debetur, nu. 48.

Sed admittitur, & defenditur prima sententia. Ex ornamentis, & vestibus sacris, adhuc quando non sunt sacratæ, gabella non debetur. In qualibet causa, ubi pietas minuitur, & religio, gabella non debetur, sicut & in his concernentibus ad causam publicam, n. 49.

An jus sepulchri transeat ad successorem majoratus? Affirmandum videtur, n. 50.

Distinctiones sepulchri hæreditarii, aut familiaris, referuntur, & ibi respondent DD. n. 51.

Explicatur hæc doctrina. Si majoratum aliquis instituerit, ubi adest jus sepulchri hæreditarii transit ad successorem, etiamsi non sit hæres, n 52.

Si sepulchrum fuerit familiare, videtur etiam cum bonis transire, num. 53. *Jus sepulchri familiare ta-*

xativè, non tranſit ad extraneos; ſecus ſi non taxativè, ibid.

Sed contrarium abſolutè defenditur, & reſolvitur extingui jus ſepulchri, & redire ad Eccleſiam, numer. 54.

Si jus ſepulchri eſt independens à cohærentia bonorum, tunc rectè procedunt diſtinctiones Doctorum, n. 55.

1 INter ea debita, quæ homini naturaliter debentur, eſt ſepultura, ut cadaver ejus tumuletur, & abſque injuria requieſcit. Id certum, maximè in loco a ſe deſtinato. Unde rectè Conſultus in *l. Scriptus hæres 4 ff. de relig. & ſumpt. funer.* ſic ſcripſit: *Naturaliter enim videtur ad mortuum pertinere locus, in quem infertur, præſertim ſi in eum locum inferatur, in quem ipſe deſtinavit.* Itaque quodlibet ſtatutum juri huic contrarium; utpote oppoſitum naturali juri, minimè ſuſtinebitur, nec aliqua lex poſitiva, *ſ. Sed agnationis Inſtit. de capit. diminut.* Lara *de Anniverſ. lib. 1. cap. 25. num. 4.* Lavor. *d. tit. 2. cap. 14. num. 22.* Oſuld. *ad Donell. lib. 18. comment. cap. 8. lit O.* Tum etiam ob eandem rationem, quotieſcunque teſtator hæreditatem ſuam legatis exhauriat, ejus funus, & ſepultura excepta videtur: quamobrem ex legatis portio ad hoc debitum perſolvendum excipienda eſt, ut optimè definivit Ulpianus in *l. Et ſi quis 14. §. Sed & ſi res, ff. de relig. & ſumpt. funer.* Garcia *de Expenſis, cap. 8. n 3.*

2 Hinc enim Anaxagoras communiter reprehenditur ſepulturam contemnens, qui cum Lampſaci moreretur, quærentibus amicis ubi majores ejus ſepulti erant, ut ſi quid ei accidiſſet, eo efferretur? Reſpondit: *Nihil neceſſe eſt de hoc quærere, undique enim ad inferos tantudem viæ eſt.* Unde facilè ſepulchrum contempſit, & ejus rationem præſtitit Cicero *Tuſc. Quæſt. lib.* 4. quia tota ratio humationis ad corpus pertinet, in quo, elapſo ſpiritu, nullus ſenſus ſuper eſt. Et de S. Monica idem ſcribitur, Leoncillus *de Privileg. paup. 2. p. privileg. 369. n. 21.* Sed tantùm loquuta eſt de honorabili ſepultura. Sed tamen barbarè loquutus eſt Anaxagoras, ſententia quippe iſta Sacris Litteris execrata eſt. *Pſalm. 74.* ibi: *Poſuerunt morticina ſervorum ſuorum eſcas volatilibus cœli.* Et ratione probatur, quia ex inſtinctu naturali impellimur ad mortuos ſepeliendos: tum ex humanitate, & urgenti neceſſitate, ne horrore, & pudore vivi corrumpantur. Itaque Chaſſaneus in *Catalogo gloriæ mundi, 2. p. conſiderat. 5.* & Ambroſius *in Tob. cap. 1.* dixerunt, prætermittere ſepulturam, beſtialitatem eſſe. S. Antoninus *in Summa, 3 par. tit. 10. cap. 1. n. 3.* Spino *de teſtam. gloſſ. 2. nu.* 3. Garcias *de Expenſis, cap. 8. num. 5.* Lavor. *dict. tit. 2. cap. 14. nu. 16.* Medicis *de ſepultur. in præfat. à num. 2.*

3 Ita enim Magiſtratus magnoperè curare debent, ut cadavera ſepeliantur, nec ad id aliquod exiſtat impedimentum: tum ut debitum naturale perſolvatur: tum ob publicam utilitatem, *l. Sunt perſonæ 45. ff. de relig. & ſumpt. fun.* quapropter tempore peſtis id erit majoris curæ eorum. Lavor. *d. cap. 14. nu 24.* Azorius *inſt. Mor. 2. p. lib. 12. cap. 13. q. 5. verſ. Cæterùm.*

4 Aliquando tamen in præcepto eſt etiam particulares perſonas adſtringente defunctum ſepelire. Id accidere valet, ſcilicet quando abſque ſuo incommodo quiſque mortuum ſepelire potuiſſet, & alius non eſſet, qui id ageret. Et ratio eſt, nam opus iſtud miſericordiæ cadit in præcepto, & contra pietatem Chriſtianam, & miſericordiam fuiſſet defunctum inſepulturum relinquere. Azorius *d. q. 5. per tot.* Lavor. *d. cap. 14. n. 22.* Samuel *de ſepul. prælud. 11. n. 3.* Iranzo in *Apparat. n. 5. de proteſtat*

5 Omnium Nationum cura maxima fuit in cadaveribus ſepeliendis, quando idololatriæ cæcitate tenebantur; verùm Chriſtiani, quos divina lex perluſtravit, omnibus præferendi ſunt, non ſolùm materaliter id curantes ex publica utilitate vivorum, ſed etiam pro bono animæ ipſius defuncti. Unde S. Antoninus *d. 3. p. tit. 10. cap. 1. §. 3.* triplicem utilitatem in ſepeliendis Chriſtianis ſcripſit. Prima, nam ideo in ſepulchris condiuntur, ut illis proſpectis, memoriam eorum retineamus, & pro ſepultis oremus, & ſuffragia offeramus, quibus optimè animæ adjuvantur, ut ad cœlum conſcendant. Secunda, quia in ſepulchris requieſcunt Chriſtiani, ut inde ad univerſalem reſurrectionem perveniant, *c. Aurum 70. 12. q. 2.* Tertia, in Eccleſiis, & Sacris Cœmeteriis ſepeliuntur, ut interceſſione illorum Sanctorum, quibus dicatæ ſunt Eccleſiæ, ſeu cœmeteria, adjuventur, & cum Miſſis ibidem celebrandis; tùm ob meritum propter devotionem eligentis ſepulturam ibidem. Soto *in 4. diſtinct. 45. quæſt. 2. art. 3.* Medicis *de Sepultur. in præfat. à num. 4.* Lavor. *d tit. 2. cap. 14. à num. 40.* S. Thomas *in 4. diſtinct. 25. art. 3. quæſt. 3.* Samuel *de ſepultur. in Apparat. prælud. 8. à num. 1.* Urrutigoyti *de Eccleſ. Cathed. cap. 17. n. 24.*

Illud verò animadvertendum, promiſcuè vulgus ſepul- 6
turam variis nominibus appellaſſe, nempe aliquando dicitur Sepultura, Sepulchrum, vel Monumentum, Sarcophagum, Cœnotaphium, & Depoſitum. Sed revera inter ſe diſtinguuntu,, Sepultura enim eſt locus controavus in cœmeterio factus, in quo corpus Catholici conquieſcit. Sepulchrum locus eſt ubi oſſa hominis condita ſunt, *l. 2. §. Sepulchrum, ff. de relig et ſumpt funer.* Monumentum verò eſt, qnod memoriæ ſervandæ cauſa extitit, *d l. 2. §. Monumentum, l. Monumentum 42. ff. eod. tit.* Si tamen in eo oſſa, ſeu cadaver alicujus recondatur, jam monumentum non eſt, ſed ſepulchrum. Cœmeterium dicitur locus deputatus ad ſepulturas. *Clem. 1. de ſepult.* ubi Cardinalis *q. 4.* deputatur tamen per benedictionem; verùm ejus appellatione non continetur Eccleſia, *cap. 1 de conſecrat. Eccleſiæ, in 6.* & benedictio facienda eſt per Epiſcopum. Cardinalis in *d. Clement. 1. q. 7.* ut deciſum eſt in *cap. penult. & fin. de conſecr. Eccleſiæ.* Barboſa *de univerſ. jur. lib. 1. cap 9. n. 1. & nu. 7.* Sarcophagum quoque pro ſepulchro poni conſuevit, *l. Funeris 37 ff. de relig. & ſumpt. funer.* Verũ revera à ſarcophago lapide marmoreo, vel fictili dictum eſt, in quo primùm corpora defunctorum condita, intra quadraginta dies, exceptis dentibus, abſumebantur, *l. Libertis ff. de Aliment. & cib. legat.* meminit D. Auguſtinus *de Civitate Dei, lib. 18 c. 5.* Cœnotaphium etiam eſt monumentum ad memoriæ æternitatem, etſi oſſa ibi non reponantur; verùm quia religioſum, aliquando pro monumento ſumitur. Lavor. *d. tit. 2. cap. 6. n. 6.* Depoſitum dicitur capſa in alto poſita, in qua corpora defunctorum condiuntur: quæ depoſita tolluntur à Pio V. in Bulla quæ incipit *Qnamprimum*, Kalend. Aurilis 1566. Aliiſque etiam nominibus ſepultura nuncupatur, veluti Polyandrum, Arca, Tumulus, Pyramis, Mauſolæum, Buſtum, Urna, Puticulus, Dormitorium, Ergaſtulum, Sedes, Domus æterna, Theſaurus, Orcinum, Conditorium, Feretrum. De quorum explicatione agit Gloſſa *in l. Quicunque, §. Idem ait, de inſt. act.* D. Gonzalez in *cap. 2. de ſepult. n. 3.* Iranzo *in Apparat. à n. 25.* Medicis *de ſepultur. q. 3.* Lavor. *d. tit. 2. cap. 6 per ot.* Urrutigoyti *d. cap. 17. n. 29.* Parladorius *differ. 66.*

In præſentiarum tamen de his nominibus agendum non 7
eſt nobis, nec de ſepultura, quatenus aliquando ſumitur pro officio ſepeliendi, aut pro jure ſepeliendi; ſed tantùm pro loco, ubi quis eſt ſepeliendus, ſive ſit terra, ſive aliud, in quo quis ſepeliuntur, *c. Abolendæ 13. de ſepult.* Lavor. *dict. tit. cap. 7. nu. 1.* Bonacina *de contract. diſp. 3. q. 21. punct. 1. nu. 4.*

Sepultura enim iſta, & ſic ſuſcepta, duobus modis con- 8
ſiderabatur à Conſultis, nempe quando erat pura & profana, vel religioſa; dicebatur enim pura, ſeu profana, quæ non erat deſtinata ad uſum ſacrum, in qua nec fiunt ſancta, nec religioſa, *l. 1. §. Purus autem locus, ff. de relig. & ſumpt. funer.* Religioſa verò dicitur illa, in qua mortui ſepeliendi gratia inferuntur, *§. Religioſum, inſt. de rer. diviſ.* Itaque propter ſanctitatem quandam à communi uſu ſegregabatur. Macrobius *lib. 3. Saturn. cap. 13.* Becerra *de jur. Sacr. cap. 5. nu. 2.* Lavor. *d. cap. 7. nu.* 3. Pichard. *in §. Cùm nullus 6. Inſt. de rer. diviſ. à n. 5.* D. Gonzalez *in c. Abolendæ 13. de ſepult. n. 4.*

De his enim religioſis ſepulturis erit noſter ſermo, non 9
quomodo religioſitas iſta apud Etnichos Juriſconſultos ſumebatur, ſed prout tenet Eccleſia Catholica, quæ optimè decrevit, nullum locum, aut ſepulturam eſſe religioſam, licèt i bidem mortui inferantur, niſi locus fuerit ab Epiſcopo deſtinatus, & ab eo ſacratus, *cap. Queſta 12. 13. q. 2. c. Abolendæ 13. de ſepult. cap. Ad hæc 4. de Relig. domib.* Cardinalis *in Clement. Dudum, de ſepult* Gratianus *diſcept for. com. 1. cap. 110. nu. 4.* Lavor. *d. cap. 7. nu. 15.* Becerra *d. c. 5. nu.* 3.

Sepultura communiter definitur: *Eſt locus concavus in* 10
Eccleſiaſtico cœmeterio factus, in quo corpus Catholici conquieſcit. Medicis *de ſepult. 1. p. q. 3. nu. 2.* Samuel *de ſepult.*

in

in Apparat. prælud. 7. num. 1. Sed tamen diffinitio ista defectuosa videtur; nam ut diximus *num. anteced.* sermo noster est de sepultura Ecclesiastica, & Religiosa, quæ nequit aliquo modo fieri de Jure Canonico, nisi authoritate Episcopi, nec sufficiet, ut aliquo modo mortuus ibid. inferatur, quod non explicat hæc definitio. Ergo definitio hæc est defectuosa, nec explicat sufficienter naturam diffiniti. Sed tamen admittenda est, naturam enim omninò rei exprimit, quia asserit sepeliendos esse Fideles *in Cœmeterio Ecclesiastico*; ubi authoritas Episcopi supponitur ad destinandum illum locum ad sepulturas Fidelium; nam cœmeterium est locus consecratus, & destinatus ab Episcopo, in quo Fidelium corpora sepeliuntur, Boetius Epo *de Immunit. tit. de Immunit. Ecclesiæ, num.* 4. Lavor. *dict. tit.* 2. *cap. 6. num.* 17. Barbosa *dict. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 1. & 7 Vallensis *in Paratitl. ad tit. de sepult §.* 1. *nu.* 4. Ergo cùm diffinitio dicat, *in Cœmeterio Ecclesiastico*, inde est, ut supponat hanc authoritatem Episcopi, & destinationem, ut sit sepultura Ecclesiastica, & consequenter est vera sepulturæ diffinitio, ut etiam diffinit noster Alphonsus *in l. tit.* 13. *par.* 1. Sylvester *verbo Sepultura, num.* 1. Hostiensis *ad tit. de sepult. num.* 1. Fuscus *de Visitat. lib.* 2. *c.* 25. *n.* 2. Villalobos *in Summa, 2. par. tract.* 31. *difficult.* 1. *num.* 1. Ant. Fabricius *Rud. Jur. Can. lib.* 3. *tit.* 5. *vers.* 7. Samuel *de prælud.* 7. qui *à num.* 2. illam diffinitionem explicat, Lavor. *d cap.* 6. *n.* 29.

11 Sepultura enim Ecclesiastica in duplici est differentia, vel enim est communis, aut propria, & privata. Quoad communem, apud Romanos publica erant loca, ubi communiter cadavera sepelibantur, in campo namque Martio viri præclarissimi sepulturi sunt, Strabo *lib.* 5. nec aliter nec alio modo ibidem aliquem recondere licebat absque Senatus decreto, tum etiam Pontificum, cùm campus ille sacer fuisset; Senatores autem requirebantur, ut agnoscerent claritatem viri sepeliendi; Pontifices verò, ne Sacra contaminarentur, Dio *lib.* 48. *de Marco Appio*. Quod non solùm viris clarissimis concedebatur, sed etiam fœminis, ut legitur de Pompeii uxore, & de Tullia Cœsaris filia, ut scripsit Lucius Florius *in epitom.* 106. & de Sylla Pansa, & Hircio *epitome* 90. & 119. Tacitus *lib.* 13. *Annal.* Et erant ad sepeliendum alia loca publica in Campo Esquilio extra portam Esquilinam, ubi pauperes, & mancipia sepeliebantur: in quo etiam loco puticuli aderant, ubi corpora plebiorum inferebantur, dicti à putrescendo, quia ibidem cadavera putrescebant, Baronius *in Not. ad Martyrolog. sub* 4. *Idus Februar.*, Lavor. latè *tit.* 2 *cap.* 5. *à n.* 98. D. Gonzalez *in cap.* 1. *de sepul. n* 7.

12 In Ecclesia verò Catholica sepulturæ adsunt communes, ubi communiter omnes ad sepulturam trahuntur, & in eis quilibet liberè poterit eam eligere: ad id olim cœmeteria fuerunt destinata, hodie verò Ecclesiæ, ubi communiter omnes inferuntur, ut dicam infrà, cui quidem communi sepulturæ adjungi possunt aliqua loca destinata ad sepeliendum aliquos alicujus societatis, aut confraternitatis; quia respectu illorum communis sepultura dicitur, ut explicat Medicis 1. *par. q.* 4. *à num.* 2. Barbosa *dict. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 5. Rota 2. *par. recent. decis.* 30. *n.* 8. Et iterùm Barbosa *de offic. Paroch.* 3. *par. cap.* 19. *nu.* 6. Laym. *in Summa, lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 12. *n.* 1.

13 Est etiam sepultura privata, vel propria, quam apud Romanos habebat unusquisque in suo fundo, *l.* 1. *ff. de Relig. & sumpt. fun. l. Tumulus, ff. famil. erciscund. l. Ædes sacra, ff. de contrahend. empt.* Livius *lib.* 6. quod etiam observatum apud Hebræos, prout erant publica sepulchra peregrinorum, Hierem. *cap.* 2. *vers.* 19. *lib.* 4. *Regum, cap.* 23. & apud Matth. *cap.* 26. Hæc enim privata sepulchra, seu sepulturæ, aut hæreditariæ sunt, aut familiariæ. Hæreditariæ enim patent liberis utriusque sexus, aliisque hæredibus quibuscumque, etiamsi ex minima parte hæredes sint ex testamento, vel ab intestato. Idem concessum est iis bonorum possessoribus, quibus libertatis conservandæ causa bona adjecta fuissent. Est tamen observandum discrimen, ut filiis, & descendentibus jus sepeliendi debeatur in sepulchro hæreditario, etiamsi hæredes non sint; alteri verùm necessariò debent esse hæredes, *l. Vel quod 6. l. Si quis suis 33. ff. de Relig. & sumpt. fun. l. Quia perindè 41. ff. ad Trebell. l.* 4. *§. Is autem, ff. de Fideicomm.* Familiare verò sepulchrum est, quod quis sibi, familiæque suæ constituit, patebatque omnibus de sua familia, agnatorum non habita prærogativa, *l. Familia-*

ria 5. ff. de Relig. & sumpt. fun. l. Ius 8. l. 13. *C. eod. tit.* Designabantur, & hodie designantur sepulchra ista ex inscriptionibus: olim in hæreditariis litteræ istæ inscribebantur. *H. M. H. S.* id est, *Hoc monumentum hæredes sequitur*. Explicarunt Asinius *in d. l. Familiaria*, Medicis *dict.* 1. *par. quæst.* 4. Molina *de Primog. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 4. Osuald. *ad Donell. lib.* 4. *cap.* 1. *litt. X*, Bossius *in Rom. Subterr. lib.* 2. *c.* 26. Lavor. *dict. tit.* 2. *cap.* 6. *à num.* 31. D. Gonzalez *in cap.* 1. *de sepult. num.* 7. Barbosa *dict. cap* 26. *n.* 13. *& in l.* 15. *C. de Relig, & sumpt. fun. n.* 2.

Sepultura verò Ecclesiastica ea est, quæ necessariò apud 14
Christicolas habenda est in loco sacro. Quomodo autem privata, & propria alicujus fieri possit, difficultas est; nam licèt inter Romanos, Idolorum servos, propriam fieri sepulturam, interquam facilè esset, dum in proprio fundo ædificaretur; attamen inter Christianos difficilè fieri valet, cùm adsint sepulturæ in loco sacro, authoritate Episcopi ad id destinato, ita ut religiosæ sint, & texta Cœmeterium. Quapropter sacris Canonibus interdictum est, ne pro eis pretium exigatur; quin potiùs si perciperetur, simoniæ labe ementes, & vendentes coinquinarentur, *cap. Questa* 13. *cap. Postquam* 12. *cap. in Ecclesiastico* 14. *cap. Præcipimus* 15. 12. *quæst.* 2. *cap. Plerique 7. de pact. cap. Suam* 26. *c. Ad Apostolicam* 42. *de simon.* Concilium Roman. *sub Innocentio II. can.* 18. Meldense *can.* 72. Metense *can.* 2. Turonense *can.* 2. D. Gregorius *lib.* 7. *epist.* 4. D. Hieronym. *qq. in Gen. cap.* 23. Quamobeem propriam, & privatam sepulturam habere, difficillimum videtur. Et confirmatur, nam etiamsi inter Gentiles id fuerit asservatum, ut sepulchra, ubi jam mortui fuissent illati, uti sancta, & religiosa haberentur, ut patet ex Cicerone *lib.* 2. *de legib.* ubi antiquam legem refert. *Deorum manium jura sancta sunt*. Idem *lib.* 4. *de Republica, l.* 1. *§.* 6. *l. Si sponsas* 5. *§ concessa, ff. de donat. inter, l.* 1. *Cod. de sepulchr. violat.* quapropter sepulchra, tanquam loca religiosa, invendibilia decrevere, & ne in commercio haberentur, *l. Ossa* 8. *§. Si locus, ff. de Relig. & sumpt. fun.* & vendentes, & ementes in crimen lælæ Religionis incidebantur, *l. Sacrilegii* 11. *ff. ad l. Iul. pecul. l.* 3. *ff. de sepulchro violato, l.* 5. *C. eod. tit.* Fornerius *lib.* 1. *Select. cap.* 13. quod quidem ab Ecclesia non observari, à Deo Optimo Maximo tanquam sua Sponsa iiustrata, nefas dicere fuisset. Ergo difficillimum est concedere sepulturam Ecclesiasticam propriam, & privatam.

Attamen in hac difficultate dicendum, vendere sepul- 15
turam ad inferendos Infideles volentes se tumulari extra locum sacrum, licitum esse. Et ratio est, nam semota consecratione, locus ille purè temporalis est. Ergo rectè vendi valet. Et confirmatur ex decisione textus *in l.* 8. *§. Si locus, ff. de Relig. & sumpt. fun.* ubi sepulchra, quæ pura remanent, absque aliqua religiositate vendi possunt, uti DD. notant, Gonzalez *in d. cap.* 1. *de sepult, num.* 5. Ergo similiter potest vendi quilibet locus extra Ecclesiam ad sepeliendum Infidelem, Villalobos *in Summa, 2. par. tract.* 37. *difficult.* 12. *n.* 1.

Idem dicendum est, si terra, quæ venditur, non sit 16
Religiosa, etiam ad sepeliendum fidelem, qui aliter in loco sacro nequit sepeliri, aut ob impotentiam, aut quia privatus est sepultura Ecclesiastica ob aliquod crimen. Et id facilè probatur *ex Gen. cap.* 17. ubi Abrabam ab Ephrem pretio comparavit sepulturam ad suam tumuiandam uxorem, quod sanctus ille vir non fecisset, si aliqua culpa coinquinaretur; erat enim terra illa profana, & ad efficiendam sepulturam rectè comparavit, *cap. Ebron* 2. 13. *quæst.* 2. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 110. *art.* 4. Pereira *in Gen. tom.* 3. *c.* 27. Sophronius *de Fun. Febr. cap.* 5. Spondanus *de Cœmet. Sacr.* 1. *par. cap.* 5. Tum etiam, nam quando Christianus sepeliretur in aliqua terra non sacra, ex eo quod ibidem inferatur, religiosa non relinquitur de Jure Canonico, sed purè temporalis, & vendibilis, Spondarus *lib.* 1. *de Cœmet. cap.* 9. *&* 10 Garcia *de expens. cap.* 8. *nu.* 51. Spino *d. gloss.* 2. *cum.* 37. Molina *de Iust. tract.* 2. *disp.* 214. *num.* 4. Ergo nec ad Christianum inferendum. Deinde materiæ remotæ Sacramentorum rectè emuntur, & venduntur, & prædium ad fundandam Ecclesiam. Ergo & adj sepeliendum Christianum; solùm enim notari poterit aliqua imperfectio charitatis in vendente, veluti aliqui DD. sacri in Ephrem adnotarunt, Gregorius *lib.* 7. *epist.* 54. Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 4. *de simon. cap.* 14. *nu.* 17. Lavor. *d. tit.* 2. *cap.* 10. *num.* 2.

Tota

17 Tota ergò erit difficultas de venditione ſepulturę in loco ſacro, & religioſo, ab Epiſcopo deſtinato ad fideles ſepeliendos. In quo caſu prima ſententia aſſerit ſepulturam vendi non poſſe, *ex d. cap. Abolendæ 13. de ſepult. cap. Non ſatis 8. cum aliis, de ſimonia*. Ducitur, nam terra illa conceſſa eſt putredini, nec ex ea decet facere compendium, ut latè explicat Major Rhemenſis Epiſcopus *in epiſt. ad Eccleſiam Tornacenſ.* Ergo nec licebit eam vendere, vel emere. Sed ratio iſta parum probat, quia convenit etiam ſepulchro puro, & non religioſo, per ſe vendibili. Cæterùm probatur, nam ſepultura iſta jam eſt ſacra, & religioſa, & extra commercium, & per ſacrationem Epiſcopi conſtituitur, & habetur pro Eccleſia. Ergo minimè poterit vendi; quin ſi aliter fiat, committitur ſimonia, ut deciſum eſt in dictis juribus, Lavor. *dict. cap. 10. à n. 1.* Suarez *dict. cap. 15. à num. 19.* Reginaldus *in Praxi, lib. 24. n. 2116.* Filliuccius *in Summa, tom. 3. tract. 45. cap. 3. quæſt. 11. n. 26.* Spino *dict. gloſſ. 2. n. 35.*

18 Secunda ſententia tenet contrarium, verùm aſſerit, abſque labe ſimoniæ poſſe vendi ſepulturam ſacram, ut eſt quid materiale ratione uſus, & juris ſepeliendi. Et eſt ratio, nam hujuſmodi uſus eſt in dominio noſtro; qua propter poteſt ratione, ſecluſa omni ſpiritualia, vendi, aut emi, abſque labe ſimoniæ, Tuſchus *verbo Sepulchrum, concluſ. 191.* Molfeſius *2. par. tract. 13. cap. 8. num. 36.* Villalobos *d. tract. 27. difficult. 12. nu. 3.* Phebus *deciſ. 8. num. 9.* Gratianus *deciſ. March. 16. à num. 14.* Garcia *de Beneficiis, 5. par. cap. 9. nu. 137.* Ledeſma *in Summa, 2. par. tract. 12. concluſ. 34.*

19 Tertia ſententia aſſerit, ſepulturam vendi poſſe ratione terræ, non verò ratione conſecrationis, quia ex ea eſt jus ſpirituale invendibile, Azorius *3. par lib. 12. cap. 17. q. 2.*

20 In hoc dubio illud eſt animadvertendum, totam difficultatem conſiſtere in quærendo in ſepulturis Eccleſiaſticis, quod ſit aliquid temporale, diſtinctum & ſegregatum à ſacratione, & ſpiritualitate illius, ratione cujus ſepultura vendi poſſit, & aliquid pro ea percipi. Unde Doctores varios ſe cere diſcurſus, ut hanc temporalitatem diſquirant. Et Azorius nuperrimè allegatus ſegregat terram ab ipſa ſacratione, & ſpiritualitate ſepulturæ, prout in Calice ſacrato, qui vendi valet ratione materiæ, inſtante neceſſitate, S. Thom. *2. 2. q. 110. art. 4. ad 3.* Ergo ſimiliter ſepultura vendi poteſt ratione terræ, quæ per ſe vendibilis eſt.

21 Hic modus ſegregandi ſpiritualitatem in ſepultura à temporalitate, difficillimus eſt, & periculoſus; quapropter non admitto diſcurſum Azorii, prout nec admittit, contrarium tenens, Suarez *dict. lib. 4. cap. 14. num. 19. in fin.* Ratio eſt, nam jura interdicentia venditionem ſepulturæ, omninò illam prohibent pro ſepultura, quæ non componitur niſi neceſſariò de terra ipſa, & conſecratio ibi exiſtit per accidens; quapropter nequit pro terra ipſa aliquid percipi; nam erit ſimonia, ſaltem quia prohibita intuitu religionis, *d. cap. Non ſatis 8. cap. Audivimus 41. cum aliis, de ſimonia*. Ex quibus hanc ſimoniam expendit Suarez *d. cap. 14. num. 20.* Samuel *tract. 2. diſput. 1. controverſ. 13. concluſ. 3.* Nec paritas venditionis Calicis probat efficaciter; venditio enim Calicis, ratione materiæ, aut fit alteri Eccleſiæ, vel perſonæ, ad Officium Sacrum peragendum, & tunc integer vendi valet, aut ad rem, & uſum temporalem, & tunc infringitur, & ad rudem maſſam reducitur, ne ſacer relinquatur, & hac cautela Eccleſia Calicem vendere permittit, ut tenet Sylveſter *verbo Simonia, num. 12.* Suarez *dict. cap. 14. n. 6.* Navarrus *in Man. cap. 23. num. 108.* Villalobos *dict. tract. 37. difficult. 11. num. 4.* quod non ita permiſit in ſepultura, ſed ſub ſimonia interdixit intuitu religionis, ne ſacra ſepultura ad abuſum, & mercimonium traheretur: quapropter ratione terræ, etiam nullo habito reſpectu ad jus ſpirituale, non poterit vendi, ut cum Belletto tenet Urrutigoyti *dicto cap. 17. numer. 50.*

22 Alteri Doctores ſegregant temporale ab ſpiritualitate ſepulturæ, dicentes licitum eſſe vendere ſepulturam, non ratione terræ, nec conſecrationis, ſed ratione uſus, nempè ut emptor, ejus hærede, aut familiares ibidem ſepeliri poſſint, & quod nullus alius ibidem ſepeliatur. Et ratio eſt, nam tunc nullam ejus ſpirituale venditur, nec illi annexum, ſed tantùm obligatio accidentaliter annexa: Ergo rectè ratione uſus poterit licitè vendi pro ſepultura. Ita explicant communiter DD. ſecundæ ſententiæ. Addent ad Gregorium XV. *deciſ. 145.* Navarrus *conſ. 1. de ſepult. in novis*, Barboſa *de Offic. Paroch. 3. par. cap. 26. num. 111. & ad cap. Abolendæ 13. de ſepult. num. 3.* Tuſchus *verbo Sepultura, concluſ. 192. n. 4.*

Sed tamen diſcurſus iſte habet duas partes. Prima eſt, 23
ut emptor, ejuſque hæredes uſum habeant ſe funerandi in tali ſepultura: ſecunda, ut alter ibidem non ſe ſepeliat. Prima autem pars, quoad uſum ſe inferendi, difficilis eſt, nec facilè admittenda; nam uſus ſepeliendi inſeparabilis eſt à Sacra functione, qua Chriſtiani ſepeliuntur; idcircò quoad hanc partem uſus licitus non videtur. Quapropter Gregorius *in l. 1. tit. 13. par. 1. verbo Vendet*, Molina *de primog. lib. 1. cap. 24. num. 40.* ſcripſerunt, jus inferendi mortuum invendibile eſſe, quia religioſum eſt. Ergo & uſus ipſe inferendi, cùm jus illud in uſu conſiſtat, ut explicant DD. iſti. Cæterùm alia ratione probatur, nam Clerici non habent proprietatem terræ cœmeterii, aut Eccleſiæ ubi venditur ſepultura, quare ſolùm vendunt uſum ſepeliendi, ſeu inferendi, ſed vendendo uſum ſepulturæ, vendunt ſolùm quòd ſpirituale eſt, ut docet Suarez *dict. cap. 14. num. 21.* Ergo ratione uſus nequit vendi ſepultura, quatenus dat jus ſepeliendi.

Secunda pars, quatenus alter nequeat ibidem ſepeliri, 24
quin potiùs Eccleſia remaneat obligata, ne aliquem ibidem inferat, & ab emente prohiberi poſſit, ſi ab aliquo uſu ſegregetur, titulus temporalis mihi videtur ſecurus ad pretium ſuſcipiendum. Et ratio eſt, quia obligatio illa eſt purè temporalis, & pretio æſtimabilis; quare pro ea rectè pretium ſuſcipitur. Tum quia ibidem revera nihil conceditur niſi obligatio Eccleſiæ, ne alius ibi inferatur; quod verò emptori conceditur, ut ipſe, aut ejus hæredes, ſeu familia ibi ſepeliantur, aliis excluſis, eſt jus ſibi, & aliis de jure competens, quatenus poſſunt ibidem eligere ſepulturam. Ergo rectè obligatio illa relinquitur in pura temporalitate, independenter ab uſu; quapropter rectè pro ea poterit pretium recipi, Genuenſis *in Praxi Neapolit. c. 40. n. 19.* Garcia *d. 5. par. cap. 9. nu. 137.* Delbene *de Immunit. 2. par. cap. 17. dub. 14. num. 11.*

Cæterùm alii Doctores aſſerunt, recipi poſſe primùm 25
ratione honorabilioris loci in Eccleſia, ſeu cœmeterio; nam honor iſte non eſt ſpiritualis, nec concernit aliquam ſpiritualitatem ſepulturæ. Ergo pro illo rectè pretium ſuſcipi valet, Lara *de Anniverſ. lib. 1. cap. 25. nu. 17.* Urrutigoyti *d. c. 17. n. 50.* Samuel. *d. tract. 2. diſp. 1. controverſ. 13. concluſ. 8. à n. 18.* Olea *de Ceſſ. tit. 3. q. 8. n. 25.* Antonellus *de Reg. Eccleſiæ, lib. 1. cap. 12. n. 56.*

Verùm Suarez *dict. cap. 14. num. 22.* aſſerit, titulum 26
hunc eſſe ſimoniacum, & illicitum, nam tota ratio pretii eſt ſanctitas loci, veluti ſi erat ſepeliendus in cœmeterio, datur pretium ut admittatur in Eccleſia; & ſi in Eccleſia, ut propè Altare ſepeliatur: unde licèt honor ſit temporalis, totum fundamentum honoris eſt major ſanctitas loci; quapropter erit ſaltem ſpirituali annexum, pro quo nequit recipi pretium abſque labe ſimoniæ. Sed tamen illorum Doctorum probabilis diſcurſus eſt, totum enim fundamentum illius honoris eſt hominum apprehenſio, exiſtimantium illum locum eſſe honorabiliorem, quàm alterum: quod verò ſacer ſit, per accidens eſt; quapropter honor ille eſt purè temporalis, pro quo pretium ſuſcipi valet; quamobrem his reſpectibus cum authoritate Epiſcopi ſepulturæ vendi poſſunt, ut cum Spino etiam tenet Gratianus *tom. 1. cap. 110. num. 10.* & alii quamplurimi relati à Barboſa *in c. Abolendæ 13. de ſepult. num. 2.* & quæ ſcripſimus *lib. 5. cap. 7. à num. 47. & de Offic. Paroch. d. cup. 26. nu. 19.*

Hæc probabilia ſunt, verùm ne videatur venditio hæc 27
ſepulturæ inventa quæſitis coloribus, & periculoſa animabus, ut cenſet Molina *de primog. lib. 1. cap. 24. nu. 40. in fin.* dico in praxi recurrendum ſemper eſſe ad Ordinarium, cujus authoritate, & licentia translatio, aut alienatio fiat, aliquo pretio intercedente, concedendo per modum eleemoſynæ, aut fabricæ, aut ſuſtentationi Clericorum; non autem aliquo reſpectu habito, nec ad ſepulturam, nec ad honorem, ſed ſolùm ex pia liberalitate, ut ex Synodi Toletana decerpit Lara *d. lib. 1. cap. 25. n 17. ad finem*, Mancinus *diſſert. 30. num. 10* Iranzo *in Apparat. de Proteſt. num. 90.* Lotterius *de re benefic. lib. 2. q. 4. num. 13.* quo in ſenſu poſſunt admitti conſuetudines dandi aliquod pretium pro ſepultura, de quibus Gratianus *d. c. 110. num. 9.* & March.

deciſ.

decis 26. num. 14. Antonellus *dict. cap. 12. num. 55.* Ast in hoc Archiepiscopatu illud non est obliviscendum, ut minimè sepultura vendi, aut alienari valeat absque expresa licentia Prælati, aliàs quælibet scriptura, seu contractus ad id initus, nullus, & irritus remaneat, *const. 1. de sepultur.* ne nimia sit sepulturarum alienatio: tum ne aliquis contractus fiat sapiens labem simoniæ; quapropter hæc authoritas valdè est necessaria.

28 Sed tamen hæc dicta solùm sunt intelligenda de prima alienatione, quæ fit ab ipsa Ecclesia. Inquirendum est etiam, an qui jam habet sepulturam acquisitam, possit eam alteri iterùm vendere; qui enim abnegarunt, sepulturam minimè à principio vendi posse, consequenter negant posse ab emptore revendi, quia eadem est simonia. Verumtamen, quia aliquibus titulis diversis ab spiritualitate venditio sepulturæ probabiliter ab aliquibus Doctoribus defenditur, ut dictum est, eadem probabilitate ab emente revendi potest; quod quidem quia ab aliquibus sæcularibus fieri solet absque aliqua consideratione, consulendi sunt, ut ad viros peritos, & sapientes vadant, ut titulos istos cognoscant, ne ex indiscretione aliqua involvatur simonia. Unde ex his titulis temporalibus sepulchra pignori tradi possunt, & subhastantur ex debitis, ut latè prosequuntur Noguerol *alleg. 36. à num. 21.* Phœbus *dict. decis. 8. à num. 9.* Salgado *in Labyrinth. 3. par. cap. 5. à nu. 48.* Barbosa *de Offic. Paroch. dict. 3. par. cap. 26. à n. 18.* Lotterius *de re benefic. lib. 2. quæst. 4. n. 17.*

29 Est tamen advertendum, quod etiam in doctrina asserentium, nullo modo posse sepulturam vendi; attamen ad alios poterit transferri, aut vendi cum universitate bonorum, *l. Locum 9. Cod. de Religios. & sumpt. funer.* Nam ut ait Consultus *in l. Quædam 62. ff. de acquirend. rer. domin.* quæ non possunt sola alienari, per universitatem transeunt, *l. In modicis 24. l. Æde sacra 72. §. Intra maceriem, ff. de contrahend. empt.* prout de jurepatronatus compertum est, quod licèt per se invendibile sit, attamen cum universitate bonorum ad alios transit, & venditur, *cap. Ex litteris 7. cap. Cùm sæculum 13. de jurepatron. l. 8. tit. 15. par. 1.* Ergo similiter sepulchrum, licèt per se fuisset invendibile, ut tenet D. Olea *tit. 3. quæst. 8. à n. 25.* Tuschus *verbo Sepultura, n. 8.* D. Gonzalez *in cap. 1. de sepult. n. 7.*

30 Ex his suprà recensitis quærendum est, an sepultura cedi possit? Et prima sententia asserit, cedi non posse, ex decisione textus *in l. Quia proindè 42. §. 1. ff. ad Trebell.* ubi restituta hæreditate, non transit jus sepulchrorum ad personam, cui restituta est hæreditas, verùm remanet apud hæredem institutum. Et ratio est, nam jus illud est personalissimum, & religiosum, nec transit ad fideicommissarium, ad quem solùm transeunt utilia. Ergo nec jus sepulturæ vendi valet, utpotè res personalissima, nec ad alium transibilis; quidquid enim transmissibile non est, nec est cessibile, *l. Ex pluribus 42. ff. de administrat. tut.* Paz *de Tenut. cap. 61. num. 2.* Cyriacus *controvers. 139. n. 7.* Larrea *allegat. 121. num. 30.* Ergo jus sepulturæ non est cessibile. Et confirmatur *ex l Si quis fuit 33 ff. de Relig. & sumpt. funer.* ubi si hæreditas ab aliquo tanquam indigno aufertur, adhuc jus sepulchri penes eum remanent, utpotè jus personalissimum, cohærens personæ, sicut jus patronatus libertorum, quod ad alium non transfertur, *l. Si Patroni filius 55. ff. Ad Trebell.* Ergo minimè jus sepulturæ est cessibile. Tiraquellus *de retract. lignag. §. 26. gloss. 1. num. 55.* Barbosa *in l. Jus sepulchri 12. Cod. de Relig. & sumpt. funer. nu. 2.* Plaza *de delict. cap. 46. num. 4 in fin.* Franciscus de Petris *Festiv. lect. lib. 1. cap. 5. n. 47.*

31 Sed tamen contrarium censuit D. Olea *de cess. tit. 3. q. 8. à num. 21.* nam licèt jus sepulchri non transeat ad Fideicommissarium, ut dicunt jura allegata, non tamen inde sequitur, quod non sit cessibile; multa enim non transmittuntur, & sunt cessibilia, & econtrà, ut tenent multi ab eo relati *num. 3.* Præterea jus sepulchri ad extraneum transit, venditur, & in eo fit exequutio. Noguerol *dict. allegat. 36. à num. 21.* Acosta *de Privilegiis creditor. regul. 3. ampliatione 53.* Thoro *in Supplement decis. verbo Vendi an possit Capella?* & relati *num. 25.* Ergo sicut aliæ res venales sunt cessibiles, similiter jus sepulchri.

32 In hoc dubio dicendum, tres casus esse contemplandos. Primus, quando jus sepulchri est simplex, & tantum quis pro sua tantùm persona ab Ecclesia habuerit. Secundus, quando sepulchrum fuerit hæreditarium. Tertius, quando fuerit familiare. Has ultimas distinctiones tetigit D. Olea: verùm absolutè inquit, sepulchrum cessibile esse, illis explosis. Verùm ad claritatem materiæ has distinctiones admitto. Et quoad primum casum assero in sententia asserentium, sepulturam invendibilem esse, nec alio modo valere ad alios transferri, vel alienari aliquo pretio accedente, eam pretio minimè cedi posse, consequenter dicendum esse. Sed in sententia contraria, quæ probabilis videri potest, sed periculosa, ut benè animadvertit Caramuel *tom. 3. Theolog. Fund. lib. 2. disp. 17. num. 868.* prout nos diximus etiam suprà, pretio etiam cedi poterit. Et ratio est, quia cessio ista, pretio accedente, revera est venditio. Ergo si jus sepulturæ vendi valet in hac sententia, similiter cedi etiam pretio accedente poterit.

Sed dices, Jus sepulchri esse inseparabile à persona illud 33
habente, & quasi ossibus cohærens, & incessibile, prout sunt actiones directæ, & jus vindictæ. De quo latè Plaza *dict. cap. 47. per tot.* Tum, ut nec etiam pro debito exequutio in eo fieri possit; nam licèt in aliquorum sententia sit pretio æstimabile, non est tamen separabile, & consequenter nequit etiam pro debito in eo fieri exequutio, Gambellinus *de test. gloss. 9. num. 4.* Parladorius *lib. 2. quot. 5. par. §. 4. num. 27.* Rodriguez *de exequut. cap. 5. num. 66.* Carolus Maranta *1. par. respons. 16. per tot.* Hermosilla *in l. 15. tit. 5. par. 5. gloss. 1. num. 62.* Ergo nec cessibile pretio.

Sed tamen respondetur, jus sepulchri in casu quo loqui- 34
mur, dicendum non esse inseparabile à persona ipsum habente, quia inseparabilitas ista ab aliqua qualitate extrinseca debet provenire; verùm ista nequit considerari, nisi in religiositate sepulturæ, quæ quidem non facit hanc cohærentiam personæ, cùm ipse ab Ecclesia solùm emerit, aut acceperit jus temporale, aut obligationis alium ibidem non sepeliendi, aut honoris, quod est pretio æstimabile. Ergo ratione religiositatis nulla inseparabilitas valet considerari. Tum alia ratione, nam licèt simul cum religiositate transiret, licèt propter illam non posset jus sepulchri vendere, attamen non fuisset inseparabilis; jus enim patronatus est secundùm se spirituale, ut aliqui censent, aut saltem spirituali annexum, *cap. Quanto 3. de Iudic.* & tamen est separabile à persona, & ad alios transit, *Clement. Plures 2. de jurepatronat.* Gomez *tom. 1. var. cap. 5. à num. 29.* qui licèt excipiat in casu transeundi ad Fideicommissarium attamen in eo casu etiam separabile esse, & transire, docuerunt Raynerius *in l. Si patrem, ff. ad Trebell.* Molina *de Hispan. primog. lib. 1 cap. 24. num. 10.* & dicunt hanc sententiam veriorem: de quo Fusarius *de subst. quæst. 634.* Cevallos *quæst. 717.* Fachineus *lib. 10. controvers. cap. 94.* Ergo si jus patronatus separabile est à persona possessoris, similiter jus sepulchri, in quo etiam fieri posse exequutionem certius est, ut contra Parladorium, & alios tenent communiter DD. Ergo cùm separabile sit jus sepulchri à persona illud possidente, sequitur, vendibile, & cessibile esse, etiam pretio accedente.

Hæc enim doctrina majori ratione procedit, quando 35
absque pretio cederetur, sed tantùm liberaliter; nam tunc nulla est ratio simoniæ considerandæ, quam in his cessionibus, & venditionibus factis à possessore, necessariam dicunt aliqui, quia solùm Ecclesia sepulturas, seu Capellas, utpotè Domina illarum, poterit pretio concedere, Garcia *de Beneficiis, 5. par cap. 9. nu. 139.* Lavor. *dict. tit. 2. cap. 10. n. 5.* Idcircò si liberaliter aliquis jus sepulchri cederet, erit cessio admittenda, prout etiam in hæreditate gratis relinquenda, aut leganda, *ex leg. Familiaria. 5. cum seqq. ff. de Relig. & sumpt. fun. l. Monumenta 14. C. de legat.* Lavor. *dict. tit. 2. cap. 9. num. 50.*

Sed contra adsunt jura recensita *in dict. l. Quia proindè 42.* 36
§. 1. ad Trebell. l. Si quis 33. ff. de Relig. & sumpt. funer. quæ contrarium probare videntur. Et in primis adest textus *in dict. l. Quia proindè*, ubi probatur, ad fideicommissarium non transire jus sepulchri, verùm penes hæredem remanere. Ergo nec gratis, nec liberaliter poterit possessor jus sepulchri ad alium transferre, aut cedere. Verùm D. Olea *dict. quæst. 8. num. 22.* scripsit, legem illam tantùm dicere, jus sepulchri ad fideicommissarium non transire, ex quo nequit fieri recta illatio ad cessionem, in qua est distincta ratio.

Verùm responsum istud indiget explicatione, ad quod 37
percipiendum, prænotandum est, quæstionem esse, an ad fideicommissarium universalem transeat ius sepulchri.

Prima

Prima ſententia negat, *ex dict. l. Quia proinde*, §.1. Parladorius *different* 66.§.2.*num.*6. Molina *de Iuſt. tract.*2. *diſput.* 188.*num.*6. alter Molina *de primog. lib.*1. *cap.*24. *à num.* 10. Meſa *var.lib.*3. *cap.*8. *nu.*14. Secunda ſententia affirmat,& intelligit textum *in dict.l. Quia proindè*,§.1.non de ſepulchro hæreditario, ſed de familiari, quod nequit tranſire ad fideicommiſſarium univerſalem, non habentem qualitatem familiæ,ut tenet Claudius Gitfletius *de jur. fideicomm. lib.*4. *cap.*6. In hanc ultimam ſententiam Claudii feliciter currit ſententia Domina Olea; nam ex ea ſequitur, jus ſepulchrorum cedi faciliter poſſe, cùm & ad quemlibet fideicommiſſarium extraneum univerſalem tranſire poſſit. Sed in ſententia contraria, quam ipſe tenet, adhuc reſpondetur, non fieri illationem de fideicommiſſario univerſali ad ceſſionem; nam jus ſepulchrorum nequit ad fideicommiſſarium univerſalem tranſire, jus enim ſepulchri ad hæredes neceſſariò eſt transferendum, *l. Ius ſepulchri* 13. *Cod. de Relig. & ſumpt. fun.* Fideicommiſſarius autem univerſalis, licèt loco hæredis habeatur, non eſt tamen hæres, ſed hæres inſtitutus, qui nequit deſinere eſſe hæres, §. *Reſtituta*, *Inſt. de fideicomm.hæredit.l Si patroni* 55. §. *Qui Fideicommiſſum*, *ff. Ad Trebell.* Quapropter nequit jus ſepulchri ad fideicommiſſarium univerſalem tranſire, ſecus verò erit dicendum, ſi ageretur de ceſſione, quæ liberaliter, aut pro pretio poterit fieri à poſſeſſore illius juris, abſque hac difficultate,quæ ſolùm ſpecialiter habet locum in fideicommiſſario univerſali.

38 Verùm in ſpecie, de qua loquimur, faciliùs reſpondetur; nam non loquimur de ſepulchro hæreditario, de quo in communi ſententia intelligitur textus *in dict. l. Quia proindè*, §.1. *ff. ad Trebell.* Molina *dict. lib.*1. *cap.*24. *nu.*10. Pich. *in* §. *Reſtituta*, *Inſt. de Fideicomm. hæredit. n.*20. ſed tantùm de ſepulchro conceſſo pro unica tantum perſona, quæ pro illa vice abſque aliqua difficultate valet gratis cedere.

39 Nec ſimiliter obſtat textus *in d. l. Si quis*; loquitur enim quando hæreditas confiſcatur, quo quidem caſu apud hæredem remanet jus ſepulchri; nam cùm hæreditarium ſit, nequit pertinere ad Fiſcum, qui reverà non eſt hæres, ut tenet Molina *d.*§.24.*n.*15. Verumtamen hodie,quando confiſcaretur hæreditas, aut bona alicujus, jus ſepulchri extinguitur, & ſepultura liberè remanet penes Eccleſiam, quia deficiunt hæredes propriè, prout in ſepulchro familiari,ſi poſteri deficiant, Germinianus *conſ.* 32. *verſ. Nec obſtant*, Tuſchus *verbo Sepultura*, *concluſ.* 191. *num.* 9. Molina *dict. cap.*24.*num.*27. quia idem tenet in jurepatronatus; quod ſi verò publicatio bonorum pertineat ad Fiſcum Eccleſiaſticum,tranſit cum bonis ad illum,ut tenent Lavor.*d. tit.*2. *cap.*9. *num.*69. Ergo textus iſte non impedit ceſſionem.

40 In ſecundo caſu, nempè quando ſepulchrum eſt hæreditarium, eſt concertatio, de qua DD. *nu.*27. & 28. ob fundamenta utriuſque ſententia. Verumtamen adhuc in ſpecie jus ſepulchri minimè cedi poſſe, ex aliquibus fundamentis probari poterit; nam hæc ſepulchra hæreditaria non ſolùm non tranſmittuntur ad fideicommiſſarium univerſalem, ut dictum eſt ſuprà, verùm nec ad alium quemlibet, ut eſt textus *in d.l. Ius ſepulchri* 13.*C. de Relig.& ſumpt.fun.* ibi: *Non etiam ad alium quemquam, qui non eſt hæres, pertinere poteſt*. Idque ex natura ipſius hæreditarii ſepulchri, quod aliter nequit concedi, aut transferri, ut aſſerit Molina *d. c.*24. *à nu.*11. Quapropter nec cedi poterit, cùm ceſſio ſit ſingularis titulus, non verò hæredis inſtitutio,ut inde ad ceſſionarium poſſit transferri. Et confirmatur, *ex l. Si quis ſepulchrum* 12.§. *Senatuſconſulto*,*ff. de Relig. & ſumpt.fun.* ubi ſepulchrum nequit permutari cum alia re quia id eſſet concedere aliquo titulo ſingulari. Ergo nec cedi. Unde Molina *d. c.* 24. *n.* 13. differentiam affert inter ſepulchrum, & juſpatronatus; illud verò nequit titulo ſingulari concedi, verùm iſtud alienari, & cedi, & permutari poteſt, ut proſequitur *à nu.*14.

41 Sed adhuc in hac ſpecie admitto doctrinam D. Olea. Et ratio eſt, nam duobus modis eſt conſiderandum ſepulchrum, nempè quoad proprietatem illius, tum quoad jus mortuum inferendi in eo; licèt enim quoad proprietatem legari, aut transferri ad alium non poſſit, etiamſi fuerit hæreditarium, quia hoc modo nequit ab aliquo poſſideri, quia religioſum eſt; attamen quoad jus inferendi legari valet, & ad alium transferri titulo particulari, ut benè diſtinguit textus *in l. Monumenta* 14. *Cod de legat.* ipſe Molina *d. c.* 24. *num.* 37. Ergo ſimiliter jus ſepulchri cedi poterit;non enim eſt quæſtio de proprietate ſepulchri; hoc enim modo alium illud nec Eccleſia transferre valet, nec in commercio eſt, ex juribus adductis *num.*13. Tuſchus *verbo Sepultura*,*concluſ.*192.*num.*4. Lavor. *dict. tit.*2. *cap.*10. *nu.* 51. Sed tantùm jus inferendi, & obligatio, ne alius ibi inferantur, quoad titulo particulari, etiamſi hæreditarium ſit, poterit ad alium tranſire, & conſequenter cedi. Cæterùm, licèt jus ſepulchri hæreditarium nequeat transferri ad alium, niſi qui propriè ſit hæres, *ex d.l.*13.*C. de Relig.& ſumpt.fun.* Pich. *in* §. *Cùm nullus* 6. *Inſt. de rer. diviſ. nu.*9. Id tamen intelligendum quando ſucceditur per titulum univerſalem inſtitutionis, aut in tota hæreditate, aut in parte, prout loquitur textus ille, Spino *gloſſ.* 2. *num.* 37. Medicis 1. *par. quæſt.*4. *à nu.*4. Lavor. *d. tit.*2. *cap.* 6. *n.*31. & *cap.*9. *à nu.*14. Aliter tamen quando vellet poſſeſſor legare, aut concedere titulo particulari, quia tunc poſſet facere, etiamſi non ſit hæres, *ex d. l. Monumentum*. Ergo jus ſepulchri hæreditarii poterit cedi. Denique licèt jus ſepulchri nequeat permutari, id intelligendum quando ad alium uſum permutaretur, vel quando pro alia re permutaretur, ratione religioſitatis. Secus verò ad ipſum uſum, aut pro alia ſepultura, authoritate Epiſcopi permutaretur,Rochus de Curte *de iurepatr.verbo Ipſe*, *vel is*, *nu.*28. Lavor *d.c.*9. *num.*64. Ergo ſemper poterit cedi ad aliam perſonam ſepulchrum hæreditarium.

Tertius eſt caſus, nempè quando ſepulchrum fuerit familiare, in quo majus eſt dubium. Et in hoc D. Olea ceſſionem admittit, & ejus ſententiam ego probo; nam licèt ſepulchrum familiare poſteris, & cognatis concedatur, ſi nihil diſpoſuerit poſſeſſor; attamen etiamſi familiare ſit, ſi velit teſtator,poterit illud legare,& transferre ad externam familiam: & hoc quidem in his ſepulchris prohibitum non eſt, *ex l. Monumenta*, *C. de legat.* Lavor. *d.c.*9. *à nu.*50. Ergo idem poterit facere per ceſſionem. 42

Sed tamen doctrina iſta admittit graviſſimam difficultatem. Ratio eſt, nam familiaria ſepulchra ſolùm ad poſteros, & cognatos conceduntur, *l. Familiaria* 5. *ff. de Relig. l.Ius* 8. *Cod. de Relig. l. Ergo* 4.§. *Is autem cui*,*ff. de fideic. libert. l. Quia proindè* 42. §.1. *ff. ad Trebell.* Briſſonius *lib.*2. *Select. cap.*14. Forcat. *dialog.* 1. *nu.* 4. quapropter liberè nequit cedi, niſi inter ipſos poſteros, aut cognatos. Cæterùm, quod inſtitutum eſt pro familia, & poſteris, nequit ad extraneos cedi, ut videre eſt in Majoratibus, qui nequeunt aliis extraneis cedi, niſi conſanguineo, aut poſtero immediato, ut cum multis tenet D. Olea *de ceſſ. tit.* 3. *quæſt.*3.*per tot.* Ergo ſimiliter dicendum in propoſita ſpecie, ut non liberè ſepulchrum familiare cedi poſſit, ſed tantùm intra familiam. Idque alia ratione confirmatur; nam ſicut in Maioratum nequit fieri ceſſio in extraneum, quia eſſet in præiudicium cognatorum, qui ab inſtituente ſunt vocati, Noguerol *allegat.* 31. *num.*65. Paz *de tenut.* 2. *par. cap.*41. *per tot.* Marinis *variar. lib.*1. *cap.*25. *à num.*6. Similiter dicendum eſt in ſepulchro familiari, ubi à prima inſtitutione, & contractu cum Eccleſia tantùm, ſepulchrum eſt ad familiam, poſteros, & cognatos, non verò ad alios extraneos; ceſſio enim iſta eſſet in præiudicium grave ipſorum cognatorum, & familiæ, quibus ius iſtud competit omnibus, ut ſingulis, Molina *de iuſt. tract.*2. *diſput.* 188.*num.*6. Pich. *in d.*§. *Cùm nullus*, *n.*9. *Inſtit.de rer.diviſ.* Deindè grave damnum ſit Eccleſiæ ſepulchrū familiæ concedenti; nam ſi tam facilè ſepulchrum legari, aut concedi potuiſſet extra familiam;difficillimè recuperaret ſepulturam, quam ſolùm pro familia conceſſit: quia deficiente ad ipſam perveniet, ut diximus ſuprà, Lotterius *lib.*2. *de re benefic. q.*4. *n.*23. Ergo ob tam graviſſima damna minimè extra familiam concedenda eſt iſta ceſſio ſepulchri familiari. Porrò textus *in d. l. Monumenta*, concedens facultatem legandi jus ſepulchri, non obſtat, quia poteſt intelligi de ſepulchro hæreditario, aut aliàs privato ipſius perſonæ, quod rectè in extraneos alienatur, legatur, & ceditur; non verò de ſepulchro familiari: & ſi velis intelligi de familiari, dicendum tantùm legari poſſe perſonæ ipſius familiæ.

Hæc fundamenta levia mihi non videntur, quapropter in hac difficultate dico; poſſeſſorem juris ſepulchri familiaris poſſe cedere jus, & commoditiatem illam, quam habet pro ſua perſona ad extraneum, non verò integrè jus 44

illud

illud sepulchri. Et ratio est, nam non obstante, quod jus sepulchri sit familiare, & ex pacto relinquendum intra familiam, quibus jus illud competit; attamen jus, & commoditas propria ipsius personæ ad dominium illius pertinet, quapropter poterit illam alienare, cedere, & transferre ad extraneum, prout potest facere possessor majoratus, Solorzano *de jur. Ind. 2. tom. lib. 2. cap. 13. numer. 16.* Carleval. *de Iudic. lib. 1. tit. 3. disput. 20. num. 8.* Castillo *tom. 3. controvers. cap. 12. nu. 19.* D. Olea *tit. 2. q. 1. num. 12. & tit. 3. q. 4. num. 11.* Ergo in præsentia rectè cessio procedit de ipsa commoditate, & jure ipsius personæ.

45 Si verò non de hac utilitate, & commoditate sit cessio, sed de toto jure sepeliendi in sepultura familiari, existimo ad extraneum cedi non posse, quia id petit pactum factum cum Ecclesia, quæ solùm jus illud concessit pro ipso, & pro sua familia, non verò pro extraneis: tùm etiam, nam si ad aliquem extraneum transferri possit, id tantùm est quando hæres instituitur, Medicis *dict. q. 4. num. 6.* Lavar. *d. tit. 6. cap. 6. num. 31. vers. Familiaria*; non verò alio modo præterquam quod in hac specie alii meliùs censent, hunc hæredem necessariò debere esse de familia, aliàs ad eum sepulchrum familiare non transfertur, Molina *dict. disp. 188. nu. 6.* Parladorius *different. 66. §. 2. nu. 11.* Quod verum censeo. Ergo dicendum, jus sepulchri familiaris cedi non posse eo modo, quo ad extraneum perveniat. Ast poterit cessio ista fieri in uno de familia, qui ex pacto fuerit vocatus, adhuc non reservata gradus prærogativa: nam in sepulchro familiari omnes æqualiter sunt vocati, qui de familia fuerint, *l. Si sepulchrum 3. l. jus sepulchri 13. C. de Relig. & sumpt. fun.* Parladorius *different. 66. §. 1. n. 2.*

46 Sed dices paritatem adductam de Majoratu ad jus sepulchri familiaris, non benè procedere; nam bona majoratus sunt prohibita alienari, ut non possint transferri, nisi ad ipsos de familia ordine vocatos, ut latissimè per Molinam *de primogen. lib 4. à cap. 3. & lib. 1. à cap. 20.* ubi Addet. Castillo *lib. 8 controvers. cap. 36. §. 1.* quæ quidem prohibitio facta non est in sepulchro familiari. Ergo non rectè procedit paritas illa majoratus. Sed respondetur, possessores horum sepulchrorum mero jure aliquid habere non posse, nisi ex indulgentia Ecclesiæ, ut scripsit Parladorius *d. §. 1. num. 7.* Cùm ergo Ecclesia sepulchrum familiare concedit, solùm ejus indulgentia est personis de familia concedere, & inde est; ut possessor juris sepulchri nequeat ad extraneos transferre; ad id enim concessio non est, quapropter etiam absque aliqua prohibitione nequit sepulchrum familiare cedere in extraneos, & perindè est, ac si prohibitio non alienandi in extraneos fuerit apposita, quare paritas illa solidi est fundamenti.

47 Rursus est alia disquirenda difficultas, an quando pro pretio jus sepulchri conceditur, aut expressè venditur, debeatur gabella. Hæc difficultas non est quando ipsa Ecclesia venderet, & pretium acciperet; tunc enim explorati iuris est, nullam gabellam deberi, *cap. Non minus 4. c. Adversus 7. de Immunit. Ecclesiar.* Quod idem dicendum, si Clericus vendidisset, per ea, quæ dicturi sumus *lib. 7. c. 9. à num. 42.* Vexatur tantùm difficultas, quando laicus possessor jus sepulchri vendiderit. Prima sententia asserit, minimè deberi. Et ratio est, quia venditio ista est nulla, & jure interdicta, *cap. Abolendæ 13 de sepult. l. Locum 9. C. de Relig. & sumpt. funer. l. 1. tit. 13. par. 1.* Sed ex nulla venditione non debetur gabella. Ergo nec venditione sepulturæ. Cæterùm, licèt hæ venditiones possint fieri respectu habito ad illam obligationem Ecclesiæ, ne alius ibidem sepeliatur; attamen obligatio ista versatur circa rem sacram, scilicet circa sacrum sepulchrum: quapropter intuitu illius spiritualitatis nequit peti gabella, cùm magis dignum trahat ad se minùs dignum. Sic de facto consuluisse testatur Parladorius *lib. 1. rer. quot. cap. 3. §. 3. num. 24.* Guttierrez *de Gabellis, lib. 7. quæst. 9. à n. 24.* D. Gonzalez *in cap. 13. de sepult. num. 7. in fine*, Barbosa *de offic. Paroch. 3. par. cap. 26. num. 18.*

48 Secunda sententia tenet contrarium, quia licèt sepulchrum quoad proprietatem vendi non possit, ut dicunt jura allegata à Parladorio, & suprà diximus; quoad usum tamen vendibile est, quem potest habere laicus, ut ibidem sepeliatur, & non alius, Abbas *in dict. cap. Abolendæ 13. de sepult. num. 5.* & diximus suprà. Ergo ex ista venditione usus æstimabilis, & vendibilis debetur gabella. Cæterùm licèt in rebus sacris nequeat dari ususfructus formalis, attamen datur usus, seu commoditas perpetua utendi, qui rectè venditur, & in commercio est. Ergo sicut ex aliis bonis vendibilibus, & quæ in commercio sunt, gabella debetur, *leg. Si publicanus 4. §. De rebus, ff. de Publican. & vectigalib. l. Universi 5. Cod. de vectigalib. l. 5. tit. 7. par. 5.* Molina *de tribut. tract. 2. disp. 664. nu. 1.* Villalobos *in Summa, 2. par. tract. 8. difficult. 16. à num. 1.* Menchaca *Illustr. lib. 1. cap. 11. nu. 21.* Similiter de venditione usus, seu commoditatis sepulturæ; sic enim ratiocinatur, & tenere videtur Lassarte *de Decima vendit. cap. 14. à nu. 5.* verùm non constans, quia contrariorum fundamento oppressus, *vers. Cæterùm*, succumbit.

Sed tamen in specie dicendum, minimè aliquam gabel- 49
lam deberi, *l. Funeris 37. ff de relig. & sumpt. funer.* intuitu causæ pietatis, ad quam venditur, nempè ad sepeliendos Fideles, quæ causa piissima est, *l. Et si quis 14. §. Inter dum, ff. de relig. & sumpt. funer.* Tiraquellus *de causis piis, in Præfat. vers. Item legatum*, Leoncillus *de Privileg pauper. 2. par. privileg. 369. num. 18. & 21* Unde intuitu tantæ pietatis gabella non persolvitur. Et confirmo discursum, nam gabella non debetur ex ornamentis, ac vestibus, & paramentis ad Missam, aut divina officia celebranda, etiamsi adhuc sacrata non fuerint; nam ex eo quod ad rem sacram posteà sint servitura, intuitu pietatis, & religionis à gabella sunt immunia, ut cum Lassarte docet Molina *dict. tract. 2. disp. 664. num. 14.* Villalobos *dict. difficult. 16. n. 13. vers. Y dixo*: qui sic censuisse Sanctum Vallisoletanum testantur. Ergo similiter dicendum est in specie; intuitu enim illius pietatis, & religiositatis sepulturæ, minimè gabella in simili venditione debetur. Denique in qualibet causa, ubi pietas minui valet, aut detrimentum percipere, gabella non debetur, ut latè per Lassarte *de Decim cap. 20. à nu. 55.* Parladorius *lib 1 quot. cap. 3. §. 1. à nu. 15.* Bolanos *in Curia, 2. par. lib. 1. cap. 14. n. 31.* Molina *d. disp. 664. num. 14.* Villalobos *d. num. 4.* Idem à Principibus Christianis nunquam fit, præcipuè quando aliæ causæ solùm ad aliquod bonum Reipublicæ concernentes à gabellis liberantur, prout sunt plures in nostra Castella à gabellis liberatæ, de quibus agunt relati, Guttierrez *de gabellis, quæst. 78. per tot.* Ergo in præsenti dicendum, minimè ex venditione, aut cessione sepulturæ, facta pro pretio, gabellam deberi.

Rursus disquirendum, an jus sepeliendi in certa sepultu- 50
ra, aut Capella transeat ad majoratus successorem? Et quod transeat, asserendum videtur, nam juspatronatus, quamvis sit spirituale, aut spirituali annexum, *cap. Quintò 4. de Iudiciis*, transit ad successores majoratus, ut latè Molina *de primogen. lib. 1. cap. 24. à num. 1.* Mieres *de Maiorat. 3. par. quæst. 11. à num. 1.* Ergo etiam jus sepulchri, idque majori ratione; nam jus sepulchri, quatenus remanet in laico, ut purè temporale censetur. Ergo multò magis transferri valet ad majoratus possessorem, quàm juspatronatus. Ergo semper poterit transferri ad Majoratus possessorem.

Verùm in re Doctores recurrunt ad aliquas distinctio- 51
ne, nempè sepulchrum aut est familiare, aut hæreditarium. Si enim familiare est, si possessor majoratus sit ex familia, ad eum transfertur jus sepeliendi in sepulchro, aut Capella, etiamsi non sit hæres; quia non indiget alio titulo, nisi quod sit de familia, ut ad eum transeat jus sepeliendi in tali sepulchro, aut Capella, ut dictum est *ex l. Familiaria 5. ff. de Relig. & sumpt. fun.* Si verò hæreditarium sit, ad successorem Majoratus non transibit, nisi sit hæres: quo quidem casu si fuerit hæres, ad illum perveniet, non verò ad alius Majoratus successores, qui hæredes non fuerint; quia ea est natura similis sepulchri hæreditarii, ut non ad alios transeat, nisi ad hæredes, ut suprà dictum est. Si tamen filii fuerint, & descendentes possessores Majoratus, ad eos transibit jus sepulchri, sive familiaris, sive hæreditarii; si enim familiare sit, ad eos transibit tale ius, ex eo quod sint de familia. si verò hæreditarium, etiam ad eos transibit, quia filiis, & nepotibus id est concessum; etiamsi hæredes non sint, ex iuris indulgentia, ut est textus *in l. Vel quod pater 6. ff. de Relig. & sumpt. funer.* & his distinctionibus resolvunt Molina *de primog d. lib. 1. cap. 25. à num. 35.* Spino *de testament. gloss. 2. nu. 36.* Garcia *de Expensis, cap. 8. n. 4. vers. Quibus præmissis.*

Hæc doctrina suscipienda est, verùm indiget explicatione; duobus enim modis potest jus sepulchri considerari, nempè quando adhæret universitati bonorum, vel quando

est

eſt per ſe incorporale jus, abſque aliqua dependentia bonorum. Primo enim caſu, ſi fundator, aut inſtitutor illorum bonorum Majoratum inſtituerit, etiamſi ſepulchrum fuerit hæreditarium, id poſſeſſorem illius tranſibit ſimul cum bonis, hoc enim ei interdictum non eſt, etiamſi majoratus poſſeſſor non fuiſſet hæres; nam ex eo quod Majoratum fundavit titulo particulari, ſimul cum bonis illud alienavit, quare ad ſucceſſorem Majoratus tranſibit, & rectè tenebit, licèt hæres non fuerit, prout de jurepatronatus ab omnibus eſt receptum. Dat plures, & ſequitur Mieres *d. 3. par. quæſt. 11. nu. 61.* Molina *dict. cap. 24. nu. 8.* Lavorius *dict. tit. 2. cap. 9. n. 65.*

53 Erit tamen major difficultas, ſi ſepulchrum fuerit familiare, & habeat cohærentiam cum bonis, ex quibus in extraneo Majoratus inſtituitur, an tunc poſſit ad eum tranſire? Et affirmandum videtur, nam jus ſepulchri rectè cum univerſitate bonorum alienatur; nec intereſt, aut ſit familiare, necne, ut aliqui habuerunt. Tum ſepulchrum familiare duobus modis poteſt ab Eccleſia concedi pro cognatis, taxativè, vel non; ſi enim non taxativè concedatur, rectè ad extraneos transfertur, Rota *1. par. diverſ. deciſ. 385. nu. 1.* Caſſadorus *deciſ. 1. de jurepatronat. num. 3.* Cavalcanus *2. par. deciſ. 27. nu. 20.* Riccius *in Praxi, deciſ. 206. num. 253.* quare ex titulo illo particulari inſtituendi Majoratum ex illis bonis, ad Majoratus poſſeſſorem transfertur jus ſepulchri familiaris.

54 Sed tamen adhuc in hac ſpecie dico, non tranſire ius ſepulchri familiaris, ſed ex eo quod bona illa alienentur in extraneum poſſeſſorem, ius ſepulchri extingui, & redire ad Eccleſiam; nam ut ſuprà diximus *num. 42.* ſolùm ſepulchrum familiare conceditur ad perſonas de familia, quibus extinctis, extinguitur ius ſepulchri, ut cum Rota tenet Bonacina *de contract. diſp. 3. q. 21. punct. 3. n. 5.* prout quando reſervatur maſculis, illis extinctis, evaneſcit, Ancharanus *conſ. 81.* Vivianus *in Praxi juriſpatr. 1. par. lib. 4. cap. 2. num. 16.* Tondutus *tom. 1. quæſt. benefic. cap. 73. num. 6.* Nec refert, an dictio taxativa poſita ſit, necne? Quam diſtinctionem in jurepatronatus familiari tenet Vivianus nuperrimè allegatus, *num. 15.* nam ea diſtinctio ſuperflua eſt, quia ex eo quod familiare ſepulchrum ſolùm cognatis de familia conceditur, taxata eſt conceſſio, nec indiget alia explicatione, quando taxatio conſtat ex natura conceſſionis; tum ex præiudicio aliorum cognatorum; quo caſu contra eos, & contra Eccleſiam fieret translatio in extraneum ſucceſſorem Majoratus, ut agnoſcit ipſe Vivianus *dict. cap. 2. num. 18.* Gratianus *diſcept. cap. 177. num. 3.* Ergo in præſentia extinguetur ius ſepulchri familiaris, nec tranſibit ad Majoratus poſſeſſorem extraneum. Unde fundamenta contraria iam manent diſoluta.

55 Si verò ius ſepulchri eſt per ſe independenter ab aliqua cohærentia bonorum, tunc rectè procedunt diſtinctiones, & reſolutiones Doctorum, traditæ *nu. 48.*

CAPUT VIII.

Quo in loco quis ſepeliri debeat?

SUMMARIUM.

Olim ſepulchrorum varii ſitus. Inter Græcos intra urbem ſepeliebantur cadavera, ex lege Lycurgi, ex lege Solonis extrà: quod receperunt Romani, num. 1. Ab hac lege eximebantur illuſtriores, n. 2.

Eccleſia Catholica ab illius exordii extra urbem Fideles ſepeliebat, ſemper data pace: poſteà in ſacris cœmeteriis ſepelivit, aliquibus in Atrio Eccleſiæ ſepultura tradita. In Eccleſiis Epiſcopis, & aliis Clericis conceſſa eſt, & poſteà ſenſim omnibus Fidelibus. Canonici in Eccleſiæ Cathedralis clauſtris ſepeliebantur, num. 4.

Sepulturis in Eccleſiis admiſſis, privata ſepulchra cœperunt, quæ non ſunt pompaticè, & magnificè conſtruenda: in eis autem aliquoties variæ inſcriptiones deſcribuntur, quæ quidem graves virtutes, vel egregia facinora continere debent. Stemmata etiam gentilitia, & alii honores in eis depinguntur, n. 4.

Novus poſſeſſor ſepulchri nequit amovere arma, & inſignia primi inſtitutoris: poterit illis non deletis, ſua ponere, ſi ſit ejuſdem familiæ, n. 5.

An quando jus ſepulchri extinctum eſt, poſſit Eccleſia arma, & inſignia radere, ut alteri concedat? Affirmandum videtur, n. 6.

Sed ſub diſtinctione reſpondetur. Si aliquis ſit primus fundator, & inſtitutor, non delentur: ſi verò Eccleſia alicui liberaliter ſepulchrum conceſſit, contrarium dicendum. Sepulchrum primi inſtitutoris non poteſt Eccleſia alteri diſparis conditionis concedere, nu. 7.

An arma, & inſignia probent jus ſepulchri? Reſpondetur breviter, probare quoad antiquos inſtitutores, & quoad novos, ſi ſunt ejuſdem familiæ; quoad alios verò nihil probant, n. 8.

Rectores Eccleſiarum debent conſervare arma, & inſignia ſepulchrorum, nec permittere, ut radantur, numer. 9.

Quando quis moritur, non electa ſepultura, in Parochia eſt ſepeliendus: idem ſi non habet Majorum ſepulchrum, aut electio ſepulturæ ſit nulla. Si defunctus fuerit duarum Parochiarum, dabitur præventio, & quæ iſta ſit, nu. 10.

Dantur aliquæ regulæ ad cognoſcendam Parochiam propriam, & ubi quis debeat ſepeliri; aliàs Ordinarius dubium aperiet, n. 11.

Quando quis habet domicilium in civitate, ſi recreationis cauſa, aut ad opus rurale in campo habitet, & ibi moriatur, an in Parochia rurali, aut urbana ſit tumulandus? Et affirmandum videtur, ſepeliendum eſſe in rurali, Scholares, Doctores, famuli, & Judices ſepeliuntur in Parochiis, ubi decedunt, licèt ibi non habeant domicilium, n. 12.

Sed reſpondetur contrarium, & expenditur caput Is qui 31. de ſepult. *n. 13. Et explicatur, n. 14.*

An ad Parochialitatem acquirendam ſit neceſſarium acquirere domicilium? Referuntur ſententiæ, ib.

Quando quis moratur in aliqua civitate, vel oppido, animo ibidem non permanendi, ſed revertendi ad proprium domicilium, non amittit propriam Parochiam, ſed ubi moratur, ex Juris indulgentia percipit Sacramenta, & ibi ſepelitur, num. 15. Unde ſumitur quid dicendum de Scholaribus, Doctoribus, & Judicibus, numer. 19.

Tranſeuntes, & vagabundi non eligentes ſepulturam, ubi ſint ſepeliendi, diſceptatur? Prima ſententia dicit ſepeliendos in Cathedrali. Secunda ſententia aſſerit, dandam eſſe præventionem inter Cathedralem, & Parochialem. Tertia affirmat, ſolum in Parochiali. Quarta diſtinguit, ſi tranſiens, aut vagus aliquod tempus ibi moretur, eſſe ſepeliendum in Parochia, ſecus ſi per tranſennam extiterit, n. 17.

In hac difficultate, in primis inſpicienda eſt conſuetudo, & obſervanda, num. 18. Si non eſt conſuetudo, & vagus moritur in hoſpitio intra limites alicujus Parochiæ conſtituto, in Parochiali ſepelitur, n. 19.

Si verò hoſpitium non ſit intra Parochiam, aut extra, eſt difficultas. Et affirmandum, in Parochiali ſepeliendum eſſe, n. 19. & 20.

Limitatur in Epiſcopo, qui ſi per tranſitum decedat, in Cathedrali ſepelitur. Sed quid de Clericis tranſeuntibus, vel Peregrinis, vel Religioſis? Et aliqui dicunt, in Cathedrali eſſe ſepeliendos, num. 21. Alteri in Parochiali, n. 22. Quod admittitur, n. 23.

Advertendum à Parochis, & urbium Gubernatoribus, tranſeuntes morbis contagioſis affici: & tunc licèt in loco ſacro ſint ſepeliendi, non tamen vivis periculoſo, nu. 24.

Si quis habet domicilia diviſa, eſt ſepeliendus in Parochia, ubi Sacramenta recepit, ſive ruri, ſive in civitate. Si verò in urbe duas habuerit Parochias, ſepeliendus erit in ea ubi degit, & decedit, n. 25.

Si defunctus non elegerit ſepulturam, in ſepulchro Majorum eſt ſepeliendus, n. 26.

Majorum appellatione omnes aſcendentes intelliguntur, num. 27.

Explicatur textus in cap. Licèt 4. de ſepult. lib. 6. *Refertur explicatio Gloſſæ, n. 28. & Lapi, n. 29. Datur vera interpretatio, n. 30.*

Quando quis in una Eccleſia habuerit ſepulturam ſuorum avorum, & in altera ſepulturam patris, & matris,

aut

aut solius partis, in qua ex his duabus est sepeliendus, si non elegit sepulturam? Prima sententia asserit sepeliendum esse in avorum sepultura, num.31. Secunda in patris sepulchro, n.32.

Resolvitur distinguendo. Quando pater casu in aliqua Parochia sepelitur, & ibi non stabilivit propriam sepulturam, tumulandus est filius in sepulchro avorum, num.33.

Si verò apter designavit propriam sepulturam, aut familiarem, aut hæreditariam, tunc est sepeliendus in sepultura patris. Defenditur hæc sententia, n.34.

Quando pater est sepultus in una Ecclesia, avus in altera, proavus in alia, in qua istarum est sepeliendus? Aliqui censerunt, sepeliendum in Parochia: alteri, cum patre: sed de consuetudine sepelitur cum patre, numero 35.

Distinguitur difficultas, & admittitur hæc consuetudo, quando omnia sepulchra sunt propria, num.36.

Quando quis vult sepeliri in sepulchro Majorum, & excludere Parochiam, plenè id debet probare; & quod sit de linea, & agnatione effectiva: & non sufficiet probare esse de agnatione. Ubicumque terminus qualificatur in dispositione, debet probari concursus termini qualificantis, num.37.

Si Clericus est defunctus absque electione sepulturæ, non sepelitur in sepulchro Majorum, sed aliorum sacerdotum, quod debet esse separatum. Quod idem est dicendum de parvulis. Sed in nostra Castella promiscuè omnes tumulantur. Expositi in sepultura Hospitalium humantur, n.38.

In sepulchro Majorum nulla est differentia agnatorum, seu cognatorum, n.39.

Uxor in sepultura viri est sepelienda, si matrimonium fuerit consummatum, & traducta ad domum viri, num.40.

Sed si plures maritos habuerit, aliqui dicunt cum primo sepeliendam, sed cum ultimo tumulari debere affirmandum, n.41.

Quod extenditur etiamsi ultimus maritus sepultus sit in sepultura communi, vel extra Parochiam, aut si mulier habuerit sepulchrum majorum, aut maritus sit ea ignobilior, n.42.

Si mulier fuerit accusata de adulterio, si moriatur pendente lite, sepelitur in sepulchro viri; nec exhumatur, etiamsi postea damnetur. Post sententiam cum viro non sepelitur, nisi ab eo fuerit reconciliata, nu.43.

An quando maritus proditoriè uxorem interfecisset, sepeliendasit in viri sepulchro, aut Majorum? Aliqui dicunt, in sepulcro Majorum tumulandum, n.44.

Quando mors fuit illata proditoriè, & absque causa, observanda est hæc doctrina: uxor leviter est corrigenda. Maritus occidens uxorem in adulterio deprehensam, privatur lucro dotis, n.45.

Si verò occiderit cum causa, veluti in adulterio deprehensam, tunc in sepultura viri sepeliendam esse videtur, n.46.

Maritum posse licitè in utroque foro mulierem in adulterio deprehensam interficere, tenent plures, ibid.

Sed contrarium defenditur, nempè sepeliendam esse alibi, aut in sepulchro Majorum, aut in alia sepultura. Semper est grave peccatum interficere uxorem in adulterio deprehensam. Sunt plures casus, quibus mulierem adulteram nequit maritus interficere, de quibus ibi, nu.47.

Fit instantia, & respondetur, n.48.

Quando maritus in aliqua rixa uxorem interfecerit, non sepelitur in sepultura viri; secus si casu in rixa, nu.49.

Si vivente viro non habente sepulturam, nec designatam, moriatur uxor, sepelitur in Parochia, nec sufficiet post mortem eligere, aut designare, nisi habeat uxor sepulchrum Majorum, quia ibi est sepelienda, nu.50.

Si maritus sit de facto sepultus, non de jure, quia erat hæreticus, aut excommunicatus, uxor cum eo non sepelitur, num.51.

Maritus non sepelitur in sepultura uxoris, n.52.

Sed aliquibus rationibus probatur contrarium, n.53.

Resolvitur cum distinctione: quando matrimonium est tantùm ratum, admittitur communis doctrina: si verò consummatum sit, vir moriens non electa sepultura, cum uxore est sepeliendus, n.54.

Fit instantia, & respondetur, num.55. Et aliquibus exemplis illustratur doctrina ista, ibid.

Filii legitimi sepeliendi in sepultura patris, & etiam naturales, si patres non sint in dignitate constituti. Spurii non sunt sepeliendi cum patribus, nisi moriantur viventibus iis, & eorum contemplatione fuerint legitimati, sed sepeliuntur in sepultura matris, si non fuerit illustris. Legitimati in sepulchro Majorum sepeliuntur, n.56.

Filius exhæredatus, non electa sepultura, sepelitur in sepulchro Patris, quod extenditur ad filium paternam hæreditatem repudiantem, nisi sepulchrum sit hæreditarium, num.57.

Sed hoc ultimum non admittitur. Si pater ex crimine læsæ Majestatis fuerit damnatus, filii in ejus sepultura non sepeliuntur, n.58.

Filius impubes, eligens sepulturam, si pubes non ratificat, sepelitur in sepultura patris. Vulgo quæsitus sepelitur in sepultura matris non illustris, n.59

Filius adoptivus, seu adrogatus, si vivo parte adoptante decedat, sepelitur in sepulchro illius; secus eo defuncto, nu.60.

Si Pontifex decedat, non electa sepultura, sepelitur in Cathedrali; si verò residet cum Curia, & discessit ab eo loco, remanente ibi Curia, ad Curiam est referendus, & ibi sepeliendus. Si ultramontanus eligatur Pontifex, & in via decidat, in Cathedrali sepeliendus. Si Papatui renunciavit, ibi tumulandus ubi decessit, nu.61.

Sed explicatur an sepeliatur in Cathedrali, sicut & alii Principes sæculares, ib.

Cardinalis, si in Curia decedat, non electa sepultura, in Ecclesia S. Joannis Lateranensis tumulatur: idem si ob intemperiem aeris extrà decedat. Si sit depositus, aut Cardinalatui renunciavit, in Parochia sepelitur, nu.62.

Legatus, si in itinere decedat, in Cathedrali est sepeliendus. Si in Legationis Provincia, in Cathedrali illius, ubi moratur, sepelitur. Si sit Legatus duarum Provinciarum, ubi decedit, ibi tumulandus erit, nu.63. Quod idem dicendum de Nuntiis, ib.

Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi in suis Cathedralibus sepeliuntur: si absentes moriantur, ad eas transferantur, si commodè fieri valet, n.64.

Episcopi coadjutores in eadem Cathedrali sepeliuntur, ibidem.

Si Episcopus extra Diœcesim moriatur, & ibi est Cathedralis, in ea est sepeliendus, si ibidem Majorum habuerit sepulchrum, benè in eo sepelietur, sed semper curandum, ut ad propriam Ecclesiam asportetur, nu.65.

Si Episcopus in partibus decedat, & tantùm ibidem sit Ecclesia Collegialis; in ea erit tumulandus, aliàs in Parochiali, n.66.

Si Episcopus habuerit duas Ecclesias Cathedrales, prima sententia asserit, sepeliendum in Ecclesia ubi degebat, nu.67.

Secunda dicit, tumulandum in principali, si unitæ sint, n.68. Resolvitur, n.69.

Quando unus Episcopatus est unitus cum altero æquè principaliter, est dubium. Aliqui dicunt, sepeliendum in Ecclesia Primate: alteri, in antiquiori: alii dicunt, recurrendum ad conjecturas, de quibus ibi, numer.70.

In hoc dubio standum consuetudini, aut conjecturis. Si nulla sit consuetudo, aut conjectura, & æqualiter in una, ac in altera degebat, & frequentabat, tumulandus ubi decessit: si verò degebat in confinio, alternandum; si nova sit unio, est danda prævention inter duas Cathedrales, n.71.

Dignitates, Canonici, Portionarii, aut alii Beneficiati Ecclesiæ Cathedralis, in Cathedrali sunt sepeliendi, etiamsi Dignitas, aut Canonicus habuerit Parochialem annexam, n.72.

An Canonicus habens domicilium in Parochia, debeat ibidem

dem ſepeliri, an in Cathedrali. Prima ſententia aſſerit, in Parochia ſepeliendum, n. 73. Secunda autem dicit, in Cathedrali, n. 74.

Quando Eccleſia Cathedralis non habet ſepulchra, Canonicus ſepelitur in Parochia. Si in Cathedrali recipit Sacramenta, ibid. ſepeliendus, n. 75.

Si in Parochiali recipit Sacramenta, videtur ibidem ſepeliendum eſſe: ſed contrarium defenditur, relicta quarta Parochiali, n. 76.

Si Canonicus habuerit duas Præbendas in diverſis Eccleſiis in eodem Epiſcopatu, datur præventio: ſi in diverſo, ſepelitur ubi moritur, num 77.

Abbates, Præpoſiti, ſeu Priores Eccleſiarum Collegialium, in eis ſepeliuntur. Idem in Canonicis, numer. 78.

Rectores Eccleſiarum in ſuis Parochiis ſepeliuntur; ſi verò Rector unus habuerit duas, ibi ſepelitur ubi reſidet: ſi habet Parochiam annexam Canonicatui, in Cathedrali tumulatur: ſi degat in aliena Parochia, in propria eſt ſepeliendus, n. 79.

Vicarii perpetui in propriis Eccleſiis tumulandi: temporales, in ſepulchro Majorum, aut in propria Parochia, numer. 80.

Cæteri Beneficiati, aut Capellani, in Eccleſiis ubi deſerviunt, & ſunt intitulati debent ſepeliri, n. 81.

Prælati Religioſorum, & Religioſi ſepeliendi ſunt in ſuis Monaſteriis; ſi verò fuerint abſentes, & ibi adſit Monaſterium ſui Ordinis, ibi ſepeliuntur; aliàs in Parochia, num. 82. Si fuerint in remotis, eligere poſſunt ſepulturam, n. 83.

Novitius non eligens ſepulturam, ubi ſepeliendus? Prima ſententia aſſerit, non eſſe ſepeliendum in Monaſterio, ſed in Parochia, aut in ſepulchro Majorum, n. 84. Secunda affirmat ſepeliri debere in Monaſterio, n. 85. Admittitur prima de jure communi. Secunda reſpectu privilegiorum, ibid.

Moniales ſepeliuntur in ſuis Monaſteriis intra clauſtra, ubi laici ſepeliri non poſſunt, niſi in exteriori Eccleſia: Monialis curandi cauſa abſens, ſi decedat, ſepelitur in Monaſterio ſui Ordinis, aliàs in Parochia, n. 86.

Eremitæ non Religioſi, in Parochia ſepeliuntur; ſi autem Religioſi, in Monaſterio tumulantur: quod idem dicendum de mulieribus incarceratis ſponte, n. 87.

Tertiarii Ordinis Sancti Franciſci, ſi non eligant ſepulturam, in Parochia ſepeliuntur: limita, ſi habent qualitates Bullæ Leonis X. vel quando habitum aſſumunt, moneantur, in Monaſterio eſſe ſepeliendos, nu. 88.

Qui cum habitu S. Franciſci ſepeliuntur tantum in Parochia, ſolùm habent privilegium, ut diſcoperti tumulentur, nu. 89.

Confratres, ſi ſepulturam non habuerint deſignatam in ſuo Oratorio, ſepeliuntur in Parochia, aut ſepulchro Majorum. Si confratres habeant propria ſepulchra, à Sede Apoſtolica confirmata Motu proprio, cum derogatione juris Parochialis, ibi ſunt ſepeliendi, numer. 90.

Servi, familiares, & famuli Religioſorum, intra ſepta degentes, ab eiſque recipiente Sacramenta, in Monaſterio ſepeliuntur, n. 91.

1 IN hoc capite agendum eſt nobis de loco, ubi defunctus eſt ſepeliendus, quando ſepulturam non elegerit: in ſequenti autem capite agemus de eligentibus ſepulturam. Et ut ad rem deveniamus, illud eſt præmittendum, ſitus fuiſſe varios, etiam ab exordio mundi, ſepulturam; idque ante, & poſt diluvium. De quo latè ſcripſit Lopez *de Sepulturis cap.* 2. 3. & 4. Inter Græcos, Lycurgo leges dante, intra urbium mœnia ſepulturæ conſtruebantur, ut probat ipſe *cap.* 7. Interdictum fuit tamen à Solone, *cap.* 8. Apud Romanos, etiam antiquiores, humationem extra urbem habuiſſe, ex Solonis fortè legibus, lege duodecim Tabularum inſpicimus, cujus verba tranſcripſit Cicero *lib.* 2. *de legibus*, ibi: *Hominem mortuum in urbe ne ſepelito, neve urito, rogum ne facito, l. Prætor ait* 3. §. *Divus Adrianus, ff. de ſepulchr. viol. l. Mortuorum* 12. *Cod. de Relig. & ſumpt. funer.* Julius Paulus *tit. de ſepulchr. lugent.* §. 2. Plutarchus *in Romanis quæſt.* cujus Edicti rationes varias adduxere Interpretes. Aſt illa communis eſt, quam præſtitit Julius Paulus, ne Sanctum municipiorum jus polluatur, vel Sacra civitatis: cum quo etiam convenit text. *in dict. l. Mortuorum*. Aliam præſtit Cicero occaſione illorum verborum, *ne urito*, ne tantis rogis Reipublicæ ædificia periclitarentur. Nec inconcinna eſt alia, ne ex fœtore ſepulchrorum ſalus Reipublicæ damnum pateretur: quapropter benè Seneca *de Remedio Fort.* ait: *Non defunctorum cauſa, ſed vivorum, inventa eſt ſepultura, ut corpora, & viſu, & odore fœde amoverentur*. Quod magis expreſſit Franciſcus Hottomanus *ad ll.* 22. *Tabul.* in hac lege, ibi: *Ne ſcilicet urbanum cœlum fœdo cadaverum odore infeſtum, peſtem civibus, qui ſpiritum ex eo ducerent, inferret*.

Verumtamen non cum omnibus id fuit uſitatum; ſu- 2
premis enim Regibus, & aliis viris illuſtrioribus conceſſum eſt, ut in urbe ſepelirentur, ut de Valerio, & Caio Flacco, Tuberto, & aliis narrant Hiſtorici; idque maxima ratione conceſſum, ut ſimiles honores benemeritis tribuerentur, quibus grata Reſpublica exhibebat. Illuſtrant Garcias *de Expenſis, cap.* 8. *num.* 10. Varro *de Lingua Lat. lib.* 5. Sylvius *lib. ſingul. ad ll.* 12. *Tabul. à cap.* 22. Dio Caſſius *lib.* 48. *anno ab Urbe condit.* 716. Lopez *de Sepult. cap.* 9. *cum ſeqq.* Lavorius *dict. tit.* 2. *cap.* 5. *à n.* 84. Petrus Gregorius *Syntag. lib.* 23. *cap.* 23. *nu.* 4. Valenſis *In Parat. ad tit. de ſepult.* §. 1. *num.* 2 Gratianus *tom.* 2. *cap.* 210. *num.* 5. Valenzuela *conſ.* 18. *à num.* 8. Bezerra *de Iure Sacro, cap.* 6. *num.* 2. & 3.

Eccleſia enim Catholica, ab illius exordio etiam ſuos 3
Fideles extra urbem ſepeliebat; verùm ſemper data pace; *cap. Ubicunque* 26. 13. *quæſt.* 2. duabus rationibus exiſtentibus. Prima, quia Dominus Jeſus in horto extra urbem ſepultus eſt, *Matth. cap.* 27. & *Joan. cap.* 16. prout etiam Jacob, *Geneſ. cap.* 50. & Lazarus *Luc. cap.* 7. Moyſes in monte ſepultus eſt, ut ſcribitur *Deut. cap.* 10. ibi, *In villa terræ Moab contra Phegor*. Maria, & Aaron, ſoror, & frater, *Num. cap.* 26. quod & uſitatiſſimum apud Hebræos. Latè Lopez *de ſepult. cap.* 6. *per tot.* Unde ad intimationem Chriſti Domini in infantia Eccleſiæ fuit uſitatum. Vel ſecundò, nam cùm tunc Fideles Ethnicis Principibus ſubjicerentur, etiam ad Edictum, ne intra urbem ſepelirentur, cogebantur. Deindè creſcentibus Fidelibus, cœmeteria adinventa fuerunt, ubi ſepeliebantur intra urbes, *cap. Sicut antiquitus* 6. 17. *quæſt.* 4 poſteà in atrio Eccleſiæ honoris cauſa aliqui fuerunt ſepulti, *cap. Præcipiendum* 15. 13. *quæſt.* 2. Tandem licèt prohibitum fuerit in Eccleſiis ſepelire, *l.* 2. *Cod. de ſacroſ. Eccleſiis*, ſenſim tamen id admiſſum eſt. Fortè id incepit à ſepulturis Martyrum, ut ex Anaſtaſio Bibliothecario percipitur *in Vita Marcelli*, ibi: *Conſtituiſſe in urbe vigintiquinque titulos, propter Baptiſmum, & Pœnitentiam eorum, qui converterentur ex Paganis, & propter ſepulturam Martyrum*. Poſteà id admiſſum pro Epiſcopis, aliiſque Clericis, & Principibus, & honorabilioribus perſonis, ac denique omnibus Fidelibus conceſſum eſt, & optima ratione uſitatum. Quare D. Ambroſius *concion.* 6 *de Sanctis*, benè ſcripſit: *Ideò hoc à majoribus proviſum eſt, ut ſanctioribus oſſibus noſtra ſociemus, ut dum illos Tartarus metuit, no. pœna non tangat; dum illos Chriſtus illuminat, à nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergo martyribus quieſcentes, evadimus inferri tenebras eorum propriis meritis, attamen conſcii ſanctitatis; & ideò veneremur eos in ſæculo, quos defenſores habere poſſumus in futuro, & ſicut eis oſſibus parentum noſtrorum jungimur, ita & eis fidei imitatione jungamur. Nullo enim ab ipſis ſeparari poterimus, ſi ſociemur illis tam religione, quàm corpore*, D. Gonzalez *in cap.* 1. *de ſepultur. num.* 8. Barboſa *de univerſ. jur. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 7. Petrus Gregorius *dict. lib.* 23. *cap.* 23. *num.* 11. Brunus *de Cæremoniis, lib. cap.* 2. *verſ. Illud tamen*, Tondutus *tom.* 1. *quæſt. benefic. ca.* 114. *num.* 1. Trullench. *de jur. Parochi, cap.* 9. *dub.* 3. *per tot.* Urrutigoyti *de Eccleſia Cathedr. c.* 17. *à n.* 2. qui *n.* 37. aſſerit, per multum temporis, licèt in aliis Templis Fideles ſepelirentur, non tamen in Cathedralibus Eccleſiis: Canonicos verò, & alios Dignitates, non in ambitu Eccleſiæ ſepultos ſcribit, ſed tantùm in periſtyliis, ſeu clauſtris, Marius Ital. *de Immunit l.* 1. *cap.* 14. §. 7. *n.* 24. Lopez *de ſepult. cap.* 19. *per tot.*

Præterea, poſtquam licitum fuit in Eccleſiis ſepeliri, mo- 4
numenta privata conceſſa ſunt, de quibus egimus ſuprà, per venditionem, aut conceſſionem à Prælatis Eccleſiæ,

aut

aut per modum Eleemosynæ, pretio susceptо; eo enim modo semper à Prælatis fieri credo, & non aliter per puram venditionem. Urrutigoyti *dict.cap.17. nu.* 54. In his tamen sepulchris privatis in Ecclesiis jam hodie dicitis, Barbosa *de jur. Parochi*, 3.*part.cap.* 26. *nu.*8. aliqui magnificas structuras faciunt, quod quidem nullatenus permittendum, sed quæ deceant secundùm qualitatem personæ, dignitatem, & excellentiam, ut diximus *lib.*3.*cap.*3. *num.*31. Tum & in eis aliquando variæ inscriptiones ponuntur; sed quæ ad risum movent, omninò delendæ, de quibus adducit Lavorius *d.tit.*2.*cap.*18.*num.*5. D. Antonius de Guevara *epist.* 28. non enim in Ecclesiis legenda, nisi gravia, præcipuè in monumentis, & sepulchris defunctorum, ubi miserabilis hominum conditio, mors, judicium, & alia gravissima sunt consideranda. Inscriptiones enim graves, ubi nomen defuncti inscribitur, sanctitas, virtus, & honores, egregia facinora, & litterarum professio, admittendæ sunt; nam viventes his honoribus inscriptis ad imitationem excitantur. Arma, & insignia gentilitia apponere, & statuas concessum est, *l.Statuas* 8.*Cod.de Relig.& sumpt funer.*Lavor. *d.cap.*18.*nu.*16. Medicis *de sepultur.* 1.*p.quæst.*16. *num.*38. Tondutus *tom.*1. *Quæst. Benefic. cap.* 73. *nu.*11. Gratianus *tom.*2.*discept.cap.*210.*n.*49. Lopez *de sepult.c.*5.*vers.Spelunc am,fol.*43. Urrutigoyti *dec.*17.*n.*74.

5 Est tamen summoperè animadvertendum, novum hæredem, seu possessorem sepulchri non posse Institutoris primi arma, seu insignia amovere, ut sua ponat; semper enim in memoriam illius sunt conservanda. Ananias *cons.* 86. Praxis Archiepiscopalis *cap.* 109.*nu.*4. Poterit tamen illius non deletis, seu arma, & insignia apponere, si de familia sit, non tamen si est alterius familiæ, ne confusio inde oriatur. Medicis *d.*1.*part.quæst.*16.*nu.*38. Lavorius *d. cap.*18. *nu.*17. nisi ex urbanitate ei concedatur. Tondutus *d.cap.*73. *num.* 21.

6 Est tamen dubium, an extincta familia, & quando jam jus sepulchri extinctum sit, possint radi arma, ut Ecclesia aliis jus sepulchri concedere valeat? Et affirmandum videtur, nam mortuo usuario, usus ad proprietarium redit, *l.penult.Cod.de usufruct.* quapropter ut de re propria poterit de sepulchro disponere, arma radere, & alteri concedere; aliàs tamen si id non fieret, alter non facilè sepulchrum illud suscipiet.

7 Sed tamen in re distinguendum, quando primis possessor fuit fundator, & institutor ipsius sepulchri: & in hoc casu licèt extincta familia, ad Ecclesiam sepulchrum redeat; tamen minimè arma sunt delenda, nec corpora exhumanda. Et ratio est, nam id convenit Ecclesiæ, ut memoria Fundatoris perpetuò remaneat, unde alii ad hæc opera pia facienda alliciantur, *l.*1.*Cod.de statuis,& imaginibus*. Tum inconventum in prima fundatione videtur, nisi aliter in ea exprimatur. Si tamen habens jus sepulchri, Institutor, aut Fundator non fuerit, sed liberaliter id ab Ecclesia concessum fuerit ei; ut benefactori illius, contrarium est dicendum; poterit enim arma delere, & alteri concedere, extincta familia: non enim in eo invenitur causa institutionis, & fundationis, prout in altero. Tum in primo casu nequit Ecclesia transferre sepulchrum ad alios disparis conditionis, sed ad pares. Lambertinus *de jurepatronat.lib.*2. *part.*3.*q.*5.*art.*1.& 35.ob memoriam Fundatoris, ne deturpetur dando Nobilis sepulchrum plebejo, & ignobili: quare arma illius sunt conservanda. In hoc verò casu minimè instar ratio memoriæ illius; non enim aliquid erexit, seu construxit, si quidquid habebat, erat ex indulgentia Ecclesiæ. Medicis *de sepultur.d.*1.*part.q.*16.*nu.* 38. Lezana *in Summa Regul.tom.*2.*cap.*11.*nu.* 23. Tondutus *dict cap.*73.*à nu.* 12. Lavor.*d.cap.*18.*nu.*20.

8 Sed an arma, seu inscriptiones probent jus sepulchri, diximus de Capellis, *lib.*5. *cap.* 7.*à nu.* 83. latè: hic breviter addendum, arma antiqua, & antiquas inscriptiones probare quoad antiquos Fundatores, & Institutores sepulchrorum. Lara *lib.*1.*de Anniversar. cap.*25. *num.*32. Urrutigoyti *d.cap.*17.*num.*80. & quoad novos, si sint de eadem familia; quod si non fuerint, antiqua arma, & inscriptiones non probant. Nec probare possunt sculpta nova arma, & novæ inscriptiones, ut cum Lambertino tenet Lavorius *dict. cap.* 18. *num.* 18. qui hoc modo intelligi textum *in l. Monumentorum* 6.*vers. Inscriptiones*, *Cod. de Relig. & sumpt. funer.* decernentem, inscriptiones probare. Barbosa *lib.* 2. *de univ.jur.cap.*15.*nu.*15.

Illud verò observent Rectores Ecclesiarum, ne ex sepul- 9
chris aut Capellis arma, insignia, & inscriptiones amoveantur, aut deleantur; semper enim debet permanere memoria Fundatorum; aliter injuria eis inferretur. Ancharanus *cons.*113. Medicis *d.q.*16.*n.*38. Lavor. *d.cap.*18.*n.*19. Gratian. *d.cap.*210. *à n.*32. Valenzuela *cons.*18.*n.*45.

His igitur præmissis, quando quis moritur non electa se- 10
pultura, nec Majorum sepulchrum habens, in Parochia est sepeliendus, *cap.*1 13.*q.*2.*c.*5. *de sepult. Clem. Dudum* 2. *de sepult.* nam jus sepeliendi pertinet ad Ecclesiam populum habentem, & ubi Sacramenta administrantur, quæ est Parochia. Ergo qui non elegerit sepulturam, aut Majorum non habeat, erit in Parochia sepeliendus. Abbas *in cap.Certificari, de sepult.n.*8. Molina *de Just. tract.*2.*disput.*214.*nu.* 21. Layman *in Summa*, *lib.*3 *tract.*5.*cap.*12. *n.*8. Sperellus *decis.*88.*nu.*4. Flaminius Marchetus *de sepult.tract.*38.*§.*1. *num.*9. Trullench *d.cap.*9.*dub.*4.*nu.*1. Pastor *de tempor. Eccles.tit.*5.*nu.*4. Quod idem est dicendum, si quis frustratoriè elegerit sepulturam; nam si eligens potestatem non habebat eligendi, perinde est, ac si moreretur sepultura non electa, ut censuit Sacra Congregatio *in Asculana*, 28. *Octobr.*1616. Refert Barbosa *ad Concilium sess.*25.*de Reformat cap.*13.*nu.*21. *& de jure Parochi*, *d.cap.* 26.*n.*28. Marchetus *d.* §.1. *nu.* 11. Si tamen defunctus fuerit duarum Ecclesiarum Parochianus, inter eas dabitur prævention, *cap. Cùm quis* 12. *de sepult. lib.*6.*cap. Cùm duobus*, 14. *de Reser. in* 6. Anton. *de Regim.Eccles.lib.*1.*cap.*12.*n.*15. Dicitur autem Ecclesiam illam prævenire, quæ prima capit corpus defuncti. Petrus Ubaldis *de can. port. tit. de Canonica Paroch.cap.*9.*nu.*2. Marchetus *dict.*§.1.*n.*2. Villalobos *in Summa*, 2.*part.tract.*31. *difficult.*7.*nu.*7.

Verùm hæc doctrina quibusdam regulis priùs est expli- 11
canda; nam potest defunctus in confinibus duarum Parochiarum habitare, & dubitari ex qua sit Parochianus? Et in hoc casu censetur illius esse, in qua domus habet aditum, & portam ingrediendi; nam habitatio judicatur ex aditu, vel porta domus, *l. Si cui ædes* 31.*ff. de legat.* 3. Baldus *volum.*1. *cons.* 60. *nu.* 50. vel si domus habet duas portas in diversis Parochiis, judicatur illius esse Parochiæ, in qua residet porta principalis, & aditus magis principalis. Sed si portæ sint, altera à parte anteriori domus, alia verò à posteriori, existimatur illius esse Parochiæ, ubi adest porta anterior, utpotè nobilior. Attamen si ambæ essent æquè principales, illa consideratio facienda est, ubi dominus Sacramenta recipit, auditque Divina; nam illam elegisse videtur. Explicant Riccius *in Praxi for.*1. *edit.decis.*333.*& in Praxi*, 1.*part. resolut.*570.*num.*3. Barbosa 2.*p. allegat.*32.*nu.*71. Antonellus *de Regim.Ecclesiæ*, *lib.*1.*c.*12. *num.* 41. Ex his enim regulis capienda est decisio sepulturæ, quando dubium exoriatur, ubi Parochianus est sepeliendus, ut scripsit Marchetus *d.* §. 1. *num.* 15. aliàs si nec ex his regulis resolutio sumi valeat, verùm res dubia remaneat, Diœcesanus statim interponet partes suas, ne corpus insepultum remaneat, *l. Si quis sepulchrum*, *ff. de Relig.& sumpt funer.* Medicis *dict.*1.*part.quæst.*7.*nu* 31. Marchetus *d.*§.1.*num.*21. Antonellus *d.lib.*1.*cap.*12. §.3.*num.*4. Villalobos *d.nu.*7. *in fin.*

Aliquando tamen quis habet domicilium in civitate, aut 12
castro, verùm aliquando ad rus habitandum se transfert, recreationis gratia, vel ad alia ruralia exercenda; moritur verò non electa sepultura, & tunc in rurali Parochia sepeliendus videtur, ubi tunc habitabat. Ratio, nam in præsentiarum Parochia ad effectum sepulturæ non consideratur respectu domicilii, sed respectu præsentis status, ubi quis per tempus habitaverit, licèt ibi habitans animum non habeat constituendi domicilium. Samuel *de sepult. tract.* 1. *disput.*5. *controvers.*8.*conclus.*3. *num.* 8. Marchetus *d.*§.1. *num.* 12. Ergo cùm in specie ruri moritur, sepeliendus est in rurali Parochia. Et confirmatur, nam Scholares, famuli, Doctores, & Judices, licèt ibidem, ubi adsunt, domicilium non habeant, sed alibi, nec animum commorandi; attamen in Parochia, ubi moriuntur, sepeliuntur. Samuel *d.conclus.*3.*num.*5. Lavor. *d.tit.*2.*cap.*11.*nu.*148. Gratianus *discept.tom.*1.*disput.*75.*n.*18. Sperellus *decis.*87. *n.*5. Marchetus *d.* §. 1.*nu.* 12. Ergo qui decesserit ruri, etiamsi animo ibidem non commorandi, est sepeliendus in rurali Parochia.

Sed hanc difficultatem jam Bonifacius VIII. omninò 13
extinxit *in cap.Is qui* 3. *de sepultur. lib.* 6. ubi in specie asse-

rit, non eſſe ſepeliendum in Eccleſia villæ ruralis; ſed ſi non elegerit ſepulturam, nec Majorum habeat, in Eccleſia ſua Parochiali, ubi domicilium habet, eſſe ſepeliendum, *dummodò abſque periculo valeat ad ipſam aſportari.* Et ratio eſt clara, quia tunc ex eo quod recreationis cauſa, vel ad exercenda ruralia, ad rus aliquis perveniat, adhuc retinet parochialitatem domicilii, & conſequenter in Parochia domicilii eſt ſepeliendus, non verò in Eccleſia ipſius ruris. Barboſa *in d.cap Is qui*, *num.*2. Excipit tamen textus, niſi quando abſque periculo deportari poſſit; tunc enim ex inconvenienti in rurali Parochia ſepeliendus eſt. Lavor. *a.cap.* 11. *num.* 147. Rota 1.*part. diverſ. deciſ.* 643. *num.*3. Menochius *lib* 6.*præſumpt.*88.*num.*3. Valenſis *ad tit.de ſepult.*§.2. *num.* 2. Sperellus *deciſ.* 87. *num.* 3. Samuel *d. controverſ.*8.*concluſ.*6.*num* 19. Antonellus *lib.*1. *dè Reg.cap.*12. §.3 *nu.*37. Molina *d.diſp.*214 *nu.*16.

14 Hæc tamen doctrina ſatis non aperit textum illum; aliqui enim intellexerunt de illo, qui rus petit pro aliquo brevi tempore, nempè recreationis, aut ruralia exercendi cauſa, qui cùm animum non habeat ibidem permanendi, adhuc retinet quoad omnia primam Parochialitatem, & ideò ſepeliendus eſt in Parochia urbana, non in rurali, ut explicant aliqui apud Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſput.* 23. *num.* 9. Verùm verba, *velut ruralia exerceat in eodem*, adhuc majus tempus indicant; non enim per tam breve tempus ruralia exerceri poterunt: quapropter incidimus, in quæſtionem illam; an in Parochia litatem acquirendam ubi quis moriatur, neceſſarius ſit animus perpetuò permanendi, & acquirendi domicilium? In qua ſunt duæ ſententiæ contrariæ, quarum fundamenta refert Sanchez *dict. diſput.*23.*à nu.*9. Verùm ipſe *num.* 13. tamquam veriorem amplectitur ſententiam aſſerentem, ad Parochialitatem acquirendam non requiri animum perpetuò ibidem permanendi. Amplectitur etiam Antonellus *d.*§.3.*n.* 36. Sperellus *deciſ.*87. *à nu.* 4.

15 Sed in re illud eſt conſiderandum, quod quando quis in aliena Parochia commoratur animo redeundi ad proprium domicilium; non tamen ibidem permanendi, non amittit propriam Parochiam; & id non ſolùm ſi per breve tempus adfuerit, ſed etiam ſi per annum, aut per majorem partem anni. Id probatur *in d.cap. Is qui*, ſatis apertè, & & probat textus *in cap. Cum nullus* 3. *de temp.ordin. in* 6. ubi quando quis eſt ordinandus, ad Parochialitatem deſideratur inſpicere, ubi habet domicilium; non enim amittit propriam Parochialitatem ex eo quod alibi, etiam per multum temporis commoretur, ſed ſemper retinet. Verumtamen, quia quando abſens eſt, ſunt aliqua neceſsariò percipienda, veluti Sacramenta (verbi gratia) Pœnitentia, Euchariſtia. Abſolutio à reſervatis, Matrimonium, & alia quæ ſine gravi incommodo recipi non poſsunt in propria Parochia, ſi longè abſentes ſint; inde eſt, ut per juris indulgentiam Parochia, ubi morantur, ea rectè præſtet, & ipſi ſuſcipere ab ea valeant: quod idem eſt dicendum de ſepultura; nam ex eo quod ibidem benè percipiant Sacramenta, inde eſt, ut rectè ſepeliantur, & in hoc quaſi Parochiani habeantur. Ratio, nam duriſſimum fuiſſet, ut abſentes ad iſta recipienda cogerentur redire ad propriam Parochiam, & corpus defuncti in delatione corrumperetur. Iſtud verò non eſt acquirere Parochialitatem abſque animo ibidem permanendi, ſed juris indulgentiam ad iſta percipienda. Et confirmatur *ex d. cap. Is qui*, in illis verbis: *Dummodo abſque periculo ad ipſam valeat deportari.* Quæ verba apertè denotant, quod ſi adſit periculum, non erit ſepeliendus defunctus in Parochia proprii domicilii, quam retinet, ſed in Eccleſia rurali, ubi tantùm propter neceſſitatem gerit vicem propriæ Parochiæ.

16 Hinc ſuſcipit lucem quod dicunt DD. de Scholaſticis, Doctoribus, Judicibus, & aliis, qui non in propria Parochia morantur, ſed in aliena; iſtis enim grave incommodum irrogaretur, ſi ad Sacramenta, & ſepulturam recipiendam ad propriam Parochiam traherentur, niſi tam brevis fuerit diſtantia, ut commodè in illa recipere potuiſſent. Tunc enim non eſt admittenda ſententia aſſerentium, poſſe illa recipere, quia ad hunc caſum non extenditur indulgentia juris, ut Parochia, in qua moratur, quaſi propria exiſtimetur.

17 Eſt tamen dubium: Tranſeuntes, & vagabundi defuncti, ubi ſint ſepeliendi, quando non elegerint ſepulturam, aut Majorum non habeant? Prima ſententia aſſerit, eſſe ſepeliendos in Cathedrali, quia ipſa eſt Parochia Matrix, ad quam ſunt deferendi advenæ, & tranſeuntes, non habentes certam particularem Parochiam, ut cenſuit Sac. Congregatio Epiſcoporum, 5. *Julii* 1592. Refert Lavor. *d.c.*11. *n.*144. Tenent hanc ſententiam Gloſſa *in cap. In noſtra*, *de ſepult.* Innocentius, Hoſtienſis, & Joannes Andreas *in c.*1.*de ſepult.* Urrutigoyti *de Eccleſia Cathedr. cap.*17. *n.*178. Barboſa *d.cap.*26.*n.*35. Secunda ſententia aſſerit, Cathedrali, & Parochiali Eccleſiæ competere jus ſepeliendi forenſes, & tranſeuntes; quapropter dabitur præventio inter Cathedralem, & Parochialem. Gofredus *in Summa*, *tit. de ſepult.* Ubaldus *de can. tit. de Canonic. Parochial. c.*9 *n.* 4. Valenſis *in Paratitl. ad tit. de Sepultur.* §.2. *n.* 4. Tertia ſententia inquit, eſſe ſepeliendos in Parochiali, in qua forenſis, & advena deceſſit; quia Parochiali competit jus ſepeliendi quoſlibet defunctos inventos intra limites illius. Sylveſter *verbo ſepultura*, *n.*8. Rota apud Seraphinum *deciſ.*1135.*à n.*1. Sperellus *d.dec.*87.*n.*13. Lavor. *d.cap.*11.*num.* 144. Samuel *de ſepult.d.diſp.*5.*controverſ.*8.*concluſ.*9 *n.*25. Trullench *d.c.*9. *dub.*4.*num.*3. Quarta ſententia diſtinguit, quando forenſis, advena, ſeu tranſiens per aliquod tempus moratur in loco; & tunc erit ſepeliendus in Eccleſia Parochiali: ſecus verò ſi tantùm ibi fuerit per tranſennam. Carena *reſol.*80. *nu.*25. Marchetus *d.*§.1.*nu.*63.

Sed in hac difficultate in primis inſpicienda eſt conſue- 18
tudo, quæ ſi ſit, ut tranſeuntes, & forenſes vagi in Cathedrali ſepeliantur, id erit obſervandum, dum tamen plenè de conſuetudine conſtet; aliàs ſi varia fuerit, non erit admittenda, ut tenet Rota apud Seraphinum *d. deciſ.* 1135. *ad finem*, Sperellus *deciſ.*87.*nu.*14.

Si tamen cenſuetudo non ſit, communiter diſtinguitur, 19
quando vagus tranſiens, & forenſis in hoſpitio moritur, quod eſt indifinitè alicujus Parochiæ; & tunc caſus eſt clarus, ſepeliendum eſſe in Eccleſia Parochiali. Et ratio eſt, nam Parochia tenetur adminiſtrare Sacramenta in hoſpitio, & conſequenter vagis, & tranſeuntibus: quapropter illi competit jus ſepeliendi defunctos in hoſpitio. Federicus de Senis *conſ.* 253. Gigas *conſ.* 97. *nu.*3. Rota apud Seraphinum *d. deciſ.* 1135. *num.* 1. Mareſcotus *variar. lib.* 2. *cap.*95.*num.*9. Barboſa *de univerſ.lib.*2. *cap.*10. *n.* 35. Gratianus *tom.*9.*cap.*94. *nu.* 73. Si verò hoſpitium non ſit intra Parochiam, aut extra, in qua vulgus, aut tranſiens moriatur, tunc eſt tota concertatio. Et aſſerendum eſt, in Parochiali defunctum eſse ſepeliendum; nam aut iſte recepit Sacramenta à Parochia, & ab ipſa eſt ſepeliendus; nam ex eo quod ab ea Sacramenta receperit, videtur in ea elegiſse ſepulturam, ut tenent communiter DD. *in cap.* 1. *de ſepultur.* ubi Abbas *n.*4. Boerius *n.*9. Rota *in una Hiſpalenſis juris vocandi*, 9. *Julii* 1599. coram Seraphin. *deciſ.* 1135. *n.*3. Mareſcotus *d.cap.*95.*n.*10. Barboſa *d.cap.*10. *n.* 35. Urrutigoyti *d.cap.*17.*n.*178.

Si verò non receperit, quia repentè deceſſit, aut Paro- 20
chus non eſt ita breviter inventus, adhuc in Parochiali eſt ſepeliendus, licèt reſiſtat Urrutigoyti *cap.*17.*nu.*179 quia ex eo quod intra limites deceſserit, & pertranſiens, habet Parochia illa fundatam ſuam intentionem ad illam ſepeliendum, quando moritur non electa ſepultura, aut non habuerit ſepulchra Majorum, ut dictum eſt ſuprà: Ergo etiamſi Sacramenta non receperit, eſt ſepeliendus in Parochiali Eccleſia. Sperellus *d.deciſ.*87.*nu.*13 *in fin.* Marchetus *d.*§.1.*n.*63. Medicis *de ſepult.*1.*p.quæſt.*7. *nu.* 30. qui omnes intelligendi ſunt, qui tranſiens defunctus commodè in ſua Eccleſia Parochiali ſepeliri poſsit. Marchetus *d.*§.1. *nu.*61. prout ſuprà explicuimus, & tenet Paſtor *de temp. Eccleſiæ*, *tit.*5.*num.*5. Bonacina *dict.diſp.*3.*quæſt.*21.*punct.* 3.*n.*6.*verſ.*4.

Limitatur verò doctrina iſta, ſi pertranſiens fuerit Epiſ- 21
copus; tunc enim ob ejus dignitatem non eſt ſepeliendus in Eccleſia Parochiali, ſed in Cathedrali. Barboſ. *de offic. Epiſcopi*, *par.*3.*allegat.*114. *n.* 40. Antonellus *dict.cap.*12.§. 2.*nu.*34. Sed eſt dubium de Clericis tranſeuntibus, vel peregrinis. Dixerunt aliqui, Clericos viatores, & Religioſos profeſsos, qui commodè non poſsunt ferri ad ſuum Monaſterium, in Eccleſia Cathedrali eſse ſepeliendos, idque pertinet ad majorem decentiam Clericorum, & Religioſorum, ut majori honore ſepeliantur, prout fit cum Epiſcopo. Tum quia & in aliquibus caſibus convenit, ut Cathedralis jus ſepeliendi, quod habet, exerceat. Urrutigoyti *d.cap.*17.*num.*176. Ergo Clerici iſti, & Religioſi profeſſi

fessi transeuntes, seu viatores, sunt in Cathedrali sepeliendi. Boerius *decis.* 175. *num.* 5. & 7. Lavor. *d. cap.* 11. *nu.* 145. Sperellus *d. decis.* 87. *num.* 15. Samuel *d. controvers.* 8. *conclus.* 11. *nu.* 30.

22 Marchetus tamen contrarium scripsit §. 1. *n.* 61. asserens, in Parochiali esse sepeliendos; non enim Ecclesia Cathedralis habet jus sepeliendi, absolutè loquendo, nisi in subsidium, quando certa non esset Ecclesia Parochialis, cui hoc jus competit ob administrationem Sacramentorum, ut cum multis tenet Barbosa *d. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 35. Ergo Clerici, & Religiosi transeuntes, sunt sepeliendi in Parochiali. Tum quia eorum dignitas non ita gravis est, verùm longè distat à Dignitate Episcopali, ut ob decorem sepeliantur in Cathedrali, sicut & Episcopi.

23 In re tamen dicendum, Clericos transeuntes, seu viatores, esse sepeliendos in Ecclesia Parochiali ubi decedunt, ut rectè probant rationes adductæ pro Marcheto. Religiosus verò professus, si commodè deferri non possit ad sua Monasteria, vel in civitate, seu oppido, ubi moritur, non adsit Monasterium sui Ordinis, sepeliendus est in Parochiali, cui de jure competit corpora defunctorum intra limites illius sepelire, *cap. Ecclesia* 1. 13. *quæst.* 1. *cap. fin.* 17. *quæst.* 1. *l.* 3. *tit.* 13. *part.* 1. Nec enim Religiosus ob dignitatem in Cathedrali tumulandus, qui propter Christum humiliter vivit, & sepeliri desiderat. Quapropter Marcheti sententiam admitto.

24 Illud verò non oblivisendum est, peregrinos, & transeuntes aliquando morbis contagiosis affectos decedere; idque à Rectoribus Ecclesiarum animadvertendum, & ab Urbium, & Villarum Gubernatoribus, ut licèt non careant sepultura Ecclesiastica, in loco tamen non periculoso sepeliantur, ne vivis nocere possint. Quod cum omnibus in epidemia contagiosa magna cura observandum. Armilla *verbo sepultura*, *num.* 26. Medicis *d. quæst.* 7. *nu.* 36. Lavor. *d. cap.* 11. *num.* 149. Samuel *d. disp.* 5. *controvers.* 9. *conclus.* 6. *num.* 6.

25 Si aliquis domicilium habuerit divisum, nempè quia partim in civitate degit, nempè in hyeme, & vere; partim verò ruri in villa, veluti tempore æstivali, & autumnali, debet sepeliri in Parochia ubi decedit, & à cujus Parocho Sacramenta recepit, sive in Castro, sive ruri. Sanchez *de Matrimonio*, *lib.* 2. *disput.* 23. *nu.* 32. *vers. Confirmatur*. Sperellus *d. decis.* 87. *nu.* 10. Antonellus *lib.* 1. *cap.* 12. §. 3. *nu.* 38. Samuel *disp.* 5 *controvers.* 8. *conclus.* 7. *nu.* 21. Quod idem est dicendum, si quis in eadem civitate habuerit duo domicilia, & habitationes in diversis Parochis; iste enim est sepeliendus ubi decedit, nempè in Parochia, ubi adest domus morientis. Bonacina *d. disp.* 3. *quæst.* 21. *punct.* 6. *n.* 6. *vers.* 1. Marchetus *d.* §. 1. *n.* 74.

26 Præterea, si defunctus non eligat sepulturam, & suorum Majorum sepulchrum habeat, in illo est sepeliendus, *cap.* 1. *de sepultur. cap. Is qui* 3. *de sepult. lib.* 6. *l.* 5. *tit.* 13. *par.* 1. Et ratio est, nam quando defunctus habens Majorum sepulchrum non elegit propriam sepulturam, suorum Majorum elegisse videtur, ut benè ratiocinatur Gregorius *in d. l.* 5. *gloss.* 5. Parladorius *different.* 66. §. 2. *num.* 1. Idque ob maximam affectionem, quam cum rebus Majorum habemus, *l. Libertus qui solvendo* 36. *ff. de bon. libert. l.* 22. *Cod. de Administrat. tut.* latè Valenzuela *cons.* 18. *à nu.* 108. Covarruv. *lib.* 2. *var. cap.* 1. *nu.* 10. quamobrem quoties quis non elegerit sepulturam, videtur Majorum sepulturam elegisse, ubi præcisè est tumulandus. Medicis *de sepultur.* 1. *part. quæst* 7. *num.* 22. Samuel *de sepult. dict. disputat.* 5. *controvers.* 6. *per tot.* Tuschus *lit. S*, *conclus.* 194. Spino *de testament. gloss.* 2. *num.* 38. Villalobos *dict. difficult.* 2. *num.* 3. Barbosa *d. lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 31. Trullench *d. cap.* 9. *dub.* 4. *num.* 4.

27 Majorum autem appellatione omnes in universum ascendentes comprehenduntur, *l. Jurisconsultis* 10. §. *Parentes*, *ff. de gradib. l. Quicumque* 4. §. 1. *ff. de in jus vocand.* Tiraquellus *de retract.* §. 1. *gloss.* 8. idcircò quoties sepulchrum eorum adsit, si quis non elegerit sepulturam, ab hæredibus necessariò in sepultura majorum est sepeliendus, nec in optione eorum stabit in Parochia sepelire. Parladories *different.* 66. §. 2. *nu.* 1. Samuel. *d. controvers.* 6. *conclus.* 3. *num.* 6. Sperellus *decis.* 88. *num.* 1. Antonellus *d. lib.* 1. *cap.* 12. §. 1. *nu.* 2.

28 Sed contra est textus *in cap. Licèt* 4. *de Sepult. lib.* 6. ubi scribitur, posse patrem, si adsit consuetudo, eligere sepulturam ad minores filios; quæ si non adsit, nequit eligere, sed filius est sepeliendus in sepulchro Majorum, vel in Parochiali Ecclesia. Unde percipitur, quod si aliquis decesserit, non electa sepultura, non est præcisè tumulandus in sepulchro Majorum, sed poterit ab hæredibus, aut commissariis tumulari etiam in Parochia, quomodo eis placuerit. Glossa *ibidem*, *verbo vel in Parochiali*, sensit hanc difficultatem, denotans hìc electionem dari videri, *cap. In alternativis*, *de regul. jur. in* 6. Sed tamen ordinem scripturæ servandum censet, referendo seipsam totam ad consuetudinem. Idem ferè ait Samuel, relicta consuetudine, *dict. concl.* 3. *nu.* 8.

Verùm Lapus *alleg.* 59. *per tot.* distinctionem facit, quando impubes decessit absque electione sepulturæ, & tunc inquit sepeliendum, vel in monumento Majorum, vel in Parochia; secus verò si pubes: nam est in primis sepeliendus in Parochia, vel in sepulchro Majorum, ut inducit *ex cap. Is qui* 3. *de sepult. in* 6. ibi: *Non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochia, vel in ea potiùs, in qua Majorum suorum ab antiquo exist it sepultura*. Quem contradicunt plurimi relati, & sequuti à Lavor. *d. cap.* 11. *nu.* 111. Diana 5. *p. tract.* 3. *resol.* 108. 29

Sed dicendum, in prædictis juribus nullo modo esse attendendum ordinem litteræ, ut admittatur aliqua alternativa; sed jura illa esse intelligenda, ut si non adsit sepultura Majorum, possit sive pubes, sive impubes, qui non elegit sepulturam, in Parochiali sepeliri; secus autem si illam habuerit, quia tunc sepeliendus est necessariò in sepulchro Majorum; designatio enim facta in dictis juribus, per *seu*, vel *potiùs*, exprimenda est quando nulla est sepultura Majorum, *cap.* 1. *de sepultur.* quem benè explicat Samuel. nuperrimè allegatus, *n.* 10. non tamen quod electio concedatur hæredibus, aut commissariis, aut sepeliant in Parochia, aut in sepulchro Majorum; sed quod si adsit, necessariò sit in eo sepeliendus. 30

Est verò dubium, quando quis in una Ecclesia habuerit Majorum sepulturam, ubi sepulti sunt avi, & proavi; & in altera pater, & mater, aut solus pater est sepultus; & sepulturam non elegerit, ubi nam ex duabus sepulturis est sepeliendus? Prima sententia asserit, esse sepeliendum in sepulchro Majorum, ubi sunt avi, & proavi sepulti. Ducitur *ex cap.* 1. *de Sepultur.* ubi asseritur, non eligentem sepulturam, sepeliendum in sepulchro Majorum; sub nomine autem Majorum nequit intelligi solus pater, verùm avus, & proavus, ut ex aliquibus juribus diximus *num.* 27. *cap. Cùm quis* 2. *de sepult. lib.* 6. Samuel. *d. disput.* 5. *controvers.* 7. *concl.* 1. Ergo est sepeliendus, non in sepultura patris, sed avorum, & proavorum. Tenet Glosa *in d. cap. Is qui*, *verbo Ab antiquo*, & ibi etiam Joannes Andreas, Sylvester *verbo sepultura*, *nu.* 8. Lavor. *d. cap.* 11. *num.* 113. Villalobos *in Summa*, *dict. tract.* 31. *difficult.* 2. *nu.* 4. Diana *d.* 5. *part. tract.* 3. *resol.* 108. qui eum admittit. 31

Secunda sententia contrarium tenet, nempè sepeliendum esse in sepultura patris? Et ratio est, quia filius sequitur domicilium patris, quapropter etiam debet sequi sepulturam. Tum etiam, quia ratione proximitatis, majori affectione considerare debemus voluisse defunctum sepeliri cum patre, quàm cum aliis Majoribus. Oldradus *cons.* 25. *per tot.* Sperellus *decis.* 88. *num.* 19. Antonellus *d. cap.* 12. §. 1. *num.* 3. Barbosa *d. lib.* 1. *cap.* 10 *num.* 31. & *de Jur. Paroch. cap.* 26. *num.* 31. Samuel. *controvers.* 7. *num.* 3. Ventrigl. *in Praxi rer. not.* 52. §. *unic. num.* 24. Rodriguez *in Summa*, 3. *p. cap.* 130. *nú.* 12. 32

Hæc difficultas duobus modis concipienda est. Primò, quando pater causaliter in aliqua Parochia fuerit sepultus, & ex accidenti, non verò intentione stabiliendi propriam sepulturam, aut familiare sepulchrum; & tunc prima sententia benè procedit. Ratio est, nam in præsentia sepultura illa est adventitia, nec transit ad parentis familiam, ita ut dici possit propria illius, aut Majorum. Hanc ob rem filius, qui decessit, non electa sepultura, sepeliendus est in sepulchro Majorum, non verò in sepultura patris. Samuel. *d. controvers.* 7. *concl.* 3. Marchetus *d. tit.* 38. §. 1. *à nu.* 32. Lavor. *d. cap.* 11. *nu.* 113. Molina *tract.* 2. *disp.* 214. *nu.* 13. *in fin.* 33

Secundo autem modo est concipienda, quando pater designavit propriam sepulturam, aut familiarem, aut hæreditariam, & primus moriens in ea est sepultus; verùm filius habuisset Majorum sepulchrum: & in hoc casu est admit- 34

tenda ſecunda ſententia; nam diſtinctio illa ſepulchri Majorum, & patris, ſola eſt reſpectu Parochiæ, non verò filii, quia ejus ratione eſt Majorum, cùm ſit ipſius aſcendens. Tum ratione affectionis, quam majorem habere erga patrem, ut proximiorem, præſumendum eſt, ut diximus; unde electio illius ſepulturæ in dubio præſumenda eſt, non Majorum. Denique, nam ut ſcripſit Petrus Ancharanus *in d.cap. Is qui, de ſepultur. n. 5. verſ. Secus quæro*, ſi ſemper ſepulchrum Majorum fuiſſet paterno præferendum, oportet quærere agrum Damaſcenum, aut meliùs montem Calvarii, ubi Adam, & alii quamplures patres humati ſunt. Ergo ſi filius decedat, non electa ſepultura, ſepeliendus eſt in paterno ſepulchro, non verò Majorum, ut benè explicat Abbas *in cap. 1. de ſepult. n. 5.* Molina *d. diſp. 214. n. 14.* Et majori ratione id admittendum, ſi non ſolùm pater ibidem fuerit tumulatus, ſed etiam avus. Villalobos *d. tract. 31. difficult. 2. n. 4.* Diana *d. tract. 3. reſol. 18.* Antonellus *diſp. 12. §. 1. nu. 3.* Barboſa *d. cap. 10. n. 32.*

35 Ex his breviter diſcutienda eſt alia difficultas, an quando pater in Eccleſia eſt ſepultus, & avus in alia, proavus in altera, in qua iſtarum eſt ſepeliendus filius deſcendens, moriens abſque electione ſepulturæ? Et aliqui cenſuerunt, in Parochia ſepeliendum, quia nulla iſtarum eſt ſepultura Majorum, *cap. Ebron 2. cap. Placuit 7. 13. quæſt. 2. l. Majorum, ff. de verb. ſignificat.* cùm ibi non niſi unus Majorum ſtet ſepultus. Tenet Zechius, quem refert Barboſa, *dict. nu. 32.* Sylveſter *verbo ſepultura, n. 8.* Alteri verò inquiunt, cùm patre ſepeliendum. Abbas *in dict. cap. 1. n. 5.* Joan. Andreas *in cap. Is qui, de ſepult.* Alii ſcripſerunt, de jure in Parochia eſſe ſepeliendum: verùm jam conſuetudo obtinuit, ut ſepeliatur cum patre. Villalobos *d. difficult. 2. nu. 4.* Lavor. *d. cap. 11. n. 114. verſ. Secundo gloſſ.* Antonellus *d. cap 12. §. 1. nu. 4* Sperellus *deciſ. 88. nu. 10.*

36 Sed cum diſtinctione ſuprà relata reſolvenda eſt hæc difficultas; ſi enim caſu, & per accidens pater in una Eccleſia fuerit ſepultus, & avus in alia, & in altera proavus, tunc ſepeliendus eſt in Parochia filius non eligens ſepulturam; nulla enim illarum valet dici familiaris, nec hæreditaria ſepultura, ut inde percipiatur, ex lectione velle in aliqua earum ſepeliri: ſi verò propria fuerint, & familiaria monumenta, de jure ſepeliendus eſt in ſepulchro patris, ob reciprocum amorem inter patrem, & filium, qui maximus eſt, ut expendit Rodriguez *in Summa, d. cap. 130. num. 12. in fin.* Marchetus *dict. §. 1. nu. 38.* Medicis *1. part. quæſt. 7. nu. 22.*

37 Rurſus qui intenderit ſe ſepeliendum in ſepulchro Majorum, excluſa Parochia, plenè debet probare ſuam intentionem duabus circumſtantiis. Prima, ut ſepulchrum ſit Majorum. Secunda, ut ſit de linea, & agnatione effectiva, & non ſufficiet probare eſſe de agnatione. Prima pars probatur, nam cùm Parochus habeat de jure fundatam ſuam intentionem ad ſepeliendum Parochianum, ut diximus, & tenent etiam Medicis *de ſepultur. 2. part. quæſt. 6. à num. 1.* Burſatus *vol. 3. conſ. 226. num. 119.* Rodriguez *dict. cap. 130. num. 2.* Bellet. *diſquiſ. Cleric. tit. de Clerico debit. num. 54.* ad excludendam Parochiam neceſſaria eſt plena probatio concludens, ſepulchrum eſſe Majorum, utpotè fundamentum ſuæ intentionis, *1. Actor. 22. l. Fruſtra 8. Cod. de probat. l. Qui accuſare 4. Cod. de edend.* Secunda pars ſimiliter probatur; nam cùm jus ſepulchri conceſſum ſit pro ſe, & deſcendentibus, *l. Liberorum 220. ff. de verb. ſignificat.* non ſufficit probare agnationem in abſtracto, ſed in concerto eſt probanda in agnatione effectiva; quia ubicumque terminus qualificatur in diſpoſitione, debet probari concurſus termini qualificantis, *l. 4. §. Hoc autem, ff. de vi bon. rapt.* ut tenuit Rota Mediolanenſis *in una jur. patronat. 28. Novembris 1616. coram D. Pirovano*, quam refert, & ſequitur Lotterius *de re benefic. lib. 2. quæſt. 11. num. 57.* Sperellus *deciſ. 88. à nu. 4.*

38 Si defunctus Clericus fuerit, licèt in Parochiali ſepeliatur, non eſt ſepeliendus in ſepultura patris, ſeu Majorum, ſed ſeorſim in ſepultura Sacerdotum, & reſpectivè Clericorum; nam ſecundùm Rituale Romanum, *tit. de Exequiis, §. Sepulch. Sacerdot.* ubi fieri poteſt, ſepulturæ Sacerdotum debent eſſe ſeparatæ à ſepulturis Laicorum, quare nequeunt ſepeliri in ſepulchris Majorum, ut declaravit Sacra Congregatio 13. *Maii* 1650. quam refert Nicolius *in Lucubr. utriuſque Jur. 1. part. lib. 5. tit. 15. num. 23. in fin.* Marchetus *dict. tit. 38. § 1. num. 38. verſ. Verum ſive.* Quod idem dicendum videtur de parvulis, qui in ſepulturis ſeparatis à communibus debent tumulari, ſecundùm Rituale Romanum, *de Exequiis parvulorum*, cujus verba dat Lavorius *d. tit. 2. cap. 11. num. 120.* quod quidem tam in parvulis, quàm in Clericis juſta ratione debebat obſervari. Verùm in Caſtella promiſcuè cum aliis tumulantur in Eccleſiis, locis non diſcretis. Infantes verò expoſiti, quia neſcitur quis ſit eorum pater, vel mater, in ſepultura Hoſpitalium ſepeliuntur, *c. 1. de Infant. & languid. expoſit. l. 1. Cod. de infant. expoſit.* Lavor. *d. 11. nu. 122.* Medicis *d. q. 7. n. 25.*

Illud verò, antequam hinc abeamus, de ſepulchris Ma- 39
rum eſt animadvertendum, in illis nullam differentiam eſſe faciendam inter cognatos, & agnatos; & ideò deſcendentium nulla eſt ratio habenda. Ubald. *de can. paroch. c. 9. nu. 18. & 19.* Parladorius *d. different. 66. §. 2. nu. 2.* ſicut nec aſcendentium, an ſint ea linea materna, vel paterna. Belletus *diſquiſit. Clerical. 1. p. tit. de Cleric. debit. p. 3 §. 3. nu. 19.* Marchetus *d. §. 9. n. 185. in fine.*

Prætereà, ſi uxor ſepulturam non elegerit, & moriatur, 40
viro ſuo jam defuncto, in ſepultura viri eſt ſepelienda, *cap. Ebron 2. cum ſequentibus, 13. qu. 2.* Et ratio eſt, quia adhuc vidua retinet mariti domicilium, & privilegia, *l. Cùm quædam 19. ff. de juriſdict. omnium Judicum.* Tum quia vir, & uxor una caro cenſentur, quapropter debet uxor ſepeliri in ſepulchro mariti, etiamſi defuncto viro, traducta fuiſſet ad domum patris. Riccius *in Praxi, 4. p. reſol. 294.* Antonellus *d. cap. 12. §. 1. num. 11.* Rodriguez *d. cap. 230. num. 13.* Villalobos *dict tract. 31 difficult. 2. nu. 9.* Medicis *d. quæſt. 7. num. 26.* quod quidem intelligendum, quando vir matrimonium conſummavit, aut ad domum ſuam uxorem traduxerit, ita ut domicilium illius contraxerit, ut explicant Rodriguez, & Medicis relati. Sperellus *deciſ. 88. nu. 17.* Barboſa *lib. 2. cap. 10. num. 29. in fin.* Lavor. *dict. tit. 2. cap. 11. num. 136.* Urrutigoyti *cap. 17. num. 13.* Trullench *d. cap. 9. ub. 4. nu. 4.*

Quid verò ſi mulier plures maritos jam habuerit, in 41
cujus ſepultura eſt ſepelienda? Et affirmandum videtur, ſepeliendam eſſe cum primo; nam cum eo facta eſt una caro meliùs quàm cum aliis, quibus communicavit carnem jam diviſam. Sed tamen contrarium eſt dicendum, nempè cum ultimo marito eſſe ſepeliendam, *cap. Is qui 3. §. Mulier, de ſepult. in 6.* nam ultimi mariti retinet domicilium, ſimulque facta eſt una caro cum eo; quapropter in ſepultura ultimi mariti eſt ſepelienda. Rodriguez *d. cap. 130. n. 2.* Parladorius *different. 66. §. 3. n. 8.* Lavor. *d. cap. 11. à n. 131.* Samuel *d. diſp. 5. controv. 3. per tot.* Sperellus *deciſ. 88. n. 13.* Barboſa *d. cap. 10. n. 29.*

Quod extendendum etiamſi maritus in ſepultura com- 42
muni fuerit ſepultus, vel in ſepultura peregrinorum, ſeu vagabundorum; quia adhuc vigent ibidem rationis domicilii, & effectionis unius carnis. Samuel *d. controverſ. 3. concluſ. 2.* Lavor. *d. cap. 11. num. 134.* Marchetus *d. tit. 38. §. 9. n. 177* Tum etiam extendunt, ſi ſepulchrum mariti ſit extra Parochiam, ubi ipſa deceſſit, ut cenſuit Congregatio *in Senog. 15. Januarii* 1633. refert Barboſa *de offic. Paroch. 3. p. cap. 26. n. 28.* Marchetus *ubi proximè*, Diana *5. p. tract. 3. reſol. 108. verſ. Notandum.* Deinde extendunt etiamſi mulier habuerit ſepulchra Majorum, ubi poſſet tumulari; quia debet ſequi virum tam in vita, quàm in morte, *cap. Unaquæque 3. 13 quæſt. 2.* Marchetus *d. n. 177.* Denique extendunt, etiamſi vir ignobilior ea fuerit, & eſto longo tempore poſt virum è vita decedat. Molina *d. diſp. 214. nu. 15.* Barboſa *lib. 2. cap. 10. nu. 29.*

Si verò mulier fuerit accuſata de adulterio, ſi pendente 43
lite decedat, adhuc in ſepultura viri eſt ſepelienda, cùm delicto convicta non eſt, nec domicilio viri privata. Quamobrem ſi poſt ejus mortem fuerit ſententiata, & de adulterio convicta, exhumanda non eſt, quia legitimè (ſententia non lata) ſepulta eſt. Lavor. *d. c. 11. nu. 135.* Samuel *d. controverſ. 3. concluſ. 3. nu. 5.* Si verò decedat poſt ſententiam, & ſeparatio tori facta fuerit ob adulterium, in ſepultura viri non eſt ſepelienda, quia facta eſt indigna, ut cum injuriato marito ſepeliatur. Medicis *d. qu. 7. 26.* Riccius *4. part. reſ. 294. nu. 9.* quod tenendum niſi fuerit à viro reconciliata, quod fieri valet non ſolùm ante ſententiam, *cap. Quemadmodum 18. de jurejur.* ſed etiam poſt, *cap. De illa 6. de Divortiis:* nam tunc per reconciliationem injuria remiſſa videtur, & fit digna mariti ſepultura. Ubaldus *dict. cit. de canon. paroch. cap. 9. nu. 22.* Samuel *de ſepult. d. diſput. 5.*

con-

controv. 3. concluſ. 4. nu. 6. Lavor. *d. cap. 11. nu. 135.* Marchetus *d. §. 9. n. 177.* Trullench *d. dub. 4. n. 4.*

44 Eſt tamen diſquiſitio facienda, an quando maritus proditoriè uxorem necaſſet, ſepelienda ſit in ſepulchro Majorum, an viri. Et Samuel *de ſepulturis diſput. 5. controverſia 4. concluſ. 9. à nu. 20.* aſſerit ſepeliendam in ſepulchro Majorum. Id multis rationibus probat, & in primis, quia ſepulchrum Majorum in aliorum concurrentia præſtantius eſt, *cap. 1. de ſepult.* cum aliis ſuprà adductis. Sed mulier iſta, licèt fuerit uxorata, adhuc jus ſepulchri retinet, quia filiis, & nepotibus eſt deſtinatum. Ergo in præſentia debet ſepeliri in ſepulchro Majorum, non viri. Cæterùm per dilectionem uxor, ſi ſepulturam non eligat, videtur eligere ſepulturam mariti. Aſt quando proditoriè eſt interfecta à viro, nequit conſiderari talis dilectio: Ergo dicendum, non elegiſſe ſepulturam viri, ſed Majorum, ad ſepeliendum. Deinde propter viri ſævitiam poteſt mulier à viro ſeparari, & propria authoritate fugere. Barboſa *in rubric. ff. ſolut. matrimon. 2. part. nu. 23.* Sanchez *de matrimon. lib. 10. diſp. 18. à nu. 3.* Ergo propter mortem proditoriam rectè poterit ab eo ſeparari poſt mortem: tenet etiam *dict. §. 9. nu. 179.*

45 Doctrina tamen iſta duobus modis eſt examinanda. Primò quando maritus uxorem interfecerit proditoriè, & abſque aliqua cauſa; non enim maritus valet ſævire adversùs uxorem, nec graviter caſtigare, ſed tantùm magna cautela; & cauſa leviter verberare, ut de Præceptoribus traditur *l. 4. §. fin in fine, l. Præceptor, ff. ad l. Aquil. c. 2. ut lit. pendent. cap. Litteras 13. cap. Extranſmiſſa 8. de reſtit. ſpoliat.* ubi communiter DD. eſt elegans textus D. Pauli *ad Coloſſ. epiſt. 3. verſ. Viri diligite uxores veſtras, & nolite eſſe amari ad illas.* Unde Chryſoſt. *homil. 26. in epiſt. 1. D. Pauli*, ſic ſcripſit: *Manſuetè regendam uxorem, non cum tyrannica auſteritate; verbis, & non verberibus; amore, non timore; dulcedine, non amaritudine.* Plutarchus *in vit. Marc. Antonii*, Tiraquellus *l. 8. connub. gloſſ. 1. nu. 10.* Quenca *lib. de ſui perſonali def enſ. quæſt. 1. num. 20.* Fragoſo *de Republic. tom. 3. lib. 3. diſp. 6.* In hoc enim caſu, ſi maritus habuerit propriam ſepulturam, aut præparatam in ſua vita, in ea de jure eſt ſepelienda uxor. Villalobos *dict. difficult. 2. num. 9.* Riccius *4 part. reſol. 294 nu. 24.* Marchetus *d. §. 1. nu. 177. At ſi moriatur:* & etiamſi occiſor maritus conſentiat, neutiquam eſt ſepelienda in ejus ſepultura, ſed in ſepultura Majorum, propter rationes Samuelis. Tum quia ob grave delictum interficiendi uxorem, redditur indignus, ut poſt mortem cum uxore injuſtè occiſa requieſcat. Tum quia quando occiderit mulierem, etiam in adulterio deprehenſam, privatur lucro dotis. Rolandus *de Dot. lucro, quæſt. 61.* Boerius *deciſ. 24. nu. 10.* Phanutius *de Dot. lucro, gloſſ. 14. num. 4.* Ergo ſi injuſtè occiderit, privabitur, ne ſolatium percipiat requieſcendi cum uxore propria.

46 Si verò in adulterio deprehenſam occiderit, major eſt difficultas, an ſit ſepelienda in ſepultura viri? Et ratio dubitandi eſt, nam in caſu antecedenti, ideò in ſepultura Majorum mulier eſt ſepelienda, quia proditoriè, & injuſtè fuit uxoricida, & commodo illo privatur requieſcendi cum uxore. Aſt in ſpecie, in foro fori rectè interfecit, jure permittente, *l. Marito, ff. ad l. Jul. de adult. l. Gracchus 4. C. eod. tit. l. 1. tit. 7. lib. 4. for. l. 1. tit. 20. lib. 8. recopilat.* Gomez *in l. 82. Tauri, nu. 47.* & in foro Poli abſque ulla culpa idem admittunt quamplurimi, ſi zelo juſtitiæ, & in bonum Reipublicæ uxorem interficiat in adulterio deprehenſam, quia id facit ut Miniſter Juſtitiæ. Caſtillo *in l. 82. Tauri, num. 6.* Azevedus *in l. 1. tit 20. lib. 8. Recopilat. in fin.* Gomez *in d. l. 82. Tauri, nu. 52. in fin.* Clarus *lib. 5. ſent. §. Homicidium, verſ. Sed hæc quidem.* Thomas Hurtado *var. reſol. tom. 2. tract. ult. §. 7. nu. 204.* Molina de Guzman. *verit. 27. per tot.* & dicit probabile Leſſius *de Juſt. lib. 2. cap. 9. dub. 12.* Ergo cùm in ſpecie licitè, & juſtè interfecerit, tam in uno, quàm in altero foro, non benè commodo iſto privabitur.

47 Sed in re dicendum cenſeo, minimè eſſe ſepeliendam in ſepultura viri, ſed in ſepultura Majorum. Et ratio eſt, nam licèt in foro exteriori maritus occidens mulierem minimè ſit puniendus, quia id jure humano permittente fit, exiſtimante calore iracundiæ illam interfeciſſe; attamen revera ſemper mors eſt proditoria, & cum graviſſima lethali culpa, ut probatur apertè *in cap. Admonere 8. cap. Interfectores 5. cap. Quicumque 7. cap. Si quod 9. 33. quæſt. 2.* ubi graviſſimum ſcelus oſtenditur eſſe uxorem interficere, licèt culpa adeſſet ex parte illius. Et eleganter probat Baſilius Pontius *lib. 9. de Matrimon. cap. 15. & de impedimentis cap. 34.* Navarrus *in Man. cap. 15. num. 13.* Covarruv. *in 4. 2. part. §. 7. à nu. 8.* Diana *3. part. tract. 4. reſol. 223.* Barboſa *in collect. ad textum in cap. Inter hæc 33. quæſt. 1.* ubi pro hac opinione refert 42. DD. Anton. Pich. *in Manuduct. ad praxim, 3. part. verbo Adulterium, nu. 4.* Leſſius *d. cap. 9. dub. 12.* quapropter ſicut in primo caſu mulier non eſt ſepelienda in ſepultura mariti, ſed Majorum, ſimiliter in iſto. Cæterùm, ſi maritus conſentiret, & intentaret, ut in ſua ſepultura ſepeliretur, ſtat ex parte mulieris diſplicentia præſumpta, ut tam rigidè occideretur abſque Judice, & cauſa ejus non audita; nam in quamplurimis caſibus, etiamſi adultera fuerit, nequit etiam in foro fori à marito occidi, ſcilicet ſi maritus etiam adulter fuerit, *cap. Nihil iniquius 1. 32. quæſt. 6.* ſi maritus leno ſit, permittens adulterium, *l. 1. §. Lenocinii, ff. ad l. Jul. de adult. l. Palam 43. §. Lenocinium, ff. ad l. Jul. de adult. Auth. de lenonibus, per tot.* vel quando mulier vim paſſa eſt, *cap. Itane 3. 32. quæſt. 5.* vel quando ſub ſpecie mariti aliquis cum ea rem habuerit, *cap. In lectum 6. 34. quæſt. 1.* nec quando exiſtimabat, maritum defunctum eſſe, *cap. Cùm per bellicam 1. ead. cauſa, & quæſt.* aut quando maritus adulterandi cauſam præbuit, *cap. Diſcretionem 6. de eo qui cognovit conſang.* De his caſibus eſt textus *in l. 7. tit. 17. part. 7.* Cantera *Quæſt. criminal. tit. de adult. à num. 41. uſque ad 52.* Ergo non eſt ſepelienda in ſepultura viri, ſed in ſepultura Majorum: ſi enim cognati voluerint eam ſepelire in ſepultura viri, & maritus diſſentiat, ſimiliter id non eſt agendum; cederet enim in gravem viri injuriam conquieſcere cum muliere tale facinus adversùs eum perpetrante: unde ſemper eſt ſepelienda in ſepultura Majorum, non tamen viri injuriati.

Sed dices, in caſu quo maritus conſentiat; ut uxor occi- 48
ſa in ſua ſepultura ſepeliatur, ſaltem conſentiente marito, erit ibidem ſepelienda; nam tunc videtur remiſiſſe injuriam, prout quando jam ſententia lata de adulterio, cum ea fuerit reconciliatus, ut diximus *ſuprà*. Sed reſpondetur, diſparem eſſe rationem; nam licèt lata ſententia de adulterio, ſi uxor, & maritus reconcilientur; poſſit uxor ſepeliri in ſepultura viri, tunc ſtat ſolùm injuria mariti jam remiſſa ex reconciliatione: aſt in præſentia ſtat non ſolùm injuria mariti, ſed injuria mulieris abſque judice interfectæ, de qua non conſtat remiſiſſe injuriam; quamobrem non currit paritas.

Deinde, ſi uxor in aliqua rixa cum viro ab eo fuerit in- 49
terfecta, ſimiliter eſt dicendum, non eſſe ſepeliendam in ſepulturam viri. Marchetus *dict. §. 9. num. 179. verſ. Idemque.* Verùm in re magnoperè conſiderandum, ne in rixa caſu mors acciderit; tunc enim ſepelienda eſt in ſepultura viri, prout ſi quolibet modo caſualiter, & per accidens, abſque culpa maritus uxorem occiderit. Marchetus *ubi proximè*.

Si verò uxor adhuc vivente marito decedat, nec mari- 50
tus habeat propriam ſepulturam, nec ſibi præparatam, erit in Parochia tumulanda, nec ſufficiet poſt mortem illius deſignari à marito, quia jam eſſet in fraudem Parochiæ, nec ipſe poſt mortem valet eligere ſepulturam, quam ſua uxor non elegit. Riccius *dict. reſol. 194. num. 24.* Marchetus *d. §. 9. num. 178.* Si verò uxor habuerit ſepulturam Majorum, non in Parochia, ſed in Majorum ſepulchro, viro vivente, eſt ſepelienda. Samuel *d. diſput. 5. controverſ. 2. concluſ. 2.*

Eſt tamen caſus ſpecialis, ut mulier non ſepeliatur in ſe- 51
pultura viri, nempè quando de facto fuerit ſepultus, non verò de jure, veluti quando deceſſerit hæreticus, vel excommunicatus, erit tunc ſepelienda in ſepulchro Majorum, aut in Parochia, ſi illud non habuerit; nam tunc maritus non habet ſepulturam, qua de jure eſt privatus. Ubaldus *d. cap. 9. nu. 25.* Medicis *dict. quæſt. 4. nu. 26.* Lavor. *d. cap. 11. num. 136.* Samuel *d. controv. 3. concluſ. 7. nu. 10.* Marchetus *d. §. 9. nu. 178.*

Quando maritus non habuerit propriam ſepulturam, 52
jam uxore defuncta, non eſt ſepeliendus cum uxore, quia non ſequitur domicilium uxoris. Medicis *d. quæſt. 7. n. 26.* Lavor. *d. cap. 11. nu. 140.* Antonellus *dict. cap. 12. §. 1. num. 13.* Rodriguez *in Summa, cap. 130. num. 13 in fin.* Nicolius *in Floſcul. verbo Sepultura, num. 4.* Marchetus *dict. §. 9. num. 189.*

Verùm hanc communem doctrinam difficiliter admitto 53

Et ratio eſt, nam illa principalis ratio, ut uxor ſepeliatur in ſepultura viri, eſt quia per matrimonium facti ſunt una caro, & quos Deus conjunxit, homo non ſeparet, ut expendit Samuel *d. diſput. 5. controverſ. 2. concluſ. 2. nu. 5.* Valenſis *in Parat. ad tit. de Sepult. §. 4. nu. 6.* Sed hæc ratio non ſolùm concludit, ut uxor ſepeliatur in ſepultura viri, ſed etiam quod vir in ſepultura uxoris ſepeliatur; nulla enim eſt diſparitas: Ergo ſicut uxor moriens non electa ſepultura, ſepeliri debet in ſepultura viri, ſimiliter vir in ſepultura mulieris. Cæterùm ratio domicilii habet vim, quando mulier tantùm fuiſset traducta ad domum viri, abſque conſummatione matrimonii, quia tunc nequit aliud conſiderari, ut ſepeliatur in ſepultura viri. Samuel *d. controverſ. 3. concluſ. 5. num. 7. & 8.* Lavor. *d. cap. 11. num. 133.* Aſt quando matrimonium eſt conſummatum, ſolùm proſpicitur, quod ſint una caro. Lavor. *n. 132. ubi proximè.* Ergo licèt maritus non ſequatur domicilium uxoris, ſi tamen matrimonium fuerit conſummatum, ex eò quod fiant una caro, debet vir ſepeliri in ſepultura uxoris. Denique probatur ex conjecturata defuncti voluntate; nam ex eo quod maritus in charitate, pace, & amore cum uxore vixerit, præſumendum eſt, ex eo quod non elegerit ſepulturam, voluiſſe cum uxore ſepeliri: & à majoritate rationis probatur; nam ſi quis habet ſepulchrum Majorum, non electa ſepultura, ſepelitur in ſepultura Majorum, quia pro affectione, & dilectione eorum præſumitur illam elegiſſe, ut diximus ſuprà, *à n. 26.* Aſt major dilectio eſt inter virum, & uxorem, prout eſt amor major propriæ carnis. Ergo præſumendum, ex eo quod non elegit ſepulturam, voluiſſe cum uxore ſepeliri.

54 Hæc fundamenta non levia videntur. Hanc ob rem cum diſtinctione admitto communem ſententiam Doctorum, quod ſi mulier tantum traducta fuerit ad domum mariti, nec eam cognoverit, tunc maritum non eſſe ſepeliendum in ſepultura uxoris, quia vir non ſequitur domicilium uxoris. Si verò matrimonium fuerit conſummatum, & maritus non eligat ſepulturam, exiſtimo ſepeliendum in ſepultura uxoris, ob fundamenta ſupra recenſita, quæ non levia mihi videntur. Et placuit Abbati *in cap. De uxore, de Sepult. nu. 7.* & non diſſentit Trullench *d. dub. 4. nu. 4.* quatenus contrarium dicit verius.

55 Sed dices cum Villalobos *d. tract. 31. difficul. 2. num. 10.* & cum Sylveſtro *verbo Sepultura, num. 8. verſ. Si autem ipſa uxor*, jura ſolùm diſponere, ut mulier ſepeliatur in ſepultura viri, non verò, ut vir ſepeliatur in ſepultura uxoris, quia id valdè indecens eſſet, ut maritus, qui eſt caput mulieris, *cap. Unaquæque 3. 13. quæſt. 2.* ſequatur diſpoſitionem mulieris. Ergo ſi mulier prædecedat, maritus non eſt ſepeliendus in ſepultura uxoris. Sed reſpondetur, nullum adeſſe textum decidentem, maritum non eſſe ſepeliendum in ſepultura uxoris, quando non elegerit ſepulturam, & matrimonium fuerit conſummatum; & licèt dicant, mulierem eſſe ſepeliendam in ſepultura viri, non tamen negant, virum non eſſe ſepeliendum in ſepultura uxoris, nec ulla conſequentia firma ad id inveniri valet id prohibens. Nec aliud fundamentum indecentiæ ſolidum eſt; nam licèt aliquid adeſſet in aliis materiis, ut notant Scribentes *in l. Si ita ſcriptum 45. ff. de legat. 2.* non tamen quando ex mutuo amore, charitate, & vitæ conjunctione ſepelitur maritus cum uxore, tamquam eum carne ſua; & adimpletur præceptum Domini, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Adam, & Eva, ambo ſimul ſepulti ſunt, ſicut & alii Patriarchæ cum uxoribus ſuis. Urrutigoyti *cap. 17. num. 23.* Et S. Hieronymus ſcripſit, conjugatos in uno ſepulchro eſſe ponendos, *cap. 1. §. Nunc, 13. quæſt. 2.* Quod aliquando Deus Optimus Maximus demonſtravit apud Scotos; nam cùm Alexander eorum Rex vellet transferre reliquias S. Margaritæ Deuformilenſis, ejus proavæ, & cùm ducerentur per ſepulchrum Malcolmi ſui mariti, arca ubi ferebantur ſic ſepulchro adhæſit, ut nullo modo ab eo dimoveri potuerit. Tunc venerabilis quidam ſenex clamavit. Sereniſſimam Reginam, quæ reciproco amore cum viro ſemper vixerat, cum illo velle permanere; quod ita adſervatum. Pineda *lib. 28. Man. cap. 28. §. 1.* Eſt enim decentiſſimum, ut in eodem ſepulchro vir, & uxor, tamquam amoris conjugalis exemplum tumulentur, & de alio Rege Scoto, tranſeunte defuncto per ſepulchrum uxoris, ſcribunt Hiſtorici immobilem permanſiſſe, quouſque ambo fuerunt in eodem ſepulchro tumulati, prout etiam tumulatos habemus Granatæ D. D. Ferdinandum Catholicum cum ſua uxore Eliſabeth, Principes nuſquam ſatis laudatos. Mariana *lib. 30. Hiſt. Hiſpanic. c. 27.* Illeſcas *lib. 6. Pontifical. cap. 4. §. 4. F.* Antonius à S. Maria *Eſpana Trionfante, cap. 34. in fin.* Ergo cùm nulla indecentia poſſit conſiderari, verùm exemplum charitatis, & amoris conjugalis, ſi maritus, defuncta uxore, deceſſerit, non electa ſepultura, rectè ſepelietur in ſepulchro uxoris.

Rurſus de filiorum ſepulturis aliqua ſunt dicenda. Jam ſuprà diximus, filium non eligentem ſepulturam, ſepeliendum eſſe in ſepultura patris, non verò Majorum, ſuppoſita illius exiſtentia: remanet tamen addendum, exiſtente patris ſepulchro, non ſolùm ad intelligendum de filio legitimo, verùm etiam de naturali, dum tamen pater non fuerit in dignitate conſtitutus, ne argueretur patris incontinentia in ejus dedecus. Sà *in Summa, verbo Sepultura, n. 1.* Ubaldus *d. cap. 9. n. 13.* Villalobos *dict. difficult. 2. n. 6.* Marchetus *dict. tit. 38. §. 8. nu. 167.* Spurius verò cum patre ſepeliendus non eſt, niſi per patris contemplationem in ejus vita fuerit legitimatus à Principe; ſi verò poſt mortem illius fuerit legitimatus; dummodò in vita pater non petierit, ſepeliendus eſt in tumulo matris. Lavorius *dict. cap. 11. num. 112.* Antonellus *d. cap. 12. §. 1. n. 9.* Villalobos *dict. nu. 6.* Valenſis *in Parat. ad tit. de ſepulturis, §. 4. nu. 5.* Si verò mater fuerit illuſtris, id non erit obſervandum, quia eis non ſuccedunt, & ne illuſtris defuncta dehonoretur, ut tenent relati. Quo quidem caſu, aut quando mater cognita non fuerit, jam legitimatus in ſepulchro Majorum ſepelietur, cùm omnes familiæ jus ibidem habeant ſeſe ſepeliendi. Medicis *d. quæſt. 7. nu. 22.* Riccius *4. part. reſol. 294. num. 4.* Marchetus *d. num. 167.* Trullench *d. cap. 9. dub. 4. nu. 5.* 56

Filius exhæredatus ſepeliendus eſt in ſepulchro patris, ſi ipſe pubes non elegerit ſepulturam, *l. Si quis fuerit 33. ff. de Relig. & ſumpt. funer.* quod idem extendunt DD. ad filium hæreditati paternæ renuntiantem. Medicis *d. quæſt. 7. num. 22.* Riccius *dict. reſol. 294. num. 5.* Lavor. *d. cap. 11. num. 112. verſ. Ampliatur:* qui omnes id explicant, niſi ſepulchrum fuerit hæreditarium, ad cujus jus conſequendum requiritur, ut ſit hæres neceſſarius, ut dictum eſt ſuprà, & in ſpecie Marchetus *dict. §. 8. num. 167. verſ. Sepelitur.* 57

Sed tamen, etiam in ſepulchro hæreditario tenenda eſt illa ſententia, ex illo principio, quod licèt in ſepulchro hæreditario nemo jus habere poſſit, qui non ſit hæres; attamen excipiuntur liberi, & cæteri deſcendentes, niſi mala mente exhæredentur, ut diximus ſuprà. Paulus Caſtrenſis *in l. Si Sepulchrum, Cod. de Religioſ. & ſumpt. funer.* Medicis *de Sepultur. 1. part. quæſt. 4. nu. 6.* quapropter etiamſi filius exhæredatus fuerit, aut hæreditati renunciaverit, jus hæreditari ſepulchri retinet, & poterit ſepeliri in ſepulchro hæreditario ipſius patris. Illud verò explorati juris eſt, quod ſi pater damnetur de crimine Læſæ Majeſtatis, filii nequeant ſepeliri in ſepulchro patris; quia iſto caſu jura ſepulchrorum non tranſeunt ad filios, ut notatur *in cap. 1. §. Interdum, ff. de ſuis, & legitim. hæred.* Medicis *d. quæſt. 7. nu. 22. in fin.* Lavor. *d. cap. 11. nu. 112. in fin.* Samuel *de ſepultur diſput. 1. controv. 4. nu. 6.* Marchetus *d. §. 8. num. 167. verſ. Sepelitur, in fin.* 58

Filius impubes ſi eligat ſepulturam, & tamen pubes factus non ratificaverit, electio remanet nulla, quare in ſepultura patris eſt ſepeliendus. Medicis *1. part. quæſt. 8. num. 3.* Ubaldus *de can. paroch. cap. 11. num. 1.* Filius tamen vulgò quæſitus, in ſepultura matris ſepeliendus eſt, dummodò illuſtris non fuerit: ſi tamen mater ſepulturam non habuerit, in Parochia ſepelietur, ut cum Ubaldo, & aliis tenet Marchetus *d. §. 8. n. 168.* 59

Filius adoptivus, vel adrogatus, ſi vivente patre adoptante, vel adrogante decedat, in ſepultura illius eſt ſepeliendus; ſi tamen ſepulturam non habuerit, ſed ſuorum Majorum, in illa ſepelietur adoptatus. Secus verò dicendum, ſi poſt ejus mortem decedat; nam finita adoptione, ſeu adrogatione, jura ex ea provenientia finiuntur, *l. in omni 13. ff. de adoption.* quare aut erit ſepeliendus in ſepultura patris naturalis, aut in Parochia, juxta formam traditam *in c. Licèt pater 4. de ſepultur. in 6.* Tenent Lavorius *d. cap. 11. n. 124.* Antonellus *d. c. 12. §. 1. n. 10.* Samuel *d. diſp. 5. contr. 1. concluſ. 14. nu. 26.* Riccius *d. reſ. 294. n. 18.* Marchetus *d. §. 8. nu. 170.* Villalobos *d. difficult. 2. n. 5. in fin.* Trullench *d. dub. 4. n. 5.* 60

His

61 His generaliter dictis, transeamus ad agendum in particulari de aliquibus descendentibus absque electione sepulturæ. Et in primis adsit Summus Pontifex; si enim Papa, non electa sepultura decedat, sepelietur in Ecclesia Cathedrali illius loci, ubi cum sua Curia residet; nam est propriè tamquam sponsus Ecclesiæ Cathedralis, & ideò sepelitur in Cathedrali, tamquam alii Episcopi. Si verò resideat cum Curia Romana, & ipse ab eo loco recedat ob aliquam causam, Curia remanente in primo loco, si defunctus fuerit, defertur ad locum ubi est Curia, & in Cathedrali sepelitur, argumento textus *in c. Is qui* 4. *de Sepult. in* 6. Potest etiam accidere, ut Sed. vac. Cardinales qui Romæ adsunt Ultramontanum Pontificem eligant, qui si in itinere decedat, tunc est sepeliendus in Cathedrali illius loci, ubi è vita migravit; nam per electionem consequutus est jura Apostolicæ Dignitatis, & reputatus est Ordinarius Ordinariorum, *cap. Licèt 6. de Elect.* Aliquando verò accidit quod Papa Papatui renuntiet, ut fecit Celestinus, *c. 1. de Renunciat. in* 6. qui si Romæ moriatur, ibidem sepelietur, ob reliquias præcedentis dignitatis; si autem recedat de Curia, & vitam eremiticam elegerit, aut decedat peregrinus, sepelietur in loco, ubi decessit. Ubaldus *d. cap.* 19. *n.* 28. Medicis *de Sepultur. 1. part. q. 7. n. 2.* Lavorius *dict. cap. 11. nu.* 44. & 45. Samuel *d. disp. 5. controvers. 11. per tot.* Quod ita explicandum censeo, ut si moriatur ubi est Ecclesia Cathedralis, ibi sepeliatur; nam negandum non est, etiam renuntiato Papatu, veneratione magni Principis adhuc dignum esse, & sicut alii Principes etiam sæculares intuitu dignitatis, si sepulturam non elegerint, in Cathedrali sepeliuntur, Riccius *d. resol.* 294. *nu.* 16. Antonellus *d. cap. 12. §. 1. nu.* 17. Samuel *d. disput. 5. controvers. 9. nu.* 1. Similiter dicendum est, si Papatui renuntiavit Pontifex: quare si ubi moritur, adsit Cathedralis, aut commodè haberi possit, ad illam est deferendus. Tandem ex eo quod habuerit tam eminentem dignitatem, semper cum vestigiis tanti honoris remanet; idcircò summa veneratione tractandus, & in Cathedrali sepeliendus est.

62 Cardinalis, si in Curia decedat, in Ecclesia Cathedrali S. Joannis Later. est tumulandus. Ratio est, nam ibidem videtur habere domicilium, ubi Papa residet, cùm continuè in consiliis cum eodem assistat, juxta *cap. Fundamenta* 17. §. *Decet, de elect. in* 6. Ergo in Cathedrali est sepeliendus. Quod idem dicendum, si ob intemperiem aeris extra Romam decedat, vel in Curia, Sede vacante; si tamen depositus fuerit, aut renuntiaverit, in Parochia sepelietur. Medicis *d. quæst. 7. nu.* 3. Lavorius *d. cap. 11. à n.* 47. Passerinus *tom. 2. de Stat. quæst. 187. inspect. 4. cap. 3. nu.* 320. Si tamen Cardinalis extra Romam in aliquo Episcopatu decedat, in Cathedrali est sepeliendus, ut de facto testatur Marchetus *d. tit. 38. §. 2. à nu.* 100. Samuel *d. disp. 5. controv. 21. à conclus. 6.*

63 Legatus, si in itinere decedat, antequam intret Provinciam, est in Cathedrali sepeliendus: si jam est in Provincia, in Cathedrali ubi moritur, quia quasi Episcopus illius censetur. Si tamen sit Legatus in duabus Provinciis, in ea ubi moritur, erit tumulandus: quibus honoribus frui debet, donec Romam redeat, quia tamdiù videtur durare officium Legationis, *l. fin. de offic. Proconsul.* Medicis *dict. quæst. 7. num. 4.* Lavor. *dict. cap. 11. à num.* 49. Quod idem dicendum de Nuntiis Sedis Apostolicæ. Medicis *nu.* 5. & Lavor. *num.* 50. Samuel *dict. controv. 51. à conclus. 9.* Passerinus *nu.* 321.

64 Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, non electa sepultura decedentes, sepeliuntur in suis Cathedralibus; ratio enim est, quia ibi videntur habere domicilium, ubi residere tenentur. Concilium Tridentinum *sess. 23. de Reformat. cap. 21.* Si tamen extra civitatem, ubi Cathedralis est, moriantur, ad illam transferuntur. Quod quidem ita intelligendum, si commodè possint deportari. Unde Samuellius *d. controvers. 11. conclus. 13.* affert exemplum de duobus Episcopis in sepulchris Majorum sepultis, qui absentes commodè ad propriam Ecclesiam transferri non potuerunt. Medicis *d. q. 7. n. 6*, Lavorius *d. cap. 11. à nu.* 51. Antonellus *d. cap 12. §. 1. nu. 28.* Barbosa *de offic. Episcopi, 3. part. allegat. 114. nu.* 40. ubi etiam dicit, Episcopi coadjutores in eadem Ecclesia Cathedrali esse sepeliendos. Marchetus *d. tit. 83. §. 2. n. 92.* Villalobos *d. difficult 2. nu. 11.* Trullench *d. cap. 9. dub. 4. nu. 7.*

65 Si verò Episcopus extra suam Diœcesim decedat, sepeliendus est in Ecclesia Cathedrali; id enim congrui tantæ Dignitati, ut qui sponsus est Cathedralis, non nisi in Cathedrali sepeliatur. Et de facto testator Marchetus *d. §. 2. n. 93.* Si verò ibidem habuerit sepulchrum Majorum, secundùm Samuelem *n. 61. cit.* rectè ibidem poterit sepeliri. Consentit Marchetus *n. 96.* quorum sententiam admitto, si suorum Majorum sepulchrum sit decens, & virorum illustrium, aliàs si infimæ, aut mediæ sit sortis, id non est agendum, ne aliquo modo sacra dignitas Episcopatus dedecoretur. Ast semper decentius erit, si fieri possit, ut Episcopi, etiam longè decedentes, ad suas proprias Ecclesias tumulanda asportentur. De qua re apud Hispanos duo singularia habemus exempla. Primum Eminentissimi Cardinalis D. Ægidii de Albornoz, qui cùm apud Italos decederet, transportatus est ad suam Ecclesiam Toletanam. Secundum Serenissimi Principis, & Eminentissimi Cardinalis D. D. Ferdinandi de Austria, apud Belgas defuncti, translati ad ipsam Ecclesiam Toletanam, utpotè perpetui Administratoris illius.

Si verò Episcopus in partibus decedat, unde commodè 66
deportari nequit ad Ecclesiam suam, nec adest nisi Ecclesia Collegialis, ibi est sepeliendus. Si verò ista non adsit, in Parochiali sepelitur in honoratiori loco. Samuel *d. controvers. 11. n. 18.* Lavor. *d. cap. 11. n. 55. in fin.*

Quid verò si Episcopus, aut alius Prælatus habuerit duos 67
Episcopatus cum duabus Ecclesiis Cathedralibus, & moriatur non electa sepultura, in qua duarum sit sepeliendus, dubitatur. Et aliqui dixerunt, tumulandum in Ecclesia illa, in qua degebat; nam cùm ibi recipiebat Sacramenta, necessariò debet ibi sepeliri: tum ob majorem illius frequentiam, & devotionem præsumitur ibidem velle sepeliri; electio enim sepulturæ non est semper facienda expressè, sed sufficit fieri tacitè. Ubaldus *de Can. c. 6. n. 18.* Gratianus *discept. cap. 95. nu.* 74. quapropter sufficit ex his conjecturis suscipere, velle ibidem sepeliri. Gratianus *d. nu.* 74. Rota *apud Seraphin. decis. 1135. nu. 3.* Sperellus *decis. 87. nu. 6.* Hanc ob rem Episcopus in Cathedrali, in qua degebat, erit sepeliendus. Archidiaconus *in cap. Is qui, de sepult. in* 6. Villalobos *d. difficult. 2. num. 11.* Urrutigoyti *de Ecclesia Cathedral. cap. 17. n. 240.*

Alteri verò faciunt distinctionem, nempè quando duos 68
Episcopatus habuerit Episcopus, ex dispensatione unitos accessoriè; & tunc inquiunt, in principali Ecclesia esse sepeliendum, quia per accessionem tantùm ipsa principalior est, *cap. 1. Ne Sed. vacant.* Si verò æquè duo illi Episcopatus uniantur à Pontifice, tunc sepeliendus erit in Cathedrali, ubi degebat. Barbosa *d. allegat. 114. nu.* 40. Antonellus *d. §. 1. nu. 28.* Medicis *d. quæst. 7. nu. 6.* Marchetus *d. §. 2. n. 97.* Passerinus *d. cap. 3. n. 323.*

In hoc dubio dicendum, hanc distinctionem admitten- 69
dam, nempè quando unus Episcopatus est unitus accessoriè, aut quando æquè principaliter. Primo enim casu benè resolvunt DD. isti, in Ecclesia Principali esse sepeliendum. Ratio est, nam ibi debet residere, & consequenter habet domicilium: quamobrem ibidem erit sepeliendus, nisi adsint conjecturæ, voluisse eligere sepulturam in Ecclesia accessoria; quia tunc per tacitam electionem erit ibidem sepeliendus.

Tota igitur concertatio relinquitur in alio membro di- 70
stinctionis, nempè quando illæ duæ Ecclesiæ Cathedrales unitæ sunt æquè principaliter, quæ quidem unio fit tantùm quoad titulum, ut sint ambæ sub uno Episcopo, *cap. Et temporis* 48. 16. *quæst. 1.* In quo quidam dicunt, sepeliendum esse Prælatum in illa Ecclesia, quæ prima in titulo inscribitur, *ex l. Cùm pater* 77. *§. penult. ff. de legat. 2. cap. penultimo, §. Verùm, de elect. lib.* 6. Alteri inquiunt, apud antiquiorem esse sepeliendum, *cap. 1. de Parochis, cap. Is qui de sepult. in 6. l. In finalibus, ff. fin. regund.* Alii verò dicunt, recurrendum esse ad conjecturas, nempè si Episcopus in aliqua earum decedat, unde videatur ibi elegisse sepulturam; aut si in altera earum frequentiùs degisset, unde percipiatur, ibidem sepeliri voluisse, ut cum Zabarella tenet Lavorius *d. c. 11. à n. 55.* Samuel *d. controv. 11. à conclus. 15.*

In re tamen dicendum, consuetudinem in his casibus du- 71
biis prospiciendam esse, quæ multùm valet in materia sepulturæ. Sperellus *decis. 87. num. 14.* quare si consuetudo sit, ut Episcopus in una istarum Ecclesiarum sepeliatur, ibidem est tumulandus, etiamsi sit modernior. Urrutigoyti *cap. 17. num. 245.* Similiter dicendum, quando ex aliquibus conjecturis ostenderet Episcopus voluisse in aliqua illarum

Eccleſiarum ſepulturam eligere, nempè propter aſſiſtentiam, frequentiam, & devotionem; tunc enim ibi tumulandus erit, ut dicunt Lavorius, & Samuellius jam recenſiti *nu. antecedenti*. Si tamen nullæ adſint conjecturæ, quia Epiſcopus æqualiter pro parte anni in utraque reſidebat, & æquali devotione frequentabat, tunc tumulandus ubi deceſſit, prout diximus ſuprà de habente æqualiter duas Parochias in civitate, & ruri. Si verò habitationem habuerit in confinio duorum Epiſcopatuum, ubi poterat æqualiter his duabus Eccleſiis inſervire, alternis vicibus ſepultura eſt Epiſcopo concedenda; ita ut ſi ultimus Epiſcopus in una Cathedrali eſt ſepultus, conſequenter alter in altera, ſicut eſt obſervandum cum habitante in confinio duarum Parochialium, ubi æqualiter eſt Parochianus. Sperellus *d.dec.87.nu.16*. Si tamen nova ſit unio, nec hæc alternatio fieri valeat, tunc inter duas illas Eccleſias eſt concedenda prævention, quia æquali jure concurrunt, ut in Parochis diximus ſuprà, Ubaldus *d.cap.9.nu.2.* & 3. Marchetus *d.tit.18. §. 1. à n.19*.

72 Dignitates, Canonici, & alii Beneficiati portionarii Eccleſiæ Cathedralis, in Eccleſia Cathedrali ſunt ſepeliendi; nam Cathedralis eſt Parochia totius Diœceſis, & cùm ibi Dignitates, Canonici, Portionarii perpetuò reſideant, inde eſt, ut in illa debeant ſepeliri, quoties ſepulturam non eligant. Ugolinus *de offic. Epiſcopi, 1.part.cap.17.n.8*. Fuſcus *de Viſit.lib.1.cap.25.nu.12*. qui id extendit, etiamſi Dignitas, aut Canonicus habuerit Parochiam annexam ſuæ Dignitati, aut Canonicatui, quia quod principale eſt, inſpicitur, Ubaldus *d. cap.9. nu.38*. Medicis *d.quæſt.7.num.8*. Marchetus *d.tit.38.§.1.n 42*. Lavorius *d.cap. 11.n.62*. Paſſerinus *d.cap.3. nu.325*

73 Eſt tamen dubium, an quando Canonicus habitat in aliqua Parochia, & ibi recipit Sacramenta, ſit tumulandus in Cathedrali. Prima ſententia negat; nam in Parochia habet domicilium, & percipit Sacramenta. Ergo in ea debet ſepeliri, non in Cathedrali. Cæterùm, quia Parochia habet ſuam intentionem fundatam ad ſepelienda cadavera, quæ intra limites illius inveniuntur, quod non ita habet Cathedralis. Ergo Canonicus debet ſepeliri in Parochiali ubi degit, non verò in Cathedrali, ut tenent aliqui apud Ubaldum *2.p.c.9.à n. 28*. Ancharanus *conſ. 369*. Lavorius *d.cap.11.à nu 77*.

74 Secunda ſententia communior eſt, tenens contrarium, nam Canonicus eſt intitulatus in Eccleſia Cathedrali, & de jure ibidem debet ſepeliri. Tum, nam licèt in Parochia degat, non eſt Parochianus illius, nec ibidem percipit Sacramenta, nec domicilium formale conſtituit, quia ut plurimum reſidet in Cathedrali, ut ex Calderino tenet Lapus *allegat 62.nu.4*. Ubaldus *d.cap.9.nu.36*. Ergo debet ſepeliri in Cathedrali, non in Parochiali. Tenent Lapus, Tuſchus, Antonellus, & Fuſcus, relati *hoc lib.cap.2.nu.5*. Samuel *d.diſp.5.controv.12 concluſ.11.n.14*.

75 Sed tamen in re dicendum, aliquando Eccleſiam Cathedralem non habere ſepulchra Canonicorum, nec determinatè, nec in communi; & in hoc caſu quæſtio non eſt, nam ex eo quod Cathedralis Eccleſia ſepulchra non habeat, in Parochia ſepeliendus eſt Canonicus, ubi habitabat, ut cum Paraleto tenet Marchetus *d.tit.38. §.2. nu. 46*. Nec erit etiam quæſtio, quando in Eccleſia Cathedrali Canonici recipiunt Sacramenta, & ibidem ex conſuetudine ſepeliuntur; nam debent in Cathedrali ſepeliri, ut tenent relati *nu. antecedenti*.

76 Erit ergo cardo difficultatis, quando Canonicus in Parochia recipi Sacramenta, præcipuè ſi infirmetur, & ad adimplendum annuum præceptum Confeſſionis, & Communionis: & in hoc caſu aſſerendum videtur, in Parochiali eſſe ſepeliendum; jus enim ſepulturæ firmatur radicaliter in Parochia, quia in ea recipiuntur Sacramenta. Trullench *de jure Parochi, cap.9.dub.1. nu.1*. & diximus ſuprà. Ergo erit ſepeliendus in Parochia. Verùm adhuc in hac ſpecie dico, non eſſe tumulandum Canonicum, niſi in Eccleſia Cathedrali: ſed quia Parochialis Eccleſia ei adminiſtrabat Sacramenta, quarta Parochialis Parochiæ debetur. Prima pars hujus aſſerti probatur, nam Canonicus eſt intitulatus in Cathedrali, per quem titulum ita eſt conjunctus cum ſua Eccleſia, ut tamquam unum cor, & anima una conferatur, *cap. Presbyteri 2. de pœnis, §.1.diſt.8. cap. Requiſti 15. §. Secus autem, de teſtament.* quapropter ratione tam ſtrictæ conjunctionis ſemper Canonicus eſt ſepeliendus in ſua Eccleſia, etiamſi alibi recipiat Sacramenta. Secunda pars probatur, nam ex eo quod Parochia Sacramenta Canonico adminiſtraverit, non eſt defraudanda ſuo labore, pro quo merces determinata eſt quarta, *cap.1.de teſtament. Clement. Dudum 2. §. Hujuſmodi, de Sepult*. Ergo pro adminiſtratione danda eſt quarta Parochiæ, ut benè docet Antonellus *d.cap.12.§.1.n.29*. Tondutus *tom.1.q. benefic. c.114. nu.14*. Barboſa *de offic. Parochi, 3.p.c.26.n. 36*. Urrutigoyti *d.c.19.n.15*.

Quid verò dicendum, ſi Canonicus habuerit ex diſpenſatione duas Præbendas in diverſis Eccleſiis, intra eumdem Epiſcopatum? Et communiter reſpondent DD. prævention locum eſſe; & ſi foret diſcordia, ad Ordinarium recurrendum eſt, *l. Si quis Sepulchrum 12. ff. de Relig. & ſumpt. fun*. Si verò habuerit diverſas Præbendas diverſæ Diœceſis, ſepeliendus eſt ubi moritur. Medicis *d.q.7.n.8*. Marchetus *d.§. 4. nu. 45*. Sed ad deciſionem hujus doctrinæ recolenda ſunt quæ ſcripſimus *n. 67*. 77

His de Eccleſis Cathedralibus prænotatis, de Collegialibus aliquid etiam eſt dicendum. Et in primis Præpoſiti, Abbates, ſeu Priores illarum, in eadem Eccleſia ſunt ſepeliendi, quia ibidem domicilium habere videntur, ubi reſidere tenentur: tum ibidem intitulati ſunt, & per cohærentiam cum Eccleſia ibidem ſepeliendi. Ac denique ibidem percipiunt Sacramenta, *cap. Cùm quis 2. de Sepultur. in 6*. quare ibidem ſunt ſepeliendi, niſi Prælati iſti inferiores ſuis Præbendis renuntiaverint. Lavorius *d. cap.11 n. 61*. Medicis *d.q.7. n.7*. Quod idem eſt dicendum de Canonicis, & Dignitatibus, ibidem Præbendas habentibus. Marchetus *d.§.2.nu.40*. Samuel. *de Sepult.d. diſput.5. controv. 13. concluſ 2.& 11*. 78

Rectores Eccleſiarum, non eligentes ſepulturam, in Eccleſiis ſuæ Rectoriæ, aut Parochiæ ſunt ſepeliendi, ob rationes, quas de Canonicis dedimus: ſi verò diſpenſatus fuerit ad habendas duas Parochias, aut Parochiam ſimul cum Canonicatu Eccleſiæ, ſepeliendus eſt ubi reſidebat, dummodò non ſit annexa Parochialis Canonicatui, aut dignitati; quia tunc in Cathedrali ſepelietur, ut dictum eſt ſuprà. Innocentius *in cap.1.de Sepult*. Medicis *dict. quæſt. 7.num.9*. Fuſcus *de Viſitat. lib.1.cap.25. num. 12*. Antonellus *dict.cap.12.§.1.num.31*. Samuel *d.controv.13. concluſ.3. à num. 4*. Quod quidem extendendum, etiamſi Rector, ſeu Parochus in aliena Parochia degat; nam in propria Eccleſia eſt ſepeliendus, non electa ſepultura, ut cum Paralet. docet Marchetus *d.§.2.nu.47. in fin*. Paſſerinus *d.cap.3. num.329*. 79

Quod de Rectoribus propriis diximus, idem dicendum de Vicariis perpetuis; ſepeliendi enim ſunt in propriis Eccleſiis, ubi ſunt Vicarii, quia aſſimilantur Rectori proprietario. *Clement.unica de offic. Vicarii*. Si verò Vicarius temporalis fuerit, aliter eſt dicendum; iſte enim ſepeliendus non eſt in Eccleſia, ubi ad tempus adminiſtrat: nam plenè ad illam translatus non eſt, nec domicilium mutaſſe videtur; ſed ſepelietur in ſepulchro Majorum, aut in Parochia. Medicis *dict.quæſt.7.num. 10*. Samuel *d. controv.13. concluſ.6.num.8*. Lauorius *dict.cap.11. num.89*. qui idem aſſerit de Vicario Epiſcopi. Paſſerinus *dict.cap. 3.num.330*. 80

Cæteri Beneficiati, aut Capellani, ſepeliendi ſunt in Eccleſiis ubi habent Capellanias, ſeu Beneficia: ſi verò Clerici ſint nulli loco addicti, aut Capellani amovibiles, in ſepulchro Majorum, ſi habuerint, ſepeliuntur, aut in Parochia ſunt tumulandi, quia ibidem recipiunt Sacramenta, à qua adminiſtratione multum pendet jus ſepulturæ. Barboſa *de offic. Paroch. 3.part.cap.26. num.34*. Ergo ibidem ſunt ſepeliendi. Antonellus *d.cap.12. §.1. num.32*. Lavorius *d.cap.11.nu.90*. Medicis *d.quæſt.7.n.11*. Valenſis *ad tit.de Sepult.§.2.nu.6*. Samuel *d.diſp.5 controverſ.9. concluſ.20*. 81

Abbates, ſeu alii Priores, aut Præpoſiti Religioſorum, in ſuis Monaſteriis ſunt ſepeliendi, quia ibidem videntur habere domicilium, cùm ibidem habeant reſidentiam, *cap. Statutum 11. de Reſcript. in 6*. Quod itidem eſt dicendum aliis Monachis profeſſis, qui debent in eiſdem Monaſteriis ſepeliri, ob eandem rationem. Lavorius *d c.11. num.61*. quod ita intelligendum, niſi Religioſus profeſſus præſit regimini alicujus Eccleſiæ; nam tunc ibi eſt ſepeliendus. Medicis *d.quæſt.7.num.15*. aut in Monaſterio, ſi fortè ibidem adfuerit. Lavorius *nu.92*. Sanchez *lib.6.Sum.* 82

cap.14. num.8. Passarinus *d. cap.3. num.*334. Si verò absentes fuerint, & ubi decedunt adest Monasterium sui Ordinis, ibidem sunt sepeliendi; aliàs si non adsit, in Parochia tumulantur, *cap.1. 16. quæst.1. c. fin. de sepultur. in* 6. Valensis *d.* §.2. *n.*5. Villalobos *d. tract.31. difficult.2. n.*31. Sanchez *in Summa, lib.*6. *cap.*14. *n.*4. Gratianus *in c.1. de Sepult. n.*6.

83 Hæc intelligenda, quando Religiosus professus fuerit extra claustra in remotis: si verò eligat sepulturam, ibi erit sepeliendus: nam licèt professus nequeat sepulturam eligere; quia non habet velle, nec nolle, *cap. fin. de Sepultur, in* 6. attamen id conceditur, quando est extra Monasterium in remotis, quia nequit commodè reportari ad Monasterium, ut cum aliquibus tenet Capponi *tom.*5. *discept.* 325. *n.*15. Barbosa *d.c.*10. *n.*30. Molina *de Iust. tract.*2. *disput.*214 *n.*3.

84 Novitius verò, si non elegerit sepulturam, in quo loco sit sepeliendus, dissensio est? Prima sententia asserit, non esse sepeliendum in Monasterio: nam plenè ad illud translatus non est, *cap Statuimus, de Regular.* quamobrem erit sepeliendus, vel in sepulchro Majorum, aut in Parochia, prout si ad Monasterium non fuerit translatus. Archidiaconus *in cap. Cùm quis* 2. *de Sepult. in* 6. Medicis *dict. quæst.*7. *num.*16. Ubaldus *dict. cap.*9. *num.*34. Lavorius *d. c.*11. *n.*99.

Secunda sententia tenet, in Monasterio esse sepeliendum nam Novitii in favorabilibus, tanquam professi censentur, & eisdem privilegiis fruuntur; ut cum Murga docet Caponi *d. discept.*325. *num.*4. Sanchez *in Summa, lib.*4. *c.*19. *à nu.*16. Ergo cùm Regulares ipsi ex suis Indultis tumulentur in Monasterio, similiter Novitii. Sylvester *verbo Sepultura, n.*8 Rodriguez *tom.*3. *Quæst. Regul. quæst.*6. *art.*1. Villalobos *dict. difficult.*2. *num.*13. Capponi *dict. discept.*325. *n.*6. Sanchez *dict. lib.*6. *cap.*14. *num.*9. Trullench *d. c.*9. *dub.* 4. *num.*6.

85 In hoc dubio prima sententia, de jure communi loquendo, admittenda est, quia Novitius verè non est Religiosus, sed tantùm adest in via ad professionem. Ergo ut sæcularis de jure communi, aut sepeliendus est in sepulchro Majorum, aut in Parochia; verùm attentis privilegiis Regularium, quæ in favorabilibus communicantur Novitiis utpote quoad forum, & alia, admittenda est secunda sententia, prout in praxi recepta est, quæ quidem non solùm habet locum quando in ipso Monasterio decedit, verùm etiam si cum licentia Superioris, habitu retento, apud patrem in sua domo defunctus fuerit, ut tenent Villalobos *d n.*13. Capponi *d. discept.*325 *n.*6.

86 Moniales similiter sunt in suis Monasteriis sepeliendæ, non tamen extra claustra. Nec in sepulturis Monialium debent sepeliri corpora laicorum, etiam Mulierum Nobilium, si id in suo testamento mandaverint, ut censuit Sacra Congregatio Concilii *sess.*25. *ca.*5. *de Regularib.*1. *Martii* 1585. Mendo *de jur. Accademico, disquisit.*14. *quæst.*4. *n.* 38. non tamen per hoc interdictum est, ut corpora laicorum sepeliantur in sua Ecclesia exteriori, ex eadem Congregatione Generali Ordinis Carmelitarum, 21. Septemb. 1594. Lavorius *d. cap.*11. *num.*97. quia addit, quod si Monialis curandi causa absens fuerint in remotis, & ibi sit Monasterium sui Ordinis, ibi sepelienda erit, aliàs in Parochia, *ex d. c. fin. de Sepult. in* 6.

87 Eremitæ non profitentes aliquam Regulam, seu Religionem approbatam, sepeliuntur in Parochia loci ubi decedunt: si tamen de licentia Ordinarii aliquam approbatam, & certam Regulam profiteantur, etiamsi non transeant ad Monasterium, sepelientur in Monasterio proximiori illius Ordinis. Medicis *dict. quæst.*7. *num.*18. Ubaldus *dict. cap.*9. *num.*41. Marchetus *dict.* §.2. *à nu.*53. quod idem asserit de mulieribus incarceratis, facientibus se recludere in certa domo, & per fenestram recipientibus eleemosynam, de qui us inter antiquos maximus fuit usus, latè Gibalinus *de Ascetis inclusis, disquisit.* 3. *per tot* Tenent etiam Medicis *dict. quæst.*7. *nu.* 19. Lavorius *d.c.*11. *n.*98.

88 Tertiarii Ordinis Sancti Francisci, qui de Pœnitentia nuncupantur, si non eligant sepulturam, in Ecclesia Parochiali sunt tumulandi, quia non sunt professi, nec translati, possuntque habere propria, nec desinunt esse Parochiani ubi degunt, licèt habitum illum assumant, *cap. Vt privilegia* 24. §. *D. confraternitatibus, de Privilegiis.* Medicis *dict. quæst.*7. *n.*17. Verùm in duobus casibus in Monasteriis illius Ordinis sepeliuntur, si sint prædicti qualitatibus Bullæ Leonis X. ut censuit Sacra Congregatio in Nepesina, 11. Decembris 1615. Tum si quando habitum assumunt, à Superioribus ad id destinatis moneantur, esse sepeliendos in eorum Ecclesiis, quia tunc eligere sepulturam videntur. Sperellus *decis.*87. *numer.*17. Barbosa *dict. capit.*26. *numer.*73. & ad Concilium *sess.*25. *de Reformat. capit.*13. *numer.*27. Lavorius *dict. capit.* 11. *numer.*101. Marchetus *dict.* §. *secundo num.*59. Antonellus *dict.* §. 1. *num.*25.

Qui enim cum habitu S. Francisci se sepeliri præcipiunt, 89
non sunt sepeliendi nisi in sepulcro Majorum, aut in Parochia, prout de jure dispositum est: nec ad id aliquo privilegio fruuntur, nisi ut discooperto habitu sepeliantur. Nec valebit Synodalis, si contrarium præcipiat. Rodriguez *dict. c.*130. *n.*15.

Confratres, si sepulturam non elegerint, non sunt in 90
suo Oratorio tumulandi, sed in Parochia, aut in sepulchro Majorum, licèt adsit eorũ statutum ab Episcopo confirmatum: Ratio enim est, nam similia statuta, etiam ab Episcopo confirmata, nequeunt præjudicare Ecclesiæ Parochiali. Tum privilegia Principis intelliguntur absque tertii præjudicio, *l.*2. §. *Si quis à Principe, ff. Ne quid in loco public.* Tenent Praxis. Archiepiscopalis *cap.*67. *num.*5. Ubaldus *d. cap.*9. *num.*41 Lavorius *dict. cap.*11. *num.*106. Antonellus *dict.* §. 1. *numer.*18. Illud verò animadvertendum, aliquando Confraternitates sepulchra habere propria: ubi Confraternitates sepeliantur. Quo quidem casu, si statutum habeant confirmatum à Sede Apostolica proprio motuo, cum derogatione juris Parochialis, tunc ibidem erunt sepeliendi, si alibi non eligant sepulturam, quia ex eo quod Confratres facti sunt, videntur illa sepulchra elegisse. Samuel *de sepult. tract.*1. *disp.*5. *controv.*10. *n.*1. Marchetus *d.* § 2. *n.*64.

Denique illud privilegium Regularium obliviscendum 91
non est, scilicet servos, & familiares suos in servitio eorum degentes, & intra septa Monasterii viventes, ab ipsis Regularibus posse recipere Sacramenta, & tunc in eorum Ecclesiis sepelientur, si alibi sepulturam non elegerint. Quod quidem non rectè extendunt aliqui ad advenas, qui in Monasterio hospitantur, cùm ipsi à Parocho debeant Sacramenta recipere, & in Parochia sepeliri; cùm Privilegia tantùm de familiaribus actu servientibus, & intra septa degentibus loquantur, juxta Concilium Tridentinum *sess.*24. *de Reformat. cap.*11. & ita censuit Sacra Congregatio Concilii. Refert Lavorius *dict. cap.*11. *num.*145. Antonellus *dict. cap.*12. §. 1. *à num.*22. nisi aliter habeant in Privilegiis. Villalobos *d. difficult.* 2. *num.*15. Diana 9. *part. tr.*7. *resol.*62.

CAPUT IX.

DE ELECTIONE SEPULTURÆ.

Elucidatur textus *in cap.* 1. *cap. Fraternitatem* 3. *cap. Cùm liberum* 6. *cap. De uxore* 7. *cap. In nostra* 10. *de Sepulturis, & cap.* 1. *eodem tit. in* 6.

SUMMARIUM.

*Edictum de eligenda sepultura est permissorium. Quilibet adultus potest eam eligere, nisi à jure prohibeatur. Ponitur ratio decidendi, n.*1.

*Impugnatur, & datur altera, n.*2.

*Nullus fidelis valet præcipere, ut in profano loco sepeliatur, sed in religioso; nec ut sepeliatur in sepultura hæreticorum, paganorum, vel excommunicatorum, n.*3.

*An Christianus possit eligere sepulturam in loco minus religioso. Negavit Hugo. Votum non valet de minus bono. Non valet dispositio, ut quis indecenter sepeliatur, numer.*4.

Sed contrarium tenendum. Reducuntur ad concordiam caput Fraternitatem 3. de sepult. *& caput* Cùm quis 2. §. Si quis, de sepult. in 6. *n.*5.

Et explicatur magis dictus §. Si quis, *n.*6.

Ratio

Ratio quare votum debet esse de meliori bono. Electio sepulturæ in loco minus religioso, non est indecens, nec inepta, num.7.

Electio sepulturæ non est facienda in mensa Altaris, aut prope gradella illius, n.8.

Quando aliquis per errorem est sepultus in mensa Altaris, aut prope gradella, an sit exhumandus. Affirmant plures, numer.9. Admittitur, si recenter fuerint sepulti; si verò ab antiquo, transferenda erunt cadavera, secus aliàs, num.10.

Eligi valet sepultura aliena cum consensu Patroni, nisi adsit magna causa, vel necessitas, n.11.

Electio sepulturæ nequit fieri in Ecclesia, ubi quis sepeliri non valet, ut in Ecclesia Divi Petri Romæ, aut si Ecclesia sit interdicta, n.12.

Electio sepulturæ non solùm fieri valet in Ecclesiis Clericorum sæcularium, sed & Regularium, & in Monasteriis Monialium, num.13. Nec Parochus poterit impedire, ne quis sepeliatur in Monasteriis, alias erit excommunicatus, & tenetur corpus restituere, numero 14.

Electio sepulturæ debet esse libera, absque fraude, & dolo, vel inductione, alias erit nulla. Et referuntur pœnæ contrarium agentium, n.15.

Elucidatur caput 1. de sepultur. lib. 6. non tamen interdicitur spontaneum votum, vel promissio eligendi sepulturam in certa Ecclesia, seu Monasterio, numero 16.

Inductio, dolus, aut fraus, non solùm est prohibita ad electionem sepulturæ, sed & ad mutandam jam electam, num.17.

Quomodo suggestio, vel indictio fiat, n.18. & 19.

An procedat textus in d. cap.1. *quando Religiosus, aut Parochus aliquem induxerit ad eligendam sepulturam in Ecclesia, ubi nullum commodum percipit. Negandum videtur ex aliquibus rationibus, numer. 20. DD. tamen dicunt, electionem esse nullam, sed inducentes à pœnis liberari, n.21.*

Explicatur doctrina ista: quando est dolus, aut fraus, est nulla electio: quando solùm fuerit inductio, aut consilium juratum. vel voto confirmatum, valebit electio, & cessabunt pœnæ, n.22.

An quando suggestio, vel inductio facta est à Religioso, vel Clerico, non tamen accedit votum, seu juramentum, electio sit valida, necne. Et communis sententia affirmat invalidam, n.23.

Secunda sententia tenet contrarium, à dissimilibus enim non fit illatio. Casus, de quo Ius non disponit, censetur omissus n.14.

DD. hujus sententiæ non clarè loquuntur, ut explicatur, numer.25. Resolvitur, electionem illam validam esse, sed irritari posse. Simplex persuasio absque fraude, & dolo non annullat electione sepulturæ, numer.26.

An quando fit inductio cum requisitis in d. cap. 1. *sed non cum effectu, inducens excommunicatus remaneat. Prima sententia affirmat num.27. Secunda negat, num.28.*

In hoc dubio distinguitur, an inducens tantùm electorem induxit ad voluntatem inefficacem, & tunc non incurrit, num.29. Si verò induxit ad voluntatem efficacem, & elegit, verùm electio non fuit effectuata, tunc incurrit. Sed contrarium etiam est probabile, num.30.

Excommunicatio, si imponitur consulenti, non incurritur, nisi consilium effectum habuerit, ibidem. Ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur præsumptio, & temeritas. Et quomodo id intelligendum, n.31.

An quando quis jurat, vovet, vel promittit electionem sepulturæ in sua Parochia, aut sepulchro Majorum, sit ibi sepeliendus, annullata electione. Affirmat communis sententia, nisi prius alteram elegisset, numero 32.

Sed hanc limitationem non admittit Samuellius, n.33. Sed defenditur communis sententia, n.34. Quando electio sepultura est nulla, sepeliendus est elector ubi de jure communi est sepeliendus, ibid.

An quando unus Religiosus, & Clericus alicujus communitatis hanc fecerit inductione, electio sepulturæ valeat, necne. Prima sententia validam dicit. Ius punit communitatem, quando tota, aut major pars delinquit. Delictum personæ non afficit communitatem, numer 35. Secunda sententia tenet contrarium, numer.36.

Si inductio fuerit facta à Prælato, vel à Sacristia communitatis, electio est nulla, n.37. Si verò id fecerit unus Religiosus, aut Clericus, idem defenditur, numer.38.

Vniversalis loquutio non restringitur, nisi adsit specialis ratio restringendi. Quando Pontifex geminatè loquitur, & enixè, universalis loquutio habet vim divisionis, & intelligitur de singulis, ibid.

An decisio in cap. 1. de sepultur. in 6. *afficiat Parochum inducentem, ut in sua quis Ecclesia sepeliatur. Prima sententia negat. Quod in favorem statutum est, non debet in damnum recoqueri, num.39. Secunda affirmat, num.40.*

Quando inductio facta fuit à Parocho proprio, ut suus Parochianus in propria Parochia sepeliatur. Probabilis est prima sententia, n.41.

Quando Parochianus esset alienus, certa est secunda, nu.42.

Pacta, & conventiones inter Parochias, & Monasteria circa sepulturas sustinentur, n.43.

Electio sepulturæ benè committitur alterius voluntati, nu.44.

An si Commissarius relinquatur ad eligendam sepulturam, possit eligere post mortem mandantis? Prima sententia negat. Morte mandantis exspirat mandatum, nu.44.

Secunda affirmat, n.45.

Tertia id negat in casu, quando adesset Ecclesia habens antiquissimam consuetudinem sepeliendi sepulturam non eligentè, n.46. Admittitur de jure secunda, & defenditur, n.47.

Ad electionem sepulturæ requiritur pubertas, & conceditur hæc facultas filiis familias, n.48.

Si filius familias moriatur, non electa sepultura, an pater possit pro eo eligere? Affirmandum videtur. Sed contrarium tenendum est, nisi adsit consuetudo, nu.49.

Impubes nequit eligere sepulturam, nisi malitia suppleret ætatem, aut si pubes ratificavit electionem, nu.50.

An pater possit eligere sepulturam pro filio impubere? Prima sententia affirmat, n.51.

Secunda asserit, posse patrem facere pro filio vivente, non verò defuncto, n.52. Tertia negat, nisi adsit consuetudo n.53.

Adnotatur æquivocatio P. Molinæ, n.54. Si ad sit consuetudo, admittenda est, quam firmat Villalobos; sed non admittitur. n.55.

Pater potest eligere sepulturam filii impuberis, quando facit testamentum filii per substitutionem pupillarem, n.56. Fit instantia, & respondetur, nu.57. Si verò pater non fecerit testamentum filii impuberis per substitutionem pupillarem, non potest eligere sepulturam, n.58.

Componitur textus in cap. Licèt 4. de sepultur. in 6. *cum aliquibus declarationibus Cardinalium numero 59.*

Si consuetudo sit, ut pater eligat sepulturam pro filio impubere, extenditur ad emancipatum, adoptivum, & secundùm aliquos ad naturalem, & spurium, num.60.

An extante hac consuetudine, mater pro filio impubere possit eligere sepulturam? Prima sententia negat, nu.61.

Secunda affirmat. Consuetudo exorbitans à jure recipit extensionem, n.62.

In hoc dubio contemplanda consuetudo, quæ debet esse uniformis, & præscripta per quadraginta annos: & prospiciendum ad quod se extendat, ut ibi, nu.63.

Si consuetudo solùm sit in patribus, & non in matribus, stat

fiat difficultas, an extendatur ad matres? Si electio fiat in propria Parochia, facilè admittenda est; secus si in aliena, n. 64. Fit instantia, & respondetur, n. 65.

Hac consuetudine extante, avus pro nepote nequit eligere sepulturam, n. 66.

An amicus pro amico possit eligere sepulturam? affirmarunt aliqui, n. 67.

Alteri negarunt. Admittitur hæc sententia, & respondetur fundamento contrariæ, n. 68.

Nec frater pro fratre eligit sepulturam; id autem ex consuetudine conceditur, n. 69.

An valida sit consuetudo, ut avus pro nepote, amicus pro amico, frater eligat sepulturam? Affirmarunt aliqui, n. 70.

Sed contrarium admittitur, n. 71.

Tutor nequit pro pupillo eligere sepulturam. Sed est dubium, an consuetudine id fieri possit, solùm admissa in patribus? Affirmarunt aliqui, n. 72.

Quod Samuellius extendit, etiamsi non adesset consuetudo, ibid.

Sed doctrina Samuellii reprobatur. Et in principali quæstione asseritur, etiam existente consuetudine, ut patres eligant sepulturam, non idem posse tutorem, nu. 73.

Servus pubes potest eligere sepulturam. Pro impubere dominus eligit. Sic plures, n. 74. Explicantur, & contrarium admittitur, n. 75.

Vxor potest sibi eligere sepulturam liberè per ultimam voluntatem, & per contractum cum consensu viri, numero 76.

Episcopus potest eligere sepulturam extra Cathedralem. Idem potest Abbas non recognoscens Superiorem. An Abbas valeat eligere sepulturam pro Religioso; Affirmant aliqui, sed contrarium sustinetur, numero 77.

An Prælati Religionum possint sibi eligere sepulturam? Prima sententia tantum id Generalibus concedit, num. 78.

Secunda omnibus Prælatis, n. 79.

Admittitur prima, & expeditur textus in cap. fin. de sepultur. in 6. *nu. 80.*

Prælatus aliquis, si elegerit sepulturam, & posteà aut renuntiavit, aut deponitur, ibi non sepelitur. Generales possunt irritare electiones sepulturarum inferiorum, n. 81.

Religiosi, nisi in remotis, nequeunt eligere sepulturam. Poterunt, si fiant Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi, n. 82.

Novitius potest eligere sepulturam. Idem Tertiarii, & Conversi extra Communitatem viventes, n. 83. Similiter dicendum de expulsis, n. 84.

Electio sepulturæ probatur ut ibi, n. 85. An ex testamento, vel codicillo invalido probetur? Negavit Samuellius, n. 86.

Affirmant plures, n. 87.

Explicatur hæc ultima sententia, n. 88. Et asseritur, sufficere solemnitates pii testamenti, aut codicilli, n. 89. Et quid si adhuc deficiat hæc solemnitas? Dissentiunt Samuellius, & Marchetus, n. 90. Et componuntur, n. 91.

Quando electio sepulturæ probatur per testes, sufficiunt duo, etiam singulares: si verò sint varii, conjecturis standum, n. 92.

Si consanguinei, adhuc probare asserunt aliqui, numero 93.

Ex solo dicto Confessarii hanc electionem probari dicunt plures, n. 94.

Sed explicantur, n. 95.

1 EDictum de eligenda sepultura permissorium est; & ab omnibus fieri valet, nisi qui à jure specialiter sunt prohibiti, & dummodo Parochialis Ecclesia non defraudetur canonica portione, *cap. Certificari 9. de sepultur.* ubi Hostiensis. Lavorius *d. tit. 2. cap. 12. num. 1.* Canisius *in Summa Jur. Can. l. 3. tit. 12. §. 1.* Idcircò sit conclusio. Quilibet adultus, regulariter loquendo, liberè potest eligere sepulturam in loco Religioso, *cap. 1. 3. 6. 7. & 10. de Sepulturis, cap. 2. 13. quæst. 2. Clement. Dudum 2. §. Verùm de Sepult. Clem. fin. §. fin. de pœnis.* Ratio hujus asserti est, quia quælibet dispositio facta à testatore, necessariò est observanda, & adimplenda, quæ jure non prohibetur, *l. 1. Cod. de Sacros. Ecclesiis, leg. Vel necare 5. ff. Quemadmodum testament. aperiantur, c. fin. §. Quia ergo, 13. quæstion. 2.* Ergo etiam electio sepulturæ, quæ est ultima testatoris dispositio, ut explicat D. Gonzalez *in c. 1. de Sepultura, n 9.*

Verùm hæc ratio nimis generalis est, & nihil probat, 2
nisi ultimam voluntatem defuncti, à jure non interdictam, esse observandam; non verò probat libertatem, quam quisque habet ad eligendam sepulturam, quod diversum est. Quare dico, hanc facultatem liberè eligendi Sacram sepulturam, Jus Canonicum Fidelibus concessisse, ut sepelirentur ubi majorem devotionem, charitatem, & sanctam dilectionem habuerint, & ut congruentius suæ animæ videretur; quare noluit habere Fideles adstrictos, ut in certo loco sepelirentur sed ubi eis placuerit, ut patet ex juribus adductis. Ergo quilibet pubes, regulariter loquendo, potest liberè eligere sepulturam Rota *2. par. Recent. decis. 745. num. 3. in fin. & 5. part. decis. 552. n. 6.* Parladorius *different. 66. §. 1. n. 1.* Medicis *1. p. de Sepultur. quæst. 8. à n. 1.* Molina *de Iust. tract. 2. disput. 214. n. 11.*

Hæc electio necessariò debet fieri in loco Religioso; non 3
verò in profano; aliàs enim malè de Fide sentire videretur, qui in profano loco sepeliri mandaverit, nisi ibidem præceperit Ecclesiam, seu Capellam fundari. Medicis *d. 1. par. quæst. 9. nu. 5.* quapropter Fidelis nequit eligere sepulturam infidelium, hæreticorum, excommunicatorumque; quia sicut cum illis viventes nequeunt communicare, similiter nec mortui, *cap. Sacris 12. de sepult.* & tenet Ubaldus *tit. de can. part. c. 10. n. 7.* Passerinus *de Stat. tom. 2. quæst. 187. art. 4. cap. 1. inspect. 4. n. 257.* Marchetus *de Sepult. tract. 38. §. 3. à n. 104.* Lavorius *d. cap. 11. num. 25.* Trullench. *de jure Paroch. cap. 9. dub. 3. num. 1.* Parladorius *different. 66. §. 1. num. 13.*

Fuit verò apud Antiquos maxima dissensio, an quis po- 4
tuisset eligere sepulturam in loco minùs religioso, veluti extra Parochiam, ubi minùs Missæ celebrantur, & Divina Officia? Negavit Hugo, quem refert Glossa *in c. 2. §. Si quis, de Sepultur. lib. 6. verbo Si quis.* Et ejus opinio probari poterit *ex cap. Fraternitatem 3. de Sepultur.* nam ideò electio sepulturæ liberè concessa est Fidelibus, ut meliùs pro bono suæ animæ prospicerent: cùm enim mandat sepeliri in loco minus religioso, non est prospicere pro anima, sed minus prospicere. Ergo non est concedenda talis electio? Et confirmo discursum, nam si quis votum emiserit, non de meliori bono, sed cujus contrarium majus bonum est, tunc non valet votum. Azorius *Instit. Mor. 1. part. lib. 11. cap. 13. quæst. 10.* Sanchez *de Matrim. lib. 1. disput. 4. num. 5. & in Summa, lib. 4. cap. 1. numer. 1.* Villalobos *in Summa, 2. part. tract. 34. difficult. 2. num. 1.* Ergo similiter, quando quis eligat sepulturam in loco minus religioso, non valebit electio. Prætereà, nam ut suprà diximus, si in suo testamento disposuerit, ut cum una candela tumuletur, & indecenter, absque officio divino, & Clericorum associatione, id non est adimplendum, utpote res minus religiosa, & testatori indecens. Marchetus *dict. §. 3. num. 107.* Ergo quando in loco minus religioso sepeliri præceperit, non est obediendum, nec electio subsistet.

Sed tamen jam dissensio ista sopita est per textum *in cap.* 5
Cùm quis 2. §. Si quis, de sepult. in 6. ubi electio sepulturæ facta in loco minùs religioso; non impugnatur, sed valida existit, licèt jura super hoc videantur esse diversa. Id tamen Bonifacium VIII. scripsit propter textum *in c. Fraternitatem 3. de Sepult.* ubi contrarium decisum est. Quem textum licèt Gonzalez ibidem, num. 9. intelligat de sepulchro puro, & irreligioso; attamen apertè loquitur de loco minùs religioso, itaut ante decisionem *d. §. Si quis*, contrarium fuerit observatum; verùm quia jam est decisum, id est tenendum, ut cum aliquibus tenet Glossa *d. verbo Si quis.* Medicis *d. q 9. n. 2.* Molina *d. disp. 214. n. 11. in fine*, Cansius *ad tit. de Sepultur. §. 3.* Passerinus *d. capit. 1. inspect. 4. num. 259.*

Hæc resolutio proculdubio admittenda est. Verùm 6
observandum, *dict. §. Si quis*, tantùm dicere, electionem sepulturæ in loco minus religioso non esse impugnandam; nec enim inquit valere, aut non valere: unde tantùm per-

permittendam decernit : his enim in terminis loquitur Pontifex , ut demonſtret, quod licèt ſit ſuſtinenda, attamen illa , quæ fit in religioſiori loco, majorem profectum animæ confert , quia ad maximum animarum juvamen ſacræ ſepulturæ in religioſo loco ſunt conceſſæ , ut benè explicat noſter Alphonſus *in l.2. tit.13.p.1.* D. Gonzalez *in cap. Fraternitatem 3. de Sepult. n.6.* quapropter ſepultura , quæ in religioſiori loco fuerit , majus auxilium animæ præſtabit , quàm quæ in minus religioſo . Verumtamen non erit impugnanda talis electio , quia teſtator magis perfectum , & religioſius non tenebatur eligere ; ſufficit autem ſepulturam in loco religioſo , *cap. Abolendæ 13. de Sepult.* ubi Hoſtienſis , & Abbas . Trullench *de jur. Parochi , cap. 9. dub. num.1.* Bonacina *de contractib. diſput.3. quæſt. 21. punct.3. num 2.* Tum ultimæ voluntates valdè ſunt favorabiles , & dum ineptæ , aut indecentes non ſint , ſunt adimplendæ , ex juribus adductis *num. 1. Authent. de Nupt. §. Diſponat* . Cùm ergo hæc diſpoſitio nec inepta , nec indecens ſit , eſt adimplenda .

7 Nec fundamenta , quæ pro Hugone poſuimus nu.4. ſolida ſunt. Textus *in dict. cap. Fraternitatem* , jam eſt antiquatus *per d. cap.2. §. Si quis* . Paritas voti non eſt efficax nam eſt ſpecialitas illius , ut ſi promiſſio grata Deo de re meliori ; nam cùm ejus voluntas ſanctificatio noſtra ſit , *1. ad Theſſal.4.* magis Deo placet , quod majus , & melius eſt , quàm ejus oppoſitum : unde ſequitur , placitum , & gratum Deo non eſſe , ſi vovens ſe obliget ad omittendum oppoſitum , quod melius eſt , & Deo gratius : quapropter votum , ſi non ſit de meliori bono , non ſuſtinetur ut D. Thomas explicat . Layman *in Summa , lib.4. tit.4. cap.2. num.11.* quod non ita eſt , nam electio ſepulturæ non eſt promiſſio Deo facta, adhoc ut debeat eſſe de meliori bono . Nec ultimum fundamentum aliquid obſtat , quia diſpoſitiones illæ , tanquam ineptæ rejiciuntur , *l. Quæ 8. §. 5. de condit. inſtit. l. Servo 113. §. Ineptus.ff. de legat.1.* Donellus *lib.8. Comment. cap.12.* D. Gonzalez *in dict.cap. Fraternitatem , num.5. ad medium* . Aſt non ſic conſideranda eſt electio ſepulturæ in loco minus religioſo , quæ nequit dici inepta , nec indecedens , quamvis ſit minus fructuoſa. Ergo ſemper eſt ſuſtinenda , & non impugnanda , ut aſſerit textus *in d. c.2. §. Si quis , de Sepult. in 6.*

8 Deinde licèt electio ſepulturæ fieri poſſit liberè in loco religioſo , non tamen in menſa Altaris , aut propè gradella illius ; debent enim ſepulturæ eſſe remotæ ab Altaribus, itaut Sacerdos , qui Miſſam celebrat , ſupra defunctorum cadavera pedibus inſiſtere non cogatur *cap. Præcipiendum 15. in fin. 13 qu.2.* Concilium Tiburienſe *can 16.* Nannetenſe *can.11.* Acta Concilii Mediolanenſis *2. p. de Decret. viſit. verbo ſepultura*, & plurimæ declarationes relatæ à Samuele *de ſepultur. diſput.3. controverſ.8. concluſ.3. à num.3.* Quod enim ſepultura in menſa Altaris nullo modo ſit concedenda , nec ab aliquo eligi poſſit , probatur ; quia indecentiſſimum eſſe cujuſcumque cadavera collocare, ubi Sanctorum eſſet cujuſcumque cadavera collocare , ubi Sanctorum corpora canonizatorum , & colendorum reponuntur In gradellis verò Altaris ſimiliter non ſunt ſepulturæ permittendæ ; nam Sacerdos , qui vitæ agit ſacrificium , non eſt ratio , ut pedibus inſiſtat ſupra cadavera mortuorum ; quamobrem ſimiles ſepulturæ nec eligi , nec admitti poſſunt , ut in hoc Archiepiſcopatu eſt Conſtitutio 2. *de ſepulturis* , Lavor. *dict. tit.2. cap.8. n.14.* Fuſcus *de viſit. lib.1. cap.21. nu.15.* Antonellus *d. cap.12. §.5.* Barboſa *d. lib.2. c. 10. num.10.*

9 Quid verò dicendum , quando ex errore aliquis elegerit ſepulturam prope Altare , & ibidem ſepultus reperiatur , aut ſine electione ibidem tumuletur , an ſit exhumandus , & alibi tranſferendus ? Et affirmandum videtur , quia ſic diſpoſuit Congregatio Cardinalium in Tranenſi , 10. Novembr. 1599. ob rationes ſupra adductas. Et ita tenent Lavorius *dict. cap.8 num.14.* Barboſa *dict. cap. 10 num. 10. in fin.* Antonellus *dict. §. 5. in fin.* Samuel. *dict. diſput.3. controv.8. n.4.*

10 Sed in hac ſpecie adhuc dicendum , quod ſi recenter humati ſunt ; aut ſub menſa Altaris , aut in gradellis,aut prope , exhumanda eſſe , & alibi transferenda cadavera,prout diſponit Sacra Congregatio . Si tamen antiquitus fuerint ſepulta , & in menſa Altaris repoſita , adhuc concedendum , eſſe transferenda , ne aliquis cultus adhuc imaginarié cadaveri præſtetur , aut periculum adſit iſtius præſumpræ venerationis . Si verò cadaver ſepultum fuerit in gradellis , aut prope , exiſtimo exhumationem non eſſe faciendam , nam licèt aliquando Eccleſia prohibeat ſepulturam ; ſi tamen de facto aliquis ab antiquo ibidem fuerit ſepultus , minimè exhumatur , & alibi transfertur . Eſt ad id Concilium Tiburienſe *cap.17.* ubi præcipit , minimè Sæcularem in Eccleſia ſepeliendum; verùm ſi de antiquo tempore fuerit ibidem ſepultus , aſſerit Concilium , minimè exhumandum eſſe , & alibi transferendum . Eſt ad id Concilium Agripenſe *in cap. Eccleſiam 27. de conſecrat. diſt.1.* ubi decretum eſt , quod ſi Eccleſia ſit conſecranda , & ibidem fuerint corpora infidelium , exhumentur , non tamen corpora Fidelium , licèt in eo tempore in Eccleſiis corpora Fidelium non ſepelirentur ; erant enim de antiquo ibidem repoſita . Ergo ſimiliter dicendum eſt in noſtra ſpecie. Cæterum à ratione ceſſante : nam tunc Sacerdos , quando celebrat , non cogitur pedibus inſiſtere ſupra cadavera , ut expendit Lavorius *dict. cap.8. num.14.* ſed ſupra cineres, & terram in quam converſa ſunt cadavera . Denique , quantum fieri poſſit , ſimiles exhumationes ſunt fugiendæ , propter lites , & conſanguineorum ſcandala , quapropter , niſi graviſſima exiſtente cauſa , exhumatio iſta facienda non eſt , *cap. de præſcript.* Cùm ergo in præſentia nullum ſit inconveniens , & cauſa gravis , quando corpora recondita ſunt ſub gradellis , aut prope ab antiquo tempore ; inde eſt , ut talis exhumatio , & translatio fieri non debeat , nec ſit neceſſaria .

Eligi enim valet ſepultura aliena , *cap.1. de ſepult.* quod 11
quidem ita intelligendum , ſi ad id conſenſum præſtent Patroni , vel qui ibidem habent jus ſepeliendi , prout *in dict. cap.1.* explicat Abbas. Eſt textus *in l.2. §. Vſum fructum,ff. de Relig. & ſumpt.funer.* Et ratio eſt , quia jus ibidem inferendi eſt proprium Patronorum , aut habentium jus illud , quod ab eis auferri non valet , niſi illis conſentientibus , *leg. Id quod noſtrum , ff. de Regul. jur.* Medicis *de ſepultur.1. part. quæſt.8. num.4.* quapropter invitis Patronis , aut habentibus jus inferendi , nequit Epiſcopus , aut Rector Eccleſiæ conſenſum præſtare ad hanc electionem , vel ut aliquis in aliena ſepultura ſepeliatur ; nam id eſſet privare dominum illo jure , quod habet , ne alius ibidem inferatur. Decianus *in cap. Quantò , de Iudiciis , num.56. & 57.* Genuenſis *in Praxi Archieſcopali , cap.33. nu.27.* Limita tamen , niſi cauſa magna exiſtente , vel neceſſitate , cùm cadaver alibi ſepeliri non poſſit ; in his enim caſibus dominus illius juris rationabiliter non eſſet invitus . Abbas *in capit. penult. de ſepult. nu.5.* Matheſilanus *ſingul.75. nu.10.* Medicis *dict. quæſt.9. num.5.* Antonellus *d. cap.12. §.6.numer. 58. verſ. Addit* , Lavorius *d. tit.2. c.9. à n.17. & c.11. n.35. & 36.*

Electio enim ſepulturæ nequit fieri in Eccleſia , in qua 12
ob aliquod impedimentum nequit ſepeliri , veluti ſi Eccleſia fuiſſet , in qua nullus ſepelitur , niſi Pontifex , veluti in Eccleſia D. Petri de Urbe : vel ſi Eccleſia fuerit interdicta, in qua nemo valet ſepeliri , *cap. Cùm plantare 3. §. Quod ſi, de Privilegiis , cap. Si civitas 17. de ſentent. excommunicat. in 6. Clement. 1. de Sepultur.* tunc enim electio nulla relinquitur , & defunctus eſt ſepeliendus , prout arbitrium Epiſcopi , ſeu ejus Vicarii decreverit , habito reſpectu ad conjecturas, & devotionem decedentium . Praxis Archiepiſcopalis Neapolitana *cap.76. nu.5.* Lavorius *dict. cap.11. num.41.*

Rurſus , electio ſepulturæ , non ſolùm à teſtatore fieri 13
valet in Eccleſiis ſæcularium Clericorum , ſed etiam Regularium , veluti in Monaſteriis : quod quidem conceſſum eſt Prædicatoribus , & Minoribus Religioſis , *in Clement. Dudum 2. §. Hujuſmodi,de ſepult.* & ad cæteros protractum eſt ex Cõſtitutione S. Pii V. Quod idem eſt dicendum de Eccleſiis Monialium, dummodò ſepultura non fiat intra ſepta Monaſterii . Medicis *d. qu.8. n.11.* Ugolinus *de Offic. Epiſcopi , c.17 n.2.* Fuſcus *lit. P. concluſ.97. n.5.* Lara *de Anniverſ. lib.1. c.25. n.51.* Barboſa *d. lib.2. c.10. nu.20.* Trullench *d. c.9. dub.5. n.1.*

Quod ita concuſſum eſt , ut electio ſepulturæ in Eccle- 14
ſiis Regularium nullo pacto queat à Parocho impediri , alioquin eſſet contra libertatem eligendi ſepulturam , & excommunicatus remaneret , *ex cap. 1. de ſepult. in 6.* & declaravit Sacra Congregratio Epiſcop. & Regul. 8. Maii 1643. quin potius , ſi contra electionem Parochus defunctum ſepelierit , exhumatur corpus , & Regularibus reſtitui-

tui-

tuitur, ut declaravit Congregatio 22. Februarii 1641. Portellus *tom.2. Respons. Mor. casu.65.* Riccius 4. *part. resol.* 293. Barbosa *d. cap.10. n.21.* Samuel. *de sepult. disp.4. controvers.13. conclus.3. n.6.*

15 Hæc enim electio sepulturæ debet omninò esse libera, absque aliqua fraude, dolo, vel inductione: quapropter Bonifacius VIII. *in cap.1. de sepult. lib.6.* universis Clericis Sæcularibus, & Regularibus præcepit, cujuscumque status, seu conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione æternæ maledictionis id strictissimè prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum vel fide interposita; vel alias ad promittendum inducant, ut in suis Ecclesiis sepulturam eligant, aut electam non mutent, si secus verò id actum fuerit, irritam electionem decernit, & nullius existere firmitatis. Statuit etiam, in Ecclesiis illis, ubi sic sepultura fuerit electa, minimè eligentem esse sepeliendum, verùm eodem modo, ac si decesserit non electa sepultura. Quod si Religiosi, vel Clerici prædictos sepulturam eligentes in suis Ecclesiis, aut Cœmeteriis sepelierint, tunc corpora, & quidquid occasione funeris ad illos pervenerit, restituere tenebuntur, aliàs si non fecerint, eorum Ecclesiæ, & Cœmeteria interdicta remanent, donec fiat restitutio, *l.5. tit.13. par.1. Clement. Cupientes* 3. §. *Sanè, de pœnis*:

16 Ex hac enim decretali animadvertendum non prohiberi, ne quis sua sponte, voto, vel juramento, vel alia qualibet promissione se adstringat ad electionem sepulturæ in certa Ecclesia, seu Monasterio, ut patet ex contextu illius, & quia minimè per hanc electionem infringitur libertas eligendi, quod est necessarium ad designandam sepulturam, ut tenent communiter DD. sed tantum interdicitur suggestio, seu inductio Clericorum, tam sæcularium, quàm Regularium, qui ob avaritiam, & contra libertatem testatoris illum seducunt ad eligendam certam, & determinatam sepulturam, ut benè docet Trullench *de jur. Paroch. capit.9. dub.5. numer.* 13. Antonellus *dict. lib. primo cap.12. §.4. num.43.* Riccius *in Praxi*, 4. *part. resolut.293. num.3.* Lavorius *dict. cap.11. numer.* 3. Belletus *Disquisit. Cler. tit. de Cleric. debit. §.3. num.26.* Canisius *ad tit. de sepultura. §.4.*

17 Hæc enim inductio non solùm consideranda est ad electionem sepulturæ certæ interdictæ, verùm etiam ad non mutandam eam, quando jam fuerit electa; nam eadem est ratio, cùm enim liberum sit testatori, electa supultura, aliam eligere, prout sibi placuerit, inductio non mutandi est inductio eligendi certam sepulturam, ut asserit textus *in dict. cap.1. de sepult. in 6.* ibi: *Vel jam electam ulterius non immutent.* Canisius *d.§.4.* Bonacina *de Contractibus, disp.3. qu.21. punct.3. n.12.*

18 Sed quo modo, & quibus verbis suggestio, vel inductio ista efficiatur, scire oportet: si enim Clericus, aut Religiosus interrogaverit generaliter testatorem, ubi vult sepeliri, nulla Ecclesia, aut Monasterio designato, minimè est consideranda aliqua suggestio, vel inductio, cùm adhuc liberam electionem relinquat: si verò hanc propositionem faciat generalem per negationem; veluti, *Nonne vis sepeliri in Parochia, aut in tali Ecclesia?* suggestio est, & inductio? nam ex eo quod certam nominavit Ecclesiam, ad ibi sepeliendum induxisse videtur, ut probabilius dicit Samuel. *de sepult. tr.1. disp.2. controv.5. concl.1. n.1.* Marchetus *d. tit.39. §.3. in alleg. n.2.*

19 Si verò Clericus, aut Religiosus dicat infirmo, vis sepeliri in Parochia, vel in alia Ecclesia detarminata, tunc eam specialiter nominando, censebitur suggestio, nec valida erit electio. Et est ratio, nam ut diximus *num. antecedenti*, tantùm generalis interrogatio fieri debet. Genuensis *in Praxi, cap.73. num* 4. Marchetus *de Praxi Vicarii Capit. tit.38. n.135.* Cùm ergo in specie interroget testatorem de Ecclesia specialis, intelligenda est inductio, seu suggestio, Riccius *d. resol.293. num.* 30. Bursatus *cons.226. nu.18. vol.* 3. Barbosa *de offic. Parachi*, 3. *part. cap.26. n.38. in fin.* Maceratensis *lib.1. resol. ult. casu* 59. Marchetus *de sepult. tit.* 39. §.3. *in allegat. à n.1.* quibus & adjungere libet, generaliter loquendo, irritam esse electionem sepulturæ quoties dolo, aut fraude, suggestioneve aliqua quis fuerit inductus ad illam eligendam, ut constat *ex d c.1. de sepult. Clement. Cupientes* 3. §. *Sanè, de pœn. lib.5. tit.13. p.1.* Parladorius *d. differènt.66. §.1. n.13.*

20 Est tamen dubium, an textus *in cap.1. de sepultur. in 6.* procedat quando Parochus, aut Religiosus induxerit testatorem ad eligendam sepulturam, non in propria Parochia, seu Monasterio, sed in alia Ecclesia, ubi nullum commodum percipere valet; Et asserendum facilè videtur, non procedere, ex illis verbis: *Vt apud eorum Ecclesia sepulturam eligant.* Quæ quidem apertè denotant, decisionem illam procedere; quoties ad eligendam sepulturam aliquem induxerint in propriis Ecclesiis, non verò in alienis, ubi nullum commodum percipere valent; eodem enim modo loquitur textus *in d.Clem 3. § Sanè, de pœnis*, & noster Alphonsus *in d.l.5. tit.13. p.1.* Tum quia jura ista pœnalia sunt, & non extendenda ultra suum casum. Ergo cùm loquantur quando inductio facta est, ut eligatur sepultura in Ecclesiis propriis, non est extendenda ad casum, quando inductio fuerit, ut eligatur in Ecclesia aliena.

In re tamen dicunt DD. distinctionem faciendam esse, 21
nempe si interrogetur de valore electionis, aut de pœnis interdicti, & excommunicationis, contentis in dictis decretalibus; si enim agitur de valore electionis, dicunt non esse validam, sed Clericus, aut Religiosus inductor excusabitur à pœnis contentis in dictis Decretalibus. Pasqualigius *in Addit. ad Lauret. de Franchis in controv. inter Episc. & Regul.2. p. qu.63. à n.2.* Marchetus *dict. tit.39. §.3. in allegat. n.4.*

Sed tamen hæc doctrina explicatione indiget hæc enim 22
suggestio, seu inductio duobus modis concipi valet. Primò, quando in suggestione, vel inductione adesset dolus, aut fraus, quæ totaliter excluderet consensum eligentis: & in hoc casu nulla erit electio sepulturæ, etiam in Ecclesia aliena, ubi inducens nullum perciperet commodum ex defectu consensus eligentis Parladorius *dict. §.1. nu.13.* Secundo modo, quando nullo modo fuisset dolus, aut fraus, sed solùm inductio, & consilium juratum, vel voto confirmatum, qui est casus dictis capitis primi. Et in hoc casu existimo, quod si inductio, vel suggestio fuerit de eligenda sepultura in Ecclesia aliena, valere electionem, nec inducens, aut consulens aliquibus pœnis afficietur. Et ducor, nam ex eo, quod inducens, aut consulens, dolo, nec fraude egerit, ut deciperet eligentem, electio illa habet sufficientem consensum eligentis, ut sustineatur. Tum non irritatur *in dict. cap.1.* nec in aliis juribus, quia solùm loquuntur quando inductio est ad eligendam sepulturam in Ecclesia propria. Ergo valida erit talis electio, si solùm inductio fit ad eligendam sepulturam in Ecclesia aliena, ubi inducens nullum commodum percipit: quo in sensu intelligendi sunt DD. recensiti n. 21.

Est altera difficultas, an quando suggestio, vel inductio 23
facta est à Clericis, seu Religiosis, non tamen ad vovendum, jurandum, vel promittendum eligere sepulturam, electio, si fiat à testatore, valida sit, necne; Prima sententia asserit, validam non esse; nam per solam suggestionem, seu inductionem eliditur finis illarum Decretalium. Ergo valida non erit electio sepulturæ, utpote facta contra mentem juris, & finem illius, ut tenet cum communi sententia Marchetus *d. alleg. n.7.*

Secunda sententia tenet contrarium, nam suggestio, & 24
inductio ad eligendam sepulturam, etiam in Ecclesia propria, de se non est mala: Ergo non est interdicta. Interdictio enim *in dict. cap.1.* non est, nisi de suggestione ad vovendam, jurandam, vel promittendam electionem sepulturæ in Ecclesia propria, quæ hunc casum non comprehendit. Ergo valida erit talis electio. Et confirmatur, nam à dissimilibus non fit illatio, *cap. Ad audientiam 12 de Decimis, l. Papiniamus exuli, ff. de Minorib.* Cùm ergo suggestio, & inductio absque dependentia jurandi, vovendi, vel promittendi, sit casus dissimilis, irritanda non est electio sepulturæ, *ex dict. c.1.* Cæterùm casus, de quo Jus Canonicum non disponit, omissus censetur, & relictus in dispositione juris communis, *l. Commodissimè 10. ff. de lib. & posthum. l. Præcipimus 32. Cod. de Appellat.* Rota 4. *p. de jurament. decis.675. n.2.* de hoc tamen casu nihil disponit Jus Canonicum. Ergo erit valida talis electio. Angelus *verb. Sepultura n.35.* Villalobos *in Summa, 2. p. tract.31. difficult.2. n.19.* Suarez *de censuris, disput.22. sect.4. n.26.* Samuel. *de Sepult. tract.1. disput.2. controvers.5. conclus.2. per tot.* Rodriguez *Quæst. Regul. tom.3. qu.58. art.7.* Guttierrez *de juram. 2. p. cap.4. num 15.*

In hoc dubio observandum, aliquos ex his Doctoribus 25
secundæ sententiæ non agere expresè de validitate electionis

nis, ſed tantùm de pœnis contentis *in dict. cap.* 1. & *in Clement.* 3. §. *Sanè, de pœnis*. Et inquiunt, ſolùm excommunicationem incurri, quando ſuggeſtio facta eſt ad vovendam, jurandam, ſeu promittendam ſepulturam in propria Eccleſia, ut etiam tenet Trullench *dict. cap.* 9. *dub.* 5. *n.* 19. quia illa omnia ſunt neceſſaria ad pœnas incurrendas, præcipuè excommunicationis, ut tenet Navarrus *in Manual. capit.* 27. *numer* 103. Bonacina *de Excommunicat.* 3. *num. diſput.* 2. *quæſtion.* 5 *punct.* 4 *prop.* 1. *verſic. Secunda conditio.* Quapropter non omnes probant electionem ſepulturæ, factam ob ſolam ſuggeſtionem, abſque voto, & juramento, vel promiſſione, eſſe validam. Sed Samuellius hanc ſententiam ſecundam admodum probabilem dicit, & rationibus corroborat.

26 Qua in re dico, hanc electionem ipſo jure validam eſſe, verùm irritari poſſe; nam textus ille *in dict. cap.* 1. tantùm ipſo jure irritat electionem ſepulturæ factam per ſuggeſtionem ad illam vovendam, jurandam, ſeu promittendam, non alteram factam abſque his adminiculis. Ergo mero jure debet ſuſtineri, ſi fiat ad ſuggeſtionem, abſque illis. Sed tamen mihi videtur irritandam eſſe; nam ſuggeſtio illa, ut quis in propria Eccleſia, ſeu Monaſterio ſepeliatur, ſemper procedit ex malitia, & cum gravi culpa volendi tollere libertatem teſtatoris, quam jus ei concedit ad eligendam ſepulturam, ad proprium commodum conſulentis, & ſuggeſtionem inducentis. Suarez *d. ſect.* 4. *num.* 26. Ergo debet irritari talis electio ſepulturæ, ne aliàs ex malitia propria commodum reportet. Cæterùm ſimplex perſuaſio abſque aliquo dolo, & fraude non irritat electionem iſtam, ut tenet Gregorius *in d. l.* 5. *tit.* 13. *p.* 1. *verbo Falago.* Guttierrez *dict.* 2. *part. cap.* 4. *num.* 11. *in fin.* & *nu.* 14. quia relinquitur in puro eſſe exhortationis abſque dolo, & fraude: Ergo ſi adſit ſuggeſtio cum aliquo dolo, & fraude, erit irritanda talis electio. Denique, nam ut ait textus *in dict. cap.* 1. ut animarum periculis obvitur, electiones ſepulturæ irritantur, factæ ad ſuggeſtionem, ut quis in Eccleſia propria ſepeliatur, cum adminiculis ibidem relatis. Cùm ergo ex pura ſuggeſtione, abſque eis, adſit animarum periculum, inde eſt, ut licèt ipſo jure ſuſtineatur ex defectu voti, juramenti, vel promiſſionis; attamen erit irritanda ex eo, quod ex ſola ſuggeſtione, aliqua fraude, vel dolo interveniente adeſt animarum periculum. Quapropter cenſeo, in hac difficultate electionem ſepulturæ ſuſtineri: attamen ſi à parte petatur, irritandam eſſe.

27 Hinc reſtat breviter aliud dubium exarandum, an quando quis Clericus; aut Religioſus induxerit teſtatorem ad eligendam ſepulturam in propria Eccleſia, cum voto, juramento, aut promiſſione, ſed ſine effectu, incurrat excommunicationem *in dict. Clement.* 3. §. *Sanè, de pœnis*, latam? Et ex dictis affirmandum videtur, quia ſola ſuggeſtio cum his adminiculis eſt gravis culpa, ob gravitatem verborum illius Decretalis; quapropter excommunicationis cenſuram incurrit, ut videtur tenere Suarez *dict. ſect.* 4. *num.* 26. Bonacina *d. diſp.* 2. *quæſt.* 5. *punct.* 4. *propoſit.* 1. *verſ. Secundò*.

28 Alteri tenent contrarium, nam quoties cenſura imponitur, intelligitur actu ſequuto, & cum effectu, *capit. penult. de ſentent. excommunicat.* Cùm ergo inductio iſta, aut ſuggeſtio ad actum electionis ſepulturæ non deveniat excommunicatio non incurritur, ut tenet Cardinalis *in dict. Clement.* 3. §. *Sanè, de pœn.* Antoninus *in Summa*, 3. *part. tit.* 34. *cap.* 51. Alterius *de Cenſuris*, *diſp.* 12. *cap.* 4. *ad fin.*

29 In hoc dubio dicendum, duobus modis poſſe conſiderari hanc inductionem, aut ſuggeſtionem, ad voluntatem teſtatoris eligentis ſepulturam. In primis, quando inductio eſt ad voluntatem inefficacem electionis, & tunc minimè inducens afficitur cenſura; nam adhuc inductio illa non operatur obligationem, ut poſſit ſepeliri in Eccleſia propria, ubi inducitur; quapropter cenſura illa non afficitur, ut tenent Paludanus, & alii relati à Sayro *in Clavi Reg. lib.* 5. *cap.* 12. *numer.* 9. & apud Filliucium *in Summa*, *tract.* 15. *cap.* 7. *quæſt.* 9. Bonacina *d. punct.* 4. *prop.* 1. *verſ. Primò dum*.

30 Secundo modo eſt quando inductio iſta eſt ad voluntatem efficacem eligendi ſepulturam, & ex parte inducentis totum eſt completum, reſtat verò ut electio actuetur ex parte inducti: & in hoc caſu dicendum videtur, inducentem excommunicatione affici, quia in dicta Clementina inducentes excommunicantur; non verò præſcribitur, ut electio ſit exequuta. Ergo ante ſequutum effectum electionis, inducens excommunicatione innodabitur. Sed adhuc aſſero contrarium probabile eſſe, prout etiam agnoſcit Suarez *ſect.* 7. *nu.* 26 nam actus inducendi adhuc perfectus non eſt, niſi effectus ſequatur electionis ſepulturæ; ſicut actus occidendi, niſi alter intereat: quare cùm ad incurrendam excommunicationem vera, & perfecta inductio requiratur, donec effectus ſequitur, nequit dici inducens incurſus. Et confirmatur, nam quoties excommunicatio imponitur conſulenti, minimè incurritur; niſi effectus conſilii ſequatur. Duard. *in Bull. Cœnæ*, *q.* 10. *n.* 10. Bonacina *in eadem Bull. diſput.* 1. *q.* 15. *punct.* 1. *propoſit.* 2. *num.* 28. Ergo quamvis excommunicatio imponatur inducenti ad ſepulturam eligendam in Eccleſia propria, adhuc non incurretur, niſi ſequuto effectu electionis, ut tenent DD. relati n. 27.

Illud verò ad inductionem iſtam eſt obſervandum, ad 31
incurrendam excommunicationem requiri, ut adſit præſumptio inducentis, quia lata eſt contra temerarios violatores: temeritas enim requirit ſcientiam, & dolum, vel ſaltem ingentem temeritatem, quæ ſcientiæ æquiparatur. Bonacina *punct.* 4. *verſ. Tertia conditio*. Hanc ob rem ignorantia probabilis ab hac cenſura excuſat, tum etiam probabiliter ignorantia craſſa, & affectata; nam ignorantia iſta ſufficit ad excludendum abuſum temerarium, *c.* 1. *de conſtitut. in* 6. ubi DD. Ergo erit ſufficiens ad excuſandam hanc excommunicationem, ad cujus innodationem requiritur temeritas. Navarr. *in manual. c.* 27. *n.* 103. Suarez *d. diſp.* 22. *ſect.* 4. *nu.* 27. Paſqualig. *dec.* 376. Samuell. *diſp.* 2. *contr.* 3. *per tot.*

Eſt verò dubium, an quando aliquis inducitur ad vovendam, jurandam, vel promittendam electionem ſepulturę in propria Eccleſia, verùm electio facta ſit in Parochiali, aut ubi habet ſepulchrum Majorum, debeat ibidem ſepeliri? Et negandum videtur *ex d. cap.* 1. *de Sepultur. in* 6 ubi aſſeritur, non poſſe in hac ſpecie ſepeliri in ea Eccleſia, ubi electionem fecit per inductionem relatam. Sed contrarium tenendum, quia Bonifacius tantùm irritat electionem, ne ex vi illius ibidem ſepeliatur; non tamen prohibet, quin ſi alio titulo poſſit ibidem ſepeliri, non ſepeliatur. Ergo cum in hac ſpecie eligens habeat jus ſepeliendi in propria Parochia, aut in ſepulchro Majorum, poterit ex hoc jure ſepeliri in Parochia, aut in ſepulchro Majorum. Cæterùm, Decretum hoc Bonifacii eſt ſtricti juris, & pœnalis. Suarez *ſect.* 4. *num.* 26. Ergo non eſt extendendum, ut eligens privetur non ſolùm electione, ſed etiam alio jure communi ſibi competenti. Sylveſter *verbo Sepultura*, *num.* 5. Rodriguez *tom.* 3. *qu. Regul. q.* 58. *art.* 7. *dub.* 1. Paſqualig. *dec.* 378. Samuell. *diſput.* 2 *controverſ.* 6. *per tot.* Quod quidem ita intelligendum, niſi priùs alteram ſepulturam elegerit, quia ex eo quod ſecunda electio ſit irrita, ſepeliendus eſt in prima. Ricc. *d.* 4. *par. reſol.* 294. *num.* 39. Antonell. *d. lib.* 1. *cap.* 12. §. 4. *n* 43. *in fin.* Rodriguez *q.* 58. *art.* 7. *dub.* 2. Hieronym. Rodriguez *in compend. Regul. quæſt. reſol.* 128. *num.* 7.

Sed Samuell. *diſp.* 2. *controv.* 7. *concl.* 2. *à n.* 5. contrarium 35
cenſuit, nempè non eſſe ſepeliendum in prima rectè electa ſepultura; nam attentè perlecta conſtitutione Bonifacii *in d. cap.* 1. quoties aliquis ſepulturam elegerit, inductus ad vovendum, jurandum, vel promittendum, nec in Eccleſia, ubi elegit, eſt ſepeliendus, nec alibi, ne habeat materiam veniendi contra votum, ſeu juramentum; ſed eſt ſepeliendus ubi de jure communi debet tumulari: Ergo nequit ſepeliri in ſepultura anteà ſibi electa. Et confirmatur nam ſi alibi ſecundùm propriam voluntatem ſepeliretur, ſive ante, ſive poſt electionem juratam, daretur materia veniendi contra votum, aut juramentum. Ergo nequit ſepeliri in ſepultura ſibi anteà electa.

Verùm fundamentum Samuelli ſolidum non eſt; nam 34
illa Decretalis intelligenda eſt de electione ſepulturæ, quam facere intendiſſet teſtator, qui antea fuerat inductus ad vovendum, jurandum, ſeu promittendum eligere ſepulturam in Eccleſia propria; tunc enim daretur materia veniendi contra votum, ſeu juramentum, ut agnoſcit ipſe Samuell. *d. concl.* 7. *num.* 7. non verò quando ante electionem illam juratam jam habuiſſet ſepulturam electam; nam tempore electionis nondum erat votum, ſeu juramentum interpoſitũ, ut talis probaretur materia veniendi contra votum

tum seu juramentum. Ergo cessante ratione, debet sepeliri in sepultura priùs electa. Cæterùm licèt textus ille asserat, sic voventem, aut jurãtem esse sepeliendos, ubi de jure communi debebant sepeliri, Sylvester *verbo Excom. 7. numer. 49. & verbo Sepultura, n. 5.* Angelus *eod. verbo, nu. 39.* Pasqualigius *dec. 379. n. 3.* est tamen intelligendum quando antea testator nullam elegisset sepulturam, ut patet ex lttera. Ergo si antea electam ritè, & justè habuisset, in ea erit sepeliendus, ut benè tenent DD. relati *num. 31. in fin.* Trullench *d. cap. 9. dub. 5. n. 16.*

35 Circa personas, de quibus loquitur illa Decretalis, nempe: *Vniversis Clericis, Religiosis, & Sæcularibus, cujuscunque status, & conditionis existant*, sunt aliqua dubia Et in primis, an si inductio facta fuerit ad vovendam, vel jurandam electionem sepulturæ, ab uno tam Regulari, quàm Clerico alicujus Ecclesiæ, electio sit nulla, necne. Prima sententia asserit, Religiosum, vel Clericum sic inducentem graviter peccare, & excommunicatione affici; attamen electionem validam esse. Et ratio est, nam quando est aliqua Communitas, sive Regularium, sive Clericorum, tantùm Ecclesia punit, quando tota Communitas, aut major pars illius delinquit, *cap. 37. 16. quæst. 6. l. Iubemus 10. C. da sacros. Ecclesiis.* Ergo si tantùm una persona illius hanc fecerit inductionem, excommunicata remanebit ipsa, ast electio valida remanet in favorem communitatis, quæ non deliquit. Deinde delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, *cap. Delictum 76. de Reg. jur. in 6. l. Quod quis ex sua culpa, ff. de Reg. jur.* Maranta *de Ordin. Iud. 6. par. membro 5. in principio*. Ergo valida erit electio sepulturæ, ne alias ex carentia illius Communitas detrimentum patiatur. Sylvester *verbo Excommunicatio 7. n. 49.* Portellus *de Dub. Regul. verbo Sepultura, n. 6.* Ubaldus *de Can. cap. 11. n. 11.* Hieronymus Rodriguez *d. resol. 128. n. 8.*

36 Secunda sententia tenet contrarium; nam verba illius Decretalis ad universos diriguntur, non solùm omnes comprehendentia, sed singulas personas, tam Regularium utriusque sexus, quàm Sæcularium Clericorum cujuscumque status. Et probatur, nam aliàs constitutio illa inanis redderetur; rarò etenim, aut numquam tota communitas, aut major pars illius perveniret ad inducendum testatorem, ut juraret, aut voveret, promittereque electionem sepulturæ in sua Ecclesia. Deinde intentio Papæ est occurrere animarum periculis, & scandalis populi Christiani, ex similibus electionibus sepulturæ juratis, aut per votum corroboratis; quæ quidem ratio similiter procedit respectu singularium personarum, tam Religiosorum, quàm Clericorum, sicut respectu totius communitatis, aut majoris partis illius. Ergo similiter debet esse electio nulla, quando inductio fuit facta tam ab uno, quàm ab omnibus. Pasqualigius *decis. 380. num. 2.* Samuellius *d. disp. 2 controvers. 8. conclus. 2. à num. 5.* Trullench *d. cap. 9. dub. 5. nu. 17.*

37 In hoc dubio considerandum, aliquando Prælatum Monasterii, vel Præpositum, aut Abbatem Clericorum, posse hanc inductionem facere, ut eligatur voto, aut juramento sepultura: & tunc credo, electionem validam non esse, quia Prælatus, sive Regularis, siue Sæcularis sit, repræsentat totam Ecclesiam, seu Conventum, quia est persona publica: quod idem est dicendum de Sacrista, quapropter si Prælatus hanc inductionem fecerit, erit electio nulla, quatenus facta à persona publica, repræsentante totam communitatem. Tum & administratorio nomine id factum censetur nomine ipsius communitatis, unde electio illa erit nulla; quod idem est censendum, si à Parocho fiat nomine ipsius Ecclesiæ, ut tenet, & explicat Samuel. *d. disp. 2. controvers. 8. conclus. 4. n. 15.*

38 Erit ergo difficultas, quando Religiosus, aut Clericus non esset Prælatus, nec Sacrista, nec aliquo modo persona publica illius Communitatis: quo quidem casu admitto secundam sententiam asserentem, validam non esse electionem; nam Universalis loquutio omnes, & singulos comprehendit, nec aliquo modo est restringenda, nisi adsit ratio specialis restringendi. Marotus *cons. 59. col. 1.* Marta *de clausulis, q. 4. conclus. 4. num. 1.* Barbosa *de clausulis usufrequent. claus. 184. n. 1.* quæ quidem ratio hìc non adest, verùm est eadem in tota Communitate, prout in singulis diximus *n. 37.* Ergo licèt unus Clericus aut Religiosus de Communitate tantùm aliquem induxerit ad eligendam sepulturam in propria Ecclesia, juramento, aut promissione interposita, valida non erit electio, præcipuè cum Pontifex geminatè, & enixè loquatur: quo quidem casu universalis loquutio habet vim divisionis, & idem efficit, quasi de singulis loqueretur. Marotus *cons. 43. à n. 19.* Marta *d. claus. 4. n. 3.* Barbosa *d. claus. 184. n. 3.* Idcircò in specie hæc Decretalis de uno clerico, seu Religioso inducente ad electionem sepulturæ per votum, juramentum, aut promissionem, intelligenda est, & consquenter electio erit nulla.

Rursus est aliud dubium, an Decretalis ista intelligenda 39
sit de Parocho inducente testatorem, ut per votum, & juramentum, aut promissionem eligat Sepulturam in sua Ecclesia. Et prima sententia negat; nam Decretalis ista facta est favore Parochorum, ne Parochiani inducantur ad eligendam alibi sepulturam, cum damno Parochialis Ecclesiæ; quod enim in favorem concessum est, nequit in damnum retorqueri, *l. Nulla juris ratio 25. ff. de legib. leg. Quod favore 6. C. de legib. c. Quod ob gratiam 61. de Regul. jur. n. 6.* Ergo Decretalis ista non ligat Parochos, quin potius valida erit electio; unde asserit hæc sententia, Parochum non solùm posse inducere ad eligendam Sepulturam in propria Ecclesia, sed in aliena, quia potest suo juri cedere, *leg penult. C. de pact. cap. Suis, de testibus.* Tenet, dicens communem, Bonacina *dict. disput. 2. quæst. 5. punct. 4. proposit. 2. nu. 5.*

Secunda sententia affirmat, nam ut diximus, Parochus 40
est caput suæ Ecclesiæ, & Rector illius; quare nomine ipsius inductionem facere videtur, & majori ratione ad hanc Decretalem observandam tenetur. Tum ratio fundamentalis illius, non est favor Ecclesiarum Parochialium, sed obviare periculis animarum, & scandalis populi Christiani: quæ quidem ratio versatur in Parochis, prout in aliis Clericis. Ergo debet etiam Parochus tenere. Phebus *dec. 8. in fine*, Lavorius *d. tit. 2. c. 11. n. 3.* Barb. *de offic. Parochi, 3. part. c. 26. n. 38.* Samuel. *dict. disput. 2. controvers. 5. conclus. 1.*

Sed in hac difficultate dicendum, duobus modis posse 41
inducere Parochum testatorem ad eligendam sepulturam in sua Parochia. Primò quando esset Parochianus illius. Secundò quando alienus. In primo casu loquitur prima sententia, & satis probabilis videtur; nam in illa specie nihil aliud continet inductio, nisi conservationem juris Parochialis, & ut faciat actum licitum, & de jure necessarium, si sepulturam non eligat. Ergo non debet comprehendi casus iste in dicta Decretali. Tum cessant rationes illius, nempe animarum pericula, & scandala, quæ sæpè oriri solent, quando defunctus eligit sepulturam in aliena Parochia, aut in Monasteriis: quamobrem mens Pontificis videtur non esse hunc casum comprehendere, *cap. cessante, de Appellat.*

In secundo verò casu, quando Parochianus esset alienus, 42
procul dubio electio Sepulturæ erit nulla, & Parochus excommunicatione afficietur, si illum inducat ad eligendam sepulturam in propria Parochia; intrant enim rationes illius Decretalis, & est casus illius. Ergo electio erit nulla, & Parochus afficietur pœnis illius: quo in sensu rectè procedit secunda sententia.

Illud denique antequam hinc habeamus, non præter- 43
mittendum, pacta, & conventiones factas de sepulturis, non cum testatore, sed inter ipsas Ecclesias, veluti Parochiales cum Monasteriis, vel inter ipsas Parochiales, hoc decreto non comprehendi, sed validas existere. Trullench *dict. cap. 9. dub. 5. n. 14.* Molina *de Iust. tract. 2. disput. 214. n. 22.* Samuel. *dict. disput. 2. controvers. 8. conclus. 8. nu. 25.* Guttierrez *dict. 2. par. cap. 4. n. 12.*

Electio sepulturæ committi valet alterius voluntati, ut 44
de aliis causis piis commune est. Riccius *4. p. ref. 294. n 29.* Marchetus *de Sepultur. tit. 38. §. 6. n. 151.* Lavorius *dict. tit. 2. cap. 11. nu. 6.* Riccius *in Praxi fori, decis. 663.* Est tamen quæstio, an si aliquis commissarium designaverit, ut sibi eligat sepulturam, si vivente mandante, commissarius non eligat, possit id facere post ejus mortem? Prima sententia negat, nam morte mandantis exspirat mandatum, *l. 4. ff. Locati, cum vulg.* Ergo si vivente mandante nõ eligat, postea eligere non poterit. Cæterùm, nam mortuo mandante absque electione sepulturæ, statim jus acquiritur Parochiæ, ut ibidẽ sepeliatur. Ergo commissarius posteà non poterit eligere sepulturam. Geminianus *in cap. Is qui 3. de Sepultur. lib. 6.* La-

pus

Pus *in cap.1. de Sepult. in 6.* ſequitur Lavorius *d. c.11. nu.6.*

45 Secunda ſententia tenet contrarium, *ex leg. Vtrum 7. §. Cùm quidam . ff. de reb. dubiis*, ubi teſtator tres hæredes inſtituit, & alterum gravavit, ut mortuo teſtatore, reſtituat illam hæreditatem alteri ex iis, cui ſibi videbitur: & inquit Conſultus, valere fideicommiſſum. Ergo ſimiliter, valebit electio ſepulturæ alteri commiſſa, poſt ejus mortem. Cæterum probatur, nam mandatum iſtud eſt exequendum poſt mortem mandantis. Aſt mandatum, cujus effectus committitur neceſſariò poſt mortem, non exſpirat morte mandantis; *c. fin. §. fin. de teſt. in 6. l.38 Tauri.* Ergo commiſſarius poterit ſepulturam eligere poſt mortem mandantis, ut cum Ancharano probat Guttierrez *d.2. p.c.4. n.10.* Menochius *conſ.60. n.6.* Spino *de teſt. gloſſ.2. n.40.* Samuel. *de Sepult. tract.1. diſp.6 controverſ.13. n.7.* Diana *5. par. tract. 3. reſ.105.* Marchetus *d. tit.38. §.6. n.151.*

46 Tertia ſententia eſt Praxis Archiepiſcopalis Neapolitana *cap.76. n.2.* aſſerentis, commiſſarium poſt mortem mandantis eligere non poſſe ſepulturam in præjudicium Eccleſiæ habentis antiquiſſimam conſuetudinem ſepeliendi eos, qui non elegerunt ſepulturam. In hoc caſu videtur per commiſſarium fieri non poſſe electionem poſt mortem, cùm id ex ſimili conſuetudine excluſum videatur.

47 In re enim dicendum videtur, quod ſi non adſit conſuetudo iſta, ut commiſſarius non poſſit eligere ſepulturam poſt mortem mandantis, de jure loquendo, ſecundam ſententiam eſſe admittendam; illa enim regula expedita eſt, ut quis poſſit per alium efficere, quod per ſe poteſt, *l. Qui per alium, ff. de regulis juris.* Cùm ergo per ſe poſſit eligere ſepulturam, ut poſt ejus mortem ſortiatur effectus, idem poterit per alium percipere, ut fiat à commiſſario poſt ejus mortem; ex juris enim indulgentia, etiam poſt ejus mortem durat ejus voluntas. Cæterùm in præſenti ſepultura jam electa eſt à mandante, eo vivente; deſignatio verò illius tantùm eſt commiſſa, & mandata commiſſario. Ergo quoties commiſſarius poſt mortem mandantis eligit ſepulturam, deſignat mandatam à teſtatore, eo vivente. Ergo rectè eligit etiam poſt mortem illius, ut tenent etiam Addit. Abbat. *in c. Et ſi Chriſtus, de jurejur.* Rub. *conſ.5.* Ancharanus *conſ.214.* Paſqualigius *dec.399. num.3.* Trullench *d. cap.9. dub.5. n.8.*

48 Ad electionem validam ſepulturæ, non ſolùm uſus rationis requiritur, ſed & debita ætas, nimirum pubertas, quæ in viro eſt quatuordecim annorum, & in fœminis duodecim annorum, *cap. ult. de ſucceſſ. ab inteſt. cap. Licèt 4. de Sepultur. in 6.* Idque etiam ſi pubes ſit filius familias; etſi de jure communi teſtari non poſſit, quod majori ratione admittendum in noſtro Regno, ubi filii familias teſtantur, ſi puberes fuerint, *l.5 Tauri, leg.4. tit.4. lib. 5. Recopilat.* Guttierrez *Pract. lib.2. qu.19.* quare pubes filius ſibi eligere poteſt ſepulturam. Trullench *dict. c.9. dub.5. n.4.* Medicis *de Sepult. 1.p. qu.8. à n.1.* Antonellus *d. lib.1.c.12. §.4. n.47.* Parladorius *d differ.66. n.2. §.1.* Paſſerinus *d. inſpect.4. n.264.*

49 Sed quid ſi pubes filius familias moriatur, ſepultura non electa, an pater ipſius poſſit illam eligere, ut ſuus filius in ea ſepeliatur? Et affirmandum videtur, nam pater habet curam paternam in temporalibus, ad quæ etiam competit cura corporis defuncti, ut ſepeliatur. Ergo poterit illius ſepulturam eligere, ſi ipſe non eligat. Verùm contrarium eſt tenendum, niſi adſit conſuetudo, *ex d. c. Licèt 4. de ſepultur. lib.6.* ubi clarè deciſum eſt, quod ſi filius pubes decedat, non electa ſepultura, ſepeliendus eſt in ſepulchro Majorum, aut in Parochiali. Ergo cùm de jure deciſum ſit ubi in hoc caſu filius familias eſt ſepeliendus, neutiquam pater poterit pro illo eligere ſepulturam. Cæterum ratione probatur, quia ex eo quod filiusfamilias potuiſſet eligere ſepulturam, & non eligit, videtur elegiſſe illam, aut in ſepulcho Majorum, ſi illud habuiſſet, aut in Parochiali. Cùm ergo jam electam habeat ſepulturam, nequit à patre eligi. Farinacius *in d c. Licèt, n.2. & 3.* Samuellius *de ſepult. d. diſp.6. controv.10. à concl.1.* Marchetus *d. tit.38. §.6. n.141* Paſſerinus *d. inſpect.4. n.270.*

50 De impuberibus tamen illud ſcitum eſt, eligere non poſſe ſepulturam, niſi malitia ſuppleret ætatem; tunc enim poſſent eam eligere abſque conſenſu patris, quia puberibus comparantur. Medicis *d.q.8. n.1.* Lavorius *d. tit.2. c.11. nu.109.* Aut quando impubes ſepulturam elegerit, & pubes factus ratificaverit, ut in profeſſione deciſum *in cap.1. de Reg.* Medicis, *dict. num.1.* Lavorius *n.110.*

Eſt tamen dubium, an pater poſſit eligere ſepulturam pro filio impubere? Prima ſententia affirmat, nam pater poteſt pro filio impubere facere teſtamentum, & per ſubſtitutionem pupillarem de rebus illius diſponere. Ergo etiam ſepulturam eligere, ut tenuerunt Hoſtienſis, & alii antiqui. Portell. *tom.2. Mor. caſu 68. à nu 1.* 51

Secunda ſententia aſſerit, poſſe patrem ſepulturam eligere per filio impubere vivente, non autem defuncto, ob fundamentum prioris ſententiæ, ut cenſuit Sacra Congregatio Epiſcoporum in una Flugenienſi, 27. Octobris 1587. quam refert, & ſequitur Diana *5.p.tract.3. reſ.107.* 52

Tertia ſententia communis aſſerit, patrem pro impubere filio non poſſe eligere ſepulturam, niſi adſit conſuetudo legitimè præſcripta, prout expreſsè probat textus *in d. cap. Licèt*; & ducitur ratione, nam licèt pater poſſit pro filio impubere diſponere, faciendo teſtamentum de rebus temporalibus, non tamen de ſpiritualibus, prout eſt electio ſepulturæ: quapropter, niſi adſit conſuetudo in contrarium, nequit pater pro filio impubere ſepulturam eligere. Sylveſter *verbo Sepultura, q.7.* Navarrus *conſ.2. de Sepulturis*, Parladorius *d. different.66. §.1. nu.14.* Barboſa *de Vniverſo*, *lib 2.c.10.n.28.* Genuenſis *in Praxi, c.76.n.4.* Marchetus *d. tit.38. §.6. n.141.* Villalobos *in Summa, 2.p.tract. 31. diffic. 2.n.2.* Trullench *d.cap.9 dub.5.n.5.* Layman *in Summa lib. 3.tract.5.c.10.n.5.* Sperellus *dec.89.n.3.* Paſſerinus *d. inſpection.4.nu.270.* 53

In hoc dubio adnotandus eſt in primis P. Molina *de Juſt. tract.2.diſp.214.num.12.* aſſerens, patrem poſſe eligere ſepulturam pro filio impubere, niſi conſuetudo adſit in contrarium. Verùm Doctor ipſe æquivocationem recepit, dum *ex cap. Licèt*, quod citat, talem accepit propoſitionem; nam textus ille contrarium decidit, nempe poſſe patrem pro filio impubere ſepulturam eligere, ſi ad id adſit conſuetudo; unde textus ille pro regula dat, quod ſi conſuetudo deficiat, non poſſe patrem pro impubere filio ſepulturam eligere: quapropter Pater Molina æquivocationem recepit, nec rectè ſcripſit, & animadvertit. Sperellus *d. deciſ.89.num.4.* 54

Hac facta ſuppoſitione dico in ſpecie conſuetudinem proſpiciendam eſſe, quæ ſi ſit, ut pater eligat ſepulturam pro filio impubere, id eſſe abſque controverſia admittendum, ut deciſum eſt *in d.c. Licèt.* Verùm, ut advertit Villalobos *d. difficult.2.n.2.* conſuetudo iſta apud omnes recepta eſt, quod quidem non ex ſolo ſuo dicto admittendum: nam ut alibi diximus, uni Doctori aſſerenti de conſuetudine, credendum non eſt: quamobrem erit concertatio, quando nulla adſit conſuetudo. In qua quidem ſpecie textus *in d.c. Licèt*, aſſerit patrem non poſſe eligere ſepulturam pro filio impubere. Aſt in contrarium ſunt duæ declarationes Cardinalium, quarum unam ſcripſimus *n.52.* & alteram abſolutè in tenentem refert Barb. *d.c.10. nu.28. verſ. Noviſſimè*, 20. *Jan.* 1640. Marchetus *d. §.6. nu.148.* 55

Verum in re conſidero, duobus modis poſſe patrem pro filio impubere ſepulturam eligere: aut quando facit teſtamentum pro filio, ſcilicet faciendo ſuum, & inſimul diſponendo de rebus filii impuberis per pupillarem ſubſtitutionem; quia tunc diſpoſitio illa eſt quaſi pars, & ſequela teſtamenti paterni, idque in vita ipſius filii, *Liberis 6. Inſtit. de pupillar ſubſtit. l.2. §. Prius, & §. Quiſquis, l. Si quis cum 16 §. fin. l. Quia plures 38. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. leg. penult ff. Quemadmodum teſtamenta aperiantur, leg.10. ad fin. tit.5.par.6.* Et in hoc caſu aſſero, etiam poſſe eligere ſepulturam filii impuberis, ſi intra ætatem pupillarem decedat, etiamſi conſuetudo non ſit. Ducor, nam in hac ſpecie non loquitur textus *in dict. cap. Licèt*, niſi quando pater ſimpliciter nullo facto teſtamento, vellet eligere ſepulturam filii impuberis, quod eſt diverſum. Deinde, nam quando pater facit proprium teſtamentum, & tanquam filii impuberis; tunc à jure ei præſtatur facultas faciendi teſtamentum filii, ut pote ſi filius feciſſet, *l. Patris & filii 20. ff. de vulgar. & pupill ſubſt. l. Pater familias 13. de Privilegiis cred.* Aſt filius in ſuo teſtamento poteſt ſibi eligere ſepulturam. Ergo ſimiliter pater, ſi faciendo ſuum teſtamentum faciat teſtamentum filii impuberis. 56

Sed dices, hanc facultatem datam eſſe à jure patri in rebus temporalibus, non pro ſpiritualibus, ut eſt electio ſepulturæ, ut admittit tertia ſententia *n.53.* Ergo licèt pater poſſit cum ſuo teſtamento facere teſtamentum filii, non tamen poterit eligere ſepulturam. Sed reſpondetur, electionem 57

nem ſepulturæ eſſe partem ultimæ voluntatis, Medicis *d. quæſt. 8. nu. 1.* Ergo cùm ultima voluntas impuberis commiſſa eſt patri, quando ſuum facit teſtamentum, inde eſt, ut jus ipſum ei committat electionem ſepulturæ impuberis, etiamſi electio ſit ſpiritualis. Confirmo diſcurſum, nam hæc facultas, ut pater poſſit teſtari pro filio impubere, non ſolùm eſt de Jure Civili, ſed & de Jure Canonico, *c. Raynutius 17. cap. Raynaldus 18. de teſt.* Textus clarus *in c. Si pater. 1. de teſtament. in 6.* Ergo cùm Jus Canonicum hanc facultatem dederit patri, ut teſtetur pro filio, conſequenter fecit illum capacem, non ſolùm diſponendi de rebus temporalibus, ſed & de ſpiritualibus, de quibus diſponere poterat filius per ſuam ultimam voluntatem; ex eo enim quod commiſit patri ultimam voluntatem filii, commiſit ſpiritualem electionem ſepulturæ, ut partem illius. Ergo benè poterit pater, quando facit teſtamentum filii impuberis, ſepulturam illius eligere, ut ſi intra pupillarem ætatem moriatur, ibidem ſepeliatur.

58 Si verò pater ſuum non faciat teſtamentum, nec filii, ut ſequelam illius, nequit ſepulturam eligere. Et probatur, nam patri non committitur filii ſui impuberis ultima voluntas, niſi quando facit proprium teſtamentum; ut benè advertit Pichardus *in d. §. Liberis 6. Inſt. de pupillar. à n. 5.* Gomez *var. tom. 1. c. 4. nu. 2.* ubi Ayllon *n. 4.* Fuſarius *de ſubſt. pupill. quæſt. 118.* Tuſchus *litt. S, concluſ. 822.* Ergo ſi ſimpliciter abſque ullo facto teſtamento pater velit eligere filii ſui impuberis ſepulturam, neutiquam poterit.

59 Unde ad concordiam reduci poſſunt textus *in dict. cap. Licèt*, & declarationes Cardinalium, nempè ut declarationes intelligantur, quando in vita impuberis pater faciens teſtamentum, etiam fecerit filii teſtamentum, ut in terminis videtur intelligenda declaratio facta 27. Octobris, relata *num. 51.* & admittit Sperellus *dict. deciſ. 89. nu. 5.* Textus verò *in c. Licèt*, ſit intelligendus quando ſimpliciter vellet pater pro filio impubere ſepulturam eligere.

60 Si verò conſuetudo adſit, ut pater pro filio impubere eligat ſepulturam, non ſolùm id intelligas de filio in patria poteſtate exiſtente, verùm etiam de emancipato, Medicis *dict. quæſt. 8. nu. 7.* quod idem eſt dicendum de adoptivo, dummodò decedat, vivo patre, quia ſub ejus cura, & poteſtate eſt, *l. 1. ff. de adopt.* Medicis *ubi proximè, nu. 8.* Samuellius *dict. diſp. 6. controverſ. 9. concluſ. 4.* Marchetus *dict. §. 2. nu. 141.* & probabiliter extendunt aliqui ad filios naturales, & ſpurios, Samuellius *dict. diſp. 6. controv. 9. per tot.* Paſſerinus *d. inſpect. 4. num. 272.*

61 Eſt tamen dubium, an hac exiſtente conſuetudine, mater poſſit eligere ſepulturam pro filio impubere? Prima ſententia negat, nam ſimilitudo ſe fundat in patria poteſtate, quam mater non habet in filios, *§. Fœminæ, Inſtit. de adopt. §. Cæteri, Inſtit. de hæred. qualit. & different. leg. Illud. 4. §. Ad teſtamenta, ff. de bon. poſſeſſ. contra Tabul.* Ergo ſimilis conſuetudo non eſt extendenda ad matrem, ut poſſit eligere ſepulturam filii impuberis. Cæterùm hæc conſuetudo eſt juris correctoria, quatenus aſſerit, filium impuberem debere ſepeliri in Parochia, aut in ſepulchro Majorum, & conſequenter non extendenda, Ubaldus *d. cap. 11. n. 4.* Ergo non eſt extendenda ad matrem, ut poſſit eligere ſepulturam pro filio impubere, Cencius relatus à Geminiano *in dict. cap. Licèt, num. 5.* Ubaldus *dict. num. 4.* Praxis Archiepiſcopalis *c. 16. n. 4.* Medicis *q. 9. n. 23.*

62 Secunda ſententia contrarium tenet, nam hæc conſuetudo non fundatur præcisè in patria poteſtate, ſed in cura, & diligentia parentum erga filios, ne inſepulti remaneant, aut cum minori decentia ſepeliantur: quamobrem mater, ſicut pater, conſuetudine exiſtente, poterit pro filio impubere eligere ſepulturam. Rurſus conſuetudo iſta non eſt juris correctoria, ſed tantùm à jure exorbitans, quæ ex identitate rationis extenſionem recipiat, Ozaſchus *dec. 120. n. 4. & deciſ. 22. num. 9.* Menochius *de adipiſcend. remedio 4. num. 24.* Farinacius *in Fragment. verbo Extenſio, n. 123.* Ergo conſuetudo iſta extendenda eſt ad matrem. Unde Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium 20. Januarii 1640. decrevit, poſſe parentes pro filiis minoribus ſepulturam eligere, in qua non ſolùm comprehenditur pater, ſed etiam mater, Franchis *in dict. c. Licèt, n. 3.* Molina *dict. diſput. 114. n. 12.* Sà *verbo Sepultura, n. 11.* Laym. *dict. lib. 3. tract. 5. cap. 12. n. 5.* Mancinus *in Praxi viſitand. infirm. in ordin. ad ſepultur. dub. 16.* Sperellus *dict. deciſ. 89. à num. 6.* Marchetus *dict. §. 6. n. 146.*

In hoc dubio conſuetudo iſta eſt valdè contemplanda; 63
debet enim eſſe uniformis, & per quadraginta annos præſcripta, nec debet eſſe particularis alicujus Eccleſiæ, Sperellus *dict. deciſ. 89. num. 26.* Marchetus *dict. §. 6. n. 147.* Paſſerinus *dict. inſpect. 4. num. 271.* Tum proſpiciendum ad quid ſe extendat; nam poteſt eſſe recepta etiam quoad matres, quando abſentes ſunt mariti, aut mortui; quo quidem caſu, etiam matres poſſunt ſepulturas filiorum impuberum eligere ex vi illius conſuetudinis, quæ quidem rationabilis eſt; nam ad curam parentum pertinet filios ſuos ſepelire, & ſepulchro mandare ex pietate, & charitate, non ſolùm chriſtiana, ſed & naturali, Geminianus *in d. cap. Licèt*, ut refert Sperellus *d. deciſ. 89. n. 8.* Trullench. *d. cap. 9. dub. 5. num. 6.*

Si verò conſuetudio iſta in matribus admiſſa non eſt, 64
ſed tantùm in patribus, difficultas ſtat, an extendi poſſit ad matres. Et ſi electio fiat à matre ſingularis ſepulturę ad filium ſepeliendum in propria Parochia, facilè conſuetudo illa eſt protrahenda, quia parvum præjudicium infert Parochiæ, & non eſt dicenda conſuetudinis extenſio contra jus, ſed juri conformis, hanc ob rem facillimè admittenda. Si verò electio fiat extra Parochiam, admitto primam ſententiam; nam conſuetudo illa opponitur juri neganti patri electionem ſepulturæ filii impuberis, *cap. de Uxore 6. §. fin. de ſepultur. cap. Licèt 4. eodem tit. lib. 6.* ne præjudicium fiat Eccleſiis Parochialibus. Ergo non eſt extendenda ad Matrem, quoties ſimile præjudicium ſequitur eligendo ſepulturam extra Parochiam. Cæterùm licèt hæc conſuetudo fundetur in cura parentum, ut diximus, & tenet Samuellius *dict. diſput. 6. controverſ. 9. num. 6.* & ideò rationabilis videatur; non tamen erit rationabilis, quando eſt extendenda ad aliam perſonam cum gravi tertii præjudicio. Ergo minimè eſt extendenda conſuetudo iſta ad matrem, quando non eſt in uſu, ſicut nec ad Patrem pertinet eligere ſepulturam filii impuberis, quando in uſu, & conſuetudine non eſt.

Sed dices, Sacram Congregationem, relatam *n. 51.* 65
id parentibus conceſſiſſe, quam etiam refert Barboſa *in ſumma, Collect. 671. num. 14.* Sed reſpondetur, declarationes Cardinalium, licèt ſint magnæ authoritatis, jus tamen non facere, ut alibi diximus: Præterquam quod poteſt hæc declaratio intelligi ſuppoſita conſuetudine, ut non ſolùm pater, ſed etiam mater poſſit eligere ſepulturam minorum: quo quidem caſu rectè procedit.

Avus pro nepote nequit ſepulturam eligere, quia in 66
odioſis Nepotes appellatione filiorum non veniunt, Medicis *dict. quæſt. 8. num. 12.* Ubaldus *dict. cap. 11. num. 5.* Trullench *dict. dub. 1. nu. 6.* Nec filius pro patre etiam furioſo, Riccius *4. par. reſol. 294. num. 37.* Medicis *d. q. 8. n. 25.* Marchetus *d. §. 6. num. 155.* Et ratio clara eſt, quia hæc facultas conſuetudine exiſtente, conceſſa eſt patri reſpectu filij, non è contra,

Eſt tamen dubium breviter reſolvendum, an amicus pro amico poſſit ſepulturam eligere. Affirmarunt aliqui, quia amicus eſt alter. Ergo, & amicitiæ eſt multùm deferendum, *l. fin. C. de Caſtrenſ. pecul. lib. 12.* Tiraq. *de pœnis temperand. cauſa 23.* Ergo ſi adſit conſuetudo, poterit amicus pro amico ſepulturam eligere, Gloſſa *in d. c. Licèt 4. de ſepultur.* Verbo *Vel in Parochiali*, ubi Franchus *nu. 3.* Gratianus *diſcept. tom. 1. c. 94. n. 80.* Paſſerinus *d. inſpect. 4. n. 286.*

Sed in contrarium eſt communis tenenda ſententia, quia 67
aut amicus eſt pubes, & tunc electio ſepulturæ eſt perſonaliſſima, nec ad alium tranſit; ſi verò impubes, ſolida non eſt amicitia, & unio voluntati, cùm per imbecilli. tatem ætatis fragilis cenſeatur. Ergo nullum eſt fundamentum, ut poſſit amicus pro amico ſepulturam eligere. Nec ſi adſit conſuetudo, potuit rectè introduci, quia cura defuncti ad conſanguineos pertinet, non ad amicos, Trullench *d. c. cap. 9. dub. 5. num. 6.* Barboſa *ad textum in cap. 1. de ſepult. in 6. num. 6.* Paſqualigius *deciſ. 396. num. 4.* Samuellius *d. diſp. 6. controv. 8. per tot.*

Nec fundamenta contraria alicujus ponderis ſunt; nam 68
amicus eſt alter: Ergo in voluntatis affectu, non in jurium participatione, & quamvis in jure multùm deferatur amicitiæ, non verò ad hanc electionem, quę perſonaliſſima eſt, Samuellius *dict. controv. 8. num. 12.*

Nec frater pro fratre poteſt eligere ſepulturam, licèt 69
major fuerit; & defunctus impubes, quia id tantùm conceſſum eſt partibus, Medicis *dict. quæſt. 8. nu 24.* Marche-

tus *d.* §. 6. *nu.* 157. Barboſa *in cap.* 1. *de ſepult. n.* 6. Tondutus *tom.* 1. *cap.* 114. *num.* 13.

70 Quid verò ſi conſuetudo ſit, ut hæ perſonæ de jure interdictæ eligere ſepulturam, eam eligant, veluti frater, pro fratre, avus pro nepotibus. Et aſſerunt multi, validam eſſe, & exequendam; nam in funeribus multùm valet conſuetudo, & in ſpecie rationabilis videtur, cùm in conjunctione ſanguinis fundetur, Belletus *Diſquiſit. Cleric.* 1. *part. de Clerico debit.* §. 3. *n.* 18. Diana 5. *par. tract.* 3. *nu.* 108. *verſ. Notandum*, Samuel. *d. diſp.* 6. *contr.* 6. *per tot.*

71 Sed tamen contrarium verius cenſeo; nam conſuetudo laicorum non poteſt directè, aut indirectè præjudicium Eccleſiis inferre; quod quidem non leve ſequitur, ſi facilè conſuetudine iſtæ admitterentur. Tum etiam probatur *ex dicto cap. Licèt*, ubi ſolùm in Patribus reſpectu filii impuberis admittitur conſuetudo iſta. Ergo quia in aliis irrationabilis fuiſſet: nec ſanguinis conjunctio eſt alicujus ponderis, quia reſpectu hujus electionis ſolùm conſideratur conjunctio patris, Riccius 1. *par. reſolut.* 577. *nu.* 1. Marchetus *dict.* §. 6. *n.* 160.

72 Tutor nequit eligere ſepulturam ſuo pupillo, cùm ſit materia odioſa, & ad alias perſonas, non extendenda, Burſatus *vol.* 3. *conſilio* 126 *n.* 18. Bellettus *d.* §. 3. *nu.* 18. Barboſa *in cap.* 1. *de ſepult. nu* 6. Paſſerinus *d. inſpect.* 4 *num.* 282. & 3. *ſeqq.* Sed eſt difficultas, an id fieri poſſit in Ditionibus ubi adeſt conſuetudo, ut pater eligebat ſepulturam pro filio impubere. Et aliqui affirmarunt, quia tutor eſt loco patris, & non ſolùm ad res datur, ſed etiam ad perſonas. Ergo ad tutorem facienda eſt extenſio, ut poſſit pro pupillo eligere ſepulturam, Barboſa *in dict. cap.* 1. *de ſepult. nu.* 6. Diana *d.* 5. *par. tract.* 3. *reſolut.* 108. *verſ. Notandum*, Samuellius *d. diſp.* 6 *controv.* 7. *per tot.* qui *concluſ.* 6. idem affirmat, licèt iſta conſuetudo non adeſſet.

73 Hæc ultima pars Samuelli communiter non admittitur; nam licèt cura patris tranſeat ad tutorem, ut cum Paludano, & Soto advertit Azorius *Inſt. Moral.* 1. *par. lib.* 8. *c.* 25. *quæſt.* 9. cùm tamen nequeat ipſe pater pro pupillo eligere ſepulturam, niſi exiſtente conſuetudine, *ex dict. c Licèt*, & probanda, Ludoviſius *deciſ.* 276. *n.* 1. Tondutus *tom.* 1. *quæſt beneficial. c.* 94. *num.* 8. nec ipſe tutor poterit. Tota ergo relinquitur difficultas, ſi conſuetudo adeſſet, ut patres eligant ſepulturam, an poſſit extendi ad tutorem? Et negandum videtur, nam cura iſta eligendi ſepulturam, tantùm ex conſuetudine conceſſa eſt partibus, ſpeciali ratione arctiſſimæ ſanguinis conjunctionis, & propter naturalem affectionem ad filios. Ergo non eſt extendenda ad tutorem, in quo hæ cauſæ non urgent. Cæterùm cura Tutoris verſatur circa temporalia rerum, & perſonæ pupilli; non verò ad ſpiritualia, in quibus nec patria poteſtas viget, *c. de Jud. in* 6. Electio autem ſepulturæ ſacrę eſt quid ſpirituale, perſonaliſſimum propriæ perſonæ. Ergo nequit conſuetudo iſta extendi ad tutorem, neque ad ejus curam, præcipuè cùm ſit res iſta committenda poſt mortem pupilli, ubi jam cura ceſſavit. Denique conſuetudo iſta eſt contra Eccleſiam Parochialem habentem ad ſepelturam ſuam intentionem fundatam, ut jam diximus, Riccius 1. *par. deciſ.* 215 *à num.* 4. Lauorius *dict. tit.* 2. *cap.* 12. *n.* 54. quapropter reſtringenda eſt, & non extendenda ad tutores pupillorum, Medicis *d. q.* 8. *n.* 26. Sperellus *d. deciſ.* 89. *n.* 33.

74 De ſervo verò illud eſt expeditum, quod ſi pubes fuerit, poſſit eligere ſepulturam, quia dominus in ſpiritualibus non habet poteſtatem in ſervos, Sylveſter *verbo Sepultura nu.* 6. Si tamen impubes fuerit, pro eo à domino fieri electionem poſſe, communis eſt ſententia, quia dominus comparatur aſt ſervum, ſicut pater ad filium. Ergo ſicut pater poteſt eligere ſepulturam pro filio impubere, ita dominus pro ſervo, Medicis *dict. quæſt.* 8. *nu.* 9. Barboſa *in cap.* 1. *de ſepulturis*, *nu.* 6. Paſqualigius *deciſ.* 392. *nu* 2. Lavorius *d. tit.* 2. *cap.* 11. *n.* 156. Samuellius *tract.* 1. *diſp.* 5. *controv.* 1. *à concluſ.* 8.

75 Doctores iſti abſolutè ponunt hanc doctrinam, non facta mentione alicujus conſuetudinis. Excipio tamen Barboſam, qui loquitur ſuppoſita conſuetudine, ut pater poſſit eligere ſepulturam pro filio impubere: quo caſu extendenda eſt hęc conſuetudo ad dominum reſpectu ſervi. Verùm in noſtris fundamentis contrarium teneo, ut de matre, & aliis diximus.

76 Uxor poteſt liberè ſepulturam eligere, *cap. De uxore* 6. *de ſepultur. cap. Is qui* 3. §. *fin. de ſepultur. lib.* 6. Aſt conſiderandum, duobus modis poſſe eligere, nempè per ultimam voluntatem, & tunc conſenſus viri non eſt neceſſarius; ſi tamen per contractum eligat, aliter eſt dicendum, præcipuè de jure noſtro Regio, ubi uxoribus interdictum eſt, ne aliquo modo contrahant abſque viri licentia, *l.* 55. *Tauri*, *l.* 2. *tit.* 3. *lib.* 5. *Recopilat.* quapropter primo in caſu, inconſulto marito eligere poterit ſepulturam, ſecus in ſecundo, Valenſis *in Parat. ad tit. de Sepulturis*, §. 3. *n.* 2. Spino *de teſtament. gloſſ.* 2. *n.* 41. Paſqualigius *deciſ.* 381. *n.* 303. Trullench *dict. c.* 9. *dub.* 5. *n.* 7. Sperellus *deciſ.* 88. *n.* 18. Samuellius *diſp.* 5. *controv.* 2. *concluſ.* 1. Paſſerinus *dict. inſpect.* 4. *num.* 263.

Epiſcopus poteſt ſibi eligere ſepulturam in alia Eccleſia quàm Cathedrali, *cap. Bonæ* 12. *quæſt.* 2. *cap. Apoſtolico*, *de Donat.* Parladorius, *dict. different.* 66. §. 1. *nu.* 5. Medicis *d. q.* 8. *nu.* 11. Quod idem aſſerit de Abbatibus, quia habent velle, & nolle, *cap. Si Religioſus* 27. *de elect. in* 6. dummodo non recognoſcant Superiorem, niſi Papam, Armilla *verbo Sepultura*, *nu.* 6. Medicis *num.* 12. Verùm eſt aliqua difficultas, an Abbas poſſit eligere ſepulturam pro Religioſo? Et affirmavit Rodriguez *q. Regul. tom.* 3. *q.* 60. *art.* 1. Caponi *tom.* 5. *diſcept.* 325. *nu.* 17. quia pater poteſt eligere ſepulturam pro filio. Ergo & Abbas pro Religioſo. Sed Sanchez *in Summa*, *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 13. *nu.* 6. tenuit contrarium; nam pater de jure id non habet, ſed ex vi conſuetudinis legitimè præſcriptæ; quare de jure nequit Abbas pro Religioſo eligere ſepulturam, Medicis *d. q.* 8 *n.* 27. 77

Eſt tamen aliud dubium, an Prælati Religionum poſſint ſibi eligere ſepulturam? Prima ſententia aſſerit, tantùm id concedendum Generalibus; nam cùm ipſi immediatè ſubjiciantur Pontifici, habent velle, & nolle quapropter poterunt eligere ſepulturam; ſecus verò alii Prælati inferiores, qui cùm Generalibus ſubjiciantur, nec velle, nec nolle habent, Armilla *verbo Sepultura*, *n.* 6. Sylveſter *eodem verbo*, *quæſt.* 6. 78

Sed tamen communis ſententia id extendit ad omnes Prelatos, quia iſti alios Religioſos ſubditos habent, & in ſpiritualibus in quamplurimis caſibus habent velle, & nolle. Ergo ſimiliter in electione ſepulturæ, Rodriguez *qu. Regul. tom.* 3. *quæſt.* 60. *art.* 1. Sanchez *dict. lib.* 6. *cap.* 14. *n.* 7. Palao 3. *part. Oper. Moral. diſput.* 4. §. 8. *punct.* 13. *num.* 2. Paſqualigius *deciſ.* 384. *num.* 3. Samuellius *tract.* 1. *diſput.* 4. *controverſ.* 8. *concluſ.* 2. Capponi *d. diſcept.* 325. *à num.* 21. 79

Prima tamen ſententia mihi magis placet, ex deciſione textus *in cap. fin. de ſepultur. lib.* 6. ubi generaliter loquendo, omnibus Religioſis intendicitur eligere ſepulturam, niſi agant in remotis, & rationem dat textus, quia non habent velle, nec nolle; qui quidem textus libet intelligi de omnibus, licèt Prælati, dummodò alteri ſubjiciantur, prout ſunt iſti Prælati inferiores Regulares. Et ratio eſt, quia iſti, licèt ſint Prælati; adhuc remanent Religioſi, & ſub præciſa obedientia ſuis Superioribus præſtanda. Ergo ad electionem ſepulturæ non habent velle, nec nolle. Et quamvis in aliquibus habeant velle, & nolle, id eſt quando ex Regula, aut ſuis Conſtitutionibus eis eſt conceſſum; non verò in electione ſepulturæ, circa quam omnibus Religioſi nolle, & velle de jure interdictum eſt *in d. cap. fin.* 80

Illud verò obſervandum, ut ſi ex ſecunda ſententia aliquis Regularis Prælatus ſepulturam elegerit, & poſteà deponatur, aut Prælaturæ renunciaverit, non ſepelietur in ſepultura electa, quia ad id inſpicitur tempus mortis, non verò electionis, Medicis *dict. quæſt.* 8. *num.* 12. *in fin.* Rurſus Generalem poſſe hanc electionem irritare, explorati juris eſt, ſi fiat ante mortem eligentis, ſecus ſi poſteà, quia actus jam eſt conſummatus, Samuellius *dict. controver.* 8. *concluſ.* 2. *n.* 8. Caponi *d. diſcept.* 325. *à num.* 22.

Religioſi alteri ſepulturam eligere non poſſunt, niſi in remotis agant, & nequeant ad Monaſterium adduci; jam ita eſt deciſum *in dict. cap. fin.* ubi Gloſſa *in fin.* Navarrus *commen. de Regularib. num.* 33. Layman *in Summa*, *lib.* 2. *Summæ*, *tract.* 5. *cap.* 12. *num.* 6. Barboſa *de offic. Paroch.* 3. *par. cap.* 26. *num.* 30. Riccius *in Praxi*, 4. *par. reſolut.* 293. *n.* 39. Attamen ſi fuerint aſſumpti ad Cardinalatum, Archiepiſcopatum, Epiſcopatum, vel ad aliam extraordinariam Dignitatem, ſepulturam poſſunt eligere, quia jam habent velle, & nolle, prout ſtatus ipſe requirit, Rodriguez *tom.* 3. *quæſt.* 60. *art.* 2. alter Rodriguez *in Compend. reſolut.* 81

ſolut. 128. *n.* 16. Pellizarius *in Man. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 50. *n.* 130. Caponi *d. diſcept.* 325. *n.* 28.

83 Novitius verò rectè ſepulturam eligere valet, quia textus *in dict. c. fin.* ſolùm loquitur de Religioſis profeſſis, nec in odioſis intelligitur Religioſus, Sanchez *dict. lib.* 6. *c.* 14. *nu.* 9. Medicis *dict. quæſt.* 8. *n.* 14. Diana 5. *par. tract.* 3. *reſol.* 109. Quod idem eſt dicendum de Converſis, & Tertiariis in communitate non viventibus, Medicis *dict. quæſt.* 8. *n.* 15. Caponi *dict. diſcept.* 325. *à nu.* 40. Antonellus *dict. lib.* 1. *cap.* 12. §. 4. *num.* 46.

84 Sed quid de Religioſo, qui ob patrata facinora à Religione expellitur? Et aſſerendum videtur, eligere poſſe ſepulturam, quia in multis habet velle, & nolle, donec à Superioribus revocetur, & ita relinquitur quaſi Religioſus non eſſet, Pellizarius *tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 3. *n.* 132. Caponi *d. diſcept.* 315. *n.* 39.

85 In calce tamen hujus capitis neceſſariò apponendum, quomodo electio ſepulturæ probetur? Et certum eſt probari per teſtamentum, codicillum, ſcripturam, vel teſtes, etiamſi electio fiat in Eccleſiis Regularium, ut declaravit Sacra Congregatio. Refert Lavorius *d. tit.* 2. *cap.* 11. *nu.* 121. Antonellus *d. c.* 12. §. 4. *n.* 42. Urrutigoyti *de Eccleſia Cathedrali, cap.* 17. *n.* 106. Marchetus *d. tit.* 38. §. 10. *n.* 190. Bonacina *dict. diſp.* 3. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 10.

86 Eſt tamen dubium, an ſi teſtamentum, ſeu codicillus ſit invalidus, probet electionem ſepulturæ? Et negandum videtur, nam hæc electio eſt contra Eccleſias Parochiales. Ergo debet probari ex teſtamento valido, & codicillo, aliàs in præjudicium tertii non ſuſtinebitur. Unde Samuellius *diſp.* 6. *controverſ.* 12. *concluſ.* 2. ſcripſit eſſe neceſſarium, ut teſtamentum hoc, ſeu codicillus ſit validus in foro externo, ut in præjudicium Eccleſiarum Parochialium talis electio probetur.

87 Verùm in contrarium eſt communis ſententia, nam ad electionem ſepulturæ ſufficit, ut conſtet de voluntate teſtatoris, ſive ſit expreſſa, aut tacita Guido Papæ *deciſ.* 544. Marchetus *dict. nu.* 190. Ergo etiamſi teſtamentum, aut codicillus fuerit invalidus, dummodò conſtet de voluntate eligentis, erit ſuſtinenda talis electio, maximè in foro conſcientiæ, Viguerius *in introduct. ult. volunt. lib.* 3. *c.* 14. *num.* 22. Rota *in noviſſ.* 2. *par. deciſ.* 74. Paſqualigius *deciſ.* 401. *n.* 2. Lavorius *dict. c.* 11. *n.* 18 Antonellus *dict.* §. 4. *n.* 42 Diana 5. *par. tract.* 3. *reſol.* 106. Samuellius *d. diſp.* 6. *controv.* 12. *concluſ.* 1.

88 Hæc doctrina admittenda eſt, verùm eget explicatione; nam duobus modis poteſt teſtamentum invalidum eſſe, aut quando eſt profanum, aut quando eſt pium: quod idem dicendum eſt, de codicillo; ſi enim teſtamentum, aut codicillus eſt invalidus, quia eſt profanus, & non habet ſolemnitates neceſſarias de jure; verùm validum ſit his requiſitis de jure ad teſtamentum pium, veluti duobus teſtibus, aut teſtibus fœminis; tunc probat electionem ſepulturæ; & ratio eſt, nam electio ſepulturæ cauſa eſt pia, Samuellius *dict. diſp.* 6. *controverſ.* 11. *n.* 8. Marchetus *dict.* §. 20. *n.* 193. Ergo debet ſuſtineri, ſi habeat teſtamentum, aut codicillus ſolemnitates neceſſarias ad teſtamentum, ſeu codicillum pium. Quo in ſenſu loquuntur DD. relati *nu. antecedenti.*

89 Erit ergo quæſtio, quando teſtamentum, aut codicillus non habeat requiſita neceſſaria ad pias cauſas, ſed tantùm ſubſcriptionem ipſius teſtatoris: & in hoc caſu inquiunt Doctores, in foro conſcientiæ electionem ſepulturæ valere, non verò in foro externo; nam cùm agatur de præjudicio Eccleſiæ Parochialis, in qua eſt ſepeliendum cadaver, ceſſante electione, neceſſaria eſt probatio per teſtamentum, aut condicillum validum his requiſitis neceſſariis, ſaltem quoad pias cauſas, ut tenet Samuellius relatus *n.* 85.

90 Sed contrarium tenet Marchetus *d.* §. 10. *n.* 202. *verſ. Sed ego*, quia electio ſepulturæ eſt cauſa pia, quapropter teſtamentum, aut codicillus eam continens, ſubſtinebitur ex ſola ſubſcriptione, aut quod conſtet de illius diſpoſitione, quod fieri poteſt per teſtes. Ergo licèt præjudicium inferatur Parochiæ, talis electio ſuſtinebitur, & ſufficienter probabitur, Lavorius *d. cap* 11. *num* 18.

91 Hæ ſententiæ contrariæ non ſunt, ſed facilè ad concordiam rediguntur, nempè quando hæc ſecunda aſſerit, probationem aliundè eſſe petendam, quàm ab ipſo teſtamento, ſeu codicillo, nempè per teſtes; quare prima intelligenda, ſi probatio tantùm fieret per ipſum teſtamentum, ſeu codicillum: aſt ſecunda ſi fieret probatio per ipſum, & teſtes.

Rurſus quoad probationem per teſtes, neceſſarii ſunt 92
duo, quia agitur de Eccleſiæ Parochialis præjudicio, Lavorius *dict. c.* 11. *nu.* 18. Paſqualigius *dict. deciſ.* 401. *num* 8. Quæ quidem probatio ſufficit, ſi fiat per duos teſtes, etiam ſingulares; nam licèt deponant de diverſo tempore, attamen conteſtes ſunt in electione ſepulturæ, Guido Papæ *deciſ.* 544. Maſcardus *concluſ.* 1297. Paſqualigius *deciſ.* 404. Lavorius *dict. cap.* 11. *num.* 19. Samuellius *dict. diſput.* 6. *controverſ.* 11. *per tot.* Antonellus *dict.* §. 4. *num.* 42. Bonacina *dict. punct.* 5. *nu.* 10. Si tamen varii ſunt teſtes, quia unus deponit de uno loco, & alter de altero, conjecturis ſtandum eſt, Lavorius *dict. cap.* 11. *num.* 20. Urrutigoyti *dict. cap.* 17. *num.* 106.

Sed an ſi teſtes ſint conſanguinei, vel domeſtici, electio 93
ſepulturæ probetur? Affirmare videtur Samuel *d. diſp.* 6. *controverſ.* 12. *n.* 12. ſed negat Marchetus *d.* §. 10. *n.* 194. quia teſtes iſti non ſunt idonei ad pias cauſas, *c. Cùm eſſes* 10. *cap. Relatum* 11. *de teſtam.* Ergo nec ad probandam electionem ſepulturæ. Sed in hac difficultate recolenda ſunt, quæ ſcripſimus *lib.* 1. *cap.* 6. *à n.* 1.

Illud tamen ab aliquibus receptum eſt, ut ſola Confeſ- 94
ſarii atteſtatio ſufficiat ad probandam electionem ſepulturæ; nam cùm teſtator animam ſuam ponat in manibus Confeſſarii, non ſolùm cenſendus eſt, ut teſtis, ſed ut exequutor, Molfeſius *in Summ. tom.* 1. *tract.* 13. *c.* 8. *nu.* 12. Diana 5. *p. tract.* 3. *reſol.* 106. Lavorius *d. c.* 11. *nu.* 20. Lauretus de Franchis *in controverſ. inter Epiſcop. & Regul.* 2. *par. quæſt.* 64. *n.* 5. Samuellius *dict. controverſ.* 12. *nu.* 10. Marchetus *dict.* §. 10. *n.* 195.

Hæc doctrina abſolutè admittenda non eſt, ſed quando 95
Confeſſarius ſit ita perſona gravis, docta, & timorata, ut magna fides ei adhibenda ſit, & quæ nullum commodum inde perciperet, aliàs in ſua Eccleſia, vel Monaſterio electio fiat, credo ſolam hanc atteſtationem non ſufficere. Verùm in hoc valet plurimum conſuetudo, de qua Antonellus *d.* §. 4. *n.* 42. *in fin.*

CAPUT X.

Quibus denegatur ſepultura Eccleſiaſtica?

SUMMARIUM.

Infideles, pagani, & alii ſacrum Baptiſmum non recipientes, ſacra ſepultura privantur, & ſi de facto ſepeliantur, exhumantur, num. 1.

Infantes, licèt habeant patres Chriſtianos, niſi fuerint baptizati, in ſacra ſepultura non ſepeliuntur; ſi verò in ventres matris ſimul cum matre decedant, cum illa ſepeliuntur. Si dubitatur, an fœtus vivat, ſcinditur mater, num. 2.

Si infans fuerit tantùm baptizatus in umbilico, aut in capillis, an ſit ſepeliendus in ſepultura Eccleſiaſtica? Negavit Marchantius. Affirmant alteri, numero 3.

Explicatur hæc doctrina, & quando Baptiſmus eſt validus probabiliter, infans in ſepultura Eccleſiaſtica eſt ſepeliendus; ſicut & admittitur ad alia Sacramenta abſque præjudicio tertii, n. 4.

Fit replica, an infans in utero matris poſſit validè baptizari? Negant aliqui, alteri affirmant. Admittuntur, & conſequenter ſic baptizari ad ſacram ſepulturam, num. 5.

Explicatur textus in c. Qui in maternis 115. de conſecrat. diſt. 4. *& D. Auguſtinus, num.* 6.

An infans in ſecundina involutus baptizatus, ſit mandandus ſepulturæ Eccleſiaſticæ; pendet à quæſtione, an validus ſit Baptiſmus? Negarunt aliqui, affirmarunt quamplures, num. 7. *Unde iſti aſſerunt, eſſe ſepeliendum in loco ſacro, num.* 8.

Bruta tribus tunicas involvuntur, homines duabus, & quæ iſtæ ſint, n. 9. *Fœtus aliquando cum eis, & aliquando ſine eis naſcitur, num.* 10

An infans ablutus cum ſecundina, remaneat baptizatus, examinatur? Negandum videtur, nu. 11. *Sed con-*

trarium probabile, num. 12. Limitatur, num 13. Similiter abluti ad ſepulturam Eccleſiaſticam admittuntur, num 14.

Qui ſibi mortem conſcivere, non ſepeliuntur in loco ſacro: limita niſi furore, dementia, aut contra ſuam voluntatem fuerint à ſeipſis occiſi. Si quis ſe vulneravit animo ſeipſum occidendi, & poſteà agat pœnitentiam, ſepelitur in loco ſacro, n. 15.

Furor probatur conjecturis, num. 16.

An quando quis invenitur in puteo ſuffocatus, vel laqueo ſuſpenſus, ſit in loco ſacro ſepeliendus? Et negandum videtur, num. 17. Sed in contrarium eſt communis ſententia, num. 18.

Explicatur communis doctrina, & limitatur, ſi adverſus defunctum ſit vehemens præſumptio de deſperatione, num. 19.

Sed adhuc in his caſibus magnoperè conſiderandum, ex amentia, furore, vel alia cauſa potuiſſe ſeipſum interficere, num. 20. Unde benè Navarrus caſum defendit, de quo ibi, num. 21.

An quando vulnus, ſeu ſuſpenſio talis eſt, ut ex intervallo potuerit pœnitere, ad ſepulturam privatam admitti poſſint, n. 22. Quod ad publicam extendendum, ſi defunctus fuerit bonæ vitæ, num. 23.

Id à Judicibus conſiderandum. Laudatur Ferro dans ſepulturam homini ſe in flumen projicienti, ſuſcepta informatione furoris, num. 24. Aliàs ſemper erit tradendus ſepulturæ Eccleſiaſticæ, niſi ex informatione conſtet, ex deſperatione, aut iracundia ſe interfeciſſe, num. 29.

An quando quis ſeipſum iuterfecit, quintum bonorum in Caſtella ſit expendendum pro anima illius? Affirmandum videtur. Legatum relictum pro ſepultura ab eo, qui poſteà ſe interfecit, ſuſtinetur, n. 26. Sed ſi conſtet de deſperatione, contrarium eſt tenendum. Legata pia ſuſtinentur, etiamſi Fiſcus bona capiat, n. 27. Secus ſi aliis modis excuſetur, & ſepulturæ Eccleſiaſticæ tradatur, n. 28. Explicatur lex 8. tit. 23. lib. 8. Recopillat. n. 29. De jure communi, quando confiſcentur bona ſeipſum interficientis, n. 30.

An lex illa decernens, ſibi mortem inferentibus bona ad Fiſcum pertinere, niſi deſcendentes habuerit, ſit intelligenda ſolo in caſu de jure communi, ubi bona Fiſco addicuntur? Affirmant plures, n. 31. Sed alteri inquiunt, admittendam quoties conſtaret ex diſperatione ſeipſum interfeciſſe, n. 32. Admittitur hæc ſententia, num. 33.

Lex illa tantùm eſt intelligenda quando conſtaret deſperatè ſeipſum interfeciſſe; & hæc probatio incumbit Fiſco, num. 34.

An quando quis deſperatè ſe in laqueum injecit, aut vulneravit, aſt ex intervallo moritur, bona ad Fiſcum pertineant? Affirmandum videtur. Sed contrarium defenditur. Pœna non habet locum, niſi in caſibus à jure expreſſis, nec in pœnalibus extenſio, n. 35.

Morientes in torneamentis carent ſepultura Eccleſiaſtica, etiamſi ſigna dederint contritionis, n. 36. Intelligitur ſi ſint periculoſa, n. 38.

An qui in taurorum agitatione decedunt, careant ſepultura Eccleſiaſtica? Affirmant plures, num. 38. Negant Villalobos, num. 39.

Diſtinguitur, & ſi cum periculo gravi agitentur, affirmatur, num. 40.

Fit inſtantia ex Bulla Clementis VIII. & ſecundùm eam probabiliter admittitur contraria ſententia, numero 41. Expenditur Bulla, num. 42. Reſpondetur, num. 43.

In taurorum agitatione abſque periculo, nec eſt peccatum grave, nec morientis privatur ſepultura Eccleſiaſtica, num. 44.

Quando aliquis maxima audacia, ac temeritate ſe præcipitem facit in Taurorum haſtis, aut cornibus, & ibi decedit, an careat ſepultura Eccleſiaſtica n. 45.

Raptoribus manifeſtis, denegatur ſepultura Eccleſiaſtica, niſi reſtituant: tum latronibus furando morientibus, & Clerico notorio concubinario, n. 46.

Sepultura Eccleſiaſtica eſt deneganda decedentibus in duello, non ſolùm publico, ſed & privato, n. 47.

Extenditur etiamſi quis fuerit provocatus, & ad patrinos, ſpeculatores, conſiliarios, & auxiliantes, num. 48.

An qui in duello deceſſit, & ſigna dedit contritionis, aut Sacramenta recepit, ſit privandus ſepultura Eccleſiaſtica? Prima ſententia aſſerit, carere debere ſepultura Eccleſiaſtica, num. 49. Secunda tenet contrarium, num. 50.

Reſolvitur diſtinguendo, quando lethaliter quis vulneratur in duello, & exit de loco illo, ſigna dat, aut Sacramenta recipit, aut quando decedit in ipſo loco duelli. Primo caſu aliqui tenent, non eſſe ſepeliendum in loco ſacro, ſed contrarium tenendum, num. 51.

Eſt verò difficultas in ſecundo. Et aliqui dicunt, carere ſepultura Eccleſiaſtica, num. 52.

Sed ſi non urgeat neceſſitas terrendi alios, contrarium eſt tenendum, num. 53.

Fit inſtantia, & reſpondetur. Excommunicatus defunctus à cenſura abſolvitur, n. 54. In his dubiis conſulendus ordinarius, num. 55.

An Miſſa poſſit applicari pro eo, qui in duello dedit ſigna contritionis; non tamen eſt ſepeliendus in loco ſacro? Et negandum videtur. Pro excommunicato non valet Miſſa applicari, n. 56. Sed tenendum contrarium, n. 57. Et piè defenditur, num. 58.

In caſibus, quibus licitè acceptatur duellum, nulla pœna incurritur, & ſi aliquis decedat, in ſepultura Eccleſiaſtica ſepelitur, Caſus iſti remiſſivè ponuntur, num. 59.

LIcèt omnibus Chriſtianis conceſſum ſit in ſacra, & Eccleſiaſtica ſepultura humari; attamen quibuſdam perſonis eſt denegatum, & jure iſto privantur. Infideles, paganos; & alios, qui ſacrum Baptiſma non receperunt, explorati juris eſt non eſſe in ſepulturis ſacris ſepeliendos, *cap. Eccleſiam 27. & 28. de conſecrat. diſt. 1.* non enim in gremio Eccleſiæ admittendi, ut ſepeliantur, qui noluerunt ad eam intrare per Baptiſmum. Quin ſi fortè in loco ſacro fuerint ſepulti, & eorum corpora à Fidelibus diſcerni poſſunt, ſunt de licentia Epiſcopi exhumandi, & reconciliandum Cœmeterium, ſeu Eccleſia, *cap. Conſul uiſti 7. de conſecrat. Eccleſiæ, vel Alt.* Valenſis *ad tit. de ſepultur. §. 7. num. 2.* Rodriguez *tom. 3. quæſt. Regul. quæſt. 64. artic. 1.* Villalobos *in Summa, 2. par. tract. 31. difficult. 3. n. 1.* Paſſerinus *de Stat. tom. 2. quæſt. 187. art. 4. inſpect. 3. cap. 2. num. 61. & 62.* 1

Hinc enim Infantes habentes patres, licèt Chriſtico- 2
las, ſi ſacrum Baptiſma non receperint, in ſepultura Eccleſiaſtica non ſunt ſepeliendi: ſi tamen ex ventre matris fuerint exacti, etſi intra decedant, cum matribus ſepeliuntur, nec ad id matres ſecantur, quia tunc tanquam pars viſcerum matris conſiderantur, *cap. Si qua mulier 116. de conſecrat. diſt. 4.* ubi DD. Gloſſa *in cap. Eccleſiam, de conſecr. diſt. 1. verbo Celebrare*, Lavorius *dict. tit. 2. cap. 12. n. 41.* Villalobos *d. difficult. 3. nu. 14.* qui rectè animadvertunt, id intelligendum quando certum eſt, fœtum jam deceſſiſſe, aliàs tamen, ſi dubitaretur, mater ſcindi debet, ſi jam fuerit defuncta; ſecus ſi viva, Sylveſter *verbo Sepultura, num. 10.*

Sed quid ſi infans in articulo mortis fuerit baptizatus in 3
umbilico, aut in capillis, an ſit ſepeliendus in ſepultura Eccleſiaſtica. Et Marchantius *Quæſt. Paſt. tract. 2. de Baptiſm. c. 2. quæſt. 1. caſu 2.* aſſerit, infantem iſtum baptizatum validè non fuiſſe, & conſequenter in ſepultura Eccleſiaſtica non eſſe ſepeliendum. Verùm aliqua probabilitate affirmari poſſe baptizatum remanere, quia licèt umbilicus, ſeu capilli ſint corporis excrementa, verùm ſunt pars corporis, quibus ablutis, & corpus etiam ablutum cenſetur; unde poterit in ſepultura Eccleſiaſtica ſepeliri, quia nullus ab ea privandus, niſi manifeſtè, aut irrefragabiliter conſtet privandum, ſive illi tale jus competeret, ſive non. Sequitur Diana *5. par. tract. 3. reſolut. 15.* Samuellius *de ſepult. tract. 2. diſp. 1. controverſ. 7. num. 1.* Palao *Oper. Moral. 4. par. tract. 19. diſp. 5. punct. 4. num. 4.*

Sed tamen in re dicendum, maxima conſideratione eſſe 4
procedendum; nam quando Baptiſmus, & ablutio tantùm tangit capillos, aut umbilicum, proſpiciendum quantæ ſint longitudinis; ſi enim capilli, aut umbilicus defluant, ita ut ablutio facta non penetraret uſque ad carnem,

nam, Baptiſmus invalidus eſt, nec tunc ſimiliter baptizatus erit in ſepultura Eccleſiaſtica ſepeliendus. Secus ſi longiores non ſint, ex quorum ablutione ſatis conciperetur ad carnem penetraſſe, ut benè conſiderant Toletus *in Summ. lib. 2. c. 18. num. fin.* Dicaſtillo *de Sacrament. tom. 1. tract. 11. diſp. 1. dub. 3. n. 52.* Diana 10.*par. tract.16. reſolut.18.* tunc enim rectè procedit doctrina Marchantii, & aliorum, quia Baptiſmus probabiliter eſt validus,in ſententia multorum, quos refert Bonacina *de Baptiſmo,diſp.2. q.2. punct 3. num. 22.* Et ratione probatur, nam qui probabiliter recepit Baptiſmum validum, poteſt recipere alia Sacramenta, ex quibus aliquod damnum tertio non irrogatur, ut cum Dicaſtillo tenet Diana *d. 10. par. tract. 16. reſol.19* Aſt ſepeliri in loco religioſo, non eſt in detrimentum tertii. Ergo ſi probabiliter eſt baptizatus, poterit in Eccleſiaſtica ſepultura ſepeliri.

5 Sed dices cum Bonacina *dict. punct. 3 nu. 25.* probabiliter ab aliquibus admittitur, ut infans in utero matris poſſit baptizari: attamen ſic baptizatus non eſt ſepeliendus in ſepultura Eccleſiaſtica: Ergo nec qui eſt baptizatus in capillis, aut umbilico. Sed iſtam illationem facit Bonacina, negans infantem baptizari poſſe in utero matris, tantùm dicens, ſententiam illam piè credendam, non aliqua probalitate, *cap. Qui in maternis 115.de conſecrat.diſt. 4.* Ochagavia *de Sacrament. tract. unic. de Baptiſmo, quæſt. 4. n. 5.* Villalobos *in Summa, 1.par. tract. 5. difficult. 4. n. 4.* Verùm negandum non eſt, quod ſi infans ſit in utero matris, & verè aliquo inſtrumento valeat aqua conſpergi,aut attingi, baptizari poſſit, & validum eſſe Baptiſmum; nam ad ejus ſubſtantiam nihil aliud requiritur,niſi ablutio corporis cum forma verborum: quod ſi aliquo inſtrumento fieri valet, etiam in utero matris, validus erit Baptiſmus, ut benè advertit S. Thomas *3.par. quæſt.68. art.11.* Navarrus *c.22. nu. 7.* Layman *de Baptiſmo, lib. 5. tract. 2. c. 3. n. 2.* Diana *2.par. tract.15. reſol. 43. & 5. par. tract. 3. reſol. 12.* quia ſuppoſita probabilitate, etiam probabile erit, poſſe infantem ſic baptizatum in ſepultura Eccleſiaſtica ſepeliri, ut diximus *n. 4.*

6 Nec obſtat textus *in cap. Qui in maternis*, ubi Iſidorus ſic ſcripſit: *Qui in maternis uteris ſunt, ideò cum matre baptizari non poſſunt, quia natus adhuc ſecundùm Adam non eſt, renaſci ſecundùm Chriſtum non poteſt.* Quod quidem etiam ſcripſit D. Auguſtinus *epiſtola 57. ad Dardanum*,ibi: *Renaſci quiſpiam non poteſt antequam natus ſit.* Ex quibus verbis aliqui ſuſceperunt, non eſſe ſubjectum capax Baptiſmi,qui adhuc natus non eſt, ut ſuſcepit Barboſa *in dict. c. Qui in maternis, n. 1.* Palao *dict. tract.19. punct. 6. num. 1.* Sed non rectè; nam illa verba Iſidori, & Auguſtini poſſunt intelligi de aliqua ſanctificatione abſque Baptiſmo,qui ex lege Dei ordinaria non conceditur ei, qui in ventre eſt, niſi recipiat Sacramentum Baptiſmi, cujus capax non eſt; quia adhuc clauſus eſt in ventre matris, niſi obſtetrix tam perita ſit, ut manu in ventrem miſſa, aut aliquo inſtrumento poſſit aqua infantem lavare, eodem tempore prolata forma Baptiſmi, ut benè explicat Layman *dict. cap. 3. n. 22. verſ. Ad authoritatem*, Coninch *de Sacramentis, quæſt. 68.art. 11. à nu. 90.* Quare ſi id accideret, infans ſepulturæ Eccleſiaſticæ ſatis probabiliter mandabitur.

7 Rurſus, an privetur ſepultura Eccleſiaſtica puer,vel infans baptizatus ſecundina involutus, diſſenſio eſt, pendetque ab ea quæſtione, an validus ſit talis Baptiſmus? Negarunt plures, quia ſecundina illa nihil aliud eſt, niſi pellis denſa, diſtincta à corpore ad capiendum fœtus urinam, & ſudorem; quapropter illa abluta, corpus infantis non abluitur, nec validus erit Baptiſmus, Valentia *tom.4.diſp 4. quæſt.1.punct.2. verſ. Quintò ſequitur*. Quod alteri non admittunt, quin aſſerunt, validum eſſe Baptiſmum, quia ſecundina illa eſt pars corporis infantis, quæ abluta, & ejus corpus ablutum cenſetur, Vaſquez *3.par.tract.2.diſput.145. num.31.* Poſſevinus *de Offic. Curat. c. 6. nu. 8.* Dicaſtillo *de Sacrament. tom. 1. tract. 11. diſp 1. dub. 3. n. 52.*Diana 10. *p. tract. 16. reſol. 18.* Dat plures Bonacina *de Baptiſmo, diſp. 2. quæſt. 2 punct. 3. n. 21.*

8 Hinc hanc ſecundam ſententiam, ut probabiliorem admittit Bonacina nuperrimè allegatus, *& de Contractibus, diſp.3. quæſt. 21 punct. 2. num. 2. verſ. Hæc ſententia.* Et concludit infantem in ſepultura Eccleſiaſtica, ſic baptizatum eſſe ſepeliendum.

9 Verùm in hac difficultate conſiderandum, in brutorum, fœtu tres membranas, quibus involvuntur, reperiri, chorion nimirum, amnion, & allantoeiden: in homine verò tantùm duæ ſunt, nempè chorion, & amnios. Chorion verò eſt tunica, quæ ex parte fœtum ambiens, venas omnes, & arterias umbilicales fulcit Amnios verò eſt receptaculum ſudoris, & urinæ, quod non parum commoditatis puello præſtat: innatat enim aquis, & in iis innocenter, ut in balneo ſedet, partuſque inde facilior redditur, & ſperatur, quia lævior eſt, & lubricum magis uteri oſculum reddit, prout explicant Andreas Laurentius *lib. 8. de format. fœtus c. 5.* Ambroſius Pareus *de partibus vitalib. lib.2. cap. 35. per tot.*

Amnios autem,tunica, ſeu membrana, à Latinis *Secundina* dicitur: & aliquando etiam ſecundinæ dicuntur omnes membranæ fœtum ambientes, quæ poſt exitum infantis in utero relinqui ſolent; nam cùm natura conetur fœtum in lucem edere, ut hoc proſequatur minori labore, ab his membranis, ſeu veſtimentis, & involucris, quæ partum detinere poterant, cura peculiari ſe exonerat, ut faciliùs edatur, ut rectè conſiderat Zacutus *lib.3. Praxis Hiſt. c.19. litt. C, verſ. Adde.* Aliquoties tamen has ſecundinas partus retinet, & ſimul cum puello emittuntur: quod morbum eſſe in numero addito,dicunt communiter Doctores Medici; quia hoc præter naturam eſt. Verùm ipſe Zacutus *d. c. 19. de ſecund. litt. C, verſ. Hæc*, ſcripſit doctrinam illam non eſſe ſufficientem, cùm ſecundinarum retentio non ſolùm morbi rationem obtineat, ſed ſymptomatis, ex eorum numero, quæ immodicè retinentur. 10

Si autem puellus tali morbo naſcatur, & cum hoc ſymptomate, & in ſecundina totum corpus involvente abluatur, eſt difficultas, an validus ſit Baptiſmus? Ex dictis negandum videtur; nam membrana illa, ſeu tunica, ſeparata eſt à corpore puelli, ubi urinæ, & ſudoris excrementa recipiuntur; ablutio enim aquæ, quantumvis vehementer injiciatur, nequit ſecundinam, & excrementa illa penetrare, ut corpus abluatur, in quo conſiſtit formalitas Baptiſmi. Ergo talis Baptiſmus validus non eſt, ut tenent DD. primæ ſententiæ 11

Sed adhuc contrarium probabilitatem habet,nam ut docent Laurentius, & Pareus relati *n. 9.* Mercatus *lib 3. de ſterilium, & prægnantium affectib. cap.6* ſimul cum fœtu ſecundinæ, ſeu membranæ iſtæ creantur. Chorion ad cooperiendas venas exteriores, & ut fœtus alimentum percipiat: amnios autem ad recipienda excrementa urinæ, & ſudoris: itaque tanquam partes illius conſiderantur, quibus ablutis, & ipſum fœtum ablui videtur, ſicuti ſi auricula corporis ablueretur, quæ licèt extrinſeca pars ſit, attamen per ejus ablutionem, & corpus ablutum dicitur, Hurtado *de Baptiſmo, diſp 7. dub. 6* Baſilius *de Matrimon. lib. 4. c. 25. nu. 7.* Eſtque bonus textus *in leg.Vulgaris, 21. ff. de pœnis*, ibi: *Nam qui aurem alicujus tetigit, totum eum videri tetigiſſe.* Et *cap. Vulgaris 16. de pœnit diſt.1.* Ergo ſi fœtus cum ſecundinis naſcatur, quæ ſunt illius partes, illis ablutis, & corpus illius ablutum dicetur Cæterùm ſecundina iſta, qua corpus fœtus contegitur, tenuis eſt, ut docuit Galenus *de uſu par.lib. 15.cap 4.*& inſimul poroſa, ut expiret fœtus; quapropter facilè aqua illa penetrare poterit, ut corpus intra circumvolutum abluatur: nec excrementa illa tantæ ſunt quantitatis, ut aquam detineant, præcipuè dum ex vi partus per poros jam excrementa illa exceſſerint. Ergo validus erit Baptiſmus. 12

Solùm enim nulla adeſſet probabilitas illius opinionis, quando ſecundina ſciſſa defluere à corpore fœtus, & in illa parte defluxa ablutio fieret, quia jam ſciſſa non eſſet pars ipſius fœtus, ut rectè conſideravit Dicaſtillo relatus à Diana *d. 10. par. tract. 16. reſol. 18.* 13

Hinc reſolvendum, ſic baptizatum in ſecundina integra, & cum fœtu circumvoluta, in ſepultura Eccleſiaſtica eſſe ſepeliendum; ſecus ſi ſciſſa fuerit, & in parte ſciſſa ablueretur tantùm. Illud verò ſemper reſolvendum, ut in his dubiis, ſi poteſt fieri, ad dandam ſepulturam ita baptizatis, Prælatus, aut ejus Vicarius conſulatur, ut benè monet Bonacina *diſp 3. de contractibus, quæſt. 21. punct.2. n. 2. verſ. Hinc etiam.* 14

Prætereà privantur ſepultura Eccleſiaſtica hi, qui ſibi mortem conſcivere, vel ex iraecundia, vel deſperatione, *cap. Quibus 16. 13. quæſt. 2 cap. Placuit 12. 23. quæſt. 5. c. Ex parte 11. de Sepultur.* ubi Gloſſa, & DD. Nam cùm in peccato gravi mortui ſint, & credatur ad inferos 15

deſcendiſſe, neutiquam ad ſepulturam Eccleſiaſticam ſunt admittendi, quæ ſolùm concedenda eſt Fidelibus in Domino morientibus, vel eis, de quibus non conſtat in peccato deceſſiſſe: unde qui caſu, & abſque culpa à ſeipſis occiſi ſunt, vel dementia, aut furore, vel contra ſuam voluntatem, ſepultura ſacra non privantur: ſicut nec ille, qui periculum profugiens, è ponte eſt præcipitatus, *dict. cap. Ex parte* 11. *de ſepult.* Idem eſt dicendum, ſi aliquis ſeipſum vulneravit animo ſeipſum occidendi; verùm ſi vulneribus ſuſceptis pœnitentiam egerit, iſte ſepultura Eccleſiaſtica non eſt privandus; cùm facta pœnitentia in mortali culpa non decedat, Sylveſter *verbo Sepultura*, *num.* 5. Villalobos *d. tract.* 31. *difficult.* 2. *nu.* 3. Lavorius *dict. tit.* 2. *c.* 12. *nu.* 28. Samuellius *de Sepultur. tract.* 2. *diſp.* 1. *controverſ.* 5. Marchetus *eod. tract. tit.* 39. *nu.* 14. Paſſerinus *d. c.* 2. *nu.* 104. Barboſa *de Offic. Paroch.* 3. *par. c.* 26. *nu.* 49. Parladorius *differ.* 66. §. 1. *nu* 17. Lara *lib.* 1. *de Anniverſ. cap.* 11. *num.* 4. Antunez *de Donat.* 3. *par. cap.* 41. *n.* 36.

16 Illud vero animadvertendum, quod quando quis ex furore ſe occidiſſe dicatur, ſtandum eſt conjecturis, & indiciis; & ſufficiet conſtare alienatamente id feciſſe, Medicis *de Sepultur.* 1. *par. q.* 11. *n.* 6. Ugolinus *de Epiſcopo*, *c.* 17. *nu.* 4. *verſ. Excipitur*, Marchetus *dict. nu.* 14. Lavorius *d. cap.* 12. *num.* 28. Lara *d. cap.* 11. *n.* 10.

17 Quid verò dicendum, quando quis reperitur in puteo dejectus, & ſuffocatus, vel laqueo ſuſpenſus; an debeat privari Eccleſiaſtica ſepultura? Et affirmandum videtur, nam quando non conſtat ab alio fuiſſe dejectum, vel ſuſpenſum, præſumendum eſt ſeipſum projeciſſet, aut ſuſpendiſſe: quapropter ſepultura Eccleſiaſtica tunc eſt privandus.

18 Sed in contrarium eſt communis ſententia. Ratio, nam in dubiis delictum non præſumitur, *leg. Merito*, *ff. Proſocio*. Eſt enim delictum graviſſimum ſeipſum occidere. Ergo non eſt præſumendum ſeipſum in puteum projeciſſe, aut laqueo ſuſpendiſſe, ſed ab alio projectum, ſeu ſuſpenſum eſſe. Cæterùm privare ſepultura Eccleſiaſtica, eſt pœna gravis, quæ in dubio infligenda non eſt, ſed quando ex deſperatione, aut iracundia pateret projectum, aut ſuſpenſum eſſe, *leg. fin. Cod. de probat.* Ergo ſepultura Eccleſiaſtica non eſt privandus ex eo quod quis in puteum projectus inveniatur, aut laqueo ſuſpenſus, Navarrus *conſ.* 7. *de ſepultur.* Barboſa *de univerſ. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 49. Samuel *dict. controverſ.* 5 *concluſ.* 2. *à nu.* 5. Lavorius *dict. cap.* 12. *num.* 21. Villalobos *dict. difficult.* 3. *num.* 4. Covarruv. *lib.* 2. *var. cap.* 1. *nu.* 10. Gratian. *diſcept. tom.* 1. *c.* 61. *n.* 21. Lara *dict. c.* 11. *n.* 7. Spino *de teſtament. gloſſ.* 2. *n.* 20. Antunez *dict. c.* 41. *n.* 38.

19 Verumtamen hæc doctrina indiget explicatione, quamobrem eſt magnoperè conſiderandum, quo in loco repertus eſt ſuſpenſus, aut quo in puteo, & quæ exiſtent præſumptiones; poteſt enim accidere, ut quis laqueo ſuſpenſus reperiatur in proprio cubiculo, jannis clauſis, eo modo, ut à nullo potuerit ſuſpendi; aut puteus poteſt eſſe in domo clauſa, in qua nemo morabatur: tum etiam poteſt adeſſe aliqua cauſa, unde defunctus ad deſperationem, & iracundiam excitaretur. Tunc ex vehementi præſumptione adverſus defunctum, ex qua graviſſimè præſumitur ex deſperatione, aut ex iracundia ſeipſum interemiſſe, ſepultura Eccleſiaſtica eſt privandus; ſatis enim delictum ex illa vehementi præſumptione probatum eſt, *cap. Afferte* 2. *de præſumpt. leg.* 1. *Cod. ad leg. Cornel. de ſicariis*, *leg. Qui adulteri* 11. *Cod. ad leg. Jul. de adul leg.* 12. *tit.* 14. *par* 3. Gomez *var. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 25. Farinacius *in Praxi crim.* 3. *part. tit.* 13. *quæſt.* 86. *numer.* 52. Ergo rectè ſepultura Eccleſiaſtica privatur, Genuenſis *in Praxi*, *cap.* 36. *num.* 20. Lavorius *dict. cap.* 12. *num.* 32. Samuellius *dict. controverſ.* 5. *concluſ.* 3. Villalobos *dict. num.* 4.

20 Verùm adhuc in hoc caſu magna conſideratione eſt procedendum; nam anhuc in his terminis potuit defunctus amentia, vel furore laborare, ad quod facilè ille, qui delictum perpetravit, valet declinare ob maximos remorſus conſcientiæ, aut timore pœnæ; quapropter in his caſibus, in quibus ab alio non potuit occidi, non ex deſperatione, aut iracundia ſeipſum valuit interficere, ſed examentia, aut furore, unde ſepultura Eccleſiaſtica non eſt privandus. Et probatur magis, nam eſt pro defuncto non contemnenda præſumptio, nempè repugnantia naturæ ad ſibi mortem conciſcendam, Marchetus *dict. tit.* 39. *num.* 14. *ad medium*, Guazinus *de defenſ. reor. lib.* 1. *defenſ.* 4. *cap.* 2. *num.* 2. quare licèt clauſus reperiatur, ita ut à nemine potuerit interfici, adhuc conſiderandum id ex furore, amentia, aut maximo vitæ tædio ſibi mortem præſtitiſſe, non verò ex deſperatione, aut iracundia.

Unde Navarrus *conſ.* 6. *de ſepulturis*, benè defendebat caſum cujuſdam Regularis, qui mane eſt confeſſus, ac toto tempore lætus fuit, & ſequenti mane repertus eſt ſuſpenſus in cella, clauſo oſtio, cum laqueo ad collum appenſo, quaſi genuflexus, non pendens, & omninò jacens: & tamen aſſerit, in ſepultura Eccleſiaſtica eſſe ſepeliendum, quia per phreneſim, aut amentiam ita iactum conſiderabat, etiamſi clauſo oſtio ab alio ſuſpendi non poterat, prout etiam admittit Marchetus *dict. tit.* 39. *n.* 14. 21

Rurſus in hoc caſu conſiderandum, quomodo ſuſpenſus defunctus inveniatur, aut à ſeipſo vulneratus, aut dejectus, ſi enim eo modo mortuus invenitur, ut non ſtatim deceſſerit ex ſuſpenſione, vel vulnere, vel dejectione, præſumendum eſt in illo intervallo acta pœnitentiæ, & contritionis feciſſe, quæ quidem pia eſt conſideratio, & quoad ſepulturam privatè dandam eam admittunt Genuenſis *in Praxi*, *c.* 76. *num.* 21. Ferro Manrriquez *Quæſt. Vicar.* 1. *p. q.* 54. *n.* 10. Marchetus *d. n.* 14. 22

Sed adhuc credo, hanc præſumptionem extendendam ad publicam ſepulturam, & ſuffragia pro defuncto facienda, quando occiſus, ſeu dejectus fuerit perſona bonæ vitæ, & timoratæ conſcientiæ. Et ratio eſt, nam tales perſonæ faciliter actum contritionis eliciunt, & ſi aliquando ad aliquam culpam incidant, citò reſipiſcunt; quapropter probabiliſſima præſumptio eſt, in illo intervallo temporis actum contritionis egiſſe. Tum Dominus timoratos, & probos, à quibus ſervitia recepit, ſummo favore proſequitur, & quamvis aliquando delinquant, ex ſua miſericordia pronior eſt ad favorem, quàm ad pœnam, ut optimè docuit D. Ambroſius *lib. de Paradiſo*, *cap.* 14. ibi: *Doceant te verba Divina: Qui operatur gloriam, pœnam relinquit. Honorificantes me, honorificabo, honorem bonorum operationis ſuæ eſſe declarans Et contemptores mei, non dixit, honore privabo, ſed honore privabantur, non ſuæ operationis deputans eorum injuriam, ſed quod futurum eſſet oſtendens.* Quapropter præſumendum, ex Dei miſericordia tempore illo excitatos à Deo eſſe ad motum pœnitentiæ, & contritionis; quia ſuppoſita præſumptione, ſaltem probabili, non ſolùm ad privatam ſepulturam ſunt trahendi, verùm ad publica, & ſacra ſuffragia, prout pro aliis defunctis Eccleſia peragit. 23

Hæc enim ſunt conſideranda à Judicibus Eccleſiaſticis, & probanda, ut inde rectum judicium percipiant, ut benè conſiderat Guazinus *d. defenſ.* 4. *cap.* 2. *num.* 2. Unde Ferro *dict. quæſt.* 54. *num.* 11. benè caſum expedivit de homine quodam, qui ſe in flumen projecit, & ibi deceſſit; poſteà verò ſuſcepta informatione, apparuit ipſum mentis defectum habuiſſe, & ideò tradendum Eccleſiaſticæ ſepulturæ decrevit. 24

Si verò nulla vehemens præſumptio reſultet contra defunctum ſibi mortem conſciſcentem, vel ſi aliqua reſultet, & his conſiderationibus ſuprà poſitis elidatur, ſemper eſt ſepulturæ Eccleſiaſticæ tradendus, niſi ex informatione conſtet ſeipſum interfeciſſe ex iracundia, aut deſperatione, ut ultra relatos *num.* 15. tenet Farinacius *in Praxi crim.* 1. *par. quæſt.* 20. *num.* 133. & 5. *par. quæſt.* 128. *n.* 18. Hieronym Carat. *de Iur. Paroch. tit.* 8. *cap.* 8. Bonacina. *d. diſp.* 3. *quæſt.* 21. *punct.* 2. *nu.* 2. *verſ. Si autem detur*, Covarruv. *lib.* 2. *var. ca.* 3. 1. *num.* 11. 25

Ex his diluenda eſt diſceptatio illa, an quando quis ſeipſum occiderit, quintum bonorum pro ſua anima ſit expendendum? Et affirmandum videtur, nam licèt probetur ex deſperatione, aut iracundia ſeipſum occidiſſe, adhuc tamen valet in agone elicere actum contritionis, ut ſalvetur; & in dubio pro pietate ſtandum. Ergo pro eo ſemper quintum eſt expendendum. Confirmatur, nam ſi aliquis legatum reliquiſſet Eccleſiæ, ut ibi ſepeliretur, verum poſteà ſibi mortem præparet, adhuc legatum pium debetur, ut tenent *in leg. Miles*, § *Ream*, *ff. ad leg. Iul. de adult.* Bart. & ibi etiam Dinus, & Benedictus *in c. Raynutius*, *verbo Mortuo itaque teſtatore*, *illat.* 1 *n.* 50. Plaza *de delict. lib.* 1 *c.* 23 *n.* 14. Farinacius *in Praxi*, 5. *par. q.* 128. *n.* 20. Ergo etiam alia ſuffragia pro anima. Ergo quintum in his ſuffragiis eſt expendendum, cùm etiam legatum pium tendat ad animæ ſalutem. 26

Ve-

27 Verùm hæc fundamenta levia sunt, quando enim constat aliquem manus usque ad occisionem sui ipsius imposuisse, nũc aliquod habuisse intervallum ad pœnitentiam, satis constat, in peccato decessisse absque aliqua contritione; quapropter impœnitens, nec sepulturæ Ecclesiasticæ est mandandus: nec pro eo suffragia facienda, Plaza *dict. cap.* 23. *nu.* 14. nec Anniversarium adimplendum, Lara *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 3. aliàs nunquam privaretur sepultura Ecclesiastica, qui sibi mortem conscivit. Ergo nec pro eo est quintum expendendum. Ad aliud fundamentum respondetur, legatum factum Ecclesiæ pro sepultura in suo testamento ab eo, qui sibi mortem conscivit; posteà esse sustinendum, etiamsi illius testamentum rumpatur ob confiscationem bonorum, & bona transeant ad Fiscum, ut tenet Farinacius *d. q.* 128. *n.* 68. Ratio est, nam cùm legatum fuerit relictum pro sepultura, & per Ecclesiam non stetit, quominus illi traderetur, sed ex culpa testatoris se interficientis; inde est, ut debeatur. Quod admittendum, etiamsi testamentum rumpatur, & ne alia legata à Fisco solvantur; ut per Alber. *in l. fin. ff. de Bonis eor.* Farinacius *dict. q.* 128. *nu.* 67. quia favore Ecclesiæ sustinetur legatum contra Fiscum. Ast pro anima defuncti non admittitur, sed quia jam Ecclesia, ex eo quod per eam non stetit, acquisivit jus ad illud percipiendum, licèt anima occisi nullum ex eo commodum percipiat, Spino *de testam. gloss.* 2. *n.* 34.

28 Hinc ad resolutionem hujus difficultatis considerandæ sunt quæ suprà diximus ad concedendam, seu denegandam sepulturam sibi mortem conscisceti; si enim desperatus, vel ex iracundia se interfecit, tunc ei denegatur sepultura, & suffragia, & nec quintum pro anima illius est expendendum; secus quando excusatur his modis suprà præscriptis, & sepulturæ Ecclesiasticæ traditur, & pro eo fiunt suffragia; tunc enim quintum est expendendum, ut jam decisum scripsit Ferro *dict. lib.* 1. *quæst. Vicar. cap.* 54. *per totum*.

29 Rursus recognoscendus est textus Regius *in l.* 8. *tit.* 23. *lib.* 8. *Recopilat.* ubi asseritur, seipsum occidentis bona ad Fiscum pertinere, nisi descendentes hæredes habuerit. In hac ergo lege duo dubia sunt investiganda. Primum, an intelligenda sit secundùm jus commune, quoad confiscationem bonorum? Secundum, etiamsi specialiter intelligatur, an sit admittenda quando defunctus non desperatione, vel iracundia seipsum interfecit.

30 Quoad primum animadvertendum, de jure communi controversum fuisse, an bona sibi mortem conscisentis ad Fiscum pertineant? De quo aliquos pro utraque parte adducit Farinacius *dict. quæst.* 128. *à n.* 47. Ast illud regulariter obtinuit, ut confiscatio bonorum non admittetur, nisi quando quis apprehensus seipsum interfecerit, ob conscientiam criminis capitalis perpetrati, ex quo meretur pœnam confiscationis bonorum; crimen tamen capitale aliqui intelligunt de morte tantùm naturali, alteri de civili, veluti deportationis; Verùm omnes conveniunt, de jure communi nonnisi in hoc casu confiscationem esse admittendam, *l. fin. in principio, ff. de bon. eorum, l. In fraudem, §. Cujus bona, ff. de Jur. Fisci, l.* 1. *Cod. de bonis eorum, l.* 2. *Cod. Ubi causa Fiscales l.* 24. *tit.* 1. *par.* 7. *l.* 2. *tit.* 23. *eadem part.* Decianus *tract. crimin. lib.* 9. *c.* 2. *à nu.* 2. Plaza *de Delictis, lib.* 1. *c.* 23. *n.* 11. Farinacius latè *d. q.* 128. *à nu.* 51. Gomez *tomo* 3. *c.* 3. *nu.* 13. Padilla *de leg. pœn.* 1. *par. c.* 20. Molina *de Just. tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 20. *per tot.*

31 Hinc enim dubitatur, an lex nostra sit intelligenda secundùm jus commune solùm in casu, quando quis seipsum interficiat propter conscientiam criminis capitalis, merentis confiscationem: an absolutè pro qualibet desperatione, aut tœdio vitæ? Prima sententia asserit intelligendam esse nostram legem secundùm jus commune. Et ratio est, nam illa tantùm pervenit ad tollendum difficultatem, quæ erat de jure communi, quando aderant hæredes descendentes, *ex Auth. bona damnatorum, Cod. de bon. præscript.* non verò ad aliquod jus novum decernendum. Ergo intelligenda est secundùm jus commune, quoad confiscationem bonorum, Avendanus *in d. verbo Desperado*, Gregorius *in l.* 24. *tit.* 1. *par.* 7. *verbo Para el Rey*, Plaza *d. c.* 23. *à nu.* 9. Lara *de Anniversar. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 44.

32 Secunda sententia inquit, ad omnem desperatum sibi mortem conscisentem extendendam esse, etiamsi ob conscientiam criminis non egerit; nam lex ista indistinctè loquitur, quapropter cum distinctione juris communis intelligenda non est. Tum in legibus explicandis magis attendenda est mens legislatoris, quàm verba, vel aliæ conjecturæ, *c. Intelligentia* 6. *c. Præterea* 8. *de verbor. signif.* Ex mente autem legislatoris satis percipitur ex universalis loquutione voluisse comprehendere omnem casum, nempè quando quis se occiderit, vel propter conscientiam criminis, vel desperationem. Ergo non est intelligenda secundùm jus commune, Covarr. *lib.* 2. *var. c.* 1. *n.* 11. *ad fin.* Azevedus *in d. l.* 8. *num.* 14.

Hanc ultimam sententiam admittendam censeo ex verbis illius legis, *Todo hombre, ò muger, que se matare assi mismo, pierda todos sus bienes, y sean para nuestra Camara, no teniendo herederos descendientes*. Quæ quidem verba explicata per Summarium, *La pena de el que se desesperare*, clarè denotant, seu demonstrant, non solùm ad sese occidentem propter criminis conscientiam esse extendendam, sed ad illum etiam, qui desperatus se interfecerit, ut Summarium demonstrat. Cæterùm lex ista est novior, quàm aliæ, ut ostendit Azevedus *d. nu.* 14. idcircò aliquid novi in ea est intelligendum, nec credendum, ab solùm transcribendum fuisse hanc pœnam impositam, licèt posteà dubium hæredum descendentium elideret. Hanc ob rem intelligenda de quolibet seipsum interficiente, non solùm ob criminis conscientiam, sed per desperationem, ut etiam admittit Ayllon ad Gomez *d. tom.* 3. *cap.* 14. 33

Quoad secundum dicendum, hanc confiscationem decretam in nostra lege, non esse admittendam, nisi quando constaret, mortem sibi conciscentem desperatè, vel ex iracundia id fecisse, & ideò privandus fuisset sepultura Ecclesiastica, Molin. *d. tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 20. *n.* 11. Ayllon *ubi proximè vers. Sepult.* Aliàs tamen, si id non constaret, veluti quia tantùm repertus est suspensus, vel in puteum dejectus; aliter est dicendũ, nisi Fiscus probasset desperatè id fecisse per plenam probationem, Petrus Caball. *Resol. Crimin.* 137. *n.* 14. Lavor. *d. c.* 12. *n.* 33. Samuellius *d. disp.* 1. *contr.* 5. *concluf.* 3. *n.* 10. Quapropter si propter amentiam, aut aliam causam à desperatione excusetur, Fiscus nihil percipiet, & de bonis defuncti quintum pro anima ejus expendetur, Ferro *d. q* 54. 34

Sed adhuc poterit dubitari in casu quo desperatè aliquis se in laqueum conjecerit, aut lethaliter vulneraverit, & temporis intervallum sit, ut agat pœnitentiam, & præsumatur, prout suprà diximus, an Fiscus capiat ipsius bona, ita ut quintum non possit expendi pro ejus anima. Et affirmandum videtur, quia reverà mors illa ex desperatione processit. Ergo debet committi pœna confiscationis. Sed contrarium teneo, nam licèt à principio mors illa ex desperatione processit, non verò defunctus moritur desperatus, quin potiùs contritus, & dignus Dei amicitia, & suffragiis, sepulturaque sacra. Ergo pœna illa non committitur; nam pœna illa est intelligenda quando mors est desperata, non verò quando initium solum illius. Ergo cùm pœna non sit imponenda, nisi in casu à jure expresso, *l. At si quis* 14. *§. Divus autem, ff. de Relig. & sumpt. funer. Auth. de non eligend. secund. nubent. §. Cùm igitur*, Menochius *de Arbitrariis, casu* 256. Fuschus *litt. P, concluf.* 216. *num.* 4. & lex in isto non loquatur, minimè est committenda. Cæterùm, nam in pœnalibus extensio non est facienda, Gravetta *de Antiquit. tempor.* 4. *temp. in princip. nu.* 148. Menochius *dict. casu* 276. *n.* 22. Cùm ergo lex loquatur quando mors sit desperatè, non est extendenda ad casum, quando initium fuit tantùm desperatum. Quare in hoc casu, nec bona Fisco addicentur. Verùm defunctus sepulturæ Ecclesiasticæ tradetur, & quintum pro anima illius expendetur. 35

Deindè privantur sepultura Ecclesiastica, morientes in torneamentis, licèt ante mortem signa dederint contritionis, & pœniteant, *cap.* 1. *& 2. de torneament.* Synodus Romana sub Innocentio II. *c.* 10 Constitutio S. Pii V. Concilium Rhemense *cap.* 20. idque in odium statutum est, ut homines à similibus ludis terreantur, Azor. *tom.* 3. *Inst. mor. lib.* 2. *c.* 15. Arellano *de jur. nat. lib.* 7. *cap.* 9. Passerinus *dict. c.* 2. *num.* 96. Medicis *de sepult.* 1. *par. q.* 11. *n.* 4. Samuellius *d. disp.* 1. *contro vers.* 8. *concluf.* 1. Barbosa *d. c.* 26. *n.* 45. Marchetus *tit.* 39. *n.* 6. 36

Id tamen non absolutè tenendum est, sed quando torneamenta periculosa sunt, & ex eis mortes sequuntur; hi enim ludi gladiatorii sunt à jure prohibiti, *leg. unic. C. de gladiat. lib.* 12. Unde gravissima pericula proveniunt tam corporibus, quàm animabus. De quibus periculosis torneamentis agit D. Gonzalez, noster Magister *in c.* 1. *& 2. de* 37

torneament. nu. 5. Si verò torneamenta iſta cum ſimili periculo non fiant, nec in eis aliquid infauſtum timetur, veluti cum lanceis ſine cuſpide, habetibuſque enſibus, & ſæpè vallo in medio curriculi impoſito, vulgò *Tela*; ſi aliquis fortè in torneamento decedat, privandus non eſt ſepultura Eccleſiaſtica; nam ſimilia torneamenta tantùm Clericis ſunt interdicta, non verò laicis. Concilium Herbipol. ſub Honorio IV. *can.* 4. Clarus *lib. 5. ſentent. §. Ludus, n.* 4. Fuſchus *verbo Ludus, concluſ.* 456. Alcozer *de Ludis, c.* 15. & 52. quare nequit aliqua pœna puniri, nec per carentiam ſepulturæ Eccleſiaſticæ, quæ graviſſima eſt. Ac denique ceſſat ratio interdicti *in dict. c.* 1. & 2. *de torneament.* ſimilem pœnam imponentis in periculoſis torneamentis, ut benè advertit D. Gonzalez, *ubi ſuprà, num.* 5. Paſſerinus *dict. cap.* 2. *num.* 98.

38 Hinc reſolvendum, quid dicendum de decentibus in taurorum ludis. Et affirmandum videtur, idem eſſe dicendum ſicut de torneamentis; nam ex conſtitutione S. Pii V. quam refert Guttierrez *Can. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 1. Navarrus *in Man. cap.* 15. *n.* 18. id interdictum eſt, ut ſi quis in taurorum agitatione decedat, in ſepultura Eccleſiaſtica non ſepeliatur. Ergo minimè eſt in ea ſepeliendus. Tum eſt eadem ratio periculi corporis, & animæ, ſicut in periculoſis torneamentis. Ergo ſic decedentes ſunt privandi ſepultura Eccleſiaſtica, Lavor. *dict. tit.* 2. *c.* 12. *n.* 18. Samuel *de ſepult. dict. controverſ.* 8. *concluſ.* 6. Spino *de teſtam. gloſſ.* 2. *num.* 27. Medicis *dict. q.* 11. *n.* 4. Marchetus *dict. tit.* 39. *n.* 63.

39 Sed contrarium ſcripſit Villalobos *in Summa*, 2. *par. tract.* 12. *difficult.* 20. *n.* 7. & rationem dat, quia pœnæ impoſitæ in torneamentis, nequeunt extendi ad agitationes taurorum; leges enim pœnales ſtrictè ſunt interpretandæ, non verò ad alios caſus extendendæ.

40 Sed in re dicendum, magnoperè conſiderandum, quomodo tauri agitentur; ſi enim magno periculo, & abſque præcautionibus præceptis in Bulla Clementis VIII. quam refert Guttierrez *dict. lib.* 1. *cap.* 7. *nu. fin.* tunc graviſſima eſt culpa, prout declaratur, & concipitur ex Bulla S. Pii V. quæ ponit pœnam carentiæ ſepulturę Eccleſiaſticæ; quo quidem caſu videtur, hanc pœnam incurri impoſitam tauros agitantibus. Ergo ſi tauri agitentur cum magno periculo, ibi decedens in agitatione privabitur ſepultura Eccleſiaſtica.

41 Sed contrà eſt Bulla Clementis VIII. reducens Bullam Pii V. ad terminos juris communis, quoad pœnas, & cenſuras. Quapropter in hac ſpecie, etiamſi tauri agitentur cum magno periculo, tamen ibi decedentibus deneganda non eſt ſepultura Eccleſiaſtica; pœna enim, ut diximus ſuprà, non committitur, niſi in caſibus à jure expreſſis. Cùm ergo de jure communi non ſit hæc pœna expreſſa in agitatione taurorum, minimè eſt imponenda, ut benè tenet Villalobos, & communiter in praxi admiſſum eſt.

42 Sed animadvertendum, contrariam ſententiam probabilitatem non paucam habere; nam reductio pœnarum, & cenſurarum facta eſt à Clemente VIII. ſub generali conditione, ut provideatur magna cura, ne mors alicujus ſequatur, ibi: *Volumus autem, ut hujuſmodi taurorum agitationes in eiſdem Hiſpaniarum Regnis feſtis diebus non fiant, & per eos, ad quos ſpectat, provideatur, ne inde alicujus mors, quoad fieri poterit, ſequatur.* Cùm ergo reductio ad terminos juris communis ſub hac conditione fiat, ſi deficiat, adhuc durabit hæc pœna, & cenſura. Et ratio eſt, nam durat culpa gravis agitandi tauros cum graui periculo: Ergo & pœna durare debet, impoſita à S. Pio V.

43 Hoc fundamentum contrariæ ſententiæ probabilitatem concedit. Sed adhuc reſpondetur, Clementem VIII. non ſuſtuliſſe culpam gravem agitandi tauros cum gravi periculo, nec id facere potuiſſe, quia id eſt intrinſecè malum, Petrus Hurtado de Mendoza *tom.* 2. *diſp. Scholaſtica* 174. *ſect.* 20. *concluſ.* 5. Verùm relicta culpa gravi, quoad pœnas reduxit motum S. Pii V. ad jus commune: attamen ad tollendam culpam gravem in taurorum agitationibus, reliquit illam providentiam à Magiſtratibus imponendam, ne mors alicujus ſequatur, non verò quoad modificationem; quamobrem licèt tauri cum gravi periculo agitentur, tamen ibi decedentes ſepultura Eccleſiaſtica non privantur.

44 Si verò tauri curantur illa providentia, & modo, ne facilè aliqua mors ſequatur, tunc aliquod peccatum grave non committitur, nec aliqua cenſura agitantes puniuntur, nec decedentes à ſacra ſepultura arcentur. Id facilè probatur apud Noſtros Hiſpanos ex Motu Clementis VIII. quod id decrevit. Tum quia ceſſante cauſa legis, ceſſare debet & pœna, *l. fin. de hæred. inſtit. l. in agris, ff. de acquir. rer. domin.* Ac denique in torneamentis idem ſcripſimus *num.* 35. Ergo ſimiliter in taurorum agitationibus, Lopez *in Inſtruct. conſcient.* 1. *par. cap.* 70. Navarrus *d. num.* 18. Guttierrez *d. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 14.

Hæc intelligenda ſecundùm Motus proprios, & ex natura agitationis taurorum. Verùm ex alio capite decedentes in agitatione taurorum poſſunt ſepultura ſacra privari, nempè quando maxima audacia, & temeritate aliquis ſeſe præcipitem fecerit ad taurorum cornua, nec tamen præditus fuerit dexteritate illudendi tauros. Et ratio eſt, quia ille moritur in notorio, & graviſſimo peccato, Villalobos *dict. difficult.* 20. *n.* 7. & 8. Sed qui in notorio peccato gravi decedit, privatur ſepultura Eccleſiaſtica, niſi pœnituerit, *cap. Non æſtimemus*, 13. *quæſt.* 2. *c. Qui recedunt*, 26. *quæſt.* 6. *c. Placuit*, 23. *quæſt.* 5. Navarrus *conſ.* 6. *de ſepult.* Barboſa *in c. Ex parte* 11. *de ſepult. num.* 5. Lavor. *dict. cap.* 12. *num.* 26. Ergo ſimiliter, qui agitando tauros, ſumma temeritate, & audacia ad tauros irruit, & ibi in peccato illo notoriè decedit. 45

Et confirmatur, nam ſepultura Eccleſiaſtica denegatur raptori manifeſto per violentiam, niſi reſtituat ablata, *cap. Super eo* 2. *de rapt.* Barboſa *de offic. Paroch. dict. cap.* 28. *n.* 44. & *de univerſ. lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 44. Marchetus *dict. tit.* 39. *nu.* 22. Tum denegatur latronibus, qui furando, vel deprædando moriuntur, *cap. Fures* 13. *quæſt.* 2. *c. Fures* 2. *de furt.* Samuel *dict. diſput.* 1. *controverſ.* 4. *num.* 15. Deindè denegatur Clerico notoriè concubinario, perſeverandi uſque ad mortem ſine pœnitentia, Navarrus *in Manual. cap.* 25. *num.* 8. Barboſa *dict. cap.* 26. *num.* 53. Samuel *dict. diſput.* 1. *controverſ.* 7. *num.* 11. Marchetus *ubi proximè, num.* 32. Ergo idem dicendum eſt de eo, qui audacter, & temerariè agitat tauros cum gravi periculo vitæ, cum iſte notoriè in peccato decedat, ſicut & alteri. Et confirmatur, nam qui in ipſo crimine, & culpa decedit, præſumitur mori impœnitens. Layman *in Summa*, *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 5. *cap.* 12. *num.* 12. Diana *in Summa*, *verbo Sepultura*, *num.* 6. Marchetus *dict. tit.* 39. *num.* 25. Cùm ergo iſte in crimine illo, & graviſſima culpa decedat in cornibus tauri, tanquam moriens impœnitens in ipſa culpa, & crimine, privandus eſt ſepultura Eccleſiaſtica. Idque maximè animadvertendum à Judicibus Eccleſiaſticis; nam ut quotidie videmus, nullo facto diſcrimine, decedentes in agitatione taurorum in Eccleſiis, & Cœmeteriis ſacris ſepeliuntur. 46

Rurſus ſepultura Eccleſiaſtica denegatur decedentibus in duello, ut à majoritate rationis deducunt DD. *in cap.* 1. *de Torneamentis*, *extravagant.* 1. *ejuſdem tit.* Eſtque locus expreſſus in Tridentino *ſeſſ.* 25. *de Reformatione*, *c.* 19. & Conſtitutione S. Pii V. & Gregorii VIII. quæ id extendunt non ſolùm ad duella publica, quæ in certo loco fiunt, patrinis deputatis, & aliis ceremoniis; ſed & ad privata, his deficientibus. Eſt etiam Conſtitutio Clementis VIII. illius Conſtitutiones extendens ad ubique gentium, quas ſumans refert Barboſa *in dict. cap.* 19. *Concilii*, *à num.* 2. & *in Summa*, *collect.* 269. & *de offic. Epiſcopi*, 3. *par. allegat.* 129. Palao *de Charit. tract.* 9. *diſput.* 5. *punct.* 7. *num.* 17. Diana 5. *par. tract.* 14. *reſol.* 102. Caball. *de omni gener. homicid. à num* 76. Cenedo *in Collect. ad Decretal.* 117. Marchetus *tit.* 39. *num.* 64. Paſſerinus *dict. cap.* 1. *n.* 99. Amicus noſter colendiſſimus D. Petrus Garcia de Ocçavi *de Clerico venat. num.* 38. 47

Hæc enim propoſitio ampliatur, etiamſi duellante fuerint provocati, & extenditur etiam ad eos, qui conſilium, & auxilium dederint duellandi, ad patrinos, & ſpectatores; hi enim omnes pœna excommunicationis innodantur, & perpetuò carent ſepultura Eccleſiaſtica, Lavorius *d. c.* 12. *n. d. controverſ.* 8. *concluſ.* 2. *num.* 8. 48

Et tamen dubium, an qui in duello deceſſit, & ſigna dederit contritionis, recipiatque etiam Sacramenta, ſepeliendus ſit in ſacra ſepultura? Communis ſententia aſſerit, non eſſe ſepeliendum. Ducitur *ex cap.* 1. *de Torneamentis*, ubi in torneamentis defunctis negatur ſepultura Eccleſiaſtica, etiamſi ſigna dederint contritionis. Ergo ſimiliter eſt dicendum de mortuis in duello. Probatur conſequentia, nam pœna illa impoſita eſt tam rigida in deteſtationem torneamentorum. Aſt major deteſtatio eſt duellorum, prout patet 49

tet in Decreto Tridentini *dict. c.* 19. & Bullis suprà recensitis. Ergo similiter in duello decedentes non debent sepeliri in sepultura Ecclesiastica, etiamsi dederint signa contritionis, aut Sacramenta receperint. Cæterùm licèt non statim duellans moriatur, sed postea, & signa dederit contritionis, aut Sacramenta receperit, dicitur in duello decessisse, & excommunicatum, ex eo quod ibidem in duello vulnus recepit. Ergo etiamsi dederit signa contritionis, aut Sacramenta recipiat, non est sepeliendus in sepultura Ecclesiastica. Lavorius *dict. cap.* 12. *num.* 16. Gratian. *discept. forens. tom.* 3. *ca.* 410. *per tot.* Bonacina *in Bull. Cœn. disput.* 2. *q.* 3. *punct.* 4. *num.* 22. Sanchez *Select. disput.* 36. *num.* 7. & 8. Samuel *d. controvers.* 8. *conclus.* 4. *à num.* 12. Diana 4. *p. tract.* 4. *resol.* 192. Marchet. *d. tit.* 39. *num.* 65.

50 Altera etiam est sententia asserens contrarium, nam Tridentinum *dict. cap.* 19. tantùm dicit, quod decedentes in conflictu duelli, *perpetuò careant sepultura*; non verò aliquid dicit, quando vulneratus in duello dederit signa contritionis, aut Sacramenta receperit; hoc enim omisit, & reliquit in terminis, prout quando aliquis in peccato decedat, qui si dederit signa contritionis, aut Sacramenta receperit, in Ecclesiastica sepultura sepelitur, ut diximus, & docet Sanchez *dict. disput.* 36. *à num.* 7. Ergo duellans, qui signa contritionis dederit, aut Sacramenta receperit, debet in sacra sepultura sepeliri. Rursus, pœnæ non sunt trahendæ de casu ad casum, sed strictè interpretandæ. Ergo licèt in casu torneamentorum decedentes etiamsi signa dederint contritionis, aut Sacramenta receperint, sepultura sacra priventur, non sunt tamen privandi in duello decedentes, si signa dederint, aut Sacramenta receperint. Laurent. Portel. *Respons. Moral.* 3. *par. cons.* 10. *num.* 3. Hurtado de Mendoza 2. 2. *disput.* 170. *sect.* 1. §. 178. Diana 5. *par. tract.* 3. *resol.* 99. *in fin.* Passerin. *dict. cap.* 2. *num.* 100.

51 In hoc dubio duo casus sunt distinguendi. Primus, quando duellans lethaliter vulneratur in duello; ast ex loco illo extrahitur, signa dat contritionis, aut Sacramenta recipit. Secundus, quando in ipso loco signa ipsa dederit, aut ibidem Sacramenta recipit, & moritur. Primo verò in casu Peregrin. *de duello: qu.* 7. *n.* 4. § *Primum non obstat*, asserit in sepultura Ecclesiastica non esse sepeliendum, quia reverà mortuus est in duello, ex eo quod ibidem lethale vulnus receperit. Samuel. *d. conclus.* 4. Marchet. *d. num.* 65. *vers. Quia Ecclesiastica*. Verùm teneo contrarium cum Sanchez *disput.* 36. *num.* 9. nam Concilium, & Bullæ loquuntur de his, qui in conflictu duelli moriuntur, non verò de his, qui à loco duelli recedentes signa contritionis dederint, aut Sacramenta receperint; hoc enim non est mori in conflictu. Deinde verba Concilii non sunt intelligenda extra rigorem litteræ, præcipuè quoad pœnas: nec hoc mori in duello, sed occasione duelli, ut tenet Diana 2. *p. tr.* 16. *resol.* 54. & 4. *part. tract.* 4. *resolut.* 92. *vers. Verùm his non obstantibus*. Marchet. *dict num* 65. *versic. Quia Ecclesiastica*.

52 Tota igitur difficultas versatur in secundo casu, quando in ipso loco decessit, verùm datis signis contritionis, aut Sacramentis receptis: in quo Sacra Congregatio censuit, non esse sepeliendum in sacra sepultura. Refert Samuel. *conclus.* 4. *n.* 13. & Rituale Romanum Pauli V. *tit. de Exequiis*, & esse ad mentem Concilii scripsit Samuel. *ubi proximè*, *num.* 15.

53 Verùm credo, contrarium ad praxim esse adducendum, nisi aliud necessitas petat, ad deterrendam, & tollendam pessimam provinciæ, aut urbis consuetudinem duellandi; quia tunc rectè Prælati, & Judices recipient communem sententiam ad terrendos animos duellantium. Attamen si non urgeat necessitas, concedenda est sepultura; nam ut supponimus, in hac provincia, aut urbe non adest necessitudo terrendi animos duellantium, quia rarò duellum accidit; quamobrem cessat fundamentum unicum sententiæ communis, ut videre est apud Gratian. *cap.* 410. *nu.* 9. Ergo & debet cessare resolutio illius. Deinde, quia Tridentinum loquitur de decedentibus in conflictu duelli; qui enim vulneratur lethaliter, dat signa contritionis, & recipit Sacramenta, decedit finito duello, & probabiliter jam cum Domino reconciliatus. Ergo minimè est privandus sepultura Ecclesiastica.

54 Sed dices, sic decedentem in loco duelli, licèt det signa contritionis, adhuc excommunicatione majori manere irretitum, & privatum sepultura Ecclesiastica, ut statim dicemus; & nec ab ea liberatur per signa contritionis, nisi reverà ab ea absolvatur, *c. Anobis* 28 *de sentent. excomm.* Samuel. *controvers.* 8. *num.* 20. Ergo licèt ratione pœnæ sepultura non privetur, privabitur tamen ratione excommunicationis incursæ ex duello. Ergo in hoc casu non poterit in loco sacro sepeliri. Sed respondetur, excommunicatum non privari sepultura Ecclesiastica, nisi nominatim denuntiatum. Navarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 36. Suarez *de Censuris*, *disp.* 12. *sect.* 4. *num.* 5. Idcircò si sic decedens non fuerit nominatim denuntiatus, quia breviter decedit, non est inconveniens ut sepeliatur in loco sacro. Et quamvis Avila *de censuris* 2. *part. cap.* 6. *disput.* 10. *in fin.* contrarium teneat, quod probabile dicit Sanchez *disp.* 36. *num.* 6. adhuc etiam defunctus poterit absolvi, ut sepulturæ Ecclesiasticæ tradatur, *cap. Anobis* 2. *de sentent. excommunicat.* vel si confiteatur, poterit à quolibet Sacerdote absolvi in necessitate illa, *cap. ult. de Sepult.* Suarez *disp.* 12. *sect.* 4. *num.* 3. Villalobos *in Sum.* 1. *part. tract.* 17. *diffic.* 8. *num.* 1. *in fin.* Ergo ex hoc etiam capite in præsentia nullum restat inconveniens, ut sepulturæ Ecclesiasticæ mandetur defunctus in duello, sive signa contritionis dederit, sive Sacramenta suscipiat.

Illud verò omittendum non est, in similibus casibus Parochum semper Episcopum, aut ejus Vicarium consulere debere; nam licèt opinionibus probabilibus possit uti, nec illis utendo possit è Superioribus puniri: ast cùm ex his aliquod scandalum oriri possit, meliùs aget consulendo Superiorem, ut scripsit Marchetus *dict tit.* 39. *numer.* 63. *vers. Quia Ecclesiastica*: & ita procedet ad dandam, seu denegandam sepulturam, prout Superioribus placitum fuerit. 55

Hinc breviter piam difficultatem non desinam attingere an quando aliquis graviter vulneratus fuerit in duello, dederitque signa contritionis, & sequendo alteram opinionem, non in loco sacro sepeliatur, possit pro eo Missa applicari? Et negandum videtur; nam licèt per signa contritionis æstimetur in Dei gratia decessisse, adhuc excommunicationibus multis manet innodatus. Comitol. *Respons. Moral. lib.* 6. *quæst.* 13. Sed pro excommunicato nequit applicari Missa, quia est oratio publica. D. Thomas *in* 3. *p. qu.* 79. *art.* 3. Navarr. *in Man. cap.* 27. *num.* 26. Villalobos *in Summ.* 1. *par. tract.* 17. *diffic.* 4. *num.* 2. Ergo nequit Missa applicari pro duellante mortuo, etiamsi dederit signa contritionis. 56

Sed tamen tenent contrarium Diana 4. *par. tr.* 4. *res.* 192. *vers. Sed hìc oritur*, Samuell. *d. disput.* 1. *controvers.* 8. *conclus.* 7. *num.* 23 Portel. 3. *part. casu* 10. *num.* 3. Quia ut diximus, hìc, licèt excommunicatus, non tamen est denuntiatus, ut in communionibus spiritualibus eum vitemus. Tum quia clarè non decessit in peccato, & in dubiis reo favendum est, *regul.* 68. *de Reg. Juris*. Hanc ob rem credendum, extra peccatum decessisse, & si rectè Missa pro homine isto valet applicari. 57

Hæc ultima sententia piè, & probabiliter admittenda est. Et est ratio, nam quoties constat, excommunicatum dedisse signa contritionis, piè credendum est, Eccelesiam velle pro illo suffragia applicari. Ergo rectè applicatur Missa. Covarr. *in c. Alma*, 1 *p.* §. 6. *nu.* 8. *concl.* 9. Navarr. *nu.* 26. dicit probabile Villalobos *difficult.* 4. *num.* 7. Henriquez *in Summa*, *lib.* 7. *cap.* 15. *nu.* 3. Ergo piè, & probabiliter poterit Missa applicari pro duellante decedente, datis signis contritionis. 58

Verùm antequam hinc abeamus, animadvertendum, non omnes in duello morientes excommunicatos remanere, & privari sepultura Ecclesiastica; hæc enim pœna inflicta est duellantibus absque legitima causa, injustè, & cum peccato mortali. Palao *de Charit. tra.* 6. *disp.* 6. *punct.* 7. *num.* 17. Sunt tamen aliqui casus, in quibus licitè acceptatur duellum, ut qui licitè acceptat, si fortè decedat, non sit privandus sepultura Ecclesiastica, nec aliqua excommunicatione innodetur. Hos quidem referre longum est, & majorem partem materiæ de duello hìc inserere, quod abs re nostra est. Consulendi sunt Sanchez *in Summa*, *l.* 2. *c.* 39. Palao *punct.* 7. *à num.* 4 Paulus Layman *in Summa l.* 3. *tr.* 3. *par.* 3. *cap.* 5. Trullench. *in Decalog. libr.* 3. *cap.* 2. *dub.* 13. Villalobos *in Summa*, 2. *par. tr.* 12. *cap.* 12. *à n.* 4. Molina *de Just. tom.* 4. *tr.* 3. *disp.* 17. Ezpeleta *de casi-* 59

bus

bus occurr. tit. 1. reſol. 5. & alii quamplures de hac materia agentes, congeſti à Barboſa *ad Concil. ſeſſ. 25. de Reformat. cap. 19. num. 1.*

CAPUT XI.

Proſequitur materia antecedens, & de pœnis contra ſepelientes has perſonas in loco ſacro, & aliqua de ſepulchro violato.

SUMMARIUM.

Excommunicati majori excommunicatione carent ſepultura Eccleſiaſtica, n 6.

An ad hanc pœnam incurrendam hodie requiratur quod ſit nominatim denuntiatus. Aliqui negarunt, num. 2. Alteri affirmarunt, num. 3. Defenditur hæc ſententia. Excommunicati dantes ſigna contritionis, abſolvuntur, & mandantur ſepulturæ Eccleſiaſticæ, num. 4.

Excommunicatus jam ſepultus, ſi dedit ſigna contritionis, quomodo abſolvatur, nu. 5. Eſt de jure poſita excommunicatio contra ſepelientes excommunicatos in loco ſacro, num. 6.

An qui impœnitens moritur in excommunicatione minori, mandandus ſit ſepulturæ Eccleſiaſticæ. Prima ſententia negat ſepeliendum, num. 7. Secunda affirmat. Tertia admittit primam, ſed ad praxim dicit difficile trahi poſſe, n. 9.

Sed ſecunda defenditur. Minor excommunicatio non privat communione fidelium, n. 10.

Per accidens poteſt privari ſepultura Eccleſiaſtica, ratione peccati notorii, veluti ſi in contemptum cenſuræ noluiſſet abſolvi, vel ſi in ipſa infirmitate receperit Sacramenta cum illa excommunicatione, n. 11.

Sepultura Eccleſiaſtica denegatur notoriè interdictis, & ſuſpenſis, ſive interdictum ſit locale, ſive perſonale, ſeu generale, n. 12.

Limitatur quando quis fuerit ſolùm interdictus audire Divina. Qui habet indultum audiendi Divina, tempore interdicti, nequit in loco ſacro ſepeliri, num. 13.

Tum quando Capitulum fuerit interdictum, Canonicus in loco ſacro ſepelitur, n. 14.

Fit inſtantia, tempore interdicti generalis perſonalis nullus de Communitate ſepelitur in loco ſacro. Datur diſpatas, n. 15.

Collegium, ſeu Communitas debet eſſe nominatim interdicta, ut particulares non ſepeliantur in loco ſacro, & ſimiliter perſonæ, n. 16.

Clerici, ſi non dederint cauſam interdicto, aut perſonaliter fuerint interdicti, in loco ſacro ſepeliuntur tempore interdicti, num. 17.

An feſtivitatibus, quibus tempore interdicti Divina celebrantur, ex c. Alma mater, poſſint laici ſepeliri in loco ſacro. Prima ſententia affirmat, num. 19. Secunda negat, num. 20.

Explicatur dubium. Indultum audiendi Divina, contra aliquos, non extenditur tempore interdicti ad ſepulturam, num 21.

Sed in dictis feſtivitatibus laicus poteſt mandari ſepulturæ Eccleſiaſticæ, num. 22.

Denique limita in Ditionibus Hiſpaniæ, ubi eſt Indultum Cruciatæ, ex cujus vi Fideles tempore interdicti in loco ſacro ſepeliuntur, n. 23.

An qui tempore interdicti ſepultus eſt in loco profano, ceſſante interdicto, exhumandus, & ſepeliendus ſit in loco ſacro. Negavit Bonacina: ſed contrarium piè admittendum, num. 24.

Hæretici, eorum receptatores, fautores, aut eis credentes, carent ſepultura ſacra, etiamſi poſt mortem appareant. Idem de Paganis, Judæis, & Infidelibus. Ex iſtis, ſi aliqui fuerint baptizati, & ſigna dederint contritionis, abſolvuntur, & in loco ſacro ſepeliuntur, num. 25.

Qui non adimplent annum præceptum confeſſionis, & communionis, niſi poſteà dederint ſigna contritionis, non debent in ſacra ſepultura tumulari. Idem ſi aliquis in articulo mortis Euchariſtiam recipere noluerit, num. 26.

Limita ſi hoc præceptum adimpleatur in Cathedrali. Alii limitant, ſi in Monaſterio mendicantium ſimiliter adimpleatur, aut conſtet alibi adimpletum, quod eſt ab hæredibus probandum. Si fuerit dubium factum, adhuc ſepultura non carebit, n. 27.

Clericus concubinarius notoriè, moriens impœnitens, in Eccleſia non ſepelitur, n. 28.

Idem dicendum de meretricibus in lupanari decedentibus, etiamſi dederint ſigna contritionis, num. 29. Sed ſi dederit ſigna contritionis, contrarium eſt tenendum. Si Parochus agnoſcat, meretricem habuiſſe animum ſe convertendi, & caſtè vivendi, tunc in loco ſacro ſepelitur, n. 30.

Datur animadverſio, n. 31.

Amaſia mortua inventa in cubiculo amaſii, ſepelitur in loco ſacro. Si meretrix fuiſſet, & ab amaſio interficeretur, & diceret, Jeſus, adhuc in loco ſacro non ſepelitur, num. 32.

Correpti in actu venereo, non ſepeliendi in loco ſacro. Idem de adulteris in actu interfectis, n. 33.

Fures, & latrones, in furando, vel depredando interfecti, in Eccleſia, vel Cœmeterio non ſepeliuntur; ſecus ſi confeſſi à Judice ſuſpendantur, n. 34.

Raptores manifeſti Eccleſiarum, licèt pœnitentiam egerint, niſi reſtituant, ſepulturæ Eccleſiaſticæ non traduntur, num. 35.

Uſurarius manifeſtus non eſt in loco ſacro ſepeliendus, niſi acta pœnitentia, hæredes reſtituant, aut dent cautionem. Si verò uſurarius reſtituere mandaverit, cum poſſet, etiamſi hæredes reſtituere voluerint, adhuc caret ſepultura Eccleſiaſtica, n. 36.

An uſurarius nominatim excommunicatus, aut interdictus, ſi in Monaſterio Religioſorum tumuletur, poſſit præcipi à Dieceſano eum exhumari? Prima ſententia affirmat, n. 37. Secunda negat, n. 38.

Dieceſanus, antequam ſepeliatur uſurarius in Monaſterio, valet id impedire: non tamen poterit præcipere exhumari; ſi jam ſepultus fuerit in Monaſterio, & non fuerit excommunicatus, aut interdictus nominatim, num. 39.

Si tamen fuerit, id præcipere poſſe Dieceſanum defenditur, num. 40. Cauſa cepta contra laicum coram ſeculari, poteſt procedere contra Clericum ejus hæredem, ibidem.

Subtrahentes decimas carent Sepultura Eccleſiaſtica. Limitant aliqui ubi adeſſet contraria conſuetudo, num. 41.

Teſtator relinquens tutorem Sacerdotem, olim non ſepeliebatur in loco ſacro, n. 42.

Publicè blaſphemantes, niſi pœnitentiam injunctam egerint, carent ſacra ſepultura. Extenditur ad blaſphemantes ſacram Virginem, & Sanctos, n. 43.

Idem dicendum de parricidis, num. 44. Sed ſi pœnitens fuerit, dubitatur? Communis ſententia, adhuc non eſſe ſepeliendum, aſſerere videtur, nu. 45. Sed contrarium defenditur, ibid. Fit inſtantia, & reſpondetur, n. 46.

Dieceſani carent ſepultura Eccleſiaſtica, ſi in ſuis viſitationibus occaſione procurationis aliquid acceperint, dum tamen fuerint nominatim interdicti, num. 47.

Qui in infirmitate Medicum Judæum, vel Infidelem adhibet, niſi alius non ſit, non ſepelitur in loco ſacro, num. 58.

Sicut exenterantes corpora defunctorum, & ea immaniter decoquentes, & oſſa ſeparantes, ut alibi reportent, ſi tamen impœnitentes decedant, n. 49.

Monachi utriuſque ſexus proprietarii impœnitentes carent ſacra ſepultura, & quomodo alibi ſepeliendi, numer. 50.

Qui ſepeliunt in loco ſacro ibi interdictos ſepeliri, graviter peccant, & aliis pœnis afficiendi, num. 51. Excommunicantur aliqui, nec abſolvuntur, niſi data ſatisfactione, ſi propriis manibus corpora exenterent. Aſſociantes, & adjuvantes pari pœna puniuntur, n. 52.

An

An cantantes, comitantes, & deferentes Crucem excommunicentur? Affirmat Faber, nu. 53. Altera sententia tantùm extendit ad sepelientes propriis manibus, nu. 54. Tertia rejicit hanc secundam, n. 55.

Et asserit censuram illam solùm comprehendere hæredes, Rectores Ecclesiarum, portantes cadaver, & propriis manibus sepelientes, n. 56.

Ad incurrendam hanc excommunicationem est necessarium, quod hæretici, fautores, aut receptatores sint denuntiati, n. 57. Et in hac specie admittitur, & explicatur tertia sententia, n. 58.

In aliis verò interdictis non est posita excommunicatio, num. 59.

Violatio sepulchrorum variis modis committitur, nu 60. Violantur demolitione, habitatione dolosa, illatione illegitima, & alienatione. Et explicatur, num. 61. cum sequentibus. Pœnæ violantium remissivè ponuntur, n. 63.

1 EXcommunicati majori excommunicatione sepultura, Ecclesiastica privantur, *cap. Sacris 12. de Sepult. c. 2. de hæret. in 6. Clem. 1. de sepult.* nam cùm ab Ecclesia, & communione Fidelium sint segregati, secundùm illud Apocalypsis c. 12. *Prælium magnum factum est in cœlo, & draco ille magnus, qui vocatur diabolus, & Sathanas, qui seducit universum orbem, projectus est in terram, & extra Ecclesiæ communionem exclusus;* quem locum ad excommunicatos adaptarunt Albertus Magnus, & D. Thomas, D. Paulus ad Corinth. *cap. 15.* ibi: *Tradidit eos Sathanæ, ut discerent non maledicere.* D. Augustin. *super eisdem verbis, ser. 68. & de Civit. Dei lib 11. c. 4. l. 1. tit. 9. par. 1.* Inde est, ut etiam post mortem à loco sacro arceantur, ubi alteri Fideles sepeliuntur. Fusc. *de Visit. lib. 1. c. 25. nu. 11.* Medicis *de Sepult. 1. p. q. 11. n. 14.* Theophil Raynaud. *de Monitoriis, 2. p. cap. 3. num. 7.* Passerin. *cap. 2. nu. 43.* Lancellot. *de Sepult. verbo Excommunicatorum,* Samuell. *d. disp. 1. controvers. 9. concl. 3.* Marchet. *d. tit. 39. num. 3* Spino *d. gloss. 2 num. 24.*

2 Est verò dubium, quod supra tetigimus, an ad hanc pœnam incurrendam requiratur, quod excommunicatus sit publicè denuntiatus, aut notorius percussor Clerici, secundùm Extravagantem Martini V. *Ad evitanda?* Aliqui negarunt, quia Extravagans ista est in favorem Fidelium, ut possint communicare cum excommunicato; non verò ipsius excommunicati. Ergo etiamsi denuntiatus non fuerit, nequit in sepultura sacra sepeliri, ut tenet Avila relatus *n. 54.* & sentire videtur Villalobos *in Summa, 1. p. tr. 8. diffic. 8. nu. 1.* dum absolutè tenet, excommunicatum non debere in loco sacro sepeliri.

3 Sed alteri tenuerunt contrarium, nam prohibitio ista non sepeliendi in loco sacro excommunicatos, non cadit in ipsos excommunicatos, seipsos sepelire nequeuntes; sed in vivos illos sepelientes: quapropter, sicut cum illis communicare nequeunt vivis, similiter nec cum ipsis mortuis. Ast post dictam extravagantem possunt communicare cum excommunicato non denuntiato. Ergo rectè possunt eum sepelire in loco sacro, ut benè considerat Suarez *de censuris, disp. 12. sect. 4. n. 5.* Lavor. *d. tit. 2. cap. 12. nu. 2.* Barbosa *cap. 26 n. 40.* Marchet. *tit. 39. num. 3.* Bonacina *de excomm. extra Bull disp. 2. q. 2. punct. 31. propos. 1. n. 4.* Passerin. *cap. 2. n. 50.*

4 Hæc secunda sententia, uti probabilior & magis pia, admittenda est; piè enim ultra dictam rationem credendum, excommunicatos toleratos, qui adhuc denuntiati non sunt ab Ecclesia, contumaces, & obstinatos non esse, & adhuc aliquam pœnitentiam, saltem internam habere; quamobrem ex hac probabiliori sententia ad sepulturam Ecclesiasticam sunt admittendi. Tum, nam excommunicati, quantumvis denuntiati, & notorii fuerint, si ante mortem dederint signa contritionis, & pœnitentiæ, absolvuntur, & sepulturæ Ecclesiasticæ mandantur, ut censuit Sacra Congregatio, quam refert Samuell. *d. controv. 9.* & altera declaravit 16. Novemb. 1635. Navarr. *cons. 2. de sepult.* Possevin. *de Offic. Curat. cap. 14. sub num 5.* Marchet. *tit. 39 num. 4.* Samuell. *ubi proximè.* Ergo idem est dicendum de excommunicatis non denuntiatis ex præsumpta contritione, aut pœnitentia. Ergo ut probabiliorem, & magis piam admitto secundam sententiam, ut admisimus *cap. antecedenti, n. 50.*

Est verò ad praxim observandum, quod si excommunicatus fuerit absque præmissa absolutione sepulturæ sacræ traditus, & non exhumetur, quia signa contritionis dedit, erit absolvendus; percutiendo virga sepulturam, & alia cæremonialia faciendo, ut tenet Marchet. *d. numer. 4.* 5

Est tamen posita excommunicatio de jure contra eos, qui præsumpserint sepelire in loco sacro excommunicatos obstinatos, qui nulla dederunt signa contritionis, *Clemen. Eos qui 1. de sepultur.* Samuel. *de Sepult. tr 2. disput. 1. controv. 7. concl. 4. num. 10.* Villalobos *in Summa, d. tract. 17. diffic. 3. num. 3. & tr. 8. disput. 24. num. 3.* Marchet. *d. tit. 39. numer. 4.* Lavorius *d. cap. 12. num. 5.* Passerinus *cap. 2. num. 53.* 6

Est tamen dubium, an qui impœnitens moritur in excommunicatione minori, sepeliendus sit in sepultura Ecclesiastica? Prima sententia asserit, non esse sepeliendum. Ducitur ex aliquibus juribus, ubi absolutè prohibetur sepultura sacra excommunicatis. Ergo simile interdictum extendendum ad excommunicationem minorem, prout extendit textus Regius in *l. 8 tit 11. p. 1.* Cæterùm, nam qui impœnitens moritur, nec vult consequi absolutionem excommunicationis minoris, in peccato decedit: quapropter si id notorium sit, nequit in sepultura Ecclesiastica sepeliri, ut jam diximus. Medicis *d. qu. 11. num. 10.* Ergo licèt excommunicatio minor non privet communione Fidelium, attamen quia decedit in peccato notorio; non est sepeliendus in loco sacro impœnitens moriens in excommunicatione minori. Joannes Andreas in *d. cap Sacris,* Hostiensis *in Summa de sepult. §. Quibus interdicitur.* Sylvester *verbo Sepultura, num. 9.* Vivaldus *in Candelabro de interdictis q. 94.* Samuellius *de Sepulturis, d. controv. 9. concl. 3.* Gregorius Lopez in *d. l. 8. tit. 11. part. 1. verbo De la memor.* 7

Secunda sententia tenet contrarium, nam jura propter excommunicationem sepulturam interdicentia, relata *n. 1.* loquuntur de excommunicatione majori, non verò de minori. Tum excommunicatio minor non privat communione Fidelium. Ratio formalis est, ut excommunicatio major privet sepultura Ecclesiastica, ut diximus *d. nu. 1.* ergo licèt quis impœnitens moriatur in excommunicatione minori, non est privandus sepultura Ecclesiastica. Admittit Lavorius *d. cap. 12. num. 4.* Passerinus *d. cap. 2. num. 49.* 8

Tertia sententia admittit primam, verùm asserit, in praxi difficiliter esse admittendam, quia excusationes multæ sunt, ut quis à minori excommunicatione liberetur, & difficillimè simili excommunicatione innodatus denuntiatur: & licèt aliquando denuntietur, aut vivus, aut mortuus ab illa absolvitur perquam facilè; quapropter casus iste rarò, aut nunquam ad praxim trahetur. Villalobos *in summa, 1. p. tr. 18. diffic. 32. n. 5.* 9

Sed in re dicendum, excommunicatum minori excommunicatione, ratione ipsius excommunicationis, sive denuntiatus sit, sive non, non privari sepultura sacra, licèt non peteret absolutionem. Et ratio est, quam adducit secunda sententia, quia ista excommunicatio non privat communione Fidelium, sive politica, sive sacra, *cap. ult. de Cleric. excomm. ministrant. cap. A nobis, de Exceptionibus.* Graffis *lib 4. dec. cap. 1. n. 3.* Suarez *de censur. disp. 24. sect. 2. n 4.* Bonacina *de excomm. disp. 2. q. 3. propos. 3. n. 8.* ergo nec etiam communione sepulturæ in loco sacro simul cum aliis Fidelibus. 10

Per accidens tamen aliquando decedens impœnitens cum excommunicatione minori, poterit privari sepultura Ecclesiastica, scilicet quando decederet in notorio peccato gravi, ratione ipsius minoris excommunicationis, scilicet quando noluisset petere absolutionem in contemptum illius censuræ; tunc enim gravissima est culpa, *c. Sacris n. 5. de his, quæ vi, met caus.* ubi communiter Scribentes. Navarr. *in Man. cap. 27 n. 36.* Covarruv. *in c. Alma, 1 p. §. 3. n. 9.* Barbosa *in d. cap. Sacris, n. 4.* in qua si notoriè decedat, sepultura Ecclesiastica est privandus. Idem dicendum, si in ipsa infirmitate Sacramenta receperit scienter excommunicatus minori excommunicatione, & absolutionem renueret. Tum enim gravissimum scelus commisit, *cap. ult. de Cleric. excomm. ministrante,* Suarez *d. sect. 2. n. 2.* Alterius *de censur. lib. 1. disp. 4. c. 2. & 3.* Bonacina *disp. 2. q. 3. propos. 3. n. 3.* Villalobos *diffic. 32. num. 2.* in quo si 11

im-

impœnitens decedat notoriè, minimè ſepulturæ Eccleſiaſticæ mandabitur; id autem non ratione cenſuræ, ſed quia notoriè impœnitens decedit in peccato.

12 Rurſus ſepultura Eccleſiaſtica eſt deneganda notoriè interdictis, & ſuſpenſis *cap. Is cui* 20. *de ſentent. excommunic. c. Quod in te* 11. *de pœnit. & remiſſ. cap. Privilegia.* 24. *de privilegiis*, *Clement.* 1. *de ſepult.* ubi communiter DD. idque extendendum, ſive interdictum ſit locale, ſive perſonale, ſive generale: nam interdictum in locis, & perſonis interdictus, ſacra, & functiones Eccleſiaſticas peragere interdicit. Ergo etiam debet privare ſepultura Eccleſiaſtica. Medicis *d. quæſt.* 11. *num.* 13. Vgolinus *de offic. Epiſcop. cap.* 17. *num.* 4. Barboſa *d.* 3. *p. de offic. Parochi*, *cap.* 26. *nu.* 41. & *de Vniverſ. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 41. Marchetus *d. tit.* 39. *à nu.* 6. Bonacina *de interdict. diſp.* 4. *punct.* 5. *per tot.* Paſſerinus *d. cap.* 2. *nu.* 67.

13 Verùm hæc propoſitio aliquas limitationes admittit, ſcilicet quando quis tantùm fuerit interdictus audiendi divina officia, tunc enim eſt partiale interdictum, & non privat ſepultura Eccleſiaſtica. Medicis 1 *part. q.* 12. *num.* 11. Samuellius *d. diſp.* 1. *controverſ.* 11. *num.* 4. Marchetus *ubi proximè*, *num* 9. Sicut qui haberet indultum, ut tempore interdicti poſſet audire divina; attamen per hoc indultum nequit in ſepultura Eccleſiaſtica ſepeliri, quia eſt partiale, non ſe extendens ad alia, veluti ad ſepulturam, ut in meliori ſententia tenet Vgolinus *de cenſur. tabul.* 5. *cap.* 9. §. 3. Covarruv. in c. *Alma*, 2. *par.* §. 5. *num.* 6. Alterius *de cenſur. diſp.* 6. *cap.* 2. *col.* 3. Ergo ſimiliter eſt dicendum in noſtra ſpecie, cùm interdictum partiale ſit tantum ad Divina audienda, nec extendendum ad ſepulturæ privationem, ut dicunt ſupra relati.

14 Similiter propoſitio illa extendenda non eſt, quando Capitulum fuerit interdictum; nam Capitulo interdicto, Canonicus illius non eſt interdictus; aliud eſt enim Capitulum, aliud Canonicus, *c. Eam te* 7. *de Reſcript.* ubi Falinus *num.* 13. Vivianus *in Praxi juriſpatronat. lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 17. Ergo Capitulo interdicto, Canonicus non erit interdictus, nec privandus ſepultura Eccleſiaſtica. Quod quidem eſt extendendum, etiamſi Capitulum fuerit nominatim denuntiatum, quia Canonicus non eſt denuntiatus. Marchetus *d. tit.* 39. *n.* 9.

15 Sed dices: Tempore interdicti generalis perſonalis, qui ſunt illius communitatis, etiam ut partes, nequeunt ſepeliri in loco ſacro, etſi fuerint incapaces, aut infantes, ut ex communi tenet Bonacina *de Interdict. diſp.* 4. *punct.* 5. *num.* 9. Ergo ſi Capitulum fuerit interdictum, etiam perſonæ illius remanent interdictæ, ut ſunt Canonici. Ergo Capitulo interdicto, Canonicus nequit ſepeliri in loco ſacro. Sed reſpondetur, diſparitatem maximam eſſe quando abſolutè imponitur interdictum alicui communitati, aut quando ponitur perſonaliter, non ſolùm reſpectu communitatis univerſaliter ſumptæ, ſed ſingulorum. Quoad primum modum, pars, & perſonæ communitatis, niſi qui culpabiles fuerint, non privantur auditione Divinorum Officiorum, aut ſepultura Eccleſiaſtica; quapropter extra ipſam communitatem poſſunt ea audire, & in ſepultura Eccleſiaſtica ſepeliri, ſecus tamen quando interdictum eſt impoſitum communitati, aut Collegio perſonaliter; nam tunc particulares perſonæ interdictæ remanent, & conſequenter nequeunt ſepeliri in loco ſacro, ut eſt textus clarus in *cap. Si ſententia* 26. *de ſent. excommunic. in* 6. Suarez de *cenſur. diſp.* 35. *ſect.* 3. *num.* 2. Samuellius *d. diſp.* 1. *controv.* 11. *num.* 14.

16 Eſt tamen hæc doctrina intelligenda de jure antiquo; de jure verò novo, poſt Extravagantem *Ad evitanda*, aliter conſiderandum eſt: nam ſi Collegium, ſeu communitas non eſt nominatim interdicta, adhuc perſonæ particulares illius poterunt in loco ſacro ſepeliri: quod idem eſt dicendum, ſi denuntiata fuerit communitas, ſeu collegium & non perſonæ particulares illius, quia adhuc poterunt ſepulturæ Eccleſiaſticæ demandari, cùm ipſæ nominatim denuntiatæ non ſint, nec ſufficit illa denuntiatio communitatis, Collegii, ſeu Capituli, quia nimis eſt generalis. Suarez *dict. ſect.* 3. *num.* 2. *ad. fin.* Unde ſequitur, doctrinam Canoniſtarum ſupra relatorum *num.* 14. eſſe admittendam.

17 Rurſus limitatur propoſitio illa in Clericis; hi enim ſi cauſam non dederint interdicto, aut perſonaliter fuerint interdicti, & illud obſervaverint, ſunt in loco ſacro ſepeliendi, *cap. Quod in te* 11. *de pœnit. & remiſſ. cap. Is cui* 20. *de ſent. excommunicat. in* 6. quod extendendum ad Clericos primæ Tonſuræ, dummodò habeant juris conditiones, *cap.* 5. *de Cleric. conjugat. in.* 6. Tenent Villalobos *in Summa*, 1. *par. tract.* 19. *diffic.* 8. *num.* 2. Navarrus *in man. cap.* 27. *num.* 181. Covarruv. in *c. Alma*, 2. *p. num.* 7. Suarez *de cenſ. d. diſp.* 35. *ſect.* 1. *num.* 4.

Eſt tamen dubium, an quando interdictum eſt locale 18
generale, poſſint laici ſepeliri in loco interdicto, in feſtivitatibus, quibus celebrari poſſunt Divina Officia, ex *c. Alma mater*, & ex Conſtitutionibus Martini V. Eugenii IV. & Leonis X. de quibus Covarruv. in *d. c. Alma*, Alterius *de cenſur. diſp.* 5. *cap.* 3. Bonacina *de interdict. diſput.* 5. *punct.* 4. *propoſit.* 2. *à n.* 14. Villalobos *d. tract.* 19. *diffic.* 6. *per tot.* & alii communiter.

Prima ſententia affirmat. Ducitur, nam ut dictum eſt 19
ſupra, hoc Interdictum fundatur principaliter in communione Fidelium, *cap. Sanè* 24. *quæſt.* 2. Cùm ergo in his feſtivitatibus vivi inter ſe Fideles in ſpiritualibus communicent, inde eſt, ut etiam poſſint defuncti inter ſe communicare. Cæterùm in ſepultura concedenda duo conſiderantur, nempe Officium Divinum, quod in ſepeliendis fit, & hoc iis diebus permiſſum eſt: tum etiam ſepultura, & hæc per accidens ſe habet ad officium. Ergo ſi officium in his feſtivitatibus fieri valet, conſequenter valet concedi ſepultura. Sylveſter *verbo Interdictum* 5 *quæſt.* 2. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 11. Calderinus *de Interdict.* 2. *par. num.* 14. Henriquez *in Summa*, *lib.* 13. *cap.* 4. *num.* 5. & *cap.* 47. *num* 4. Bonacina *d. diſp.* 4. *punct.* 5. *propoſit. unica*, *num.* 7. *verſ.* 2.

Secunda ſententia tenet contrarium; nam interdicti tres 20
ſunt effectus, privationis Sacramentorum, Divinorum Officiorum, & ſepulturæ Eccleſiaſticæ, *cap. Si civitas* 16. *de ſentent. excommunicat. in* 6 *cap. Epiſcoporum* 8. *de privilegiis*, *eod. lib.* qui quidem diſtincti ſunt. Ergo licèt in illis diebus fieri poſſint Officia Divina, & à Fidelibus audiri, non inde ſequitur, conceſſam eſſe ſepulturam Eccleſiaſticam. Cæterùm ſepultura Eccleſiaſtica non aliquo modo pendet à celebratione Divinorum Officiorum tempore interdicti, aliàs eodem tempore poſſet concedi ſepultura Eccleſiaſtica ea moderatione, prout Officia Divina celebrantur, ex *d. cap. Alma*. Ergo licèt in his feſtivitatibus Officia Divina publicè, & abſque moderatione fiant, non inde ſequitur ſepulturam Eccleſiaſticam eſſe concedendam, Gloſſa in *Clement.* 1, *de ſepultur. in princip.* Covarruv. in *cap. Alma*, 2. *par.* §. 5. *num.* 6. Suarez *dict. diſput.* 35. *ſect.* 1. *num.* 13. Alterius *diſp.* 6. *cap.* 3. Villalobos *d. tract.* 19. *diffic.* 8. *num.* 5. Samuellius *d. diſp.* 1. *controv.* 12 *per tot.* Paſſerinus *d. cap* 2. *n.* 73.

In hoc dubio duo involvuntur à Doctoribus. Primum, 21
quando quis habuerit indultum ad audienda Divina tempore interdicti; an virtute indulti poſſit ſepeliri in ſepultura Eccleſiaſtica? Secundum, an quando in diebus harum feſtivitatum Divina celebrantur publicè, poſſit concedi ſepultura Eccleſiaſtica? Et quoad primum diſceptatio eſt, an indultum extendatur ad ſepulturam? Negarunt relati *num.* 13. Affirmarunt Avila, Navarrus, Sayrus, & Coninch, & alii relati, & ſequuti à Bonacina *de Interdict. cap.* 4. *punct.* 5. *num.* 6. Verùm negativa ſententia melior videtur, quia in indultis illud quod diſtinctum eſt, & ſeparatum, non intelligitur, quantumvis favorabilius; ſolùm enim poſſunt extendi ad connexa; ſepultura verò eſt diſtincta, & ſeparata ab officio, *cap. Quod in te* 11. *de Pœnit. & Remiſſ.* ubi in loco interdicto permittitur Clericus ſepeliri ſine Divino Officio; quapropter ſeparatum cenſetur. Ergo ad illud nequit extendi indultum. Suarez *d. diſput.* 35. *ſect.* 1. *nu.* 13.

Quoad ſecundum dicendum, in dictis feſtivitatibus Fi- 22
deles poſſe tradi ſepulturæ Eccleſiaſticæ, ut tenet prima ſententia. Et ratio eſt, nam illatio de indulto audiendi, & celebrandi ſacra, nihil probat ad hos dies feſtos. Et probatur, nam in indulto eſt tantum gratia ad aſſiſtendum Divinis; in reliquo interdictum. Villalobos *dict. tract.* 19. *diffic.* 6. *num.* 7. Henriquez *d. lib.* 9. *cap.* 47. *num.* 2. Ergo ſuſpenſo interdicto ad tempus illorum feſtorum, rectè Fideles poterit ſepulturæ mandari, licèt ſecus in indulto procedat.

Denique limitatur propoſitio illa in ditionibus Hiſpa- 23
niæ, ubi conceditur Bulla Cruciatæ; nam illius eſt privilegium,

gium, ut pompa moderata Fideles sepeliantur in loco sacro tempore interdicti; quæ enim dicatur pompa modorata, explicant Henriquez *lib. 7. de Indulgentiis, cap. 1. num. 4. gloss. 2. lit. V.* Mendo *in Bull. disp. 15 cap. 5. per tot.* Mendez in *Bull. interrogat. 7. fol. mihi 21.* Villalobos *1. p. tract. 37. de la Bulla, claus. 4. nu. 13.*

24 Illud denique attingere non desinam, quod scripsit Bonacina *d. disp. 4 punct. 5. num. 8. vers. Sed mihi.* Nempe, quod si aliquis tempore interdicti in loco profano fuerit sepultus, cessante interdicto exhumandum non esse, ut sepeliatur in loco sacro, quia affectus fuit interdicto. Sed contrarium piè in praxi tenendum, quia cessante interdicto, cessat impedimentum, ne in loco sacro sepeliatur. Tum, quia licèt interdicto affectus fuisset, est interim, quod durat. Sà *verbo Interdictum, n. 25.* Alterius *disput. 6 cap. 4. col. 4.* Ugolinus *tabul. 5 cap. 9. §. 4.* Villalobos *d. tract. 19. diffic. 8. nu. 5.*

25 Hæretici, illorum receptatores, fautores, aut eis credentes, carent sepultura Ecclesiastica, *cap. Sanè 24. quæst. 2. cap. 2. c. Quicunque 2. de hæret. lib. 6.* quod extendendum etiam quando post mortem appareret de hæresi, ex Bulla, Nicolai III. quæ incipit, *Noverint.* Refert Samuellius *dict. dis. 1. controvers. 9. n. 1.* Barbosa *d. 3. p. cap. 26. num. 43. & de universo lib. 2. cap. 10. num. 43.* Marchetus *d. tit. 39. nu. 5.* Passerinus *dict. cap. 2. à num. 63.* Idem dicendum de Paganis, Judæis, & omnibus infidelibus, apostatis à Christiana Religione, & schismaticis. Samuellius *d. controvers. 9. num. 2.* Trullench *de jure Parochi, cap. 9. dub. 7. num. 4.* Fuscus *de Visitat. lib. 1. cap. 5. num. 11.* Ex istis tamen, qui sacrum Baptisma receperunt, si signa dederint contritionis & à censuris absolvantur, possunt Ecclesiasticæ sepulturæ tradi, ut cum Rituali Romano docet Marchetus *dict. num. 5.*

26 Cæterùm carent Ecclesiastica sepultura, qui non semel in anno, nec in Paschate confitentur, communicantque, *c. Omnis 12. de Pœnit. & Remiss.* & pro hac culpa poterunt excommunicari, ut censuit Sacra Congregatio Concilii 30. Januarii 1587 Refert Gavantus *Enchirid. verbo Eucharistia, num. 31.* Quod intelligendum, quando in peccato illo decesserint; secus verò, si pœnitentiam egerint in articulo mortis, vel si signa contritionis, & emendationis præstiterint, vel si ex aliqua causa se abstinerent à communione, ut cum D. Antonino notat Medicis *de sepultur. 1. p. quæst. 11. num. 7.* Ugolinus *de Offic. Episcopi, cap. 17. n. 4.* Layman *in Summa, lib. 4. tract. 10. cap. 22. nu. 11.* Passerinus *d. cap. 2. à num. 102.* Lavorius *d. cap. 12. nu. 21.* Samuellius *d. disput. 1. controvers. 7. à nu. 2.* Marchetus *dict. tit. 39. nu. 10.* Qui id extendit meritò ad illum in articulo mortis positum, renuentem accipere Viaticum, maximè si semper oppressus censuris, præceptum annuæ confessionis, & communionis adimpleverit; iste enim in notorio peccato decedit, quapropter debet Ecclesiastica sepultura carere.

27 Poterunt tamen excusari sic decedentes, si fortè præceptum confessionis, & communionis in Cathedrali adimpleverint, licèt non in Parochia; nam quilibet diœcesanus valet ibidem Sacramenta susçipere, & hoc præceptum adimplere. Piasecius *in Praxi, 2. p. cap. 3. num. 24.* Barbosa *de Offic. Paroch. 3. part. cap. 19. num. 13. & cap. 20. nu. 12.* quod etiam aliqui extendunt ad monasteria Mendicantium aut si clarum sit, quod defunctus fuerit confessus, & communicatus; nam circumstantia, quod sit in Parochia non est sufficiens, ut sepultura privetur. Illud tamen in his ultimis casibus est ex parte hæredum probandum, aut in Cathedrali, aut Monasterio, aut alibi defunctum confessum, & communicatum fuisse. Marchetus *dict. tit. 39. num. 13* Si tamen factum occultum fuerit, aut dubium, sepultura non carebit. Medicis *d. quæst. 11. num. 7* Possevinus *de offic. Curat. cap. 14. sub num. 4.* Marchetus *d. n. 13. in fine.*

28 Non est sepeliendus in loco sacro Clericus notoriè concubinarius, impœnitens moriens, quia in peccato decedit, *cap. Quibus 16. 13. q. 2. c. Placuit 12 23. quæst. 5.* Samuellius *d. controvers. 7. conclus. 5.* Comitolus *Respons. Moral. lib. 1. q. 58.* Trullench *dict. c. 9. dub. 7. num. 14.* Barbosa *dict. cap. 26. num. 13.* Navarrus *in Man. cap. 25. num. 8.* Marchetus *d. tit. 39. n. 32.*

29 His etiam adjungendę sunt meretrices publicè expositæ, quæ etiamsi signa contritionis dederint, si tamen in lupanari decedant, sepultura Ecclesiastica carent, *cap. Qui recedunt. 7. 26. q. 6.* nam in odium, & detestationem illius criminis id est admissum. Samuellius *dict. controvers. 7. conclus. 6. num. 10.* Medicis *d. 11. num. 30.* Marchetus *d. tit. 39. nu. 35.*

Sed tamen licèt admittam, meretrices in lupanari decedentes, minimè in loco sacro sepeliendas esse, non tamen si signa dederint contritionis, & constet saltem per unum testem pœnitentes decessisse. Et ratio est, nam dant textum contrarii probantem, ex odio illius criminis carere sepultura sacra, etiam dederint contritionis signa, prout est necessarium, ut in *cap. 1. de torneament.* Ergo si dederint signa contritionis, sunt sepeliendæ in loco sacro. Et probatur consequentia, nam cùm hæc pœna nullo jure sit imposita, restat ut ideò meretrix in lupanari decedens, non sepeliatur in loco sacro, quia decedit in peccato notorio. Ast notorius peccator, si dat signa contritionis, & id probatur, sepelitur in loco sacro, ut dictum est. Ergo meretrix, licèt decedat in lupanari, si dat signa contritionis, erit sepeliendа in loco sacro. Denique probatur contrariorum doctrina, asserentium quod si meretrix in lupanari decedat, & agnoscat Parochus, animum habuisse convertendi se ad Deum, & in posterum castè vivendi, tunc morte præventa sepeliendam esse in loco sacro. Medicis *d. q. 11. n. 31.* Samuellius *d. controvers. 7. num. 12.* Marchetus *dict. num. 35.* Ergo ipsi DD: asserunt, quod si signa vera dederit pœnitentiæ, & contritionis, esse sepeliendam in loco sacro, licèt in lupanari decedat. 30

Quod verò adnotandum est à Parocho, vel ab alio Confessore, aut Vicecurato, est an signa illa doloris sint vera, necne? Quia si posset, data occasione, ab illo infami loco recedere, & renuerit, signa illa falsa esse videntur, nec de eis curandum; id enim totum arbitrio prudentis est relinquendum. 31

De amasia verò, quæ mortua inventa est in cubiculo sui amici, dicendum sepeliendam esse in loco sacro, cùm non constet in peccato decessisse Samuellius *nu. 13.* Navarrus *cons. 4. de Sepult.* quod maximè dicunt DD. isti, si dulce nomen Jesu invocaverit. Ast si meretrix fuisset, & in cubiculo amasii interficeretur, dicendo Jesus Maria, neutiquam in loco sacro est sepelienda, quia talis prolatio connaturalis est in quolibet adverso accidenti; qua propter nequit considerari tanquam verum signum pœnitentiæ, ut benè probat Marchetus *d. tit. 39. à nu. 37.* 32

Prætereà à sepultura Ecclesiastica sunt ablegandi, qui in illicito actu venereo correpti decedunt. Pari modo adulteri in fragranti crimine interfecti, & concubinarii, si mortui in venereo actu reperiantur; omnium enim est par ratio, nisi signa contritionis, & doloris dederint. Lezana *tom. 4. verbo Sepult. n. 24.* Diana *p. 5 tract 3. resol 99.* Villalobos *2 p. tract 31. diffic. 3. n. 10.* Samuellius *d. controv. 7. à n. 15.* Marchetus *d. tit. 39. à nu. 42.* 33

Fures, & latrones, qui in furando, vel deprædando moriuntur, carent sepultura Ecclesiastica, *cap. Fures 31. 13. q. 2. cap Fures 2. de furt.* quia qui in crimine decedit, præsumitur impœnitens decedere. Lavorius *d. tit. 2. cap. 12. n. 50.* Medicis *dict. q. 11. num. 18.* Ugolinus *d. cap. 17. num. 4.* Samuellius *d. disput. 1. controvers. 4. num. 15.* Si tamen delinquentes isti, aut furca suspenduntur, aut alio modo à Judice interfici jubentur, & confessionem faciant, & Eucharistiam receperit, sunt sepulturæ Ecclesiasticæ tradendi, *cap. Quæsitum 30. 13. q. 2.* Et ratio est, nam rei criminis non prohibentur sepeliri, *l. 1. ff. de cadaver. punit. l. Obnoxios 11. C. de relig. & sumpt. funer* nec ratione criminis est aliquod impedimentum, quia ut supponimus, egerunt pœnitentiam. Ergo debent sepeliri in loco sacro, ut quotidie videmus, Lavorius *d. cap. 12. à nu. 51.* 34

Raptores manifesti, & Ecclesiarum violatores, licèt pœnitentiam egerint, attamen adhuc carent sepultura Ecclesiastica, ut alii terreantur. Si tamen fuerint occulti, & confessi restitutionem fecerint, aut de illa facienda securitatem præstent, sepulturæ sacræ mandantur, *c. Super eo 2. de Raptoribus.* Lavorius *d. cap. 12. n. 62.* Naldus *in Summa, verbo Sepultura, num. 7.* Lezana *d. verbo Sepultura, nu. 25.* Samuellius *d. disp. 1. controv. 4. concl. 11 n. 16.* Passerinus *d. cap. 2. n. 105.* 35

Usurarius manifestus non sepelitur in Ecclesia, *c. Quia 3. de usuris, cap. Quanquam 2. cod. tit. in 6. Clement. 1. de Sepultur.* Dicuntur enim manifesti usurarii, qui convincun- 36

cuntur ex ſcripturis, vel ad uſuras habent menſam paratam. Gloſsa in *d. cap. Quanquam, verbo manifeſti*. Lavorius *d. cap.* 12. *à num.* 10. Medicis *dict. quæſt* 11. *num.* 10. Excipitur tamen, ſi uſurarius dederit ſigna contritionis, & pœnitentiæ; aſt priùs hæredes, ad quos bona pervenerunt, cenſuris ſunt compellendi, ut uſuras reſtituant. Et licèt uſurarius in ſua ultima voluntate uſuras reſtitui mandaverit, attamen carere debet ſepultura, donec plenariè fuerit ſatisfactum, at data cautione: ſi verò non mandaverit, & hæredes reſtituere voluerint, aut cautionem præſtare de reſtituendo, nec erit mandandus ſacræ ſepulturæ, *cap. Quamquam 2. de uſur. in 6.* quia ex eo quod reſtituere non mandavit, in peccato manifeſto deceſſit. Medicis *ubi proximè, num.* 11. Poſſevinus *dict. cap.* 14. *num.* 4. Lavorius *d. cap.* 12. *num.* 12. Paſqualigius *ad Lauret. de Franchis*, 2. *par. q.* 80. *num.* 3. Barboſa *de Offic. Paroch.* 3. *p. cap.* 26. *num.* 42. Samuel *d. controverſ.* 7. *concluſ.* 16. *à num.* 34. Paſſerinus *d. cap.* 2. *à num.* 95.

37 Eſt tamen dubium, an uſurarii manifeſti nominatim excommunicati, & interdicti, ſi de facto in Monaſteriis Religioſorum humentur, poſſit Diœceſanus præcipere, exhumari, & procul ejici ab Eccleſia? Prima ſententia affirmat, *ex Clementina* 1. *de ſepultur.* Aſt non video, textum illum id probare, cùm loquatur in diverſa ſpecie, nec ullum verbum eſt ibidem, quod ad rem faciat. Sed ratione probari poterit, nam ex eo quod uſurarius manifeſtus ſit nominatim excommunicatus, & interdictus, conſequenter à Judice ordinario Diœceſano eſt privatus ſepultura Eccleſiaſtica. Ergo etiamſi Religioſi in ſuo Monaſterio illum ſepelierint, ad illum Judicem ipſius cauſæ pertinebit uſurarium exhumare, & procul ab Eccleſia ejicere. Tenet cum Hieronymo Rodriquez Barboſa *dict. cap.* 26. *num.* 42.

38 Secunda ſententia tenet contrarium, nam defunctus ille eſt ſepultus in loco exempto, & perinde eſt, ac ſi non fuiſſet in ſua Diœceſi ſepultus. Ergo nequibit Diœceſanus præcipere, ut exhumetur, & procul ab Eccleſia Monaſterii abjiciatur. Abbas in *cap. Sacris* 12. *de Sepult. num.* 6. Sylveſter *verbo Sepult. n.* 16. Samuellius *dict. controverſ.* 7. *concluſ.* 18. *num.* 38.

39 In hoc dubio omnes DD. conveniunt, quod licèt corpus uſurarii manifeſti in Monaſterio ſi ſepeliendum, antequam corpus ad locum exemptum deferatur, poſſe Epiſcopum remedium præſtare, ut impediat ſepulturam, quia adhuc remanet in ſuo territorio, & valet facere, ut in loco profano ſepeliatur. Samuellius *dict. num.* 38. *in fin.* Reſtat verò dubium, poſtquam humatum fuerit in Eccleſia Monaſterii, & tunc ſi nominatim non fuerit excommunicatus & interdictus, ex eo ſolo quod ſit uſurarius manifeſtus, non poterit Diœceſanus eum exhumari præcipere, quia jam præciperet in territorio alieno, *l. fin ff. de juriſd. omnium Judicum.* Solùm enim quæ ſui territorii ſunt, poteſt contentiosè decidere. Bobadilla *Polit. lib.* 4. *cap.* 5. *à n.* 5. Pareja *de Edit inſtrument. tit.* 5. *reſol.* 8. *n.* 2. & 3.

40 Sed quid quando uſurarius manifeſtus fuerit jam excommunicatus, & nominatim interdictus? Et in hoc caſu dico, Diœceſanum poſſe præcipere, ut exhumetur, & à Monaſterio procul abjiciatur; quod non impoſſibile dicit Samuellius nuperrimè allegatus, *num.* 39. *in fin.* Et ratio eſt, quia hæc juſſio eſt individua à cauſa prima excommunicationis, & denuntiationis; quapropter debet procedere, licèt ſit in loco exempto excommunicatus ſepultus, prout quotidie in qualibet cauſa procedit, ſi individua ſit, ut prorogetur contra exemptos, & alienæ juriſdictionis, ut in exemplo adducto à Cevallos *de cognition. per viam violent.* 2. *par. quæſt.* 72. *num.* 3. Afflictus *deciſ.* 280. *num.* 7. vel quando Clericus eſt hæres alicujus laici, & cauſa ante ejus mortem fuerit incepta coram ſæculari Judice, qui etiam contra Clericum decidit, licèt ab ejus juriſdictionem exemptum. Graſſis *de effect. Clericat. effect.* 1. *num.* 282. Caſtillo 1. *part. deciſ.* 2. Cevallos *dict.* 2. *part. quæſt.* 40. *num.* 9. Bolanos *in Curia*, 1. *part.* §. 5. *num.* 20. Megala in 3. *par. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 59. Ergo in præſentiarum, cùm cauſa ſepulturæ ſit conſequens individuum ab excommunicatione, inde poterit procedere, ut uſurarius exhumetur, licèt ſit in loco exempto Monaſterii.

41 Prætereà non ſunt tradendi ſepulturæ Eccleſiaſticæ decimas ſubtractas non reſtituentes Eccleſiis, *c. Probibemus 19. de decimis*. Medicis *d. q.* 11. *num.* 32. Barboſa *dict. cap.* 26. *num.* 50. Spino *de teſtament. gloſ.* 2. *n.* 20. Moneta *de decimis, cap.* 8. *n.* 74. Paſſerinus *d. cap.* 2. *n.* 106. Limitant tamen aliqui, ubi adeſſet contraria conſuetudo, quæ eſt toleranda in illis locis ubi difficilis eſt decimarum exactio. Genuenſis *in praxi Neapolit. cap.* 76. *in Addit. ſub n.* 10. Marchetus *d. tit.* 39. *n.* 35. *in fin.*

Et tamen canon *Neque apud Altare* 14. *diſt.* 88. ubi teſtator relinquens Sacerdotem in ſuo teſtamento tutorem, ſepultura Eccleſiaſtica privatur. Fortè illo tempore neceſſarium fuerat, ob crebras nominationes Clericorum ad officia tutorum, ne è Sacris avocarentur, & nimis negotiis ſæcularibus implicarentur, ita decernere. Verùm jam hodie abolitus eſt, cùm & hæc officia circa pupillos exercita magnam pietatem involvant. Medicis *dict. q.* 11. *nu.* 19. Gavantus *in Enchirid. verbo Sepultura*, *num.* 23. Marchetus *d. tit.* 39. *num.* 27. Villalobos *in Summa*, 2. *p. tract.* 31. *diffic.* 3. *num.* 13. 42

Publicè blaſphemantes Deum, à ſacra ſepultura arcentur, ſi pœnitentiam eis injunctam non egerint, *cap.* 2. *in fine, de Maledic.* Ugolinus *d. cap.* 17. *num.* 4. Lavorius *dict. cap.* 12. *num.* 43. Barboſa *d. cap.* 26. *n.* 52. quod extendendum ad blaſphemantes Beatiſſimam Virginem Mariam, & alios Sanctos, *ex d. cap.* 2. Ubaldus *de Canonic. tit. de Can. Paroch. cap. ult. num.* 2 *verſ. Item blaſphemantes.* Marchetus *ubi proximè, nu.* 17. 43

Parricida quoque caret ſepultura Eccleſiaſtica. Aſinius in *l. quod ſi nulla, ff. de relig. & ſump. funer.* Lavorius *d. c.* 12. *num.* 49. Medicis *d. quæſt.* 11. *num.* 33. Barboſa *dict. cap.* 26. *num.* 51. Marchetus *dict. tit.* 39. *num.* 30. Paſſerinus *d. cap.* 2. *num.* 109. 44

Sed hæc propoſitio abſolutè non ponitur à Samuellio *d. diſp.* 1. *controverſ.* 4. *num.* 14. ut ponunt DD. relati; ſed aliter, nempe quando parricida decederet impœnitens: quapropter dicendum videtur, abſolutè non eſſe tenendam, ſed cum iſta circumſtantia impœnitentiæ. Sed adhuc ipſe Samuellius non ponere videtur ſuam concluſionem, quia ſic ſcripſit: *Parricida impœnitens decedens, privatur ſepultura, & merito, ſanè ob tanti ſceleris immanitatem.* Si enim ratione impœnitentiæ privatur ſepultura Eccleſiaſtica, ad quid aſſerit, *ob tanti ſceleris immanitatem*: ex eo enim, quod quis in quolibet peccato moriatur impœnitens, Eccleſiaſtica ſepultura caret, ut diximus. Petrus Gregorius *Syntag. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 10. Carrillo *en la Explication de la Bulla de Difuntos*, 2 *p. cap.* 4. Barboſa *d. cap.* 26. *num.* 48. Marchetus *d. tit.* 39. *num.* 48. Fuſcus *d. lib.* 1. *cap.* 25. *nu.* 11. Ergo non eſt neceſſaria ſceleris immanitas. Unde aſſerendum videtur, quemlibet parricidam, etiamſi pœnitentiam egerit, in ſacro loco non eſſe ſepeliendum, ut ponunt Doctores communiter. Menochius *de Arbitr. caſu* 387. *nu.* 2.

Verùm hac conſideratione non obſtante, cum Samuelio aſſero, parricidam impœnitentem carere ſepultura Eccleſiaſtica, non verò ſi pœnitentiam egerit. Et ratio eſt, quia à Doctoribus iſtis non datur textus, ubi parricida privetur ſepultura Eccleſiaſtica. Ergo non ex ſcelere illo imponenda eſt hæc pœna, ſed ex alia circumſtantia impœnitentiæ: Ergo ſi pœnitens decedat parricida, in ſacro loco eſt ſepeliendus. Cæterùm, nam ut diximus ſupra, nullus, cui ſpecialiter non ſit interdicta ſepultura, etiamſi pœnitentiam non agat, privatur ſepultura Eccleſiaſtica, ſi pœniteat, ex *cap.* 1. *de torneament.* Aſt non datur textus privans parricidam ſepultura Eccleſiaſtica, ſi pœniteat. Ergo ſi pœnitentiam agat, debet in ea ſepeliri. 45

Sed dices, ob ſceleris immanitatem datur paritas ad eos, qui in torneamentis decedunt. Ergo ſicut iſti, etiamſi pœnitentes, privantur ſepultura Eccleſiaſtica, ſimiliter illi. Sed reſpondetur negando conſequentiam, quia in rebus pœnalibus graviſſimis, ut eſt privatio ſepulturæ, non datur extenſio. Farinacius *in praxi*, 4. *tom. quæſt.* 121. *nu.* 51. ut jam diximus ſupra de pugnantibus in duello. Nec in re, aliquod principium invenio, niſi doctrinam Aſinii in *d. l. quod ſi nulla, de relig. & ſumpt. funer. num.* 10. aſſerentis, parricidam non eſſe in loco ſacro ſepeliendum, quem cæteri abſque examine inſequuti ſunt. Medicis, & Menochius *ubi proximè*. Trullench *de jur. Paroch. c.* 9. *dub.* 7. *n.* 12. quapropter ſententiam Samuelli uti magis piam, & juri conformem admitto. 46

Diœceſani ſepultura carent, ſi in ſuis viſitationibus occaſio- 47

casione procurationis aliquid acceperint contra formam, capitis *Exigit 2. de censibus, lib. 6.* ut cum Samuelio cum Marchetus *d. tit. 39. à n 47.* Passerinus *dict. cap. 2. num. 100.* Verùm in specie ista animadevertendum, Diœcesanos in procurationibus excedentes, & contra formam illius textus speciali pœna non privari sepultura Ecclesiastica, sed per consequentiam, nempè quia in illo textu interdicti censura innodantur; quapropter erit necessarium, ut nominatim sint denuntiati, ut sepultura priventur.

48 Rursus, qui infirmitate oppressus Medicum adhibet Judæum, vel infidelem, sepultura caret, ex Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit, *Aliàs piè*, anno 1558. Refert Nicol. *Iucubrat. 2. p. lib. 2. tit. 1. sub num. 40. §. 10* Quod sanè limitandum quando Christianus moreretur, cùm alius Medicus non inveniretur, nisi Judæus, aut infidelis, quia tunc ob necessitatem urgentem à pœna liberatur. Piasecius *in Praxi, 2. par. cap. 3. art. 3. num. 10.* Marchetus *d. tit. 39. n. 45. & 46.*

49 Similiter privantur sepultura Ecclesiastica exenterantes corpora defunctorum, & ea immaniter decoquentes, ut ossa à carnibus separentur, & ad terram suam conferant sepelienda; sic etenim exenterantes ipso jure manent excommunicati, & si impœnitentes decedant, carent sepultura, *Extravag Detestandæ 1. de sepult. inter commun.* ubi etiam ipsa corpora exenterata sepulturæ etiam mandari prohibetur. Idque statutum absque culpa defuncti, ex sequela antecedentis delicti, ut scripsit Samuellius *d disp. 1. controv. 7. concl 19 n. 40* sed meliùs, ne delictum effectuetur, & illusum remaneat; quapropter pœna defuncti est absque culpa, sed non absque causa Marchetus *d. tit. 39. num. 28.* Lavorius *d. cap. 12. num. 44.*

50 Prorsus Monachi utriusque sexus proprietarii, qui absque pœnitentia decesserint, & absque ulla emendatione, dum fuere moniti à Superiore, quod essent proprietarii, sacra sepultura privantur, *cap. Monachi 2. cap. Cùm ad Monasterium 6. de stat. Monachor.* Lavorius *dict. cap. 12. num. 27.* Galganetus *de jur. publ. lib. 3. tit. 109. num. 38.* Diana *4. p. tract. 4. resol. 22.* Villalobos *d. tract. 31. difficul. 3. nu 6.* Quo quidem casu Regularis proprietarius tumulandus in sterquilinio cum parte pecuniæ, cum illa maledictione, *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, & si jam humatus fuerit, extrahendus est de loco sacro, si absque gravi scandalo fieri queat. Thesaurus *de Pœn. Ecclesiast. 2. part. cap. 11.* Graffis *2. p. lib. 3. decis. cap. 19. num. 5.* Samuellius *d. disput. 1. controvers. 6. num. 9.* Passerinus *dict. cap. 2. num. 105.*

51 His dictis de personis interdictis, ne in Ecclesiis sepeliantur, superest aliqua dicere de his, qui eos sepeliunt, & quibus pœnis de Jure Canonico afficiantur. Et in primis illud est certum, scienter sepelientes eos, quibus sepultura sacra interdicitur, graviter peccare, quia in re gravi non adimplent præceptum Ecclesiæ, & sanctiones sacras violant, *cap. Violatores 25. quæst. 1.* & aliis pœnis plectendi sunt à jure inflictis *in Clement. 2. de sepultur.* Villalobos *d. tract. 31. diffic. 3. num 15.* Bonacina *de Contract. disp. 3. q. 21. punct. 2. num 3.*

52 Si qui verò scienter Paganos, Judæos, infideles, apostatas, schismaticos, Turcas, manifestos usurarios, duellistas, & pugnantes in torneamentis in loco sacro sepelierint, eo ipso excommunicati evadunt, nec aliter absolvendi, nisi priùs ad arbitrium Diœcesani satisfactionem competentem exhibuerint illis, quibus injuria fuerit irrogata. Idem est dicendum de sepelientibus excommunicatos nominatim, vel interdictos, aut denuntiatores: eademque excommunicatione innodantur sepelientes hæreticos, eis credentes, receptores, fautores, defensores, si scienter id fecerint, *cap Quicumque 2. de hæreticis in 6. Clement. 1. de sepult.* Qui quidem nequeunt absolvi, nisi satisfactionem dederint, ac propriis manibus publicè cadavera exhumaverint, & foris extra Ecclesiam projiciantur. Quod sanè observandum quoties discerni possint. Associantes, & cooperantes ad similes humationes, ubi excommunicatio est indicta, etiam illa illaqueantur, tanquam in crimine participantes. Navarrus in *Man. cap. 27. num. 37.* Bonacina *de censuris, disp. 2. quæst. 2 punct. 3. §. 3.* Samuellius *d. disput. 1. controvers. 10. à num. 1.* Coninch *tom. 2. disp. 14. in fin.*

53 Sed tamen est dubium, an qui cantant, & deferunt Crucem ad sepeliendos istos interdictos, excommunicationem incurrant, similiterque comitantes. Et aliqui dixerunt, incurrere, & dant rationem; nam *Clement. 1. de sepultur.* sepelientes excommunicantur, comitantes autem, cantantes, & deferentes Crucem, omnes sepeliunt, & ad actum sepulturæ concurrunt. Ergo remanent excommunicati. Et id tutius dicit Faber *de censur. in 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 4. cap. 1. num. 188.*

Alteri verò dicunt, hos minimè excommunicatos remanere, quia Clementina illa intelligenda est rigorosè de his, qui propriis manibus sepeliunt. Ast comitantes, cantantes & deferentes Crucem, propriis manibus sepeliunt. Ergo non remanent excommunicati. Et confirmatur, nam cantantes, deferentes Crucem, & comitantes, magis accedunt ad faciendas preces, & Officium Divinum authorizandum, quàm ad sepeliendum. Ergo non posset dici, hos concurrere ad sepeliendum. Cajetanus *in Summa, verbo Excommunic. cap. 46.* Navarrus *dict. c. 27. num. 137.* Bonacina *de cens. extr. Bull. disp. 2. q. 2. punct. 30. num. 5.* 54

Inter eas verò est tertia sententia asserens, hanc rigorosam interpretationem non esse admittendam, quia ex illa rarò, aut nunquam hæc censura committeretur; reduceretur enim ad duos, aut tres homines rudes, & imperitos censurarum, utpote vespillones cadavera sepelientes, qui etiamsi censuram rarò, aut nunquam agnoscerent, metu facillimè compelluntur, unde à censura excusarentur. Ergo aliquid amplius vult textus ille, quando hanc excommunicationem imposuit. 55

Unde dicit hæc sententia, sub hac censura non comprehendi comitantes, cantantes, aut deferentes Cruces, quia remotè, seu negativè concurrunt ad sepeliendum; sed personas immediatè ad id concurrentes, veluti hæredes, consanguineos, Rectores Ecclesiarum, & Clericos Ecclesiæ, portantes cadaver, & propriis manibus sepelientes. Hi omnes, quatenus mandant, exequuntur, & sepeliunt, comprehenduntur illa censura. Ad id expenditur textus in *cap Mulieres 6. §. Illi verò, de sentent. excommun.* ubi mandantes, & is cujus authoritate sit factum, committere dicuntur. Ergo & in præsentiarum sepelire. Et textus in *c. Ad hæc 5. de Privilegiis*, ubi Hospitalarii, de quibus ibi, sepelisse dicuntur; cùm tamen verisimile esset non propriis manibus sepelisse, sed mandasse: quamobrem mandantes, deferentes, & sepelientes propriis manibus, sub hac censura comprehendi tradit Suarez *de Censuris, disput. 12. sect. 4. num. 10.* Mercerius *de Sacrament. 3. p. q. 21. dub. 7.* Coninch *de Sacrament. disp 14. dub. 8. n. 68.* Filliucius *tom. 1. tract. 12. cap 5. n. 111.* Samuellius *d. controvers. 10. concluf. 5. n. 9.* Diana *5. p. tract. 9 resol. 98.* 56

In re tamen animadvertendum, graves DD. habere, ad incurrendam hanc excommunicationem non sufficere excommunicatos, & hæreticos esse notorios, sed requiri esse nominatim denuntiatos. Idem contra fautores, & receptatores illorum deducitur ex *d. cap. Quicumque 2. de hæreticis in 6* Quod quidem valdè est probabile post Extravagantem *Ad evitanda*. Et considerandum censui, ne facilè admittamus hanc excommunicationem ex eo solùm, quod scienter aliquis excommunicatum, hæreticum, fautorem, aut receptatorem sepelierit. Navarrus *cap. 27. num. 137* Henriquez *in Summa, lib. 13. cap. 11. §. 3.* Coninch *d. disput. 14. dub. 10. in fine*, quos etiam admittit Diana *d. 5. p. tract. 9. resol. 98. vers. Non desinam*, Antonellus *de Reg. Eccles. lib. 1. cap. 12. nu. 60.* 57

Idcircò difficultas ista diffinienda est in casu, quo fuerint denuntiati, & schedulati. Et in ea dicendum, sub hac excommunicatione comprehendi omnes, sine quibus defunctus sepeliri nequit, ut benè censuerunt Ugolinus *de censur. tabul 2. cap. 6. §. 6. num. 3.* Alterius *de cens. lib. 1. disp. 14. c. 3.* Unde cognoscitur comprehendi mandantes, sine quorum mandato nihil fieret; Rectores Ecclesiarum, sine quorum placito, & consensu nequit defunctus sepeliri; non verò Clericos associantes, quia ipsi solùm ad authorizandum, concurrunt, & canendum, & sine eis valet fieri, ut sepeliatur cadaver. Tum deferentes feretrum, & propriis manibus sepelientes: hi omnes ita sunt necessarii, ut sine eis nequeat cadaver sepeliri. Ergo omnes hi debent sub excommunicatione comprehendi. 58

In aliis vero interdictis ne in sacro loco sepeliantur, imposita censura non est; arbitrio enim Judicis plectentur, & cadavera debent exhumari, dummodò possint separari, *c. Sacris 12. de sepult.* Bonacina *de Interdict q. 4. punct. ult. &* 59

de

de contractibus, *d.diſp.3.q.21. punct.2.n.3.* Villalobos *diffic.* 3. *n.*15. Antonellus *lib.*1. *cap.*12. *n.*59.

60 Denique in calce hujus capitis aliqua de ſepulchro violato breviter dicere decrevi, ob reverentiam, & religionem ſacrarum ſepulturarum, quas contaminare, aut violare nefas eſt grave: violatio enim iſta variis fit modis, quorum aliqui ad monumentum pertinent, alteri verò ad corpus ſepultum. De quo Matthæus ab Veſembechio *de Sepulchro violato*, *lib.*47. *tit.*12. *de ſepult.*

61 Monumentum violatur potiſſimùm demolitione, habitatione doloſa, illatione illegitima, & alienatione. Demolitione, ut ſi quis de ſepulchro abſtuliſſet ſaxa, marmora, & columnas, & aliam materiam, fabricanda cauſa, *l.*4 *C. de ſepulchr. violat.* Sive de ſepulchro lapidem amovit, aut terram evertit, *l.*5. *C. eod. tit.* Sive ſtatuam à monumento extulerit, *l.*2. *ff. eod. tit.* Excipitur tamen hoſtis ſepulchrum, in *l.*4. *ff. de Sepulchr. violat.*

62 Habitatione violatur ſepulchrum, quando quis dolo malo habitat, ædificium ve aliud, quàm ſepulchri cauſa, factum ſit, *l.*3. *ff de Sepulchro violat.* Illatione illegitima violatur ſepulchrum, quando quis contra voluntatem teſtatoris alium defunctum intulerit, *l.*3. *ff. de Sepulchro violat.* Cujacius *lib.*21. *obſervat.*8. Unde ſi quis in fundo empto, habente ſepulchrum, mortuum inferret, reus erit ſepulchri violati; ſi modò in id publicum iter tranſeat, *l.*53. *ff. de act. empt.* Quamobrem ad lites ſopiendas, excipiebatur in emptionibus locus ſepulchri, *l.*10. *ff. de relig. & ſumpt. fun.* & aditus etiam debebat exprimi, *l.*5. *ff. de ſepulchr. violat.* *l.*4. *ff. quemadmod. ſervit. amittantur.* Alienatione, quando locus religioſus ſepulchri, ſicut quid profanum venditur. De quo latè ſuprà.

Ratione corporis violatur ſepulchrum contrectatione illius, *l* 4. *C. de ſepulchr. violat.* tum & illius mutilatione, & ſpoliatione cadaveris, qui quidem ſeveriſſima pœna plectuntur, *l.* 3. §. *Adversùs*, *ff. de Sepulchro violat.* Et Canones infamiæ pœna ſpoliantes compeſcunt, *cap. Infames* 16.*q.*1. Tum etiam violatur ſepulchrum corporis translatione, quando perpetuæ ſepulturæ erat traditum, *l.* 36. *ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* Excipitur tamen, ſi cauſa exiſtente id fiat, veluti propter fluminis incurſum, ruinæ metu, *l.*1. *Cod. de Religioſ. & ſumpt. funer.* vel quando Judex aliquem defunctum Medicis tradiderit ad faciendam anatomiam, & ad exhumandum eum Eccleſiaſticus licentiam præſtiterit. De quibus latè Lavorius *d. tit.*2. *cap.* 7. *à num.* 16. Pœna autem violatorum ſepulchrorum eſt arbitraria, & aliquando uſque ad mortem imponenda, veluti contra ſpoliantes corpora humatorum. De quibus pœnis latè Menoch. *de Arbitrariis*, *caſu* 337. *per tot.* Medicis *de ſepulturis*, 2.*p. quæſt.* 14. *num.* 3. Samuellius *dict. diſp.*1. *controverſ.*11. *concluſ.* 3. Boerius *dec.* 316. *num.* 13. Clarus *lib.*5. *ſentent.* §. *final. qu.* 68. *num.*45. Cantera *qu. cap.*8. *num.*39. Veſembech. *in Paratit. ad tit. de Sepulchro violat.* & Noſtrates *in leg.*14. *tit.*13. *part.*1. *& in leg.*12. *tit.* 9. *par.*7. 63

LIBER SEPTIMUS.

DE DIVERSIS CAUSIS PIIS

Et primò de Eleemoſyna.

CAPUT I.

Quid ſit Eleemoſyna, & quotuplex, & quomodo differat ab oblatione?

SUMMARIUM.

*Eleemoſyna graviter in ſacris Litteris commendatur, num.*1. *&* 2. *Ejus fructus*, *nu.*3.
Non tamen ſola ſalvat, *n.*4. *Refelluntur hæretici*, *n.*5.
Explicantur caput Miror 57.*cap.* Medicina 76.de pœnitent diſt. 1.*n.*6.
Definitur eleemoſyna, *n.*7. *Rejicitur illa diſinitio. Datur vera n.*8. *Dantes debent curere eſſe in gratia*, *n.*9. *Sed non eſt ceſſandum ab eleemoſyna, etiamſi peccatores dent*, *n.*10.
Eleemoſyna eſt duplex, ſpiritualis, & temporalis: quæ dicatur ſpiritualis, & quæ temporalis, *n.*11.
Eleemoſyna debet eſſe voluntaria; refellitur doctrina iſta, *num.*12.
Regulariter ad vendendum quis non compellitur, niſi adſit gravis neceſſitas, *nu* 13. *Et in ea ſi Ærarium publicum deficiat, poſſunt divites compelli ad mutuandum Reipublicæ, & ad id poſſunt compelli tum à Judice Laico, quàm ab Eccleſiaſtico*, *n.* 14.
Sed eſt quæſtio, an Eccleſiaſtici in his neceſſitatibus poſſint compelli ad vendendum neceſſaria à Judice Laico? Prima ſententia affirmat, *num.*15. *Alteri negant*, *nu.*16.
Reſolvitur, *à n.*17. *Et ſupponitur Eccleſiaſticos graviter peccare, ſi non vendant; ſed non poſſe cogi à Laico, niſi quando non adſit Eccleſiaſticus Judex, aut periculum ſit in mora*, *à nu.* 18.
Quando particulares ob neceſſitatem compelluntur vendere, eſt in defectu bonorum publicorum, *nu.*20.
Eleemoſyna eſt voluntaria, quando ex mera liberalitate pia fiat, *num.*21. *Et eſt donatio ob cauſam*, *nu.*22.
Eleemoſyna ab oblatione diſtinguitur, *num.* 23. *Ratio Ancharani admittitur diſtinguitur, illa Tuſchi nu.*24. *Oblatio excommunicati non admittitur ab Eccleſia, niſi per alium*, *ibid. & n.*26.
Explicatur Concilium Illiberitanum, c.28. *n.*25.
Eleemoſynę non deſinunt eſſe eleemoſynæ, ſi publicè fiant, *n.*27.
Sed debent fieri in oculo, *n.*28.
Ponitur alia differentia inter eleemoſynam, & oblationem, *n.*29. *Requiſita eleemoſyna recenſentur*, *n.*40.

ELeemoſyna in Sacris litteris commendatur, ut ad longum refert Spino *in Speculo teſt.gl.*6. *à n.*2. quem tranſcribere moleſtum eſſet. Sunt etiam jura apud Grat. *c. Paſce* 21. *c. qui clementiam* 22. *diſt.*86. *c. Sicut* 8.47. *diſt. c.*1.82. *diſt.* Concil. Sardicenſe *c.* 8. & 10. Itidem eam commendarunt PP. quos refert Spino ubi proximè. Addo verò Cyprian. *tr.*2. *de habitu Virginum*, ſic ſcribentem. 1

Divitem te ſentiant pauperes, locupletem ſentiant indigentes: patrimonia tua Deo fœnera, Chriſtum ciba, ut virginitatis præferre gloriam liceat, ut ad Domini præmia venire contingat multorum precibus exora. Commenda illi theſauros tuos, ubi nullus fur effodiat, quò nullus inſidians graſſator irrumpat. Poſſeſſiones tibi, ſed cœleſtes magis compara, ubi fructus tuos juges, ac perennes, & ab omni injuriæ ſæcularis contactu immunes, nec rubigo atterat, nec grando cædat, nec Sol urat, nec pluvia corrumpat. Nam delinquis, & hoc ipſo in Deum, ſi ad hoc tibi ab illo divitias datas credis, ut illis non ſalubriter perfruaris. Aliaque eleganter adducit *ſerm.*1. *de Eleemoſyna*. Hinc rectè fatuæ dicuntur Virgines. *Matth. cap.* 2. quæ non ſumpſerunt ſecum oleum, ideſt miſericordiam, prout exponit S. Thomas, & exprimit Chryſoſtomus *to.*1. *de verb. Apoſt. circa fin.* ibi: *Oleum, quo ignis fovetur, non aliud eſt, quàm eleemoſyna. Effunde igitur oleum hoc largiter.* Multa alia proſequitur latè *pag.*78. 2

Sunt

3 Sunt enim eleemosynæ fructus excellentissimi, si ab homine justo largiantur, & si verè in charitate fiant, vitam æternam merentur: valent etiam ad satisfactionem pro peccatis, fiduciam augent apud Deum, conciliant benevolentiam multorum, qui pro largiente Deum deprecantur. Sunt etiam dispositio ad justificationis gratiam, si fiant ab eo, qui pœnitentiam facere incepit ex Dei motione, ac speciali auxilio. Ac denique eleemosyna sæpè est causa majoris abundantiæ: idque in vidua Sareptana, & Tobia in sacris litteris conspicimus: in Tiberio II. & aliis, apud Gregorium Turonensem *lib. 5. Hist. Francor. cap. 19.* Prosequuntur Romanos *conf. 364. nu. 7.* Gregor. *in l. 25. tit. 4. p. 1.* item *in l. 10. tit. 3. p. 1 glos. 1.* S. Thomas *2. 2. q. 32. art. 4.* Fuschus *de Visit. lib. 1. c. 30. n. 31.* Bellarmin. *lib. 3. de bon operibus, cap. 4. per tot.* Paulus Rubeus *pract. resol. in prælud. à n. 86.* Leoncill. *de Privil. Pauper 2. p. privil. 116. à n. 1.* Solorzano *Polit. l. 6. cap. 7. fol. 970.*

4 Non verò effectu eleemosynæ ita est protrahendus, ut fecerunt quidam hæretici asseverantes solam eleemosynam per se, absque morum mutatione, judicium cum misericordia facere, ita ut illam elargientes non damnentur: quorum meminit August. *lib. 21. de Civit. Dei, c. 22.*

5 Nonnulla testimonia Scripturæ ad id adducunt, quæ referunt Bellarmin. *d. lib. 3. c. 3.* Lantmeter. *de vet Clericor. vitâ, & discipl. lib. 2. cap. 87. in principio.* Verùm facilè dissolvit ea ipse Lantmeter. dicens intelligenda pro satisfactione culpæ in pœna illi correspondenti. Azor. verò *2. par. Inst. Mor. lib. 12. cap. 12. quæst. 4.* aliter interpretatur, nempe ut quando Scriptura dicit, peccatum eleemosyna extingui, intelligatur de eleemosynis factis in fide, Spe, pœnitentia, & charitate. Latè prosequuntur Castro *de Hæresibus, verbo Eleemosyna.* Bellarmin. *d. cap. 3.* Trullench *in Decalog. lib. 1. cap. 5. dub. 12.* Vasquez *de Eleemosyna, cap. 1. dub. 2.* Spino *de testam. glos. 6. à n. 3.* Leoncill. *d. privil. 116. num. 13.*

6 Unde duo jura agnoscuntur *in cap. Miror. 57. cap. Medicina 76. de pœnit. dist. 1.* ubi Cyprianus, & Ambrosius clarissimè docent, peccata per eleemosynam esse redimenda. Et reddit Ambrosius rationem, non quia Deus venalis sit, sed quia tuis peccatis venumdatus est, & ita redemptione indiget ex tua pecunia. Glossa verò *verbo Peccata*, asserit Patres istos intelligendos de satisfactione pœnæ per eleemosynam, in qua supponuntur peccata dimissa. Verùm ex dictis suprà satis patet esse intelligendos de eleemosyna cum pœnitentia, & charitate. Non tamen desinam dicere, posse interpretari, peccatum extingui eleemosyna per modum impetrationis, quatenus impetrat à Deo quædam auxilia, quibus homo à peccato resurgit, & in bono perseverat. Filliuc. *tomo 2. tract. 28. cap. 3. quæst. 2. num. 6.* Villalobos *in Summa, 1. p. tract. 22. diffic. 1. num. 2.* Gregor. *in l. 40. tit. 4. p. 1.* Leoncill. *d. privil. 116. num. 25.* Tuschus *d. cap. 30. num. 13.*

7 His præmissis, eleemosyna ab aliquibus sic definitur, *Est quidquid datur ad sublevandam proximiorum inopia, & egestatem corporalem.* Verùm hæc definitio admittenda non est, est enim quædam descriptio materialis eleemosynæ, quæ licèt à PP. eleemosyna dicatur, etiamsi detur à peccatore, Daniel. *c. 4.* Matth. *c. 6.* August. *in Enchirid. c. 75. & 76.* non tamen est formalis, quia in ea deficit charitas, quæ est forma omnium virtutum. Spino *d. glos. 6. n. 1.* Bellarm. *d. lib. 3. cap. 1. in fin.*

8 Idcircò dicendum, *Eleemosynam esse opus, quo aliquid fit, vel donatur ingenti propter Deum.* Hæc enim est vera eleemosyna, quæ imperatur à charitate. S. Thomas *2. 2. quæst. 32. art. 1.* Bellarmin. *d. cap. 1. litt. C.* Aut sicut exprimit Aragonius *d. art. 1.* est actus elicitus ab ipsa charitate, itaque non tantùm debet esse largitio indigenti, sed propter Deum. Tuschus *litt. E. concluf. 107.* Valdes *de Eleemosyna, 1. p. fol. 2. num. 4.* Cardoso *in Praxi, verbo Eleemosyna, num. 1.* Villalobos *d. diffic. 1. num. 4.* Palao *de Charitat. tom. 1. tract. 6. disp. 2. punct. 1. n. 1.* Tuschus *d. cap. 30. à num. 2.*

9 Unde eleemosynantes graviter, & ponderosè curare debent, ut quoties dant, non sit gravi peccato irretiti, aliàs enim eleemosyna infructuosa redditur, ut optimè docet Paulus *1. ad Corinth. cap. 13. vers. 3.* ibi: *Etsi distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas etsi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quæ verba intelligenda sunt de charitate eminentissima virtute, quæ nos facit Dei amicos, ut benè exprimit Cornelius à Lapide *d. cap. 13. lit. D. vers. Dices, cap. Nihil prodest 21. de pœnit. dist. 3.* Idcircò priùs curandum est, ut anima mundetur, sive per contritionem, sive confessionem Sacramentalem. Quapropter August. *in c. Qui vult 19. de pœnit. dist. 3.* dicebat: *qui vult eleemosynam ordinatè dare, à semetipso debet incipere, & eam sibi primùm dare, idque auferendo iniquitates animæ, ut inde Deo placens eleemosynam fructuosam reddat.* D. Gregor. *in Moralibus, lib. 22. c. 13.* Tuschus *d. cap. 30. n. 13.*

10 Non tamen etiamsi peccato graveris, ab eleemosyna cessare congruit; ad multa enim prodest, ut ad minus supplicium subeundum, ad bonum temporale obtinendum, tum ne diabolus in tali homine habeat tantam potestatem: prodest etiam, ut citiùs Deus illustret cor eleemosynantis ad veram pœnitentiam, *ut in c. Quidam 5. de pœnit. & remiss.* Glossa, & Panormit. Abbas *in rub. de Testam. nu. 11.* Valdes *d. 1. p. fol. 9 n. 2.* Leoncill. *d. privil. 116. à n. 25.* ubi *n. 59.* cum D. Th. notat, bona opera extra charitatem facta, non de condigno, sed de congruo prodesse ad hæc bona obtinenda, idest, non ex debito justitiæ, sed ex Clementia Dei, ut exponunt Canonistæ, Valdes *d. fol. 10. n. 5.*

11 Eleemosyna duplex est, ex duabus proximi indigentiis, nempè spiritualis, & corporalis, *c. Duę sunt 13. dist. 45.* D. Th. *2. 2. q. 32. art. 2.* Eleemosyna spiritualis docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corripere peccantem, remittere offendenti, portare onerosos, & pro omnibus orare. Clauduntur versiculo isto:

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Corporis est pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captivum, & sepelire mortuum. Similiter in alio versiculo continentur.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Exprimit eleganter D. Thomas *ad artic. 2.* Est ergo ad id textus regius *in l. 9. tit. 13. p. 1.* Inter has tamen eleemosynas spiritualis nobilior est, quatenus excellentior est anima, quàm corpus, ut ratiocinatur Gregor. *in dict. l. 9. glos. 5.* & ante cum D. Thomas *d. quæst. 32. art. 3.* qui in corpore animadvertit, id intelligendum simpliciter loquendo, nam potest dari casus, in quo eleemosyna corporalis sit præferenda: nam fame moriens, magis est pascendus, quàm docendus. Gregorius *d. gloss. 5. in fin.* Valdes *d. 1. p. fol. 6. num. 3.* Vasquez *de eleemosyna, d. cap. 1.* Palao *d. disp. 2. pun. 1. n. 1.* Villalobos *d. diff. 1. in fin.* Fuschus *d. c. 30. num. 29.*

12 Adnotanda est tamen doctrina Tuschi *lit. E, concluf. 107. num. 4.* asserentis, eleemosynam debere esse voluntariam, quapropter nullum ad eam dandam compelli posse. Assentitur etiam Velascus *de privileg. pauper. 1. p. q. 34. numero 3.* Verùm doctrina ista absolutè accipienda non est, nam eleemosyna in aliquibus casibus sub præceptum cadit, quibus non ex mera liberalitate procedit, sed ex voluntate præcepto adstricta. Palao *d. punct. 1. nu. 1. vers. Esse de eleemosynæ præceptum.* Leoncillus *d. 2. p. privileg. 115. à n. 6.* Fuschus *d. c. 30. num. 4.* Tum si divites tempore necessitatis noluerint eleemosynas pauperibus erogare, ad id sunt compellendi: & quamvis pauperes adversùs illos actionem ex justitia non habeant, Officio tamen judicis compelluntur; nam peccarent, si eleemosynas non darent, quapropter possunt à Judice compelli, *l. 1. C. de Episcopi audient.* Scribentes, *cap. Sicut 8. 37. dist.* ubi Glossa, Abbas *in cap. 1. de empt. & vendit. num. 7.* Valdes *de eleemosyna, 3. p. fol. 36. numero 2.* Benincasius *de paupert. q. 7. spec. 5. num. 17.* Surd. *de Alimen. tit. 3. d. 27.* Spino *de testam. glos. 6. n. 8.* Ant. Monach. *decis. Bon. 69. nu. 39.* Ergo doctrina illa non est absolutè admittenda.

13 Hinc notandum, quod licèt regulariter quia ad vendendum compelli non possit, *i. Invitum 11. l. dudum 14. C. de contrah. empt.* attamen si Respublica inopia laboret, & deficiant victualia, & alia necessaria ad Civium alimoniam, dives ad vendendum possunt compelli, ne pauperes pereant, aut Respublica detrimentum patiatur, *l. 2. ff. de Nundinis, l. 1. C. de Episcopali audient.* Necessitas enim caret lege, & ob causam necessitatis à jure communi discedendum, *l. Si ita vulneratus, ff. ad l. Aquiliam, cap. Abbate, §. fin. de re judicat. in 6.* Ponte *conf. 131.* Cevallos *com. 4. p. qu. 906. à nu. 341.* quare rectè in hac specie compelluntur. Abbas *in d. cap 1 de contrah. empt. nu. 6.* Covarr. *lib. 3. var.*

var. cap. 14. num. 5. qui optimè animadvertit hoc magna cautela faciendum, ne ex nimia coactione victualia abſcondantur, unde majora mala perveniant. Bobadilla *Polit. lib. 3. cap. 3. num. 26.* Velaſco *de Privileg. 1. part. quæſt. 24. num. 4.*

14 Similiter in his neceſſitatibus poſſunt Gubernatores, ſi Ærarium publicum deficiat, divites compellere, ut mutuent Reipublicæ pecunias neceſſarias, ut neceſſitati occurratur. Guttierrez *pract. lib 2. q. 180. num. 29.* Mathienzo *in l. 1. tit. 15. lib. 5. Recopilat. gloſſ. 9. numer. 4.* Bobadilla *in Polit. lib. 3. cap. 3. num. 18.* & alii recenſiti à Leoncillo *d. privileg. 115. à num. 1.* Quod non ſolùm fieri poterit à Judice Sæculari, verùm etiam ab Eccleſiaſtico, quia pietas iſta ad Epiſcopi juriſdictionem pertinet, *l. 1.* ubi Gloſſa, *C. de Epiſcop. audient. l. fin. §. Item Epiſcopus, ff de Muner. & honorib.* Marta *de juriſdict. 4. p. caſu 1. num. 50.* Barboſa *in collect. ad textum in cap. 1. de contrab. empt num. 2.* Trullench *d. lib. 1. Decalog. cap. 5. dub. 8. num. 24.* Caramuel 4. *tom. Theolog. fundament. caſu 16.* Leoncillus *d. privil. 115. num. 39.*

15 Sed eſt quæſtio, an Eccleſiaſtici in his neceſſitatibus poſſunt cogi per Judices Laicos, ut vendant triticum, & vinum, vel ſimilia ad victum, juſto interveniente pretio. Aliqui affirmant, nam quoties inſtat neceſſitas publica, & pauperum inopia premit, tunc Eccleſiaſtici ſubſunt ſæcularium decretis, & legibus, ut latè oſtendit Caſtillo *controverſ. lib. 6. cap. 9. n. 28.* Ergo ſi vendere renuerint, poterunt compelli à Judice ſæculari, cujus juriſdictioni ſubſunt. Cœterùm, nam in his neceſſitatibus graviſſimis immunitas nihil prodeſt. Joan. Andreas *in cap. 1. de pace jurament. firmand. verbo Illicitas, n. 36.* ubi Afflictus *n. 23.* Marta *de juriſdict. 4. p. caſu 1. n. 3.* Ergo ceſſante immunitate, rectè Clerici, ac alii Eccleſiaſtici poterunt compelli ad victualia vendenda tempore neceſſitatis. Azevedus *in l. 11. tit. 3. lib. 1. Recopilat. n. 5.* Villadiego *in Polit. cap 5. §. 17. n. 76.* Cutellus *de Immunit. lib. 2. quæſt. 9. partic.* Guttierrez *pract. l. 1. q. 3. n. 5. ad medium*, Velaſco *d. q. 24. n. 5. p. 1.*

16 Alteri verò tenent contrarium, nam neceſſitas illa minimè dat juriſdictionem Judici Sæculari, ut poſſit Clericos renuentes compellere ad vendendum triticum, aut vinum; quapropter ad hanc coactionem neceſſariò recurrendum ad Judicem Eccleſiaſticum, ut eos compellat ad vendendum, ut decerpitur *ex cap. Adverſus, cap. Non minus. de immunit. Eccleſiarum.* Ripa *var. reſ. d. cap. 11. n. 9.* Molfeſ. *in Summa, tom. 2. tract. 12. cap. 5. n. 85.* Beletus *diſq. viſit. Cleric. p. 1. tit. 5. §. 2. n. 9.* Delbene *de immunit. tom. 2. dub. 14. per tot.* Diana *4. p. tract. 1. reſol. 87.*

17 In hoc dubio dicendum in primis eſt, Clericos tempore penuriæ, & neceſſitatis teneri ex vi directiva obtemperare ſæcularibus decretis percipientibus victualia vendere, ne pauperes premantur, aliàs enim agerent contra præceptum divinum, & naturale, & graviter peccarent. Delbene *d. dub. 14. num. 4.* Nec enim in his neceſſitatibus exſpectandum eſt, ut id à ſæcularibus præcipiatur, ſed ſponte ab Eccleſiaſticis victualia ſunt vendenda, utpote magis obligatis ad ſublevandam pauperum, & Reipublicæ neceſſitatem. Idcircò David *Pſalm. 111.* canit: *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.* Et Chriſtus Dominus, *Matth. c. 20. verſ. 7.* ait: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

18 Sed tamen, ſi aliquis indiſcretus Clericus in his neceſſitatibus vendere victualia renuerit, & Eccleſiaſticus judex adiri potuerit, ſecunda ſententia debet proculdubio admitti. Et ratio eſt, nam tunc neceſſitati occurritur compellendo Clericum per ſuum proprium Judicem Eccleſiaſticum: Ergo neutiquam ex cauſa illa neceſſitatis poterit compelli à Judice ſæculari. Et confirmatur, nam Doctores contrarii dicunt, ex cauſa ipſa neceſſitatis immunitatem proprii fori ceſſare; ſed quando occurritur neceſſitati per promptam coactionem judicis Eccleſiaſtici, neceſſitas nequit conſiderari: ergo nec clericus poterit compelli à Judice ſæculari; quapropter judices Deum timentes ſemper recurrunt in primis ad judicem Eccleſiaſticum, ut Azevedus ſcribit *in d. l. 11. n. 5.*

19 Si verò Judex Eccleſiaſticus negligens fuerit, nec clericum compellere voluerit, aut non potuerit, aut ſi periculum in mora, tunc rectè ſæcularis Judex poterit illum compellere, prout dicit prima ſententia. Ratio eſt, nam quando urget gravis neceſſitas, nec judex eſt præſens, aut nequit adiri, ipſa lex canonica transfert juriſdictionem, non ſolùm ad Magiſtratum, ſed ad quamlibet privatam perſonam *l. vult Prætor, §. Debitorem, ff. quæ in fraudem. l. Generali 54. C. de Decurionibus, lib. 10.* Ergo rectè Judex ſæcularis poterit clericum compellere ad vendenda victualia in ſimili anguſtia neceſſitatis. Cœterùm, nam in hoc ultimo diſcrimine, cui nequit alio pacto occurri, res reducitur ad terminos naturales, in quibus jure defenſionis, non ſolùm Magiſtratus ſæcularis, ſed quilibet eſt Actor, & Judex, *l. Aut vim, ff. de juſt.* Suarez *contra Regem Angliæ, lib. 4. c. 34. nu. 6.* Fraſſo plures dans, *de Patronat. Indiarum, c. 46. n. 15.* ergo rectè poterit ſæcularis Judex clericum compellere ad vendenda victualia. Delbene *d. dub. 14. à n. 6.*

Notandum eſt tamen in his neceſſitatibus, antequam 20
particulares, tam Sæculares, quàm Eccleſiaſtici ad vendendum compellantur, ex Reipublicæ bonis magnoperè curandum neceſſitati obviam ire: & in his poſſunt Officiales illius eam obligare, etiam via exequutiva. Staibanius *cent. 1. reſol. 10. à nu. 1.* eſt enim coactio iſta valdè odioſa, quapropter ad eam non eſt deveniendum, niſi quando bona communia deficiant, ut benè notat Bobadilla *d. lib. 3. c. 3. nu. 26.*

Unde clarè cognoſcitur, eleemoſynam non ſemper eſſe 21
voluntariam, erit tamen talis quando ex voluntate, & pia mente conceditur propter Dei amorem, aut non petentibus retribuitur; nam eleemoſyna iſta procedit à liberalitate pia, & miſericordia, quæ voluntaria eſt, *cap. Præſens 4. 20. quæſt. 3. cap. Non eſt 10. 15. quæſt. 1.* ergo tunc eleemoſyna erit voluntaria, tum etiam maximè eleemoſynantibus proficua; nam ut dicebat Paulus: *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Refert Villalobos *d. tract 22. diffic. 2. n. 14.* Trullench *d. lib. 1. c. 5. dub. 8. nu. 14.* Bellarmin. *d. lib. 3. cap. 8.* exemplis illuſtrans.

Unde eleemoſyna non eſt propriè donatio liberalis, licèt 22
ſit voluntaria; ſed eſt donatio ob cauſam, quatenus ex ea tanta bona proveniunt: quamobrem patres, etiam hliis contradicentibus, poſſunt dum vivunt largiri de ſuis bonis in veras eleemoſynas, & opera pia, ad Dei cultum, & ſalutem animarum ſuarum, ut rectè de facto defendit Navarr. *in Man. c. 16. n. 39. verſ. Ad quartum*, Leoncill. *d. 2. p. privileg. 115. n. 64.*

Rurſus eleemoſyna ab oblatione diſtinguitur. Ancharan 23
conſ. 429. n. 3. & rationem dat, quia eleemoſyna ab excommunicato recipitur, non verò oblatio: conſentit Tuſchus *d. concl. 107. n. 2.* Additque aliam rationem, quia eleemoſyna datur ſecretò, oblatio autem publicè.

Ratio Ancharani admittenda eſt, quatenus aſſerit obla- 24
tionem non eſſe admittendam ab excommunicato, *cap. Quæ in omnibus 3. de uſuris, cap. Cum voluntate, de ſent. excommunicat.* ubi Innocent. & Abbas *num. 7.* Idque olim in Eccleſia adſervatum, ut conſtat ex Clement. *lib. 3. Conſt. Apoſt. cap. 8. & lib. 4. cap. 7.* Concil. Nicæn. *can 17.* apud Piſanum. Ratio eſt, nam cùm Eccleſia interdicat communionem cum excommunicato, *cap. Audi 21. cap. omnis 32. 11. qu. 2.* Navarr. *cap. 27. nu. 17.* inde eſt, ut ejus oblationem non accipiat, eſſet enim cum excommunicato communicare. Suarez *de Religione, tom. 1. lib. 1. cap. 6. nu. 2.* Leoncill. *de Privileg. paup. 2. p. privileg. 119. nu. 7.* Præcipuè, quia oblationes in Eccleſia fiunt inter Miſſarum ſolemnia, idque non ſolùm hodie, verùm etiam priſcis temporibus, ut ex Cypriano obſervat D. Gonzalez *ad Concilium Illiberitanum, lib. 2 c. 55. lit. D.* Quapropter tanquam à communione in ſacris præciſis, *cap Nuper 29.* ubi Scribentes, *cap. Sacris 38. de ſentent. excommunic.* nequeunt ab excommunicatis oblationes accipi. Albaſpineus *lib. 2. obſervat. cap. 5.* Fagnan. *in cap. Cùm voluntate, de ſent. excommunicat. nu. 14.*

Unde notandum advertit Concilium Illiberitanum *cap.* 25
28. ibi: *Epiſcopum placuit ab eo qui non communicat, munera accipere non debere.* Qui quidem Textus non ſolùm intelligi debet de his, qui erant ejecti à communione Euchariſtica, verùm etiam ab omni communione Fidelium. Suarez *dict. cap. 6. num. 2.* Erant enim olim oblationes, quæ ante Altare præcisè offerebantur, ut novæ ſpicæ, uvæ, oleum, thymiama, panis, & vinum; idque diebus Dominicis, *cap. Omnis 69. de conſecrat. diſt 1.* Concilium Matiſconenſe *2. cap. 4.* Tum & pecunia offerebatur, quam fideliter diſtribui decernit Concilium Emeritenſe *c. 14.* Pars

enim

enim quædam harum oblationum pauperibus erogabatur, altera verò ad alimoniam Sacerdotum deserviebat. Gonzalez *dict. cap. 55. lit. D*, Lantmeter *de vit. Cleric. vict. lib. 2. cap. 40. vers. 3.* Durantius *de Rit. Eccles. lib. 2. cap. 26. num. 7.* Idcircò cùm excommunicati à Fidelium communione fuissent præcisi, inde est, ut minimè eorum munera, aut oblationes admitterentur.

26 Possunt tamen oblationes excommunicatorum aliquando accipi, quando non solemniter offeruntur, nec in eorum receptione cum eis communicatur; nam jura similes oblationes interdicentia, intelliguntur de oblationibus, quæ fiunt in Ecclesia. Glossa *in cap. Eos quos 118. de consecr. dist. 4. cap. De viro 12. quæst. 2.* Nam licèt per Diaconum fierent, *cap. Perlectis 1. dist. 25.* erat tamen communicatio in Sacris cum aliis Fidelibus. Si tamen fiant extra Ecclesiam, & non immediatè per excommunicatos, nulla est ratio, cur non accipiantur. Suarez *d. cap. 6. num. 10.* Barbosa *de offic. Paroch. 3. p. cap. 24.*

27 Alia verò ratio disparitatis, quam præstitit Tuschus, nullius est momenti; nam ex eo quod eleemosyna publicè fiat, non desinit esse eleemosyna, si fiat propter Dei amorem: quamobrem non desinunt esse eleemosynæ, quæ publicè fiunt à Prælatis, & Superioribus, qui debent eas publicè facere ad subditorum exemplum, juxta illud *Matth. cap. 5. vers. 16.* dicentis: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Quem locum licèt causativè intelligat ibidem Maldonatus, attamen rectè intelligitur de Prælatis, & Superioribus, quibus ad aliorum exemplum incumbit bona opera non in occulto facere, ut in eleemosyna scripsit Barbosa *in Pastoral. 1. par. tit. 2. gloss. 9. nu. 25.* Leoncillus *2. par. privileg. 115. à n. 67.*

28 In aliis verò (licèt eleemosyna in publico sit verè eleemosyna) maximè docet eàm in publico non fieri, sed in occulto, prout Dominus *Matth. cap. 6 vers. 2.* docuit: *Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente elemosynam, nesciat sinistra tua quod facit dextera tua.* Unde eleganter D.P. Chrysologus *serm. 9.* ait *Tuba, quia talis eleemosyna hostilis est, non civilis; verecundiam pauperum non relevat, sed fatigat. Ergo homo, daturus Deo, dato secretò, ut quod dederis, non sit oneris, sed honoris.* Quapropter D. Hieronymus *in cap. Vide 65. quæst.* scripsit: *Bona enim opera vulgi opinionem sectantia, non tam præmium, quam pœnam consequuntur.* Est in terminis textus *in leg. 13. tit. 23 p. 1.* ubi Gregorius *gloss. 3.* Leoncillus *d. privil. 115. n. 68.* Rubeus *pract. resol. c. 100. n. 461.* Bellarminus *de bon. oper. l. 3. c. 13. in princip.*

29 Est denique ratio disparitatis inter oblationem, & eleemosynam, quia oblatio est res illa, quæ immediatè intuitu Religionis Deo ab hominibus absque immolatione exhibetur. *Deut. cap. 23.* ibi: *Non offeres mercedem.* Et *Malach. cap. 1.* ibi: *Si offeratis.* Soto *de just. lib. 9. quæst. 3. art. 1.* Mosconius *de Majest. Milit. Ecclesia, lib. 1. cap. 3. p. 3.* Eleemosyna verò non immediatè Deo offertur, sed mediatè, prout datur pauperi, seu loco sacro ob Dei amorem, intuitu pietatis, & misericordiæ, ex traditis à S. Thoma *2. 2. quæst. 32. art. 1.* Trullench *d. dub. 8. à n. 1.* Undè necessariò differunt.

30 In calce tamen hujus capitis scribere non desinam requisita eleemosynæ; eleemosyna enim facienda est justè, ordinatè, bona intentione, & de licitè acquisitis, ut explicat noster Alfonsus *in l. 10. tit. 13. part. 1. cap. Eleemosyna 7. cap. Scriptum 12. 14. quæst. 5.* Sed ne allegationibus variis assumptum oneremus, audiamus tantùm D. Joan. Manuel *en su Conde Lucanor, fol. mihi 70.* hæc scribentem: *Y para que la limosna sea buena, conviene que aya en ella estas cinco cosas. La primera, que se faga de loque hombre huviere de la buena parte. E la otra, que se faga estando en verdadera pœnitencia. E la otra, que sea tanta, qae sienta hombre alguna mengua per lo qae da, y que sea cosa de que se duela hombre. E la otra, que la faga en su vida. E la otra, quæ la faga simplemente por Dios, e non por vanagloria, ni por ufania de mundo. E faciendo estas cinco cosas, seran todas las obras de limosnas cumplidas, y habria hombre de todas muy buen galardon.* Fuscus *d. cap. 30. n. 7.*

CAPUT II.

Quando Eleemosyna sint in præcepto?

SUMMARIUM.

Hæretici dicunt divitias non esse licitas Christianis, n. 1. Plato docuit convenire omnia esse communia, num. 2. Sequitur eleemosynam non esse licitam, num. 3. Refelluntur hæretici, à num. 4. Latè explicatur textus in cap. Jus naturale 7. dist. 1. à num. 4. & numeris sequentibus disceptatur, an rerum divisio sit de jure naturæ, usque ad n. 10.

Præceptum est dandi eleemosynam, tam de jure Divino, quàm naturæ, num. 11.

Triplex est necessitas, extrema, gravis, & communis: & quomodo intelligantur, n. 12. & 13.

Periculum infamiæ an sit necessitas extrema? Aliqui negant, n. 14. Alteri affirmant, num. 15. Admittitur in Nobilibus, n. 16. Honor vitæ comparandus, ibid. & num. 17. Quæ sit necessitas communis, ibid.

Tria sunt bona eleemosynantium, necessaria ad naturam, necessaria ad statum, & bona superflua, nu. 19.

Aliqui dicunt, hoc præceptum solùm obligare in extrema necessitate, num. 20. Hoc præceptum obligat in extrema ad dandam eleemosynam ex superfluis, num. 21. Et idem in gravi, n. 22.

Sed an obliget in communi ex superfluis; Aliqui affirmant, num. 23. Alteri negant. Utrumque probabile dicit Trullench. Sed distinguitur, à n. 25.

Aliqui dicunt rarò esse divitem habentem superflua respectu futuri eventus, & status: sed hodie fallit in extremis, & gravibus necessitatibus, n. 29.

Hodie quando tantæ sunt necessitates, superfluum respectu præsentis status est inspiciendum, n. 30. Nec possunt divites absque gravi culpa monumenta erigere, nec Ecclesias, nec Capellas, seu Eremitoria, nec Conventus, ubi non sunt necessaria, n. 31.

An de necessariis ad statum teneamur dare eleemosynam extremè indigenti. Prima sententia affirmat, nu. 32. Secunda negat, n. 33. Tertia distinguit. n. 34. Explicatur, à num. 35.

Si persona extremè indigens sit necessaria Reipublicæ, vel Ecclesiæ, etiam cum diminutione status est subvenienda, num. 37.

In gravibus necessitatibus an teneamur dare eleemosynam de necessariis ad statum; Negant aliqui: alteri affirmant, num. 38. Explicatur, num. 39. In communibus non obligat ex his bonis hoc præceptum, numer. 40.

Ex necessariis ad naturam non obligat hoc præceptum, etiamsi alter extremè indigeat, num. 41. Sed an tunc liceat alteri dare, quod mihi est necessarium ad vitam? Suntque sententiæ contrariæ, sed neganti consentio cum D. Augustino.

HÆretici, qui quasi Cameli limpidissimam quamcumque aquam ad bibendum conturbant, asseruere divitias licitas non esse Christianis. Ita sensit Julianus Apostata, teste Nazianzeno *orat. 1.* idemque asseruere quidam hæretici *Apostolici* dicti. Epiphanius *hæresi 61.* Manichæi quoque, referente Augustino *lib. 1. de moribus Ecclesiæ, cap. 11.* & Pelagiani apud eundem *epist. 89. ad Hilarium, & ad Paulinum epist. 106.* 1

Idem apud Ethnicos aliqui sensere; ut Plato, quatenus dixit, optimam esse rerum communionem, nec earum divisionem, & proprietatem ad Reipublicæ regimen adeò convenire. Cujus sententiam benè refellit Aristotel. *lib. 2. Polit. cap. 4.* Tertullianus *in Apologetico, cap. 39.* latè Bobadilla *in Polit. lib. 1. cap. 1. per tot.* 2

Ex hac enim hæresi facilè diluitur præceptum eleemosynæ; nam si Christicolis bona propria habere non licet, consequenter nec poterunt eleemosynam dare; non enim de alieno danda est, *cap. Eleemosyna 7. 14. quæst. 5.* Vasquez *de Eleemosyna, cap. 2. n. 3.* 3

Sed hæresim illam benè refellit Bellarminus *d. lib. 4. cap. 10.* Becanus *de Just. cap. 5. quæst. 2. numer. 2.* Nam in sacris 4

Litteris commendatur eleemoſyna, quæ ſupponit rerum proprietatem in Chriſtianis, & conſequenter illam approbant. Tum etiam legitur Sanctiſſimos Patriarchas propria habuiſſe, ut Abraham, Iſaac, & Jacob. Ac denique in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. damnatur Vvicleffus aſſerens, illicitum eſſe Eccleſiaſticis habere poſſeſſiones; unde à fortiori aſſerendum, idem licere aliis Chriſtianis.

5 Attamen non deſinam attingere textum *in cap. Ius naturale 7. diſt.* 1. in quo aſſeritur jure naturæ omnia eſſe communia, nec aliquem propriè in rebus habere dominium in eodem jure; unde ſequitur, nec Chriſtianis, nec aliis licere proprium habere, ſed vivere in bonorum communitate, prout obſervarunt primi Chriſtiani, *Act. Apoſtol. cap.* 4. *cap. Scimus* 9. 12. *quæſt* 1.

6 In hac difficultate plura dixerunt DD. ut videre eſt apud Ant. Pichard. *part.* 1. *Inſt. de obligat. ex delict. à nu.* 61. Vaconius *lib.* 1. *declarationum*, *cap.* 11. In re tamen animadvertendum, totam exiſtere difficultatem, quomodo jure naturæ omnia ſint communia, & eodem jure naturæ diviſio rerum facta ſit, atque proprietas ſingulis conceſſa. Aliqui dicunt, à principio mundi hominum communitati bona omnia conceſſa fuiſſe; ut probatur *Pſalm.* 8. ibi: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Aſt poſt Adami peccatum neceſſaria, & utilis fuit rerum diviſio, ſuppoſita hominum malitia, & quod otioſi, & peſſimi fructibus aliorum fruebantur, *cap. Dilectiſſimus* 2. 12. *quæſt.* 1. ubi Turrecremata *num.* 4. Menchaca *illuſtr. lib.* 2. *cap.* 51. *num.* 17 Bobadilla *d. cap.* 1. *num.* 6. Idque factum fuiſſet ex jure gentium, *l. in hoc jure* 5. *ff. de juſtitia*, inſtante, & petente eadem neceſſitate, tenet Myſingerus *in §. Singulorum* 10. *inſtit. de rer. diviſ. num. fin.* Molina *de juſt. tom.* 1. *diſp.* 20. *lit. D.*

7 Alteri verò dixerunt, diviſionem, & rerum proprietatem introductam eſſe de jure ipſo naturali, *l.* 1. *ff. de acquir. ren. domin.* ibi: *Dominiaque rerum à naturali poſſeſſione cœpiſſe, Nerva filius ait.* Nec eſſe neceſſarium recurrere ad jus gentium, ait Tiraquellus, *de Prim. q.* 4. *n.* 27. Gilkenius *de præſcript. parte* 1. *c.* 1. Donellus *lib.* 1. *Comment. cap.* 7. ubi Oſuald. *lit. S*, Valentia *illuſt. tract.* 2. *cap.* 7. *à n.* 1.

8 In re tamen conſiderandum, hanc rerum diviſionem factam non fuiſſe à jure naturali. Ratio eſt, nam ut ait textus *in dict. cap. jus naturale*, omnia ſunt communia de jure naturali, & in communi data ſunt bona hominibus. Villalobos *in Summa*, 2. *p. tract.* 10. *diffic.* 9. *nu.* 3. Ergo de jure naturali facta non eſt diviſio, ſed poſteà urgente neceſſitate facta eſt ab hominibus; nam poſteri Adæ diviſionem ita facere, ut ſi quiſque aliquid primò occupabat, ita dominus rei occupatæ fiebat. Poſt diluvium præſertim facta confuſione linguarum, Filii Noe ſorte Terram diviſerunt. *Gen. cap.* 10. *verſ.* 11. Poſteà creſcente genere humano, ſingulæ partes iterùm fuerunt diviſæ, ſervata proportione cujuſcumque familiæ. Becanus *dict. cap.* 5. *quæſt.* 1. *num.* 1. & 2.

9 Erit ergo difficultas, an ratio diviſionis rerum fuerit de jure naturali. Et negandum videtur, nam ex eodem jure omnia erant communia. Ergo jure naturali, & ejus ratione exiſtente, non potuit fieri diviſio; repugnat enim, ut de jure naturali bona ſint communia, & diviſa inter ſingulos. Sed contrarium aſſerendum; nam ut ſcripſit Pontifex *in dict. cap. Dilectiſſimis*, in ſtatu innocentiæ omnia erant communia: aſt poſt Adami culpam neceſſaria fuit diviſio rerum ob hominum malitiam, latrocinia, & alia quamplurima damna neceſſariò vitanda. Quapropter ex mutatione materiæ ratio ipſa naturalis dictat, ſuſcipienda eſſe media moraliter neceſſaria ad evitanda incommoda, & graviſſima mala; ſed ad evitanda furta, & latrocinia ſuppoſita hominum malitia) fuit medium neceſſarium rerum diviſio: Ergo de ratione naturali fuit rerum diſcretio, & proprietas uniuſcujuſque. Quod iſtud fuerit medium neceſſarium, facilè probatur. Nam creſcente hominum multitudine, nequibant abſque graviſſimis incommodis bona haberi in re communi, *l. in re communi* 25. *ff. de ſervit. urb. l.* 2. *§. Apparet*, *ff. de adminiſtrat.* Ergo ut medium neceſſarium admiſſa eſt rerum diviſio, ut benè advertit Becanus *dict. cap.* 5. *quæſt.* 3. *per tot.*

10 Illud verò, quod diximus de primis Chriſtianis omnia in communi habentibus, facilè reſponſum recipit, quia hæc communio facta eſt ex conſenſu ipſorum Chriſtianorum, & ad breve tempus, & quando erant pauci: aſt poſteà creſcente Eccleſia, & poſt devaſtationem Jeruſalem, ſtatim communio iſta evanuit. Baronius *tom.* 1. *anno Chriſti* 34. *num.* 171. Lyranus *in Act. Apoſtol. cap.* 2. *verſ.* 44. & *cap.* 34. *verſ.* 32.

His verò ad repellendos hæreticos præmiſſis, dicendum, 11
præceptum eſſe de danda eleemoſyna, tam de Jure Divino, quàm naturali. De jure divino probatur *Deut. cap.* 5. ibi: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcircò præcipio tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno.* Et *in Proverb. cap.* 21. ſic: *Qui obdurat aurem ſuam ad clamorem pauperum, ipſe clamabit, & non exaudietur.* Paulus 1. *ad Tit. cap. ult.* ſic docet: *Divitibus hujus ſæculi præcipite facilè tribuere.* De jure naturali etiam probatur, quia de illo jure eſt proximum diligere, quod non ſolùm faciendum eſt affectu, ſed etiam opere ſuccurrendo proximi neceſſitatibus. Unde nonnulli hoc præceptum ad illud diligendi proximum pertinere aſſerunt. Alii verò ad quartum præceptum Decalogi, ac per conſequens communiter aſſeritur, præceptum eleemoſynæ eſſe de jure naturali. S. Thomas 2. 2. *qu.* 32. *art.* 5. *ad* 4. Bellarmin. *d. lib.* 3. *c.* 6. Trullench *d. dub.* 8. *nu.* 2. Palao *d. punct.* 1. *n.* 1. *in fine*, Covarr. *lib.* 3. *var. c.* 14. *nu.* 5. Navarr. *in Man. cap.* 24. *n.* 5. Leoncill. *d. privil.* 115. *à num.* 2.

Ut verò cognoſcamus, quibus in caſibus præceptum hoc 12
obliget, duo animadvertunt DD. In primis triplicem eſſe neceſſitatem, extremam, gravem, & communem. Extrema dicitur illa, quando proximus eſt ita indigens, ut niſi breviter ſuccurratur, ſignum apparet brevi eſſe moriturum, aut ſi in periculo infirmitatis ſit, aut alterius miſeriæ, quæ abſque dubio illum interficiet; aut ſit in proximo periculo amittendi membrum aliquod principale, vel ſenſum ſui corporis, vel ut incidat in amentiam; judicii enim privatio morti comparatur. Sanchez *conſ. lib.* 1. *c.* 5. *dub.* 5. *à nu.* 4. qui *n.* 7. ſcripſit, ad hoc ut ſit extrema neceſſitas, requiri ut in promptu non ſit aliquis ſuccurrens pauperi, verum adſit præciſa neceſſitas ſuccurrendi.

Gravis neceſſitas, ſeu quaſi extrema dicitur illa, quæ 13
tanta eſt, ut ſi proximus non ſuccurratur, veriſimile eſt, proximi vitam abbreviandam, vel in aliquem notabilem morbum perventurum. Exemplis exornat Navarra *de reſtit. lib.* 3. *c.* 1. *num.* 356. veluti quando quis liberatur notabili morbo, ab infamia, vel proximus cadit à ſuo ſtatu, aut ab injuſta captivitate liberatur, vel alio malo, quod arbitrio prudentis eſt relinquendum. Tamburinus *in Oper. Moral. lib.* 5. *Decalog. cap.* 1. *num.* 13.

Eſt tamen quæſtio de illa parte, quam adduxit Navarra, 14
ſcilicet quando adeſt periculum infamiæ, an ſit cenſenda gravis neceſſitas, an extrema? Aliqui dicunt tantùm gravem; nam homo eſt dominus ſuæ famæ, quare ſicut illam perdere valet, ſi adſit in periculo illam amittendi, gravis tantùm neceſſitas eſt cenſenda, non verò extrema. Sotus *de Juſt. lib.* 4. *quæſt.* 6. *art.* 3. Navarr. *d. cap.* 24. *num.* 5. & aſſentire videtur Sanch. *d. dub.* 5. *num.* 6.

Alteri verò extrema dicunt, nam ſi inſtans periculum 15
vitæ extremam facit neceſſitatem, ſimiliter honoris, quia non eſt minoris ponderis, ſed majoris. Unde Eccleſiaſt. *c.* 41 præcipitur: *Curam habe de bono nomine, hoc autem magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi, & magni. Bona vitæ, numerus dierum.: bonum autem nomen permanet in æternum.* Tenent Angles *in Floribus*, 1. *p. qu.* 3. *de eleemoſyna*, *diffic.* 2. Vaſquez *d. c.* 2. *dub.* 3 *n.* 26. Valdes *de Eleemoſyna*, 3. *p. quæſt.* 3. *fol.* 46.

Hæc ſententia admittenda eſt in viris nobilibus, & hono- 16
ratis: in his enim honor magni ponderis eſt, ita ut vitæ comparetur, *l. Juſta*, & ibi Gloſſa, *ff. demanumiſſ. vindict.* Noſter Alphonſus *in l.* 17. *tit.* 13. *par.* 2 Baldus *in l.* 1. *Cod. de dignit. lib.* 12. *col. penult.* Barboſa *in l. is cui bonis*, *ff. de verb. obligat. num.* 3. Ergo in his nobilibus, & honoratis perſonis periculum infamiæ extrema neceſſitas eſt cenſenda. Rurſus in ſimilibus perſonis, non ſolùm honor comparandus eſt vitæ, quin potiùs magis æſtimatur, & ultimum nocumentum, *l. iſti quidem* 8. §. *Quod ſi dederit*, *ff. Quod met. cauſa*, *l.* 7. *tit.* 33. *p.* 7. Bobadilla *in Polit. lib.* 2. *c.* 14. *n.* 44. Idcircò extrema neceſſitas penſanda eſt periculum infamiæ in ſimilibus hominibus, & honoratis.

In aliis verò non ita, in quibus honor non tanti habe- 17
tur; aſt penſanda erit neceſſitas pro qualitate perſonæ. Illud tamen advertere non deſinam, honorem apud Hiſpanos magni haberi, etiam inter plebeios; ſunt enim Hiſpani

spani omnes avidissimi ad honorem obtinendum ; quare in eis periculum illius est considerandæ major necessitas, quàm in aliis nationibus : verùm inter omnes semper magni habetur. De quo videndus August. *in c. Non sunt audiendi* 56. *11. q. 3. c. Nolo* 10. *12. q. 2.*

18 Necessitas communis dicitur, qua laborant pauperes ostiatim mendicantes, ut latè explicant Sanch. *d. dub. 5. n. 9.* Palao *d. tract. 6. disp. 2. punct. 2. à n. 1.* R. Moya *Select. 1. par. disp. 6. de charit. q. 4. §. 1.* Petr. Binsfeldius *de decem præcept. c. 3. de charitat. vers. Secunda necessitas, fol. mihi* 277. Vellasco *de Privil. paup. 1. p. q. 27. à n. 9.*

16 Secundò observandum, tria esse genera bonorum eleemosynantium. Primum necessaria naturæ, idest necessaria ad sui sustentationem, & suorum, sine quibus nequeunt vitam transigere. Secundò alia sunt bona necessaria ad statum decentem, non solùm concedentis, sed suorum, non habita consideratione ad omnes actus possibiles, sed ad eos, qui probabiliter, & prudenter timeri possunt, in quibus intrant convivia honesta, magnificentiæ moderatæ juxta proprium statum: tum quæ reservantur ad dotes filiorum, morbus, bella, & fames, si communiter accidant. Tertiò alia sunt bona superflua, quæ supersunt attento proprio statu, & suorum, consideratis casibus communiter accidentibus. Explicant Navarrus *d. c. 24. n. 6.* Turrianus ad D. Thom. *2. 2. disp. 82. dub. 1. lit. C*, Sanch. *d. dub. 5. ¶ 10.* Escobar *in Summa, t. 5. c. 4. n. 43.* Diana *5. p. tract. 8. res. 1.* Palao *d. punct. 2. n. 2.*

20 His ergo suppositis, aliqui Doctorum asseruerunt præceptum eleemosynæ tantùm obligare in extrema necessitate. Referunt Palao *d. punct. 2. n. 10.* Sarmiento *de Redditibus, p. 4. c. 5.* Alteri dicunt, tempore necessitatis hoc præceptum astringere: & probatur ex objecto hujus virtutis, quæ est miseria, & indigentia, ut scripsit Suarez *de charit. disp. 7. sect. 1. n. 3.* Leoncillus *d. privil. 115. n. 7.*

21 In re dico in primis, quando proximus est in extrema necessitate, hoc præceptum obligare ad dandam eleemosynam ex bonis superfluis ; nam supposito præcepto, ut minùs in hoc casu debet obligare. Becanus *de externis act. charitatis, c. 21. n. 6.* Vasqu. *d. cap. 1 dub. 2* Bonacina *ad 1. Decalogi, disp. 5. q. 4. punct 6. prop. 2. nu. 1.* Villalobos *1. p. tract. 22. diffic. 2. n. 4.* Valdes *2. p. vers. Primò quæritur, fol. 16. & 3. p. vers. Primò quæritur, fol. 26.* Leoncillus *d. privileg. 115. num. 25.*

22 Idem dicendum in gravi necessitate ; nam apud Matth. *cap. 25.* contrarium facientes damnantur : & apud eundem *cap. 18.* damnatur servus, qui conservi misertus non est in gravi necessitate. Tum a simili probatur, quia graviter peccat videns domum comburi, aut famam proximi lædi, si non occurrit. Ergo similiter, si proximus sit in gravi necessitate, & non eleemosynatur ex superfluis. Suarez *dict. disp. 5. sect. 3. n. 5.* Navarr. *d. c. 24. n. 9.* Vasq. *d. dub. 3. à nu. 12.* Palao *d. punct. 2. n. 13.* Moya *d. q. 4. §. 2 n. 5.* Covarr. *l. 3. var. c. 14. n. 5. vers. Secunda conclusio.*

23 Dubium est tamen, an ex superfluis in necessitatibus communibus præceptum sit dandi eleemosynam? Et plures asserunt adesse : ducuntur authoritates Scripturæ apud Luc. *cap. 2.* præcipientis ut *Quod superest, date eleemosynam,* Et *Joan. cap. 3.* ibi : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera misericordiæ ab eo, quomodo charitas Dei manebit in eo ?* Sancti enim PP. eodem modo loquuntur, dicuntque violenter auferri, quod in necessitatibus retinetur. Ambrosius *in cap. Sicut 8. 47. dist.* Hieronymus *in c. Hospitalitatem, in princip. 42. dist.* & alii relati à Bellarmino *d. lib. 3. c. 7.* Unde infertur, gravem esse culpam ex superfluis in communibus necessitatibus eleemosynas non dare. Sanch. *d. dub. 5. n. 37.* Palao *d. tract. 6. disp. 2. punct. 2. n. 15.* Becanus *d. cap. 21. n. 1.* Valdes *3. p. vers. Quinta resolutio, fol. 32.* Villalobos *d. diffic. 2. n. 13.* qui animadvertit, ad adimplendum hoc præceptum sufficere divitem eleemosynam dare secundùm suum statum, non autem omnibus petentibus Bellarmin. *d. cap. 7. in fine.* Tamburinus *d. cap. 1. n. 17.*

24 Alteri verò contrarium tenet, asserendo in his necessitatibus communibus tantùm de consilio esse præstare eleemosynam; nam sequeretur, divites habentes superflua non posse de eis ad libitum disponere, nec etiam ad cultum divinum, nec ad ædificandas Ecclesias, sed præcisè teneri ad eleemosynas præstandas, cùm nunquam necessitates communes deficiant. Tum etiam sequeretur, quamplures divites damnari, & eorum Confessarios, quod dicendum non est : Ergo non debet admitti simile præceptum. Alensis, Rosella, Medina, & alii, quos refert Villalobos *d. diffic. 2. num. 15.* Cajetanus *de Indulgent. quæst. 3.* Diana *1. p. tract. 1. miscell. res. 32.* Sanchez *Select. disp. 23. nu. 35.* Moya *d. quæst. 4. §. 1. num. 4.*

Has opiniones probabiles dicit Trullench *dict. dub. 8. nu.* 25
10. Licèt primam ut probabiliorem admittat. In re tamen animadvertendum, communis necessitates esse considerandas prout locus, & tempus demonstraverit. Sunt enim aliqui anni non ita fertiles, ut magis communes necessitates ingravescant ; & tunc dives habens superflua, si nullas eleemosynas elargiatur, reus erit culpæ ; nam illæ necessitates communes ampliùs quàm communes censentur : quapropter ad præceptum dandi eleemosynam astringetur, ut benè non considerat Covar. *lib. 3. var. cap. 14. num. 5. in fine.*

Si verò ex tempore, & loco communes necessitates pa- 26
rum urgeant, facilliterque mendici ab aliis subveniantur, dives habens superflua non est condemnandus de culpa mortali, si eleemosynas non eroget ; id enim perdurum esset : & quamvis tunc aliquod adesset præceptum, tantùm obligabit ad veniale, ut tenet Turrianus *d. disp. 82. dub. 2. in fin.* Layman *in Summa, lib. 2. tract. 3. cap 6. num. 5. vers. Quæres.* Excusabitur tamen etiam à veniali quando reservasset eleemosynam in meliori tempore concedendam & quando magis urgeat necessitas, vel si reservaret superflua ad usus pios. Laym. *d. num. 5. vers. Quæres.* Busembaum *in Medulla, lib. 2. tract 3. cap. 2. nu. 2.* qui *nu. 3.* animadvertit, non facilè denegandam esse absolutionem diviti omnes pauperes repellenti, ob dissidium Doctorum in hac controversia.

Ex alio enim capite dives iste potest considerari in ma- 27
lo statu, nempe si omnes pauperes crudeliter, & inhumanè repelleret; ostenderet enim nullam habere charitatem, nec misericordiam erga proximos, ut benè Busembaum *d. n. 2. in fine*, Trullench *d. dub. 8. n. 11.* Becanus *d. c. 21. n. 8.*

Notat tamen DD. rarò inveniri posse divitem habentem 28
superflua; nam licèt aliqua dicantur superflua respectu præsentis status, non tamen futuri : potest enim dives ob finem honestum statum in melius commutare, quod ei competat : itaque respectu futuri eventus bona illa superflua non sunt, ut de eis in communibus necessitatibus teneatur eleemosynam dare, ut cum Cajetan. Navarro, & aliis tenet Sanch. *d. dub. 5 num. 19.* Palao *d. tract. 6. disp. 2. punct. 2. nu. 1.* Gratian. *discept. for cap. 176. nu 5.* R. Moya *d. quæst. 4. §. 3. à num. 1.* Trullench *d. dub. 8. num. 16.*

Hoc quidem ex propositione duodecima Innocenti ad- 29
mittendum non est, maximè extremis, aut gravibus necessitatibus existentibus ; nam cùm instet præceptum dandi tunc temporis eleemosynam, tempus præsens est inspiciendum, in quo cùm sint superflua, de eis necessariò est danda eleemosyna, ut cum aliquibus tenet Sanchez *d. dub. 5. num. 15.* & explicat Sanchez *de charit. disp. 7 sect. 3. num. 9.* dicens diversimodè considerandæ esse superflua in ordine ad graves necessitates, quàm ad communes ; in gravibus enim, ne sint superflua, illa bona necessaria dicuntur ad filios in statu ponendos, & alias domesticas personas : at respectu communium illa, quæ sunt ad mutandum statum. Quod est graviter observandum, quidquid resistat Moya *d. §. 4. à num. 13.*

Hinc ad praxim in Castella hodie tenendum, teneri divi- 30
tes eleemosynas dare ex superfluis, habito respectu ad tempus præsens, nec considerandum futurum, in quo tam gravissimæ adsunt necessitates in omni genere personarum. Dolendum maximè est, Castellam opulentissimum Regnum, & totius Monarchiæ cor, tantis ærumnis gravari; Castellanos quoque ad tam ingentem pauperiem pervenire. O si nostri Catholici Reges, & eorum dissertissimi Ministri descenderent, & miseros pauperes prospicerent, & eorum suspiria auscultarentur, quomodo plangerent.

Idem etiam dives tanta ambientes debebant considera- 31
re, quibus nefas non videtur in pompa, & inani fastu divitias expendere, deserta causa publica, & privatorum pauperum, tantis miseriis, & exactionibus expilatorum. Item non debebant tanti mali immemores reddi, qui monumenta grandiora construunt ad sua corruptibilia corpora condienda, tum Capellas armis gentilitiis ornatas, & alia opera, quæ ipsi dicunt pia, relictis, & desertis tam

gravibus neceſſitatibus, quidem reclamantibus, nequeunt talia fieri abſque graviſſima culpa: nec Eccleſia, nec Eremitoria conſtrui debent, ſi non ſunt neceſſariæ, ut cum Aragonio, & Ledeſma docet Sanch. *d. dub. 5. n. 18.* Quod debent PP. Rev. Confeſſores eos docere, & Prædicatores in ſermonibus conclamare, ne tanti pauperes miſeria, fame, fœdore, & triſtitia quotidie intereant.

32 In rebus tamen neceſſariis ad ſtatum, an de eis facienda ſit eleemoſyna extremè indigenti, ſub judice eſt. Prima ſententia affirmat, ex loco Jo: *c. 3.* ſuprà relato, *c. Paſce 21. diſt. 82. c Immolans 2. 14. q. 5. l. Necare 4. ff. de lib. agn. l. 2. §. Si publicanus, ff. de bon. rapt.* Ratione probatur, nam ex ordine charitatis potior eſt vita hominis, quàm ſtatus perſonæ: Ergo ad ſuccurrendum proximo extremè indigenti, ne pereat, dandum eſt de neceſſariis ad ſtatum. Denique, nam id petit præceptum diligendi proximum; aliàs tamen minùs proximum diligeret extremè indigentem, qui ex neceſſariis etiam ad ſtatum illi non ſuccurreret, ut explicat D. Greg. *hom. 30 in Evang.* exponens illud, *Diliges proximum ſicut te ipſum.* Ergo ſuccurrendus eſt proximus extremè indigens ex neceſſariis ad ſtatum, ut cum aliquibus tenet Turrian. *d. diſp. 82. dub 4.* Vaſq. *de Eleemoſyna, c 1. nu. 10. & 25.* Filliuc. *tom. 2. tract. 28. c. 3. n. 64.* Suar. *de charit. diſp. 7. ſect. 4.* Bonacina *d. propoſit. 2. n. 11.* Moya *d. q. 4. §. 5. n. 23.*

33 Secunda ſententia aſſerit contrarium. Ducitur authoritate D. Thomæ *d. q. 32. art. 6.* ubi aſſerit, laudabile eſſe ex neceſſariis ſuccurrere extremè indigenti: unde infertur, non eſſe opus præcepti, ſed conſilii, quatenus tantùm dicit, laudabile eſſe. Aſt Turrian. *d. dub. 4. ver. Sed ſolet*, inquit D. Thomam ex illa doctrina non excludere præceptum, quia laudabile eſt præceptum adimplere. Cæterùm hæc ſententia probatur, quia conſervatio vitæ alterius non ita eſt proſpicienda, ut qui in decenti ſtatu vivit, totum patrimonium exhauriat, & ab eo cadat; id enim duriſſimum foret, ut in præcepto contineatur. Ita plures apud Turrian. *d. dub. 4.* & apud Moyam *d. §. 5. nu. 2.* Dicit probabile Palao *d. punct. 2. n. 6.* Diana *2. p. tract. miſcell 2. reſ. 28. verſ. Quintò dices.*

34 Tertia ſententia eſt Leoncilli *d. privil. 115. n. 24.* dicentis, quod ſi proximi indigentia extrema ſit ſtatus, tunc ex neceſſariis ad ſtatum minimè quemque ad ſuccurrendum obligari: ſecus ſi extrema neceſſitas ſit vitæ, ſeu naturæ; tunc enim debet ſuccurri.

35 In hoc dubio animadverto Leoncilli diſtinctionem ad rem non eſſe. Nam extrema dici non valet, per quam quis ab ſtatu cadet; ſed gravis neceſſitas, ut diximus *nu. 13.* Eſt igitur noſtra quæſtio, quando proximus eſt in extrema neceſſitate vitæ, aut alicujus notabilis membri, ut explicatum eſt *n 12.* In quo quidem caſu diſtinguendum, quando extrema neceſſitas proximi ita quantitatem magnam petit, ut eleemoſynas debeat cadere a ſuo ſtatu, vel ſui patrimonii notabiliſſimam partem erogare; tunc enim ad iſtud non tenetur. Nam, ut benè conſiderat Trullench *d. dub. 8. n. 6.* charitas non obligat, ut extraordinariis remediis vitam alterius conſerves, veluti quærendo extraordinarias medicinas, etiamſi ſcias, ſine illis pauperem moriturum: ergo nec tanto detrimento, ut cadas à tuo ſtatu, vel grandem partem tui patrimonii expendas pro conſervanda vita proximi. Palao *d. tract. 6. diſp 2. punct 2. n 6.* Layman *d. c. 6. nu. 4. verſ. Dixi autem per ſe.* Coninch *de charit. diſp. 27. dub. 8. à n. 134. concluſ. 4* Qui addunt quemque non eſſe obligatum opulentas, magnaſque divitias expendere pro conſervanda vita alicujus, veluti tria, aut quatuor millia aureorum. Moya *d. §. 5. n. 24.* in hoc igitur caſu admittenda eſt ſecunda ſententia.

36 Aliter verò eſt, quando quis proximo extremè indigenti ſubvenit ex neceſſariis ad ſtatum, commoditate illa, ac pietate, prout commodè valeat; & in his terminis ſuccurrere tenetur, ex fundamentis relatis pro prima ſententia. Et tradunt etiam Spino *de teſtam. gloſ. 6. n. 7.* Gratian. *diſcept. for. c. 176. n. 7.* Quo quidem caſu eſt intelligenda, & jura ſuprà recenſita *n. 32.*

37 Limita verò quando vita proximi indigentis, extremeque periclitantis eſſet neceſſaria Reipublicæ, vel Eccleſiæ; tunc enim quis ex præcepto tenetur expendere omnia bona neceſſaria ad ſtatum, ad illum liberandum: tum etiam quando ſalus publica extremè indigeret; nam præponderat cuilibet privatorum ſtatui, & vitæ. Suar. *d. ſect. 4. n. 2.* Trullench *d. dub. 8. n. 6.* Becanus *d. c. 21. n. 7.* Valentia *to. 3. diſp. 3. q. 9. punct. 4.* Quod idem extendunt alii, ſi plures homines extremè indigerent, quia tunc ſalus publica dicenda eſt potiùs, quàm privata, ut cum Lorca advertit Diana *5. p. tract. 8. reſ. 7. verſ. Notandum eſt tamen.*

In gravibus neceſſitatibus, an ex neceſſariis ad ſtatum 38
obligemur eleemoſynam præbere, controverſum eſt. Negant Cajetanus apud Turrianum, Navarra *de Reſtitutione, lib. 3. c. 1 n. 358.* Soto *lib. 5. de Juſt. quæſt. 8. art. 1.* Sarmiento *de Reddit. p. 4. c. 5. n. 8.* Affirmant Adrianus, Paludanus, Bañez, Victoria, & Cano apud Turrianum *d. dub. 4. verſ. Sed reſtat.* Angles, Corduba, & Palacios apud Sanch. *d. lib. 1. c. 5. dub. 5. n. 43.* qui *n. 44.* contrarium dicit probabilius. Diana *5. p. tract. 8 reſ. 15.* Turrianus verò *ubi proximè*, aſſerit in his gravibus neceſſitatibus ſufficere mutuare, nec teneri quem præcisè ad dandum ex neceſſariis ad ſtatum.

At credo in præſentiarum præceptum adeſſe dandi elee- 39
moſynam, licèt non ita ſtrictum, prout quando adeſt extrema neceſſitas. Idque authoritate D. Auguſtini *in 1. epiſt. Joan. tract. 5.* ibi: *A creditore anguſtiatus frater tuus? Vide, ſi miſeris, ſi habes mundi facultates. Fortè dices, Daturus ſum pecuniam meam, ne ille anguſtiam patiatur? Si hoc tibi reſponderit cor tuum, dilectio Patris non eſt in te.* In his ergo verbis clarè demonſtrat D. Auguſtinus, in gravi neceſſitate proximo conſtituto ſuccurrendum eſſe, aliàs gravis erit defectus charitatis. Ergo quia in gravibus neceſſitatibus tenetur proximo eleemoſynam elargiri ex noſtris pecuniis, licèt neceſſariæ nobis fuerint. Cæterùm gravis neceſſitas, quaſi extrema cenſetur; quapropter ſicut in extrema tenemur ex neceſſariis eleemoſynam dare, ſimiliter in gravi, licèt non tanto incommodo, ſicut in extrema, cùm tam arcta non ſit, ex traditis à Suar. *d. ſect. 5. num. 5.* Villalobos *diffic. n. 2.*

De neceſſariis ſecundùm ſtatum in communibus neceſſi- 40
tatibus ex precepto eleemoſyna largienda non eſt; non enim quis cum detrimento ſtatus mendicantibus ſuccurrere tenetur, niſi quis velit ad perfectiorem ſtatum Evangelicæ paupertatis pervenire. *Matth. c. 59.* Villalobos *d. diffic. 2. num. 6.* Bellarmin. *d. li. 3. c. 8.* Layman *d. tract. 3. c. 6 n. 4. verſ. Quartò in communem.*

Ex neceſſariis ad naturam quis non tenetur ad dandam 41
eleemoſynam etiam extremè indigenti; nam tunc ex ordine charitatis quis ſe, & ſuus priùs alere tenetur, quam alium. Paulus *2. Corinth. c. 5. verſ. 8.* Ex ante omnia quiſque tenetur habere rationem ſui, *l. Præſes 17. C. de ſervit. & aqua.* Unde rectè Auguſtinus *in Enchir. c. 76.* ait: *Qui vult eleemoſynam ordinatè dare, à ſe ipſo debet incipere, & eam ſibi primo dare.* Ita *c. Qui vult. 19. de Pœnit. diſt. 3.* Villalobos *d. diffic. 2. n. 5.* Sanch. *d. dub. 5. n. 12.* Gratianus *d. c. 176. nu. 1.* Limitatur tamen quando perſona extremè indigens fuiſſet neceſſaria Reipublicæ, ita ut illa pereunte, Reſpublica periret. Vaſqu. *de eleemoſyna, c. 2. n. 2.* Gratianus *d. c. 176. à num. 8.*

Hinc breviter agnoſcendum, an liceat in hoc caſu ali- 42
menta ſibi neceſſaria, alteri extremè indigenti præbere, quando tu ſimiliter es periturus? Aliqui affirmant, nam ſi licèt propriam vitam exponere pro amico, ſimiliter alimenta neceſſaria ad ejus conſervationem præbere, etiamſi pereas. Trullench *d. dub. 8. n. 6.* Turrianus verò contrarium tenet *dub. 5. Lit. B.* Nam ſi non licet condemnato, ut ſame pereat, oblatum cibum renuere, quia id eſſet ſeipſum occidere, ſimiliter nec alimenta ſibi neceſſaria alteri præbere, ut ipſe pereat. Hæc difficultas pendet ab alia, an liceat exponere propriam vitam pro alterius corporali vita, in qua plura dixerunt DD. Interim tamen calculum pro Turriano feramus, authoritate D. Auguſt. *lib. 1. de mendac. c. 6.* ubi ſcripſit: *Si vitam quis temporalem pro alterius vita temporali pendit, non eſt hoc alterum ſicut ſe diligere, ſed pluſquam ſe, quod doctrinæ regulam excedit.* Vaſqu. *d. c. 2. n. 2.*

CAPUT

CAPUT III.

De his quæ licent tempore extremæ necessitatis: & quomodo extremè egens sit subveniendus? Elucidatur lex 2. C. *de patr. qui fil. distraxer.*

SUMMARIUM.

Dominus eleemosyna compensavit pauperibus suam indigentiam, num. 1. *Refellitur aliquorum insania asserentium Deum curam hominum non habere, à n.* 2.

In extrema necessitate omnia sunt communia, nu. 3. *Sed quomodo id intelligendum? Referuntur sententiæ, n.* 4. *&* 5. *Resolvitur, à nu.* 6.

An dives teneatur succurrere extremè indigenti, dando liberaliter; & an sufficiat mutuare. Aliqui dicunt teneri donare, n. 7. *Alii dicunt sufficere mutuare, num.* 8. *Alteri distinguunt, n.* 9. *Concordia aliquorum Doctorum, n.* 10. *Resolvitur, à nu.* 11.

Quando datur eleemosyna extremè indigenti, nequit poni pactum, ut pauper acquirat ad restitutionem: sed explicatur, n. 14.

Qui rem alienam suscipit in extrema necessitate, furtum non committit, n. 15. *Quod ita intelligendum, dummodo furans non excedat quantitatem necessariam ad sublevandam necessitatem, n.* 16. *Et non solùm ipse indigens potest alienum suscipere, sed alter, si non habet unde indigenti extremè succurrat, n.* 17.

Indigens extremè subripiens alienum, debet ad se excusandum credere dominum permissurum. Sed contra Gofredum contrarium admittitur, num. 18. *Erit tamen illud necessarium, quando non esset extrema necessitas, num.* 19.

Explicatur textus in cap. Si quis 3. de furt. *Necessitas alimenti, & vestitus est extrema, à nu.* 20. *Aliqui intelligunt illum textum, non de extrema necessitate, sed gravi, n.* 24. *Rejicitur, n.* 25. *Resolvitur, n.* 26.

An quando quis commodato, seu precario rem susceperit, & superveniente extrema necessitate consumpserit, teneatur postea restituere. Aliqui negant, n. 27. *Alteri affirmant, ibid. Resolvitur, n.* 28.

Qui cessit bonis, si ad pinguiorum fortunam deveniat, tenetur debita solvere, ibid.

Quid verò, si fur fuerit, & rem furatam in extrema necessitate consumpserit, an teneatur restituere. Aliqui dicunt non teneri, n. 30. *Sed contrarium defenditur, n.* 31. *&* 32. *Resolvitur, & explicatur textus* in cap. Suggestum 9 de Decimis, *n.* 33.

Iterum examinatur textus in cap. Si quis 3. de furt. *nu.* 34.

An quando debitor, & creditor sunt in extrema necessitate, teneatur debitor solvere creditori. Prima sententia affirmat, n. 35. *Secunda negat, num.* 36. *Resolvitur, à num.* 37.

An debitor possit rem retinere pro succurrendis pauperibus parentibus extremè indigentibus. Negat Azorius. Affirmant alteri, & extendunt ad patrem tantùm: alteri verò ad parentes, non ad fratres: sed alii etiam ad fratres, n. 41. *Resolvitur, n.* 42.

Parentes in extrema necessitate possunt vendere filios de jure naturali, à n. 43. *De jure civili, à n.* 45. *Explicatur lex* 2. C. de Patribus, qui fil. distraxerunt: *lex* 8. tit. 17. p. 4. *num.* 46. *Quod extendendum ad alios contractus, ibid.*

An id solùm intelligendum in alia extrema necessitate, præter famis. Plures negant, nu. 47. *Sed alteri affirmant, numer.* 48. *Resolvitur; & examinatur textus* in d. l. 2. *num.* 49. *Et extenditur ad alias extremas necessitates, num.* 50.

Dictio tantummodò, *non excludit casus similes, ibid.*

Decisio textus in d. l. 2. *an extendatur ad matrem. Negant plures, n.* 52. *Dilabuntur fundamenta horum Doctorum, n.* 53. *Et extenduntur ad matrem, n.* 54

Verbum Parentes, *non solùm patres, sed & matres significat, ibid.*

Parentes in extrema necessitate an possint vendere filium

emancipatum. Negant plures, nu. 55. *Sed contrarium defenditur, nu.* 56. *Non tamen vendere potest filium Clericum, n.* 57. *Nec uxoratum, n.* 58.

Facta verò venditione, filius à servitio liberatur, ipse dederit venditionis pretium, seu alius. Pater, si ad pinguiorem fortunam deveniat, tenetur redimere, aliàs si non redimat, cogetur: verùm etiamsi non detur pretium, dabitur mancipium, n. 59.

Filius in extrema necessitate nequit vendere patrem, n. 60.

An pater in extrema necessitate famis possit interficere filium. Affirmat aliquis ex l. 9. tit. 17. part. 2. *numer.* 61. *Sed rejicitur, à nu.* 62. *Etiam propter extremam necessitatem non licet fornicari. ibid. ubi etiam explicatur. dicta lex* 8.

Olim patres habuerunt facultatem interficiendi filios, nu. 63. 64.

Sed an hoc liceat patri, quando etiam filius necessariò est moriturus. Negatur, à n. 66. *Explicatur dicta lex* 2. *verb.* Sanguinolentos, *n.* 68.

Licet in extrema necessitate occisorum carnem edere; non tamen indigens ad id tenetur: sed in extremis semper licet vesci carne cruda, n. 69.

FActa rerum divisione, Supremus Dominus aliis pau- 1
pertatem concessit, alteris divitias, & abundantiam. Ast inæqualitas ista à mente Dei concinnata, præcepto charitatis, & eleemosynæ compensata est, ut datis, & elargitis eleemosynis, pauperes reciperent quod non receperant, ut est textus *in cap. Sicut* 13. *dist.* 46. Augustinus *serm.* 1. Becanus 2. 2. *cap.* 21. *num.* 8. Spino *de testament. gloss.* 6. *num.* 9.

Unde insana nonnullorum sententia exploditur, asse- 2
rentium Deum nullam curam hominum habere, prout affirmavit Plinius *lib.* 2. *cap.* 7. scribens omnia casu, & fortuna gubernari. Tacitus *lib.* 6. *Annalium, cap.* 5. ibi: *Multis insitam opinionem non initia nostri, non finem, non denique homines Diis curæ; & ideò creberrima & tristitia in bonos, & læta apud deteriores esse.* Quod ibidem videbatur dicendum, cùm videamus bonos paupertate, & egestate oppressos; pessimosque divitiis, & opulentia affluere. Consideravit Claudianus *lib.* 1. *in Rufinum.*

Sed cùm res hominum, tanta caligine volvi
Adspicerem, latosque diu florere nocentes,
Vexarique pios: rursus labefacta cadebat
Religio, causæque viam non sponte sequebar.

Verùm insanientium istorum placitum Ambrosius compescit *in cap. Sicut* 13. *dist.* 47. hisce verbis: *Numquid iniquus est Deus, ut nobis nō æqualiter distribuat vitæ subsidia; Vt in quidem esses affluens & abundans, aliis deesset & egerent? An idcirco magis, quia & ibi voluit benignitatis suæ experimenta conferre, & alium per virtutem patientiæ coronare? Tu verò susceptis Dei muneribus, etsi in sinum tuum redactis, nihil te putas agere iniquum, si tam multorum vitæ subsidia solus obtineas? Quis enim tam injustus, tam avidus, tam avarus, quam qui multorum alimenta, suum non usum, sed abundantiam, & delitias facit? Nec enim minùs est criminis habenti tollere, quàm cùm possis, & abundes indigentibus denegare.* His igitur piis liberalitatibus omnes Deus omnipotens æquat pauperes & divites, cùm istos ad elargiendum astringat, & suo præcepto compellat, Ad rem latè prosequitur Marquez *in suo Gubernat. lib.* 2. *cap.* 33. *fol. mihi* 292.

His præsuppositis, ad assumptum deveniendo, aliqua 3
exaranda sunt de extrema necessitate. Et in primis illud sciendum, quod licèt rerum divisio facta fuerit, ratione naturali petente, ut diximus *cap. antecedenti, à nu.* 8. Attamen in extrema necessitate omnia sunt communia, *l.* 2. *ff. ad leg. Rhodiam, d. cap. Sicut, vers. Proprium,* 47. *dist.* Glossa fin. *in cap. Sæpè, de restitut. spoliat.* Decius *cons.* 697. *num.* 16. Gratianus *dict. cap.* 176. *nu.* 12. Bucaronus *de different. inter. judic. civile, & crim. different.* 119. *num.* 23. Turrianus *in* 2. 2. *disput.* 82. *dub.* 8. *in princip.* Urrutigoyti *de Eccles. Cathed. cap.* 12. *n.* 8.

Quomodo axioma istud intelligendum sit, non satis con- 4
stat. Aliqui enim dixerunt, omnia esse communia quoad proprietatem in extrema necessitate: & ratio est, nam cùm omnia tunc sint communia, illa pars, quæ percipitur ab extremè indigente, ad illum debet pertinere quoad proprietatem; jure enim communi, prout in re individua, saltem quoad partem dominus dicitur, *l. Servi ele-*

ctione 5. §. penult. ff. de legat. 1. l. In re communi 25. ff. de ſervit. urban. præd. Ergo intelligendum eſt axioma quoad proprietatem: unde dicunt hi DD. quod ſi aliquis tempore neceſſitatis aliquid receperit indigens, & poſteà dives fiat, minimè ad reſtitutionem teneri, quia proprium recepit, ut cum aliquibus tenet Azorius *Inſt. Mor. 2. p. lib. 12. cap. 8.* Aragonius 2. 2. *quæſt. 31. art. 6.* Surdus *de aliment. tit. 8. privileg. 39. n. 11.* Acuna *in cap. Sicut, diſt. 47. nu. 7.* Caſtillo *controv. lib. 8. cap. 61. num. 6.* Barboſa *in collect. ad textum in cap. Si quis propter, de furt. num. 3.*

5 Alteri verò contrarium tenent, quia licèt dicatur in extrema neceſſitate omnia eſſe communia, non eſt quoad proprietatem, ſed quoad uſum; quamobrem non dicunt communia, ſed communicanda. Eſt tantùm in extremis obligatio ſuccurrendi pauperi, non tamen præcisè transferendo proprietatem, ſed dando uſum, aut mutuando, ita ut ab ea neceſſitate eripiatur. Ergo intelligendum non eſt axioma quoad proprietatem, ſed quoad uſum, & commoditatem, ita ut à neceſſitate liberetur. Rurſus ſi id non detur à proprietario, ſed ab indigente ſuſcipiatur, niſi quoad uſum recipere non valet, proprietas verò non niſi facto noſtro ad alium transfertur, *l. Id quod noſtrum, ff. de regul. jur.* Ergo minimè ſunt communia quoad proprietatem. Et hinc DD. iſti reſolvunt, quod ſi pauper ad pinguiorem fortunam pervenerit, ad reſtitutionem tenetur. Navarrus *in Man. cap. 17. num. 61.* Covarruv. *in reg. Peccatum, 2. p. §. 1. num. 3.* Valdes *de Eleemoſyna, 3. part. fol. 68. ver. Quartò quæritur.* Benincaſius *de paupert. dict. ſpecul. 9. num. 37.* Leoncillus *de Privileg. paup 2. part. privileg. 170. num. 5.* Vaſquez *dict. cap. 1. dub. 8.* Diana *5. par. tract. 8. reſolut. 9.*

6 In hoc dubio conſideranda eſt obligatio, quæ dives accingitur ad ſuccurrendum proximo extremè indigenti, ut inde perpendamus, an dominium ad illum tranſeat, necne: nam ſi obligatio eſt ſuccurrendi, dando, & transferendo dominium, utique transferretur, ſecus verò aliàs.

7 Hinc incidimus in aliam quæſtionem, an dives teneatur ſuccurrere extremè indigenti, transferendo totaliter dominium, aut tantùm mutuando? Aliqui aſſeruere, ſuccurrendum per liberalem eleemoſynam, dando, & transferendo dominium in perpetuum. Ducuntur authoritate Leonis *ſerm. 3. de Collectis.* Bernardi *epiſt. 49.* Gregorii 3 *part. Paſtoral. admonit. 22.* Ambroſii *ſerm. 81.* & aliorum PP. aſſerentium dandam eſſe eleemoſynam, & nihil de mutuo loquuntur. Cæterùm probatur authoritate D. Thomæ 2. 2. *quæſt. 66. art. 7. in corpore*, ubi aſſerit, quod diviti ſupereſt, eſſe proprium pauperis, cùm ad eleemoſynam convertere debet, & ſolùm diſpenſatio ei conceditur; quapropter quando evidens eſt neceſſitas, & utilitas, pauper non tenetur ſperare divitis diſpenſationem, ſed ut proprium valet percipere: unde conſtat divitem diſpenſare illa bona debere, ut pauperum bona, *cap. Sicut 8. in fine, diſt. 47.* ſcilicet per perpetuam translationem dominii. Sotus *lib. 4. de juſt. art. 1. ad 4.* Suarez *de charit. diſput. 7. ſect. 5. num. 2. & 5.* Becanus *dict. cap. 21. dub. 9.* Villalobos *dict. tract. 32. difficult. 3.* dicit probabilius Palao *de charit. dict. tract. 6. diſp. 2. punct. 4. num. 5.*

8 Secunda ſententia contrarium tenet. Ducitur, nam charitas nihil aliud petit, niſi ut pauper in extrema exiſtens, à periculo illo eripiatur; non autem præſcribit modum ſuccurrendi. Cùm ergo per mutuum ſufficienter ſubveniatur, ac liber à periculo remaneat, ſufficiet per illud ejus neceſſitati ſubvenire. Navarrus *dict. cap. 17. nu. 61.* Covarruv. *in regula Peccatum, 2. par. §. 1. n. 4.* Eſcobar *in Exam. tract. 5. exam. 5. num. 39.* Diana *tom. 5. reſol. 8. verſ. His non obſtantibus.* Utrumque dicit probabile Tamburinus *in Decalog. lib. 8. tract. 2. §. 2. n. 2.* Cevallos *qu. 729. n. 14.*

9 Tertia ſententia diſtinguitur; ſi enim ex bonis ſuperfluis neceſſitas extrema ſuccurritur, neceſſariò facienda eſt per liberalem donationem; ſecus autem ſi fiat ex bonis neceſſariis ad ſtatum, & in re gravis momenti; tunc enim ſufficiet facere per mutuum, ut cenſuit Aragon. relatus à Turriano *dict. diſput. 82. dub. 6. lit. D*, Valdes *de Eleemoſyna, 3. par. quæſt 4. fol. 52.*

10 Has omnes ſententias fœdere diſtinctionis componunt alii DD. inſpiciendo perſonam pauperis extremè indigentis; nam ſit tunc temporis pauper, aut egenus ſit, nec ſpereture poſtea habiturum, obligatio ſubveniendi debet fieri per liberalem donationem; ſecus autem ſi dives ſit. Verum ſi caſu ad extremam neceſſitatem perveniat, & poſteà ex ſuo labore, aut opificio reddere valet, tunc ſufficiet illi ſuccurrere per mutuum. Turrianus *dict. dub. 6.* Villalobos *dict. difficult. 3.* Mendoza. Suarez, & alii apud Dianam *dict. reſol. 5. verſ. Sed ſi aliquis*, Trullench *d. lib. 1. cap. 5. dub. 8. num. 7.*

In hoc dubio dico, quod ſi dives ſit indigens extremè, aut perſona, quæ poteſt laborare, probabiliſſima eſt ſecunda ſententia, charitati enim ſatisfit mutuando pecuniam, ut à periculo liberetur, cum ipſe habeat, aut habere poſſit ad refundendas expenſas factas, ut à periculo liberaretur. Siverò pauper ſit, nec ſperetur habiturum unde ſolvat; tunc dicendum, quod ſi res ſit parvi valoris, veluti victus dierum aliquorum, tunc liberaliter eſt dandum, ipſa charitate id exigente. Covarruv. *dict. §. 1. n. 4.* Erit ergo dubium, quando fuerit magna quantitas; Et tunc etiam admittto ſecundam ſententiam. Ratio eſt, nam quando eſt qui mutuet pauperi extremè indigenti, ut à periculo eripiatur, tunc nequit conſiderari neceſſitas extrema, ut optimè ſcripſit Cardinalis de Lugo *de Inſt. diſput. 16. ſect. 7. n. 139.* Ergo ſufficiet per mutuum ſuccurrere indigenti extremè, ut ab ea neceſſitate eripiatur. Et confirmatur, nam accipiendo mutuum, nec pauper eſt in extrema; nec in gravi. Aſt alia quælibet neceſſitas ſufficienter ſuccurritur per mutuum. Ergo ſufficienter per illud ſuccurretur, nec eſt neceſſarium, ut eleemoſyna liberaliter concedatur. 11

Unde reſolvitur proloquium illud, *In extrema neceſſitate omnia eſſe communia*, intelligendum eſſe quoad uſum, non verò quoad proprietatem; poterit enim indigens uti rebus alienis, ut à periculo liberetur, tanquam rebus inferioribus deſtinatis ad conſervandam vitam, quæ eſt majoris ordinis. Idque probatur, nam pauper nequit illa accipere, niſi eo modo, quo dives tenebatur præſtare. Cùm ergo, ut probatum eſt, ipſe non teneatur liberaliter donare, ſed tantùm dare ad uſum, vel ad mutuum cum obligatione reſtituendi, ſimiliter nec ipſe pauper aliter poteſt ſuſcipere, ut docuerunt Abbas *in cap. 3. de furt. numer. 5.* Covarr. *in dict. reg. Peccatum, 2. par. §. 1. num. 4.* Navar. *dict. cap. 17. num. 61.* Ergo non eſt intelligendum de proprietate. 12

Doctrina verò aliorum Doctorum eſt minùs probabilis, quàm relata, ut dicit Covarr. Eam tamen admitto quando res eſſet parva, quæ à divite præſtatur, vel quam ab eo ſuſcipit pauper ad ſublevandam ſuam extremam neceſſitatem, cùm res parva ex ordine charitatis liberaliter præſtari debeat, ut diximus *num. 21.* 13

Eſt tamen in re adnotanda doctrina Sanchez *dict. lib. 1. cap. 5. dub. 5. num. 49.* de Lugo *de Juſt. diſp. 16. ſect. 7. num. 168.* aſſerentium, quando datur eleemoſyna ex ſuperfluis extremè indigenti, pactum poni non poſſe, ut pauper acquirat ad reddendam illam quantitatem; ſed tantùm ut reddat, ſi nactus fuerit pinguiorem fortunam. Sed ſi detur indigenti, qui poteſt labore, & opificio acquirere, cauſam non invenio, ne pactum poni non poſſit, etiamſi ex ſuperfluis concedatur, cum ex illis bonis ſufficienter adimpleat mutuando, quia illa obligatio acquirendi, ut reddat, eſt de natura ipſius mutui *§. 1. Juſt. quibus modis re contrahatur obligatio, l. 2. §. fin. ff. Si certum pet.* Si verò ſit pauper, qui nequit laborare, nec ex aliquo officio acquirere, pactum redditur inutile; deſerviet tamen, ut ſi ex aliquo titulo ad pinguiorem fortunam deveniat, mutuum reddere teneatur; interim tamen in utroque foro ſuſpenditur obligatio, *leg. Ex diverſo, ff. de ſolut.* P. Gregorius *lib. 22. Synt. cap. 13.* Luſit Martialis ad id: 14

Sexte nihil debes, nihil debes, Sexte, fatemur;
Debet enim, ſi quis ſolvere, Sexte poteſt.

Ex dictis aliud axioma cognoſcitur, nempe in extrema neceſſitate furtum non committi: ratio communiter traditur, quia in extremis omnia ſunt communia, nec in re propria conſiderari valet furtum. Ariſt. *Ethic. cap. 5.* ait: *Nemo quæ ſua ſunt, furatur. l. 1. §. Furtum, ff. de furt.* Hæc enim ratio nobis non eſt ſufficiens, ex dictis ſupra. Quapropter aliam addidimus, ſcilicet quia furtum dici non valet, quando quis utitur re jure ad eum pertinente, *l. 1. ff. de uſu & habit. §. 1. Juſt. de uſu, & habit.* In extrema neceſſitate indigens re aliena jure utitur: Ergo nec dici valet furtum. Tum furtum eſt contrectatio rei alienæ invito domino, ideſt rationabiliter in vito; aliàs enim furtum non committitur Leſſius *de Inſt. lib. 2. c. 2. dub. 1. n. 4.* Tamburi- 15

burin. *Oper. Moral. tit. 8. ad Decalog. tract. 2. cap. 1. num. 5.* Cùm ergo accipit aliquid extremè indigens, dominus irrationabiliter sit invitus, minimè furtum committit. Quod autem irrationabiliter sit invitus, facilè probatur, quia ipse dominus id tribuere tenebatur. Ergo. Benincasius *de pauper. q. 7. speculat. 9. n. 2.* Valdes *de Eleemosyna, 3 p. fol. 67. vers. Quæritur primò*, Leoncillus *dict. 2. p. privil. 170. à n. 6.* Castillo *controvers. lib. 8. cap. 61. num. 4.* Bonacina *de Restit. disp. 2. q. 8. punct. 1. proposit. 1. nu. 1.* Navarr. *in Man. cap. 17. n. 5.*

16 Quod ita intelligendum, dummodò furans non excedat quantitatem necessariam ad sublevandam suam necessitatem, quia aliàs dominus esset rationabiliter invitus, P. Gregor. *Syntag lib. 37. c. 7. n. 7.* Cantera *q. 3. crim. de furt. cap. 8. nu. 3.*

17 Cæterùm nec id tantùm intelligendum de ipso extremè indigenti, sed etiam de alio quolibet; nam si ipse non haberet, unde extremè indigenti succurreret; & vidisset eum periclitari, rectè poterit alienum accipere, ut illius necessitati subveniret, absque aliquo furto. Navarr. *comment. 2. de Regularibus, num. 28.* Surd *de Aliment. tit. 8. privileg. 39. num. 6.* Tamburin. *d. lib. 8. c. 6. num. 4.* Poteritque cum moderamine inculpatæ tutelæ impedientem interficere. Lessius *dict. lib. 2. cap. 12. n. 69.* Verùm si ipse haberet unde indigenti succurreret, alienum arripere non posset. Vasq. *de Eleemosyna, c. 2. dub. 1.* Palao *d. tract. 6. disp. 2. punct. 9. num 3.*

18 Rursus, in re examinanda est doctrina Goffredi *in rub. de furt. num. 9.* quem refert Farinacius *de furt. 1. par. quæst. 174. num. 68.* asserentis in extrema necessitate positum, aliena posse percipere; ut tamen excusetur propter necessitatem, debere credere dominum permissurum. Sed Goffredus admittendus non est, quia ut docet Thomas 2. 2. *quæst. 66. num. 7.* ordo divinæ providentiæ ita disponit, ut res inferioris ordinis deservirent majoribus, prout bona ad vitam conservandam, quod nequit impediri per divisionem rerum: quare in specie dominus nequit impedire, ut qui extremè indiget, ex suis bonis alatur; idcircò percipiens non debet credere permissurum dominum, cùm etiam eo invito possit bona illa percipere. Cæterùm quando quis est irrationabiliter invitus, jus ipsum præstat consensum ipsius, ut actus rectè agatur, prout quando est obligatus illum præstare. Et renuit Rolandus *lib. 4. cons. 56. num. 16.* Menochius *de Arbitrariis, casu 182. num. 11.* Gratianus *discep. for. tom. 1. cap. 43. num. 41.* Cùm ergo in præsentiarum dominus teneatur præstare consensum, ut indigens extremè succurratur ex suis bonis; inde est, ut egenus iste non teneatur credere dominum permissurum, cùm jus præstet consensum ipsius Valdes *de Eleemosyna*, 3. *par. fol. 70. vers. Nec obstat.*

19 Erit tamen necessaria circumstantia illa petita à Goffredo, quando absque ulla necessitate bona alicujus percipere, & percipiens vel se à furto excusare. Nam ut eleganter ait Consultus *in l. inter omnes 46. ff. de furt. Qui putavit se hominis voluntatem attingere, fur non est, quia sine dolo fecit, sive falsò, sive verè putet: §. Placuit 6. Inst. de obligat. quæ ex delict.* ubi Pichard. *num. 30.* Homez *var. tom. 3. cap. 5. num. 5.* Quæ quidem credulitas justa debet esse, procedens ab aliqua causa probabili, unde rectè probetur, non dolo existimasse, aliàs excusatio nullius erit momenti. Pichard. *dict. §. 6. num. 31.* Farinacius *d. quæst. 174. num. 142.* Tamburinus *dict. cap. 6. num. 5.* Quod arbitrio judicantis relinquendum. Menochius *de Arbitr. lib. 2. casu 298. num. 2. & 3.*

20 Sed contra hucusque scripta adest textus *in cap. Si quis 3. de furt.* ubi si aliquis pro necessitare furatus fuerit cibaria, vel vestem, vel pecus, propter famem, aut nuditatem, ei pœnitentia injungitur per tres hebdomadas; si tamen reddiderit, non cogitur jejunare. Ergo furtum committitur, etiamsi quis in extrema necessitae aliquid subripuerit. Et confirmatur, nam necessitate, de qua agitur in illa specie, est extrema; nam erat famis, quæ vitæ certissimum periculum est, & ultimum humanorum supplicium. Livius *lib. 2. de Bell. Punico. Famem ultimum humanorum supplicium.* Hieronymus *Thren. cap. 4. Melius est occidi gladio, quàm fame tabescere.* Optimè Quintilianus *de dira fame*, ait: *Felix pestilentia, felix prædiorum strages, denique omnis mors facilis; fames aspera vitalia haurit, præcordia carpit, animi tormentum, corporis tabes, magistra peccando, dirissima necessitatum, deformissima malorum. Hæc ad humilia corpus, nobiles manus ad furta mittit. Hæc alienis pedibus mendicantes prosternit. Hæc sæpe sociorum fidem frangit. Hæc venena populis publicè dedit. Hæc in parricidium prorupit.* Refert Luc de Pena *in l. 2. C. quib. muneribus, col. 1.* Tiraquellus *de retract. lib. 1. §. 26. gloss. 1. num. 22.*

It dem in sacris Litteris dignoscitur, dum pro gravissimis delictis tanquam condignum supplicium infligitur. Ezechiel. cap. 5. *Famem congregabo, & conteram vobis vasculum panis.* Idem *cap. 14. vers. 12. & 13.* David *Psalm. 104.* Et primum peccatum fame punitum vidimus, Gen. *cap. 3.* ibi: *Maledicta terra in opere tuo, in labore vultus tui vesceris panem tuum.* Est optimus textus *in cap. Revertimini 65. 16. quæst. 1.* 21

Alia etiam necessitas nuditatis firmiter extrema dicitur, cùm nudi vivere nequeamus; quia licèt aliqui barbari nudi incedant, quorum barbariem insequuti sunt aliqui hæretici, Adamiani vocati, *cap. Quidam 39. vers. Adamiani, 24. quæst. 3.* Castro *de Hæresibus, verbo. Nuditas*: communiter tamen loquendo, ad vitam sunt necessaria vestimenta, ita ut sine eis eam conservare non possimus. Unde benè Consultus *in l. Legatis 6. ff. de Aliment. & cibar. legat.* ait: *Legatis alimentis, cibaria, & vestitus, & habitatio debebitur, quia sine his ali corpus non potest.* Quod statim agnoverunt primi patres, cùm jam morti obnoxii ob culpam edulii fructus collecti ex arbore sibi interdicta, ut se vestirent, perizomata fecerunt. *Gen. 3. vers. 6.* ibi: *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*, quibus à Domino exuti, *vers. 21. Fecit eis tunicas pelliceas, & induit eos*: pelliceas quidem, quia exuti immortalitate, induerunt mortalitatem. Origenes *homil. 6. in Levit.* D. Augustinus *lib. de Gen. contra Manich. cap. 21.* Et morerentur nostras, si vestimenta non susciperent. Quamobrem Turrecremata *in cap. Singulis 86. dist. 4. num. 3.* scripsit, extra Paradisum neminem nudum vivere posse. 22

Ex alio enim capite nuditas extrema est necessitas, quia licèt extrema non sit quo ad vitam, est tamen extrema ratione pudoris, & humanitatis, ut Adamus consideravit, excusans se à præsentia Domini, eo quòd nudus esset. *Gen. 3. vers. 10.* his verbis: *Timui, eo quòd nudus essem.* Sarmiento *de redditibus, 4. p. cap. 5. num. 4.* Solorzano *de jur. Ind. tom. 2. lib. 1. cap. 24. num. 6.* Unde difficilis fit textus ille. 23

Ut verò hanc difficultatem dissolvant DD. varia interpretamenta adduxerunt, quæ congesserunt Govarr. *in reg. Peccatum, 2. p. §. 1. num. 4.* D. Gonzalez *in d. cap. Si quis 3. de furt. num. 5.* Ast illud commune est, ut non intelligatur de extrema necessitate, sed tantùm de gravi; non enim necessitas consistit in indivisibili, sed habet latitudinem inter extremam, gravem, & communem, etiamsi sit famis, vel nuditatis: Ergo cùm in specie illius textus esset tantùm necessitas gravis, & aliena subripuisset, mitigata ordinaria pœna, per heddomadas tres pœnitere jubetur, ut est elegans textus *in cap. Fraternitatis 11. 13. quæst. 2.* Farinacius *d. quæst. 174. num. 69.* Et ita intelligunt Azorius, Sotus, & Valentia apud Barbosam *in d. cap. 3. num. 2.* Granados *2. 2. controv. 3. tom. 11. disp. 7. num. 4.* Diana *11. p. tract. 1. res. 13. vers. Non enim obstat.* Castillo *d. lib. 8. cap. 61. num. 4.* 5

Sed hæc communis interpretatio nequit admitti; nam ut posteà dicemus, *cap. sequenti*, etiam in gravi necessitate licet alienum subripere, cùm tunc dare dominus teneatur. Diana *d. res. 13.* Velasco *de Privilegiis paup. 2. p. quæst. 65. num. 22.* Ergo etiamsi textus ille intelligatur de gravi necessitate, tamen accipiens ab omni culpa est excusandus, & consequenter à pœnitentia trium hebdomadum. 22

Hoc, & aliis omissis interpretamentis, dico textum illum intelligendum de extrema necessitate, verùm pœnam illam impositam fuisse, non propter culpam, sed propter causam; illud enim in jure scitum est, ut aliquando ex causa pœnæ irrogentur, ut est in bigamia, *cap. 2. de bigamia*; & in irregularitate ex defectu lenitatis, *cap. Sine culpa, de reg. Iur. in 6.* Quando enim quis furatur in extrema, tam longè est ut culpam committat, quin potiùs culpa esset non furari. Leoncillus *d. 2. p. privileg. 170. à num. 25.* sed adest causa, nempe species culpæ, quæ fortè scandalum aliis esset, nisi aliquo modo puniretur; tum quia hoc 26

ſupplicium eſt neceſſarium, ut alii à delictis terreantur, dum viderint ſolam ſpeciem illus puniri, prout in homicidio carnali. Concilium Illiberitanum *can.* 5. Nannetenſe *can.* 18. Vormatienſe *can.* 18. Tum etiam, quia licèt iſta culpa non ſit, tamen ex eo quod publica fiat, habet crimen, ut eleganter docet Hieronymus *epiſt.* 47. his verbis: *Et ſi conſcientia criminis vulnus non habeat, habet tamen fama ſuam ignominiam.* Et Ovidius Canit:

Famaque, non facto crimine, crimen habet.

Quapropter pœna illa imponitur illi publicæ deformitati. Surdus *de Aliment. tit.* 7. *quæſt.* 16. *num* 43. Farinacius *de delict. carn. quæſt.* 141. *num.* 50. Vivius *deciſ.* 141. *num.* 50. in hoc quidem ſenſu hunc textum intelligunt Gonzalez *ibi num.* 5 D. Ferdin. Mendoza *ad Concil. Illib. lib.* 1. *cap.* 15. ubi illuſtrat ipſe Gonzalez.

27 Cæterùm in capite iſto diſquirendum, an quando quis ante neceſſitatem precariò, vel commodato, aliquid ſuſceperit, ſi ſuperveniente extrema neceſſitate conſumpſerit, teneatur poſteà reſtituere. Aliqui negant, quia tunc res illa propter neceſſitatem ſupervenientem facta fuit illius: Ergo reſtituere non tenebitur. Sotus, Aragonius, & alii relati, & ſequuti à Villalobos *d. diff.* 2. *num.* 12. Diana, qui plures dat, 5. *p. tract.* 8. *reſ.* 10. Affirmant verò alteri, ſi ad pinguiorem fortunam perveniat, quia obligatio illa extincta non fuit per neceſſitatem. Valdes *de Eleemoſyna*, 3. *p. fol.* 68. *verſ. Quintò etiam*. Palao *d. tract.* 6. *diſp.* 2. *punct.* 10. *num.* 2.

28 In re dico, duobus modis poſſe indigentem eſſe obligatum, nempe quando dominium rei translatum eſt ad ipſum, veluti in mutuo, in quo quidem caſu, ſi poſt neceſſitatem ad meliorem fortunam pervenerit, tenetur reſtituere; nam illa ſublevatio facta fuit de re propria, nec enim extremè indiget, qui ex ſuis bonis ſuccurritur. Præterea licèt obligatio illa propter ingruentem neceſſitatem ſuſpenderetur, non verò extinguitur, ſed reviviſcit, meliori fortuna ſuperveniente, ut cognoſcitur quando quis ceſſit, bonis, qui licèt pro tunc liberetur à creditoribus, attamen ſi poſteà ad pinguiorem fortunam perveniat, omnia debita ſolvere tenetur; non enim per ſuam neceſſitatem extinctæ ſunt illæ obligationes, ut docet Ulpianus bene perpenſus *in l. Quæſtionis* 6. *ff. de ceſſ. bon. l.* 1. *C. qui bon. ced. poſſ.* Menochius *de Arbitr. lib.* 2. *cent.* 2. *caſu* 183. Salgado *in Labyrint.* 2. *p. cap.* 16. *à num.* 60. Et ita cautionem præſtare tenetur. Menochius *d. caſu* 183. *num.* 20. Paz *in praxi*, 2. *p. tom* 1. *cap.* 5. *à num.* 10. Ergo ſimiliter in præſentiarum, quando propter neceſſitatem mutuum conſumpſerit, tenebitur poſteà ad meliorem fortunam perveniens debitum ſolvere. Leſſius *dicto lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 1. *num.* 18.

29 Si verò dominium non fuerit translatum utpotè in commodato, & precario, *l. Rei commodatæ* 8. *ff. Commodat. l. Officium* 9. *ff. de rei vindicat. l.* 1. *cum ſequent. ff. de præcar. cap. fin. eod. tit. l.* 9. *tit.* 2. *p.* 5. ſi res modica ſit, non tenetur reſtituere; ſecus autem, ſi magna, quia tunc ſatisfaciebat dives dando rem illam ad mutuum ipſi indigenti.

30 Quid verò ſi fur fuerit, ac ex injuſta acceptione rem apud ſe habuerit, & in extrema neceſſitate conſumpſerit, an reſtituere teneatur? Aliqui exiſtimant ad reſtitutionem non teneri; exiſtimant enim debitum illud extinctum adveniente neceſſitate, quia res illa cum dominio translata eſt ad extremè indigentem, unde nec poſteà ad reſtitutionem tenebitur. Cæterùm pro his expendi valet textus *in cap. Suggeſtum* 9. *de decim.* Ubi notatur, quod ſi res habeat tractum ſucceſſivum, non revocatur, licèt poſteà cauſa ceſſet; dummodò res ipſa habeat perfectionem. Cùm ergo ex cauſa egeſtatis rem furatam conſumpſerit fur, & ne periret, & perfecta relinquerentur conſumptio, ex nova cauſa melioris fortunæ nequit obligatio reſtituendi reconvaleſcere; & conſequenter non tenebitur ad reſtitutionem. Roſella *verbo Furtum, verſ. Pone quis.* Sylveſter *verbo Furtum*, *num.* 10. Palao *tom.* 1. *tract.* 6. *diſput.* 2. *punct.* 10. *num.* 3. Hurtado de Mendoza 2. 2. *diſput.* 159. *ſect.* 3. §. 63.

31 Aſt contrarium tenent Navarrus *dict. cap.* 17. *num.* 61. Covarr. *dict.* 2. *part.* §. 1. *num.* 4. Leſſius *dub.* 8. *num.* 68 de Lugo *dict. ſect.* 7. *num.* 179. Ducuntur *ex cap. Si quis pro neceſſitate* 3. *de furt.* ubi ſi quis furatur in extrema neceſſitate, & rem conſumpſerit; ſi poſteà reſtituat, à pœna liberatur. Ergo quia conſumpſit rem furatam in extrema neceſſitate, ad reſtitutionem tenetur. Sed contrarii dicunt, textum iſtum aſſumptum non probare, quia intelligendus eſt disjunctivè, itaut ſenſus ſit, ſive reſtituat, vel per tres hebdomadas jejunet, itaut reſtitutio pœnæ locum obtineat, non verò quod fur maneret in obligatione reſtituendi. Sed interpretamentum iſtud eſt incertum, non enim loco pœnæ reſtitutio imponitur, ſed reſtitutio ipſa tollit pœnam. Ratio eſt, nam illa imago, ſeu ſpecies furti tollitur, quando furans ipſe libenter reſtituit; cognoſcitur enim animum contrectandi non habuiſſe, qui libenter reſtituit; ſed tantùm ſuæ indigentiæ ſubvenire. Unde ſpecies furti tollitur, quæ neceſſariò debet conſiſtere in animo contrectandi vero, vel ſaltem ſuſpecto, *l.* 1. §. *Inde ſolæ*, *l. Inficiando* 67. *ff. de furt.*

Cæterùm alia ratione dicitur hæc ſententia; nam ex 32
delicto furti antecedentis orta eſt occaſio, ut res illa conſumeretur in extrema neceſſitate latronis; idcircò cum damnum ex furto provenerit, ſi fur ad meliorem fortunam perveniret, ad reſtitutionem tenebitur. Cevallos *qu.* 729. *num.* 29.

In dubio iſto animadverto, jura quæ pro utraque parte 33
adducuntur, non efficaciter ſententias illas probare. Textus *in d. cap. Suggeſtum*, non probat illam notam, quæ ab aliquibus Doctoribus adducitur; quin potiùs contrarium. Nam ut ſcribit Barboſa *ibidem*, *num.* 7. & 8. nihil aliud deducitur ex illo textu, niſi quod quando privilegium conceditur ex aliqua cauſa tacita, vel expreſſa; ceſſante cauſa, extinguitur privilegium: unde ſumitur, quod licèt obligatio reſtituendi rem furatam per extremam neceſſitatem ſuſpendatur, ex eo quod rectè fur in ſublevanda ſua neceſſitate extrema expenderit, ſi neceſſitas ceſſet, ſuperveniente meliori fortuna, tanquam cauſa ceſſante, obligatio illa reviviſcit, & conſequenter ad reſtitutionem tenebitur.

Textus *in d. cap.* 3. etiam in ordine ad reſtitutionem va- 34
ria ſuſcipit interpretamenta, ut advertit D. Gonzalez *ibi*, *num.* 5. quamobrem firmo pede ex vi illius deciſionis nihil reſolvere poſſumus. Quare, reſolvendum ex dictis ſuprà, teneri reſtituere, ſi magnam partem rei furatæ conſumpſerit, ut ſe ab extrema neceſsitate eriperet, ſi magna res ſit, & ex ea amiſſa grave nocumentum domino inferatur: ſecus ſi res ſit parva, quam teneretur dominus dare liberaliter, ſi furem in extrema neceſsitate vidiſſet, prout diximus *num.* 28.

Rurſus diſquirenda eſt alia quæſtio, an quando credi- 35
tor, & debitor ſunt in extrema neceſſitate, debitor teneatur ſolvere creditori quod illi debet. Prima ſententia affirmat, quia in eadem neceſsitate extrema creditor eſt melioris conditionis, quia habet jus ad utendum re ſua pro relevanda ſua neceſſitate, & in concurrentia duorum ille prævalet, qui potior eſt in re, *l. Quæritur*, *ff. de ſtatu hom.* ubi Scribentes. Ergo in hac ſpecie tenebitur debitor in eadem extrema neceſsitate ſolvere creditori. Cæterùm, nam licèt tempore neceſsitatis extremæ omnia ſint communia, vel communicanda, *l.* 1. §. *Cùm eadem*, *ff. ad l. Rhodiam*, Canoniſtæ *in cap. Exiit*, *de verb. ſignific. in* 6. nequit hoc intelligi quando dominus rei, & inſimul alter ſunt in extrema neceſsitate; tunc enim rei dominus eſt præferendus, quare debitor ſemper tenebitur ſolvere, etiamſi extremè indigeat. Sylveſter *verbo Reſtitutio* 5. *quæſt.* 2. Scotus *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 4. Richardus *art.* 5. *quæſt.* 4. Medina *de Reſt. quæſt.* 3. *in cauſa* 4. *ad* 4. Navarrus *c.* 17. *n.* 6.

Secuuda ſententia tenet contrarium *ex cap. Si non licet* 9. 36
23. *quæſt.* 5. ubi Auguſtinus ſcripſit minimè licere ſeipſum occidere, eſſet enim propriam adimere vitam, rem apud ſe exiſtentem alteri concedere, ex qua poterat ſuam indigentiam ſublevare, quod non licet. Cæterùm, nam in extrema neceſſitate ceſſant dominia, ac ſi minimè facta fuiſſet rerum diviſio; unde nec dominus habet jus ad petendum, nec debitor tenetur ſolvere. Ergo minimè tenebitur creditori concedere, quin potius melior erit conditio poſſidentis, *cap. In re commun*, *de reg. jur. in* 6. *l. Sabinus* 28. *ff. commun. divid. l. Per fundum*, *ff. de ſervit. ruſt.* Et ita tenent Leſſius *dict. dub.* 1. *num.* 13. Vaſquez *de Eleemoſyna*, *cap.* 1. *num.* 72. Hurtado de Mendoza 2. 2. *diſp* 159. *ſect.* 3. §. 69.

In re tamen animadvertendum eſt, quod ſi dominus rei 37
eam teneat, & extremè indigeat, nequit auferri ab alio etiam extremè indigente; habet enim dominus poſſeſſinem

nem rei, & jus interdicendi, ne alios tanto suo damno illam percipiat, idcircò nequit ab alio auferri, etiamsi extremè indigeat. Lugo *d sect. 7. num. 146.* Diana *5. p. tract. 8. res. 11. in fin.*

48 Si verò res sit apud extremè indigentem per commodatum, depositum, vel alium modum non transferentem dominium, asserunt aliqui, domino extremè indigenti restituendam; quia in eo durat præoccupationis fundamentum. Navarrus *d. cap. 17. nu. 60.* Lorca *2. 2. sect. 3. disput. 38. num. 11* Quod alteri aliter intelligunt, nempe si necessitas priùs dominum rei ursisset, qui antè à jus acquisierat, ut sibi restitueretur. Turrianus *dict. disput. 82. dub. 9. in princip.* Vasquez *de Eleemosyna, cap. 2. dub. 9. à num. 71.* Sed absolutè contrarium tenent alii, ex eo quod res facta est communis, saltem quoad usum, & est in possessione; quare non tenetur creditori concedere, ut cum Cajetano docet Lessius *d. dub. 1. num. 3.* Diana *d. resol. 11. vers. Quid ego sentiam,* Trullench *d. lib. 7. cap. 15. dub. 2. num. 6.* Palao *d. tract. 6. disp. 2. punct. 9. num. 8* Azor. *2. p. lib. 12. cap. 8. quæst. 6.*

39 Sed in re dicendum censeo, admittendam esse distinctionem Turriani, & Vasquez, considerando tempus quando necessitas inceperit; nam si prius evenerat necessitas creditoris, necessariò est eis restituenda: nam axioma illud, *in extrema necessitate omnia sunt communia*, non intelligitur, nec admittitur quando dominus est in eadem necessitate. Costa *de remediis subs. remed. 106. illat. 7. nu. 4. dub. fin.* Leoncillus *d. 2. par. privileg. 170 num. 53.* Cùm ergo jam dominus rei fuerit in extrema necessitate, antequam debitor, inde est, ut si posteà illius superveniat necessitas, nequeat res illa debitori communicari. Ergo necessariò restituenda est creditori. Si verò debitoris necessitas prior fuerit, contrarium dicendum est; nam jam est ei quoad usum communicata, idcircò rectè poterit retinere: si verò in eodem tempore ad ambos perveniat necessitas, communicabitur res, idcircò poterit retineri à debitore.

40 Ast si debitum sit alicujus rei, quæ translata est ad dominium debitoris, poterit rectè retinere, nec tenebitur restituere, quia res propria est, prout diximus de dominis suis habentibus, *n. 37.*

41 Est etiam dubium, an quando debitor rei potest propter extremam necessitatem rem sibi retinere, possit idem facere, si parentes ejus extremè indigeant, creditore in eadem necessitate existente? Negavit Azorius *d cap. 8. quæst. 6.* Sed alii affirmant, & extendunt ad patrem. Turrianus *d. dub 9. in fine*. Alii ad parentes, non autem ad fratres. Vasqu. *d. cap. 1. dub. 9. num. 74.* Lessius *d. dub 1. num. 14.* Alteri ad fratres extendunt. Diana plures referens *dict. tract. 8. resolut. 12.* Trullench *lib. 7. Decalogi, cap. 15. dub. 2. num. 15.*

42 Sed tamen quando dominium translatum est ad debitorem, tunc benè poterit succurrere parentibus, & fratribus extremè indigentibus; nam ex bonis propriis majori ratione tenetur istis succurrere quàm creditori. Ergo relicto creditore, benè poterit subvenire ex bonis debitis parentibus, & fratribus. Si verò dominium non fuerit translatum, solùm id poterit facere quando sibi potuisset succurrere, ut explicatum est. Attamen si injustè possederit, creditori est solvendum ad sublevandam ipsius necessitatem. Turrianus *d. dub. 9. litt. C*, Vasqu. *d. cap. 1. dub. 8. num. 68.*

43 Prorsus in extrema necessitate pater ad succurrendam suam necessitatem potest filios vendere, si fame opprimatur. Hoc tamen assertum duobus modis est disquirendum. In primis de jure naturali, secundo de jure positivo. Quoad primum dicendum, de jure naturali licere parentibus propter nimiam egestatem filios vendere, ut probatur Exodi capit. 21. *Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egreditur, sicut ancillæ consueverunt.* Deuteronomii capit. 15. *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa.* Quæ quidem testimonia indicant, patres habere jus vendendi filios: idque existente gravi necessitate, vel extrema, majori ratione admittendum. Ast jus istud apud Hebræos propter inopiam adesse, illa testimonia probare asserunt aliqui, quia absoluta non erat venditio, sed ad tempus; nam septimo anno ad pristinam libertatem redibant. *Jeremiæ cap. 34.* Idcircò propter inopiam patres vendere poterant filios, ut animadvertit Azorius *Inst. Mor. 2. part. lib. 2. cap. 19. quæst. 6. vers. Alterum est.*

Ad rem verò adducitur textus in Esdræ cap. *5. Filii nostri, & filiæ nostræ multæ sunt nimis, accipiamus pro pretio eorum frumentum, & concedamus, & vivamus.* Nehemiæ cap. 5. Bobadilla *lib. 3. cap 3. num. 11.* Ex quibus verbis satis colligitur, in casu necessitatis parentis jus habere de jure naturali vendendi filios, ne fame pereant. Et confirmatur, nam ut dicit de Lugo *de Just. disput. 1. sect. 1. num. 9.* parentes licèt dominium propriè in filios non habeant, habent tamen dominium eminens, vel altum, ut possint vendere filios pro sua necessitate, sicut Princeps habet dominium eminens ad vendenda bona subditorum pro gravissima necessitate Reipublicæ: unde si parentes extrema necessitate urgeantur, poterunt ex illa causa filios vendere, ut ab illa eripiantur ex jure naturali, sicut ex eodem jure Princeps potest vendere bona subditorum, ut liberet à tanto malo Rempublicam. Denique filii ex jure naturali tenentur parentes pauperes, & egenos alere, ut latè diximus *1. par. lib. 4. cap. 9.* Ergo parentes ex eodem jure poterunt eos vendere, ne fame pereant, cùm & ipsi filii ad hæc præcisa alimenta teneantur, ut pignora ipsius obligationis. Azorius *d. cap. 19. quæst. 6. vers. Alterum est.* Molina *de Just. tract. 2 disput. 33. num. 11.* Bobadilla *in Polit. lib. 3. c. 3. num. 23.* 44

De Jure verò Civili apud Romanos Romulus illam legem statuit, ut pater ter vendere potuisset filios; verumtamen trina venditione facta, sui juris efficiebantur, nec in patria potestate remanebant, teste Dionysio Halicarn. *lib. 2.* Unde lex duodecim Tabularum sic proferebat: *Si pater ter filium venumdabit, filius a patre liber esto.* Numa verò Pompilius rem temperavit, statuens ut si pater filium uxorem ducere permiserit, ampliùs eum venumdare non posset; duravit attamen venditio in aliis casibus, donec fuit interdicta ab Imperatoribus *in l. 1. Cod. de patribus, qui filios suos distraxerunt.* Explicat Covarr. *lib. 3. var. cap. 14. n. 4.* P. Gregor. *Syntag. lib. 11. c. 8. num. 12.* Azorius *d. cap. 19. num. 6.* 45

Ab hoc tamen interdicto casus exceptus est, quando pater extremè indigeret, & fame premeretur, *l. 2. Cod. de patr. qui fil. distraxerunt, l. 8. tit. 17. par 4.* Nam in tam urgente necessitate, prout est mortem patris elongare, dissonum fuisset ipsi naturali rationi, si pater venditione filii vitam redimere nequiret, quando ipse non solùm vitam, verùm esse à patre receperit. Petrus Gregor. *dict. cap. 8. n. 11.* Bobadilla *in Polit. l. 3. controv. 25. n. 76.* Surdus *de Aliment. tit. 8. privil. 38. à n. 7.* Mastrillo *de Magistrat. lib. 3. c. 10. n. 51.* Ascanius Clemens *de patr. potest. cap. ult. effect. 1. à princip.* Riccius *1. p. decis. 186. nu. 3.* Bossius *de patr. potest. c. 3. num. 5.* 46

Quod non solùm intelligas de sola venditione, sed & de permutatione, pignoratione, vel alio quolibet contractu, quo posset pater suam necessitatem sublevare. Pinellus *de bon. mater. 2. p. n. 26.* Covarr. *d. c. 14. nu. 4. vers. Secundò eodem.* Surdus *d. privileg. 38. num. 9.* Barbosa *in collect d leg. 2. C. de patrib. qui fil. distrax. n. 5. & 6.* Molina *d. disp. 33. num. 11.* Azorius *d. c. 19. qu. 6. vers. Quæres.* Bossius *d. cap. 3. num. 12.*

Est tamen dubium, an idem intelligendum sit in alia qualibet extrema necessitate, veluti quando pater captivus redderetur, vel esset necandus, aut aliquo corporis membro privandus. Et plurimi negant, nam Textus *in d. l. 2.* utitur dictione taxativa, *Tantummodò*, quæ alium casum excludit, *l. Lucius §. quæ habebat, ff. ad Trebell.* Barbosa *dict. 403.* Ergo nequit pater in alio casu necessitatis filium vendere. Cæterùm nam hæc dispositio exorbitat à jure, itaque ejus extensio facienda non est ex identitate rationis, aut majoritate illius, ut ex aliquibus scribit, & tenet Surdus *d. privileg. 48. num. 14.* Alphanus *collect. 402.* Ascanius Clemens *d. effect. 1. à num. 9.* Barbosa *in d. l. 2. num. 7.* Gregorius *in d. l. 8. glos. 1.* Sanch. *cons. lib. 1. cap. 1. dub. 13. num. 4.* 47

Alteri verò tenent contrarium, quia in similibus casibus militat eadem ratio. Ergo extensio facienda est illius legis; nihil enim differt, si pater fame, aut gladio, sive servitute moriatur. Ergo extensio illius legis facienda est ad similes casus. Rursus, ratio ipsa naturalis petit non solùm in casu famis, verùm in alio simili, ut pater habeat similem potestatem, cùm & ipse filius teneatur patrem, à morte li- 48

liberare, in quantum potuerit. Pinellus *d.2.p.n.27.*ad quem inclinat Surd. *d.n.9.in fine*, Azorius *d.c.49.q.6. verſ.Duo hic.* Molina *d.diſp.33.n.11.ad medium.* Boſſius *d. c.3.n.17. verſ. Hæc poſterior.*

49 In hoc dubio examinandus eſt Textus *in l. 1. C. de patribus qui fil. diſtraxerunt*, ibi : *Tantummodò* . Quippe adverbium illud anſam præbuit huic difficultati. Plures DD. aſſerunt in illa ſpecie alios caſus ſimiles excludere , quia eſt dictio taxativa . Addo tamen , & aliter potuiſſe probare; nam dictio illa poſita in lege continente caſum favorabilem , & pium , prout eſt alere patrem in caſu extremæ neceſſitatis , ita excludit caſus ſimiles , ut minimè ad eos extendatur . Vivius *com.opinion tom.2.lib.9. tit.34. num.64.* Benedictus Ægidius *in l.Ex hoc jure , ff. de Juſt.1.p.cap.11. num.* 39. Ergo deciſio illius Textus nequit ad caſus ſimiles extendi. Rurſus, datur diſparitas inter caſus ſimiles, & caſum famis . Nam,ut animadvertit Surdus *d.privil.38.nu.9. in fine* , mors iſta acerbior eſt quàm altera,quæ gladio , aut aliter inferretur . Ergo neutiquam extendenda ad cujus ſimiles .

50 Sed tamen contrarium teneo ; nam dictio illa *Tantummodò* , licèt taxativa ſit , non tamen excludit caſus ſimiles, in quibus adeſt eadem ratio . Barboſa *d. dict.* 403. *verſ.Includit* . Prout etiam quando ponitur taxativa , *Niſi*. Gutierrez *can. lib.1 cap.14. num.5.* Gomez *var. 1.tom cap.11. numer.* 12. Et in dictione *Tantùm* , cum pluribus Barboſa *dict.* 301. *num.* 8. quod idem tenendum , licèt diſponat in cauſa favorabili , & pietatis , ſi in ſimilibus caſibus adeſt idem favor, & pietas , nam licèt Vivius, & alii relati contrarium docere videantur , tamen intelligendi ſunt quando in caſu ſimili non adeſt idem favor, & pietas , prout in præſentiarum,quia in caſibus ſimilibus adeſt idem favor, & pietas,& ideo neceſſariò eſt extendenda . Raudenſis *de Analog. c.15.n.84.* Novarius *de privil.miſer.perſon.privil.36. num.4.* Thoro *de privileg. cauſæ piæ , privileg.216.* Denique diſparitas adducta à Surdo parvi ponderis eſt , nam licèt dira magis videatur mors famis , ut diximus *n.* 20. attamen eſt diſparitas quoad modum , non verò quod pater in aliis ſimilibus caſibus à morte non liberetur , ſi non ſuccurratur ; modus enim moriendi parvi penditur , cùm mors una ſit , ut innuit Auguſt. *in cap. Quid culpatur* 4. 23. *qu.* 1. Statius *lib.* 9 *Thebaid.*

Mille modis lethi miſeros Mors una fatigat.

Et deſcribit *lib.2. Sylvar* ſic.

Nam populus mortale genus , plebiſque caducæ ,
Quid fleat interitus ? hos bella , hos æquora poſcunt.
His amor exitio , furor his , & ſæva cupido.
Ut ſileam morbos , hos ora rigentia brumæ ,
Illos implacido lethalis Sirius igni :
Hos manet imbriferè pallens autumnus hiatu.
Quidquid habet ortum finem timet , ibimus omnes ,
Ibimus : immenſis venam quatit Æacus umbris.

Ergo cùm modus mortis non patrem ab ea eripiat,ſicut poteſt in caſu famis filium vendere, ſimiliter in aliis caſibus ſimilibus, per extenſionem hujus legis.

51 Unde admitto ſecundam ſententiam: nec textus ille probat contrariam , cujus diſpoſitio nequit dici exorbitans à jure, ſed æquiſſima, à iure, & æquitate naturali deſcendens; quamobrem facilè admittit extenſionem.

52 Cœterùm eſt aliud dubium non prætereundum , an deciſio illius textus extendatur ad matrem , ita ut poſſit in extrema neceſſitate exiſtens filios vendere . Negat communis ſententia , quia mater nequit tranſigere circa ſtatum filiorum , nec in ſervitutem redigere , *l.Tranſactione 26. C. de tranſact.* Ergo nec vendere etiam in caſu extremæ neceſſitatis . Lex tamen iſta nihil probat, quia etiam pater extra caſum ejuſdem neceſſitatis nequit tranſigere de ſtatu filii, nec in ſervitutem redigere. Rurſus ducitur hæc ſententia, nam rubrica , ſub qua conſtituta eſt lex illa , non loquitur de matribus , ſed tantùm de patribus . Ergo non eſt extendenda ad matres . Tandem hæc facultas vendendi provenit à jure illo patriæ poteſtatis , quod mater non habet. Ergo minimè mater, qualibet exiſtente neceſſitate, poterit filios vendere . Pinellus *in d. rub. 2. p. à numer. 20* Surdus *d. privileg.38. num.17.* Georgius Accatius *de privileg. parent. privileg.21. num.18.* Barboſa *d. l 2. nu. 9.* Molina *d. diſp.33. numer. 11. ad medium* . Boſſius *dict. cap. 3. num. 28.*

53 Hæc enim duo fundamenta hujus ſententiæ parum urgent , quia ex rubrica tantùm nequit efficax capi argumentum, melius tamen percipitur ex verbis , & mente ipſius legis , ac ex genuina ejus ratione contrarium probante , ut poſteà explicabimus . Aliud verò fundamentum reſponſum accipit ; nam *in d. l. 2.* nulla mentio fit patriæ poteſtatis, quapropter dicendum hanc poteſtatem vendendi filios in extrema neceſſitate, non procedere à patria poteſtate, ſed à ratione naturali dictante in tam urgenti neceſſitate parentes à filiis eſſe ſuccurrendos , etiamſi neceſſe fuerit , ut à patribus vendantur.

Idcircò contrariam admitto ſententiam . Et probatur, 54
nam ex prima , *C. de Patribus , qui filios ſuos diſtraxerunt* , loquitur expreſsè de parentibus , quod quidem verbum non ſolùm patres ſignificat , ſed matres . Gratianus *diſcept.for. tom.2. cap.* 332. *à nu.* 20. & alios aſcendentes , ut latè docet Barboſa *de Appellat. verbor. ſignif. appel.*185. Et poſteà lex 2. ponitur pro exceptione illius regulæ , quare debet reduci ad primam legem , & ſimiliter intelligi de patribus , & matribus . Rurſus quia Textus *in d. l. 2.* loquitur non ſpecificè de patribus , ſed per verbum *Si quis* , quod comprehendit maſculinum , & fœmininum ſexum , *l. hominis , ff. de verb. ſignif.* ubi notant Scribentes . Decius *tom. 1. conſ.* 338. *num.* 1. Barboſa *de Dict. dict.* 373. *num.2.* Quare Textus ille non ſolùm intelligendus de patribus, ſed etiam de matribus.Cœterùm jus iſtud non procedit à patria poteſtate,ſed à ſanguinis conjunctione,& charitate obligante filios ad parentibus ſuccurrendum ; quæ quidem ratio par eſt in matre ac in patre : unde facilis eſt extenſio . Gloſſ. *in Clement.1. de elect. verbo Exigatur* , latè per Baldum *in Auth. quas actiones , C. de Sacroſanct. Eccleſiis* , Jaſ. *in l. Emancipata , C. de collat. nu.21.* Unde hanc ſententiam admitto. Benincaſius *de paupert. q.8. 5 ſpec.de contract.n.17.* Hunnius *vol.2. diſp.18. theſ.4. q.20.* Diana *9.p. tract.7. miſcell. reſ.27.*

Hinc reſolvendum , quid de emancipato filio dicendum , 55
an patentes propter extremam neceſſitatem eum vendere poſſint? Et in his eſt ſententia, vendere eum non poſſe;nam cùm juris ſui ſit, & liberatur à patria poteſtate, nequit vendi à parentibus, etiam extremè indigentibus Pinellus *d.2.p. n.23.* Molina *d. diſp.33. nu.11.* Azorius *d. c.19. q.6. verſ. Si iterum roges .*

Sed admitto contrarium , nam jus iſtud vendendi filios 56
in extrema neceſſitate, non provenit à patria poteſtate, ſed ab obligatione alendi , & ſuccurrendi parentes : Filius verò emancipatus tenetur parentes alere , *l. Si à liberis 5. §. Sed verum , ff. de lib. agnoſcend.* ubi DD. *l. Legatum , ff. de capit. diminut.* Ergo pater eum vendere valet in extrema neceſſitate conſtitutus , ut benè conſiderat Surdus *d. privileg. 38. numer.15. in fine* , Barboſa *in d. l. 2. numer.8. in fine* .

Non tamen poterit vendere filium Clericum , nam 57
licèt in præſentiarum filius venditus non conſtituatur in propria ſervitute , ſed potiùs dicatur ſerviens , Baldus *in d. l. 2 in princip.* Surdus *d. privileg.38. num. 22.* attamen id caderet in dedecus totius ſtatus Eccleſiaſtici ; quapropter nequit à parentibus vendi . Covarr. *d cap.14. num. 4. verſ. Quarto quid.* Marta *de Iuriſdict. 4.p. caſu* 90. *à num.5.* Surdus *d. privileg.38. nu.16.* Aſcanius Clemens *d.effect.1. num.* 53. Barboſa *in d.l.2.num.8.* Sayrus *in clavi Regia , lib.9.cap. 6. num.11.*

Quod extendendum ad filium uxoratum , non quia de ju- 58
re communi liberetur à patria poteſtate,quamvis ſic de Regio, ſed propter maximum detrimentum mulieris . Azorius *d.quæſt.6.verſ.Si iterum*, Molina *d. num.11.*

Verumtamen facta filii venditione , à ſervitio liberabi- 59
tur , ſi ipſe quantitatem reſundat , quam emens acceperit , vel alius pro eo dederit ; nam cùm ipſe fuerit tantùm ad ſervitium aſtrictus pro ea quantitate , illa præſtita , neceſſariò liberabitur , *d. l.2. l.9. tit.15. p.* 4. ubi Gregorius *gloſſ.* 1. Surdus *d. privileg.38. num.29.* Nec enim emptor aliquo modo valet contradicere ne redimatur ; nam obligatio nihil aliud includit , ut cum Baldo tenet Surdus *d. num.* 29. Pater verò , ſi ad pinguiorem fortunam perveniat , debet filium redimere , aliàs verò , ſi renuerit , cogetur ad adimplendam illam obligationem ; eſt enim ei data iſta poteſtas cum onere illo , ut deducitur *ex d. l 2.* Covarr. *in d cap. 14. num. 4. verſ. Quinto ad ejuſdem legis* , Azorius *d. quæſt. 6. verſ. Si iterum* . Barboſa *in d. l 2 num.11.* Molina *d.diſp.33. num. 11. ad fin.* Quod non ſolùm reddito pretio intelligendum

dum est, verùm etiam mancipio, ut decernitur *in l. 2. in fine*, & ibi communiter Scribentes.

60 Denique licèt parens possit vendere filium ob extremam necessitatem, non tamen filius patrem; nam licèt habeat naturalem obligationem illum alendi; non ita stricta est, prout filii respectu patris, à quo esse recepit, ut cum aliquibus tenet Surdus *d. privileg. 38. num. 23.*

61 Denique in capite isto disquirendum, an pater in extrema necessitate; prout accidit quando obsides sunt in aliqua urbe, possit filium suum interficere, ut ex carne ejus alatur. Et affirmandum videtur, ex decisione textus *in l. 8. tit. 17. p. 4.* ubi asseritur, quod ex foro fideli Hispaniæ, si pater in castello obsidione prematur, possit filium comedere, potiùs quàm hosti castellum tradere. Cœterùm exemplo demonstratur, nam ut legitur 4. *Regum cap. 6 vers. 28.* obsessa Samaria, duæ mulieres pacto inito de comedendis filiis, unum interfecerunt, coxerunt, & comederunt; verùm Rex nullam illarum punivit, sed liberas reliquit. *Quod cùm audisset Rex, scidit vestimenta sua, & transibat per murum.* Signum equidem quod interficiendo filium, & comedendo in extrema illa necessitate, non deliquerant. *Jerem. cap. 4.* ibi: *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos*; prout etiam fecerunt Jerosolymis, Vespasiano urbem obsidente, aliquæ mulieres. Et apud nostrates Calagurritani à Cajo Pompejo obsessi, filios suos interfecerunt, ut comederent. Refert plura Rabisius Textor *in sua Officina, verbo Fames memorabilis, fol. mihi 150.* Unde ex his exemplis non improbatis ab Historicis, asserendum videtur, in extrema necessitate, quando aliter pater nequit periculum mortis evadere, posse filium interficere, & comedere. Valdes *de Eleemosyn. 3. p. fol. 67. num. 2.*

62 Sed tamen id non est admittendum. Ratio est, nam nunquam licet innocentem interficere. *Exod. cap. 25.* sic prohibetur: *Insontem, & justum non occides.* Idque quia est intrinsecè malum, quapropter in nullo casu licet, sicut nec blasphemia, & adulterium. Lessius *de just. lib. 2. cap. 9. dub. 7. num. 1.* Villalobos *in Summa, 2. p. tract. 12. diffic 9. num. 1.* de Lugo *de just. disp. 10. sect. 4. nuu. 1.* Quare etiam in extrema necessitate id non licebit, prout nec fornicatio, quæ nec etiam in extrema necessitate permissa est, *cap. Itane 32. quæst. 2. l. Palam 43. §. Non sit ignoscendum, ff. de ritu nupt.* Benincasius *de paupertate, quæst. 7. spec. 9. in ind. nu. 26.* Leoncillus *2 p. privileg. 170. num. 43.* Rursus lex Partitæ admittenda non est ob prædictam rationem; Nostrates enim forum illud admiserunt ex ignorantia, & nimia cum Regibus fidelitate: tum ex aliqua arrogantia, in Hispanis quasi ingenita; non verò licitè, ut ibi benè perpendit Gregorius *in d. l. 8. litt. A*, Padilla *in Auth. res quæ, C. commun. de legat.* Petrus Caballus *ref. crim. 294. num. 193. cent. 3.* Quod idem dicendum est de aliis exemplis adductis, quæ licèt verè evenerint, non tamen licitè. Bossius *d. cap. 3. num. 14.*

63 Sed dices, olim patribus concessam fuisse facultatem filios occidendi, & habuisse potestatem vitæ, necisque, prout scripsit Dionysius Halicarn. *Antiquit Rom. cap. 2.* cujus verba transcripsit Azorius *2. p. Inst. Mor. lib. 2. cap. 19. quæst. 6. vers. Tertius effectus.* Hoc enim commune habebant Romani cum Persis quod à Scythis, & posteà apud Moscovitas receptum, ut ex Sigismundo scripsit Azorius *ubi proximè, vers. Fuit hæc.* Bossius *de patria potestat. cap. 3. §. 2. num. 37.* Aliæ etiam Nationes similem potestatem habuere, prout Persæ, Celtæ, & Galli, ut referunt Dion Chrysost. *orat. 15.* Marquez *in suo Gubernatore, lib. 1. cap. 12. §. 2.* ubi probat, legem divinam nunquam talem potestatem patribus dedisse, nec hodie esse admittendam: contra Bodinum *de Republic. lib. 1. cap. 4.*

64 Id igitur Romani fecerunt propter filiorum meliorem educationem, ut perterriti periculo vitæ à patribus faciliùs erudirentur, idque diu usitatum, ut constat *ex l. in suis 11. in fine, ff. de lib. & posthumis, l. 2. ff. ad l. Corn. de Sicariis, l. fin. C. de patr. potestat.* Et de facto accidisse est textus *in l. Divus 5. ff. de lege Pompeia de parricid.* Valerius Maximus *lib. 5. cap. 8.* Azorius *ubi suprà, vers. differebat*, Petrus Gregorius *Syntag. lib. 12. cap. 8. num. 3* Fragoso *de Regimine Reipub. tom. 5. lib. 2. disput. 3. §. 2. num. 47.* Paschalis *de vir. patr. potest. 2. p. cap. 4. num. 1.*

65 Ergo cùm in patribus talis fuisset potestas vitæ, necisque filiorum, in tam gravi necessitate poterant rectè interficere illos, ut comedendo vitam conservarent. Sed tamen licèt hodie hanc potestatem admitteremus, quæ quidem jam est sublata, *l. unic. C. de his, qui parent. aut fil. occider. l. unic. in fine, C. de emendat. propinq.* Bossius *d. §. 2. num. 37. ad finem*: adhuc tamen nec pater posset filium interficere ad eum comedendum in extrema necessitate. Ratio est, nam illa potestas est data patribus, ut interficerent insontes, & innocentes liberos, sed malos, & malevolos; lex enim præsumebat, patres ex pietate naturali nihil crudele operaturos, sed tantùm contra filios pessimos, & incorrigibiles illa potestate tantùm piè, & benignè fruituros. P. Gregorius *d. c. 8. n. 3.* Quare ex illa potestate, etiam in extrema necessitate pater filium interficere non poterit.

Sed demus casum quando pater, & filius sint in eadem 66
extrema necessitate, & ambo necessariò morituri; an tunc pater poterit interficere filium; Et in hoc casu affirmandum videtur *ex d. l. 2. Cod. de patribus, qui filios suos distrax.* Quæ quidem loquitur de filiis *sanguinolentis*, quod verbum licèt recipiat plura interpretamenta, ast illud est aptius, ut intelligatur de filiis recenter natis, adhuc sanguine madentibus, ut ibi notant Gothofredus; & Covarr. *d. l. 3. cap. 10. num. 4.* Azorius *d. c. 19. quæst. 6.* Barbosa *in d. l. 2. num. 11. vers. Sanguinolentos.* Bossius *d. cap. 3. num. 7.* Quapropter intelligitur de filio ita incapaci, ut nequit alimoniam quærere, & necessariò moriturus sit simul cum patre, quo quidem casu vendere valet: Ergo interficere poterit ut comedat. Consequens probatur, nam ut scripsit Surdus *d. tit. 8. privilegio 38. num. 7.* Hæc potestas vendendi procedit ab antiqua potestate necandi filios: Ergo si vendere potest, nec est alter qui emat, & insimul moriturus est cum patre, benè poterit illum interficere, ut à periculo evadat.

Sed adhuc in hoc casu nequit interficere filium, ut co- 67
medat, etiamsi filius eadem necessitate sit moriturus; nam quando aliquid est intrinsecè malum, tenetur quis priùs pati mortem, quàm illum committere. Glossa *in cap. Quoniam, de Simonia, verb. Paupertatis.* Valdes *de Eleemosyna, 3. p. fol. 68. num. 2.* Sicut nec seipsum occidere. D. Thom. *2. 2. quæst. 64. art. 5.* Leoncillus *d. privileg. 170. n. 14.* Ergo nec occidere filium, etiamsi eadem necessitate sit moriturus.

Nec contra est textus *in d. l. 2. verb. Sanguinolentos;* nam 68
ob varias lecturas varia interpretamenta suscipit, de quibus egimus numero antecedenti. Sed quidquid sit, textus ille necessariò non est intelligendus de filiis infantibus, verùm etiam de adultis, si ipsi aliter possent se sustentare; quia in his est eadem ratio. Pinellus *d. 2. p. num. 29.* Surdus *dict. privileg. 38. num. 8.* Bossius *d. cap. 3. à num. 7.* Tum, quippe incertum est, an hæc potestas vendendi filios proveniat ab illa potestate antiqua necis, & vitæ, an ab obligatione succurrendi parentibus in necessitate constitutis, quapropter consequentia, quæ ex doctrina Surdi infertur, incertissima est, & nihil probans.

Illud verò poterit pater, aut ex filio, vel altero jam 69
occiso carnes edere ob extremam necessitatem famis. Cajetanus *2. 2. quæst. 148. art. 2.* Toletus *in Summa de septem peccatis, cap. 60. num. 3.* Navarrus *cap. 23. num. 122.* non tamen tenetur tanto horrore, & extraordinario cibo vitam conservare Tamburinus *Oper. Mor. lib. 6. cap. 2. §. 1. num. 3.* Lessius *de just. lib. 4. cap. 3. dub. 2.* Villalobos *2. par. Sum. tract. 11. diffic. 5. num. 5.* Quiquid alii dicant, etiam in extrema non licere vesci carne humana; sed dictum aliud probabilius, ut dicunt Lessius, & Villalobos, *ubi proximè* allegati. Ast semper in necessitate licebit vesci carne cruda animalium; quod alii probabiliter admittunt extra necessitatem, dummodò saluti non noceat. Diana *8. p. tract. 7. resol. 84.*

CAPUT IV.

De iis, quæ licent in gravi necessitate.

SUMMARIUM.

An liceat furari in gravi necessitate, sicut in extrema; Prima sententia negat, num. 1. Secunda affirmat, num. 2. Resolvitur, à num. 3.

Si quis tenet rem alterius, & supervenit necessitas gravis, potest eam retinere, num. 7. Fiat instantia, & respondetur, num. 8.

Di-

Diſceptatur, an quando quis in gravi neceſſitate rem alienam conſumpſerit, teneatur reſtituere ? Negant aliqui, num. 9. Sed diſtinguitur neceſſitas, num. 10.

Sed quid quando debitor, & creditor ſunt in gravi neceſſitate, an poſſit debitor retinere ? Reſolvitur prout in capite antecedenti, num. 37.

Diſquiritur, an quando vir nobilis, & honeſtus nequit ali, niſi mendicando, poſſit aliena furripere ? Affirmant aliqui : ſed contrarium ſuſtinetur, num. 12.

Agitur quæſtio, an quando pauper eſt in extrema, aut gravi neceſſitate, habeat actionem ex juſtitia ad petendum contra divitem, ut ei ſuccurrat ? Prima ſententia affirmat, num. 13. Secunda negat, ſed tantùm implorato Iudicis officio, num. 14. Tertia diſtinguit. Reſolvitur, à num. 16.

In cauſis, ubi non conceditur actio juſtitiæ, proceditur implorato officio nobilis judicis, ibid. Et id poſſunt facere pauperes, num. 17.

Sed eſt difficultas, ſi pauperes velint experiri ex actione juſtitiæ, an id poſſint ; Aliqui confusè admittunt, num. 18. Sed contrarium probatur, num. 19. Dominium nequit eſſe penes duos eodem tempore, num. 20. Explicantur lex Necare 4. de lib. agnoſcend. *& caput* Paſce, 21. diſt. 86. *num. 21.*

Quid verò ſi pauperes non implorent officium nobile Iudicis, an ex officio poſſit procedere adversùs divites, ut pauperibus ſuccurrant ? Apponuntur rationes dubitandi, num. 22. Sed reſpondetur affirmativè, num. 23.

In cauſis piis poteſt procedere judex etiam non interpellatus. Et idem in cauſis publicis, ibid.

Iudex irrequiſitus poteſt reducere ad concordiam litem inter pauperem, & divitem. Et poteſt in cauſa pauperum ſupplere irrequiſitus jus, & factum, num. 24.

Quando judex non interpellatur teneatur cogere divites ad ſublevandos pauperes, num. 25.

An divites teneantur ad quærendos pauperes ? Reſolvitur negativè, num. 26. Si tamen dubii ſint, an adſint extremæ, aut graves neceſſitates, inquirere tenentur ; ſi tamen facta diligentia ſint dubii, non teneantur, num. 27.

Dicenti ſe eſſe in extrema, aut gravi neceſſitate, non eſt credendum : quod in pauperibus trivialibus ſemper tenendum, num. 28.

Magiſtratus tenentur pauperes quærere, Epiſcopi Parochi, & alii Beneficiati, qui ex ſuperfluis tnentur dare eleemoſynam, num. 29.

1 QUid ſit gravis neceſſitas, ſuprà dictum eſt. In hoc autem capite alia circa gravem neceſſitatem agenda ſunt nobis. Et in primis, an liceat furari, ſicut in extrema, rem neceſſariam ad ſublevandam illam neceſſitatem ? Prima ſententia negat, nam ut deſumitur *ex cap. 3. de furt.* pœnitentia imponitur pro furto facto in gravi neceſſitare. Ergo licitum non eſt furari in gravi neceſſitate ; nam pœna non imponitur niſi pro culpa, *l. Si qua pœna, ff. de verb. ſignific.* D. Auguſtinus *lib. 1. retract. cap. 9.* D. Thomas 2. 2. *quæſt. 108. art. 4.* Surdus *deciſ. 77. num. 19.* Guttierr. *lib. 2. can. cap. 10. nu. 12.* Cæterùm probabile eſt in gravi neceſſitate non teneri divites eleemoſynam elargiri. Tum quia plures ſunt in gravi neceſſitate, & liberum eſt diviti, cui voluerit, eleemoſynam concedere ; quare in gravi neceſſitate conſtitutus nequit rem furripere ad ejus neceſſitatem ſublevandam. Sylveſter *verbo Furtum, nu. 5.* Navarra, qui alios dat, *de Reſtit. lib. 3. p. 4. cap. 10. dub. 3.* Navarrus *cap. 17. n. 4.* Bonacina *de Reſtit. diſp. 2. quæſt. 8. punct. 2. n. 5.* Plures apud Dianam 2. *par. tract. 3. Miſcel. reſolut. 29.* Et contrarium damnavit Innocentius XI. *propoſit. 36.* ubi Lumbier *fol. 1165.* Larra *ibi, num. 146.*

2 Secunda ſententia tenet contrarium, quia in gravibus neceſſitatibus tenetur dives dare eleemoſynam, Leoncillus *dict. 2. par. privileg. 115. num. 50.* Ergo etiamſi ab eo ſubripiatur res ad ſublevandam gravem neceſſitatem, non erit rationabiliter invitus, ac per conſequens rectè ab eo ſubripietur ad ſuccurrendam illâ neceſſitatem : dicit verum Vaſquez *de Eleemoſyna, cap. 1. dub. 7. num. 63.* Leſſius *lib. 2. de juſt. cap. 12 num. 71.* Tamburinus *Oper. Moral. lib. 8. tract. 2. §. 1. num. 2.* dicunt probabilius Palao *de charit. tract. 6. diſp. 2. punct. 9. num. 5.* Velaſco *de Privileg. pauper. 2. p. quæſt. 65. num. 22.*

Sed ſalva declaratione Pontificis, in re dicendum videtur, duobus modis poſſe quem exiſtere in gravi neceſſitate. 3
Primò, quando certò agnoverit alios plures eſſe in eadem neceſſitate, & divitem paratum ad dandam illis eleemoſynam, qui nequit omnibus ſuccurrere : & in hoc caſu nequit ſtans in gravi neceſſitate aliquid ab eo ſubripere abſque culpa, ſed tantùm poterit ſupplex rogare, ut ei ſuccurrat, quia tunc liberum eſt diviti, cui malue rit ſuccurrere; quamobrem nequit ab eo aliquid furari : quo in ſenſu rectè procedit prima ſententia, & in eo loquitur Granadus 2. 2. *tom. 11. controv. 3. diſp. 7. n. 4.* Turrianus 2. 2. *diſp. 82. dub. 8. lit. E, verſ. in hac quæſtione.*

Quid verò ſi graviter indigens id ignorat', aut ſcit, tunc temporis ad eleemoſynam ſibi præſtandam divitem teneri ? 4
Turrianus *dict. dub. 8. verſ. Tertio exiſtimo*, adhuc aſſerit, aliquid ſubripere non poſſe ; nam ſi poſſet authoritate propria ſubripere in gravi neceſſitate, quia tenetur ei præſtare eleemoſynam ; ſimiliter poſſe furari in levi, quando teneretur eam præſtare, quod dicendum non eſt Palao verò *dict. diſput. 2. punct. 10. num. 5.* tenet contrarium, nam ex eo quod pauper ſit in gravi neceſſitate, præoccupat jus accipiendi ; quapropter poteſt à divite ſubripere illam quantitatem, quam ipſe præſtare tenebatur.

Aſt in re diſtinguendum, quando neceſſitas gravis ita 5
eſt periculoſa, ut quaſi extrema cenſeatur ; vel quando quis juſtè timet ex ea ad extrema deventurum. Id accidere valet, quando ſi quis non ſublevaretur, careret eis quæ ſunt neceſſaria ad naturam, & incidenter in aliquem periculoſiſſimum morbum, vel in captivitatem, aut in infamiam. Idem dicendum, ſi in ægritudinem incideret ; quæ licèt lethalis non ſit, affert perpetuam carentiam ſanitatis. Quibus quidem in caſibus licet aliena ſubripere authoritate propria; nam ſimilis neceſſitas, quaſi extrema, vel proxima extremæ dici valet, ut cum Navarro notat Leoncill. *dict. privileg. 115. num. 50.* Ergo poterit ad illam ſublevandam aliena furari. Tum etiam, quia in his neceſſitatibus natura ipſa communicat illa, quæ ſunt neceſſaria ad conſervandam ipſam naturam, poteruntque accipi authoritate propria.

Si verò periculum adſit grave amittendi ſtatum opulen- 6
tum, vel amittendi bonam famam exiſtimationis, nobilitatis, aut doctrinæ, vel perdendi officium, ſeu dignitatem, non poterit aliena ſubripere, quia natura non hæc viſibilia produxit eo fine, ut omnes homines eſſent æquales in dignitatibus, & affluentia divitiarum, ſed tantùm ut vivere poſſent ; itaque privata authoritate in his gravibus neceſſitatibus nequit quis aliena auferre, ut docet eleganter Cardinalis de Lugo *de juſt. diſput. 16. ſect. 7. num. 154.* Et de hac neceſſitate gravi loquemur in ſequentibus.

Cæterùm ſi aliqui in gravi neceſſitate conſtitutus rem 7
alterius habuerit, interim quod durat, rectè illam attinet, nec reſtituere tenetur ; nam ſi creditor non eſt in eadem neceſſitate, tenetur illi ſuccurrere, ſaltem rem commodando : Ergo interim quod durat neceſſitas, à ſolutione, vel reſtitutione excuſabitur. Leſſius *de juſt. lib. 2. cap. 16. dub. 1. num. 15.* Bonacina *de Reſt. diſp. 1. quæſt. ult. punct. 1. propoſ. 3. num. 32.* de Lugo *de juſt. diſp. 21. ſect. 1. num. 6.* Layman *in Summa, lib. 3. tract. 2. cap. 12. num. 1. verſ. Deinde.*

Sed dices : Ergo idem dicendum quando in levi præſta- 8
re teneretur. Reſpondetur negando conſequentiam ; nam levis neceſſitas non ita premit, ut gravis, nec quod in una licet, licet in altera: nam non percipit tam grave detrimentum, nunc tam magno periculo pericilitatur ; idcircò non excuſatur à reſtitutione, aut ſolutione rei alienæ, quam detinet : tum quia levis neceſſitas faciliter alio modo ſuccurritur, quàm retinendo rem alienam invito, aut inſcio domino.

Hinc examinanda eſt doctrina aliquorum aſſerentium, 9
quod ſi aliquis ſit in extrema ; aut gravi neceſſitate, & rem alienam apud ſe exiſtentem conſumpſerit, poſteà ad reſtitutionem, aut ſolutionem non tenetur, quia dominus dare tenebatur. Sylveſter *verbo Furtum, quæſt. 5.* Angelus *eodem verbo, num. 47.* Leſſius *ubi proximè, num. 18.* Trullench *d. cap. 15. dub. 2. num. 7.* qui addit, etiamſi res fuerit in ſpecie.

Sed in hoc dubio diſtinguenda eſt neceſſitas gravis, nem- 10
pe quando eſt quaſi extrema, aut quando non, ut diximus

à n. 5. Quando enim non est quasi extrema, proculdubio tenetur, transeunte illa gravi necessitate restituere Si verò quasi extrema sit, ex dictis *c. anteced. n. 27.* idem est dicendum, quia licèt sit quasi extrema, nequit esse magis favorabilis, quàm ipsa extrema.

11 Rursus, si dominus rei sit in gravi necessitate quasi extrema, prout est ipse indigens, nequit ab ipso rem subripere, ut dicunt communiter DD. Si verò res sit apud ipsum indigentem in specie, inquiunt nonnulli, teneri restituere; secus si dominium translatum fuerit. Lessius *d. dub. 1. n. 20.* Trullench *d. lib. 7. c. 15. dub. 2. n. 10.* Sed in eo tenendum ut diximus *cap. anteced. à n. 37.*

12 Rursus disquirendum, quando vir honestus, cui dedecus est mendicare, nequeat alio modo suam sublevare necessitatem, an possit bona aliena subripere necessaria ad sublevandam ejus indigentiam? Affirmarunt aliqui apud Bañez *2. 2. q. 32. art. 7.* quibus ipse assentire videtur. Sed contrarium tenet Malderus, quem refert Diana *5. p. tract. 7. resol. 24.* & ipsum admittit, si necessitas non sit extrema, sed gravis respectu honestatis, & decoris. Ratio est, nam ista gravis necessitas non est respectu rerum necessariarum ad naturam, sed cadit tantùm ad vanam hominum æxistimationem circa honorem politicum insufficientem ad excusandum furtum rei alienæ.

13 Similiter disquirere oportet, an quando pauper est in extrema, aut gravi necessitate, & quasi extrema, habet actionem ex justitia ad petendum contra divitem, ut sibi succurrat? Prima sententia affirmat. Ducitur, nam in his necessitatibus omnia sunt communia, unde sequitur pauperem habere dominium rei *l. Servi electione 5. §. 1. ff. de servit. urb. l Pupillus 29. §. fin. de verb. significat.* Fontanella *de pact. nupt. clausul. 4. gloss. 9. nu. 5. part. 2.* Idcircò pauper sic indigens habebit actionem ex justitia, tanquam petens rem suam. Cœterùm tempore necessitatis extremæ, vel gravis, & quasi extremæ, avaritia opponitur justitiæ, alio verò tempore opponitur liberalitati Ergo in his temporibus, extremæ, vel quasi, erit actio ex justitia ad petendum contra divitem. Denique tunc temporis non subvenire indigenti, necare dicitur, *l. Necare 4. de lib. agnoscend. cap. Pasce 21. 86. dist.* quod est contra justitiam. Ergo pauperi dabitur actio ex justitia, ut in his necessitatibus sibi eleemosynam concedat, ut cum Cajetano docet Sarmiento *de Redit. 3. p. cap. 4. nu. 5.* qui contrarium dicit errorem. Spino *de testament. gloss. 6. n. 8.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 2. n. 22.* Navarr. *de Restit. lib. 3. cap. 1. à n. 344.* & alii apud Sanchez *lib. 1. cons. cap. 5. dub. 9. num. 59.*

14 Secunda sententia negat dari actionem ex justitia, sed tantùm implorato Judicis officio. Rationem dat, nam eleemosyna ex sua natura elicitur à misericordia, imperatur verò à charitate. Ast actus misericordiæ non est ex justitia. Ergo etiam in his necessitatibus non datur actio ex justitia. Cœterùm, nam pauper nequit dici creditor, nec dives debitor, sed tantùm quasi. Leoncillus *d. privileg. 115. num. 52. vers. Confert.* Ergo nulla datum obligatio ex justitia, sed tantùm implorato Judicis Officio. Denique nam si prima sententia esset vera, dives teneretur ad omnia damna sequuta pauperi ex eo quod ejus necessitati non subvenit, quod non est dicendum, ut cum Adriano probat Navarr. *in Man. cap. 24. num. 7.* Ergo nec dicendum quod in præsentiarum detur actio ex justitia, sed tantùm implorato Judicis Officio. Leoncillus *dict. num. 52.* Covarr. *lib. 3. var. cap. 14. num. 5.* Sauchez *dict. dub. 5. num. 6.* Suarez *de Charit. disp. 7. sect. 6. num. 2.* Turrianus *dict. disput. dub. 3.* Vasquez *de Eleemosyna, cap. 1. dub. 5. à nu. 37.* Palao *d. tract. 6. disp. 2. punct. 3. num. 2.* Villalobos *to. 1. Summæ, tract. 22. diffic. 2. nu. 9.* Trullench *d. lib. 1. cap. 5. dub. 8. num. 8.*

15 Tertia sententia distinguitur in bonis, quæ receperunt divisionem ex jure gentium, & in personalibus, quæ ex industria hominum efficiuntur. In primis dicit hæc sententia, actionem ex justitia competere; secus autem in personalibus. Ita Mendoza, quem refert Diana *d. 5 p. tract. 8. resol. 2. vers. Non dubium.*

16 Ut tamen hanc difficultatem dissolvamus, de jure animadvertendum, in omnibus, & quibuscunque causis actionem ex justitia non competere; non tamen sine remedio causæ aliquæ relinquuntur, etsi ex justitia actio non competat, sed implorato Judicis officio nobili expediuntur, idque jure defensionis, ne aliquis injustè opprimatur, vel ab egestate, aut periculo liberetur. Ratio est, nam ut scripsit Bart. *in l. 1. §. Parvi refert, ff. Quod vi, aut clam*, officium Judicis est defensio oppressorum; quapropter si aliquis opprimatur, etiamsi actio ex justitia ei non competat, implorato Judicis Officio succurritur. Jas. & Angelus *in §. Rursus, Inst. de actionibus*, Avendan. *de exequend. mandat. 2. p. c. 30 n. 7.* Bolanos *in Curia, 1 p. §. un. nu. 14.* Pichard. *in rub. Inst. de offic. Judicis, à num. 7.*

17 Hinc conveniunt Doctores, quod si pauper sit in extrema, aut gravi necessitate, possit implorare officium nobile Judicis, ut dives illi succurrat; idque agere poterit Judex jure defensionis, eripiendo eum ab illa necessitate, quæ habet locum actionis. Villalobos *d. diffic. 2. n. 10.* Diana *d. 5. p. tract. 8. ref. 4.* & dedecus plures *c. 1. n. 12.*

18 Erit ergo tota concertatio, an si pauper voluisset agere jure actionis ex justitia petendo contra divitem, possit facere? In quo dubio aliqui Doctorum confusè loquuntur; inquiunt enim posse id facere per actionem, implorando Officium Judicis. Gonzalez *dict. gloss. 2. à num. 21.* Velasco *de Privileg. paup. 1. p. quæst. 34. num 4. & 5.* Quòd si intelligas de Officio nobili, repugnat, quia solùm conceditur quando non est actio ad petendum, *l. Qui per collusionem 49. §. 1. ff. de act. empt. l. in causa, ff. de Minorib.* Pichard. *in dict. rub. num. 7.* Si verò intelligas de Officio mercenario, nihil aliud dicitur, nisi quod habet actionem ex Justitia; quia Officium illud solùm actioni deservit, & illa cessante cessat, *l. Ædiles 25. §. Interdum, ff. de Ædilit. Edict.* Zasius *in l. 1. ff. de jurisdict. omnium jud. nu. 8.* Horoscius *ibidem, nu. 22.* Ergo tantùm dicunt, actionem ex justitia competere.

19 Sed contrarium tenendum. Ratio est, nam eleemosyna non debetur ex aliquo contractu, vel quasi, unde oriatur obligatio ex justitia, sed tantùm in his necessitatibus ex præcepto divino, & virtute misericordiæ, ad quod potest Judex compellere, sicut ad observantiam legum, & aliorum præceptorum, ex officio suo nobili. Lorca *2. 2. sect. 3. disp. 39. membro 4. num 47.* Diana *d. 5. p. tract. 8. resol 4.* Sanch. *dict. dub. 5. n. 65.* Ergo cùm in præsentiarum nulla detur actio ex justitia, necessariò pauper debet implorare officium nobile Judicis, ut compellat divitem ad adimplendum præceptum eleemosynæ.

20 Rursus, licèt pauper in extrema, aut quasi extrema necessitate sit, bona quæ sunt apud alium, nisi sunt propria illius, habet enim tantùm jus, ut illi ad necessitatem fruatur (ut diximus) & si aliquod dominium acquirit, erit per consumptionem; antea verò nullum potest habere, aliàs daretur dominium penes duos, quod non admittitur, *l. 3. §. Ex pluribus, ff. de acquirend. possess. leg. Si ut certò 6. §. Si duobus, ff. commodat. l. Hæreditate, §. Pater, ff. de Castrensi pecul.* Surd. *cons. 126. n. 30.* Gratian. *discept. tom. 5. cap 900. nu. 18.* Idcirco licèt habeat pro se præceptum eleemosynæ sibi dandæ, non tamen actionem justitiæ ad petendum, cùm adhuc non acquisierit dominium, ut in specie cum aliquibus tenet Sanch. *d. dub. 5 n. 61.*

21 Tandem jura *in d. l. Necare, & cap. Pasce*, non propriè loquuntur de vero homicidio, sed tantùm hyperbolicè, ostendendo quàm grave sit crimen indigenti extremè, aut quasi non succurrere. Itaque asserendum, pauperem posse implorare officium nobile Judicis, non autem agere actione ex justitia, ut sibi dives subveniat, ut concludunt Sanch. *d. dub. 5. n. 68.* Trullench. *dict. c. 5. dub. 8. num. 22.* Erit tamen peccatum contra justitiam, si quis vi impediret alterum, ne indigenti præstaret eleemosynam. Turrianus *d. disp. 83. dub. 3. litt. C, vers. Sed posset*, Sanchez *in Select. disp. 42. num. 7. vers. Ad verum.*

22 Quid verò si pauper non imploret Officium nobile Judicis: Judex an possit, agnita pauperis necessitate, illud interponere, ut succurratur? Et negandum videtur ex communi regula, nempe Judicem suum officium non petentibus non posse impertire, *leg. Dices 4. Hoc autem, ff. de dam. infect. l. De pupillo 5. §. Qui opus, ff. de nov. op. nunt. cap. 1. de officio Judicis*, ubi aliquos congessit Barbosa *num. 5.* quod non solùm intelligitur quando causa est incidens, sed & si principalis. Bartol. *in l. 1. ff. de jurisdict. omnium judic. num. 12.* Bolaños *dict. 1. part. §. 11. num. 14.* Azevedus *in proœmio Recopilat. tit. 2. lib. 4. num. 14.* Paz *in Praxi, tom. 1. part. 1. tempore 4. num. 39.* Et ratio est, nam tunc interponitur ad utilitatem privatam, in qua nequit absque in-

interpellatione judex introduci . Velaſco *conſult à num....* Mantica *dec.45. à n.2.* Ergo nec introduci authoritate propria ad compellendum divitem , ut ſuccurrat pauperi , niſi ipſe pauper illum interpellaverit .

23 Sed contrarium tenendum,quia in cauſis piis Judex tenetur , ac debet procedere , etiam interpellatus ſpeciali privilegio illius, *l.Sancimus 28.§.Sed & ſi quis, ff. de adminiſtr. & rat.tut. l.Ne quidquam 9.§.Advocatos,ff.de offic. Proconſ.* ubi Advocatus tenetur pupillis indulgere , ſive id petatur , ſive non . Tiraquell. *de cauſis piis , privileg.152.* Surdus *de alim. tit.3.q.3. n.11.* Cùm ergo indulgere pauperibus ſit cauſa peſſima, Benincaſius *de paupert. q.4. principal. num.13.* Aviles *in cap. Prætorum, cap.6. n.5.* ita eſt , ut poſſit ex officio procedere ad pauperi ſuccurrendum , etiam non interpellatus . Cœterùm in ſuccurrendis pauperibus , non ſolùm illorum conſideratur utilitas , verùm totius cauſæ publicæ , & ſimul profectus exercendi pietatem , miſericordiam , & bonum animarum , *cap. Placuit 9. diſt. 90.* Vincentius Carotius *de remed. contra præjudic. ſentent. except. 132. num. 33.* in cauſis enim publicis Judex tenetur procedere , etiam non interpellatus , *l. Qui erat hæres , ff. familiæ erciſcund. cap. Cùm olim , de elect.* ubi ſcribentes . Ergo etiam in præſentiarum . Denique à ſimili probatur , quia idem obſervatur in dote , & alimentis , utpotè cauſis favorabilibus . Tiraquellus *d. privileg. 152.* Rota *tom.2.recent. p.9.dec.576.num. 2.* Caſtillo *de Aliment. lib. 8. cap. 21.* Milius *ad eumdem , cap.3. num.17.* Ergo idem eſt dicendum quando neceſſarium fuerit pauperi ſuccurrere , etiamſi dives non interpelletur , ut ex communi docet Velaſco *de privileg. pauper. 1.p.quæſt. 35. à nu. 10.* Aliàs poterit Judex puniri , ut cum Bart. notat Tiraquell. *d. privileg. 152.* Leoncill. *d. 2. privil. 295. per tot.*

24 Unde Velaſcus *d.q.35. à n 17.* ſcripſit, irrequiſitum Judicem poſſe ad concordiam litem reducere,quando pauper cum divite litigat , ne ſumptibus opprimatur , & longis ambagibus, ac ſimul gravibus dilationibus, *l.Illicitas 6.§. Ne penſiones,ff de offic.Præſid.* Tum etiam poteſt irrequiſitus in cauſa pauperis ſupplere in jure, & facto , ne opprimatur . Riccius ad Tiraquell. *d.privileg.152. verſ.idemque* , Leoncill. *d. privil.290. n.6.*

25 Sed quando Judex non interpellatus debeat , ac teneatur ſuum Officium pauperi impartiri ad pauperem ſublevandum , non eſt facilè cognoſcere , cùm neceſſitas latitudinem habeat ; tum obligatio ad dandam eleemoſynam ſub variis regulis recondatur , ut ex dictis apparet . Verùm eſt debilis caſus quando indigentia pauperis fuerit notoria , & dives divitiis affluens ; tunc enim abſque dubio Judex , etiam non interpellatus , tenetur Officium ſuum impartiri: tum & aliquando ex adminiculis factum ſupplere. Ozaſcus *deciſ.1. num 42.* Surdus *deciſ. 143. num. 4.* Similiterque præſumptiones ex officio inveſtigare , de quibus Gratianus *diſcept.foren.cap. 1. numero 13* Menoch. *lib. 1. præſumpt. qu. 52.*

26 In calce tamen hujus capitis diſquirendum , an divites teneantur ad quærendos pauperes extremè , aut graviter indigentes? In qua re illa eſt communis doctrina , non teneri ire ad Carceres , aut Hoſpitalia , ut egenis quæſitis ſuccurrant , ſed tantùm obviam occurrentibus . Ratio eſt,nam ad quæritandos pauperes nullum eſt præceptum , nec ratio concludens, ut tam grave onus imponatur . Cœterùm, nam ut ait S. Thomas *2. 2. q.33. art. 1. ad 4.* quando aliquid debemus certæ perſonæ , illam quærere tenemur. Sed hoc debitum eleemoſynæ eſt commune omnibus proximis : Ergo eos quærere non debemus. Idem S.Thomas *quodlibet.8. art.12.* Suarez *de Charit.diſp.7.ſect 1.litt.B*, qui animadvertit, bona fide procedendum, ne occaſiones proximis ſuccurrendi effugiamus. Navarr. *cap.24.n.9.* Bonacina *in 1. Præcept.Decalogi, diſp.3.q.4.punct.6.n.10.* Palao *d. tract.6. diſp.2. punct.2. num. 3.*

27 Si tamen dubius exiſtas de neceſſitate extrema , vel gravi proximi , caſu quo tenearis eleemoſynam erogare , inquirere teneberis , ne aliàs periculo peccandi te exponas . Si tamen diligentia facta , adhuc dubius exiſtas , non teneris inquirere,cùm melior ſit conditio poſſidentis, *l.Qui deſtinavit , ff. de rei vindicat. l. fin. C. eod. tit.* Tenent Sanchez *in ſelect. diſp.43.n.20.* Bonac. *d.punct.6. prop.2. nu.3.* Diana *5.p.tract.8.reſ 39.*

28 Dicenti ſe eſſe in extrema non facilè credendum,nec credere libet ex eo ſolo , quod ipſe dicat , utpote teſtis in cauſa propria . Itaque optimè Cyprianus *lib. 4. epiſt.9.* ait : *An putas eſſe majus de me meum , quàm Dei teſtimonium , cùm Dominus ipſe dicat , & doceat , teſtimonium non eſſe verum , ſi quis ipſe de ſe teſtis exiſtat , eò quòd unuſquiſque utique ſibi faveat , nec contra ſe aliquis infeſta , & adverſa depromat ? l.nullus 10. ff. de teſtib. cap. Inſuper 6. ad fin. eod. tit.* Rota *deciſ.32. num.1. de Appellat.* Milius *obſervat. 97. num. 46.* Quod maximè obſervandum in trivialibus pauperibus , qui licet dent ſigna extremæ neceſſitatis , nuditatis, & famis , tum etiam morborum , id mediatè faciunt ad movendos ſpectantes , & plurimùm ſuam indigentiam exaggerant . Malderus *2.2. quæſt 32.art.6. dub.2.verſ. Dico*, Buſembaum *lib. 2. Medull. tract. 3. c. 2. n.1.* Diana *d. tract. 8. reſol. 17.*

Aſt verò Magiſtratus, & alii Judices , quorum Reſpu- 29
blica curæ eſt , pauperes inquirere tenentur; nam id pertinet ad bonum Reipublicæ regimen . Suarez *d.ſect.1.nu 6. in fine.* Idem dicendum de Epiſcopis , quia ſunt patres pauperum , *cap.gloria 71. 12. qu.2.* Idem quoque de Parochis , ac de aliis Beneficiatis , quibus onus incumbit ſuperfluum pauperibus concedendi , ut cum aliquibus docet Bonac. *d. punct.6. prop. 2. nu.10.* Turrianus *d. diſp.82. dub.10. litt.B*, Palao *d. diſp. 2.punct.2. nu.3.* Trullench *d. cap.5. dub.9. n.2.* Avendanus *reſponſo 19. nu. 5.* Quod ſimiliter eſt dicendum de his perſonis, quarum munus eſt pauperes inquirere. Trullench *d. c.5. dub.8. n.6.*

CAPUT V.

De quibuſdam perſonis in neceſſitate conſtitutis , quibus competit privilegium , ut non conveniant , niſi in quantum facere poſſunt . Et de hoc beneficio . Elucidatur Textus *in l. Sunt qui 16. ff. de re judicat. cum ſequent.*

SUMMARIUM.

Beneficium ne quis conveniatur,niſi in quantum facere poſſit, fundatur in neceſſitate , & paupertate;idcircò probatio incumbit alleganti , num.1.

Recenſentur perſonæ hoc beneficio fruentes,quibus adjungunt aliqui eos qui carceribus ob debitum civile nequeunt mancipari ; n.2. Quid contineat hoc Beneficium , num. 3.

An per hoc beneficium alimenta debeant eſſe ſecundùm ſtatum, aut ſecundùm naturam . Aliqui affirmat debere eſſe ſecundùm naturam, n.4. Alii ſecundùm ſtatum, prout ſemper intelliguntur alimenta , aliàs ſemper pauper erit illa non habens , num. 5.

Egeſtas quid ſignificet in rigore Latino . Et quid de jure,ibid. Reſolvitur à num. 6. eſſe danda alimenta ſecundùm ſtatum , ſed minorem , num.7. & 8.

In deducendis alimentis in hoc beneficio aliqui dicunt non proprietatem eſſe conſiderandam , ſed bonorum fructus , n. 9. Alteri negant , num. 10. Reſolvitur , à num. 11.

Explicatur textus in l. Qui bonis 6. ff. de ceſſ. bon. *Et admittitur ſecunda ſententia , nu. 13. Et admittitur prima , quando bona vendenda darent uſumfructum ſufficientem ad alimenta .*

In hoc beneficio non deducitur æs alienum , num. 15. excipitur donator , num. 16.

Quid dicendum quando donator hypothecas dederit ad aſſecurandam donationem , & poſteà alia debita contraxerit . An ſit deducendum æs alienum . Negandum videtur , n.17. Sed contrarium tenendum , n.18.

Fit inſtantia, num.19. Æs alienum deducitur in taxandis alimentis . Reſpondetur , n.20.

In hoc beneficio pro tota vita ſunt decernenda alimenta . Et quomodo id fieri poſſit . n. 21.

Perſona habens artem, aut opificium , unde ſe alat , hoc beneficio non fruitur, n.22. Caput Quod ſuper his 8. de voto , *explicatur, n.23.*

Excipitur maritus non ſolitus laborare , n.25.

An debitor hoc potiatur beneficio , quando creditor inopia laborat , communiter negatur , num. 26. Contrarium verò defendit Barboſa . Explicatur lex Si maritus 43. ff.

ſo-

solut.matr. *num.*27. *& lex* facere 28.ff.eod.tit.*nu.*28 & 29.

*Resolvitur, à nu.*30.

*Et quid quando eodem tempore occurreret necessitas, tam debitori, quàm creditori. Tum alimenta necessaria secundum naturam relinquenda sunt debitori, n.*31. *&* 32.

*Et quid si creditor, licèt sit in pari necessitate, habeat patrem, aut aliam personam, à qua possit petere alimenta? Barbosa inquit, debitorem hoc beneficio fruiturum, num.*34.

Sed explicatur, ibid.

*Debitor negans qualitatem, unde hoc beneficio fruitur, eo privatur, n.*35.

Quod intellige quando dolo mendacium dixerit, nu. 36. *Purgatur ante litis contestationem, n.*37.

*An pœna ista incurratur per generalem negationem; Prima sententia affirmat, n.*38.

Secunda negat, nu. 39. *Resolvitur, à n.* 40. *Et explicatur, à nu.*41.

*Et tandem asseritur, non incurri, à n.*42.

In generali loquutione non intelliguntur alimenta, n. 43. *Nec quæ pietatem involvunt, ibid.*

*Debitor hoc beneficio privatur, si dolo egisset contra creditorem ne debitum repeteret, n.*44. *Et an tunc lata culpa sufficiat. Affirmant aliqui, n.*45. *Alteri negant, nu.* 46. *Resolvitur, à n.*47.

Explicatur textus in l.etiam 18.§. Licèt, ff. solut. matrim. *à nu.*49.

*An quando dolus committitur contra tertium, & non adversùs creditorem, perdatur hoc beneficium. Aliqui affirmant. Sed contrarium sustinetur, n.*51.

Fit instantia. Respondetur, & explicatur textus in leg. Ait Prætor 10. §. illud, ff. quæ in fraudem, *n.* 52.

An hoc beneficium possit renuntiari. Distinguitur quando ob reverentiam debetur, & quando non. Explicatur lex Alia 14. §. Eleganter, ff. solut.matr. *In primo casu negant plures, n.* 53. *Sed contrarium in omnibus defenditur, n.* 54.

*Sed an juramentum possit renuntiari. Prima sententia affirmat, nu.*56.

*Secunda negat, quando reverentia debetur, n.*57. *Sed in omnibus resolvitur negativè, n.*58.

1 CApite antecedenti egimus de necessitare gravi privatarum personarum; Idcircò placet annectere his quasdam etiam privatas personas, quibus competit beneficium ne conveniantur, nisi in quantum facere possunt, ne egeant, eo quòd necessitate, & paupertate premantur. Fundamentum enim hujus beneficii est necessitas, & paupertas personæ, cui competit; quapropter probatio illius incumbit alleganti, ut eo beneficio patiatur, tanquam basi suæ intentionis, *l.*2. *de probat.* Igitur si quis voluerit hoc frui beneficio, suam indigentiam, & paupertatem probare tenetur. Glossa *in l.Si verò*, §. *Qui pro rei*, *ff. Qui satisdar. cogantur* Barbosa *in l. Maritum* 13. *ff. solut.matr. nu.*23. *vers. Ulterius*. Costa *de remediis subs. remed.*28. *nu.* 6. Bossius *de dote, cap.*11. *§.*6. *nu.*18.

2 Personæ enim istæ numerantur ab Ulpiano *in l. Sunt qui* 16. *cum sequent. ff. de re judicat.* Sunt etenim *Socii omnium bonorum, Parens, Patronus, ejusque parentes, & liberi, Miles, Donator, Maritus, filius exhæredatus, is qui se à paterna hæreditate abstinuit, debitor qui bonis cessit, si postea aliquid acquisierit*. Pich. *in manuduct. ad praxim, 2.p.præcept.* 9. *nu.* 1. quibus adjungit *fœminas pudicam vitam agentes, Nobiles, Clericos, & Doctores;* alios quoque, qui propter debita nequeunt carceri mancipari, & generaliter qui pacto inito hoc beneficium sibi reservarunt. Animadverto tamen *nu.*2. his adjunxisse eos qui nequeunt pro debito civili carcerari, quia apud nostrates, qui hoc beneficio potiuntur, nequeunt carceribus addici. Suarez *in l.*2. *tit. de los Goviernos, q.*5. *n.* 5. Guttierrez *de Juram.*1. *p.c.*16. *num.*48. Avendanus *Resp.*8. *n.*7.

3 Quid verò contineat beneficium hoc, explicuit Consultus *in l.*173. *ff. de Regul. jur.* hisce verbis: *In condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant, d.l. Sunt qui, l. inter eos* 19. *§. fi ff. de re judicat.* Itaque habenda ratio personæ, & quibus egeat, de qua re nulla regula dari valet certa; sed id totum arbitrio judicantis relinquitur, ut habita consideratione qualitatis personæ, reservet quidquid necessarium fuerit, ut latè docet Surdus *de aliment. tit.*4. *q.*18. Baeza *de inop. debit. cap.*17. *n.*74. Menochius *lib.* 2. *de Arbitr. casu* 169. Bossius *de Alim. cap.*3 *nu.*74.

Est verò dubium, an quod per hoc beneficium relinqui- 4
tur, intelligendum tantùm sit de necessariis ad vitam secundum naturam, an secundùm statum; Et aliqui censuerunt, intelligi secundùm naturam. Duci possunt ex decisione jurium, in quibus hoc beneficium continetur quia tantùm dicunt, habendam esse rationem, ne personæ istæ egeant, quod tantùm prospicit necessaria secundùm naturam, nam si deficiant necessaria status, adhuc egere non poterunt. Egestas enim dicit omnimodam indigentiam, & necessitatem, etiam de necessariis, ut ex Plauto, & aliis colligit Calepinus *verbo Egeo, & verbo Egestas*. Ergo intelligendum est beneficium hoc tantùm de necessariis secundùm naturam. Cæterùm beneficium hoc debet intelligi strictè, non autem largè, itaut creditores grave detrimentum percipiant. Pinellus *in l.*2. *C. de rescind vendit.* 1. *p.c.*2. *n.*8. Molina *de Primog. lib.*1. *c.*24. *n.*24. Pereyra *de nominat. Emphyt. q.*21. *n.* 56. Ergo tantùm strictè est intelligendum de necessariis secundùm naturam, non verò secundùm statum. Glossa *in l. Divortio* 37. *ff. solut. matr. verb. Facere*. Angelus, Baldus, & alii *in d l. Maritus*, ubi Paulus Castrensis *nu.* 5. Baeza *de inope debit. c.*17. *n.*73. Lara *in l. si quis à liberis*, §. *Sed etsi filius, ff. de lib. agnosc. n.*28. Costa *remed.*28. *nu.* 6. Salgado *in labyr.*1. *p.c.*24. *n.*19. Donellus *lib.*27. *comment. c.*9.

Alteri tenent contrarium, scilicet non solùm hoc bene- 5
ficium continere necessaria secundùm naturam, sed & secundùm statum. Ducuntur, nam jura illa intelligenda sunt, ne similes personæ egeant secundùm statum, non verò præcisè secundum naturam. Et confirmatur, nam quoties alimenta relinquuntur, intelliguntur secundùm statum. Covarr. *Pract. cap.*6. *num.*5. *& lib.*2. *var. cap.* 1. *ex num.* 6. Bossius *de Aliment. cap.*3. *num.* 70. Ergo cùm leges istæ alimenta similibus personis relinquant, ut egeant, debent intelligi secundùm statum. Deinde, quando quis non habet necessaria ad statum, pauper est, & ei debet conferri eleemosyna, Paschalis *de virib patr. potest.*2. *p.cap.*9. *nu.*30. Tiraquellus *de Privilegiis caus. piæ, in præfat. nu.*18. Barbosa *in d.l. Maritus, num.* 6. Ergo cùm beneficium tendat, ne personæ istæ in paupertate relinquantur, necessariò debet concedere, non solùm necessaria ad naturam, sed ad statum. Denique illud verbum *Egeo*, aut *Egestas*, licèt in rigore Latino omnimodam paupertatem designet, non tamen in juris significato, quia succurrenda est secundum qualitatem personæ, ut cum Cencelino tenet Barbosa *in d.l. Maritus, nu.* 5. Ergo hoc beneficium de jure debet continere necessaria ad statum, ut cum aliquibus notat Barbosa *d. nu.*5. Pichard. *d. præcept.* 9. *à num.* 5. Mysingerus *in* §. *Item si de dote, Inst. de act. in principio*. Paschalis *d. cap.* 9. *n.* 30. Bossius *d.c.*11. *§.*6. *à n.*59. Surdus *tit.*4. *q.*18. *n.*43.

In re verò dicendum, duobus modis alimenta posse à ju- 6
re designari. In primis, miserationis causa, nulla consideratione habita ad personam ipsam; & tunc alimenta, ne egeant, debentur personis secundùm naturam. Secundò, habito respectu ad personas, quibus debentur, non solùm ex causa miserationis, sed dignitatis, & reverentiæ necessariò eis præstandæ; & in hoc casu debentur secundùm statum. Ratio, nam in primo casu tantùm inspicitur, ne persona miserabilis pereat: in secundo, ne cadat omninò ab statu, cum illius dedecore: quapropter in primo casu dantur alimenta secundum naturam, in secundo secundum statum, prout videre est quando pauper extremè indigens succurritur, & quando alimenta nobili debentur. Castill. *de Aliment lib.*8. *c.*37. *§.*1. *à n.*4.

Unde duæ illæ sententiæ adduxere sua principia. Nam 7
affirmantes, his personis deberi tantùm necessaria ad vitam, quæ hoc beneficio fruuntur, asserunt miserationis causa deberi, ut expressit Baeza *dict. cap.*17. *num.* 73. Salgado *dict. cap.* 24. *num.* 25. Alteri verò, non solùm miserationis causa, seu intuitu dignitatis, reverentiæ, aut societatis deberi asserunt, quorum sententiam admitto: nam si attentè legantur leges illæ Digestorum, tum Partitarum, ubi hæ personæ annumerantur, *l. fin. tit.* 11. *part.* 4. *leg. prima tit.*15. *par.*1. ultra miserationis causam, alium titulum invenies, ratione cuius hoc beneficium concedatur; quamobrem dicendum, his personis alimenta secundum statum

eſse relinquenda, prout cum multis tenet etiam Caſtillo *de aliment lib.8.cap.37.nu.42.*

8 Sed animadvertendum, quod licèt alimenta iſta dentur ſecundum ſtatum, intra limites illius eſt latitudo; nam ſtatus valet conſiderari in pinguiori fortuna, prout illum habent divites, qui illo fruuntur, aut oppreſſi paupertate: idque exemplo demonſtratur, nam ſi divites illius ſtatus, & conditionis æquitant, & ſerica induunt veſtimenta, & oppreſſi pedites agunt, & laneis veſtimentis cooperiuntur, alimenta iſta præſtanda ſunt ſecundùm modum oppreſſorum illius ſtatus, non verò divitum; ſunt enim ſuccurrendi prout minus jus creditoris lædatur. Barboſa *in d.leg.Maritus, nu.7.* Cancerius *1.part.cap.9. num.* 109. Boſſius *dict. §. 6. num.* 61. Guttierrez *de iuram.3. part. cap.* 15. *num* 8.

9 Cæterum in beneficio iſto illud communiter admittunt DD. ad deductionem horum alimentorum, ne perſonæ iſtæ egeant, non eſse conſiderandam proprietatem bonorum, ſed tantùm fructuum, *ex l. Qui bonis 6. de ceſſ. bonorum*, ubi cùm quæritetur, an is, qui bonis ceſſit, & aliquid acquiſierit, ad ſolvenda alia debita cogi poſſit, necne? computum fit redditurum: non autem cogitur vendere proprietatem is, qui habet beneficium, ne conveniatur, niſi in quantum facere poteſt. Ergo idem eſt dicendum in alia qualibet perſona hoc beneficium habente; quapropter ſi habita conſideratione ad fructus, non habet niſi alimenta neceſſaria, nihil ſolvet; ſi verò exceſſerint, in exceſſu nihil ex debito diminuetur. Confirmatur, nam quoties alimenta debentur, id eſt habita ratione fructuum non autem reſpectu valoris rei, ut *ex l. Imperator 50. ff. ad Trebell.* deducit Bart. Gomez *in l.10. Tauri, n.40.* ubi etiam Tellus *nu.14.* Cùm ergo in ſpecie noſtra debeantur alimenta perſonæ hoc privilegium habenti, conſideranda ſunt ratione fructuum, non verò proprietatis, prout in filio petente alimenta à patre, *l. fin. §. Filiis autem, Cod. de bon. quæ liber.* Gregorius *in leg.15.tit.10.par.5.verbo Vivir.* Guttierrez *de iuram.3.part. cap.* 15. *à num.*10. Franciſcus Marcus *deciſ.*323. *n.2.par.*1. Garcia *de Expenſis, cap.4. à n.*18. Barboſa *in l.Maritum* 13. qui pro hac opinione alios refert, num. 13

10 Verùm licèt hæc opinio communis ſit, aliqui tamen contrarium tenet; nam ſi rebus ſuis venditis poteſt debitor debita ſolvere, & ex reſiduo alimenta percipere, tenetur tunc vendere, quia reputatur habere bona ſufficientia ad ſolvendum, *l. Qui poteſt* 135. *ff. de regul. jur. cap. fin de elect.* Tum quia licèt, quando alimenta debentur, habenda ſit ratio fructuum, non proprietatis, id accipiendum quando fructus ſufficiunt, ut ipſa concedantur; non verò ſi non ſufficiant, quia tunc ad proprietatem eſt deveniendum, etiam in caſu dictæ legis *Imperator, & l fin.§. Filiis autem*, prout explicat Barboſa *in dict.l.Maritum, à num.*16. Boſſius *de Aliment.cap.*13. §.4. Quare in præſentiarum non eſt habenda ratio fructuum, ſed proprietatis, ut ſi neceſsarium fuerit, vendatur ad ſolvenda debita, & inſimul ut perſona habens hoc beneficium, alimenta percipiat, ut latè tenet Barboſa *in d.l.Maritum, à nu.* 14. Lara *in l. Si quis à liber. §. Sed ſi filius, ff. dict. lib. agnoſc. à nu.* 25. Molina *de Inſt.tract.2. diſp.* 413. *num.4. in fine*, Boſſius *de Dot.d. cap.* 11.*nu.*70.

11 In hoc dubio neceſsariò agnoſcendus eſt textus *in dict. l. Qui bonis 6. de ceſſ.bonorum*, anſam præbens huic difficultati. Nonnulli dixerunt, textum illum eſſe caſum ſpecialem, in quo cedens bonis non tenetur vendere proprium, quod poſt ceſſionem acquiſivit; idque à jure conceſſum, quia jus his pauperibus, qui bonis ceſserunt, multùm favet, quia vidimus, quod in noviter acquiſitis non condemnantur, niſi in quantum facere poſsunt. Horum tamen Doctorum non admittit ſententiam Barboſa *in dict. l. Maritum, nu.* 14. Verùm in ſpecie rectè interpretatus, quando cedens bonis aliquod modicum acquirit: quod ſi intelligas de aliquo modico alimenta, nullam habet difficultatem, minimè ab eo eſse auferendum; ſi verò de modico aliquid alimenta excedenti, ſimiliter non eſt obligandus ad vendendum; creditor enim nimis delicatus audiendus non eſt, *l. Si benè, ff. de uſuris*, & admittit *in leg. fin.Cod.qui bon. cedere poſsunt*, Barboſa *in dict. l. maritum, num.*15.

12 Ex hoc enim textu minimè probatur, perſonam habentem beneficium, ne conveniatur, niſi in id, quod facere poſſit, ratione fructuum percipere debere alimenta, non verò cogendum ad vendendum proprium, quia textus ille, ut viſum eſt, non decidit cedentem bonis, ex eo quod poſteà nequeat conveniri, niſi in quantum facere poſſit, non eſse cogendum ad vendendum; loquitur enim in diverſa ſpecie, de qua numero antecedenti.

Quapropter admitto ſecundam ſententiam; propoſitio 13
enim illa, ut alimenta concedantur ſecundùm quantitatem fructuum, non verò ſecundum proprietatem, *ex leg. Jus alimentorum, §. modum, ff. ubi Pupillus educari valeat*, Cancerius *var.1 part.cap.16.nu.* 24. Menochius *de Arbitrariis, caſu* 169. *à nu.*3. Guttierrez *lib.3. pract.quæſt.*82 *nu.*2. & alii quamplurimi recenſiti à Salgado *d. 1. part. cap.* 24. *num.*26. debet intelligi, quando per ſe ſunt ſufficientes, ut dictum eſt, vel quando bona venundari nequeunt, ex quorum uſufructu præſtanda ſunt alimenta, ut ex bonis majoratus. Salgado *dict. cap.* 24. *à nu.* 185. Aſt hìc non ſolùm agitur de præſtandis alimentis perſonæ habenti beneficium, ut non egeat, ſed de ſolvendis debitis illius, & de ſatisfaciendis creditoribus: quapropter deveniendum eſt ad vendendam proprietatem, ſi neceſsarium fuerit ad debita ſolvenda, & inſimul ut ſufficientia alimenta debitori relinquantur, quo utriuſque ſatisfit.

Sed adhuc erit locus contrariæ ſententiæ, quando bona 14
vendita non ſufficerent ad ſatisfaciendum creditoribus, & eorum tam parvi redditus perciperentur, ut ſimul cum induſtria fuiſsent neceſsari ad alendam perſonam habentem hoc beneficium: tunc enim vendenda non ſunt, ſed debitori relinquenda, ne egeat, quia ex venditione non ſatisfit creditoribus, ſed tantùm alimenta tolluntur debitori. Ergo in hac ſpecie habebit locum contraria ſententia, ut deſumitur ex Molina *dict. tract. 2. diſput.* 413. *numer.*4.

Rurſus in hoc beneficio ex bonis debitoris non extrahi- 15
tur æs alienum, ſi alii ſunt creditores, quantumvis certum ſit, ab eo extrahendum, *l. Inter eos* 19. *§. Sed etſi, ff. de re judicat. l. Ex hæredum* 49. *l. maritus* 55. *ff. Pro ſocio.* Unde ſi (verb. grat.) maritus haberet in bonis ducentia, & quinquaginta uxori deberet: alia verò quinquaginta alii creditori, integrè quinquaginta ſolvet uxori, quaſi ducenta in bonis numeraret, non deducto ære alieno alteri creditori debito: nam reſervat centum ſibi ad ſufficientia alimenta, ne egeat, ut explicat Pichard. *in dict. præcepto 9. à nu.*17. Ratio enim eſt, quia noluit lex, ut tanto damno creditor, reſpectu cujus debitor habet beneficium, ne egeat, alimenta relinquat, cujus debitum ex pura juſtitia proceſſit. Cancerius *d.1.p.c.9. n.*110. Guttierrez *de iuram. 3.part.cap.*15. *nu.*18. Myſingerus *in d. §. Si de dote, nu.* 50. Barboſa *in d.l.maritum, n.9. &* 10. Gonzalez *in cap.3. de ſolut.nu* 7.

Eſt tamen exceptus donator, qui hoc habet privilegium 16
ut æs alienum deducatur, *dict.leg. Inter eos* 19. *§. Is quoque, ff. de re iudicat. l. Exhæredatum* 49. *ff eod.* Nam ſuum debitum, propriè debitum non eſt, cùm à liberalitate proceſſerit; idcircò ratio petit, ne ex inopia propter ſuam liberalitatem donator periclitetur. Tum quia videtur exceptum à donatore, qui ad remunerandum tenetur, *l. Sed etſi 25. §. Conſuluit, de petit. hæredit.* Idcircò tenetur, ut quominus damno ſuo donationem perſolvat, deducto in primis ære alieno. Pichardus *dict. præcepto 9. nu.* 19. Cancer. *d.n.*110. Molina *de Juſtit.dict.diſp* 413.*n* 8. Boſſius *d. c.*11. *n.*63. Gonzalez *d.n* 7.

Eſt tamen caſus non prætereundus, quid nempè agen- 17
dum, quando donator ad aſsecurandam donationem hypothecas dederit, & poſteà alia debita contraxerit ſimul cum hypothecis, an tunc æs alienum poſterius ſit deducendum? Et negandum videtur, nam quoties concurrunt creditores hypothecarii, qui prior eſt tempore, potior eſt jure, *regul. Qui potior, de Regul.jur.in 6.l.Potior 11. ff.qui potior.in pign.habeantur, l.2.4.7.& 8.Cod.eod.tit.l.* 27. *&* 29. *tit.*13. *part.* 3. Donellus *cap.* 12. *de pignoribus*. Rodriguez *de Concurſu, 2.part. art.1. per tot* Ergo tunc non deducetur æs alienum, prout in aliis debitoribus hoc beneficium habentibus.

Sed tamen contrarium eſt tenendum, *ex d. l. Inter eos*, 18
§. Is quoque, aſserente in donatore æs alienum prius eſse deducendum: tum quia in hoc caſu non inſpicitur hypothecarum ratio, ſed cauſa; donatarius enim habet cauſam lucrativam, poſteriores verò creditores oneroſam: quare

licèt

licèt donatarius habeat ante eos primum jus hypothecæ, ast ratione causæ est posterior, nec poterit aliis posterioribus creditoribus anteferri, ut benè probat Guttierrez *dict cap.15.à num.20.* Molina *dict. disput.410. numer. 8. in fine.*

19 Sed dices, non solùm donator, verùm etiam alii debitores habentes hoc beneficium, debent deducere æs alienum respectu illius personæ, circa quam habent privilegium, ne egeant. Ergo, &c. Antecedens probatur, nam hoc privilegium, seu beneficium illuderetur, si æs alienum in primis non deducitur. Et ratio est, nam si, v.g. mulier non deducto ære alieno, totam dotem receperit, & alteri creditores omnes æs alienum, accidit ut maritus ad egestatem perveniat: Ergo prius æs alienum deducitur. Cæterùm, si mulier fuisset creditor solus, nec maritus haberet bona, quis negabit ex hoc beneficio esse illi relinquenda bona, ne egeat. Ast bona intelliguntur ære alieno deducto, *l. Subsignatum, §. Bona, de verb. significat. l. fin. §. Sin autem æs alienum, C. de bonis, quæ lib. l. fin. ff. de usufruct. legat.* Ergo ut bona sufficientia ei ad victum relinquantur, necessariò est deducendum æs alienum, prout quotidie fit ad taxanda alimenta. Valenzuela *cons. 156. n.12.* Salgado *d.1.p.c.24.n.118.*

20 Verùm his non obstantibus, negandum non est, ex hoc beneficio, excepto donatore, æs alienum alium debitorem extrahere non posse. Ratio est, nam à jure liberaliter ex aliquibus causis concessum est, & potuit illud concedere sub aliquibus qualitatibus, & regulis, prout fecit computando æs alienum in bonis propriis, ne cum gravi damno creditoris ad praxim adduceretur; quamobrem licèt in aliis causis bona non intelligantur, nisi deducto ære alieno, & alimenta taxentur illo dempto, in hoc beneficio contrarium est tenendum, prout à jure decretum est.

21 Erit magnoperè advertendum, alimenta esse decernenda in totam vitam, non pro aliquo tempore; & ideò Judex inspiciet ætatem, valetudinem; an minor, vel senex fuerit, unde perpendat probabiliter, quoniam tempore vivere posset, ut inde singulis annis pecuniam necessariam designet ad alimenta percipienda. Guttierrez *decis.15.nu.3.* Mysingerus *in dict. §. Si de dote, num.4.* Barbosa *in d.l. Maritum, num.10. & 11.* Molina *d.disp.413. num.4.* Bossius *d.c. 11.nu.71.*

22 Similiter non obliviscendum, quod si persona habeat artem, artificium, seu officium, ex quo vivere possit decenter, & absque aliquo dedecore, utique hoc beneficio non gaudebit. Et ratio est, nam alimenta non debentur illi, qui ex suo labore decenter vivere valet. Rota apud Farinacium *2.p.decis.470.num.5.* Decianus *lib. 2. consil.30. nu.2.* Ascanius Clemens *de patria potest. cap. 6. effect. 17. num.31.* Et loquendo de alimentis à patre filio præstandis, est lex *6.tit.19.par. 6.* Cùm ergo iste suo proprio labore vivere possit, & ali, neutiquam hoc beneficio gaudebit. Cæterum, si privilegium hoc exorbitat à jure, & involvit damnum tertii, quatenus solidum debiti non percipit, quare debet intelligi quominus creditori noceat; idcircò si persona habeat unde vivat ex artificio, aut proprio labore, eo frui non poterit. Surdus *de Aliment. tit.1.q 78.num 31.* Velasco *de Privileg. pauper. 1.part. quæst.4.§.3.numer. 145.* Costa *remed. subsid. 28. num. 7.* Barbosa *in dict. l. Maritum, num.9.* Bossius *dict. cap.11.num.66.* Guttierrez *d.3.p.cap.15. à num.5.*

23 Sed contra expenditur textus *in cap. Quod super his 8. de vot.* ubi deducunt interpretes, pauperem esse, qui ex artificio vivere potest, quapropter si legatum relinquatur pro maritandis virginibus pauperibus, etiam concedendum est, etsi ex labore suo vivere possint. Jason *in l. Si constante, ff. solut. matrim. num.151.* Maschardus *de probat. conclus.1159. nu. 38.* Grassis *in summa de Arbitr. Confess. lib.2. cap.51.n.9.* Sunt & alia exempla adducta à Barbosa *in d.leg. Maritum, nu. 10.* Ergo etiamsi persona ista ex suo labore, absque dedecore vivere possit, hoc nihilominùs beneficio gaudebit.

24 Sed hoc argumentum plures habet solutiones, quas adducit Barbosa *in d.l. Maritum, num. 11.* Ast breviter est dicendum, quemque pauperem dici posse, qui obligatus est ad se alendum ex proprio labore, ut est textus *in l.2. tit.17. p.6.* ibi: *Otro si el que fuesse tan probre, que no huviesse otro al, porque guarecer, sino por la labor de sus manos.* Itaque iste cedere bonis posset, Cravetta *cons. 199. nu.8.* quod verum est ad alias causas: quæ non sint alimentorum; in his igitur, is qui potest ali ex suo labore, pro paupere non habetur, cùm alimenta ex industria possit percipere, ut decrevit lex 2. Partic. latè Velasco *dict. qu.4. §.3. à num. 148.* Ergo cùm beneficium hoc, ne egeat, introductum fuerit ad alimenta percipienda, si ex labore, aut industria percipiat, non debet illo gaudere, prout diximus de quarta maritali, *lib.4.c.10.*

Excipiunt tamen DD. maritum non solitum labora- 25
re, cui mulier nequit obiicere, quod sit robustus, & possit absque dedecore laborare; repugnaret enim reverentiæ maritali, si illum cogeret novo modo victum quærere. Barbosa *in d.l. Maritum, num.11.* Bossius *d. c.11.n.67.* qui *num. 68.* scripsit, denegandum hoc beneficium, & in solidum conveniendum debitorem, qui consulendo, advocando, aut procuram exercendo, valet alimenta lucrari.

Quid verò si creditor sit æquè pauper, & eadem neces- 26
sitate urgeatur, disquirere oportet. Et communis est sententia, minimè in hoc casu locum huic privilegio dari; nam in pari causa præferendus est creditor, qui habet bona, quia charitas à seipso debet incipere, *l. Præses 17. Cod. de servit. & aqua.* Cæterùm persona, cui hoc beneficium competit, agit de lucro captando, ut suam sublevet necessitatem, creditor verò de damno vitando; idcircò in pari necessitate est præferendus, *ex l. Verum 12. §. fin. ff. de Minor. l. Non debet 42. §. In re obscura, ff. de reg. iur.* Denique in re propria semper dominus præfertur, ut uxor in suis bonis dotalibus, *l. Assiduis, vers. Exceptis 11. qui pot. in pig. habeantur.* Ergo creditor in pari necessitate est præferendus, taliter ut debitor nequeat frui privilegio, ne egeat. Covar. *in cap. Possessor, 3.part. §. 1. numer. 4. ad fin.* Aviles *in cap. Prætorum, cap. 18. tit. Qual convenga, num. 7.* Mysingerus *in d.§. Item si de dote, nu. 9.* Guttierrez *dict. 3.par.cap. 15. numer.4.* Cancerius *dict 1.par. cap.9. num.113.* Surdus *d.q.178.nu.34.* Bossius *d.c.11.à nu.84.* Palao *de Just.disp.9. p.20.§.3.n.3.*

Sed contra hanc communem opinionem tenet contra- 27
rium Barbosa *in d.l. Maritum, nu.97.* Et ducitur ex decisione textus *in l. Si maritus 43. ff. solut. matrim.* ubi maritus condemnatus fuit in quantum facere potest, postea mulier agnovit debitores habere, unde totam dotem solvere poterat, attamen neutiquam obligatus fuit demandare actiones, nam credita illa erant necessaria ad ejus alimenta, prout si fuissent in ejus potestate, ut ibi explicant Glossa & Duarenus, Hippolyt. Riminaldus *in princip. Inst. quibus alien. licet, nu.359.* Quod ipse Barbosa intelligit etiamsi ex non restituenda dote mulier ad inopiam vergeret. Sed intellectus iste incertus est, quia ut ipse agnoscit Paulus Castrensis *in dict. l. Si maritus, num 1.* cum Bartolo, ait illum textum intelligendum, quando mulier alia haberet bona, unde vivere posset, alias huic beneficio locus non dabitur; non enim contra pauperem datur privilegium pauperis, utpotè similiter privilegiatum: deinde reiicit verùm interpretamentum Pauli, ut divinatorium. Ast suum eadem nota inuritur, quare nihil certum ex textu illo capi valet.

Rursus pro sua opinione adducit textum *in l. Facere* 28. 28
ff. solut. matrim. ubi probatur quod si maritus non habet bona sufficientia ad dotis restitutionem, verùm mulieri aliquod ejus mandato solutum est debitum, illud in bonis mariti computari ad solvendam dotem: sed si maritus nihil habuerit in bonis præter debitum mulieris, disquiritur an locus sit huic beneficio. Et reliqui negarunt, quia tantum conceditur in hoc beneficio rei retentio, ne egeat; in præsentiarum verò erat apud mulierem, unde locus ei non erit.

Sed in aliorum opinione contrarium decisum est, quia 29
necessariò mulier debet debitum solvere, ne compensatio cum dote admittatur, quia elidetur per exceptionem hujus beneficii, *l. Quæcumque, de compensat.* Itaque dabitur locus huic privilegio, unde infert, dandum esse hoc privilegium, etiamsi mulier fuisset inopia gravata. Sed consequentia incertissima est, cùm ex illa specie inopia mulieris non probetur, quin contrarium, dum supponunt DD. isti, mulierem debitum solvere debere, ut maritus hoc beneficio frueretur, quod ab inope muliere fieri nequit, *l. non his 15. ff. de dolo, cap. olim 17. de restit. spoliat.* Leoncil-

lus *de Privileg. paup. 2. par. privileg. 73. nu. 1.* Quamobrem Barboſa ſuum placitum efficaciter non probat.

30 In re tamen recolenda ſunt, quæ diximus *cap. 3. à nu. 35.* Idcircò dicendum, quod ſi creditor tantùm aliquid promiſerit, nec tamen tradiderit perſonæ habenti hoc beneficium? & ambo ad inopiam pervenerint, tunc debitor minimè hoc beneficio fruetur, utpotè ſi mulier dotem viro promiſerit, & nedum tradiderit, tunc maritus beneficio, ne egerat, fruit non valet: ſicut etiam ſi uxor inopia laboret, habet enim jus præoccupationis, & inſimul poſſeſſionis; quare non ſunt tradendæ res illæ marito, relinquendo uxorem in eadem neceſſitate. Si verò bona dotalia habuerit tradita, & ejus neceſſitas, & inopia antea præceſſerit, quàm mulieris, rectè hoc beneficio fruetur contra mulierem poſteà inopem factam; quia propter inopiam antecedentem jus beneficii iſtius acquiſivit, quo nequit privari ob ſupervenientem mulieris neceſſitatem. Gloſſa *in l. 1. §. Si quis autem propter, ff. de itin. actuque privat.* Barboſa *in d. l. Si maritum, num 98.* Quod idem dicendum in alio quolibet creditore, ſi debitor habens hoc beneficium, prius ad inopiam perveniat, Si verò creditor priuſquam debitor, neceſſitate prematur, tunc debitor non poterit illo privilegio muniri; etenim creditor jus antecedenter habebat acquiſitum, ne contra eum concederetur, quia ſimiliter erat privilegiatus, *l. Sed ſi mulier 8. in principio, de excuſat. tut. l. Aſſiduis, verſ. in duabus, C. qui pot. in pign. habeantur.* Peregrinus *de fideicom. art. 3. nu. 70.* Caſtillo *controverſ. lib. 3. cap. 25. nu. 27.* Ergo contra eum non dabitur tale beneficium debitori.

31 Erit ergo tota concertatio, quando ambobus eadem neceſſitas adveniat eodem tempore: & in ea diſtinguenda ſunt alimenta, quæ dari poſſunt marito habenti bona dotalia, in primis illa, quæ ſunt neceſſaria ad naturam, taliter ut ſi iſta ei non concederentur, extremè, aut quaſi indigeret; & in hoc caſu hæc alimenta ex hoc beneficio ei ſunt relinquenda, quia habet jus retentionis, ne pereat, & eſt in bonorum poſſeſſione, *l. Si ſervum 91. §. Sequitur, in fin. de verb. oblig. cap. In pari, de reg. jur. in 6.* Ergo ſimilia alimenta tantùm ei ſunt relinquenda, & cætera bona creditori concedentur, ut ſuam ſublevet neceſſitatem: nec enim aliud perciperet ſecundùm ſtatum, cum tanto detrimento creditoris: ſed bona tantùm ſint ad hæc neceſſaria alimenta ſecundùm naturam, nec aliud reſtet, debitor hoc beneficio fruetur, quia habet jus retentionis. Tum eſt reverentia, & alia ſpecialis ratio hujus beneficii, quæ non invenitur in creditore, ut poſſit à debitore repetere, relinquendo eum in extrema, aut quaſi extrema neceſſitate.

32 Aliter enim poſſunt conſiderari alimenta ſecundùm ſtatum, prout diximus contineri in hoc beneficio; & iſta præſtanda non ſunt debitori, quando creditor eſt in eadem inopia; nec in hac ſpecie poteſt concedi hoc beneficium. Ratio eſt, nam crudele fuiſſet creditorem inopem relinquere, ut debitor cum ære ipſius in ſuo ſtatu relinqueretur: quo in ſenſu poſſunt intelligi Doctores aſſeverantes, in pari inopia hoc beneficium non eſſe concedendum, ut dicunt relati, nu. 26.

33 Sed quid ſi creditor, licèt ſit in pari neceſſitate, habeat patrem, aut aliam perſonam, à qua poſſit petere alimenta. In hoc caſu aſſerit Barboſa *in d. l. Maritum, nu 99.* debitorem debere frui hoc privilegio, quia licèt reſpectu propriæ neceſſitatis debeat proſpici præſens ſtatus; attamen quia habet perſonam, à qua poſſit petere alimenta, ſtatus futurus eſt conſiderandus, in quo à patre alimoniam percipiet; idcircò debitor hoc privilegio fruetur. Quod idem extendit, etiamſi debitor habuerit patrem divitem, à quo poſſit petere alimenta, prout etiam admittit Rebellus *de obligat. Iuſt. 2. p. lib. 5. q. 9. n. 7.*

34 Sed adhuc hanc ſententiam admittendam non eſſe ſcripſit Boſſius *d. cap. 11. n. 87.* Verùm enim verò fundamentum Barboſæ ſolidum non eſt. Dicendum eſt enim, præſentem ſtatum eſſe inſpiciendum, ut diximus de quarta maritali, *lib. 4. ca. 10. n. 18.* Quamobrem hæc ſolutio ſumenda eſt prout diximus de creditore inope, patrem non habente, *à numer. 30.*

35 Rurſus illud communiter eſt receptum, debitorem hoc privilegium amittere, ſi neget illam qualitatem, per quam conceditur, veluti ſi ſocius ſe ſocium neget, *l. Sed & hoc 12. §. Quod autem, leg. Si unus 68. §. fin. ff. pro ſocio.* Unde etiam communiter extendunt DD. ad maritum, & ad alias perſonas habentes hoc beneficium. Ratio eſt, nam qui negat qualitatem, ex qua beneficium, ſeu privilegium conceditur, indignus fit illius, *cap. Ex eo, de regul. jur. in 6. l. Sed etſi §. Interdum, ff. Quod cum eo, l. Si dubitet 11. §. Ita demum, ff. de fidejuſſor.* Ergo ſi negaverit debitor qualitatem, ſive ſocietatis, ſive matrimonii, ſeu paternitatis: hoc beneficio non gaudebit, ut cum aliquibus tenet Surdus *dict. tit. 1. quæſt. 78 nu. 28.* Barboſa *in dict. l. Maritum, nu. 105.* Campegius *de dot. 3. p. quæſt. 265.* Pichard. *dict. præcept 9. n. 28.* Boſſius *d. cap. 11. à n. 90.* Gonzalez *in cap. 3. de ſolut. nu. 10.*

Quod quidem intelligendum, quando dolo, vel lata culpa mendacium debitor dixerit, aliàs prædicta pœna non incurritur, *cap. 1. §. Vaſſallus*, ibi: *Ex certa ſcientia, ſi de feud. fuerit controverſia.* Pichard. *ubi proximè, nu. 29.* Boſſius *nu. 92.* 36

Sed quid, an mendacium iſtud poſſit à debitore purgari, taliter ut hoc beneficio fruatur? Et communis eſt opinio, ante litis conteſtationem pœnitentiæ locum eſſe, & veritatem dicere poſſe, quod benigna interpretatione receptum eſt, *l. Benignius 18. ff. de legibus;* quia tunc actori jus deterius factum non eſt, prout in aliis exemplis eſt textus *in leg. Quamvis 11. ff. de in jus vocando, l. De ætate 26. §. fin. ff. de interrog. act.* Quinimò etiam DD. idem recipiunt poſt litem conteſtatam, ſi adhuc actor onus negotiationis non ſubivit, niſi ſtatim mendacium probare velit; tunc enim à pœna mendacii non excuſabitur, qui tam tenax etiam poſt litem conteſtatam mendacium ſuſtinuit. Brunus *de ceſſ. bon. quæſt. 4. principal. quæſt. 20. num. 4.* Barboſa *in dict. l. Maritum, num. 106.* Pichard. *dict. præcept 9. nu. 29.* Surdus *dict. quæſt. 78. à num. 29.* Boſſius *dict. cap. 11. nu. 93. & 94.* Gonzalez *in cap. 3. de ſolut. nu. 10.* 37

Eſt tamen aliquod dubium, an pœna iſta incurratur per generalem negationem, veluti ſi debitor dicat, *Nego narrata?* Et aliqui affirmant, nam qui generaliter negat, videtur etiam negare, quæ ſpecialiter in negatione continentur, ut eſt textus *in l. Si ſine 9. §. Qui interrogatus, ff. de interrogatoriis act.* ubi interrogatus an ex parte hæres ſit, ſi dicat, *Hæres non ſum*, intelligitur etiam negaſſe ſe ex parte hæredem eſſe. Idem poterit probari *ex l. Si is qui, §. Verum, ff. de reb. eorum*, ubi ſi alicui obiiciuntur quæ fecit, ſi dicat, *Non feci*, inficiatur, & perinde, ac ſi dixiſſet, *nihil eorum feci*: quare in præſentiarum ex generali negatione, etiamſi duo petantur, nempè in ſocio omnium bonorum eſſe ſocium, & ex ſocietate teneri, ſi generaliter negaret, non ſolùm debitum, verùm etiam ſocietatem negare videtur, unde beneficio privatur. Jaſon *in l. Sicut, § Quod autem, de re judicat. numer. 12.* Pariſius *lib. 3. conſ. 100. num. 9.* Brunus *de ceſſ. 4. part. principal. quæſt. 20. num. 14.* & magis eſſe receptam opinionem, ſcripſit Felinus *in cap. Cæterùm, de judic. num. 19.* 38

Alteri contrarium tenent, nam in generali negatione non venit, quod in ſpecie veriſimiliter non negaretur, argumento textus *in l. Obligatione generali, ff. de pign. cap. fin. de offic. Vicarii in 6.* ſi enim ſocius, v.g. interrogaretur, an ſit ſocius, vel maritus, ſi eſſet illius uxoris vir, non negaret, hoc enim illa favorabile eſt: Ergo ex ſola negatione generali quis non eſt privandus hoc beneficio. Rurſus in generalitate non comprehenditur caſus, per quem negans in pœnam incideret, *l. 3. §. Si procurator, ff. Quod quiſque jur. l. Si procurator, ff. de condict. indeb.* Cùm ergo ſi ſpecialiter negetur qualitas, ex qua provenit hoc beneficium, in pœnam mendacii eo privatur; inde eſt, ut non comprehendatur in generali negatione, & ab illa pœna liberetur. Bart. *in l. Si dubitetur, §. Ita demum, in fine, ff. de fidejuſſ.* Campegius *de dot. 3. part qu 205.* Pichard. *in dict. præcept. 9. nu. 31.* Barboſa *in d. l. Maritum, n. 105. ad finem.* Boſſius *d. cap. 11. nu 92.* 39

In re tamen animadvertendum, quando adversùs debitorem habentem hoc beneficium proceditur, aliqua comprehendi, nempè perſonam, debitum, quantitatem, & alias circumſtantias. Si tamen ſpecialiter negentur omnia, non tamen illa qualitas, ex qua provenit hoc beneficium; minimè amittitur, ut eſt concors ſententia Doctorum. Surdus *d. qu. 78. num. 29.* Barboſa *in d. l. Maritum, num. 107.* Boſſius *d. cap. 11. num. 95.* Quod idem eſt dicendum in generali negatione harum circumſtantiarum, ſi in illis facta 40

non

non est mentio illius qualitatis, ex qua hoc beneficium dependit.

41 Erit tamen dubium quando etiam hæc qualitas inter alia petita includeretur; quo quidem casu, generaliter negando, videtur etiam particularia directè negare, ex juribus adductis pro prima sententia. Tum quia generalis loquutio omnia particularia directè comprehendit. Decius *cons.* 17. *num.* 17. Mantica *lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 6. Gratianus *discept. tom.* 5. *cap.* 960. *num.* 30. Et tantum operatur quasi omnia singulariter exprimerentur, *l. Si duo, in fine, ff. de administrat. tut.* Cephalus *cons.* 150. *num.* 113. Valenzuela *cons.* 19. *nu.* 6. Ergo ex sola negativa generali, persona ista privabitur hoc beneficio.

42 Sed admitto secundam sententiam ex suis fundamentis: tum etiam ratio suprà perpensa, nullius est roboris, nam generalis loquutio non comprehendit casus aliqua ratione excipiendos. Cyriacus *tom.* 4. *controvers.* 591. *nu.* 61. Itaque in generali negativa non includitur qualitas illa, ex qua provenit hoc beneficium. Et comprobatur, nam negando specialiter hanc qualitatem, amittitur tam grande privilegium, ut persona privilegiata habeat alimenta, ne egeat, quod est gravissima læsio: Sed in generali negativa non comprehenditur casus, ex quo gravis resultat læsio, *l. Cùm Aquiliana, ff. de transact. l. tres fratres, ff. de pact.* Craveta *cons.* 70. *num.* 28. Valenzuela *cons.* 78. *nu.* 52. Ergo in generali negativa non comprehenditur qualitas, ex qua hoc beneficium provenit, ac per consequens non amittitur.

43 Et confirmatur, nam in qualibet generali loquutione, seu dispositione, non comprehenduntur alimenta, tanquam privilegiata. Surdus *de Aliment. tit.* 8. *quæst.* 20. Cyriacus *tom.* 4. *controvers.* 623. *num.* 8. Beneficium istud alimenta concedit privilegiato, ne egeat. Ergo in generali negativa comprehendi nequit qualitas illa, qua negata, alimenta amittuntur. Quod pondus alia etiam ratione effici valet, nam causa hujus privilegii multam pietatem involvit, quatenus pauperi debitori succurrit; idcircò affici non valet loquutione generali, sicut alia quælibet causa pia. Tiraquellus *de causis piis, privileg.* 19. Barbosa *in l.* 1. *ff. solut. matrim.* 1. *p.* *n.* 27. Cyriacus *controvers.* 641. *n.* 20. Ergo in præsentiarum ex generali negativa persona privilegiata non est privanda hoc beneficio.

44 Deinde debitor insolidum tenetur, nec hoc beneficio fruitur, si dolo egerit, ne creditor posset insolidum suum debitum repetere: quod ita intelligendum, non propter alium dolum, sed propter illum directè tendentem; ne creditor integrè debitum percipit, ut in marito explicat Consultus *in l Etiam* 18. §. *Licèt ff. solut. matr.* & in socero *l. penult. ff. de jur. dot.* prout etiam in socio, *l. verùm* 63. *in princip. ff. pro socio.* Ratio est, nam quisque suo dolo patrocinari non debet, *l. Nec ex dolo, ff. de dolo. l.* 3. *ff. de transact. capit. Audivimus, de colluf. deteg.* Ergo nec hoc beneficio juvari, ne insolidum conveniatur. Mysingerus *in d.* § *Item si de dote*, *n.* 9. Guttierrez *d.* 3. *p. cap.* 15. *n.* 4. Picard. *d. præcepto* 9. *n.* 27. Molina *de Iust. tract.* 2. *disput.* 413. *n.* 6. Palao *de Iustit. disput.* 60. *punct.* 20. §. 3. *n.* 4. Bossius *d. c.* 11. *n.* 110. Donellus *lib.* 27. *cap.* 9.

45 In qua quidem specie disquirere oportet, an lata culpa sufficiat, ut debitor hoc beneficio privetur? Et affirmarunt aliqui, nam lata culpa in rebus alienis dolo æquiparatur; tantùm enim lata culpa dolus non existimatur in administratione rerum propriarum, *l. Si constanti* 25. §. *Si maritus, ff. solut. matrim.* Novellus *de dot.* 7 *p. quæst.* 14. Brunus *de cess.* 4. *par. principal. q.* 20. *n.* 32. Ergo cùm res non sint propriæ debitoris, lata culpa in eis æquiparatur dolo, & per consequens beneficio illo privabitur. Baldus *in capit. Quæ in Ecclesiarum, de Const. num.* 18. & Felinus *ibidem*, *num.* 67. Jason. *in l. Quod nomine, ff. de condict. indeb. col.* 2. Surdus *de Aliment tit.* 1. *quæst.* 78. *à nu.* 44. Giurba *dec.* 43. *num.* 8.

46 Sed contrarium cum aliquibus tenet Barbosa *in d. l. Maritum, num.* 102. Fundamentum illius est, quia in rebus propriis lata culpa non æquiparatur dolo: cùm ergo debitor in rebus propriis committat latam culpam, dolus non est, nec privabitur hoc beneficio. Plures dat Bossius *d. cap.* 11. *num.* 116.

47 Verùm in re animadvertendum, latam culpam duobus modis considerandam esse in hac specie. In primis, quando lata culpa committitur solùm ex desidia, vel ex alia causa, absque consilio, ne creditor solidum percipiat. Et in hoc casu Barbosæ sententiam admitto, & comprobatur *ex d. l. Etiam*, §. *Licèt*, ubi rectè Consultus asserit, debitorem maritum hoc beneficio privari, quando eo animo, & consilio egerit, ut uxor dote insolidum privetur; aliàs tamen ab eo non exigetur culpa, ut hoc beneficio privetur, ut exprimit ibi Glossa *lit. F.* Ergo quando debitor ex culpa, etiam lata sua perdiderit, nisi id egerit animo, ut creditorem à toto debito defraudet, hoc privilegio non privabitur.

Aliter verò, si lata culpa perdiderit bona, sed eo consilio, ut creditorem læderet, ne totum debitum percipere- 48
ret, in hoc casu lata illa culpa præcisè dolo æquiparatur; quia simul cum illa adest dolus fraudandi creditorem, intratque communis doctrina, ut propter dolum debitor hoc beneficio privetur, *l. Si quis dolo* 51. *in princip. l. Si rerum* 52. *ff. de re judicat. l. unic.* §. *Cùm autem*. Giurba *decis.* 43. *num.* 4. Fontanella *de pact. nupt. clausula* 7. *glos.* 3. *par.* 11. *num.* 91. Rebellus *de Iust.* 2. *part. lib.* 5. *quæst.* 9. *nu.* 11. Ergo tunc hoc beneficio non fruetur. Bossius *dict. cap.* 11. *num.* 117.

Sed contra adest textus *in d. l. Etiam*, §. *licèt*, *ver. O fi-* 49
lius, ubi probatur, quod si maritus dolo fecerit, ut res dotales interiissent, nec eo animo, ut uxorem defraudaret, adhuc hoc beneficio privabitur. Et rationem dat Barbosa *ubi proximè*, *n.* 103. quia tunc directè dolus datus est, ut res dotales periissent, unde damnum indirectè provenit, quod major est culpa, quàm si res proprias dissiparet eo consilio, ut eam à solido dotis tantùm fraudaret. Ergo similiter dicendum, etiamsi debitor animum non habuerit fraudandi creditorem à toto debito, dum tamen re ipsa sua bona lata culpa dilapidasset, unde indirectè damnum creditoris proveniisset.

Verùm textus *in d.* §. *Licèt*, ex littera ipsius facilè inter- 50
pretamentum suscipit; loquitur enim in illa specie, non de amittendo totum hoc beneficium, sed tantùm respectu illius rei, quam dolo dissipavit, non habito consilio decipiendi uxorem, ut patet ibi: *Perinde tamen eum damnandum ejus rei dotalis nomine in qua dolum feciffet*. Et est ratio, nam cùm in re ipsa dolum commisserit, in ea hoc privilegio non fruetur; punitur enim in quo deliquit, *l. sancimus, C. de pœn. c.* 2. *de his quæ fiunt à majori parte Capituli*. Explicat Barbosa *in d l. Maritum, nu.* 103. *vers. Est tamen advertendum*. Unde sequitur, quod in aliis rebus hoc beneficium competit, quia defecit animus fraudandi uxorem: idcirco relinquitur, necessarium semper esse animum fraudandi creditorem, contra quem competit hoc privilegium, ut lata illa culpa implicet dolum, ob cujus causam illo beneficio debitor privetur.

Hinc examinanda est doctrina Baezæ *de inope debitore*, 51
cap. 8. *num.* 19. *in fin.* Giurbæ *decis.* 43. *num.* 7. asserentium, propter dolum commissum contra tertium creditorem, licèt non sit ipsa persona adversùs quam competit hoc beneficium, illud amitti; & fundamentum eorum est, quia revera commisit dolum. Sed contrarium tenendum; nam, ut constat *ex d. l. Etiam*, §. *Licèt*, dolus sufficiens non est, ut hoc privilegio privetur debitor, nisi fiat animo decipiendi creditorem, advesùs quem illud competit; pœna enim ista nequit extendi ad alios diversos casus, sed tantùm ad expressos, ut est optimus textus *in l. At si quis impediat* 14. §. *Divus autem Marcus, ff. de religios. & sumpt. fun.* ibi: *Pœnam tamen in eum statutam non esse, l. Cum quidam, ff. de lib. & posth.* Glossa *in cap. fin. de jur. patr.* Marius Antoninus *var. l.* 3. *res.* 39. *n.* 11. Menochius *de Arbit. l.* 1. *cent.* 3. *casu* 276. Ergo cùm tantùm lex loquatur, si dolus committatur adversùs creditorem, in quo hoc privilegium habetur, pœna ista nequit extendi, si adversùs tertium commitatur. Baptista *de privilegiis dot. cent.* 2. *num.* 37. Barbosa *in d. l. Maritum, n.* 101. Bossius *d. cap.* 11. *n.* 111.

Sed dices, quando debitor animum fraudandi unum 52
creditorem habuerit, etiam fraudare videtur alios creditores, etiamsi ignoraverit eos habere, *l. Ait Prætor* 10. §. *illud, ff. Quæ in fraudem*. Ergo ex eo solùm, quod dolum commisserit adversùs tertium creditorem, commissum videtur adversùs personam illam, contra quam debitor habeat privilegium, ne egeat. Ad hanc difficultatem variè respondent Alex. *in d. l. Etiam*, §. *Licèt*, *ff. solut. matri* Duarenus *ibid.* Sed responsum illud admissum est, scilicet *in dict.* §. *Illud*, ideo videri debitorem in fraudem aliorum creditorum egisse, quia ignorabat eos habere; præsumit enim lex, similiter

militer eos fraudaturum, si eos cognovisset: secus autem si sciret cæteros habere creditores, & constasset, unum tantùm fraudare voluisse, prout in casu, de quo agimus, quando debitor tertium dolo fraudat, non verò personam illam, adversùs quam habet hoc beneficium, quia tunc dolus ad illam non extenditur. Barbosa *in d. l. Maritum*, *n.*101. Bossius *d.c.*11.*n.*111.

53 Deinde disquirere oportet, an hoc beneficium possit renuntiari. Et in hac disquisitione illa est communis sententia, distinguens quando debetur alicui personæ ob reverentiam, veluti marito, parentibus, aut patrono; vel ob aliam causam. In primo enim casu minimè valet renunciatio, ut est elegans textus *in l. Alia* 14.§. *Eleganter*, *ff. solut.matrim* ubi Consultus rationem reddit, nempè quia esset agere contra reverentiam debitam his personis, si convenirentur in quantum facere possent, unde contra bonos mores procederet In aliis verò casibus privilegium hoc conceditur, non favore personarum, sed actionis, vel contractus; idcircò nulla est causa, ne hoc beneficium renuntiari possit. Explicant Glossa *in dict.* §. *Eleganter*, *verbo Negat.* Surdus *dict tit.*1.*quæst.*78 *nu.*55. Pich. *in d.præcept.* 9.*numer.* 37. Giurba *decis.* 42. *num.* 9. Franchis 1. *part. decis.*164. *nu.* 16. & 17. Rota 2 *p. recent. decis.*485. *num.*4. Marta *de jurisdict.* 4.*p.cent.*2.*casu* 186. *nu.*4. Castillo *lib.*8. *cap.*37. *n.*11.

54 Sed tamen absolutè affirmandum censeo, etiam omnes personas habentes hoc privilegium, illi renuntiare non posse. Idque in primis probo *ex dict.*§. *Eleganter*, ubi dicit Consultus, maritum renuntiare non posse huic beneficio. Et Pomponius reddit rationem, quia est contra bonos mores. Ulpianus autem aliam reddit rationem. *Melius est dicere quippè, cùm contra receptam reverentiam, quæ maritis exhibenda est.* Non enim Ulpianus improbat rationem, quam Pomponius præstiterat, sed aliam magis urgentem addit: propter secluśa reverentia mariti, renuntiatio ista est contra bonos mores. Ergo non solùm non debet sustineri, quando renuntiatur ab his personis, quibus reverentia debetur, sed etiam ab aliis.

55 Quod verò renuntiatio ista sit contra bonos mores, probatur: nam opponitur juri naturali, secundùm quod quisque tenetur in egestate alimenta necessaria quærere ad conservandam vitam, quando nequit laborare, nec alio modo ad alimoniam quæritare, prout in casu quando hoc remedium conceditur, diximus num. 21. & in transactione scripsit Surdus *de Aliment.tit.*8. *privileg.*56. *num.* 60. Unde perpenditur, talem renuntiationem, utpotè factam contra bonos mores naturales, subsistere non posse, etiamsi fiat ab aliis personis, quibus reverentia non debetur: & confirmatur; nam inquiens Consultus, talem renuntiationem esse contra bonos mores, semper intelligitur contra naturales, *l. Stipulatio*, *ff. de verb.oblig.* & ibi notat Barbosa *in d.l. Alia*, §. *Eleganter*, *nu.* 17. Idcircò in præsentiarum nequit sustineri in omnibus personis habentibus hoc beneficium, utpotè repugnans juri naturali, prout etiam nequeunt renuntiari alimenta à filio. Castillo *lib.*8.*controvers.* *c.*37.*n.* 28.& 29.

56 Unde resolvenda est quæstio illa, an juramento renuntiari possit tale beneficium; Et in personis, quibus reverentia non debetur, illa est explorata conclusio, ut fieri validè possit. Et ratio est, quia valet talis renuntiatio in his personis ex sola voluntate. Ergo multò magis cum juramento. Bossius *dict.cap.* 11.*à n.* 122. Est ergo difficultas in aliis, quibus reverentia debetur. Et prima sententia asserit, maritum, seu patronum, cum juramento huic beneficio renuntiare posse, quia id non tendit in animæ dispendium; quapropter tenebuntur renuntiationem illam servare, *cap Cùm contingat*, *de jurejur. cap. Quamvis pactum de pact.in* 6. Rursus, nam renuntiatio ista est contra bonos mores civiles, non autem naturales, quapropter juramentum est observandum: jus enim civile potest tollere obligationem civilem, non autem illam factam Deo per juramentum. Denique quando ipse maritus renuntiat huic beneficio, nihil fit contra reverentiam cùm renuntiet beneficio ob reverentiam debito ab ipsa muliere. Ergo nulla est ratio, ut renuntiatio ista juramento vallata, non sustineatur. Surdus *dict.tit.*1 *privileg.* 78. *nu.* 26. Menchaca *de succes. credit.*§.28.*n.*28. Guttierrez *de iur.*1.*par.cap.*16.*nu.*49. Fontanella *de pact.nupt.claus.*7.*glos.* 3.*par.*11.*à n.*59. Rota 2.*p. rec. dec.*485.*n.*2. Bossius *d.cap.*11.*n.*131. qui *nu.*132. asserit, valere talem renuntiationem, non solùm si expressè huic beneficio renunciaverit, sed etiamsi generaliter omnis juris auxilio, & cum juramento.

Secunda sententia tenet contrarium, *ex dict.*§. *eleganter*, 57
nam reverentia illa, quæ marito debetur, est juxta bonos mores naturales, quia de jure naturali est ei debita; sicut parentibus, & patronis: & si contra eam agatur, quamvis ei maritus renuntiet, adhuc si casus egestatis eveniat, mulier contra reverentiam ageret, si insolidum illum conveniret pro dote. Ergo nequit renuntiatio illa juramento firmari, *ex cap. Non est obligatorium*, *de reg. iur. in* 6. Cæterùm juramentum non est observandum, si dispendium animæ interveniat: quod non solùm intelligans, si adsit culpa lethelis, sed etiamsi venialis intercedat. Covarruv. *in cap. Quamvis pactum*, 1.*part.*§.6.*nu.*6. Barbosa *in d.* §. *Eleganter*, *n.* 30. *ad med.* Si enim mulier maritum in egestate reliquerit, & hoc beneficio etiam jurato privaverit, venit contra reverentiam, & honestatem, & ad minus venialiter peccando. Ergo neutiquam erit illud juramentum observandum, unde anima mulieris dispendium suscipit. Bart. *in dict.*§. *Eleganter*, Gomez *in l.* 53. *Tauri*, *n.* 49. Baeza *de inope debit.cap.*17. *num.* 37. Pichard. *dict. præcept.* 9. *num.* 27. Barbosa *in dict.* §. *Eleganter*, *à numer.* 27. Galleratus *de renunt.*2.*part.recent.*182. *à num* 9. dici communem Fontanella *dict.part.*11.*num.*61. Palao *dict.disp.*9.*punct.*20.§.3. *num.*1.

Hanc verò sententiam admittimus, & eam protrahimus 58
ad alias personas, quibus hoc beneficium competit ex juris dispositione, per ea, quæ scripsimus supra, *a num.* 54. non enim juramentum firmat contractum contra bonos mores naturales, ut jam dictum est.

CAPUT VI.

Prosequitur materia antecedens.

SUMMARIUM.

*Procurator personæ habentis hoc beneficium, eo fruitur: sed an etiam defensor ultroneus, dubitantur; Sed affirmativè resolvitur, n.*1.

Hoc beneficium non competit fidejussori, sed dantur ad id duæ cautelæ, n. 2.

Ad hæredes non transit hoc privilegium, nisi sint filii in eodem matrimonio procreati, prout privilegia dotis, nu. 3. *Non verò transit ad nepotes, n.* 4.

*Potest opponi hoc privilegium ante, vel post sententiam, etiam in via exequutiva, nisi oppositum fuerit ante sententiam, & in illa denegatum, n.*5.

Fruentes hoc beneficio non carcerantur, n. 6.

Socio omnium bonorum conceditur hoc beneficium, nu. 7. *Explicitur textus* in l. Verùm 63.ff.pro socio, *n.*8. *Competit socio unius rei, n.*9.

*Sed quomodo intelligendum, n.*10. *Una tutela gravissimæ negotiationis excusat tutorem, ibid.*

Hoc beneficium non competit colono partiario, aut incidenti in communionem, n. 11.

*Hoc beneficium competit parentibus, & ascendentibus pro utraque linea, n.*12. *Ubi etiam conceditur filiis.*

*Sed an competat fratribus utrinque conjunctis; Prima sententia negat, n.*33.

*Secunda verò affirmat, n.*14. *Tertia medium eligit, n.*15. *Resolvitur, a n.*16.

Isto privilegio gaudent Patroni, Patronæque, n. 19.

*Maritus etiam quando agitur de restituenda uxoris dote, numer.*20.

Sed an quando res dotales sunt in specie, & agitur actione in rem; Prima sententia negat, a n. 21.

*Secunda affirmat, n.*23.

*Resolvitur, a n.*24.

Examinatur textus in leg.unic. §. Cùm autem, Cod. de rei uxor.act. *Et tandem affirmatur, num.* 27. *Limitatur, nu.*28.

*Marito an competat hoc beneficium, quando in instrumento dotali obligatur ad restituendam dotem, & an possidere possit nomine mulieris, n.*29.

Maritus ab beneficio, hoc fruatur, quando matrimonium separatur quoad thorum ex culpa mariti, & dos

re-

restituitu. Negat prima sententia, nu. 30. *Affirmat secunda, num.*31. *Resolvitur, à nu.*32. *Et explicatur textus* in cap. 1. de donat. inter, & cap. 1. de divortiis, *num.*36.

Quando separatur matrimonium ad adulterium mulieris, maritus dotem lucratur. Si verò separatur quoad torum, inops maritus semper ex dote alimenta percipit, numer. 41.

*An maritus in pactis nuptialibus, ante matrimonium, possit huic beneficio renuntiare? Affirmant aliqui, n.*42. *Sed contrarium defenditur, à n.*43.

Mulier nequit ante matrimonium renuntiare alimentis debitis in matrimonio, n. 45.

Jus acquirendi in spe proxima, ut quæsitum censetur, n. 46. *Ponitur instantia, & resolvitur, n.* 47.

Sed an possit hoc beneficium renuntiari, soluto matrimonio? Negant plures, num. 48. *Sed affirmativè resolvitur, num.* 49.

Durante matrimonio, non solùm hoc beneficinm conceditur marito ex causa dotis, sed & alterius contractus, numer. 50.

Opponitur textus in l. Divortio 35. ff. de negot. gest. *Respondetur, & explicatur, à nu.*51.

An mulieri inopi concedatur hoc beneficium. Affirmant plures, num. 52. *Negat Cujacius, sed reprobatur, à nu.* 55. *&* 56.

Competit etiam socero, si sit pater mariti, nu. 57. *Et non solùm pro dote, sed pro aliis contractibus, n.* 58. *Idem de socero patre mulieris, n* 59.

*Sed an socero, uxoris patri, competat hoc beneficium, soluto matrimonio. Prima sententia negat, n.*60.

*Secunda affirmat, n.*61. *Resolvitur affirmativè, & explicantur lex* 21. *&* 22. ff. de re judicat. *lex penultima*, ff. de jur. dot. *à nu.*62.

*Competit etiam genero, si à socero conveniatur, n.*67.

*Competit etiam donatori, nu.*68. *Sed an extraneo, qui dotem promisit. Aliqui negant, & alteri affirmant, num.*69. *Resolvitur cum distinctione, à nu.* 70.

Explicatur textus in l. Si extraneus 33. ff. de jur. dot. l. Nesenius 41. ff. de re judicat. l. penult. §. 4. ff. de jur. dot. *à num.*71. *& seqq.*

1 IN re hac sciendum, procuratorem personæ habentis hoc privilegium, non esse condemnandum, nisi in quantum facere potest, *l. Si cum procuratore* 23. *ff. de re judicat.* quia eadem actione convenitur, & nomine ipsius personæ tale privilegium habentis. In defensore autem, qui ultrò se ad defendendum obtulit, præstita cautione de judicatum solvendo, §. *Si verò reus*, *Inst. de satisfat.* est aliqua difficultas: nam licèt eadem actione conveniatur, attamen exequutio fit in bonis illius, non autem personæ habentis hoc privilegium: quapropter non poterit eo uti. Sed tamen contrarium tenendum: nam licèt exequutio fiat in bonis defensoris, *l. Si procurator* 26. *l. Plautius* 61. *in fin. ff. de procurat.* eadem actione convenitur, & nomine ipsius debitoris habentis hoc privilegium; quare illi competit beneficium hoc. Barbosa *in d l. Maritum, à num.*44. Bossius *d.cap.*11. *nu.* 134.

a Fidejussori verò hoc beneficium non competit, quin potiùs insolidum convenitur; nam est personale, minimè ad aliam personam transiens. *l. Exceptiones* 7. *ff. de except.* Ast tamen duæ adsunt cautelæ, ut simili privilegio fidejussor potiatur. Prima si fidejussor conventus denuntiet principali debitori, ut veniat ad ejus defensionem: qui quidem veniens, ex propria persona poterit opponere exceptionem personalem sibi competentem, ne conveniatur, nisi in quantum facere possit, & fidejussori proderit, *l. Idemque*, §. *generaliter*, *ad fin. ff. mandati*. Secunda verò, ut fidejussor suscipiat litem, utpotè defensor principalis, & nomine illius, ut latè explicant Barbosa *in d.l. Maritum, à num.* 81. Campegius *de dote*, 3. *p. q.*23. Guttierrez *de juram.*3. *p. c.*15. *à nu.*14. Larrea *decis. Grannatens. disp.*7. *nu.*3. Molina *dict. tract.*2. *disp.*413. *n.*12. Bossius *d.cap.*11. *à nu.* 135. Donellus *lib.*27. *comment. cap.*9.

3 Ad hæredes autem harum personarum, nec etiam privilegium hoc transit, ob eandem rationem, quam de fidejussore scripsimus; extinguitur enim cum eadem persona, *l. Quia tale* 13. *ff. solut. matr. cap.*9. *de privilegiis*. Excipitur tamen in hæredibus mariti, dummodò sint filii illius, & procreati in eodem matrimonio; tunc enim si mater adversùs eos agat de dote sibi restituenda, hanc exceptionem rectè opponent, *l. Etiam* 19. *ff. solut. matr.* nam privilegium personale, licèt ad filios non transeat, *l. in omnibus* 48. *de regul. jur.* attamen si privilegium personale conceditur principaliter propter matrimonium, filiis communicatur, prout videre est in privilegio prælationis competenti uxori ad repetendam dotem, §. *Fuerat antea*, *Inst. de act.* quod etiam filiis communicatur, *l. Assiduis*, *vers. Exceptis*, *C. qui pot. in pign.* Novellus *de dot.* 10. *part. num.*26. Barbosa *in l.* 1. *ff. solut. matr.* 6. *part. nu.*14. Pich *in d.* §. *Fuerat anteà*, *n.*55. Ergo in hac specie filiis hæredibus communicabitur, non ut hæredibus, sed ut filiis ex eodem matrimonio procreatis. Barbosa *in d.l. Maritum*, *à nu.*79. Molina *d. disp.* 442. *nu. fin.* Palao *de Just. disputat.* 9. *punct.* 20. §. 3. *nu.* 5. Gomez *in d.l.*53. *nu.* 49. Fontanella *d.p.*11. *n.* 90. Bossius *dict. cap.*11. *nu.*55.

Illud tamen contra Bartolum tenendum, minimè hoc 4
privilegium extendendum ad nepotes mariti, quia est in præjudicium uxoris; quapropter non est extendendum, nisi ad personas, quo minus mulier inficietur. Barbosa. *in d. l. Maritum, n.*80. Bossius *d.cap.*11. *nu.*57.

Potest opponi hoc privilegium, non solùm ante senten- 5
tiam adversùs creditorem, sed etiam post, *l. Nesennius* 41. §. *fin. l. Ex diverso* 17. §. *fin. ff. solut. matr.* Licèt enim exceptio ista peremptoria videatur, & ante sententiam necessariò proponenda, *l. peremptorias* 2. *Cod. sentent. rescind. non posse*; attamen quia non respicit sententiæ injustitiam, sed tantùm temperat modum exequutionis, etiam post sententiam potest opponi. Pich. *in d. præcept.* 9. *à nu.* 10. Capella Tolosana *decis.* 322. Costa *remed. subsid.* 28. *nu.*5. Baptista *de privilegiis dot. cent.*2. *nu.* 55. Barbosa *in d. l. Maritum, nu.* 47. *vers. Quarto amplia*. Bossius *d. cap.* 11. *nu.* 76. Quod non solùm intelligas quando proceditur via ordinaria, sed etiam quando via executiva. Gratianus *discept. tom.* 3. *cap.* 495. *nu.* 3. Excipiunt tamen, si jam ante sententiam fuerit appositа, & Judex in sententia declaravit, huic exceptioni locum non esse. Gratianus *dict. cap.* 495. *nu.* 21. Barbosa *in d. l. Maritum, nu.* 48. Bossius *dict. cap.*11. *nu.* 77.

Illud tamen non obliviscendum, personas habentes hoc 6
privilegium non posse carceribus mancipari, nec eis est necessarium beneficium cessionis, quia insolidum conveniri non possunt, ut cum aliquibus docet Bossius *d. cap.*11. *nu.* 139. Gonzalez *in cap.*3. *de solut. nu.*7.

His de hoc privilegio dictis in genere, descendamus ad 7
personas in specie, quibus competit? Et in primis adsit socius omnium bonorum, qui ad ea, quæ ad societatem pertinent, nequit conveniri, nisi in quantum facere potest, §. *Sed si quis*, *Inst. de act. l. Sunt qui* 16. *ff. de rei judicat. l. Verùm* 64. *ff. pro soc. l.*15. *tit.*10. *part.*5. Et ratio est, nam per societatem contrahitur quædam fraternitas; idcircò indecorum videtur, ut à socio omnibus fortunis exspolietur, & ita à jure dispositum, nec conveniatur, nisi in id, quod facere possit, deducto ne egeat: tum etiam, quia in societatibus æqualitas quasi inter fratres servanda est. Bart. *in Auth. de nuptiis*, §. *soluto*, *nu.* 3. Inæqualitas ergo magna sequeretur, si ex societate unus ex sociis cum bonis remaneret, & alter omnibus exspoliatus. Unde hoc beneficium cum socio omnium bonorum concessum est. Surdus *dict. tit.* 1. *quæst.* 78. *nu.*9. Pichardus *dict. præcept.* 9. *à nu.* 21. Leoncillus *de Privilegiis pauper.* 2. *par. privileg.* 372. *à n.* 1. Maulius *de societ. tit.*6. *à nu.*27. Molina *d. disp.*413. *nu.* 2. Guttierrez *de jurament.* 3. *part cap.*15. *à n.* 1. Donellus *lib.* 27. *comment. cap.* 9. Antonellus *de Regim. Ecclesiæ*, *lib.* 5. *cap.*13. *nu.*1.

Sed contra adest textus *in l. Verùm* 63. *ff. pro socio*, ubi 8
asserit Consultus, verum esse, non solùm competere hoc beneficium socio omnium bonorum, verùm & unius rei. Ergo non benè asseruimus, solùm socio omnium bonorum competere, prout explicuit Ulpianus *in d. l. Sunt qui*. Ad hanc difficultatem duobus modis respondent DD. In primis dicendo, illa verba, *unius rei*, esse intelligenda non de una re particulari, sed unica negotiatione, sub se plures species continente, *l. Cum duobus* 52. §. *Quidam Sagariam*, *ff. Pro socio*, *l.* 3. *tit.* 10. *part.* 3. quæ quidem licèt dici non valeat societas omnium bonorum, attamen quædam fraternitas est respectu plurimarum rerum, quæ in illa continentur: quamobrem hoc beneficium rectè

ſocio unius rei, ideſt negotiationis competit. Myſingerius *in §. ſed ſi quis, Inſt. de act. n. 6.*

Intellectus verò iſte reiicitur, nam ſocietas unius rei, & unus negotiationis inter ſe differunt, *l. Societates 5 Cod. pro ſocio*. Pichardus *in princip. Inſt. de ſocietate, à nu. 14.* Maulius *de Societate, tit. 2. à nu. 28.* Donellus *lib 3. Comment. cap. 15* Ergo quando Conſultus loquitur de ſocietate unius rei, nequit fieri interpretatio de ſocietate alicujus negotii, in quo plura negotia continentur, utpotè de re penitus diſtincta.

9 Quare ſecundam interpretationem deſcendunt DD. aſſerentes, Conſultos *in l. Sunt quidam, & in dict. l. Verum* contrarios non eſſe, quia *in d. l. Sunt quidam*, loquitur Ulpianus de ſocio omnium bonorum, qui ſanè non tenetur, niſi in quantum facere poteſt; non tamen excludit ſocium unius rei, plus enim, vel minus dicere, non eſt contrarium dicere: ſed ſenſus erit, maximè in ſocio omnium bonorum hoc beneficium locum habere, & ſimiliter in ſocio unius rei, ut explicat Gloſſa *in dict. l. Verum, verbo Unius rei*, Guttierrez *d. 3. p. cap. 15. à num. 1.* Pichard. *d. præcept. 9. à numer. 22.* Molina *d diſp. 413. numer. 2.* Donellus *lib. 27. cap. 9.*

10 Hoc ultimum interpretamentum admitto, verùm eget explicatione. Quapropter ſi ſocietas unius rei ſit tantùm parvi valoris, aut mediocris, non credo ex hac ſola ſocietate hoc beneficium concedendum eſſe; quia reſpectu illius ſocietatis nequit quis ita pauper fieri, ut egeat: tum quia in his ſocietatibus non magni valoris, & in quibus non totum patrimonium, aut magna pars illius ad ſocietatem trahitur, conſiderabilis ratio fraternitatis invenitur, itaut poſſit eſſe fundamentum iſtius beneficii cum damno alterius ſocii. Admittetur, & intelligetur textus *in dict. l. Verum*, quando ſocietas unius rei fuiſſet magni valoris, & graviſſimæ negotiationis, quia tunc perinde conſideraretur, ac fuiſſet ſocietas omnium bonorum, aut alicujus negotiationis, in qua hoc beneficium conceditur. Ergo in hoc caſu ſocio unius rei hoc beneficium conceditur. Et confirmatur exemplo beneficii excuſationis à tutela, à qua ut quis excuſetur, neceſsaria ſunt tria onera tutelæ, §. *Item tria. Inſt. de excuſat. tut. leg. 2. §. ult. l Si quis tres, ff. eodem tit.* Verùm ſi aliqua magna ſit, & graviſſimæ negotiationis, ipſa ſola ſufficit ad tribuendum excuſationis beneficium, *l. Si is qui 34. verſ. Cæterùm, ff. de excuſat. tut.* Guttierrez *de Tutel. 1. par. cap. 21. nu. 11.* Ergo ſimiliter ſi ſocietas unius rei ſit magni valoris, & graviſſimæ negotiationis, æquipollet pro ſocietate omnium bonorum, vel ſaltem magnæ negotiationis, unde hoc beneficium ſocio competit, licèt ſit unius rei.

11 Illud tamen non obliviſcaris, hoc beneficium non competere his, qui in communionem rerum inciderint, aut colono partiario, ut ſcripſit Maulius *dict. tit. 6. de ſociet. à num. 28.*

12 Rurſus hoc beneficio potiuntur parentes, *dict. §. Sed & ſi quis, Inſt. de act. l. Parentes, ff. ſolut. matrimon. dict. leg. Sunt qui 16. verſ. Item parens:* in quo non ſolùm patres intelliguntur, ſed etiam avi, & aſcendentes pro utraque linea, prout intelliguntur in edicto de in jus vocando, *l. 4. §. Parentes, de in jus vocando.* Exprimit Myſingerus *in dict. l. Sed & ſi, num. 1.* Pichardus *de præcept. 9. nu. 324.* Hujus autem aſſerti duæ adſunt rationes. Prima, quia his perſonis reverentia, & obſequium debetur, *leg. 1. & ſequent. ff. de obſequiis parent. debet* Gonzalez *in cap. 3. de ſolut. num. 8.* Secunda, & ea fortior, quia his perſonis alimenta à deſcendentibus debentur, *l. Si quis à liberis 5. §. 5. ff. de lib. agnoſcend.* ubi Lara copioſè *à nu. 4.* & diximus *lib. 4. cap. 9. num. 36.* Idcircò nequeunt illos convenire, niſi in quantum facere poſſunt: ad quid igitur à filiis depauperarentur, ut poſteà ab eis alimenta percipienda ſint: quod ita certum, ut perſonæ iſtæ nequeant hoc beneficio, etiam juramento renuntiare, ut latè probat Pichardus *dict. præcepto 9. à num. 33.* Surdus *dict. 1. quæſt. 78. num. 3. & 4.* qui *numer. 5.* idem extendit ad filios, ob eandem rationem, quia parentes in neceſſitate eos alere tenentur; quæ eſt potiſſima ratio illius beneficii; idcircò ſi à parentibus conveniantur, hoc beneficio fruentur. Myſingerus *in d. §. Sed & ſi quis, num. 2.* Antonellus *de Reg. Eccleſiæ, lib. 5. cap. 13. num. 1.*

13 De fratribus verò utrinque conjunctis poterit eſſe diſceptatio, an quando ab aliis fratribus conveniuntur; hoc beneficium habeant? Et negandum videtur, quia licèt Conſulti perſonas hoc privilegium habentes enumerent, non tamen fratrum meminerunt. Ergo ad eos extendi non valet; ſtrictè enim interpretandum eſt, utpotè tertio præjudicium inferens: tum inter fratres non datur eadem reverentia, quæ parentibus debetur. Ergo neutiquam ad fratres eſt trahendum, ex ratione ceſsante, *cap. Ceſſante, de appellat. l. Adigere, § Quamvis de jurepatronat.* Thomaſſetus *reg. 71.* Seſse *dec. Arag. 185. num. 100.* Heringius *de fidejuſſ. cap. 27. nu. 89.* Sanchez *de Matrim lit. 5. 8. diſput. 30. à num. 10.* & tenent relati à Surdo *d quæſt. 78. num. 6.* Caſtillus *in l. 66. Tauri, verſ. de Saraygar*, Baeza *de inopt. debit. cap. 17. nu. 84.*

Sed contrarium tenet Joan. Faber *dict. §. Sed & ſi quis, Inſt. de act.* Myſingerus *ibidem, nu 3.* & rationem dat, quia inter fratres uterinos eſt obligatio alimentorum, ſi aliquis ad inopiam perveniat; idcircò inter eos dabitur privilegium hoc. Cæterùm inter eos conſideratur fraternitas quædam, *dict. l. Verùm 64. ff. pro ſocio.* Ergo multò melius quando adeſt vera fraternitas, prout eſt inter fratres utrimque conjunctos. Etiam tenent Jaſon *in dict. l. Sunt qui, n. 4.* Surdus *dict. quæſt. 78. num. 6.* Paſchalis *de patr. poteſt. 2. part. cap. 9. num. 29.* Mauſonius *de cauſis exequut. limit. 16. à nu. 2.* Antonellus *d. cap 13. nu. 1.* 14

Alteri medium tenent, & dicunt inter fratres hoc privilegium non concedi; ſed tantùm ne in carcerem detrudantur ex alterius fratris conventione. Decius *conſ. 119.* & de facto teſtatur Leoucellus *de Privil. paup. 2. part. privil. 168.* 15

In hoc dubio illud eſt animadvertendum, inter Juriſconſultos annumerantes perſonas habentes hoc privilegium, minimè fratres annumeratos eſſe, prout videre eſt *in d. leg. Sunt qui, cum ſequent. & in l. 1. tit. 15. p. 5.* ubi tantum annumerantur aſcendentes, & deſcendentes, non verò collaterales, inter quos fratres aſſignantur; unde ſignum percipitur, minimè ad eos hoc privilegium extendi, ut infert Baeza *d. cap. 17. num. 85.* ex quo quidem argumento cæteri idem tenent. 16

Sed certè efficax non eſt, nam licèt in lege aliqua non comprehendantur expreſsè, alia tamen ejuſdem rationis, & entitatis non excluduntur, quin comprehenſa videntur, *l. Scio quæſitum, ff. de teſtib. l. Si poſtulaverit, §. Sed ſi negavit, ff. ad l. Jul. de adulteriis.* Covarr. *in cap. Alma, 2. par. §. 4. num. 7.* Molina *de Primog. lib. 1. cap. 5. à num. 10.* Caſtillo *controv. lib. 5. cap. 120. à nu. 18.* Vela *diſſert. 7. num. 44.* Idque optima ratione, nam cùm ratio ſit anima legis, *leg. Cum ratio 6. ff. de bon. damnat.* Novarius *qq. for. lib. 1. quæſt. 144. nu. 12.* ubicumque eadem ratio invenitur, ibi adeſt, diſponit, & animat. Tuſchus *lit. R. concluſ. 31. & 32.* quapropter per identitatem rationis caſum illum comprehendit. Unde in præſentiarum diſpoſitio illarum legum privilegium *ne egeat*, concedens, ad fratres eſt extendenda, quia adeſt ſimilis ratio. 17

Idque facilè probatur, nam ex omnium Doctorum conſenſu, fratribus inopibus ab alio fratre divite alimenta debentur, ut latè diximus *lib. 4. cap. 9. à num 67.* Inde eſt, ut inter ſe hoc habeant beneficium, prout eadem ratio parentibus concedit. Tum eſt etiam inter fratres obſequium, & reverentia, licèt non tam gravis, ut parentibus debetur, indeque graviter dehoneſtaretur frater, ſi ab alio fratre, ſemota naturali pietate ſanguinis ad egeſtatem traheretur, & inſimul vinculis mancipatus remaneret. Ergo cùm omnes rationes illius beneficii militent inter fratres, ad eos eſt porrigendum, ut tenent DD. allegati num. 4. Gonzalez *in cap. Odoardus, de ſolut. nu. 8.* 18

Iſtinc extendo eorum doctrinam ad fratres tantùm uterinos: nam licèt aliqui Doctorum aſſerant, ab aliis fratribus eis alimenta non deberi, attamen contrarium ut certius tenemus, *d. c. 9. à nu. 73.*

Similiter eodem privilegio gaudent Patroni, ejus parentes, & liberi, *l. Patronus 17. ff. de jud. §. Sed & ſi quis, Inſt. de act.* Et eſt ratio ob grande beneficium libertatis, quod ab eo libertus conſequutus eſt, ex quo illum revereri tenetur, *l. liberto 9. ff. de obſequiis preſtand.* tum & alimenta præſtare patrono, ejus parentibus, & liberis, ſi ad egeſtatem perveniant, *l. fin. ff. de lib. agnoſc.* Covar. *l. 2. var. c. 6. n. 2.* Surd. *de Alim. tit. q. 51. à n. 1.* Quamobrem ſi à liberto conveniantur, in quantum facere poſſunt condemnantur, ne egeant; Idq; licèt quolibet modo manumittatur, ut latè Pich. *d. præcept, 9. à n. 40.* 19

Sur-

Surdus *d. quæst.* 78. *num.* 7. Mysingerus *in d.* §. *Sed & si quis, n.* 5. Leoncillus *d.* 2. *p. privileg.* 311. *n.* 4 Gonzalez *dict. c.* 3. *n.* 12. Oſuald. *lib.* 27. *comment. c.* 9. *lit. L.*

Eis etiam addenda eſt patrona, ideſt domina illius, qui eum manumiſerit, cùm id à lege declaretur *in d.l. Patronus*, & eædem militant rationes. Pich. *d. præcept.* 9. *n.* 50. Idemque dicendum de liberto, ſi à Patrono conveniatur, quia egenum libertum alere tenetur. Surdus *d. quæſt.* 78. *num.* 7. Leoncillus *d. privileg.* 311. *n.* 5. Mysingerus *d. num.* 5. Antonellus *d. lib.* 5. *cap.* 13. *n.* 1.

20 Maritus, ſi ab uxore conveniatur, non condemnatur, niſi in quantum facere poteſt; idque communiter intelligitur, quando de reſtituenda dote convenitur, *l. Maritum* 13. ubi DD. *ff. ſolut. matr. l. Non tantum* 20. *de judiciis*, *l. patronus* 17. *verſ. Item maritus, ff. de rejudicat.* idque ob reverentiam matrimonii, cùm aliàs mendicare cogeretur in dedecus ipſius mulieris, *l. unic.* §. *Sin autem, Cod. de rei uxor. act.* ubi Barboſa *à num.* 33 §. *Sed ſi de dote*, *Inſt. de act.* ubi Mysingerus. Pich. *d. præcept.* 9. *à n.* 52. Baeza *de inope debit. cap.* 3. *num.* 2. Paſchalis *de virib. patr. poteſt.* 2. *part. c.* 9. Coſta *de remed. ſubſid. remed.* 28. Molfeſius *ad conſuetud. Neapolit* 6. *part. quæſt.* 9. Leoncillus *de Privileg. paup.* 2. *p. privileg.* 240. *à num.* 1. Donellus *dict. lib.* 27. *cap.* 9. Belleto *tit. de Cleric. debit.* §. 11. *num.* 11. Antonellus *dict. cap.* 13. *num.* 1.

21 Eſt verò dubium, an hoc privilegium concedatur marito, quando res dotales adhuc in ſpecie durant, ſive mobilia, ſive immobilia ſint, & mulier per rei vindicationem illa petierit. Prima ſententia negat, in hac ſpecie beneficium hoc admittendum, *ex l. unic.* §. *Cùm autem, C. de rei uxor. act.* ibi: *In his, quæ in pondere, num. & menſura conſiſtunt.* Quæ verba denotant, competere hoc privilegium quando rerum dotalium dominium ad maritum translatum eſt, & tantùm actione perſonali conveniretur, prout accidit quando dos conſiſtit in quantitate, aut in iis rebus, quæ uſu conſumuntur, quarum dominium ad maritum tranſit, & ad reſtitutionem actione perſonali convenitur.

22 Cæterùm ratione comprobatur, nam quando maritus actione perſonali convenitur, petitur ab eo, tamquam viro, cui reverentia, & honor debetur, idcircò beneficio illo fruetur. Si verò agatur in rem, non petitur adversùs eum, ut maritum, ſed tamquam poſſeſſorem, *l. Neſennius* 41. §. *Fundum, ff. de re judicat.* Nec tunc adſunt rationes illius privilegii: Ergo minimè illo fruetur, quando res dotales eſſent in ſpecie, & adversùs maritum in rem ageretur, Gomez *in l.* 50. *Tauri, n.* 49. *verſ. Tertio limita*, Mysingerus *in* §. *Item ſi de dote*, *Inſt. de Act. n.* 9. Rebellus *de obligat. Inſt.* 2. *par. lib.* 5. *quæſt* 9. *n.* 7. *in fine.* Palao *de Inſt. tract.* 32. *diſput* 9. *punct.* 20. § 3. *n.* 2. Molina *de Inſt. tract.* 2. *diſp.* 442. *n.* 5. *in fine*. Cancerius 1. *p. cap.* 9. *n.* 105.

23 Secunda ſententia tenet contrarium, nam etiamſi actione in rem conveniatur maritus, adhuc durat ratio reverentiæ ipſi debitæ ab ipſa muliere, vel ab ipſius hæredibus. Ergo etiam in hoc caſu hoc beneficio fruetur. Cæterum, ſive actio ſit perſonalis, ſive in rem ad dotem repetendam, procedit ab eadem obligatione, qua maritus tenetur ad dotem reſtituendam, *l. in rebus, C. de jure dotium, l. vn. C. de rei uxor. act.* Sed quando agitur actione perſonali, non condemnatur, niſi in quantum facere poteſt. Ergo nec quando ageretur actione in rem. Comprobatur, nam ſi utraque actio procedit ab eadem obligatione, qua tenetur ut maritus ad reſtituendam dotem, ſicut in actione perſonali hoc fruitur privilegio, ſimiliter ſi adversùs eum agatur in rem, ut dotem ſolvat; eadem enim eſt ratio, nec ulla valet conſiderari diſparitas. Surdus *d tit.* 1 *quæſt.* 78. *n.* 39. Campegius *de dot.* 3. *p. quæſt.* 238. *verſ. Decimò fallit.* Barboſa *in d. l. Maritum*, *à n.* 31. Fontanella *d. p.* 11. *n.* 80. Boſſius *de dote*, *d. c.* 11. *n.* 100.

24 In hoc dubio examinare libet textum *in d l. unic.* §. *Cùm autem, C. de rei ux. act.* qui anſam tribuit huic difficultati. Nã Baldus, & Immola, ut eos referunt Campegius *d. quæſt.* 238. *verſ. Decimò fallit*, & Surdus *d. qu.* 78. *n.* 39. ex hoc loco perceperunt, ſolùm hoc beneficium marito eſſe concedendum, quando dos conceditur in rebus mobilibus, quarum dominium ad maritum tranſit. Fundamentum eorum eſt, quia in his ſolis ad reſtitutionem dabatur annua, bima, trima dies; & ut maritus non inſolidum conveniretur, ſed in quantum facere poſſet ex rei uxoriæ actione. Unde in his ſolis concedendum eſt hoc privilegium.

Sed non rectè illum textum perceperunt. Principalis 25
quæſtio Juſtiniani *in d.* §. *Cùm autem*, erat de reſtituendis rebus, quæ in pondere, numero, & menſura conſiſtunt, in dotem datis, ex rei uxoriæ actione, & inquit de jure ſtabilitum, ut annua, bima, trima die reſtituerentur, *l. Si legatum* 3. *ff. de annuis legat. l. Aliud* 19. *ff. de pact. dotalibus*. Hoc verò reſtrinxit Juſtinianus ad annum, quam quidem reſtrictionem maritis compenſavit, ut anni dilatio non ſolùm in his tantùm rebus concederetur, ſed etiam in quibuſcumque mobilibus, etiam in pondere, & menſura non conſiſtentibus, ut rectè notat Barboſa *in l.* 2. *in princip. ff. ſolut. matrim.* 1. *part. n.* 4. Barboſa alter *in d.* § *Cùm autem, num.* 33. Gomez *in l.* 50. *Tauri*, *nu.* 46. Garcia *de Expenſis*, *cap.* 8. *à n.* 29. Bayo *lib.* 2. *Praxis, quæſt.* 90. Cancerius 1. *p. var. cap.* 9. *à n.* 6.

Secundariò verò aſſerit, beneficium ne maritus convenire- 26
retur ultra quàm facere poſſit, inſimul cum annua, bima, trima die competere; quod approbat ob reverentiam, & ut æquitati conſonum. Sed non tamen efficax argumentum effici valet ſic: Hoc privilegium competit, quando res dotales conſiſtunt in pondere, numero, & menſura. Ergo non competit quando permanerent in ſpecie; non enim ex eo quod competit in illis rebus, repugnat ut in iſtis non competat; præcipuè cùm nulla ratio diſparitatis efficaciter poſſit conſiderari: nec Juſtinianus *in d.* §. *Cùm autem*, aliquid decrevit, ne etiam in rebus dotalibus in ſpecie exiſtentibus ſimile privilegium concedatur.

Hinc ſecundam ſententiam admitto, propter ſua funda- 27
menta. Tum quia licèt in rebus dotalibus in ſpecie exiſtentibus, concedamus dominium penes mulierem remanere; attamen poſſeſſio, donec maritus eas non tradiderit, adhuc remanet penes eum, *l. Qui jure, ff. de acquirend. poſſeſſ.* ubi DD. *l. Dotis*, *Cod. ſolut. matr.* Velaſco *in Praxi* 2. *par. cap.* 6. *num.* 6. & ita poterit retinere illa bona, etiam in ſpecie, ne egeat, unde beneficio illo fruatur, ut conſiderat Barboſa *in d. l. Maritum*, *num.* 31. Denique fundamentum contrariorum dicentium, tunc maritum conveniri, non ut maritum, ſed ut poſſeſſorem, nullius eſt roboris; quia poſſidet ut maritus, in quo (ut talis eſt) erat poſſeſſio; quapropter ſemper convenitur ut maritus, & neceſſariò hoc privilegio fruetur.

Prima verò ſententia habebit locum quando maritus res 28
dotales in ſpecie tradiderit, & poſteà ex alia qualibet cauſa aliquam, aut ipſas res dotales acquiſierit, aut illarum poſſeſſionem nanciſcatur; tunc enim tamquam quilibet poſſeſſor convenitur, nec hoc beneficio fruetur: quo in ſenſu intelligendus eſt textus *in d. leg. Neſennius* 41. §. *Fundum, ff. de re judicat.* Barboſa *in d. leg. Maritum*, *num.* 32. Boſſius *d. cap.* 11. *n.* 100. & latè *à n.* 101 Fontanella *d. par.* 11. *num.* 86.

Sed quid ſi inſtrumento dotali maritus obligetur ad do- 29
tem reſtituendam, & inſimul poſſidere nomine mulieris? Et tunc aſſerendum videtur, marito hoc privilegium non competere, quia non ſolùm dominium, verùm etiam poſſeſſio eſt penes mulierem, nec eſt ulla ratio retentionis, ut poſſit hoc privilegio potiri. Nihilominùs tamen contrarium eſt tenendum, quia convenitur ex obligatione illa reſtituendi dotem, ut maritus, quare ob reverentiam ſimili beneficio fruetur. Barboſa *d. n.* 32. Boſſius *dict. cap.* 11. *num.* 103.

Rurſus ad rem non eſt prætereunda alia quæſtio ad prax- 30
im quoties adducta, an ſi culpa mariti quoad torum fiat ſeparatio judicio Eccleſiæ propter ſævitiam, & dos ſit reſtituenda uxori, egenus maritus poſſit uti hoc privilegio? Prima ſententia negat ex deciſione textus *in cap.* 1. *de donat. inter*, ibi: *Mulieres, cum pro aliqua licita cauſa à propriis viris fuerint ſeparatæ, totam dotem præcipimus ſibi reddi.* Præcipit enim textus iſte, ut tota dos mulieri ex juſta cauſa à viro ſeparatæ reſtituatur, unde præcisè hoc beneficium excludet: Ergo ſi propter culpam mariti mulier ab eo ſeparetur, ipſe inſolidum condemnabitur, ut tenet Lara *in leg. Si quis à liberis*, §. *Si quis*, *ff. de liber. agnoſcend. n.* 18. & 80. Boſſius *d. c.* 11. *n.* 97. *ad fin.*

Sed contrarium tenent DD. & probant *ex d. cap.* 1. nam 31
ibi Concilium Vvormatienſe non loquitur de ſeparatione quoad torum, ſed quando ſeparatio uxoris ſit ex cauſa nullitatis matrimonii, quo quidem caſu maritus putativus nequit hoc frui privilegio. Campegius *dict.* 3. *par. quæſt.* 138. *verſ.* 7. Boſſius *d. cap.* 11. *num.* 14. Fachineus *controv. lib.* 10. *cap.* 30.

*cap.*30. Barboſa *in d. cap.*1. *nu.*7. Palao *d.§.* 4. *n.*6. Et confirmatur, nam dicit Concilium, poſt anni ſeparationem poſſe uxorem alium ducere, quod eſt neceſſariò intelligendum de ſeparatione ex cauſa nullitatis,aliàs alium maritum habere non poſſet, *cap. Gaudemus 8. de divort. cap.*3. *de ſponſa duorum*. Ergo tantùm intelligendus eſt textus ille de ſeparatione ex cauſa nullitatis, unde ſi tantùm fit ſeparatio quoad torum, adhuc maritus hoc beneficio fruetur. Cæterùm probatur, nam licèt ex culpa mariti ſeparatio fiat, revera adeſt matrimonium, & maritus eſt proprius, cui reverentia debetur: tum & ſocietas contracta per ipſum matrimonium, unde præcisè eo beneficio fruetur. Gloſſa 2. *in dict. cap* 1. *de donat. inter*. Barboſa *in d l. Maritum*, *nu.* 43. & qui ſentiunt textum illum tantùm de ſeparatione uxoris ex cauſa nullitatis matrimonii intelligendum. Barboſa *in d. c.*1. *n.*8.

32 Difficultas iſta tota conſiſtit in explicatione textus *in d. cap.*1. *de donat. inter*; nam ut vidimus, utraque ſententia in eo nititur. Quidem enim dicunt, textum illum tantùm intelligendum de matrimonio putativo, poſteà ſeparato ob cauſam nullitatis, quia erat contractum cum impedimento dirimente: quo quidem caſu in ſolidum dotem tenetur reſtituere, in meliori ſententia. In quo quidem ſenſu illum accipiunt Abbas *ibid. n.*4. Campegius *de dot.* 3. *p. quæſt.* 137. Covar. *de ſponſal* 2. *p. c.*6. §.8. *n.*16. Valdes *in addit. ad Xuarez ad l.*1. *tit. de las ganancias*, *lib.*3. *for. n.*9. Barboſa *ibid n.*7.

33 Qui animadvertit. quod licèt intellectus ille in ſe verus ſit, attamen litteræ non convenit; quare alii ab hoc intellectu diſcedunt, & dicunt intelligendum de ſeparatione tori ex juſta cauſa, nempe ſi ex culpa mariti ſeparatio juſtè ſequatur. Idque probant ex illius littera: *Mulieres verò*, *cum pro aliqua licita cauſa à propriis viris fuerint ſeparatæ*, *totam dotem præcipimus ſibi reddi*, *quam à die nuptiali receperunt*. Quæ verba nimis generalia ſunt, nec poſſunt adaptari ſolù maritis putativis, verùm propriis, à quibus fit ſeparatio quoad torum. Barboſa *d. n.*7. *in fin.* Ergo textus ille intelligendus eſt etiam de ſeparatione tori, ſi ex juſta cauſa facta fuerit culpa mariti. Id agnoſcitur expendendo illa verba, *à propriis viris*; proprii enim viri non ſunt putativi. Ergo de ſeparatione quoad torum textus ille eſt intelligendus. Ripa *ibi*, *n.*6. Palacius Rub. *ibid.* §.6. *n.*41. D. Gonzalez *n.*3.

34 Hæc ſententia mihi certa videtur, nec fundamentum contrariorum ſolidum, quatenus dicunt, ideò intelligendum de marito putativo, quia mulier expleto anno ſeparationis, poteſt alium virum accipere, & vir uxorem; unde ſequeretur ut eodem tempore vir haberet duas uxores, & uxor duos maritos,contra jura poligamiam interdicentia, Concilium Nicænum *can.*24. Synodus Romana ſub Eugenio II. & Leone IV *can.*37. Concilium Illiberitanum *canon.*8. Nicolaus I. *ad Conſult. Burgar. cap.*51. Traſmiera *de Poligam. quæſt.*6. Mendoza *ad Concil. Illiberit. lib.*2. *c.*10. Torreblanca *de jur. ſpirit. lib.*2. *cap.*15. *ſect.*3. Baſilius *de Matrimonio*, *lib.*7. *cap.*49. Ergo intelligendus eſt de marito putativo, ſeparato ob cauſam impedimenti dirimentis, uti Alagona *ibid.* notat.

35 Verùm reſpondet Gonzalez *dict. num.* 3. Patres Concilii Vvormatienſis ſenſiſſe, poſt ſeparationem tori poſſe conjuges ad alia vota tranſire, ut in eodem Concilio apparet *in c.*1. *de divortiis*. Sed hoc reſponſum admittendum mihi non videtur (venia mei magiſtri) non enim præſumendum eſt Patres illius Concilii ignoraſſe rem lippis, & tonſoribus notam, & quæ ab infantia Eccleſiæ erat deciſa. *Matth. cap.*19. Baſilius *de Matrim. lib.*7. *cap.*49. *num.*6. tum oppoſitam omni juri, tam divino; quàm naturali, & poſitivo, ut cum plurimis advertit Torreblanca *d. ſect.*3. *nu.*46. quare ſolutio illa admittenda non eſt.

36 Quapropter dico, textum *in cap.*1. *de divortiis*, intelligendum eſſe quando maritus ex cauſa neceſſaria invaſorem occidit; tunc enim non privatur ſpe conjugii, quin potiùs aliam poſſit ducere, idque poſt mortem mulieris, non autem anteà: quod numquam poſt Chriſtum Dominum in Eccleſia fuit admiſſum,ut plura jura explicans tenet Baſilius *d. lib.*7. *cap.*50. & 52. Quo in ſenſu communiter intelligunt DD. textum illum, & textum *in cap. Si qua mulier* 6. 31. *quæſt.*1. qui quidem eſt ipſummet Concilium, ut tenet ipſe D. Gonzalez *ibi*, & Caniſius in expoſitione illius textus, *num.*1.

Textus verò *in dict. c.*1. *de donat. inter.* interpretamentum illud etiam ſuſcipere valet, ut anno expleto mulier,& maritus ad alia vota tranſiſſent, ſi aliquis aliorum decedat, non vero altero conjuge vivente. Sed dices, ad quid tunc annus erat expectandus,ſiquidem ſtatim ut deceſſit conjux, alter poteſt tranſire ad ſecunda vota, ut patet *ex toto tit. de ſecund. nupt.* D. Paulus 1. *ad Corinth cap* 7. *& ad Romanos cap.*7. Concilium Illiberitanum *cap.*72. Nicænum *cap.*8. Carthaginenſe IV. *cap.*1. Toletanum III. *cap.*10. Baſilius *d. lib.*7. *cap.*5. *num.*16. Sanchez *de Matrim. lib.*7. *diſput.*81. *per tot.* Reſpondetur id factum eſſe,non quia illo expleto, altero vivente, poſſent cum aliis contrahere; ſed quia id obſervare etiam poſt mortem alterius conjugis, magis honeſtum eſt, & in uxoribus multùm dedecoris trahit, & ita aliquibus pœnis afficiuntur, ſi non obſervent, ut latè probat Sanchez *dict. lib.*7. *diſput.*87. Gonzalez *in dict. cap.* 1. *num.*5. 37

Hoc quidem interpretamentum ſufficiens eſt: verùm ſi alterum quæris, adhuc ex duabus explicationibus hujus textus valet conſiderari, nempe ut loquatur non ſolùm quando conjuges ſeparantur quoad torum, ſed etiam quando ſeparantur quoad vinculum; in utroque enim caſu tota dos eſt mulieri reſtituenda, ſi procedat cauſa ex culpa mariti; ita ut prima pars, quæ loquitur de propriis viris, intelligatur de ſeparatione quoad torum; ſecunda, quando eis permittitur, ut tranſeant ad ſecundas nuptias, intelligenda ſit de ſeparatione quoad vinculum, quando ſtante aliquo impedimento contraxerunt. 38

Sed ad rem deveniendo inſtat difficultas, nam ſequeretur, quod quando ſeparatur matrimonium quoad torum, maritus ex ſua culpa privatur beneficio, ne conveniatur, niſi in quantum facere poteſt; idque non improbabile videtur quoties ex ſua culpa ſeparatio ſequitur, ut ſentit Fragoſo *de Regimin. Reipubl. part.*3. *lib.*2. *diſput.*5. *de Contract. dotali*, §.5. *n.*78. *verſ. Si tamen*, quia videtur in pœnam illius culpæ tali beneficio privari; neque dignus eſt miſericordia ex parte mulieris, cùm ſævus ipſe adversùs eam procedat. Boſſius *d. c.*11. *n.*97. *in fine*. 39

Sed adhuc contrariam ſententiam, quam adduximus *num.*31. tenemus duabus rationibus. Prima, quia textus *in d. cap.*1. *de donat. inter*, non loquitur de marito inope, ſed abſolutè de marito, qui cum obligetur totam dotem reddere, præcisè eſt intelligendus de marito divite, ut explicant ibidem Gonzalez *num.*4. Barboſa *num.*8. Unde textus ille, etiam intellectus de ſeparatione tori ex culpa viri, eum non privat tali beneficio; quippè ſi dicit reſtituendam eſſe totam dotem, id præcipit maritis divitibus. Tum ſecunda, quia eſt verè, & proprius maritus, cui reverentia debetur, & ſuit inter utrumque conjugem vera ſocietas; & ſi ex parte mariti fuit culpa, non tamen in ordine, ut hoc beneficio frueretur, ex quo fieret illius indignus. Itaque adhuc in illa ſpecie non inſolidum convenietur. 40

Illud verò citra dubium eſt, quod ſi ex culpa mulieris matrimonium ſeparetur, nempe per adulterium ab ea commiſſum, maritus hoc beneficio fruetur, *cap. Plerumque* 4. *de donat. inter;* quia tunc dotem maritus lucratur. Si verò ſine culpa fiat divortium, & tori ſeparatio, inops maritus dotem non reſtituet, ſed ex ea alimenta percipiet, quando ſeparatio fit ad tempus: ſi verò in perpetuum, & maritus egeat, adhuc ex dote mulieris alimenta percipiet. Lara *in dict. l.*5. §. *Si quis ex his*, *ff. de liber. agnoſcend. n.*16. Barboſa *in dict. cap.*1. *num.*5. Boſſius *dict. cap.*11. *num.*38. Sicut quando obſtante matrimonio ob inopiam viri dos eſſet reſtituenda mulieri, tunc enim hoc beneficio non fruitur, ſed tantùm ex dote alitur, cùm adhuc dos exiſtit ad ſufferenda onera matrimonii. Campegius *d.*3. *part. qu.*138. *verſ.*8. Paſchalis *de viribus patr. poteſt.*2. *part. cap* 9. *n.*28. Cancerius *part.*1. *var. cap.*9. *num.*112. Boſſius *dict. cap.*11. *à num.*106. Itidem nec hoc beneficio fruetur quando promiſit dotem reſtituere extraneo liberaliter illam concedenti; quia reſpectu illius ceſſant rationes hujus conceſſionis, ut cum aliquibus docet Boſſius *ubi proximè*, *num.*108. 41

Eſt verò dubium non prætereundum, an ante contractum matrimonium maritus in pactis matrimonialibus poſſit huic beneficio renuntiare. Et aliqui cenſuerunt,poſſe id facere. Ducuntur, quia renuntiatio illa non eſt juris quæſiti, ſed quærendi per matrimonium; idcircò non 42

renun-

renuntiat huic beneficio, sed ponit obicem, ne illud percipiat, Baldus *in l. Illud, Cod. de SS. Ecclesiis.* Gabriel *lib. 1. conf. 6. nu. 3.* Ergo rectè poterit illi renuntiare, prout in pactis dotalibus ante matrimonium valet renuntiare beneficio Authenticæ *Præterea, Cod. Unde vir, & uxor*, Molinus *de rit. nupt. lib. 3. quæst. 62.* Cæterùm, nam leges prohibentes promissiones, seu renuntiationes, non intelliguntur de rebus in futurum acquirendis. Gabriel *lib. 2. conf. 4.* Gratianus *discept. for. tom. 1. cap. 132. n. 23.* Cùm ergo ante nuptias jus hujus beneficii quæsitum non sit, non prohibetur à lege renuntiari, si fiat renuntiatio ante nuptias in pactis dotalibus. Fontanella *de pact. nupt. claus. 7 glos. 3 part. 11. à nu. 64.* Bossius *d. cap. 11. n. 126.*

43 Horum autem Doctorum non admitto sententiam, ex decisione textus *in d. l. Alia 14. §. Eleganter*, ubi absolutè asserit, hoc pactum, ut maritus insolidum conveniatur, validum non esse, utpotè contra bonos mores, & reverentiam matrimonii: qui quidem textus absolutè loquitur, & indistinctè, sive ante, sive post, matrimonio contracto; idcircò etiam ante matrimonium non sustinebitur: ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. Nec de pretio, ff. de Public. in rem. act. l. Non distinguimus, ff. de recept. arbitr. cap. Consuluisti 2. quæst. 5.* Argellus *de legit. contradict. quæst. 20. n. 14* Et in hoc sensu loquuntur communiter DD. asseverantes, maritum huic beneficio renuntiare non posse. Gomez *tom. 2. var. cap. 11. num. 5. vers. Item*, Covarr. *in cap. Quamvis pactum, part. 2. in princip. num. 8.* Barbosa *in cap. 1. de donat. inter, num. 10.* & alii suprà, *cap. 5. n. 53.* eodem modo loquentes; unde perpenditur, invalidum esse pactum renuntiandi huic beneficio, etiam factum ante nuptias.

44 Cæterùm, pactum hujus renuntiationis est contra bonos mores naturales, ut diximus suprà *d. cap. 5. nu. 55.* Ergo neutiquam valet sustineri, etiamsi fiat ante nuptias; continet enim injustitiam, & culpam, quare numquam sustinebitur. Cancerius *3. par. var. cap. 2. nu. 33.* Guttierrez *de juram. 1. p. cap. 33. per tot.* etiamsi ante nuptias fiat.

45 Rursus à simili comprobatur, quia mulier, si inops sit, & non habet aliunde vivat, nequit renuntiare alimentis ante matrimonium, quæ ipsi debentur in matrimonio, Bart. *in l. 2. in principio, ff. Si certum petatur.* Natta *conf. 114. n. 8.* Gratianus *d. cap. 132. à num. 9.* non propter rationem, quàm aliqui præstant, quia pactum istud est contra substantiam matrimonii; sed quia contra bonos mores est, ut pauper mulier à viro non alatur. Ergo cùm contra bonos mores sit, ut maritus ad inopiam vergens à dote mulieris non alatur, ante nuptias non poterit per pactum huic beneficio renuntiare.

46 Deinde dicere, ante nuptias non habere aliquod jus, sed tantùm ponere impedimentum, ne acquirat, est debile fundamentum, quia ex eo quod fiant pacta nuptialia, quæ sunt dispositiones proximæ matrimonii, jus istud jam habet in spe proxima acquirendi per contractum matrimonii; spes enim proxima jus acquirendi, in Iure censetur quasi jus quæsitum. Aretinus *conf. 7. num. 4.* Ferretus *conf. 112. num. 8. vers. 2. lib. 1.* Gratianus *d. cap. 132. nu. 24.* Ergo dici non valet, esse tantùm ponere impedimentum, sed renuntiatio juris proximè acquirendi, existens in spe proxima matrimonii. Ergo neutiquam poterit sustineri talis renuntiatio.

47 Sed dices, jus istud non acquiritur ex solo matrimonio, sed ex matrimonio, & inopia ipsius mariti. Ergo licet pacta nuptialia sint proximæ dispositiones matrimonii, non verò acquirendi jus istud, præcipuè si casus non adveniat, nisi soluto matrimonio, prout sæpiùs accidit. Ergo minimè jus istud stat in proxima dispositione acquirendi, & per consequens poterit ante matrimonium renuntiari. Sed respondetur, quod istius beneficii acquiritur statim ut matrimonium validè contrahitur; tunc enim marito reverentia debetur, & fit societas inter conjuges, unicum fundamentum illius juris. Gonzalez *in cap. 3. de solut. nu. 11.* jam enim in habitu illud habet, licèt per inopiam ad actum reddatur; idcircò quando pacta nuptialia fiunt, ante matrimonium jam sponsus habet spem proximam habendi hoc privilegium, nec poterit illi renuntiare, ut dictum est.

48 Sed an soluto matrimonio possit maritus huic beneficio renuntiare, similiter disceptatur. Negant plurimi, quia soluto matrimonio, cessat ratio reverentiæ, & societatis; unde hoc privilegium debet cessare, ut tenet Bart. *in l. Alia 14. §. Eleganter, ff. solut. matr.* ubi etiam Castrensis, Surdus *d. tit. 1. quæst. 78. nu. 48.* Fontanella *d. p. 11. nu. 66.* Bossius *d. cap. 21. nu. 129.*

Sed contrarium cum aliis teneo ex generalitate textus *in l. 3. ff. de constit. pecunia*, ubi licèt maritus pactum fecerit de solvenda dote insolidum, soluto matrimonio, adhuc non condemnatur, nisi in quantum facere potest: cui contrarii non satisfaciunt efficaciter. Cæterùm, nam soluto matrimonio adhuc durant reliquiæ illius, & reverentiæ, quoad id quod geritur ex causa dotis, ut considerat Campegius *d. 3. p. quæst. 126. in fin.* Unde si propter matrimonium nequit sustineri hæc renuntiatio, similiter illo soluto, cùm adhuc durent ejus reliquiæ, & reverentia. Glossa & Dinus *in d. §. Eleganter*, Campegius *d. q. 246.* Barbos. *in d. l. Maritum, à n. 89.* 49

Hoc privilegium non solùm marito conceditur, quando ratione dotis convenitur; sed ex alio quolibet contractu celebrato inter virum & uxorem, matrimonio durante, *l. Non tantùm 20. ff. de re judicat.* Ratio est, nam adest reverentia matrimonii, nec considerare oportet, uxorem cum marito contrahere, quasi cum alio extraneo; quapropter etiam ex alio contractu hoc beneficio fruetur. Surdus *d. tit. 1. qu. 78. nu. 13.* Barbosa *in d. l. Maritum, nu. 56.* Pich. *d. præcept. 9. à nu. 54.* Mysingerus *in d. §. Item si de dote, nu. 10.* Bossius *d. cap. 11. à nu. 41.* 50

Sed contra hanc resolutionem opponitur textus *in l. Divortio 35. ff. de negot. gest.* ubi maritus ab uxore conventus actione negotiorum gestorum, insolidum convenitur. Ergo si ex alia actione conveniatur, isto beneficio non fruetur. Verùm aliqua sunt hujus textus interpretamenta; & in primis textus ille intelligendus, quando ex delicto maritus conveniretur, prout in actione rerum amotarum; quo quidem casu insolidum convenitur, *l. Si rerum 52. ff. de re judicat.* Surdus *d. tit. 1. quæst. 88. nu. 42.* quod in littera illius textus diserte agnoscitur in illis verbis: *Aliàs enim imputari non potest, quod aliàs non exegerit.* Quæ verba demonstrant, quod si maritus tempore negotiorum gestorum habuerit bona, unde solveret, imputari non posse, si à se non exegerit; secus verò, si non habuerit: est enim in delicto, quatenus sciat, se bona sufficientia non habere, & à se non exigat. Unde illa specie, ex delicto conventus insolidum tenetur, ut ibi explicant Bart. & alii, quibus accedit Pich. *d. præcept 9. n. 56.* 51

Hoc interpretamentum satis probabile est, quidquid alteri DD. resistant. cævola enim in tota illa specie insistit in delicto à se non exigendi, ut infrà: *Non enim è vestigio in officio deliquit, &c.* quare demonstrat, in actione negotiorum gestorum plenè maritum teneri, quando imputari ei potest, à se non exegisse; non verò si delictum istud non imputetur. 52

Aliud verò interpretamentum communiter est receptum *in d. l. Divortio*, maritum insolidum teneri, si actione negotiorum gestorum conveniatur, quando negotia mulieris gessit soluto matrimonio; tunc enim non gessit constante matrimonio, quando ei reverentia debebatur, nec durabat conjugum societas, sed ut alius quilibet particularis, idcircò insolidum convenitur. Campegius *de dot. 3. part. quæst. 246.* Barbosa *in dict. l. Maritum, numer. 90.* Bossius *dict. cap. 11. numer. 44.* Unde cognoscitur, textum istum non opponi decisioni positæ *numer. 50.* quæ loquitur de contractibus initis durante matrimonio, non verò post. 53

Rursus privilegium hoc extenditur ad uxorem, quæ si à marito conveniatur, illo fruitur, *l. 20. in fine, ff. de re judicat.* Nam licèt major reverentia debeatur marito, utpotè capiti mulieris, *cap. Hæc imago, cap. mulierem 17. 33. qu. 5.* Attamen maritus honorem deferre tenetur matrimonio, *l. 2. ff. de actione rer. amot. l. 1. §. Si vir, ad Syllan. l. Adversùs 4. Cod. de crim. expilat. hæredit.* quapropter uxor eodem beneficio fruetur. Cæterùm vir & uxor à pari procedunt, & correlativè se habent quoad juris effectus. Solorzanus *de Jur. Ind. tom. 2. lib. 2. cap. 21* Vela *differt. 4. à nu. 20.* Giurba *ad consuet. cap. 1. glos. 1. nu. 51.* Ergo cùm hoc beneficium concedatur inopi marito, similiter pauperi mulieri concedi debet. Denique, quia de jure communi per commixtionem familiarum, *l. 1. §. Si vir, ff. ad Syll.* fit quædam societas; quod de jure nostro Regio majori perpenditur ratione, quia bona communicantur inter virum & uxorem, unde societas omnium bonorum fit, *l. 4. tit. 9. lib. 5. Recopilat.* 54

copilat. ubi Mathienzo *gloſſ.* 1. *num.* 1. Garcia *de conjugal.ac quæſt. n.* 12. Quare hoc beneficium ad uxores etiam eſt porrigendum. Barboſa *in dict.l. Maritum*, *n.* 56. & 57. Oſuald. *ad Donellum*, *lib.* 27. *cap.* 9. *lit. G.* Gonzalez *in cap.* 3 *de ſolut. num* 11. Joan. Caſtagna *de Benefic. deduct. ne egeat*, *quæſt.* 2. Caſtillo *de Aliment. cap.* 37. §. 2. *nu.* 10. Boſſius *d. cap.* 11. *nu.* 29. Antonellus *d. cap.* 13. *nu.* 1.

55 Sed Cujacius *lib* 4. *cap.* 38. contrarium cenſuit. Tum quia ceſſat ratio reverentiæ marito debitæ, quæ quidem uxori non debetur, prout multis differentiis adductis, explicat Barboſa *in d.l. Maritum*, *à nu.* 54. Quare hoc beneficium uxori non communicabitur. Rurſus deciſio textus *in d. l. Non tantùm* 20. *ff. de re judicat.* ubi Conſultus ſic ſcribit, *Quod in perſona mulieris æqua lance ſervari*, *æquitatis ſuggerit ratio*, non eſt alicujus Conſulti, ſed ſapit Triboniani additionem; quare in re ſuſpecta juris deciſio ſtabilienda non eſt.

56 Sed communiter reprobatur Cujacius, ut faciunt Barboſa *d. n.* 54. Oſuald. Caſtillo, & Gonzalez nuperrimè allegati; hoc enim humanitatis ipſa petit, ut quam maritus totius vitæ, & familiæ ſociam amiſit, *l. Ex diverſo* 18. §. 11. *ff. ſolut. matrim.* pro dote promiſsa inſolidum non conveniat, & ad ſummam egeſtatem reducat; ſed ſolùm in quantum facere poſſit, ut rectè demonſtrat Conſultus in illis verbis ſuprà recenſitis, & Oſuald. *d. cap.* 9. *lit. G*, quod de jure noſtro Regio in primis eſt admittendum, cùm omnium bonorum ſint ſocii vir, & uxor.

57 Prætereà hoc beneficium ſocero competit, *l. Sed & hoc* 22. *ff. de re judicat. l.* 17. *ff. ſolut. matr.* Quod duobus modis examinari oportet: in primis quando convenitur ſocer, pater mariti, aut quando convenitur pro dote promiſsa pater uxores: & quoad primum ſocer, pater mariti, ſi pro dote conveniatur, quando ad illum pervenerit, niſi in quantum poteſt non condemnatur, *ex l.* 22. *l. Rei judicatæ* 15. §. *Socero*, *ff. ſolut. matrim.* Ratio eſt, nam ſocer, pater mariti, reſpectu nurus pro patre habetur, *l. Quia parentis* 17. *ff. ſolut. matrim.* quapropter illi reverentia præſtare tenetur, & conſequenter hoc beneficio fruitur. Barboſa *in l. Maritum*, *nu.* 63. Donellus *d. lib.* 27. *cap.* 9. Boſſius *d. cap.* 11. *nu.* 45. Pichard. *d. præcept.* 9. *nu.* 39. aſſerens, nec huic beneficio renuntiare poſſe, etiam cum juramento, Caſtagna *q.* 7. *per tot.* Caſtillo *de Aliment. cap.* 37. §. 2. *num.* 7. Antonellus *dict. cap.* 13. *nu.* 1.

58 Quod quidem non ſolùm intelligere oportet quando ſocer ratione dotis convenitur, verùm etiam ex aliquibus contractibus, ex quibus à nuru conveniretur. Et comprobatur *ex l. Sicut* 21 *ff. de re judicat.* ubi aſſerit Conſultus, quod ſicut maritus convenitur in quantum facere poteſt, ſimiliter ſocer: unde cùm maritus ex aliis contractibus conventus hoc beneficio fruitur, ſimiliter ſocer, ut cum aliquibus tenet Boſſius *d. cap.* 11. *n.* 47.

59 De altero ſocero, nempè patre mulieris, idem eſt dicendum, ſi ex probabili ignorantia bonorum ſuorum dotem promiſerit, aut ſi poſt dotem promiſſam ad egeſtatem caſu fortuito perveniat, *l. Sicut* 21. & *l.* 22. *ff. de re judicat. l. penult. ff. de jur. dot.* Boſſius *d. cap.* 11. *nu.* 8. Oſuald. *ad Donellum*, *d. lib.* 27. *cap.* 9. *lit. L*, Gonzalez *in d. cap.* 3. *de ſolut. nu.* 8. Caſtillo *d. cap* 37. §. 2. *nu.* 8.

60 Sed eſt quæſtio, an ſocero hoc beneficium competat, matrimonio ſoluto? Prima ſententia negat, ex duorum jurium deciſione *in l. Sicut* 21. & *l. Sed hoc* 22. *ff. de re judicat.* ubi Paulus aſſerit ex æquitate ſocero, patri mulieris hoc beneficium competere. Sed alio jure utimur, & explicat Pomponius, id eſſe accipiendum, ſi ſoluto matrimonio conveniatur, ſecus verò ſi conſtante. Unde aſſerendum eſt, tantùm hoc beneficium concedendum ſocero, uxoris patri, quando ex dote promiſſa, conſtante matrimonio conveniretur. Cæterùm ratione probatur, nam ſocero, patri mulieris, hoc privilegium conceditur ob affectionem, & affinitatem, quæ cum illo à genero contrahitur, quæ deficit ſoluto matrimonio; *l.* 3 §. *Affinitates*, *ff. de poſtulando*: & ideò deficit etiam quodlibet privilegium in ea fundatum. Tiraquellus *tract. ceſſ. cauſa*, 1. *part. num.* 37. Blancus *de compromiſs. quæſt.* 3. *nu.* 23. *verſ. Quinto*. Ergo hoc privilegium ſocero, uxoris patri, ſoluto matrimonio non competit, ut latè proſequitur Barboſa *in d.l. Maritum*, *à nu* 62. Gonzalez *in d. cap.* 3. *n.* 111. Zaſius *lib.* 1. *ſingul. intellect. cap.* 5. *n.* 3.

61 Secunda ſententia tenet contrarium, *ex l. penult. ff. de jur. dot.* ubi hoc beneficium ſocero, patri uxoris, ſoluto matrimonio conceditur: tum ratione, nam cùm vir, & uxor per copulam fiant una caro, ſocer pater uxoris, loco parentum habetur, cui reverentia à genero eſt deferenda: quare hoc privilegium etiam matrimonio ſoluto, ſimili ſocero eſt concedendum, prout ſocero, patri mariti. Et deniquc gener reſpectu ſoceri, tamquam filius cenſetur, *l. Si quis* 3. *Cod. de naturalib. lib.* Idcircò ut pater nequit conveniri, niſi in quantum facere poteſt, ut cum Gloſſa tenent Campegius *de dot.* 3. *p. q.* 250. Brunus *de ceſs. bon.* 4. *par. principali*, *q.* 22. *nu.* 3. Giurba *dec.* 42. *n.* 3. Connanus *lib.* 8. *Comment. cap.* 9. *nu.* 8. Fontanella *d. p.* 11. *n.* 96. Boſſius *d. c.* 11. *à n.* 14. Molina *de Inſt. tract.* 8. *diſp.* 425. *nu.* 8.

In hoc dubio animadvertendum, anſam præbuiſſe huic 62
difficultati illa duo jura, quæ pro utraque ſententia adducuntur, quæ quidem tamquam contraria exiſtimantur, ſuntque textus *in dict. l.* 21. & 22. *ff. de re judicat.* & *l. penult. ff. de iur. dot.* Hæc cum diſſonantia premit Anton. Fabrum *lib. conject. cap* 14. ut textum *in d. leg.* 21. emendaverit; nam quando dicit Conſultus. *Sed alio iure utimur*, addit, *Sed alio*, *& alio iure utimur*; ita ut ſenſus ſit, aliquando utimur, ut inſolidum conveniatur, aliquando non, itaut conſtante matrimonio hoc beneficio fruatur pater uxoris, aliquando non, ſoluto matrimonio, niſi ex cauſa, & perſona aliud Judici videatur, ut *in l. penult. ff. de dot.* Conſentiunt Pichardus *in d. præcept.* 9. *nu.* 59.

Emendationem tamen ſubtiles Juriſprudentes in primis 63
reiiciunt, utpotè difficultatum ſubterfugium; quapropter varia horum jurium interpretamenta concinnarunt, quæ ad longum refert, & impugnat Genoa *leg. Conciliat. fol. mihi* 331. Reſidet tamen in communi diſtinctione, ſocero mariti conſtante matrimonio hoc beneficium competere; ſecus eo ſoluto, niſi cauſa, & perſona aliud petierit, ut docet textus *in dict. leg. penult.* & tenet Paz *legum Conciliat. cent.* 5. *quæſt.* 64. Barboſa *in dict. leg. Maritum*, *num.* 66.

Verùm in re dicendum, hanc difficultatem conſideran- 64
dam eſſe inſpecta juris æquitate, & ratione: & aſſerendum eſt, ſimile beneficium competere ſocero, patri mulieris, ſive conſtante, ſive ſoluto matrimonio, uti probat textus *in l. Ex diverſo* 17. *ff. ſolut. matr.* ubi Conſultus aſſerit, ſimilem honorem concedendum ſocero generi, ſicut uxoris, unde ob eamdem rationem, ſicut uni conceditur, alteri concedendum: in quo genere æquitatis etiam admittitur textus *in d l.* 21.

Aliter verò reſpectu juris, quod vigebat tempore Pauli 65
in dict. l. 21. ſcripſit enim Conſultus, ſecundùm æquitatem ſocero uxoris privilegium competere. Sed alio jure utimur, quod exprimit Pomponius in lege ſequenti, ut tantùm conſtante matrimonio concederetur, non verò matrimonio ſoluto. In qua quidem ſpecie loquens Conſultus *in d. l. penult. de jur. dot.* inquit, diſſoluto matrimonio inſolidum condemnandum, niſi ex cauſa, & perſona ſocero hoc beneficium concederetur; quod ita intelligi valet, ſi perſona ſit ita honorata & gravis, ut poſt matrimonium præſtet cauſam, ut illi hoc beneficium concedatur; ſi verò non, ita inſolidum convenietur.

Sed hoc illo uſu tempore Juriſconſultorum relicto, ex 66
æquitate admittenda eſt ſecunda ſententia, quæ quidem cùm inopi ſocero ſubveniat, utpotè ſapientiſſima cauſa, eſt admittenda. Lupus *de donat. inter*, §. 21. *n.* 14. Coſta *de remed. ſubſid. remed.* 28. *n.* 1.

Gener verò ſi à ſocero pro dote conveniatur, in quantum 67
facere poteſt, condemnatur; idque optima ratione, quia loco filii habetur, *l. Quia parentis*, *ff. ſolut. matr.* quapropter, ut cæteri liberi, hoc beneficio fruetur. Surdus *de Aliment. tit* 1. *quæſt.* 39. *nu.* 16. & 17. Caſtillo *lib.* 8. *cap.* 37. §. 2. *nu.* 9.

Cæterùm donatori hoc competit privilegium, nec con- 68
demnatur niſi in quantum facere poteſt, *l. Inter* 19. §. 1. *l. Cùm ex cauſa* 30. *l. Neſennius* 41. *ff. de re judicat. l. Divus* 28. *ff. de reg. jur.* Et ratio eſt, ne ex ſua liberalitate periclitetur, ut latè Caſtagna *quæſt.* 11. Caſtillo *d. cap.* 37. §. 2. *n.* 13. Salgado *in Labyrinth.* 1. *par. cap* 24. *nu.* 108. D. Retes *de donat. cap.* 20. *num.* 1. Pichard. *dict. præcept.* 9. *nu.* 19. Leoncillus *de privileg. pauper.* 2. *part privileg.* 93. *à num.* 1. qui *nu.* 4. aſſerit, perſonaliſſimum eſſe hoc beneficium, nec hæredi, nec fidejuſſori donatoris competere. Antonellus *dict. cap* 13. *nu.* 1.

69 Eſt

69 Est verò non prætereundum dubium, an si extraneus, qui dotem dare non tenebatur, ex sua voluntate illam promiserit, hoc fruatur privilegio? Aliqui absolutè negarunt, *ex l. Nesennius 41. ff. de re judicat.* ubi id apertè probatur. Giurba *decis. 84. n. 10. & 11.* Fontanella *d. clausul. 7. gloss. 3. part. 11. num. 97.* Quod alteri non admittunt asserentes, tantùm condemnandum in quantum facere potest, *leg. Si extraneus 33. ff. de jur. dot.* Et probatur, quia iste est verè donator dotis, quapropter hoc privilegio fruetur. Surdus *d. tit. 1. quæst. 78. n. 1.*

70 Ex hac jurium contrarietate plura adduxere DD. & aliqui asseruere, hunc dotem promittentem duobus modis considerari posse, aut ut dotans, aut sicut donans: si enim convenitur ut dotans, insolidum debet condemnari; secus verò si ut donans, quia præcisè hoc beneficio fruetur. Refert Bossius *d. cap. ult. n. 33.* Alteri dicunt, constante matrimonio, insolidum conveniendum; secus eo soluto, ut est Glossa *in d. leg. Nesennius.* Resident tamen DD. distinctionem esse faciendam, quando extraneus dotem promisit, & convenitur à muliere; tunc enim conveniendus non est, nisi in quantum facere potest, quia respectu illius est donans; secus si à viro, quia ratione illius non est donans, nec adest contractus lucrativus, sed onerosus, quia id fit ad sufferenda onera matrimonii, & ita conveniunt Pazius *cent. 7. quæst. 7.* Bossius *d. cap. 11. à nu. 34.* D. Gonzalez *in cap. 3. de solut. n. 12.* Donellus *d. lib. 27. cap. 9.* ubi Osuald. *lit. C*, Cujac. *lib. 12. observat. cap. 17.*

71 In re tamen animadvertendum, textum *in l. Si extraneus 33. de jur. dot.* non agere quæstionem, an extraneus dotem promittens teneatur insolidum, aut in quantum facere possit? Istud enim ab Ulpiano ibidem non agebatur; sed alia quæstio, nempe quando imputandum est marito, si dotem non exegerit, ut ad illam teneatur. Et in hac difficultate illa est communis sententia, considerabilem negligentiam esse necessariam, nec sufficere quamlibet, præcipuè cùm debitores benignè sunt tractandi, *l. Servus 25. ff. de pign. l. 1. Cod. de Commerciis, l. Si benè 33. de usuris.* Idcircò in marito pro exigenda dote, non quælibet negligentia sufficiet. D. Olea *de cess. tit. 5. quæst. 12. nu. 27.* Sed quid si promittens dotem, ex voluntate id fecerit? Inquit Consultus, facilè parcendum marito, si non exegerit. Et ratio est, quia licèt omnes debitores benignè sint tractandi, specialiter tamen ii, qui donant, & ex sua voluntate liberaliter promittunt, & veniunt ad obligationem. Comprobat Ulpianus, nam donans ita benignè tractatur, ut non condemnetur, nisi in quantum facere potest, quia ex sua liberalitate obligatur. Ergo maxima benignitate promittens dotem est conveniendus, cùm etiam ex voluntate processerit, & ita marito parcendum, qui eum non præcipitavit.

72 Hæc est doctrina Consulti, ex qua efficaciter non sequitur, dotem promittentem non esse conveniendum, nisi in quantum facere potest; sed tantùm marito parcendum, qui non rigidè se habuit cum eo, qui dotem promisit; sicut excusatur administrator, qui non compulit ad solvendum debitorem paupertate oppressum, *l. Thais, §. fin. ff. de fideicommiss. liber.* Lara *de Anniversar. lib. 1. cap. 12. num. 35.* Valenzuela *cons. 179. n. 71.*

73 Quapropter asserendum, dotem promittentem ex sua voluntate, absque aliqua necessitate, insolidum esse condemnandum, ut decisum est *in dict. l. Nesennius 41. ff. de re judicat. l. penult. ff. de jur. dot.* Ratio est, quia dotis promissio, aut donatio, causa onerosa est, licèt procedat à mera liberalitate promittentis, seu donantis, *cap. Salubriter 16. de usur.* ubi DD. cùm id fiat ad sufferenda onera matrimonii. Cyriacus *tom. 1. controvers. 30. nu. 6.* D. Olea *de cess. tit 6. quæst. 2. num. 19.* Castillo *controvers. lib. 3. c. 23. num. 31.* quare non dicitur directè donatio, sed negotialis, & purè contractus, *l. Contractus 13. ff. de regul. jur. l. 1. §. Debitam, ff. de constit. pecun. l. Exigere, ff. de judiciis.* Unde dotem promittens insolidum tenebitur.

74 Hoc igitur clarè procedit, quando dos marito promittitur; nam ex eo quod promittatur, intelligitur promitti nomine uxoris ad sufferenda onera matrimonii, ac proinde causa onerosa est. Bossius *de dot. cap. 1. §. 1. num. 3.* nec promittens poterit hoc privilegio frui, quia propriè non est donator, nec est respectu illius aliqua reverentia; nam illum supponimus extraneum. Unde demus fundamentum huic concessioni.

Sed si mulieri dos promittatur liberaliter ab extraneo, 75
non verò marito, secus est dicendum; nam ut scripsit Bossius *d. §. 1. n. 4. ad med.* tunc est propria donatio, & in illo esse relinquitur; idcircò si pro dote conveniatur, non insolidum condemnabitur, sed in quantum facere possit.

CAPUT VII.

Explicit materia ista, & elucidatur caput *Odoardus 3. de solutionibus.*

SUMMARIUM.

Hoc beneficium competit filio emancipato, vel exhæredato, quive ab hæreditate paterna se abstinuit, & ei, qui jam bonis cessit, n. 1. Quod admittendum in utroque foro, n. 2. Verùm plures negant, n. 3. Sed resolvitur affirmativè, n. 4.

An quando debitor ignominiosè cedit bonis, ab omni obligatione liberetur, si posteà ad pinguiorem fortunam perveniat. Prima sententia negat: sed cum secunda tenendum est contrarium, à num. 5.

Hoc privilegio fruuntur Milites, num. 6. Sed an extendatur ad Milites Togatos. Prima sententia affirmat, num. 7. Secunda negat, n. 8. Resolvitur pro hac sententia, à n. 10.

An extendatur ad Nobiles. Affirmant plures, num. 13. sed negatur in Fidalguis simpliciter. Admittitur in Magnatibus, ibid.

Disceptatur in possessoribus majoratuum. Negat Salgado, num. 14. Affirmant alii, n. 15. Resolvitur, & distinguitur, à n. 16.

Hoc beneficium competit debitori Ecclesiæ, n. 18. Sed tantum ad alimenta secundùm naturam, n. 19.

Clericus hoc beneficio fruitur, nec incarceratur, nec excommunicatur, nec cogitur bonis cedere, n. 21. Debet constare de ejus paupertate per summariam informationem, n. 22.

An competat beneficium capitis Odoardus 3. de solut. *minoribus Ordinibus initiatis. Prima sententia affirmat, num. 23. Secunda negat, num. 24. Tertia distinguit, num. 25 Resolvitur, à num. 26. Explicatur textus* in d. cap. Odoardus, *n. 26. & 27. Et tamdem solis habentibus privilegium fori conceditur, aliis denegatur, à n. 28.*

An competat clerico pauperi ob suam culpam. Negant plures, num. 30. Affirmant alteri, num. 31. Admittitur hæc sententia, n. 32.

Clericus hoc beneficio privatur, si tempore contractus sciebat non esse solvendo, vel si dolo decepit creditores, aut quando in fraudem creditorum bona alienavit, aut quando spe hujus beneficii contraxit, si bona occultavit, aut suspectus de fuga bona asportasset, num. 33.

Clericus ut hoc beneficio fruatur, debet debitum agnoscere, non verò negare pertinaciter in judicio, n. 34.

Clericus debet civiliter conveniri. Sed quid si debitum sit ex delicto? Aliqui ei negant hoc beneficium. Prima sententia negat, n. 35. Secunda distinguit, quando pœna pecuniaria applicatur Fisco, quandove Parti ob interesse, n. 36. Resolvitur, à n. 38. Vbi disceptatur, an regula illa, Qui non habet in bonis, luat in corpore, *habeat locum in clericis. Affirmant plures: sed à n 38. defenditur contrarium Explicatur, à num. 42. Quando pœnæ non sunt infames, nu. 43. & 44.*

An quando pecunia applicatur parti pro damno, & interesse, Clericus respectu illius hoc beneficio fruatur. Dubitandi ratio ponitur, n. 46. Explicatur textus in cap. Finem litibus 5. de dol. & contumac. *Et resolvitur affirmativè, à n. 48.*

Commutatio pœnæ quando Clericus solvendo non est, debet fieri cum consensu accusatoris, n. 59.

Quando actione reali convenitur Clericus, non fruitur hoc beneficio, num. 51. Fit instantia, & respondetur, n. 52.

In actione depositi Clericus hoc beneficio non fruitur, nu. 53. Sed explicatur, n. 54.

Aliqui dicunt, Clericum ad fruendum hoc beneficio, priùs debe-

debere cedere bonis, sed non admittuntur. num. 55.
An hoc beneficium concedendum, quando Clericus obligatur in forma cameræ. Prima sententia negat, n. 56. Secunda affirmat, n. 57. Resolvitur, n. 58.
Hoc beneficium opponi valet ante, vel post sententiam, n. 60. Non admittuntur asserentes, non dari hoc beneficium contra tres sententias conformes, n. 61.
An Clericus fruatur hoc beneficio, quando huic beneficio renuntiavit cum juramento. Supponitur simpliciter renuntiare non posse, ut nec Nobilis suæ nobilitati, num. 62.
Quando verò renuntiatio fit cum juramento, prima sententia dicit non competere Clerico, num. 63. Secunda affirmat, num. 64. Resolvitur, & explicatur, à n. 65. & 67. Admittitur affirmans, & defenditur usque ad n. 69.
Excipiuntur aliqui casus, in quibus Clerico denegatur hoc beneficium, n. 70.
An Clerico excommunicato competat hoc beneficium. Prima sententia negat, num. 71. Secunda affirmat, num. 72. ut etiam Clericus excommunicatus fruatur privilegio fori, defenditur hæc sententia, à num. 73.
Cautio est danda à Clerico de restituendo, quando ad pinguiorem fortunam pervenerit. Est danda fidejussoria, & si fidejussorem non inveniat, juratoria sufficit, num. 76. Si ad pinguiorem fortunam perveniat, restituet, & ad restitutionem hoc beneficio iterum fruetur, nu. 77. Vbi etiam de praxi hujus beneficii.

1 RUrsus aliquæ adsunt personæ, quibus miserationis causa hoc privilegium concessum est, ne conveniantur, nisi in quantum facere possunt, utpote emancipatus, vel exhæredatus, quive paterna hæreditate se abstinuit, *l. Exhæredatum 49. ff. de re judicat. l. 3. §. Sed utrùm, ff. de Minoribus*. Gonzalez *in d. cap. 3. num. 13.* Cui adjungit eum, qui bonis cessit. Is verò, si post cessionem ab eisdem creditoribus conveniatur, nequit ultra quàm facere potest conveniri, *§. ult. Inst. de act. l. 4. & 6. ff. de cess. bonor. l. Si quis 49. ff. de pact. l. 13. tit 15. part. 5.* ubi Gregorius. Benignè enim tractandus est, qui jam omnia bona sua concessit suis creditoribus. Cujacius *lib. 12. observari cap. 5.* Osuald. *ad Donellum, d. lib. 27. cap. 9. lit. P*, Castagna *de beneficio, Deductio ne egeat, quæst. 11.* Cancerius *2. part. cap. 9. num. 4. & 5.* Gonzalez *d. cap. 3 num. 13.* Castillo *lib. 8. controv. cap. 37. § 4. n. 2.* Pich. *in §. fin. Inst. de act. n. 45.* Diana *7. part. tract. 8. res. 9.*

2 Quod quidem privilegium non solùm procedit quoad cedentes bona in foro fori, verùm etiam in foro Poli; in hoc quidem rectè retinentur necessaria ad alimenta, cùm ad illa percipienda possit aliena capere: quamobrem in foro conscientiæ rectè procedit beneficium quando quis bonis cesserit, & bona de novo acquisierit, ut cum aliquibus advertit Surdus *de Alimentis, privilegio 28. num. 2.* Dicastillo *de Instit. lib. 2. tract. 2. disp. 10. dub. 4. n 83.* Castillo *d. cap. 37. §. 4. n. 3.* Delugo *de Iust. tom. 2. disp. 21. sect. 3. n. 36.* Diana *d. tract. 8. res. 9.* Leoncillus *2. p. privileg. 49. n. 15. & 18.*

3 Hæc tamen sententia non ab omnibus recepta est, quin aliqui contrarium tenent, asserentes leges cessionis in conscientia non obligare; quapropter etiamsi concedant hoc privilegium de bonis post cessionem acquisitis, in foro conscientiæ non militant, verùm debitor integrè solvere tenebitur. Cæterùm, nam etiamsi bonis cesserit, remanet obligatus, non solùm civiliter, sed etiam naturaliter. Paz *in praxi, 4. p. tom. 1. cap. 5. n. 12.* Salgado *in Labyrinth. 3. part. cap. 16. n. 60.* Itaque non obstante illo privilegio, tenebitur in foro conscientiæ integrè ex bonis noviter quæsitis creditoribus satisfacere. Abbas *in cap. Cùm tu, de usuris, n. 10.* Azorius *tom. 3. Inst. Moral. lib. 4. cap. 39. in fine*. Valentia *disp. 3 quæst. 6. & 7. §. Altera causa*.

4 Sed contraria sententia, relata *num. 2.* tenenda est: Et ratio est, nam in foro conscientiæ non solùm hæc necessaria possunt retineri post cessionem, sed etiam tempore, quo instat necessitas cedendi; quia tanto damno non tenetur quis restituere, & satisfacere creditoribus, ut cum multis docet Diana *dict. 7. part. tract. 8. resolut. 6.* Ergo multò meliùs quando lex id concesserit in bonis acquisitis post cessionem. Rursus Respublica rectè disponit etiam in foro conscientiæ de bonis subditorum, quando ad bonum commune convenit; idcircò rectè disposuit, etiam in illo foro, ut debitor bonis cederet, ne in carceribus detineretur, & ad satisfaciendum lucraretur; quin potiùs ad lucrandum allicit sic disponens, ut de bonis posteà acquisitis non conveniatur, nisi alimentis relictis: cui quidem beneficio quoties creditores assentiunt contractibus, etiam consensum præstare videntur. Ergo in foro conscientiæ rectè privilegium istud sustinebitur. Denique fundamenta contrariorum debilia sunt, quia licèt leges cessionis in conscientia non obligarent, quod quidem absolutè admittendum non est, attamen lex naturalis, & divina tanto damno non obligat ad satisfaciendum creditoribus; tum privilegium, ne qui bonis cessit, conveniatur, ne egeat, etiam in conscientia tenet, ut probatum est. Ergo rectè hoc privilegium procedit in foro conscientiæ. Covarruv. *lib. 2. variar. cap. 1. num. 6.* Molina *de Iust. tract. 2. disp. 572. n. 9.*

Unde favore pauperum debitorum breviter non desi- 5
nam examinare doctrinam Soti *lib. 4. de Iust. quæst. 7. art. ult.* asserentis, quod si pauper debitor ignominiosè cesserit bonis, adhuc ab obligatione non liberabitur, ut si ad pinguiorem fortunam perveniat, creditoribus non satisfaciat; quia ignominia illius non tollit obligationem, qua durante, si bona posteà acquisierit, satisfacere tenebitur. Consentit Covarruv. *d. cap. 1. n. 6.* Paz *d. cap. 5. n. 14.* Trullench. *in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 15. dub. 5. n. 4.* Delugo *d. disp. 21. sect. 3. n. 40.* Diana *d. tract. 8. resol. 21. vers. Is tamen, & 4. p. tract. 4. resol. 78.*

Sed mihi videri contrarium tenendum, quia illa est di- 6
serta propositio juris, quod quando fit secundùm consuetudinem alicujus loci ignominiosa cessio, debitor ab omni obligatione liberatur. Ratio est, nam quando propter inopiam pœna ignominiæ aliquis punitur, pœna illa loco solutionis imponitur. Glossa singularis *in cap. Sicut dignum, §. Eos insuper, de homicid.* quapropter debitor pauper ab omni obligatione liberatur, ut tradunt innumeri relati, & sequuti à Salgado *d. cap. 16. n. 67.* Thesaurus *decis. 36.* Cancerius *2. part. cap. 9. num. 23.* Ergo minimè tenebitur creditoribus satisfacere, etiamsi ad pinguiorem fortunam cedens deveniat. Quod idem considerandum est ex parte creditorum, quia cùm non dissenserint, ne pœna illa imponatur, videntur debitoris liberationi consensisse; quapropter asserendum, minimè teneri satisfacere posteà creditoribus, etiamsi ad pinguiorem fortunam deveniat, ut in utroque foro tenent Surdus *de Aliment. dict. privileg. 28. num. 6.* Menochius *de Arbitr. lib. 2. cent. 2. casu 183. nu. 22.* Tuschus *tom. 1. conclus. 217. num. 4.* Manlius *de cess. bon. tit. 6. num. 6.* Castillo *dict. cap. 37. §. 4. num. 4.* dicit probabile Leoncillus *de Privileg. pauper. 2. part. privileg. 49. num. 17.* Machado *in Summa, tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 23. document. 8. n. 3.*

Rursus beneficium hoc competit militibus Armatæ Mi- 7
litiæ, *l. Miles 6. l. Similes 18. ff. de re judicat. l. Si castrensi 7. ff. de Castrensi peculio*. Et ratio est, nam maxima existente ratione, milites multis privilegiis condecorantur. Rempublicam suo sanguine, & vita defendentes, propter quæ hoc beneficio adjuvantur, ne conveniantur, nisi in quantum facere possunt. Pichard. *dict. 2. p. præcept. 9. n. 60.* D. Gonzalez *in d. cap. 3. de solut. n. 14.* Leoncillus *d. 2. p. privileg. 256. à n. 1.* Belletus *de disquisit. Cleric. tit. de Cleric. debit. §. 1. n. 8.* Antonellus *d. cap. 13. n. 1.*

Est verò quæstio, an privilegium hoc concessum militi- 8
bus Armatæ Militiæ, extendatur ad Togatam, veluti ad Doctores, & Professores Facultatum? Et prima sententia affirmat; nam in multis Professores isti militibus comparantur, *l. Advocati 4. Cod. de Advocat. diversi. jud. l. Medicos 6. Cod. de Profess. & Medic. l. 8. tit. 31. part. 2.* Quamobrem privilegia, quæ militibus competunt, similiter his Professoribus concedi debent. Cæterùm, nam bonarum Artium exercitium, & juvenum educatio maximè Reipublicæ convenit, & ad ejus profectum, & utilitatem pertinet, nec minùs, quàm Armata Militia: Ergo sicut illa habet privilegium, ne conveniatur nisi in quantum facere potest, similiter Togata. Denique, nam Professores isti nequeunt carceri mancipari ob debita civilia, ut *in d. leg. Medicos*, notant Platea, & communiter Scribentes. Gomez *in l. 83. Tauri, num. 17.* Baeza *de inop. debit. cap. 16. num. 127.* Bolanos *in Curia, 2. par. §. 17. num. 18. & 19.* Ergo conve-

niri

niri nequeunt, nisi in quantum facere possint; illud enim ab aliquibus receptum, ut qui habent privilegium ne incarcerentur, nisi in quantum facere possint, non conveniantur. Gregorius *in l.23. tit.6. part.1. verbo Vn Clerigo à otro*. Avendañus *respons.8.* Covarruv. *var.lib.2. cap.9. num.9.* Parladorius *lib.2. rer. quot. cap. fin. part.5. §.6. nu.21.* Ergo isti Professores nequeunt conveniri, nisi in quantum possint agere. Cevallos *com. quæst.477.* Suarez *in l.2. tit. de las ganancias, lib.3. for. §. 5. num. 12.* Osuald. *ad Donellum, lib.27. cap.9. lit. N*, Pichard. *dict. præcept. 9. à num. 68.* Gonzalez *in dict. cap.3. n.14.* Leoncillus *d. privileg. 216. num.3.* Salgado *in Labyr. 1. part. cap.24. num.4.* Belletus *d. §. 1. n.10.*

9 Secunda sententia tenet contrarium, & ducitur *ex dict. l. Miles 6.* cum aliis recensitis *num.6.* ubi expressè hoc privilegium conceditur militibus Armatæ Militiæ; unde cognoscitur, voluisse leges illas excludere Milites Togatos, & alios, licèt armatis comparentur. Et confirmatur, nam ut jam diximus, privilegia ista non largè, sed strictè interpretantur, quapropter ab eis nequit fieri extensio, seu illatio ad alios casus distinctos ab specie, de qua loquuntur. Rursus est dispar ratio in militibus Armatæ Militiæ; isti enim pro Republica sanguinem, & vitam profundunt, in quo quidem occupati, rei familiaris curam abjiciunt. Quod quidem diversum est in Militibus togatis, qui domi constituti longè à periculis adsunt; & advocationibus, seu aliis officiis bona sua augent: quod si non egerint, desidiæ eorum tribuendum est. Ergo in his Professoribus Facultatum admittendum non est privilegium, ne conveniantur ultra quam facere possint, ut tenent Albericus, & Duarenus *in d. l. Miles*, Donellus *dict. lib.27. Comment. cap.9.* Baeza *de inope debit. cap.17. n.26.*

10 In hoc dubio animadvertendum, Jurisperitos privilegia militum ad Togatos facillimè extendere, qui quidem, utpote in causa propria scribentes, non facilè sunt admittendi, nisi quando à lege fuerit hoc expressè decretum, aut ex evincenti ratione, aut illatione depromeretur. Quapropter absolutè loquendo non admitto primam sententiam, sed secundam; nam licèt artium Professores honoribus, & privilegiis debeant condecorari, & Milites Togatæ Militiæ per alluſionem dicantur, *ex d.l. Medicos, l. Advocati 14. Cod. de Advocat. diverſ. Iudic.* Leoncillus *dict. privileg.256. num.3.* & ob hanc causam teneant plura privilegia, de quibus Garcia *de Nobilitate, gloss.35. à num.15.* Bobadilla *Polit. lib 3. cap.1. n.56. & cap.14. à num.60.* Pareja *de edit. instrument tit.10. resolut.2. n.fin.* Riccius *par.6. collect.2206. l.8. tit.7. lib.1. Recopilat.* Attamen comparatione militum longè se habent; nam ut Osorius *lib.7. de Regis instit.* dicebat: *Meritò semper in omnibus Regnis, & imperiosis populis summa laus fortibus hominibus attributa est, maximaque præmia persoluta sunt: illorum namque virtus continet patriæ firmamentum, Reipublicæ universæ propugnaculum, Civium libertatem, tutissimumque in omni rerum discrimine, & calamitate perfugium.* Quapropter Togatæ Militiæ Professores inferiores relinquuntur, quorum officia, aut in agendis causis civilibus, aut in puniendis devinctis criminosis occupantur, vel in dirigendis pacificis civibus facillimè obtemperantibus. Unde Cassiodorus *lib.6. epist.13.* securè probat, militiam forensibus præstantiorem esse. Quod idem majori ratione dicendum de aliis professoribus, qui in curandis corporibus, aut in aliis exercitiis detinentur.

11 Unde consequitur, privilegia, quæ Armatæ militiæ conceduntur, non esse protrahenda ad Togatos, utpote inferiora officia tenentes, & consequenter Milites Togatos non habere hoc privilegium, ne conveniantur, nisi in quantum facere possint: ex quo quidem fundamento duæ primæ sententiæ dilabuntur.

12 Cæterùm licèt isti professores ob debitum civile non possint carceri mancipari, non tamen inde sequitur, ut hoc beneficio debeant frui; est enim quid diversum, nec ab uno beneficio singulari valet fieri illatio ad aliud etiam singulare, ut in terminis tenet Guttierrez *de juram. 1. par. c.16. n.36.* Covarr. *lib.2. var. cap.1. n.4.* Ergo licèt Professores isti nequeant propter debitum civile incarcerari, hoc tamen beneficio non fruentur.

13 Ex dictis breviter est resolvendum, quid de Nobilibus dicere debeamus, an habeant hoc privilegium, ne conveniantur nisi in quantum facere possint. Et affirmarunt aliqui, præcipuè de jure nostro Regio, in quo decretum, ne ob debitum civile incarcerentur, *l.79. Tauri, l. 3. & 4. tit.2. lib.6. Recopilat.* Unde inferunt, hoc beneficio frui, Pich. *d. præcept.9. num.61.* Baeza *de inope debit. cap.16. n.8.* Collerius *de exequt. 1. part. cap.6. num.139.* Osualdus *dict. cap.9. lit. N.*

Sed contrarium dicendum in iis Nobilibus, qui tantùm *Fidalgui* dicuntur, nisi aliàs milites sint. Ratio est, nam ut dicebamus, non sequitur necessariò, ex eo quod non possint incarcerari, ut hoc beneficio potiantur: Ergo si aliàs ratione militiæ, eis non competat, ex sola nobilitate eo non fruentur. Covarr. *d. cap.1. num.4.* Guttierrez *d. cap.16. num.36.* Castillo *dict. cap.37. §.1. n.5. vers. Quamvis.* In Magnatibus verò, veluti Ducibus. Marchionibus, jam praxis recepit, ut quoties ad inopiam pervenerint, majoratus eorum sequestrentur, ex quorum redditibus satisfiat creditoribus, reservatis sibi alimentis secundùm decentiam, & dignitates eorum, ob splendorem familiæ; & hoc jure utimur. Baeza *d. cap.16. à nu.10.* Parladorius *lib.2. quot. cap. fin.5. p.§.3. à n.31.* Bolaños *in Curia,2. part.§.16. n.13.* Castillo *d. cap.37. §.1. per tot.* Salgado *in Labyrint.1. part. cap.24. à n.32.* D. Olea *de cess. tit. 3. quæst.13. n.39.*

Sed est quæstio, an idem sit observandum in aliis simplicium majoratuum possessoribus, quorum majoratus ex facultate Regia pluribus oneribus gravantur. Et Salgado *in Labyrinth.1. p. cap.24. num.49.* constanter affirmat, non esse admittendum quin insolidum debeant conveniri, nullis alimentis deductis; nam in jure eis concessum non est beneficium, ne conveniantur, nisi in quantum facere possint, nec ratione majoratus eis competere valet. Ergo minimè isti possessores majoratuum possunt alimenta petere, ut petunt Magnates, & Proceres Regnorum. Cæterùm in Majoratibus nihil invenitur impediens, ne creditores intergrè sua debita non percipiant, & cum damno eorum possessor alimenta percipiat. Ergo possessor majoratus in concursu creditorum alimenta non percipiet. 14

Sed contrarium tenent Avendañus *de Censibus, cap.63. nu.11.* Hieronymus Leon *decis. Valent. lib 1. decis 85.* Castillo *d. cap.37. §.1. à num.7.* Ducuntur, nam quilibet Majoratus, Dignitas existimatur. Molina *de Primogen. lib.1. cap.13. à num.1.* Mieres *1 p. quæst.1. à nu.20.* Castillo *controv. lib.6. cap.147. n.8.* Ergo sicut in Magnatibus praxis recepit, ut in concursu ex suis majoratibus alimenta percipiant ob eorum dignitatem, & splendorem familiæ, similiter in aliis possessoribus majoratuum, eadem enim ratio utilitatis publicæ in omnibus consideratur. Tiraquellus *de Primog. quæst.4. num.32.* Molina *lib.1. cap. 18. n.1. cum sequent.* Rursus ex conjecturata mente illius, qui majoratum fundavit, id probatur; nam cùm illum instituisset ad conservationem, & decorem familiæ, consequenter videtur eo modo formasse, ut si ad inopiam possessor pervenisset, ad decus illius priùs alimenta deduxisset, quàm creditoribus solveret: unde ex illius conjecturata mente alimenta in concursu percipiet, prout similiter conjecturamus in bonis fideicommissi, quæ possunt alienari, ut possessor illius inopia laborans, alimenta percipiat, ut *in Autb. Res quæ, Cod. communia de legat.* notant scribentes, Fusarius *de substit. quæst.806.* & diximus latè *lib.1. cap.10. à nu.30.* Ergo aliis majoratus possessoribus etiam alimenta in concursu sunt concedenda, ut cum aliquibus etiam consentire videtur D. Olea *d. tit.3. quæst.13. n.39.* 15

Hæc verò sententia satis probabilis videtur, verùm eam non absolutè admitto, sed tantùm in his Majoratibus, quorum licèt non sint possessores Magnates, attamen cum jurisdictione, & vassallorum dominio tenentur. In his igitur fundamenta hujus sententiæ satis probabiliter assumptum probant, ut benè considerat Baeza *d. cap.16. nu.104.* Et ratio est, nam isti Majoratus propriè Dignitates dicuntur, & respiciunt familiæ splendorem; quare ne ob inopiam, & miseriam dedecorentur, rectè alimenta possessoribus possunt concedi, quamvis de stricto jure non debeantur. Tum etiam conjecturata mens fundatoris, de qua *num.16.* circa similes Majoratus non parvi ponderis est, ut rectè advertit Avendanus *d. cap.63. num.11.* Castillo *d. §.1. num.5.* Idcircò apud Valentinos mos dandi alimenta Magnatibus, etiam extenditur ad Barones, & personas habentes Majoratum cum jurisdictione. Francisc. Leon *tom. 1. decis.75. per tot.* Salgado *dict. cap.24. nu.50.* quod idem 16

alibi

alibi observari poterit, quia extensio ista maxima pietate, & probabilitate nititur.

17 In aliis verò possessoribus Majoratuum simplicium Salgadi sententia admittenda est, ut min mè possessori alimenta in concursu concedantur; quia Majoratus isti Dignitates non sunt secundùm se, nisi accidentaliter eis adveniat, veluti Marchionatus, aut Ducatus, seu contineant castra, oppida, & Vassallos, nam solùm in his est Dignitas publica. Molina *d. lib. 1. cap. 13. num. 4.* Mieres *1. p. quæst. 1. ex num. 10.* quapropter cessat ratio; ne possessori alimenta præstentur in concursu, nec ei debebuntur. Et confirmatur, quia similes Majoratus simplices magis tendunt ad utilitatem privatam familiæ, cùm nullo modo in Republica se exerceant; quare digni non sunt, ut favoribus aliorum Majoratuum fruantur, qui in exercenda jurisdictione, & vassallorum protectione, publica utilitate intercedente exercentur: Præterquam quod similes Majoratus parilem conditionem filiorum, & consanguineorum, naturalem quidem conturbant, unde singularibus favoribus non sunt prosequendi.

18 Idcircò rectè clamat Ambrosius in Hexaemer, *lib. 5. c. 18.* his verbis: *Quis docuit, nisi homo, filios abdicari? Quis reperit tam immitia patrum jura? Quis inter naturæ fraternæ consortia fratres impares fecit? Vnius divitis filii diversa sorte cæduntur. Alius totius paternæ sortis adeptione inundatur: alius opulentæ hæreditatis patriæ deplorat exhaustam, atque inopem portionem. Numquid natura divisit merita filiorum? Ex pari omnibus tribuit, quod ad nascendi, atque vivendi possint habere substantiam. Ista vos docent non discernere patrimonio, quos titulo germanitatis æquastis.* Quibus verbis addenda sunt alia Justiniani *in l. Maximum vitium 4. Cod. de liber. præterit.* ibi: *Qui enim tales differentias inducunt, quasi naturæ accusatores existunt.* Et à multis simplices isti Majoratus improbatur. Jason *in §. Sed iste quidem, Inst. Act. num. 224.* Lucas de Pena *in l. Quicumque, Cod. de Princip. assert. lib. 12. col. 1.* Licierius *de Primog. lib 2. quæst. 15.* Simancas *de Cathol Inst. cap 9. à n. 126.* quorum doctrinam admitto, & intelligo DD. contrarium tenentes in illustribus majoratibus Magnatum, ac aliarum nobilissimarum familiarum, cum dignitate, & jurisdictione: quo in sensu rectè procedunt Molina *lib. 2. cap. 1.* Couarruv. *lib. 3. var. cap. 3.* Guttierrez *can. quæst. lib. 2 quæst. 14.* Vela *dissert. 49. num. 23.* Castillo *lib. 8. cap. 36. §. 1.* Caponi *tom. 4. discept. 237. num. 2.* Ergo alimenta non sunt præstanda possessoribus Majoratuum simplicium in concursu, licèt inopia laborent, ut benè asserebat Salgado.

19 Hoc itidem beneficium, ne conveniatur, nisi in quantum facere potest, competit debitori Ecclesiæ: idque introductum, nam Ecclesia est mater pauperum, & pietatis, *c. Pia, de except. in 6.* quapropter pauperem debitorem, deducto ne egeat, convenit: tum quia ipsa tenetur pauperes alere. Leoncillus *de Privileg. pauper. 2 part. privileg. 9. à num. 1.* Et posteà dicemus *lib. fin.* idcircò convenit, deductis debitori alimentis, quæ posteà præstare tenebitur. Decius *in cap. Episcopus, de Præbend. num. 2.* Surdus *de Alimentis, 5. part. quæst. 78. num. 23.* Castillo *dict. lib. 8. c. 37. §. 2. n. 15.* Leoncillus *d. 2 part. privileg. 100. n. 1.* qui quidem hoc excipiunt, si Prælatus illius egeret, aut Ecclesia esset pauper; tunc enim cessat istud privilegium. Surdus *tit. 8. privil 24. num. 4.* Castillo nuperrimè allegatus.

20 Ast verò in re observo, in hac specie debitorem nihil aliud percepturum, nisi necessaria alimenta secundùm naturam, non verò secundùm statum, ut dicebamus de aliis personis. Et ratio est, nam Ecclesia hæc relinquit alimenta ex pura pietate, & misericordia, sine aliquo respectu ad personas; quapropter non tenetur dare, nisi necessaria secundùm naturam, ex dictis suprà, *cap. 5. num. 7.*

21 Denique Clericus hoc beneficio potitur, nec conveniri potest, nisi in quantum facere potest; hoc enim propter clericalem dignitatem concessum Clericis est, & ne mendicare cogerentur, in dedecus illius status. Quapropter decisum est, ut Clericus nequeat pro debito civili incarcerari, nec excommunicari, nec cogitur bonis cedere, sed tantùm ex fructibus Beneficii fit satisfactio creditoribus, reservatis alimentis illius secundùm decentiam, & statum personæ; & tantùm cautionem præstat de satisfaciendo, si ad pinguiorem fortunam perveniat, *cap. Odoardus 3. de solut. l. 23. tit. 6. part. 1.* ubi Gregorius. Guttierrez *de juram. 1. part. cap. 17. per tot.* Marchesanus *de Commiss. 2. part. cap. 7. à num. 1.* Picard. *dict. præcept. 9. à num. 66.* Castagna *de Benefic. deduct. ne egeat, quæst. 10. per tot.* Antonellus *dict. lib. 5. cap. 13. num. 6.* Parladorius *lib. 2. quot. cap. fin. 5. part. §. 7. num. 24.* Belletus *tit. de Cler. debit. §. 1. à num. 1.*

Ut tamen Clericus hoc beneficio capitis *Odoard.* perfruatur, aliqua sunt requisita necessaria: & primum est pauper- 22
tas; debet enim Clericus esse pauper, non ita ut nullo modo possit solvere, sed sufficiet, quod non possit in parte, ut constat *ex dict. cap. Odoardus*, ubi Fagnanus *n. 29.* Et ratio est, quia paupertas est fundamentum illius beneficii; quapropter si defecisset, corruet beneficium. Quamobrem de paupertate debet constare, ut asserit textus *in dict. cap. Odoardus*, ibi: *Quatenus si constiterit, quod prædictus Odoardus in totum, vel pro parte non possit solvere.* Idque per summariam informationem probantem famam, nuditatem, & inediam notoriam, vel quia ostiatim mendicat, aut non habet in redditibus, nisi vigintiquatuor, aut vigintiquinque scuta, Rota *3. part. divers. decis. 998.* & apud Seraphinum *decis. 175.* Fagnanus *in dict. cap. Odoardus, num. 31.* Barbosa *de univer. jur. lib. 1. cap. 39. §. 6. num. 6.* Riccius *in Praxi, decis. 284.* qui *num. 4.* asserit, Clericum pauperem esse quoad hunc effectum, etiamsi ex aliqua arte se possit sustentare, quia Clericis artem exercere prohibitum est. *Clement. 1. de vit. & honest. Clericor.* Rota apud Seraphinum *decis. 1279.*

Cæterùm est aliud requisitum, nempe ut sit Clericus, 23
sub cujus appellatione omnes Clerici continentur. Barbosa *dict. §. 6. num. 16.* Sed est dubium, an hoc beneficium competat minoribus Ordinibus initiatis, qui non gaudent privilegio fori? Prima sententia affirmat; nam Clerici minorum ordinum Cælestis Militiæ milites dicuntur, quatenus per quemlibet Ordinem ad officia Ecclesiæ deputantur, *cap. Nullus Episcoporum, dist. 3. cap. Christianis, cap. Degradatio 2. de pœn. lib. 6.* quapropter sicut militibus Armatæ Militiæ competit beneficium, ne conveniantur nisi in quantum facere possunt; similiter his minoribus Ordinibus initiatis beneficium capitis *Odoardus*, de aliis enim ad alteros valet argumentum, ut in specie probat Gonzalez *in dict. cap. 3. num. 14.* Cæterùm textus *in dict. cap. Odoardus 3.* non distinguit, sed absolutè hoc beneficium Clericis concedit, sub quorum nomine etiam minores intelliguntur, *cap. Cùm contingat 11. de ætat. & qualit. ordin.* ubi Fagnanus *num. 122.* Barbosa *appellat. 51. à nu. 1.* Ergo eis debet competere, etiamsi fori privilegio non fruantur. Præterea privilegium fori distinctum est ab hoc privilegio, ut patet in Clerico conjugato, qui licèt in speciali casu fruatur privilegio fori, & canonis, *c. unic. de Clericis conjugat. in 6.* Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 6. in fin.* non tamen utitur hoc privilegio. Fagnanus *ibi, nu. 23.* Ergo ex eo quod non fruatur privilegio fori, non est excludendus ab hoc privilegio. Ita pluries decisum refert Riccius *decis. 284.* Fagnanus *in d. cap. 3. à n. 20.* Torreblanca *de jur. spirit. lib. 15. cap. 6. à n. 16* Barbosa *2 p. alleg. 12. n. 32.* Belletus *dict. §. 1. n. 5.* Antonellus *d. cap. 13. n 7.*

Secunda sententia contrarium tenet, & ducitur; nam 24
ut scripsit Covarruv. *dict. cap. 1. num. 9.* Clerici minorum Ordinum, qui non fruuntur privilegio fori, laicis comparantur. Salgado *de Reg. protect. 1. part. c. 4. nu. 66.* quapropter nequeunt frui hoc privilegio. Cæterùm ratio formalis hujus beneficii est, ne pauper Clericus cum opprobrio mendicet. Gonzalez *d. cap. 3. num. 14.* quæ quidem ratio cessat in Clerico minorum Ordinum; non enim status Clericalis despicitur, si Clerici minorum Ordinum mendicent, qui non habent beneficium, nec speciali deputatione ad servitium alicujus Ecclesiæ adstringuntur: Ergo hoc beneficio non fruentur. Covar. *d. lib. 3. cap. 1. nu. 9.* Guttierrez *de jurament. 1. part. cap. 17. nu. 10.* Picard. *d. 2. part. præcept. 9. n. 66.* Salgado *dict. 1. part. cap. 4. n. 66.* Genuensis *in Praxi Archiepiscopal. cap. 3. num. 3.* Molina *de Iust. tract. 2. disput. 571. num. 20.* Castillo *lib. 8. controvers. cap. 37. num. 35.*

Tertia sententia distinguit, quando Clericus est mino- 25
rum Ordinum, absolutè loquendo; & tunc asserit, minimè hoc privilegio frui. Secus verò si Ecclesiæ inservierit, juxta terminos Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 6.* Cyriacus *controvers. 436. num. 7.* quia tunc reputatur ut Clericus, & habet privilegium fori, præcipuè in criminalibus.

bus. Riccius *d. decis.* 285. *n.* 2. Gratianus *discep. for. tom.* 2. *discept.* 222. *numero* 39. Baeza *de inope debit. cap.* 17. *num.* 20.

16 In hoc dubio animadvertendum, textum *in dict. cap. Odoardus*, loqui de Clerico, qui jurisdictioni Ecclesiæ subjiciebatur, & fori privilegium habebat; idque constat ex littera; nam causa Odoardi agebatur coram Officiale Archidiaconi Rhemensis Ecclesiæ, cujus jurisdictio Ecclesiastica est, prout etiam competit aliis Archidiaconis, qui de causis, & juris singulorum agnoscunt, habentque jurisdictionem, licèt non tam superiorem, ut habent Episcopi, *cap. Ad hæc 7. de offic. Archidiacon.* Galganat. *de jur. publico, lib. 3. tit. 21. num.* 6. Narbona *de Appellatione à Vicar. ad Episcopum, 1. part. num.* 20. Azorius *Inst. Moral. 2. part. lib. 3. cap.* 14. *q. 2. vers. Deinde*. D. Gonzalez *in cap. Dilecti* 66. *de Appellat. num.* 10. Quare textus iste nihil aliud probat, nisi hoc privilegium dandum esse Clericus majoribus Ordinibus initiaris, aut iis, qui fori privilegio fruuntur; non tamen decidit de aliis, qui minoribus Ordinibus tantùm sunt ordinati, absque fori privilegio.

17 Sed dices, *in dict. c. Odoardus*, non constat, Clericum illum fuisse minorum Ordinum; nam potuit Odoardus esse majoribus Ordinibus condecoratus, ac proinde ad Judicem Ecclesiasticum adduci: Ergo nequit extendi textus ille ad Clericum minorum Ordinum, etiam fori privilegio fruentem, dum efficax argumentum non fit. Sed respondetur, verbum *Clericus*, ut suprà adnotamus, includere etiam minoribus Ordinibus ordinatum, etiamsi tantùm prima Tonsura fuerit insignitus, *dict. cap. Cùm contingat.* 11. *de ætat. & qualit. ordin.* quia est realiter Clericus. Albertus Trot. *de vero, & perfect. Cleric. c.* 2. Flaminius *de Resign. lib. 4. quæst. 2. num.* 56. Torreblanca *de Mag. lib. 3. cap.* 9. *num.* 37. quare cùm Pontifex dicat, *Odoardum Clericum*, valet intelligi de Clerico minorum Ordinum.

18 Unde ex dictis sequitur, quod si aliquis Clericus minorum Ordinum deputetur ab Episcopo, mandato expresso, ad servitium, alicujus Ecclesiæ, & illi inserviat, utique Clericus iste hoc beneficio fruetur, quia non solùm est Clericus minorum Ordinum, verùm fruitur privilegio fori, ex dicto Decreto Tridentini *sess* 23. *de Reformat. cap.* 6. Torreblanca *lib.* 15. *de jur. spirit. cap.* 15. *num.* 22. Paz *in Praxi, tom.* 1. *prælud.* 2. *num.* 6 & 7. Idem dicendum, si ex mandato Episcopi in aliquo Seminario, aut Schola persistat ad studendum in via ad majores Ordines, ut patet ex dicto Decreto. Bolanos *in Curia, 3. part. §.* 1. *nu.* 3. Mastrillo *decis. Siciliæ* 113. Garcia *de Beneficiis, 2. part. cap.* 2. Riccius 4. *part. decis.* 111. Ergo in his casibus rectè beneficio Capituli *Odoardus*, fruetur Clericus minorum Ordinum, siquidem fruitur privilegio fori, ut benè tenet tertia sententia, & in ea consentiunt contrarii. Canisius *in d. c.* 3. *n.* 5. *de solut.* Paz *in Praxi, 2. tom.* 1. *p. c. un. n.* 6.

19 Tota igitur relinquitur concertatio, quando Clericus minorum Ordinum fori privilegio non frueretur; & tunc admitto secundam sententiam, nam ut animadvertunt Covarruv. *dict. num.* 9. Baeza *dict. cap.* 17. *num.* 20. innumeri sunt Clerici minorum Ordinum, quibus omnibus indiscriminatim hoc beneficium concedere, in gravissimum creditorum damnum tenderet: tum & injustum fieret, si tot & tantis concederetur. Præterea licèt isti Clerici minorum Ordinum milites Cœlestis Militiæ dicantur, est in aptitudine, non autem officia illa exercent, nisi mandato Episcopi specialiter deputentur Ecclesiæ, aut saltem ex ejus mandato Altari actu inserviant. Riccius *dict. decis.* 111. *num.* 5. Ricciolus *de jur. person. lib.* 2. *cap.* 6. *nu.* 15. Diana 1. *part. tract.* 2. *resolut.* 34. Ergo eis non est concedendum hoc privilegium. Denique licèt privilegium fori in aliquibus casibus sit distinctum ab hoc privilegio, attamen non in hac specie; quia fundatur, ne Minister Ecclesiæ, qui actu ex mandato Episcopi inservit Ecclesiæ, mendicare cogatur: Ergo quoad hoc privilegium æquales censentur, & ejusdem qualitatis, quapropter Clerici minorum Ordinum, qui fori privilegio non fruuntur, nec istud obtinebunt, ut tenent etiam Menochius *lib.* 2. *de Arbitr. casu* 183. *nu.* 30. Farinacius *in Praxi crim. quæst.* 27. *num.* 69. Campanillus *in diverf. rub.* 11. *cap.* 10. *num.* 50. Riccius 1. *p. collect.* 22. *in fin.*

20 Aliud enim requisitum petunt DD. ne Clericus in ludo, aut cum meretricibus bona sua consumpserit, & ob hanc causam contraxerit; tunc enim hoc beneficio non fruetur. Et ratio est, quia quando luxuriosè consumpsit bona, & debita contraxit, videtur hic beneficio renuntiasse tum quia non rectè lex canonica faveret Clerico luxurianti, quin potiùs in paupertate, & inedia est relinquendus ob pœnam tanti delicti, prout alii relinquuntur, quibus beneficium cessionis denegatur ob luxuriam ad inopiam pervenientibus. Rebuffus *cons.* 184. Thesaurus *decis.* 36. *num.* 5. Ergo nec Clericus, qui ob ludum, & luxuriam ad pauperiem pervenerit, hoc beneficio adjuvabitur. Riccius *in Praxi for. decis.* 297. *num.* 3. Leoncillus *de Privilegiis pauperum, 2. part. privileg.* 53. *numero* 5. Genuensis *in Praxi Archiepiscop. cap.* 3. *numero* 8. Carolus de Grassis *de effect. Cleric. effect.* 7. *num.* 51. Barbosa *dict. cap.* 39. §. 6. *num.* 25. Bellet. *tit. de Cler. debit.* §. 2. *num.* 6.

21 Verùm hoc requisitum certum non est, aliqui enim tenent contrarium; nam hæc pœna clarè in jure imposita non est, ut pauper ex sua culpa hoc beneficio privetur: tum etiam id in jure receptum est, ut pauper ex sua culpa paupertatis beneficiis non privetur, nisi ad causam fuerit ordinata, *l. Is qui* 44. *ff. de act. & obligat. l. Non omne* 38. *ff. de statutib.* Velasco *de Privilegiis pauper. 1. part. q.* 54. *per tot.* Ergo licèt Clericus ex luxu, aut vitiis pauper factus fuerit, cùm causa illa ordinata non fuerit ad decipiendos creditores, hoc beneficio fruetur, Collect. *in dict. cap. Odoardus, in princip.* Hostiensis *num.* 3. Joan. Andreas *in c. Imputari, de Reg. jur. in* 6. Fagnanus *in d. c.* 3. *à n.* 35.

22 Hanc doctrinam admitto, & consequenter requisitum hoc rejicio, & facilè probatur; nam beneficium istud Clericis conceditur, non ut privatis, sed ut Clericis, ne statu Ecclesiasticus despiciatur, cùm pauper Clericus mendicat; quapropter illa crimina, quæ ut privatus commisit, non tamen in ordine ad decipiendum creditores, non erunt sufficientia, ut tanto beneficio privetur.

23 Unde Clericus hoc beneficio exspoliabitur si tempore contractus sciebat se non esse solvendo, & falsò asseruit se habere idoneas facultates; vel quando dolo decipiat creditores, fingens non esse Clericum; aut quando in fraudem creditorum bona alienavit, vel consumpsit, vel etiam quando spe hujus beneficii debita contraxerit: hæ enim culpæ directè tendebant ad decipiendos creditores, quare si adsint, illo beneficio non fruetur. Riccius *d. collect.* 22. *in & Praxi for. decis.* 297. Caputaq. 3. *p. decis.* 183. Barbosa *d.* §. 6. *à num.* 19. Molina *d. tract.* 2. *disput.* 571. *num.* 21. qui idem asserit, si bona occultaverit, aut suspicio esset de ejus fuga cum bonorum suorum asportatione, ob eandem rationem. Molina *d. loco, num* 11. Salgado *d.* 2. *p. cap.* 4. *num.* 67. & 68. Gonzalez *in d. cap.* 3. *num.* 16. Fagnanus *à n.* 37. Bellet. *d.* §. 2. *à num.* 2. Antonellus *d. cap.* 13. *num.* 10.

24 Rursus est aliud requisitum, scilicet ut Clericus debitum agnoscat, ut patet *in d. c.* 3. ibi: *Recognoscentem hujusmodi debita*. Et probatur *ex l. Is qui* 6. *de cess. bonor.* ubi neganti debitum non conceditur cessio bonorum. Ergo nec hoc beneficium, cùm ad instar cessionis concedatur. Natta *cons.* 219. *num.* 8. Mandellus *cons.* 200. *num.* 2. prout etiam dicebamus suprà de Beneficio, *deducto ne egeat*, quando quis negaverit illam qualitatem, ex qua pendet beneficium illud, *cap.* 5. *à num.* 35. Cæterùm probatur; nam qui negat debitum, quod reverà debebat, id facere videtur ad fraudandum creditorem, quo quidem casu hoc beneficio privatur. Riccius *in Praxi, decis.* 286. Fagnanus *in d. cap.* 3. *à n.* 55. Guttierrez *de Juram.* 1 *p. cap.* 17 *num.* 2. & 3. Quod ita tenendum, si judicialiter abnegaverit, & pertinaciter, ut explicat Fagnanus *num.* 56. Barbosa *d.* §. 6. *nu.* 35. Si verò non pertinaciter, sed ante sententiam debita agnovisset, adhuc hoc beneficio fruetur; cessat enim pertinacia, & agnoscit bonam fidem, idcircò post agnitionem beneficium hoc adhuc concedetur. Afflictus *decis* 379. Ursillus *decis.* 296. Cavaler. *decis.* 415. *num.* 2. Belletus *disquisit. clerical. 1. p. tit. de Cleric. debit.* §. 2. *num.* 2. Riccius *ubi proximè, vers. Limitarem*. Barbosa *d. num.* 35. Paz *d. 1. p. c. un. n.* 7. *in fin.*

25 Deinde aliud est requisitum, ut Clericus civiliter conveniatur, ut patet *ex d. cap. Odoardus* 3. ibi: *Super quibusdam debitis convenissent*. Est tamen dubium grave, an si debitum ex delicto proveniat, Clericus hoc beneficio fruatur. Prima & communis sententia negat; nam illud est in jure notum

notum principium, ut qui non habet in bonis, luat in corpore, *l.* 1. §. *fin. ff. de pœn. l. fin. ff. de injus vocand.* Peregrinus *deciſ.* 59. Theſaurus *deciſ.* 382. Quapropter Clericus in debito deſcendenti à delicto, ad hoc beneficium non admittetur, verùm debitum commutabitur ad corporis pœnam. Cæterùm quando quis tenetur ad ſolutionem pecuniæ ex delicto, nequit juvari beneficio ceſſionis, ſive pœna illa applicetur Fiſco, ſive parti, ob intereſſe. Covarr. *d. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 8. Boerius *deciſ.* 341. Clarius *in Praxi*, §. *fin. quæſt.* 95. hoc enim beneficium Clericis ad inſtar ceſſionis conceditur. Ergo in debitis provenientibus ex delicto, Clericis hoc beneficium concedendum non eſt. Farinacius *in Praxi crimin. q* 26. *n* 11. & 12. & *quæſt.* 27. *n.* 72. Carolus de Graſſis *d. effect.* 7. *num.* 9. Baeza *d. c.* 17. *n.* 13. Menochius *de Arbitrariis*, *d. cent.* 1. *caſu* 183. *n.* 9. Campanillus *d. cap.* 10. *à num.* 21. Caniſius *in d. cap.* 3. *num.* 7. & 8. Belletus *d.* §. 2. *num.* 9.

36 Secunda ſententia aliter tenent, ſcilicet diſtinctionem faciendam eſſe, quando pecunia applicatur Fiſco propter pœnam, aut quando parti ob intereſſe damni ſibi provenientis ex Clerici delicto. Et quoad primam, minimè Clericus ad hoc beneficium admittetur; nam pœna illa pecuniaria applicatur Fiſco ob vindictam publicam: quare intelligitur neceſſariò, ut ſi non habeat in bonis, luat in corpore, ne delicta impunita remaneant; ſi enim Clericus ad hoc beneficium admitteretur, remaneret impunitus, idcircò in præſentiarum ad illud non admittetur. Caniſius *d. num.* 7.

37 Secus verò ſi pecunia applicatur parti ob intereſſe damni quia tunc eſt propriè debitum, nec intereſt, an deſcendat à delicto, necne, quia conſideratur tanquam intereſſe Civile, ut cum aliquibus notat Guttierrez *d. cap.* 17. *nu.* 33. Unde hoc beneficio fruetur Clericus, ut tenet ipſe Guttierrez *d. cap.* 17. *nu.* 27. Fagnanus *in d. cap.* 3. *à num.* 48. Riccius *d. deciſ.* 292. Genuenſis *in Praxi*, *d. cap.* 3. *n.* 27. Marcheſanus *d. cap.* 1. §. 1. *num.* 60 Barboſa *dict.* §. 6. *num.* 29.

38 In hoc dubio duo ſunt conſideranda. In primis, an Clericus, qui in bonis non habet, debeat in corpore luere; regulaque illa in Clericis procedat. Et communiter DD. aſſerunt admittendam, ut ſupponunt allegati *num.* 36. id que rationi conſonum videtur, ne aliàs Clerici in delictis impuniti relinquerentur. Pro hac opinione adducitur Abbas *in cap. finem litibus*, *de dolo*, & *contumac.* & *in c.* 3. *de ſolut. nu.* 9. qui nihil dicit, ſed ita tenent expreſsè Menochius *de Arbitrariis*, *lib.* 2. *cent.* 5. *caſu* 447. *num.* 7. Boerius *deciſ.* 349. *n.* 11. Farinacius *in Praxi crim. qu.* 26. *n.* 12. Baeza *de inop. deb. cap.* 11. *num.* 2.

39 Hæc enim propoſitio admittenda non eſt facilè; nam licèt regula illa conformis ſit rationi, eamque probent plura jura, & inveniamus in Scriptura ſacra comprobatam, *Exod. cap.* 22. ibi: *Si non habuerit, quod pro furto reddat, ipſe venundabitur.* D. Ambroſius *ſerm.* 78. ibi: *Qui reddibitione ſubſtantia ſatisfacere non poteſt, ſatisfaciat ultione corporis.* Caſſiodorus *lib.* 9. *epiſt.* 18 ibi: *Si quid in alienos thalamos doloſa machinatione præſumpſerint, facultatum ſuarum media portione priventur, ſtatim Fiſci juribus applicanda. Si verò prohibente pauperie, in aliquorum ſubſtantia nequierit vendicari, relegentur exilii. Ne, quod dictu nefas eſt, ideò videantur comminationem juris publici evadere, quia viliſſimæ noſcuntur ſubjacere fortunæ.* Faria *ad Covarr. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 61.

40 Attamen videmus regulam illam limitari in Nobilibus, qui ſi non habent in bonis, in corpore non puniuntur. Bart. *in l.* 1. §. *fin. ff. de pœnis*. Felinus *in cap. Ad deliberandum* 16. *de Judæis*, *n.* 3. Farinacius *d. quæſt.* 26. *num.* 21. Ergo ſimiliter dicendum eſt in Clericis. Et confirmatur, nam Clerici nobiles ſunt, ut ex conceſſione Theodoſii *in l.* 2. *C. Ut nemo privatus*, cognoſcitur. Tiraquellus *de Nobilitat. cap.* 9. *per tot.* Otalora *de Nobilitate*, 2. *p. cap.* 1. *num.* 8. Eſtque ad id locus D. Petri 1. *epiſt. cap.* 2. ibi: *Genus electum*, *Regale Sacerdotium*, *gens ſancta*. Moreno *de la Nobleza*, *diſcurſ.* 3. *n.* 2. Ergo ſi aliis Nobilibus conceſſum eſt, ne pro pœna pecuniaria, quando non habent in bonis puniantur in corpore; ſimiliter id eſt concedendum Clericis, quia nobiles ſunt. Præterea comprobatur, nam ideò nobiles in corpore non luunt, ſi pecuniaria pœna puniantur, quia habita conſideratione ad ſuam nobilitatem, talis pœna excederet, ut benè notat Farinacius *d. n.* 21. Sed major eſt ratio nobilitatis, & dignitatis Clerici, quàm nobilis laici, ut latè docet Lantmenter. *de vet. Clericor.* & *Monach. honore*, *lib.* 33. *cap.* 3. Ergo majori ratione pœna corporalis excedet pecuniariam in Clericis, idcircò ſicut nobiles in corpore non puniuntur, ſi non habent in bonis, ſimiliter nec Clerici.

Hoc argumentum graviſſimum eſt, nec certa diſparitatis ratio invenitur; qua propter ſi doctrina illa, nempe nobilem non eſſe puniendum pœna corporali, ſi non habet in bonis, certa ſit, prout tenent Covarr. *lib.* 2. *var. c.* 9. *n.* 4. *verſ. Octavo*, ubi Faria *n.* 63. Menochius *de Arbitrariis*, *caſu* 447. *n.* 12. Paz *in Praxi*, 4. *p. tom.* 1. *cap.* 5. *num.* 19. Similiter idem eſt dicendum in clericis, ut benè tenent Diez *in Praxi*, *cap.* 142. *n.* 4. ubi Salzedo. Faria *ad Covarr. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 55. 41

Hanc doctrinam admitto, ut pari paſſu ambulent Nobiles, & Clerici, ne pœna pecuniaria in corporalem mutetur, ſi bona non habeant: ſed tamen indiget explicatione, quapropter diſtinguendæ ſunt pœnæ, in quas valent converti pecuniariæ, nempe in corporales afflictivas, quæ quidem dedecorare poſſunt perſonarum nobilitatem, & dignitatem; & in his certa regula eſt in Nobilibus, & Clericis. Et ratio eſt, quia ratione dignitatis, & ſtatus nequit commutari pœna in corporalem, quia major eſſet, quàm pecuniaria, contra textum *in cap. Ut affirmamus* 24. *quæſt.* 5. quod enim in vilibus grave non eſt, graviſſimum eſt in Nobilibus, Clericis, & honeſtis viris, *l. In ſervorum*, *in fin. ff. de pœnis*. Ergo in Nobilibus, & Clericis commutatio pœnæ pecuniariæ nequit fieri in corporalem afflictivam, ex qua aliquod dedecus, & infamia ſequi poterit. 42

Aliæ verò ſunt pœnæ corporales, quę licèt in corpore infligantur, non tamen ſunt infames, nec redundant in dedecus perſonarum, nec illius ſtatus, itaque in eis poterit fieri commutatio in Nobilibus, & Clericis; nempe in exilium, ſuſpenſionem, vel in aliqua ſpiritualia exercitia, ut benè conſiderat Diez *dict. c.* 142. *n* 4. *in fine*. In his ergo exceſſum nullum libet conſiderare, attentis circumſtantiis, cùm id totum arbitrio Judicis relinquendum ſit, & ſemper commutatio ad benignam pœnam debeat fieri. Menochius *dict. caſu* 447. *num.* 25. Faria *dict. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 61. *in fin.* 43

Unde ſecundò conſiderandum eſt, quod in cauſis, quando ex delicto Clerico impoſita eſt pœna pecuniaria, ſive applicanda Fiſco, ſive parti, ratione pœnæ, non autem intereſſe, ſi non habet in bonis, nequit Clericus frui beneficio conceſſo *in dict. cap. Odoardus*, ut liberetur; ſed pœna illa commutanda eſt in aliam pœnam benignam, licèt afflictivam, exilii, aut ſuſpenſionis, vel alicujus exercitii ſpiritualis; idque neceſſariò admittendum, ne ex delicto ſuo commodum reportaret, & impunitus relinqueretur. 44

De Jure tamen Regio reſolutio iſta dubia fit, *ex l.* 9. *tit.* 16. *lib.* 5. *Recopilat.* ubi probatur, quod ſi delinquens ex furto bona non habuerit, adhuc ad ceſſionem bonorum eſſe admittendum. Ergo ſi Clericus ex delicto ad pœnam pecuniariam condemnetur, adhuc ad hoc beneficium eſt admittendus de jure Regio. Sed tamen Covarruv *dict. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 8. *in fin.* ſcripſit, legem illam p'erumque à Judicibus non admitti, ſed delinquentes ad triremes mittuntur; nec enim ad ceſſionem admittuntur. Sed textus ille clarus eſt, non enim loquitur de pœna pecuniaria Fiſco applicanda, ſed de intereſſe parti debito ex delicto ſibi obveniente, reſpectu cujus admittitur ceſſio, ut explicant Mathienzo *in d. l.* 9. *gloſſ.* 2. *num.* 33. Paz *in Praxi*, *dict.* 4. *part. c.* 5. *num.* 16. Guttierrez *de jurament.* 1. *p. cap.* 17. *n.* 28. aliàs ex pœna non conceditur, ut tenet Covarruv. *d. n.* 8. Salgado *in Labyr.* 1. *p. cap.* 7. *à num.* 1. 45

Quo verò ad pecuniam illam, quę parti applicatur ratione damni, & intereſſe, aliquod eſt dubium: & ratio eſt, nam licèt pecunia illa debitum civile videatur reſpectu illius, qui damnum percepit, aſt reſpectu delinquentis, quia à culpa procedit, pœna eſt, & ideò in aliam pœnam debet commutari, *c. Finem litibus* 5. *de dolo*, & *contumac.* ubi Abbas Franchus, & alii apud Covarruv. *dict. c.* 1. *n.* 8. Ergo minimè Clericus reſpectu illius pecuniæ hoc beneficio fruetur. 46

In re tamen animadvertendum textum *in cap. Finem litibus* 5. *de dolo*, & *contumac.* gravem ingerere difficulta- 47

cultatem ad hujus casus resolutionem; quippe probat apertè, quod si injustus litigator condemnetur in expensis, & non habeat unde solvat, commutationem faciendam esse in aliam pœnam secundùm arbitrium discreti Judicis: unde constat, minimè Clericum admittendum esse ad hoc beneficium, quando pro interesse partis condemnatur, quin potiùs in aliam pœnam commutationem faciendam esse, prout probat textus ille in condemnatione expensarum, quæ reverà pertinent ad interesse partis.

48 Sed tamen textus ille responsum percipit; non enim loquitur in causa criminali, sed tantùm in civili, ubi actor probatam habebat suam intentionem: excepit tamen reus, & in probatione succubuit; quapropter ut calumniator extitit, & tunc de Jure Canonico punitur speciali pœna, nempe ut si non habuerit unde expensas parti solvat, arbitrio Judicis puniatur, ne Respublica litibus scateat, unde tanta percipit damna. Larrea *decis.* 4. *num.* 8. Bobadilla *in Polit. lib.* 3. *c.* 14. *nu.* 77. Lipsius *lib.* 2. *de Civil. disciplina*, *c.* 11. Quapropter textus ille loquitur in speciali casu; nec enim ex parte rei consideratur expensarum solutio ut debitum, sed ut pœna, licèt ex parte actoris sit tantùm interesse, & ita commutatio fit in pœnam arbitrariam, si solvendo non sit; nec ex cessione, nec ex nostro beneficio excusabitur, ut benè docet Abbas *ibidem*, *n.* 5. Ananias *in cap.* 1. *de calumniat. col.* 2. Diez *in Praxi*, *cap.* 65. *in fine*, Covarruv. *d. cap.* 2. *num.* 8.

49 Unde resolvendum, Clericum ratione interesse parti debiti, etiamsi procedat ex delicto, rectè frui hoc beneficio; nam ratione delicti eum supponimus punitum. Ergo debitum illud, ut civile relinquitur, ratione cujus non est, ut à tanto beneficio privetur. Faria *d. c.* 1. *n.* 61.

50 Illud denique observandum à Judice, ut quando pœna applicatur parti, nec Clericus est solvendo, tum commutationem in aliam mitiorem pœnam faciendam esse cum consensu accusatoris, quia ipse poterit inducias ei præstare, ut solvat quando ad pinguiorem fortunam deveniat. Canisius *in dict. c.* 3. *num.* 8. Clarus *dict. cap. fin. quæst.* 95. *num.* 4. Covarruv. *dict. c.* 1. *num.* 8. Aliàs si puniatur, ab obligatione liberabitur. Mathienzo *in l.* 4. *tit.* 16. *lib.* 5. *Recopilat. gloss.* 2. *n.* 11. Cabal. *resol. crimin.* 77. *n.* 39. Brunus *de cess. bon.* 4. *p. princip. n.* 5.

51 Aliud petunt DD. requisitum, ut Clericus hoc beneficio fruatur, nempe ut conveniatur actione personali, secus verò si actione reali, & per rei vindicationem; in rebus enim propriis hoc beneficium conceditur, non in alienis. Riccius *decis.* 296. *in not. n.* 2. Brunus *de cess. bon. q.* 3. *nu.* 14. Fagnanus *in d. c. Odoardus*, *n.* 52. Genuensis *d. cap.* 3. *num.* 9. Barbosa *d.* §. 6. *num.* 29.

52 Hæc tamen resolutio difficilis fit ex doctrina, quam suprà retulimus de marito, qui quidem licèt conveniatur actione in rem, adhuc non condemnatur, nisi in quantum facere potest, uti scripsimus *cap.* 6. *à nu.* 21. præcipuè cùm valeat argumentum de uno ad alterum casum, ut ratiocinatur Fagnanus *ubi proximè*, *num.* 53. Sed disparitatis ratio dari potest, nam maritus ob honorem matrimonii non convenitur, nisi in quantum fatere potest, ad quem debet mulier prospicere; quapropter etiam quando agitur actione reali pro dote, fruitur illo beneficio. Ast creditor Clericis ex re propria non tenetur prospicere dignitatem Clerici, cùm id ad eum non pertineat, sed tantùm in necessitate ei succurrere; quapropter Clericus conventus actione reali, hoc beneficio non fruetur. Carolus de Grassis *dict. effect.* 7. *num.* 62. Squillante *de Privil. Clericor. c.* 10. *num.* 25.

53 Unde inferunt DD. in actione depositi Clericum minimè hoc beneficio potiri, non enim res depositæ ad dominium illius transierunt. Grassis *d. effectu* 7. *nu.* 58. Squillante *d. cap* 10. *n.* 41. Fagnanus *n.* 54. Mathesilianus *singul.* 60. *n.* 1. Barbosa *d.* §. 6. *n.* 31.

54 Hæc enim doctrina facilè procedit quando res depositæ extarent; quid verò si consumptæ fuerint, aut perierint? Et tunc distinguendum est, an si sine culpa depositarii perierint, & tunc ultra quod possit liberari id probando, absque dubio hoc beneficio fruetur, si conveniatur actione depositi. Si verò Clericus depositarius contrectaverit, & in usus proprios convertat, tunc hoc beneficio non fruetur, etiamsi res depositi fuerint consumptæ, quia ex delicto contrectandi hoc beneficio privatur, ut scripsit Cyriacus *tom.* 3. *controvers.* 605. *n.* 21. Et suprà diximus *nu.* 32. quando de dolo egimus.

Nonnulli verò Doctorum aliud petunt requisitum, ut 55
Clericus cedat bonis antequam recognoscat debita, & de jure confiteatur, *ex l. penult. ff. de cess. bonor.* Sed textus ille non loquitur in personis privilegiatis, ut est Clericus, quapropter contrarium tenendum est, ut minimè egeat bonis cedere. Idque probatur *ex dict. cap. Odoardus*, nam si jam Clericus ille cessisset bonis, excommunicatus non fuisset, ut supponitur in dicto textu. Tum etiam, quia Papa tantùm cautionem præstare præcipit, non verò cedere, ut benè expendit Fagnanus *num.* 58. Tum quia beneficium ideò favorabilibus Clericis, quia absque cessione admittuntur, etiamsi in carceribus non se constituant. Riccius *decis.* 283. & 2. *p. decis.* 176. Barbosa *d. cap.* 49. §. 6. *nu.* 9. Marta *de Jurisdict.* 4. *p. casu* 154. *nu.* 13. Baeza *d cap.* 17. *nu.* 9. Farinacius *quæst.* 27. *num.* 66. Unde etiam absque aliqua ignominia admittuntur ad hoc beneficium, non obstantibus constitutionibus S. Pii, & Pauli IV. quæ nec urbe receptæ sunt quoad Clericos, ut refert Fagnanus *in d. cap.* 5. *à num.* 61.

Est verò dubium disquirendum, an hoc beneficium con- 56
cedatur Clerico pensionem solventi, qui se obligavit in forma Cameræ. Prima sententia asserit, minimè concedendum; ratio enim est, quia juramentum solvendi conficitur, & obligatio Cameræ habet paratam exequutionem, nec contra illam aliæ exceptiones admittuntur, nisi fallsitatis, solutionis, aut pacti de non petendo; aliàs enim multis perjuriis aperiretur via. Tum etiam injustum esset, ut qui resignavit, absque beneficio, & pensione relinqueretur; quare non hoc beneficio fruetur Clericus pensionem solvens, quin potiùs relinquet beneficium, si aliter solvere non possit; idque in Curia Romana magis receptum. Fagnanus *in d. cap.* 3. *n.* 79. Farinacius *d. quæst.* 27. *num.* 70. Ferentillus *ad Buratum decis.* 97. *n.* 9. Gigas *de pens. q.* 10. *n.* 3. Belletus *Disquisit. Cler. tit. de Cleric. debit.* §. 2. *nu.* 7. Tondutus *de pens. cap.* 21. *à num.* 6.

Alteri verò tenent contrarium, quia etsi Clericus jura- 57
mento obligetur: si inopia oprimatur, adhuc hoc beneficio fruetur; potest enim à juramento petere absolutionem, seu relaxationem, & posteà hoc beneficium introducere, ut tenet Segura *in Direct. Judicum*, 2. *p. c.* 13. *à n.* 20. Ergo etiamsi juraverit solvere pensionem, adhuc hoc beneficio fruetur: nec obligatio Cameræ alicujus est ponderis quia licèt habeat paratam exequutionem, nec nisi quædam exceptiones admittantur adversùs eam, semper tamen Clericus opponere valebit hoc beneficium: tum quia nullo jure prohibetur: tum quia hoc beneficium admissum est in favorem totius Ordinis Clericalis; itaque nulla est causa, ut non opponatur etiam adversùs obligationem Cameralem, ut tenet Riccius *in praxi for. decis.* 291. Covarr. *d. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 9. *vers. quoties verò*, Genuensis *in praxi*, *cap.* 3. *num.* 13. Squillante *d. cap.* 10. *num.* 21. Barbosa *d. cap.* 39. §. 6. *num.* 28. *in fin.* Antonellus *d. cap.* 13. *num.* 8.

In re tamen animadvertendum, praxim cujuscumque 58
Tribunalis considerandam esse, ut perpendatur an facta obligatione camerali in solutione pensionis, hoc beneficium admittatur, necne. In Curia autem Romana adversùs obligationem Cameralem non admittitur oppositio hujus beneficii, ut cum Farinacio testatur Tondutus *de pensionibus*, *d cap.* 21. *num.* 10. Quapropter si in illa Curia, in qua causa pensionis disceptatur, praxis fuerit, ne hoc beneficium admittatur adversùs obligationem Cameralem, id erit observandum; fundatur enim in probabilissima sententia priori, recensita *num.* 55. quare rectè observabitur.

Si vero stylus, aut praxis non sit, benè poterit admitti 59
secunda sententia, quia ultra fundamenta tradita *n.* 56. facilè resignatarius pensionem habens, poterit illam percipere ex fructibus beneficii, si non præteritis, saltem futuris; qui quidem obligati sunt ad pensionem, tanquam onus illorum. Tondutus *de pens. cap* 6. *numer.* 9. Barbosa *de un. jur. lib.* 3. *cap.* 11. *nu.* 93. aut poterit petere regressum ad beneficium ob non solutam pensionem, ut latè explicant Tondutus *de pens. cap* 45. *per tot.* Barbosa *de exigend. pens.* 1. *p. qu.* 9. quare non obstante oppositione *d. cap. Odoardus*, rectè se indemnem relinquit. Unde nulla est causa sufficiens, ut Clericus, etiam in forma Cameræ obligatus, hoc beneficio non fruatur, ut rectè considerat Covarr. *n.* 9. *vers. quoties verò*.

Rursus circa hoc beneficium prætermittere non 60

oportet, posse opponi non solùm quando lis prosequitur, sed in exequutione sententiæ, prout diximus de beneficio non conveniendi, nisi in quantum facere potest. Idque illa potissima ratione, nam exceptio ista non impugnat sententiam, sed moderatur; quapropter valet opponi in exequutione illius Costa *de remediis subsid. cap.* 29. *numero* 6. Riccius *decis.* 280.

61 Unde admittendi non sunt asserentes Clericum hoc beneficio frui non debere, qui ad debitum solvendum tribus sententiis conformibus fuerit condemnatus, ut cum Gomez notat Farinacius *in Praxi, d. q.* 27. *n.* 70. Marchesanus *de commiss. cap.* 1. §. 6. *num.* 26. Salgado 2. *p. de Protect. cap.* 4. *num.* 64. Et ratio est, nam illæ tres sententiæ nihil aliud important, nisi enixam exequutionem, adversùs quam valet opponi hæc exceptio, ut diximus *nu. antecedenti*. Ergo etiam est concedendum adversùs tres sententias. Cæterùm ex eo, quod ipsæ sententiæ habeant strictiorem exequutionem, Clericus in dedecus status Ecclesiastici omnibus bonis privaretur. Ergo urgentiori ratione debet frui hoc beneficio post tres sententias conformes. Baeza *de inope debit. cap.* 17. *num.* 6. Covarr. *d. cap.* 1. *num.* 9. *vers. Quoties verò*. Guttierrez *de juram. cap.* 17. *num.* 33. *p.* 1. Molina *de Just. tract.* 2. *disp.* 571. *num.* 23. Barbosa *d. cap.* 39. §. 6. *num.* 26.

62 Est tamen dubium grave, an Clericus, quando huic beneficio renuntiavit cum juramento, vel sine illo, adhuc possit illo frui. Et ut hanc difficultatem clarè capiamus, duobus modis discutienda est. In primis, quando renuntiatio fit à Clerico simpliciter absque juramento. Secundò, quando renuntiationem juraverit. Et quoad primum asserendum, Clericum renuntiare non posse huic beneficio; nam concessum non est ratione personæ, sed status Clericalis, ne cum dedecore illius Clericus inops carceretur, & ad cessionem bonorum obligetur. Ergo nequit ipse beneficio huic renuntiare; siquidem status Clericalis pateretur dedecus. Et confirmatur ex decisione textus *in cap. Si diligenti* 12. *de for. compet.* ubi Clericus nequit renuntiare privilegio fori, quia id pertinet ad decentiam status Clericalis: Ergo nec huic beneficio. Cæterùm à simili probatur, quia Nobilis nequit renuntiare suæ nobilitati, quia id est contra Nobilium statum. Guttierrez 1. *p. de juram. cap.* 16. *à num.* 62. *& lib.* 4. *pract. quæst.* 4. Anguianus *de legibus*, *lib.* 3. *controvers.* 25. *à num.* 19. Garcia *de Nobilit. gloss.* 6. *à nu.* 18. Bobabilla *in Polit. lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 21. Qui resolvunt, minimè renuntiare posse suæ nobilitati, ut in carcerem detrudi possit. Ergo nec Clericus huic beneficio, ut contra decentiam status carceri mancipetur, & ad cessionem bonorum obligetur. Fagnanus *in d. cap. Odoardus*, *n.* 70. Anguianus *d. controvers.* 25 *num.* 10. Guttierrez *d.* 1. *p. cap.* 17. *num.* 34. D. Gonzalez *in d. cap.* 3. *numero* 17. Riccius *in Praxi for. decis.* 288. Antonellus *d. cap.* 13. *num.* 11.

63 Major enim difficultas est, quando renuntiationem fecerit, & insimul eam juraverit, an tunc possit hoc beneficio frui. Prima sententia negat, quia licèt Nobilis nequeat suæ nobilitati renuntiare; si tamen juramentum adjiciat, valida est renuntiatio, ut latè per Guttierrez. *d.* 1. *cap.* 16. Ergo idem est dicendum de Clerico, ut possit renunciare huic beneficio. Cæterùm cessio bonorum licèt non possit renuntiari, attamen valida est renuntiatio, si juramento valletur, ut cum Guttierrez, & Menchaca tenet Cevallos *quæst.* 701. *n.* 7. Riccius 4. *p. collect.* 128. *nu.* 2. Diana 7. *p. tract.* 8. *res.* 15. Ergo similiter Clericus poterit juramento huic beneficio renuntiare, & valida erit renuntiatio, ut tenet Guttierrez *d. cap.* 17. *num.* 35. Molina *de Just. d. d. disput.* 571. *n.* 26. Carolus de Grassis *de effectib. Clericatus*, *effectu* 7. *n* 21.

64 Secunda sententia tenet contrarium, *ex d. cap. Si diligenti*, ubi Clericus nequit renuntiare privilegio fori, etiam interveniente juramento: Ergo similiter non potest renuntiare huic beneficio. Cæterùm juramentum istud nequit esse obligatorium, continet enim iniquitatem, quatenus pactum illud opponitur reverentiæ, & decentiæ, quæ Clericorum statui debetur, dum Clericus per talem incarcerationem, & bonorum cessionem ad mendicitatem traheretur. Ergo minimè obligabit, ex vulgari regula, *Non est obligatorium*, *de Reg. Jur. in* 6. Tum ex incarceratione Clerici nullum creditor reportat commodum, nisi quod crudeliter illum vexat, & in perpetuo carcere facit mori, *l. Reo criminis*, *ff. de solut.* & multa damna sequuntur, nempe quod Clericus in Ecclesiis non assistat, ner vacet Horis Canonicis, nec in publico Sacrificium peragat, quare nequit similis renuntiatio juramento vallari, ut tenent plures Canonistæ, quos sequitur Fagnanus *in d. cap.* 3. *de solut. à nu.* 76. Genuensis *in Praxi Archiepiscopali*, *cap.* 3. *num.* 4. Cevallos *quæst.* 701. *nu.* 11. Leoncillus *de Privileg. paup.* 2. *p. Privileg.* 53. *num.* 4. Paz *in Praxi*, *tom.* 2. *p.* 3. *c. un. n.* 6. Phebus *decis. Lusit. tom.* 1. *decis.* 48. *n.* 10. Barbosa *d. cap.* 39. §. 6. *num.* 14. Antonellus *d. cap.* 13. *n.* 12.

In hoc dubio illud est animadversum, duobus modis esse 65
considerandam hanc difficultatem. In primis ex parte judicis cognoscentis de causa, ubi Clericus renuntiavit huic beneficio cum juramento; qui quidem poterit illum non incarcerare, nec à bonis exspoliare, sed relinquere alimenta necessaria, non obstante juramento id enim pertinet ad Judicem Ecclesiasticum prospicere, ne status Clericorum dedecoretur; sed causas agere eo modo, ut Majestas Ecclesiæ semper immunis relinquatur, ut tenet Molina *d. disp.* 571. *num.* 26.

Ex parte verò Clerici cum juramento renuntiantis, est 66
dubium, an renuntiationi stare debeat ob religionem jurisjurandi, etiamsi per se invalida sit renuntiatio. Doctores primæ sententiæ nullam rationem inveniunt, ne ex parte Clerici jurantis servetur juramentum, ex rationibus datis *nu.* 62. quibus placet, quod licèt renuntiatio hujus beneficii facta à Clerico invalida sit, attamen si juramentum adjiciatur, sustinetur, prout quando aliis actibus nullis adjiciatur, *cap* 1. *c. Debitores* 6. *de jurejur. c. Quamvis pactum*, *de pact. lib.* 6. *Auth. Sacramenta puberum*, *C. Si adversùs vendit.* Ergo in præsentiarum debet sustineri. Aut ipsi agnoscunt, facilè posse Clericum à juramento liberari, petendo illius relaxationem, qua petita, ad hoc beneficium admittetur, ut benè notat Molina *d. disput.* 571. *num.* 26.

Hæc sententia admittenda est, utpote securior. Sed con- 67
traria maximam habet probabilitatem, & meo videri graviter eam probat textus *in d. cap. Si diligenti* 12. *de for. compat.* Qui quidem textus clarè probat, renuntiationem fori non posse fieri à Clerico, etiam juramento vallatam, ut multis comprobat ibidem D. Gonzalez *num.* 9. Unde sequitur, etiam juramento interveniente, non posse Clericum huic beneficio renuntiare: nec obstat responsum Guttierrez *d. cap.* 17. *num.* 35. dicentis, majus dedecus versari in renuntiationes fori, si illi Clericus renuntiaverit, quàm si renuntiasset beneficio capitis *Odoardus*; considerat enim majus dedecus in eo quod Clericus apud sæcularem judicem conveniatur, quàm si exspoliatus bonis mendicare cogeretur: quod quidem asserendum non est, sunt enim plures casus, quibus Clericus apud sæcularem Judicem trahitur, non obstante illo dedecore, ast rari, quando hoc beneficio privatur, ob gravissimum inconveniens, ne Clericus ad mendicitatem trahatur, vel perpetuo carceri mancipetur. Cæterùm, olim Clericus proprio foro renuntiare poterat, *ex l. Cæsarum*, *l. Si quis in conscribendo* 29. *C. de pact.* quod adhuc renuente Jure Canonico perperam defendere conati sunt Cujacius *in l. jus publicum. ff. de pact.* quem transcripsit Pomeranus *de jurisdictione*, *lib.* 1. *cap.* 22. *à num.* 16. quibus & adjungere libet Jul. Capponi *tom.* 5. *discept.* 397. *à nu.* 41. quatenus scripsit, Clericum sacris initiatum renuntiare posse privilegio fori, licèt non expressè, verùm tacitè, cùm id etiam tendat in dedecus totius status, quatenus etiam per tacitam renuntiationem trahitur ad negotia coram sæculari judice, *c. Sylvester*, *in fine*, *c. Testimonium*, *in princip. & vers. Episcopum*, 11. *q.* 1. *cap.* 2. *Ne Clerici*, *vel Monachi*, *c. Significarunt* 4. *de Judiciis*, & tradita per Anguianum *de legibus*, *lib.* 2. *c.* 21. *à num.* 21. Unde licèt has doctrinas non admittamus, quin potiùs rejicimus, ut benè advertit D. Gonzalez *in d. c. Si diligenti*, *à nu.* 12. Balboa *ibidem*, *quæst.* 2. Attamen probant, aliquo modo non esse majus privilegium fori, quàm dicti capitis *Odoardus*. Unde ratio Guttierrez non subsistit.

Et confirmo discursum; nam in renuntiatione fori tan- 68
tùm obest jus publicum, ne dedecoretur status Ecclesiasticus, dum Clericus agit, vel se defendit coram judice sæculari, ut benè perpendunt Gonzalez *in d. c. Si diligenti num.* 11. Anguianus *d. cap.* 21. *num.* 29. Granna *num.* 3. Ast majus dedecus est contra ipsum statum, quod Clericus bonis exspoliatus mendicet, aut servituti perpetuæ carceris mancipetur, ut patet: Ergo rejicienda est ratio Guttierrez. Et consequenter asserendum, textum *in d. cap. Si diligenti*,

gra-

graviter probare, nullam esse renuntiationem hujus beneficii, factam à Clerico, etiam cum juramento.

69 Cæterùm comprobo hanc doctrinam ex Covarr. *d. cap. 1. num. 9.* ubi scripsit, Clericum jurantem solvere debitum, adhuc opponere posse hoc beneficium: cujus doctrinam veram dicit Molina *d. disp. 571. num. 28.* si simpliciter juretur à Clerico; non præciso animo se obligandi ad integrè solvendum, aut si non expresserit, prout etiam explicat Guttierrez *d. c. 17. num. 36.* sed immeritò, nam doctrina Covarr. ideo est intelligenda, etiamsi Clericus integrè solvere juraverit. Et ratio est, nam illa tacita renuntiatio, quæ fit per juramentum integrè solvendi, nulla est, tanquam iniquitatis vinculum; quapropter etiam in illo casu poterit opponi hoc beneficium. Ergo similiter etiamsi expresè juraverit Clericus renuntiationem illius beneficii; quidquid in contrarium possit argumentari ex traditis à Riccio *in Praxi, decis. 296.*

70 Jus verò in aliquibus casibus temperat hoc beneficium, nempe si Clericus in dolo versetur, prout quando aliena bona administraverit, & malam reddidisset rationem. Squillante *d. cap. 10. num. 44.* Barbosa *d. cap. 39. §. 6. num. 33.* Aut quando hæres institutus inventarium non fecerit propter præsumptum dolum, ut cum aliquibus docet Barbosa *nu. 32.* Thom. Trivisius *1. p. decis. 8.* Riccius *d. decis. 296. not. 3.* Vel quando in fraudem creditorum contraxit, consumpsitque bona, spe gaudendi hoc beneficio, & decipiendi creditores. Barbosa *dict. cap. 39. §. 6. num. 23.* Fagnanus *in dict. cap. Odoardus, num. 46.* Quod idem tenet in Clerico negotiatore. Riccius *in dict. decis. 296. not. 4.* cùm Clerici excercentes illicitas negotiationes, privilegiis propriis priventur: & in Clerico perjuro similiter tenet Barbosa *dict. §. 6. num. 34.* Quibus casibus etiam alium annectunt DD. quando creditor pauperior fuerit, quàm ipse Clericus. Genuensis *dict. cap. 3. num. 14.* Squillante *dict. cap. 10. nu. 40.* Leoncillus *2. part. privileg. 53. num. fin.* Barbosa *dict. §. 6. num. 30.* Belletus *dict. tit. de Cler. debit. §. 2. num. 11.*

27 Est verò dubium, an Clerico excommunicato hoc beneficium competat? Prima sententia negat; nam excommunicatus nequit esse in judicio, *cap. Intelleximus 7. de judic. cap. Post cessionem 7. de probat. cap. Decernimus, de sent. excommunicat. in 6.* quare nequit beneficium hoc opponere, nec ad id in judicio comparere. Tum excommunicatus est membrum diaboli, & extra Ecclesiam, *cap. Omnis Christianus 11. quæst. 3. cap. Multi 2. quæst. 1.* & indignus fit, ut privilegiis Ecclesiæ, & suorum Clericorum juvetur, quapropter dignè hoc beneficio privatur. Denique, nam frustrà legis auxilium implorat, qui in legem committit, *l. 1 Cod. de hæredibus inst. l. Auxilium, ff. de Min. cap. fin. de immunit. Eccles.* Sed Clericus excommunicatus, contemnens Ecclesiæ claves, in legem committit: Ergo debet hoc beneficio privari. Rota apud Cavalerium *decis. 511. num. 4.* Marchesanus *de Commiss. 3. p. tit. de commiss. ad cess. bon. §. 1. num. 60. & 61.* Carolus de Grassis *d. effect. 7. num. 54.*

72 Secunda sententia tenet contrarium, nam beneficium hoc opponitur, prout exceptio, non autem pro actione; siquidem Clericos convenitur pro debito, ut reus: Ergo licèt sit excommunicatus, potest in judicio comparere, & hanc exceptionem opponere; illud enim expeditum est, ut excommunicatus possit in judicio suas exceptiones opponere, *cap. Cùm inter 5. cap. Exceptionem 12. de Except. cap. 1. de Excep. in 6. Clement. un. eod. tit.* Balboa *in cap. 2. de except. à num. 2.* Suarez *de Censur. disput. 16. sect. 3.* Ergo licèt excommunicatus, poterit hoc beneficium excipere. Cæterùm Clericus excommunicatus gaudet fori privilegio Innocent. *in cap. Si verò, de sentent. excommunicat. num. 3.* Decianus *tract. crim. lib. 6. c. 7. num. 20.* Franciscus Marcus *part. 2. decis. 418.* Ergo etiam hoc beneficio gaudebit. Riccius *in Praxi, decis. 281.* aliàs 250. Squillante *d. cap. 10. n. 6.* Barbosa *d. §. 6. num. 18.* cum quibus residere videtur Belletus *d. tit. de Cleric. debit. §. 1. à n. 23.*

73 Sed tamen non obstante prima sententia, quam apertè tenet ipse Barbosa *in dict. cap. Odoardus, n. 23. vers. Limita decimononò*, admitto secundam: & ratione probo, quia ut diximus, beneficium hoc, non tam conceditur personæ, quàm statui Clericali, nec dedecoretur ob nimiam Clerici paupertatem; quapropter ob culpam Clerici excommunicati nequit status ipse illud dedecus pati; unde necessariò beneficium hoc est denegandum Clerico excommunicato, non propter se, sed propter decentiam status, prout observatur in privilegio fori. Cæterùm probatur *ex gloss. fin. in c. studeat, dist. 50.* asserente, Clericum suspensum à canone, vel ab homine, adhuc hoc beneficio potiri. Et comprobat Guttierrez *d. cap. 17. nu. 18.* Belletus *dict. §. 1. nu. 18.* Ergo similiter dicend um de Clerico excommunicato, nulla enim ratio disparitatis potest dari inter utramque censuram. Denique licèt excommunicatio habeat diversos effectus, de quibus Villalobos *in Summa, 1. part. tract. 17. difficult. 4. cum sequentibus*, Suarez *de censuris, disp. 9. à sect. 1.* non tamen privat hoc beneficio; quapropter existimandum non est, Clericum excommunicatum hoc beneficio privari.

Hinc fundamenta contrariorum facilè dilabuntur; nam 74
licèt excommunicatus non possit stare in judicio, stat tamen, si excipiat, utpotè quando hoc beneficium opponit, ut benè considerat Riccius *dict. decis. 281. n. 1. vers. Cæterùm.* Tum, nam licèt excommunicatus sit per excommunicationem membrum diaboli, & in legem delinquat, diversis pœnis afficitur ab ipsa excommunicatione productis, de quibus Villalobos & Suarez, & communiter Scribentes de excommunicatione; non verò privatur hoc beneficio, quod tendit ad decus status Ecclesiastici.

Illud verò citra dubium admissum est, ne possit fidejussori Clerici, ex persona Clerici debitoris; quia conceditur Clerico ratione status, quare nequit prodesse fidejussori, prout nec prodest declinatoria fori. Romanus *singul. 645.* Afflictis *decis. 206.* Anton. Faber. *diffinit. 1. Cod. de fidejuss.* nec cessio bonorum, *§. fin. Inst. de Except.* Lanfrancus *decis. 525.* Idcircò id communiter tenent Cevallos *dict. quæst. 701. nu. 14.* Guttierrez *Pract. lib. 4. quæst. ult. à num. 20.* Riccius *decis. 289. & part. 4. decis. 173. num. 8.* Barbosa *d. cap. 39. §. 6. num. 36.*

Est tamen necessarium, ut Clericus hoc beneficio fruatur, quod cautionem idoneam præstet, prout petit textus *in dict. c. Odoardus*, quæ quidem fidejussoria, aut pignoratitia esse debet; nam quoties idonea cautio petitur, non sufficit juratoria: licèt enim Clericus inops sit, tamen potest fortè inveniri fidejussor; si tamen non inveniat, juratoria sufficit, ut explicat Fagnanus *ibidem, à n. 63.* Barbosa *n. 25.* continet tamen cautio ista, ut solvat, si ad pingiorem fortunam perveniat. Ad quam quidem dandam cautionem, licèt Clericus non possit incarcerari, attamen ad dandam cogetur, ut cum aliquibus notat Barbosa *dict. nu. 25.* Leoncillus *dict. privileg. 53 num. 1.* Grana *in dict. cap. Odoardus, numero 1.* Riccius *decis. 296. not. 5.* Graffis *dict. effect. 7. num 65.* Barbosa *dict. cap. 39. §. 6. num. 10.* Canisius *in dict. cap. 3. de solut. num. 10.* Belletus *d. §. 1. num. 7.*

Si verò ad pinguiorem fortunam Clericus perveniat, ad 77
solutionem tenebitur, quia obligatio, ex hoc beneficio tantùm suspenditur; attamen hoc beneficio fruetur, nec condemnabitur, nisi in quantum facere potest. Fagnanus *in dict. cap. 3. num. 65.* Praxis verò hujus beneficii est, quando Clericus beneficium habuerit, ut fructus sequestrentur, & relictis alimentis congruis, ex reliquo fiat creditoribus satis *ex c. Pervenit 2. de fidejuss.* Riccius *decis. 282.* Salgado *de Protect. Reg. 2. part. cap. 4. num. 63.* Menochius *lib. 2. de Arbitrariis, casu 183. num. 30* Si verò beneficium non habuerit, sola cautione liberatur, quia non habet bona ut suppono; libellus verò ad fruendum hoc beneficio, quando Clericus beneficium habet, aut non, apponitur à Paze *in Praxi, 1. part. 2. tom. cap. unico, à num. 17.*

CAPUT VIII.

De necessitatibus Publicis, & quomodo subveniendæ sint: & de Tributis.

SUMMARIUM.

Eleemosyna est occurrere necessitatibus publicis, quæ variis modis occurrunt, num. 1. & 2.

Potestas imponendi tributa, solum competit Principi Superiorem non recognoscenti, nu. 3. Quod aliqui dicunt de Jure Divino, habentque eam non solùm Principes Christiani, sed & infideles, num. 2.

An possint tributa imponere Rectores Provinciarum? Affirman-

mandum videtur, n. 5. Sed contrarium defenditur, à n. 6. Ubi explicatur lex Omnes 12. Cod. de oper. publicis.

Excluditur textus in l. 1. tit. 6. lib. 7. Recopilat. l 25. tit. 6. lib. 3. Recopilat. *ubi communitatibus interdicitur tributa imponere ultra tria milia marapetinorum, n. 7. Etiam ad donativa Regi ſolvenda, ibid.*

An hæ leges obſervari debeant etiam in urgentiſſima neceſſitate? Prima ſententia negat, n. 8. Secunda affirmat, n. 9. Defenditur hæc ſententia, n. 11.

Non tamen erit locus huic doctrinæ, ſi urgentiſſima ſit neceſſitas, & adſit periculum in mora; ſed poſteà à Concilio Regio id confirmandum, ibid.

Sunt caſus, ubi non obſervantur leges Regiæ. Primus, quando omnes cives conſenſerint, n. 12. Veluti fieri valet in Confraternitatibus, num. 13.

Sed non ſunt etiam imponendæ collectæ ad ludos publicos, num. 14.

Secundus caſus, quando Civitas facultate Regia receperit cenſum, nec eſt unde redditus ſolvantur, n. 15. Fit inſtantia, & reſpondetur, num. 16. & 17. Tandem contrà reſolvitur, nu. 18. Niſi quando jam fuerit ad executionem proceſſum, n. 19.

Tertius caſus, quando lis penderet coram aliquo Judice, & in Civitate, & villa non ſunt bona ad illam proſequendam, ſeu ad ſolvendam condemnationem: tunc ſufficit licentia Judicis, n. 20. Licentia Regis ſupletur per ſententiam, ibid.

Marchiones, Duces, Comites, & alii inferiores, nequeunt collectas vaſſallis imponere, n. 21.

Sed an exemptione, aut conceſſione Regum poſſit illas imponere duobus modis, aut vendendo, vel concedendo antiqua tributa; vel dando, vel vendendo jus imponendi, num. 22.

De antiquis tributis probabiliter negant aliqui, à n. 23. Sed communiter tenetur contrarium, à n. 25.

An tributa impoſita poſſint à Rege vendi? Defendunt plures, n 26. Sed contrarium defenditur, à n. 27.

Explicantur textus in c. Super quibuſdam 36. §. Præterea, de verb ſign. *à n. 44.*

An Reges Caſtellæ poſſint vendere, & concedere Tertias Regales? Affirmant plures, n. 45. Sed contrarium defenditur, à n. 48.

Laicus ſuſcipit decimas nomine Eccleſiæ, n. 49. Explicatur S. Thomas, n. 50.

Decimæ ſunt inſeparabiles à titulo ſpirituali, n. 52. Tertiæ Regales tenentur ad ſubſidium, & excuſatum, ibid.

Principum reſcripta intelliguntur abſque præjudicio tertii, n. 53. Plura damna ſequerentur, ſi tertiæ regales ſeparentur à titulo ſpirituali, à n. 53.

Explicantur caput 2. de locat. c. fin. ne Prælat. vic. ſuas, *à nu. 55. Explicatur lex* Per procuratorem 90. ff. de acquirenda hæredit. *n. 58. & 59.*

Principes poſſunt repetere quælibet tributa, vel tertias regales, venditas, vel conceſſas, & quomodolibet extractas à regia corona, n. 60.

Reges nequeunt vendere, aut concedere redditus ſuper tributis ſibi conceſſis, vulgò Juros. *Et poſſunt differre ſolutionem, n 61. Et gratias ſuſpendere tempore neceſſitatis, ibid.*

Ex tolerantia Principis nequeunt Magnates tributa præſcribere, etiam demonſtrato titulo, n. 62.

Rex poteſt vendere, aut concedere jus imponendi gabellas, prout ibi explicatur; tamen jus iſtud non præſcribitur, n. 63.

Ad imponendum tributum neceſſaria eſt cauſa, nu. 64. Ita ut cauſa ceſſante, ceſſet tributum, n. 65.

Enumerantur variæ cauſæ tributi, n. 66.

1 HUcuſque egimus de privatorum neceſſitate extrema vel gravi: nunc verò agere placet de neceſſitatibus publicis, quibus ſubvenire non minor eleemoſyna eſt, & charitas, quàm ſubvenire privatis: verùm etiam major, cùm ſuſtineatur tota Reſpublica, quod eſt majus bonum, l. *Munerum* 18. §. *Item, de muner, & honoribus, l. un. ſub fin. Cod. de caducis tollendis, c. Licèt* 18. *de Regularibus*, Leoncillus *de Privil. paup. p. 2. privil. 283. n. 33.*

2 Publicæ enim neceſſitates multis modis poſſunt evenire; jam enim accidunt propter bella, non ſolùm externa, ſed & interna, fames, peſtes, vel graves epidemias, propter claſſium armaturam, reparationem Caſtellorum, & Urbium; propter conſervandum ſtatum Principis, & Regiam Majeſtatem, & alia quamplurima quotidie contingentia, quæ ad conſervationem, vel bonum Reipublicæ, & Regnorum attingunt, quibus variis modis occurritur. Et in primis adſint tributa frequentiora, quàm alia quælibet media. Parra *de legibus, tract. 4. art. 2. dub. Append. num. 1.*

3 Ad quæ quidem rectè imponenda aliqua ſunt neceſſaria, & in primis poteſtas imponendi, quæ quidem ſolùm competit Principibus ſuperiorem non agnoſcentibus: quapropter illa poterunt imponere Papa, Concilium Generale, Imperator, Rex, vel qualibet Reſpublica non habens ſuperiorem, *c. Super quibuſdam 36. §. Præterea, de verb. ſignificat. l. 1. & 2. Cod. Vectigal. nova conſt. non poſſe. l. 9. tit. 7. part. 5.* Et ratio eſt, nam tributa, ſeu Collectæ imponuntur ad bonum commune Reipublicæ, quare nequeunt imponi niſi ab illo, qui curam gerit illius. Tenent Tapia *in Catena, lib. 3. de legibus, quæſt. 11. art. 2. nu. 1.* Villalobos *in Summa, 2 part. tract. 8. difficult. 13. nu. 2.* de Lugo *de Juſt. diſp. 36. ſect. 1. à num. 3.* Araujo *de ſtat. civil. diſput. 12. difficult. 2. à num. 1.* Larrea *alleg. 59. à num. 1.* Amaya *in l. 3. Cod. de Annonis, lib. 10. num. 5.* Antunez *de donat. 3. p. cap. 1. num. 4.*

4 Quod quidem ita affirmant plurimi, ut hanc poteſtatem firment de jure Divino Principibus competere, ut ex *Matth. c. 22. Lucæ 12. Marci c. 11.* probat Otalora *de Nobilitate, 1. cap. 3. n. 1.* Alteri verò originem trahere à Jure Divino affirmant, quorum ſententiam comprobat Larrea *dict. allegat. 59. n. 5.* Non ſolùm verò hanc poteſtatem habent Supremi Principes Chriſtiani, ſed etiam infideles, quibus tributa rectè impoſita debent ſolvi, etiam à vaſſallis Chriſtianis, vel ab aliis, qui ad ſuas terras propter mercimonium perveniunt. Idque facilè probatur authoritatem Chriſti Domini *apud Matth. c. 22. verſ. 21.* ibi: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari:* ubi Cæſari jubetur tributum ſolvi, qui tamen Ethnicus erat. Et authoritate D. Pauli *ad Rom. 13.* ubi *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Tunc enim temporis Romani Ethnicos Principes habebant, quibus hoc incidit præceptum: unde facilè probatur, etiam Principibus infidelibus juſta tributa eſſe ſolvenda, ipſoſque habere poteſtatem ad ea imponenda, ut cum aliquibus tenet Parra *de dub. Append. n. 33.* Sanchez *conſ. lib. 2. cap. 4. dub. 5.*

5 Sed contrà adeſt textus *in l. Omnes 12. Cod. de operib. public.* ubi probatur ad impoſitionem collectarum non requiri ſupremam poteſtatem, quia Provinciarum Rectores valent eas imponere ad neceſſitates publicas, veluti ad muros conſtruendos vel reficiendos. Et comprobatur ratione iſta deciſio, nam duplices poſſunt conſiderari publicæ neceſſitates: aliæ quæ ſunt totius Regni, & ad illis ſuccurrendum erit neceſſaria Principis ſuprema poteſtas, cùm ad illum pertineat cura totius Regni: alteræ verò, quæ ſunt particularis Provinciæ, vel alicujus Urbis, & tunc poterunt collectæ imponi à Rectore illarum; nam ad illos pertinet cura illarum Provinciarum, aut Urbium, atque ita ad ſuccurrendas earum neceſſitates poterunt imponere collectas.

6 Sed hoc argumentum doctrinam ſuprà traditam non elidit; illud enim principium ſcitum eſt, collectas imponere ad Principis regaliam pertinere, nec aliquem illas imponere poſſe, niſi ne ejus ſpeciali mandato, & commiſſione, aliàs facilè vaſſalli gravarentur, ac duriſſimas vexationes paterentur, *c. Innovamus 10. de cenſibus, cap. ult. in tit. Quia ſunt regalia* Vveſembechus *conſ. 27. à n. 10.* Avendannus *de exequend. 2. p. cap. 14. à nu. 1.* Flores de Mena *lib. 2. var. quæſt. q. 21. num. 11.* Bobadilla *in Polit. lib. 5. cap. 5. à num. 1.* Azevedus *in l. 25. tit. 6. lib. 3. Recopilat. num. 11.* Quare licèt Rectores Provinciarum de jure communi ad reparandos muros, vel fontes, vel pontes, aliquas ſpeciales collectas, ſeu tributa poſſint imponere, id eſt, quia à Principe conceſſum eſt, aut tacitè per conſuetudinem permiſſum; non verò, quia ipſi Rectores, aut communitates habeant à ſe ipſis hanc poteſtatem, ut rectè conſiderat de Lugo *d. diſput. 36. ſect. 1. n. 8.* Villalobos *d. difficult. 13. n. 2.* Mena *lib. 2. var. q. 21. §. 1. n. 12.*

7 De jure verò Regio adeſt textus *in l. 1. tit. 6. lib. 7. Reco-*

Recopilat. ubi decernitur, ne ullæ communitates collectas faciant absque Regis expressa licentia, excedentes tria millia marapetinorum; qui verò contrarium fecerint, amissione bonorum plectuntur, & judices suis officiis privantur. Quod idem decernitur *in l. 26. tit. 6. lib. 3. Recopilationis*, non obstante qualibet consuetudine: & ultrà decernitur, collectas trium millium marapetinorum per civitatem, & ejus territorium esse faciendas, nisi distributio soleat fieri distinctio in territorio ab ipsa Urbe. De qua re Mena *d. q. 21. §. 1. à num. 33.* Bobadilla *d. cap. 5. nu. 14. & 370.* Balmaseda *de collect. quæst. 5. nu. 2.* qui *num. 3.* id contendit, etiamsi collectæ fiant ad solvendas donationes Regi faciendas (apud Nos *Donativos*) idque experimento comprobat, quia universitates facultatem Regiam requirunt ad collectas faciendas, quoties Donativa, aut Donationes istæ à Domino Rege petuntur. Amaya *in d. l. 3. à n. 9.* Villadiego *in Polit. c. 5. Instruct. §. 34. n. 3.*

8 Est verò dubium, an hæ leges procedant urgente gravi necessitate. Prima sententia negat, & ratio est, nam quælibet alienationis prohibitio intelligitur de alienatione voluntaria, non verò de necessaria, *l. 1. ff. de fundo dotal. l. Cùm fidei hæredis, ff. de fideicomm. libert.* & ibi Glossa *verbo Pendet.* Jason *in l. fin. C. de jur. emphyteutico, n. 113.* Ergo prohibitio ista est intelligenda, quando absque gravi causa imponerentur collectæ ab ipsis universitatibus. Cæterùm hęc scientia probatur ex vulgari axiomate: *Necessitas caret lege, l. Tutor qui repertorium, ff. de Administrat. tut. l. Ut gradatim, §. 1. ff. de Muner. & honoribus, l. 1. C. de operib. libert.* Thomassetus *regul. 189.* Escobar *de Ratiociniis cap. 24. à num. 10.* Et faciat licitum, quod de jure non est licitum, *cap. Quod non est licitum, de Reg. jur.* Escobar. *d. cap. 14. num. 13.* Moneta *de distribut. quot. 2. p. quæst. 11. n. 38.* Ergo si adsit necessitas urgens, leges illæ locum non habebunt, quin potiùs universitates istæ poterunt ultra tria millia marapetinorum collectam imponere. Parladorius *lib. 2. quot. cap. fin. p. 5. §. 3. n. 37.* Bolannos *in Curia, 2. p. §. 16. num. 4.* Avendannus *d. 2. p. cap. 14 nu. 8.* Azevedus *in l. 25. tit. 6. lib. 3. Recopilat. n. 5.* Rota apud Cencium *decis. 447. n. 4.*

9 Secunda sententia tenet contrarium, & probatur *in d. l. 1. Recopilat.* ibi: *Parasus necesidades.* Quæ quidem apertissimè loquitur, non in collectis voluntariis, sed tantùm in necessariis, quæ apponuntur ratione alicujus urgentis necessitatis: Ergo etiam urgente necessitate universitates collectas imponere non possunt absque Regis expressa licentia. Idque optimè etiam in his necessitatibus statuitur, ne facile cives graventur, & opprimantur: & ita Guttierrez *de gabellis, quæst. 168. n. 18.* & alii relati à Balmaseda *d. q. 5. num. 6.*

10 In hoc verò dubio illud in primis animadvertendum, minimè Prætores, & universitatum consilia procedere posse ad collectas, etiam urgente qualibet necessitate; nam ipsæ per se non habent hanc facultatem: nam ut dictum est, hæc potestas est ex Regalibus Principis in quod præcisè residet. Unde universitates, aut alii judices superiorem recognoscentes, nequeunt absque speciali concessione collectare. Ozaschus *decis. Pedemont. 95. nu. 9.* Thesaurus *decis. 257. in princip.* Mena *d. quæst. 21. §. 1. num. 11.* Gratianus *March. decis. 217. nu. 11.* Delugo *d. sect. 1. à num. 7.* Barbosa *in l. Vectigalia 10. C. de vectigalibus, & commiss. nu 2.* si tamen aliquando ad collectandum necessariò ex Principis licentia, aut ex legis concessione perveniant, debent deficere bona publica ipsius universitatis; nam cùm bona illa sint destinata ad publicas necessitates, si tamen adsint, necessariò ad id sunt expendenda; nec ad collectam singulorum civium est deveniendum. Guttierrez *de Gabellis, 168. nu. 15.* Bobadilla *d. l. 5. c. 5. n. 13.*

11 Unde sequitur, de jure nostro Regio, etiam qualibet urgente necessitate, nec Prætores, nec universitates posse procedere ad collectas, licèt deficiant bona communia, absque Regis speciali licentia, prout tenet sententia: & ultra fundamenta, quæ adducit, probatur; nam urgens necessitas non dat hanc potestatem Prætoribus, nec universitatibus; quin potiùs per has leges expressè reservatur: Ergo etiam urgente necessitate, nec Prætores, nec universitas poterunt collectas imponere absque expressa Regia licentia. Cæterùm, nam si aliàs, etiam necessitate urgente, hanc habuissent facultatem, facilè leges istæ illuderentur à Prætoribus, & consiliis civitatum, aut villarum; cùm facilè necessitates istæ falsò supponerentur, ut similes collectæ imponantur; & vicini gravarentur, cum utilitate imponentium, aut aliorum, quibus se gratos gerere decreverint; de alieno enim facile homines se liberales ostentant, *l. Officium, 21. §. 1. ff. de re militar.* Amaya *in l. unic. de præbend. salario, n. 15. in fin.* Ergo etiam urgente necessitate, de jure Regio nequeunt universitates, nec illarum Prætores collectas imponere ultra tria millia marapertinorum. Erit tamen casus, ubi possit admitti prima sententia, scilicet quando adeò urgeret necessitas, ut periculum grave esset in mora petendi licentiam; tunc enim sufficit præsumpta licentia Principis, qui si vederet tam urgentissimam necessitatem, utique licentiam absque dubio præstaret, ut benè advertit Mena *d. q. 21. §. 1. nu. 48.* Velasco *de Privilegiis paup. 1. p. quæst. 38. nu. 26.* Balmaseda *d. quæst. 5. n. 21.* qui rectè animadvertit ad securitatem, postea petendum esse ut à consilio Regali confirmentur Acta tempore tam urgentissimæ necessitatis, Bobadilla *d. lib. 5. c. 5. n. 18.*

Verùm enim verò dantur casus, in quibus collectæ absque 12
Regis licentia rectè imponuntur. Primus, quando non coactione collecta imponeretur, sed inter volentes; & ad id omnes collectandi consenserint, propter aliquem finem necessarium, veluti ut Respublica ab injusto Prætore, vel à gravamine alicujus valdè potentis eriperetur, vel ad privatorum utilitatem, veluti ad custodiam prædiorum, vel vinearum, seu montium; ratio enim est, quia tunc impositio collectæ non provenit, nisi à contractu, qui rectè fit ex solo consensu vicinorum, seu privatorum, *l. 2. Cod. Communia utriusque judicii*, ubi Glossa, Baldus *in Authent. Sed & periculum, Cod. Sine censu, vel reliq.* Bobadilla *dict. c. 5. n. 17.* Avendannus *dict. 2. part. 2. part. c. 14. nu. 7. vers. Primus casus*, Azevedus *in dict. l. 1. tit. 6. lib. 7. num. 8.* Balmaseda *dict. q. 5. à num. 18.*

Unde etiam Confratres alicujus Confraternitatis, aut 13
Parochiani alicujus Parochiæ, absque Regis licentia possunt inter se Collectas facere, ad aliquam imaginem faciendam, vel festivitates solemnes alicujus Sancti; id enim est ad honestissimum, & sanctum finem, nempe cultus Dei, & Sanctorum honoris; quod si mos fuerit antiquus, poterunt ad id cogi. Bobadilla *dict. cap. 5. num. 21.* Delbene *de Comitiis, & Parlament. sect. 2. dub. 22.* Thesaurus *de Collect. tit. 3. n. 20.* Balmaseda *d. quæst. 5. n. 19.*

Illud tamen, quod asserit Bobadilla *d. nu. 21.* fieri posse 14
similes collectas ad ludos publicos, veluti taurorum, vel arundinum, à Rebus publicis, abnegandum; nam licèt hæ lætitiæ publicæ aliquo modo conveniant, *l. 1. Cod. de Expensis lud. lib. 10.* ubi Scribentes, fieri tamen debent ex bonis Reipublicæ superfluis, non autem privatorum, ideò à Christianis abjiciendæ, præcipuè si fiant ad festivitates Christi Domini, aut Sanctorum; res quippe indigna Christianorum, ut luditanto animarum periculo Deo, & Sanctis sacrentur: tum & privati, qui Oeconomi, vulgò *Pios tres*, depauperantur in gravissimam Reipublicæ perniciem. Unde eleganter D. Chrysostom. *Super Matth.* ait. *Non gaudent Martyres, quando ex illis pecuniis honorantur, in quibus pauperes plorant.* O quoties vidi œconomos istos magnis suspiriis flere, quando sua bona vendebant, & recipiebant census ad comœdias, & tauros agitandos in festis Sanctorum, suarum familiarum gravissimo cum nocumento. Res quidem à Prælatis, & Regibus omninò coercenda.

Secundus est casus, quando Civitas facultate Regia in- 15
terveniente, census contra se, & bona illius habet quorum redditus nequeunt ex bonis communibus persolvi; illud enim scitum est, super Universitatum bonis census creari non posse absque facultate Regia, Castillo *de Usufructu, lib. 1. cap 54. à num. 49.* Hermosilla *in l. 15. tit. 5. p. 5. gloss. 2. nu. 33.* Salgado *in Labyrinth. 2. part. cap. 17. numero 78.* Quare interveniente Regia facultate, ad solvendas pensiones non erit necessaria alia licentia ad collectandum vicinos in necessariis ad solvendas recursas, deficientibus bonis communibus; & ratio est, nam concessa facultate ad censum suscipiendum, concessa etiam videtur ad solvendum interesse. Noguerol. *allegat. 2. nu. 65.* quod non solùm intelligas de interesse solvendo de bonis communibus, sed etiam de bonis vicinorum, si illa deficiant; id enim consequens necessarium est, contentum in prima facultate. Cæterùm redditus census sunt inseparabiles à principali obligatione; quapropter creditores, si ad suam secu-

ritatem requiſierunt facultatem Regiam, in eadem debet contineri ſecuritas ſolvendi, deficientibus communibus, ex bonis privatorum per diſtributionem collectis; nam ut ſcripſit Caſtillo *lib. 8. controverſ. cap. 36. §. 5. nu. 9.* quando ſors principalis habet aliquod privilegium, extenditur ad inſeparabile, prout eſt intereſſe: Ergo cum principalis cenſus habeat facultatem Regiam, extendenda eſt ad ſolutionem intereſſe, etiamſi facienda ſit per populi collectas, ut libet conſiderari in minori; nam ſi Judex dederit licentiam ut ejus bona obligentur, data etiam videtur ad illa vendenda ad ſolutionem, *l. Si pupillorum, §. Pupillus, ff. de Reb. eorum*, Molina *lib. 4. de Hiſpan. primog. cap. 2. n. 2.* Ergo ſimiliter extendenda eſt hæc facultas ad collectas faciendas ad ſolutionem cenſus. Hunc caſum tenet, & defendit Mena *dict. quæſt. 21. §. 1. à num. 21.* Balbaſeda *d. quæſt. 5. num. 8.*

16 Sed dices, hanc ſententiam excludere textum *in dict. l. 1.* quæ ad ſimiles collectas imponendas ab Univerſitatibus petit expreſſam Regis licentiam, ibi: *Ordenamos, ymandamos que ſin expreſſa licencia.* Quoties enim expreſſa licentiam jure deſideratur, non ſufficit præſumpta, aut conjecturata, ſed verè expreſſa, ut *in Authen. Licentiam, Cod. de Epiſcop. & Clericis*, tenent communiter Scribentes. Ergo in ſpecie non ſufficiet illa præſumpta, aut conjecturata licentia Principis, data in facultate ad imponendum cenſum in bonis univerſitatis, ut philoſophantur Avendannus *d. c. 14. n. 6.* Azevedus *in d. l. 1. n. 7.*

17 Sed adhuc reſpondet Mena *num. 26.* expreſſum in Jure dici, quod ex generalibus verbis, & conjecturis evidentibus elicitur, *l. Prætor ait, §. 1. de Novi operis nunt.* ubi Gloſſa *verbo Expreſſum, l. Nominatim, ff. de condit. & demonſtrat.* Et inſimul expreſſum dicitur, quod ſequitur per neceſſariam conſequentiam. Alex. *lib. 6. conſ. 201. nu. 10.* Mantica *de conject. lib. 7. tit. 12. nu. 7.* Valenzuela *conſ. 23. num. 116.* Gratianus *cap. 164. num. 23.* Salgado *de Protect. 4. part. c. 9. à num. 28.* Ergo cùm ex facultate Regia ad cenſum ſuſcipiendum, ex conjecturis, & per neceſſariam conſequentiam ſequatur licentia ad collectas imponendas ad ſolutionem reddituum, inde eſt, ut abſque Regis licentia in præſentiarum poſſint imponi collectæ.

18 Sed licèt hæc opinio Menæ, & Balmaſedæ habeat probabilitatem, non tamen habet ſolidum, & firmum fundamentum; nam textus Regius *in d. l. 1.* expreſſam licentiam. petit ad imponendas collectas pro forma diſpoſitiva, ut patet ex littera: quo quidem caſu non ſufficiat tacita, nec quod per æquipollens deducitur, ſed neceſſarium eſt expreſſum ad proſpicienda damna, quæ inde inſequi valent, ut benè perpendit Felinus *in cap. Translato 3. de Conſt. num. 5.* Hanc ob rem non ſufficiet tacitum, quod deducitur per neceſſariam conſequentiam; ſed requiritur verè expreſſa licentia ad imponendas collectas ad cenſum ſolvendum. Cæterùm quando Jus petit aliquid expreſsè, expreſſum eſt neceſſarium pro illius actus formalitate, *cap. 2. de Præbend. cap. fin. de Procurat. in 6.* Cabedo *2. part. deciſ. 12.* Riccius *7. part. 1. collect. 2. nu. 513. verſ. Sed nota.* Cùm ergo lex petat expreſſam licentiam; per conſequens eſt neceſſaria per expreſſionem, non verò per conſequentiam. Denique, nec licentia ad imponendas collectas neceſſariò ſequitur ex facultate ad cenſum ſumendum ſuper bonis Univerſitatis, quia cùm cenſus neceſſariò ſit creandus ſuper bonis immobilibus fructiferis, ſufficientibus ad aſſecurandum capitale, & ſolvendas penſiones, Guttierrez *lib. 2. pract. q. 177.* Avendannus *de Cenſibus c. 53.* Hermoſilla *in l. 12. tit. 5. part. 5. gloſſ. 1. nu. 2* Tondutus *qq. civil. lib. 2. quæſt. 97.* Mancinus *diſſert. 13. c. 9.* & ad id præſtet Rex facultatem Regiam, non ſequitur per neceſſariam conſequentiam, dare etiam facultatem ad imponendas collectas in caſu, quo bona communia non ſufficiant, dat enim facultatem ex ſuppoſitione bonorum ſufficientium ad capitale, & penſiones: Ergo nequit conjecturari, dare ad collectas imponendas ad ſolutionem cenſus.

19 Quare dico illam doctrinam tantùm eſſe admittendam in caſu irregulari, nempe ſi jam ad ſolutionem expenſæ executivè proceſſum, & graviſſimæ expenſæ ſequerentur, dum facultas iſta peteretur, & ſperaretur; tunc enim valet admiti, quia urget gravis neceſſitas, & eſt periculum in mora, prout quando fames invaluerit, aut cibaria in urbe deficiant, Bobadilla *dict. cap. 5. num 19.* neceſſitas enim urgens, & periculum in mora, extrahit caſum illum à lege, & ſufficiat tacita voluntas Principis, ut imponantur collectæ, ut dicebamus *nu. 10.* Aliàs ad ſolutionem cenſus ſemper erit neceſſaria Principis licentia, nec ſufficiet tacita deducta ex prima facultate, ut tandem deſumi valet ex eodem Mena *num. 27.*

Tertius caſus eſt quando lis pendet coram aliquo Judice, 20
nec Univerſitas habet bona ad proſequendam litem, aut ad condemnationem ſolvendam; tunc enim abſque licentia Regis poteſt imponi collecta ex ſola Judicis licentia: & ratio eſt, nam quando Judici committitur cauſa omnia committuntur neceſſaria ad ejus expeditionem, *l. 2. ff. de juriſd. omnium Judicum, l. fin. ff. de offic. ejus*: deficientibus enim bonis Univerſitatis ad expeditionem cauſæ, neceſſariæ ſunt collectæ: Ergo poterit Judex per ſe, abſque Regis licentia, illam dare ad ponendas collectas. Quod idem probari poterit ex incidentia cauſæ, quæ prorogat juriſdictionem, etiam Judicis incompetentis, *l. Quoties, Cod. de judiciis, l. Cùm Prætor, ff. eod. tit.* Hanc ob rem licèt Judex per ſe ſit incompetens ad imponendas collectas, ratione incidentiæ fit competens ad licentiam, ut imponantur. Denique corroboratur doctrina Salgadi *in Laberynt. 1. part. cap. 2. §. 2. num. 42.* aſſerentis, quando ad aliquid faciendum requiritur Regis licentia, ſuppleri ſi ad illud faciendum adſit Judicis ſententia; ſupplet enim aliam quamlibet ſolemnitatem, *l. Omnium 19. Cod. de teſtament. l. Apud acta, Co. de tranſact* quare in hac ſpecie interveniente Judicis decreto, rectè abſque Regis licentia pervenitur ad collectas, prout quotidie fit in Tribunalibus ſupremis, & in litibus Nobilitatis obſervat Mena *d. quæſt. 21. §. 1. nu. 41.* Cochilius *de Contribut. c. 5. n. 113.* Balmaſeda *d. qu. 5. num. 14.* Rota apud Poſthium *poſt tract. de Manut. deciſ 331. n. 17.* Staibanius *cent. 2. reſol. 190. n. 68.*

Marchiones, Duces, Comites, & alii inferiores nobiles 21
vaſſallos habentes, nequeunt collectas in illis apponere: idque patet ex illo principio recenſito ſuprà, *num. 1.* quia facultas iſta eſt de Regalia Principis, quamobrem iſti Marchiones, Duces, aut Comites nequeunt vaſſallos collectare, etiam qualibet exiſtente cauſa. Vaſquez *de Reſtitut. cap 6. §. 1. dub. 1. nu. 5.* Villalobos *dict. tract. 8. difficult. 13. num. 2.* Bobadilla *in Polit. lib. 2. cap. 16. à num. 116.* Borellus *in Summa deciſ. tom. 3. tit. 15.* Balmaſeda *quæſt. 4. n. 1.* Quod ita certum, ut ſi aliqui domini vaſſallorum ex authoritate propria gabellas, ſeu collectas imponant, excommunicationis mucrone feriantur. Tridentinum *ſeſſ. 2. de Reform. cap. 2.* & eſt Bulla Cœnæ, *cap. 5.* Sayrus *in Theſaur. caſuum conſcient. lib. 3. cap. 9.* Novarius *de Gravamin. Vaſſal. gravam. 1. num. 2.* Villalobos *d. difficul. 13. num. 12.*

Eſt verò diſquirendum, an conceſſione Regum, vel 22
emptione, Domini iſti gabellas poſſint imponere? Et ut clarè procedamus obſervo duobus modis poſſe id accidere. In primis quando Rex eis concederet tributa jam ſibi conceſſa, & radicata; aliter verò, quando concederet jus exigendi, & imponendi tributa de novo imponenda. Et quoad primum negandum videtur, fieri poſſe à Principe, ex ſequentibus conſiderationibus.

Primò, nam tributa, ſeu collectæ impoſitæ, & Regi 23
conceſſæ, magis ſunt propria Regni, quam ipſius Regis, ut notavit Abbas *in cap. Intellecto, de jurejur. l. 1. tit. 17. l. 4. tit. 15. p. 4.* Covarruv. *in c. Quamvis pactum, de pact. in 6. §. 2. n. 4.* Ergo Rex nequit illa concedere, nec vendere. Et confirmatur, nam Rex præſtat juramentum ab initio Regni non alienandi, bona Coronæ, unde ſequentes donationes, ſeu venditiones tenetur revocare, etiamſi jurejurando eas firmaverit, *cap. Intellecto 33. de jurejur. l. 2. in Prolog. de el fuero guego, l. 28. tit. 12. p. 3. l. 1. & 3. tit. 10. lib. 5. Recopilat.* Rojas *in Appendice ad 7. part. de incompatibilit. cap. 2. 1. part. à num. 6.* Oſuald. *ad Donellum, lib. 5. cap. 14. lit. A*, Larrea *alleg. 8. n. 41.* Ergo nequit vendere, aut concedere tributa, ſeu vectigalia Magnatibus, aut aliis perſonis.

Cæterùm, nam ut animadvertit Sotus *lib. 3. de Juſt.* 24
q. 6. art. 7. ad finem, Domini iſti graviſſimi exactores ſunt tributorum, aut vectigalium eis conceſſorum, quod nec Rex facit, quin potius ſæpè ſæpiùs magnas partes remittit. Guttierrez *de Gabellis, quæſt. 4. num. 3.* quapropter nequit Princeps eis vectigalia, aut tributa concedere, dum ipſi in perniciem Reipublicæ emptionibus abutuntur ad populorum

lorum gravamen, & Dei offensionem; non enim admittendi sunt contractus ansam præbentes delictis, *cap. Ex par.* 10. *de consuetud. l. Contractus*, *ff. de Regul. jur.* Nec Rex permittere, & facere debet quæ suam gravant conscientiam, Larrea *dict. alleg.* 8. *nu.* 39. tenent aliqui apud Dominicum *in cap. Nec dominus*, *de prohibit. feud. alien.* dicit probabile Del bene *de Comitiis*, *dub.* 7. *sect.* 3.

25 Sed his non obstantibus, contrarium tenent DD. *ex cap. Super quibusdam* 36. *de verb. significat.* ubi Pontifex asserit, tributa concedi posse, aut immemoriali præscriptione acquirit: unde constat, Principes supremos illa concedere posse, & consequenter melius vendere. Tum ratione probatur, nam inter illas res, quæ melius in Principe lucent, est liberalitas, *cap.* 1. *de donat.* ubi Scribentes. Tum Nobiles, & alios subditos augere, & eorum servitia maximis præmiis prosequi, *lib.* 6. *tit.* 9. *lib.* 3. *tit.* 10. *parte* 2. *lib.* 7. *tit.* 7. *l.* 5. *Recopilat.* ubi Mathienzo *gloss.* 3. & 4. Molina *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. ubi Addit Mieres *de Majorat.* 4 *p part. quæst.* 1. *num.* 13. Ergo rectè Rex poterit vectigalia, seu tributa imposita Magnatibus, aut aliis personis concedere. Tum denique, nam causæ publicæ interest bona Coronæ concedere, aut vendere; nam his præmiis subditi excitantur ad facinora egregia facienda in bonum Reipublicæ: tum pretio harum rerum, quæ venduntur, occurritur necessitati publicæ, ne Regnum detrimentum patiatur; quamobrem rectè hæc imposita vectigalia, aut alia bona Coronæ conceduntur, aut venduntur. Vasquez *d. dub.* 1. *n.* 16. Delugo *d. disput.* 36. *sect.* 1. *à num.* 9. Bertachinus *de Gabelis*, 1. *p. quæst.* 9. Guttierrez *de gabell. quæst.* 4. *per tot.* Antunnez *de Donat.* 3. *par. cap.* 2. *num.* 7. Sanchez *lib.* 1 *cons. cap.* 4. *dub.* 14. *num.* 3. Mastrillus *de Magistratibus*, *cap.* 18. Castillo *lib.* 5. *controvers. cap.* 89. *à n.* 85. *& lib.* 6. *cap.* 16. *à num.* 15. *& cap.* 17. *num.* 1. Balmaseda *quæst.* 4. *num.* 21. *& 22.*

26 In re tamen animadvertendum, quæstione esse, an Princeps possit vendere, concedere, aut alio modo alienare bona Regiæ Coronæ, quo etiam nomine vectigalia etiam intelliguntur, quæ sunt imposita & solvuntur? Plurimi asserverunt, minimè alienare posse, *ex dict. cap. Intellecto* 33. *de jurejur.* adducuntque alia fundamenta, quibus respondet Menochius *cons.* 1003. *à num.* 19. Suntque plures DD. tenentes hanc sententiam absque aliqua distinctione, ut sunt Baldus, Joan. à Platea, Lucas de Penna, Socinus, Bossius, Mieres, quos ad id refert Castillo *de Tertiis*, *cap.* 17. *num.* 14. *lib.* 6. Sed illa distinctio communiter invaluit, etiam de jure communi, propter publicam utilitatem, & servitia alienare posse, dummodò non cedat in grave Regni detrimentum. Refert plures Menochius *lib.* 10. *cons.* 962. *num.* 21. plures Castillo *dict. cap.* 17. *à num.* 16. quos refert & defendit Menchaca *Illust. Controvers. lib.* 1. *cap.* 4. *à num.* 4. Molina *lib.* 1. *de Primogen. cap.* 3. *num.* 18. Solorzanus *de jure Indiar. tom.* 2. *lib.* 2 *cap.* 30. *& lib* 3. *Polit. cap.* 32. Grotius *de jure Belli lib.* 2. *cap.* 6. D. Retes *de donat. cap.* 13. *n.* 9. Rojas *in d. Appendice*, *à n.* 45. Barbosa *in d. cap. Intellecto*, *num.* 2. Antunnez *de donat.* 2. *p. cap.* 4. *à num.* 5.

27 Stando enim in hac sententia, quidquid de aliis bonis Regiæ Coronæ dicant DD. assero vectigalia, tributa, vel collectas impositas, minimè concedere, aut vendere posse Principem, nec propter servitia, vel aliam causam, etiam publicam. Idque probo ex Doctoribus suprà relatis, asserentibus, minimè ex qualibet causa posse Regem alienare bona Regiæ Coronæ quando grave præjudicium sequitur contra Regnum. Gonzalez *in d. cap. Intellecto*, *n.* 3. Guttierrez *d. quæst.* 4. *num.* 10. Valenzuela *discurs. stat. & bell.* 2. *p. cons.* 2. *num.* 26. Sed vendere, aut concedere similia tributa, semper est in grave præjudicium Regi: Ergo nequeunt alienari à Principe, etiam qualibet causa existente.

28 Minorem probo; nam ut docet Castillo *d. cap.* 17. *n.* 17. *vers. His quidem*, quoties aliqua bona Regni venduntur, aut conceduntur, ex quibus redditus non modici percipiuntur, tunc est grave Regi præjudicium. Et ratio est, quia venditis illis redditibus, Corona depauperatur, & grave nocumentum ad suas necessitates percipit; quod quidem clarè inspicitur; si hæc vectigalia, tributa, aut collectæ vendantur, ex quibus magnos redditus percipit Corona: Ergo ex venditione, aut concessione gravissimum nocumentum Coronæ sit.

29 Et declaratur magis; nam concessis, & venditis tributis, ad necessitates publicas Regni, necessariò recurrendum est ad alia nova, quæ sæpe sæpiùs causant rebelliones, inobedientias contra Principes, & intestina bella, prout constat *lib.* 3. *Regum*, *cap.* 12. ubi decem Tribus à Roboam discesserunt, minante se majora, & noviora tributa imposítum. Larrea *allegat.* 59. *à num.* 12. Marquez *lib.* 1. *cap.* 16. Tum etiam lamentabile exemplum adest apud Nostrates tempore Communitatum, nam ob nova tributa imposita præclarum Castellæ Regnum civili bello ferè ultimum exitium perpessus fuit. Rem latè prosequitur Sandoval *in vita Caroli V. lib.* 5. *per tot.* Sanchez *de Rebus Hispaniæ*, *lib.* 7. *cap.* 1. Varen. *in Addit. ad Mexiam*, *in vita Caroli V.* Jovius *lib.* 20. *cap.* 1. Tum si vassalli fideles sint, nec perduelliones, præteritis, & novis tributis onerati paupertate opprimuntur, & quasi ad servitutem rediguntur, & delentur. Idque placet considerare apud Josue *c.* 13. ubi Dominus de quibusdam nationibus loquens, inquit: *Ego sum, qui delebo eas à facie filiorum Israel*; cùm tamen Dominus, nec eos à terra fugarit, aut occisi sint. Verùm Abulensis *ibidem*, *quæst.* 6. explicuit: *Respondendum est, quod omnes nationes, seu gentes deletæ fuerunt à facie filiorum Israel, non quidem quòd omnes fugerent de terra, aut occiderentur; sed quia eis subditæ fuerunt, & tributa solvebant, & hoc est delere, quia imponebatur gentibus istis quoddam genus servitutis, & ista est mors civilis, seu deletio.* Ista enim nova servitia, & vectigalia, simul cum antiquis, quæ etiam ab emptoribus, aut donatariis capiuntur, ita populos, & vassallos delent, & ad servitutem redigunt, ut gravissimum damnum Regno inferatur.

Id à posteriori etiam in Regno Castellæ agnoscimus, ubi 30
Principes maximè extiterunt liberales cum vassallis, Magnatibus, Ducibus, & Marchionibus, & aliis personis, concedendo tributa, aut vendendo; quamobrem advenientibus bellis tempore Philippi IV. piissimi Principis, contra suam clementiam, ad maxima Regni servitia extraordinaria pervenit, quæ ita creverunt, ut opulentissimum Regnum ad gravissimam pauperiem redactum sit, gabellatis non solùm Nobilibus, verùm etiam magna exactione Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis oneratis, cum gravissimo Regni, & vassallorum præjudicio: Ergo dicendum, minimè Reges posse concedere, aut vendere vectigalia, & tributa Regni, ob maximum præjudicium illius.

Sed dices, hoc argumentum probare, Reges non posse 31
vendere hæc tributa, nec concedere, si plura venderent, aut darent, vel unum ex pluribus locis, quia tunc restaret grave Regni præjudicium. Attamen non probat, simile fieri præjudicium, si unum vectigal, aut alicujus loci, aut alterius oppidi venderent, aut concederent, tunc enim rectè agent, quia Princeps valet cum modico præjudicio Regni bona concedere, aut alienare, præcipuè causa existente. Cenedo *ad Decret. collect.* 109. *num.* 2. Azevedus *in l.* 3. *tit.* 10. *lib.* 5. *Recopilat. nu.* 15. & relati *n.* 25. Antunnez *d. cap.* 4. *num.* 5.

Sed adhuc dicendum, argumentum debile esse in his ve- 32
ctigalibus, & tributis, quia licèt ista doctrina communis jam sit, *ex lib.* 1. *tit.* 17. *l.* 4. *tit.* 15. *p.* 5. Gregorius *in l.* 8. *tit.* 1. *p.* 2. sed tamen non est suscipienda; ipsa enim quotidie ansam præstat Regibus, ut hęc vectigalia concedant, & vendant: unde coacervatis his singularibus concessionibus, & venditionibus gravissimum præjudicium Regnorum exoritur, ut in nostra Castella experimur, ubi Regis patrimonio his venditionibus, & concessionibus exhausto, extraordinaria, & nova tributa exorta sunt cum totius Regni pernicie, & damno: quamobrem licèt per se loquendo possit sustineri, quatenus est causa tanti damni, & occasio tantæ ruinæ, toleranda non est, *ex cap. Ex par.* 10. *de consuetud.* Beroius *lib.* 3. *cons.* 62. *num.* 8. Ruinus *lib.* 4. *cons.* 154. *num.* 11.

Rursus per se loquendo, venditio, seu concessio alicujus 33
vectigalis, vel alicujus oppidi, seu provinciæ, semper est grave præjudicium: in his igitur vectigalibus, aut tributis non est considerandum quod est per se, sed illorum consequentiæ, & decursæ, quæ cùm in dies persolvantur, continent gravissimas quantitates, ut facilè conspicitur in minutissimis collectis, quæ succedentibus annis magnas copias pecuniarum sumant, *cap.* 1. *de integr. restitut.* ubi Ecclesia, licèt in censu modico parum fuisset læsa, ut ibi Barbosa *n.* 1. *vers. Quamobrem*: attamen restituitur, ut graviter læsa, quia illa modica læsio erat in pensione quotannis

sol-

ſolvenda; & annis revolutis, illa modica ſit graviſſima, cùm illa penſio graviter coaleſcat ad graviſſimam quantitatem: qua facta inſpectione, ceſſant plura interpretamenta relata à D. Gonzalez *ibi n.*2. Ergo ſimiliter dicendum in ſpecie, venditis, aut donatis vectigalibus, aut tributis alicujus oppidi, vel provinciæ, quæ licèt in præſens videatur modica læſio, reſpectu annorum eſt graviſſimum præjudicium.

34 Deinde probatur hæc ſententia; nam vectigalia, & tributa Regibus conceſſa, non conceduntur niſi ad publicas neceſſitates, & ob graviſſimas cauſas Reipublicæ, Villalobos *d. diſſic.* 13. *num.* 4. Tapia *in Caten. tom.* 1. *l.* 4. *num.* 7. & dicam infrà. Ergo Princeps nequit vendere, aut concedere tributum, aut vectigal Magnatibus, aut alicui privato Probatur conſequentia, quia jam diverteret tributum ad aliam cauſam diſtinctam, nempe privatam emptoris, aut donatarii, contra voluntatem concedentium. Ergo.

35 Idque majori ratione procedet, ubi Princeps nequit authoritate propria, ſed Regni conſenſu vectigalia, aut tributa imponere, ut in Caſtella, *l.* 1. *tit.* 6. *lib.* 6. *Recopilat.* Tapia *d. lib.* 4 *art.* 5. *num.* 4. & etiam in aliis Regnis. Marquez *ſuo Gubernatore*, *lib.* 1. *cap.* 16. Parra *d. tract.* 4. *in Appendice*, *num.* 19. Delbene *de Parlamentis*, *dub.* 4 *ſect.* 1. *quæſt.* 17. Larrea *allegat.* 59. *à nu.* 19 Antunnez *de Donat.* 2. *part lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 93. In quibus, quia conſenſus Regni requiritur ad illa imponenda, neceſſariò ad vendendum aut concedendum requiretur. Larrea *d. allegat.* 8. *num.* 43. quamobrem nequit Princeps illa, quæ data ſunt à Comitiis ad publicam utilitatem, & neceſſitatem, divertere ad commodum privatorum authoritate propria, relicta cauſa illa publica, formali cauſa tributi, quæ Comitia movit ad concedendum.

36 Sed dices cum Delugo *dict. diſput.* 36 *ſect.* 1. *num.* 11. quando Princeps vendit tributum, aut concedit propter ſervitia, tunc adeſt utilitas publica, quia ex conceſſione propter ſervitia, alii alliciuntur ad inſerviendum Reipublicæ, vel pretium venditionis ad neceſſitatem publicam deſervit; quare licèt penſiones vectigalis, aut tributi poſteà ad utilitatem privati pertineant, jam commoditas ex venditione, aut donatione convertitur ad publicam utilitatem, & ſalvatur ratio juſtificationis tributi: Ergo debet ſuſtineri talis venditio, aut conceſſio.

37 Sed reſpondetur, hanc utilitatem, aut commoditatem, quæ ſequitur ad bonum Reipublicæ ex venditione, aut conceſſione tributi, ſeu vectigalis, reſpectu præjudicii alienationis ipſius, parvi ponderis eſſe poterit enim Princeps ſervitia illa honorare aliquibus officiis, aut alia liberalitate, ex aliquibus bonis confiſcatis, quæ adhuc ad Coronam non pervenerunt. Molina *dict. lib.* 1. *de Primog. par.* 3. *num.* 17. *in fine*, Azevedus *in l.* 3. *tit.* 10. *l.* 5. *num.* 15. aut ex redditibus ipſius vectigalis. Menchaca *l.* 1. *controverſ. cap.* 4. *nu* 5. Tum mutuum ſuſcipere à Mercatoribus, vel ab aliis, pignorando ipſa tributa, aut alia bona Coronæ, ut pretium venditionis ſuſcipiat, & ita neceſſitati publicæ occurrat; non verò poterit vendere tributa, & alienare à Corona cum periculo rebellionis ex neceſſitate imponendi nova tributa, prout evenit Imperatori Heraclio, & Imperatori Theodoſio, Antiochenis noviter gabellatis. Clemens Alexandrinus *l* 1. *Stromatum.* Adam Contzen *l.* 7. *Polit. cap.* 29. §. 9. Beyerlinch *in Theatr. vitæ humanæ*, *fol.* 113 *lit. T.* Tum nec imponere extraordinaria ſervitia, & multiplicatis vectigalibus pauperes vaſſallos expliare, & deglubere. Tapia *l.* 4. *quæſt.* 11. *art.* 2. *num.* 6. Parra *in Appendice*, *num* 4. *in fin.* quod Tiberius, licèt ethnicus execravit, prout reſpondit quibuſdam Præſidibus Provinciarum. Scripſit. Suet. *cap.* 13. *in ejus vita*, Platina *in vita D. Petri*, *fol. mihi* 6. Solorzanus *emblem.* 84. Et quod magis eſt, Deum offendere, qui adverſus Principes hæc facientes ſic comminatur apud Mich. *cap.* 3. ibi: *Audite Principes Jacob, & duces domus Iſrael: Numquid non veſtrum eſt ſcire judicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriaverunt: & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ. Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos: & abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo, ſicut nequiter egerunt in adinventionibus ſuis.* Jeremias quoque *cap.* 23. *verſ.* 1. exclamat: *Væ paſtoribus, qui diſperdunt & dilacerant gregem paſcuæ meæ, dicit Dominus. Ideò hæc dicit Dominus Deus Iſrael ad paſtores, qui paſcunt populum meum.* Latè proſequuntur Saabedra *empreſſa.* 67. Solorzanus *emblem.* 72. Antunnez *de Donat.* 2. *p. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 93.

38 Tum oritur aliud malum ex venditione horum tributotum, ac vectigalium, vel ex eorum conceſſione, ſcilicet ſucceſſorum graviſſimum præjudicium; nam pretium, quod ſuſcipitur ex venditione, vel aliqua ſervitia, tranſeuntia ſunt, & malum alienationis perpetuum, quo adhuſque duraret tributum cum damno Coronæ, & ſucceſſorum, & vaſſallorum, quod maximè eſt fugiendum. Azevedus *in dict. leg.* 3. *tit* 10. *lib.* 5. *Recopilat. à num.* 18. Baldus *ad tit* 3. *de pace conſtat.* §. *Amplius*, Caſtillo *lib.* 6. *cap.* 18. *à num.* 167. Fraſſo *cap.* 2. *num.* 7. At denique, ut benè conſiderat Molina *tract.* 2. *de Juſtitia*, *diſput.* 673. *nu.* 2. *in fine*, ementes, aut donatarii horum tributorum, communiter ſeveriùs ſe gerunt, & plus quam æquum eſt petunt; cùm tamen Principes benignè, & ex æquitate multùm tributi detrahunt & aliquando remittunt, ut fecerunt Antoninus Pius, Theodoſius, & alii quam plurimi Principes.

39 Unde apertè conſtat, bonum illud, quod percipit Reſpublica ex ſervitiis alicujus, aut ex pretio, comparatione damnorum exinde ſequentium, non bonum, ſed malum grave, & peſſimum eſſe cenſendum: & conſequenter argumentum dilabitur.

40 Rurſus comprobo aſſumptum ex defectu poteſtatis in Principe ad venditiones horum tributorum, ſeu vectigalium. Et ratio eſt, nam Princeps non habet poteſtatem ad illa agenda, ex quibus graviſſima damna Regno inferuntur, ut cum Azorio diebamus *l.* 3 *c.* 7. *n.* 15. non enim poteſtas Principi data eſt ad deſtructionem, ſed ad ædificationem. Paulus 2. *ad Corinth. c.* 10. *c. Sicut* 4. 25. *q.* 2. Tacitus *lib.* 12. ibi: *Denique id agere debet Princeps, ut quidem poteſtatem populi, ſed non in populum, datam eſſe oſtendat.* Ergo cùm hæc venditio, aut conceſſio vectigalium in graviſſimam perniciem Reipublicæ tendat, minimè Princeps poterit vendere, aut alio modo concedere, etiam qualibet exiſtente cauſa, ex defectu poteſtatis.

41 Prætereà probatur. Nam vectigalia, & tributa iſta conceſſa ſunt Regiæ Coronæ, in qua ſucceſſio eſt in modum Majoratus, *l.* 2. *tit.* 5. *part.* 2. ubi Gregorius, Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. P. Molina *tract.* 2. *diſput.* 576. *à nu.* 5. Camill. Borell. *de quæſt. Regis Catholici*, *c.* 56. quapropter inalienabilia relinquuntur, prout etiam alia bona Majoratus. Molina *lib.* 4 *cap.* 1. Mieres 1. *part. de Majorat. quæſt.* 9. & 3. *p. quæſt.* 1. Spino *de teſtament. gloſſ.* 19. *num.* 76. quare nequeunt tributa, aut vectigalia à Principe concedi, ſeu vendi, utpote bona inalienabilia, etiam cauſa exiſtente.

42 Sed dices cum Caſtillo *lib.* 6 *cap* 17. *num.* 13. licèt tanquam bona Regiæ Coronæ, Majoratus cenſeantur, & alienari non poſſint, quia id caderet in graviſſimum damnum ſucceſſorum, Caſtrenſis 1. *p. conſ.* 70. *nu.* 6. Molina *de Majorat. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 17. Attamen hoc intelligendum non eſt, ſicut in privatis, qui nequeunt aliquid alienare ex bonis Majoratus; Princeps enim non tam ſtrictè ad id tenetur, cùm ratio ipſius regiminis petat, ut aliquando exiſtente publica neceſſitate, aliqua alienet, vel concedat, dummodò non ſit in grave præjudicium Regni. Ergo rectè poterit alienare tributa, ſeu vectigalia ipſius Coronæ, ſi cauſa exiſtat, non obſtante, quod ſint Majoratus.

43 Sed ex ſua ipſius reſponſione alia reſponſio percipitur; nam ut ſuprà probatum eſt, & venditio vectigalium, & tributorum Coronæ, ſemper eſt in grave præjudicium Coronæ, & ſucceſſorum.

44 Sed contra dicta obſtat textus *in c. Super quibuſdam* 36. §. *prætereà*, *de verb. ſignificat.* Unde percipiunt DD. ſalinaria, vel alia tributa concedi poſſe à Rege, ſeu Imperatore, vel à Concilio Generali; unde colligunt, alienationem tributorum, ſeu vectigalium, per venditionem fieri poſſe à Rege ſupremo. Sed textus ille aſſumptum non probat: tota ergo doctrina Pontificis exiſtit in declarando, quid propriè ſint pedagia, ſalinaria, & guidagia; & aſſerit, vectigalia iſta, ut propriè tributa ſumantur, neceſſarium eſſe, ut ab Imperatore, Rege, vel à Concilio Generali imponantur, ut Supremis Principibus ſuperiorem

riorem non agnoscentibus, vel ex consuetudine immemoriali solvantur, cujus non extet memoria; hæc enim ex justo, & legitimo titulo indicta censentur, & à legitimo Principe, prout ex illo versiculo deducunt communiter DD. Suarez *de legibus*, *l.* 5. *c.* 14. *à n.* 1. D. Gonzalez *in dict. cap. Super quibusdam*, *num.* 6. Non tamen agit Pontifex de alienatione eorum ad privatas personas, unde probetur, rectè fieri posse.

45 Sed dices contrarium probari ibi, *Largitione concessa*. A Legato enim Pontificis interdicta erant hæc pedagia Comiti Tolosano, & dubitabatur, quæ fuissent interdicta? Et asserit Pontifex illa esse sibi interdicta, quæ ab Imperatore, Rege, aut Concilio Generali, largitione concessa non fuissent: unde supponitur, rectè Comitem Tolosanum habere illa, quæ ab ipsis fuissent concessa, nec Legatus interdicere poterat. Ergo textus ille rectè probat, à Supremo Principe vectigalia, seu tributa concedi posse.

46 Sed respondetur, ibidem non agi de aliqua concessione facta Comiti Tolosano; sed illa verba, *Largitione concessa*, idem important ac si dicerent, *Authoritate concessa*, ut benè ibidem advertit Abbas casum ponens, ita ut sit sensus, illa esse pedagia, salinaria & guidagia, quæ authoritate Regum Imperatorum, aut Concilii Generalis imponuntur. Hanc ob rem contrariorum placitum textus iste non probat, prout nec alia fundamenta posita *n.* 24. quibus ex dictis *nu.* 37. facillimè satisfit.

47 Hinc examinandum venit, an Reges Castellæ, nostri Supremi Principes, possint vendere, & alienare tertias Regales, quas ex decimis Ecclesiasticis percipiunt? Et affirmant plures, quod refert, & sequitur Castillo *de Tertiis*, *l.* 6. *cap.* 10. *&* *cap.* 16. *num.* 15. *&* *cap.* 11. *nu.* 3. *&* *cap.* 17. *num.* 1. Antonnez *de Donat.* 3. *part. cap.* 1. *num.* 48. Larrea *allegat.* 82. *num.* 9. Ducuntur, quia Rex supremus valet vendere, & alienare bona Coronæ, idque magis convenit Regi Castellæ qui non solùm administrator censetur, sed dominus, *l.* 8. *tit.* 1. *l.* 1. *tit.* 18. *part.* 2. Mathienzo *in l.* 30. *tit.* 10. *lib.* 5. *Recopilat. gloss.* 7. *à num.* 2. Castillo *dict. lib.* 6. *cap.* 17. *n.* 11. Hæc enim tertiæ sunt in Regia Corona ex concessione Summorum Pontificum: Ergo Reges Castellæ rectè possunt has tertias vendere, seu concedere. Cæterum, nam tertiæ istæ, ex eo quod Principi laico concessæ sunt, sunt separatæ à titulo spirituali, & propriè sunt temporales. Garcia *de Beneficiis*, 1. *part. cap.* 2. *nu.* 29. Noguerol *allegat.* 39. *n.* 3. Larrea *alleg.* 27. *nu.* 4. latè Castillo *dict. lib.* 6. *cap.* 11. quapropter poterunt vendi, & concedi à Rege Castellæ, utpote bona temporalia, à titulo spirituali separatæ.

48 Sed ex dictis contrarium dicendum est, prout olim, tenebat Montalvus relatus à Lasarte *de decim. vendit. cap.* 18. de quo ipse etiam dubitat, & alii relati à Menchaca *lib.* 1. *Illustr. cap.* 89. *n.* 2. *vers. Cæterùm*. Nicolaus Lemaistre *de decimis*, *cap.* 7. Ducor, nam hæ tertiæ Regales concessæ sunt Regibus Castellæ à Summis Pontificibus ad gravissimas necessitates Coronæ, & ut Regnum Catholicum istud conservent, & defendant, ubi Deus Optimus Maximus tanta veneratione colitur, *l.* 1. *tit.* 21. *l.* 9. *Recopilat.* Castillo *c.* 1. *de tertiis*, *& cap.* 10. Barbosa *de Offic. Episcop.* 3. *par. allegat.* 87. *num.* 71. quare à Regia Corona nequeunt alienari absque ejus gravissimo præjudicio, ut de tributis expendebamus, & intrant omnes rationes suprà adductæ, *à num.* 25. Ergo nequeunt alienari à Corona.

49 Cæterùm tertiæ istæ non sunt temporales, nec segregatæ à titulo spirituali, sed unitæ; easque recipiunt Reges nostri nomine Ecclesiæ, quibus concessæ sunt ex acervo illius, ut Regnum Catholicum defendant, & Ecclesias suorum Regnorum, prout etiam quando aliquibus laicis conceduntur ob merita, & servitia Ecclesiæ facta, ut textus Regius apertissimè decernit *in l.* 22. *tit.* 20. *part.* 1. ibi: *E aun estos tales non los deben tomar como quien ha derecho en ellos, mas por nome de la Yglesia*. Exprimit eleganter D. Thomas 2. 2. *quæst.* 87. *artic.* 3 *ad* 3. ibi. *Ad tertium dicendum, quod sicut res nomine Decimæ acceptas, potest Ecclesia alicui Clerico tradere, ita etiam potest ei concedere, ut ad dandas decimas ipsi accipiant, jure accipiendi Ministris Ecclesiæ reservato, sive pro necessitate Ecclesiæ, sicut quibusdam militibus decimæ debentur in feudum per Ecclesiam concessæ, sive etiam ad subventionem pauperum, sicut quibusdam Religiosis laicis, vel non habentibus curam animarum.*

Ex hac enim doctrina clarè suscipitur, quoties Ecclesia 50
concedit decimas personis laicis, illo modo concedere, reservato jure accipiendi à Ministris Ecclesiæ, non segregando eas à jure spirituali, sed ex titulo illo suscipiendo, & postquam susceptæ fuerint, laicis concedendo, ita ut nomine Ecclesiæ suscipiant, prout explicuit lex Partitæ. Sed dices, ipsum Divum Thomam contrarium sensisse 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 4. *ad* 3. *in fine*, ibi: *Licèt jus spirituale decimarum laicis non concedatur, tamen concedi possunt res temporales, quæ nomine Decimæ dantur*. Quæ verba significant, decimas istas laicis concessas separari à titulo spirituali, & tanquam res temporales concedi, ut expendunt DD. Larrea *dict. allegat.* 27. *num.* 4. Sed DD. isti non integrè referunt testimonium D. Thomæ, quia Sanctus Doctor se refert ad illa, quæ anteà scripserat, ita ut per ipsa explicentur, quæ ibidem scribit: antea verò jam docuerat, laicos decimas illas suscipere, reservato jure accipiendi Ministris Ecclesiæ, à quibus posteà laici decimas suscipiunt, tanquam res temporales, prout etiam ex acervo Ecclesiæ, etiam ipsi Ecclesiastici Ministri suscipiunt ad vendendum, vel illis utendum, utpote res temporales. Tum etiam textus ille satis mentem D. Thomæ exprimit, dum asserit, laicis dari decimas illas *nomine Decimæ*, idest nomine illius decimæ, quæ ab Ecclesia ex titulo spirituali erant susceptæ; aliàs non nomine decimæ, sed nomine rei temporalis perciperent.

Cæterùm ratione confirmo discursum, nam decimæ con- 51
ceduntur titulo spirituali, à quo inseparabiles sunt, nec aliis possunt concedi, nisi Ministris Ecclesiæ, utpote spiritualia ministrantibus, *cap. Decimas*, 16. *quæst.* 7. *cap. Ad hæc* 15. *cap. Quamvis* 17. *cap. prohibemus* 19. *de decimis*. Rebuffus *de Decimis*, *q.* 10. Covarruv. *lib.* 1. *ver. cap.* 17. *à num.* 6. quod quidem debitum ita est de Jure Divino, & naturali, ut nequeat ab aliqua potestate humana, etiam Pontificia alterari, aut mutari. Balboa *ad cap. Causam* 7. *de præscript. nu.* 7. *&* 8. Lemaistre *dict. cap.* 7. Ergo quoties decimæ istæ tertiarum Regibus nostris conceduntur, necessariò debent priùs lucrari à Ministris Ecclesiæ ex illo titulo spirituali, & posteà suo nomine conceduntur Principibus ad defendendum Regnum Catholicum, & ad Fidei propagationem, & defensionem; quæ quidem ut fructus jam acquisiti conceduntur ad illam Ecclesiæ, & Fidei necessitatem, ut benè defendit Abbas *in cap. Ad hæc* 15. *de Decimis*, *n.* 4. Covarr. *lib.* 1. *var. cap.* 17. *num.* 5. Rota apud Millium *decis.* 64. *nu.* 9. Germonius *lib.* 3. *de Sacr. cap.* 19. *nu.* 9.

Cæterùm alia probo ratione; nam tertiæ istæ ad subsi- 52
dium tenentur, ut cum aliquibus notat Escobar *de Pontificia*, *& Regia jurisdictione*, *cap.* 21. *à n.* 31. quodquid dicat Crespi 2. *p. observ.* 91. *n.* 42. & id praxi observantur; si enim tertiæ istæ fuissent separatæ à titulo spirituali, & ut temporales concessæ Principibus, Pontifex non potuisset onere subsidii eas gravare: essent enim ut temporales extra suam jurisdictionem. Ergo jus tertiarum est penes Ecclesiam, & tantùm Principibus datur facultas percipiendi has decimas ab ea ad Fidei necessitates, & ad defendendam Ecclesiam, ut benè ratiocinatur Mendus *de Jur. Academico*, *lib.* 1. *quæst.* 37. *nu.* 624.

Rursus Principum decreta, & concessiones semper in- 53
telliguntur absque præjudicio tertii, *c. Quod verò dicitis* 25. *quæst.* 2. *cap. pervenit* 11. *quæst.* 1. *cap. Libet*, *de offic. Ordin.* Suarez *alleg.* 7. *num.* 4. Barbosa *de univ. jur. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 110. Si enim Pontifex separaret has tertias à titulo spirituali, & faceret eas temporales, gravissimum Ecclesiæ damnum sequeretur: Ergo minimè dicendum, in concessione harum tertiarum fecisse eas sub titulo temporali temporales, sed tantùm sub titulo spirituali, ut tantùm Principes haberent hanc facultatem eas suscipiendi ad defensionem Ecclesiæ.

Minor facilè probatur, nam si darentur in titulum tem- 54
poralem, & purè temporales relinquerentur, sequeretur quod Judices laicis de eis cognoscerent, ut inferunt, & affirmant Covarruv. *cap.* 35. *pract. n.* 2. Bobadilla *lib.* 2. *Polit. cap.* 18. *num.* 146. Guttierrez *pract. l.* 1. *quæst.* 14. Barbosa *in l. à Titia*, *ff. solut. matrim. n.* 42. Larrea *dict. allegat.* 27. *per tot.* Castillo *dict. cap.* 10. 11. *&* 12. Tunc etiam Principes vendere, & alienare possent in alios laicos has decimas, ut dicunt relati suprà; quod quidem gravissimum damnum

est

eſt Eccleſiæ, nam privatur juriſdictione propria, quam in his decimis habet, in quibus ſola cognoſcit, & cognoſcere valet. Federicus Senenſis *conſ.* 254. Rebuffus *de Decimis*, *quæſt* 1. Azorius *Inſt. Moral.* 1. *p. lib.* 7. *c.* 25. *quæſt.* 3. Diana 1. *par tract* 2. *reſol.* 90. Tum hæ tertiæ alienatæ in alios, & non ſtantes in ipſi Principibus, non expenduntur, niſi in commodis privatis; & quod dolendum eſt, patrimonium Chriſti Domini ad vitia, vanas oſtentationes, & privatorum deliramenta deſervit, deſerta defenſione Fidei, & Eccleſiæ, ad quarum propugnaculum fuerunt conceſſæ. Tum denique in damnum ipſorum Regnum, qui ab his tertiis deſtituti ex facultate alienandi ex illo titulo, tantis divitiis exuuntur, unde pauperes, & miſerabiles exiſtunt, coacti ad excoriandos vaſſallos tempore neceſſitatis. Ergo aſſerendum, minimè Pontifices has conceſſiones feciſſe, ſegregando tertias illas à titulo ſpirituali, & dando ad titulum temporalem; quia nequit conceſſio illa intelligi cum tanto præjudicio.

55 Idque experimento capimus in noſtra Caſtella, ubi Reges noſtri ex contraria doctrina allecti, larga manu has tertias Regales conceſſerunt, & vendiderunt, privando ſe tanto adjumento, itaut ditiſſimum illorum patrimonium pauperrimum inveniatur. Præcipuè quando hæ tertiæ Coronæ tantùm erant neceſſariæ ad inteſtina bella, vel ad externa, quæ in Hiſpania peraguntur; quia cùm Hiſpania frumentis non abundet, quin quotidie deficiat, ut ſcripſit Petrus Barboſa *in Polit. tract.* 1. *diſcurſu* 10. *fol. mihi* 225. & experientia docet, militum copiæ nequeunt ſuſtentari; & ita in bellis Cathaloniæ, & Luſitaniæ, immenſæ militum copiæ magis fame, quàm ferro defecerunt, quæ (niſi Reges has tertias alienaſſent) maxima abundantia cibarentur, & quamplurimi equi; quod quidem damnum lamentabile eſt. Nec credendum Summos Præſules eo modo tertias conceſſiſſe Catholicis Regibus, ut potiùs ad eorum damnum, quàm juvamen elargirentur. Ergo hoc modo non ſunt conceſſæ.

56 Sed dices, Summum Præſulem concedentem has tertias Regibus Catholicis, aut aliis, illas conceſſiſſe titulo temporali, & feciſſe ſuas. Argumento capitis *Veſtra* 2. *de locat. cap. fin. Ne Prælat. vices ſuas*. Ergo rectè eas vendere poſſunt, aut concedere: quod quidem confirmat DD. contrarii; nam mutatione perſonæ, earum ſtatus mutatur, *l. Per curatorem* 90. *ff. de acquiſit. hæred.* ibi: *Quia mutatione perſonæ caſtrenſia eſſe deſierunt*, *l. Licitatio*, *in fin ff. de public. & vectig. l.* 1. *in fin Cod. de imp. lucrativè de ſcript. l.* 10. Ergo cùm decimæ iſtæ ad Principes temporales tranſierint, neceſsariò debent fieri temporales. Barboſa *in cap. Prohibemus* 19. *de decim. num.* 7. Cancerius 1. *p. cap.* 23. *n.* 6. Garcia *de Expenſis*, *cap.* 9. *à num* 91. Azevedus *in lib.* 10. *tit.* 10. *lib.* 4. *Recopilat. num.* 49.

57 Sed inſtantia iſta facilè reſponſum ſuſcipit; nam licèt DD. iſti peritiſſimi affirment, in his conceſſionibus Pontificem ſegregaſſe decimas à titulo ſpirituali, & titulo temporali conceſſiſſe, id tamen non probant; jura enim illa *in dict. cap Veſtra*, & *cap. fin.* tantùm probant, poſſe Prælatos locare fructus decimales, aut pro penſione annua præſtare; non tamen poſſe facere temporales, & titulo temporali concedi; quin potiùs locatores tunc fructus illo recipiunt nomine Eccleſiæ aut Prælatorum. Balboa *in dict. cap. Cauſam*, *n.* 9. *in fin.* nec ad illos tranſit aliquod dominium, nec poſſeſſio, ut explicat D. Gonzalez *in d. cap. fin. num.* 3. quare nullum efficax argumentum ex illis juribus ſuſcipi valet ad probandum, Summum Pontificem, quando præſtat has tertias, titulo temporali præſtare: nec motivum conceſſionis illum præſtat, quia licet concedantur Regibus Catholicis ad defendendum Regnum Catholicum; motivum tamen eſt ſpirituale: nec quod dat Pontifex nomine Eccleſiæ, ad motivum, & cauſam ſpiritualem, dicendum eſt eſſe titulum temporalem, ut ſunt quando aliqua dantur ab Eccleſia pro procuratore, aut ſalario aduocandi.

58 Cæterùm bona mutatione perſonæ mutantur, quando qualitas illa pendet à perſona. Marinis *lib.* 1. *deciſ.* 47. *n.* 12. veluti in caſu legis *per curatorem*, ubi bona erant caſtrenſia ex privilegio ipſius militis; quapropter ſi ad aliam perſonam perveniant, non erunt caſtrenſia: ſecus verò in noſtra ſpecie, quia bona, ſeu fructus tertiarum, niſi realiter ſint ſeparati ab acervo, ſeu cumulo Eccleſiæ, veluti quando partibus intereſſe habentibus traduntur, ſemper per ſe ſunt ſpirituales independenter à perſona, ratione ſpiritualis tituli, cui neceſsariò annectuntur, *cap. cauſam* 7. & declarat textus ſacer *Num. c.* 18 ibi: *Filiis Lævi dedi omnes decimas Iſrael in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſerviunt mihi id Tabernaculo*. Et *c. fin.* 16. *quæſt.* 7. *cap. Pervenit* 1. *quæſt.* 3. Unde mutatione perſonę non fiunt temporales, niſi quando traditæ ſunt decimæ, aliàs anteà ſemper ſunt ſpirituales, titulo ſpirituali annexæ, & unitæ.

Rurſus alio modo reſpondetur, nam ut conſiderat Balboa *in d. c. Cauſam*, *nu.* 30. laicis poteſt Pontifex concedere decimas ex privilegio, *c A nobis* 24. *de decimis*, Covarruv. *dict. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 10. & tunc fit tollendo incapacitatem ipſius laicis, habendi illud jus ſpirituale; id enim à ſupremo Pontifice fieri poteſt, ut in laico tollat incapacitatem, ut *in c. Decernimus* 2. *de judiciis*, ſcribunt DD. Idcircò mutatione perſonæ, cauſa ſpiritualis ipſarum decimarum non mutatur, ſed remanent in laico, quia capax factus eſt à Pontifice, ut illas haberet inſimul cum ſua ſpiritualitate, nomine Eccleſiæ, utpote quando dat Pontifex facultatem laico, ut procedat adversùs Clericum, qui quidem fit capax Eccleſiaſticæ juriſdictionis, non ut procedat ut laicus, ſed tanquam Pontificis Delegatus, ut cum multis docet Barbo. ſa *de univ. jur. l.* 1. *cap.* 39. §. 2. *num.* 192. Unde decimæ iſtæ mutatione perſonæ non fiunt temporales, nec vendi, aut concedi poſſunt.

Ex his ſequitur, Principes poſſe repetere quælibet tri- 60
buta, & tertias Regales, venditas, ſeu conceſſas à ſe, vel à ſuis Majoribus; maximè Reges noſtros Catholicos, in quorum venditione, & conceſſione adeò liberaliſſimi extiterunt, ut ferè omnia tributa, & tertiæ alienatæ ſint à Corona, in graviſſimum præjudicium illius; in quo quidem caſu omnes Doctores conveniunt, alienationes eſſe nullas, & repeti poſſe, etiam primas illas, quæ in ſententia aliquorum vendi, aut alienari potuerunt; quia omnes alienationes ad grave detrimentum coaleſcunt, ut cum Moronio, Molina, & aliis advertit Rojas *in Appendice*, *part.* 7. *cap.* 2. *num.* 20. Larrea *allegat.* 12. *num.* 3. & 4. Antunnez *dict.* 2. *part. cap.* 4. *num* 10. Diana 8. *p. tract.* 6. *reſol.* 123. Caſtillo *lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 166.

Cæterùm ſequitur, quid dicendum de redditibus ſuper 61
tributis, ſeu vectigalibus impoſitis (vulgò *Juros*) an vendi poſſint à noſtris Regibus? Et neceſſariò dicendum, non poſſe vendi, quia eorum eſt alienatio perpetua, ita ut Princeps verè, & realiter commodis tributorum privetur, in graviſſimum Regni detrimentum. Illud tamen citra dubium admittendum, tempore neceſſitatis poſſe Reges hos redditus in partem, aut in totum non ſolvere; nam ſi Princeps ſuis ſubditis moratorias concedere valet, *l. Quoties* 3. *l. Vniverſis* 6. *Cod. de precib. Imperat. offer. lib.* 33. & 34. *tit.* 18. *part.* 3. Caſtillus *lib.* 8 *de Aliment. cap.* 12. Salgado *in Labyrint.* 2. *p. cap.* 30. *à num* 6. Barboſa qui plures dat *in l. Quoties* Similiter neceſſitate urgente poterit ſibi ipſi concedere. Balmaſeda *q.* 2. *n.* 24 prout etiam tempore neceſſitatis poteſt gratias ſuſpendere. Valenzuela *conſ* 99. *nu.* 32. Delbene *de Comitiis*, *dub.* 7. *per tot.*

Deinde ex dictis ſuſcipit majorem lucem textus *in lib.* 2. 62
tit. 15. *lib.* 4. *Recopilat.* afferens, ex tolerantia Principis minimè tributa poſſe Magnates præſcribere, nec detinere, ut latè explicat Larrea *alleg.* 18. *per tot.* quin neceſſariò debent oſtendere titulum expreſſum, & clarum. Larrea *allegat* 10. Balmaſeda *q.* 4. *num.* 22. In noſtra enim ſententia, etiam ſi titulum oſtendant, nec præſcribere, nec retinere poſſunt ſimilia tributa, cùm ſit invalidus, & conſequenter probat poſſidentium malam fidem. Abbas *in c. Si diligenti*, *de præſcript. n.* 15. Menochius *l.* 3. *præſumpt.* 130. *n.* 34. Leoncillus *deciſ.* 76. *à num.* 1. Coſta *de privil. credit. regul.* 3. *limit.* 3. *num* 13.

De jure verò imponendi gabellas, an poſſit concedi, vel 63
vendi à Principe, ita ut aliquis particularis poſſit gabellas imponere; Affirmandum eſt, licèt neget Antunnez *de donat.* 3. *part. cap.* 1. *num.* 34. Ratio eſt, nam quod Princeps per ſe poteſt facere, per alium etiam facere valet: idq; e admittendum, quando perſona illa urgenti neceſſitate ad bonum commune illas imponeret, & non alio modo. Si tamen ſibi applicaret, id non admittendum, niſi in caſu, quo ejus perſona fuiſſet valdè neceſſaria ad bonum commune illius provinciæ, aut civitatis, ubi habet facultatem gabellas imponendi, de Lugo *d. diſp.* 36. *ſect* 1. *num.* 12. Larrea *alleg.* 10. *n.* 3. qui aſſerit, ſimile jus in generali conceſſione

cessione non venire, nisi expresè concedatur, ob maxima inconvenientia, quæ inde sequeretur, non verò jus imponendi gabellas præscriptione quantumvis immemoriali valet acquiri, *l.* 1. *tit.* 15. *l.* 4. *Recopilat.* Nam quod in signum superioritatis Principes habent, impræscriptibile est, *cap Cùm non liceat* 12. *de præscript.* D. Olea *de cess. tit.* 3. *q.*6. *à n.*18. Antunnez *de donat.* 2. *p. lib.* 2. *cap.* 9. *per tot.* ut contra Barbatiam, & Mena tenet Balmaseda *d.q.*4. *à n.*7. quod in Castella certum videtur, secus ubi non adesset lex id prohibens. Danza *lib.* 2. *cap.*4. *dub.*4. de Lugo *d. sect.*1. *num.*14.

64 Prorsus ad gabellarum impositionem causa est necessaria, ad quam disquirendam in primis Princeps debet priùs excutere bona propria Coronæ, & redditus, illius, qui quidem si sufficientes sint ad necessitatem succurrendam, neutiquam poterit venire ad impositionem tributi? Valenzuela *cons.*99. *n.*20. Balmaseda *q.*2. *n.* 20. Et insimul tenetur officia vendibilia vendere, cum qualitatibus à jure petiti, scilicet ut vendantur dignioribus moderato pretio, ob causam publicam, & à legitima potestate. Delbene *de Comit. dub.*3. Antunnez *d.* 2. *part. lib.*1. *cap.*14. *per tot.* qui plures refert. Tum etiam tenetur immoderatos sumptus restringere, salaria Ministrorum, tam belli, quàm pacis, annuas pensiones, & alia, quæ alio tempore concessa sunt ex abundantia; contractus cum vassallis initos ad limites justitiæ moderari, ac denique expensas domus Regalis ad modum honestum reducere, ita ut omnia tentet, ne ad tributum perveniat; aliàs enim injustum tributum redderetur cùm non ad publicam necessitatem poneretur, cui ex excessu illorum sumptuum subvenire poterat, ut benè probat Araujo *de stat. Civili, disp* 12. *difficult.*2. *n.*5. & 6. *l.*11. *tit.* 28. *p.*3. Marinis *dec.*258. *n.*3. Bobadilla *lib* 5. *cap.*5. *n.*706. Diana 1. *p. tr.*3. *res.*14. Cabreros *de Metu, lib.*2. *c.*23. *n.* 50. Valenzuela *d. cons.*99. *n.*28.

65 Erit ergo causa necessaria, & proportionata vectigali de novo imponendo ob bonum publicum, non tamen propter Principis utilitatem, aut libidinem; & ita necessitati proportionatum debet esse tributum, ut causa cessante, cesset vectigal. Tapia *d.art.*2. *n.*5. Parra *in Appendice q n.*4. Suarez *de legibus, lib.*5. *cap.*15. *n.*6. Vasquez *de Rest. cap.*6 §. 1. *dub.*2. *n.*22. Valenzuela *cons.*99. *nu.*46. Antunnez *d. lib.*1. *cap.*24. *n.*94.

66 Sunt enim causæ istæ variæ, prout variæ necessitudines Regnorum eveniunt: ast illæ magis communes. In primis, propter belli necessitatem, urgentis ad defensionem Regni, aut urbis. Secundò, propter bellum justè aliis inferendum. Tertiò ad redimendum Principem captivum in bello à se justè illato. Quartò ob publicam utilitatem, quando necessarium est muros reficere, aut aliud publicum ædificium construere. Quintò ad liberandam Rempublicam ab aliquo tributo, aut pensione. Sextò, quando Princeps patrimonium non habet ad conservandam authoritatem Regiam: verùm in hoc moderatè procedendum, ne tributum ad pompam, seu vanitatem imponatur. Septimò ad nubendam Regis filiam, vel ad alendos filios Regis, qui aliunde non habent alimoniam. Octavò ad redimendum filium Regis captivum, aut apud hostes detinendum; vel ad liberandum tributum, quod hostibus persolvitur; vel ad damna restituenda, quæ data sunt aliis de quibus causis Lopez 1. *p. instruct. conscient. c.*186. Vasquez *dict. dub.*2. *à nu.* 23. Villalobos *in Summa*, 2. *p. tr.*6. *diffic.*13. *n.*4. Parra *d.q. Append. n.*5. de Lugo *d disp.*36. *sect.*2. *n.*18. Castillo *lib.* 7. *controv. cap.*41. *n.*29. Larrea *alleg.*59. *n.*7. & 8. Solorzanus *de jur. Indiarum, tom.*2. *lib.*1. *cap.*18. *à n.* 3. Fermosinus *in cap. Ecclesia S. Mariæ, de Const. qu.* 6. *per tot.* Antunnez *de Donat.* 3. *par. cap.*1. *à num.*9.

CAPUT IX.

Prosequitur materia antecedens de Tributis.

SUMMARIUM.

*Princeps an possit imponere tributum, quando sua culpa ad necessitatem pervenit. Negant aliqui, n.*1. *Alteri affirmant, n.* 2. *Resolvitur, à n.* 3. *Ubi quando ad pinguiorem fortunam pervenerit, ad restitutionem tenetur.*

Principis assertioni affirmantis de necessitate tributi, an sit credendum. Prima sententia affirmat, nu. 4. *Officiali datur fides asserenti in suo officio, ibid. Secunda sententia tenet contrarium, n.*6.

Explicatur Clementina 1. de probationib. *Et aliqui negant extendendam ad Principem sæcularem. Explicatur, n.*7. *&* 8.

*Princeps credendum, quando testatur de facto proprio, & absque præjudicio tertii, num.*9. *Principi non creditur quando de contrario constat, num.* 10. *in dubio, si testetur de facto proprio, & in suo officio, creditur, num.*11.

*Si verò non de facto proprio, sed de quo scit per relationes, testetur, non creditur, n.*12.

*Princeps non est credendus, quando imponit tributum ad causam sibi immediatè tangentem, n.*14.

*Quando Princeps cum Comitiis imponit tributum, in dubio credendum causam esse certam, n.*15.

*An imponi possit tributum pro defendendis aliis Regnis? Prima sententia affirmat, à n.*16. *Sed explicatur, & distinguitur, à n.*19.

*An sit causa justa tributi in Hispania ad Belgas defendendos. Negatur, à n.*20.

Ad imponendum tributum requiritur forma, & proportio, ita ut proportionaliter solvatur, n 24.

*An tributum impositum in rebus necessariis ad vitam, sit justum? Prima sententia dicit injustum, num.*25. *Secunda negat, num.* 26. *Explicantur leges* 5. *&* 6. de vectigalibus, & commerciis, *& caput* Quamquam 3. de censib. lib. 6. *num.*27. *Resolvitur à num.* 28. *Sed quando imponitur, plura sunt necessaria ibidem recensita, num.*31.

*Personæ exemptæ à tributis, non sunt gravandæ. A tributis sunt immunes Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ personæ, n.*32. *Sed de hac re, ut de speculativa est tractandum, num.*33.

*An Clerici teneantur ad tributa posita ad mixtam necessitatem, tam eorum, quàm sæculariam. Affirmatur in his quæ pertinent ad privatam utilitatem Clericorum, n.*34. *Et absque licentia Pontificis, n.*35.

*Sed quid si necessitas sit generalis, immediatè non tangens utilitatem Clericorum, n.*36. *Affirmant plures, n.* 37. *Negant plurimi, num.* 38. *Tertia sententia distinguit, num.* 39.

Explicatur lex Ad instructiones, C. de Sacrosc. Eccles. *& alia jura, nu.* 40. *& caput* Non minus 4. de immunit. Eccles. *num.*41.

*Clerici ad gabellas non tenentur ad utilitatem communem, vel quæ fuerint ad ornatum, nec alio modo, nisi in extrema, aut urgentissima necessitate. Latè defenditur, à num.*42.

*Idem si tributum imponatur à Gubernatoribus, nu.*43. *id intelligendum, si facultates Laicorum non suppetant, & bona communia, n.*44.

*Si est locus, & tempus ad consulendum Pontificem, id necessariò faciendum, aliàs petetur consensus Episcopi, & Cleri, nisi ad adsit periculum in mora, n.*48.

*Exequutio adversùs Clericos in his casibus non est facienda per Judices Laicos, sed per Ecclesiasticos, n.*49.

Nobiles à tributis sunt exempti, in Castella solùm à Pecho, num. 50.

*In tributo requiritur ut expendatur in illam causam, ad quam concessum est, n.*51.

EST verò aliquod dubium, quando Princeps ad inopiam sua culpa perveniat, veluti si prodigalitate, luxu, vel abusu Ærarium exhauserit, an tunc ad suam necessitatem possit ad tributum pervenire. Negarunt Henricus, Palacios Rubios, & alii apud Sanchez *lib.*2. *c* 4. *dub.*2. *nu.* 8 Gabriel *in* 4. *dist.*15. *q.*5. *art.*1. 1

Alteri verò tenent contrarium; nam illa necessitas, licèt ex culpa processerit, adhuc publica est, & necessariò succurrenda ob publicum bonum: ergo rectè poterit imponi tributum ad illius opitulationem. Sanchez *dub.*2. *nu.* 8. de Lugo *d. sect.*2. *n.*19. Vasquez *d. cap.*6. §. 1. *dub.*2. *nu.*22. & 23. Diana 1. *part. tract.*3. *num.* 4. Delbène *de Comitiis, dub.* 13. 2

In hoc dubio prima sententia debet admitti quoties necessitas illa ex aliis rebus valet succurri, aut quando de culpa 3

culpa Principis emenda non ſperatur, quin potiùs ex ejus pravis moribus rectè timeretur, novum tributum luxui & prodigalitati profuturum; tunc enim tributum nequit imponi, quia ad utilitatem publicam non tenderet, ſed tantùm ad materiam præſtandam vitiis ac prodigalitati Principia. Aliàs tamen ſemper admittenda eſt ſecunda ſententia, quia inopia Principis eſt in perniciem Reipublicæ, cujus damnum ſi aliunde non eſt unde ſuccurratur, ex tributo debet ſuccurri, etiamſi proceſſerit ex culpa illius: id tamen intelligendum eſt, ut mediocribus ſumptibus contentus ſit, & quantò minùs officiat vaſſallis, quando ex ſua culpa ad inopiam perveniat. Tum etiam ſi ad pinguiorem fortunam perveniat, tenebitur ad reſtitutionem illius tributi, cùm ex ſua culpa damnum illud percéperint. Molina *de Juſt. tract.* 2. *diſp.* 667. *nu.* 4. *verſ. Deinde.* de Lugo *d. ſect.* 2. *num.* 19.

4 Eſt verò dubium majus, an Principi credendum aſſerenti habere gravem neceſſitatem, ut novum tributum imponatur. Prima ſententia affirmat, *ex Clementina* 1. *de Probation.* ubi aſſertioni Pontificis ſtandum eſſe decretum eſt: quod quidem extendendum ad Principem laicum tradunt communiter DD. *l.* 32. *tit.* 1. *l.* 1. *in fin. tit.* 7. *part.* 7. Maſcardus *de Probat. concluſ.* 139. *num.* 10. Farinacius *de teſtib. quæſt.* 63. *cap.* 3. *nu.* 82.

5 Cæterùm, nam officiali deponenti de rebus ad ſuum officium tangentibus creditur. Larrea *allegant.* 48. *nu.* 9. Ergo multò magis Principi in his, quæ pertinent ad ſuum officium regnandi, pro quo eſt præſumptio, nihil velle in præjudicium ſuæ Coronæ, ut cum aliquibus docet Larrea *alleg.* 60. *per tot.* Cevallos *commun. q.* 578. *n.* 26. Bobadil. *in Polit. lib.* 5. *c.* 5. *n.* 11. *ad fin.* Diana 1. *p. tract.* 3. *reſol.* 11. Valenzuela *conſ.* 99. *num.* 1.

6 Secunda ſententia contrarium tenet; nam ſi Principis aſſertioni ſtaretur, in ſua voluntate eſſet quemque ſuo jure privare, ut cum Felino advertit Grammaticus *deciſ.* 105. *num.* 10. Hanc ob rem in ejus fuiſſet placito quas libet gabellas imponere in graviſſimum regni præjudicium. Tum etiam, nam in his gabellis agit Rex de proprio commodo, & in damnum tertii; quare credendum non eſt ei facilè, niſi aliunde de veritate conſtet, præcipuè in imponendis novis gabellis. Leſſius *de Juſt. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 8. *num.* 36. Quapropter in imponendis gabellis aſſertioni Principis de neceſſitate, ſtandum non eſt. Del bene *de Comitiis*, *dub.* 2. Ataujo *d. diſput.* 12. *diffic.* 2. *num.* 5. *ad fin.* Marinis *deciſ.* 92. *num.* 8.

7 In hoc dubio in primis conſiderandum, textum *in dict. Clement.* 1. *de Probat.* non plenè probare, aſſertionem Principis ſæcularis ſemper eſſe ſuſcipiendam, quia loquitur de aſſertione Pontificis, tantæ religionis, & reverentiæ; ut ad inſtar ſacrilegii eſſet illum de mendacio arguere, *cap. Cùm à nobis* 28. *de teſtib.* ubi Abbas *in princip. verſ. Fallit in Pepe*, *c. Nobiliſſimus*, 95. *diſt.* Quamobrem multi DD. negant, textum illum procedere in alio Principe ſæculari, ut tenent plures relati à Barboſa *in dict. Clement.* 1. *num.* 11. Quorum ſententia admittenda eſt in omnibus Principibus hæreticis, aut infidelibus, qui quidem aliorum hæreticorum mendacia politica inſequentes aſſertiones eorum, etiam juratæ, magis ad decipiendum deſerviunt, quàm ad veritatem dicendam, ut illos docuerunt Machiavellus, & alii. Ribadeneria *en el principe Chriſtiano*, *lib.* 2. *cap.* 15. Quapropter eorum aſſertionis ſtandum non eſt.

8 Si verò Principes Chriſtiani ſint bonis moribus imbuti, & Catholicæ veritatis inſectatores, deciſionem illam ad illos trahendam eſſe aſſerendum eſt, idque facilè in Regibus noſtris Catholicis, quorum integritatem, & Dei timorem nullus ignorat, & eorum deciſiones priùs apud probos, & Doctores Theologos examinantur: tum poſteà à doctiſſimis Conſiliariis approbantur, & exequuntur, ut rectè conſiderant Salgado *de Regia proteſt.* 1. *part. cap.* 1. *prælud.* 3. *num.* 157. Caſtillo *de Tertiis*, *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 16. In quo quidem ſenſu intelligendi ſunt DD aſſerentes, aſſertioni Principis ſtandum eſſe, ut tenent plurimi relati à Barboſa *in dict. Clement.* 2. *num.* 6. Caſtillo *d cap.* 6. *n.* 2. Larrea *d. allegat.* 60. *num.* 3. In aliis verò Principibus Chriſtianis, qui magis purpuram, quàm Deum colunt, foventque hæreſes ad ſuum ſtatum ampliandum, & cum infidelibus, & hæreticis fœdus quotidie ineunt, etiam in damnum Univerſalis Eccleſiæ Catholicæ, minimè iſta extenſio facienda eſt; iſti enim nihil differunt, quod veritatem affirmandam, ab infidelibus, & hæreticis; ſed technis, & mendacio omnia peragunt, quibus nunquam aſſentiendum eſt, ſed cum eis cautè agendum.

Rurſus, etiam abſolutè loquendo deciſio illius Clementinæ intelligenda eſt, quando Princeps deponit de facto proprio, in quo ipſe verſatur, nec aliquo modo præjudicium tertio ſequitur; quo quidem caſu ejus aſſertioni ſtandum, non verò ſi res inter alios ageretur, & inde præjudicium tertii ſequetur. Barboſa *ibidem*, *n.* 1. & 2. & ibidem Panormitanus. Farinacius *de teſtibus l.* 2. *quæſt.* 63. *c.* 2. *à n.* 149. Mieres *de Majorat.* 4. *part. quæſt.* 1. *limit.* 1. *nu.* 55. Gabriel *lib.* 1. *com. tit. de probat. nu.* 65. Cùm ergo in ſpecie, de qua loquimur, adſit præjudicium tertii, nempe vaſſallorum quì ad contributionem non levem, ſed magnam coguntur; tum Princeps deponat, non de facto proprio, ſed de neceſſitate Regni, pendente à facto alieno; inde eſt, ut non facilè credatur, nec aſſertioni illius ſtandum ſit, niſi aliis adminiculis, & comprobationibus de neceſſitate conſtet, ut benè notat Caſtillo *d. cap.* 6. *num.* 7. 9

Quare ad rem deveniendo, diſtinctio facienda eſt, quando Princeps per ſe imponit tributum independenter à conſenſu Regni, vel quando etiam interveniunt Comitia, & Regni Proceres. Et quoad primum dico, aſſertioni Principis ſtandum non eſſe, quando de neceſſitate teſtatur, ſi moraliter de contrario conſtet; tunc enim illa præſumptio, quæ ſtat pro Principis aſſertione, omninò eliditur, quando de veritate contraria conſtat. Ergo minimè illius aſſertioni ſtandum. Menochius *l.* 2. *præſumpt.* 10. *n.* 31. & *conſ.* 10. *n.* 25. Craveta *de Antiq.* 1. *part. n.* 13. Barboſa *in d Clem.* 1. *n.* 7. Diana *d.* 1. *p. tract.* 3. *reſol.* 11. *in fine*. 10

Si verò non conſtet de contrario, ſed ſimus in dubio, aſſeratque Princeps, neceſſitatem urgere ad imponendum tributum, diſtinguo; quando enim tributum immediatè fit ad cauſam publicam ſuccurrendam, veluti ad bellum, tunc credo aſſertioni Principis eſſe ſtandum, ſi ipſe per ſe gerat bellum, & neceſſitatem illam præ manibus habeat; nam tunc Princeps teſtatur de facto proprio, & in his, quæ pertinent ad ſuum officium perſonaliter ab ipſo exequutum: Ergo neceſſariò credendus, quia tunc maxima irreverentia fuiſſet illius aſſertioni non ſtare, *l. Reprehendenda*, *Cod. de inſt. & ſubſt.* Larrea *d. alleg.* 60. *n.* 1. & de mendacio arguere tur in re, quam ignorare non poterat. Maſtrillus *de Magiſtratib. lib.* 3. *cap.* 4. *a num.* 51. 11

Si verò Princeps domi maneat, nec bellum, nec neceſſitatem illam, niſi per relationes agnoſcat, ejus aſſertioni ſtandum non eſt; illa enim cognitio à relatione aliorum pendens, eſt valde fallax, *c. A nobis* 28. *de ſent. excommunicat.* ubi Scribentes: nec deponit Princeps de facto proprio, ſed alieno, & in aliorum præjudicium: quare non eſt credendum, pluries enim Reges ſiniſtris relationibus falluntur; hi enim, qui Regibus deſerviunt, plerumque ambitione laborant, inde fallaciſſimi exiſtunt, ut benè Salluſt. *in Catil.* ait: *Ambitio multos mortales doloſos fieri ſubegit, aliud clauſum in pectore, aliud in lingua habentes.* Quin potius apud Marquez *in ſuo Gubern. lib.* 2. *c.* 7. §. 2. ſenſerunt aliqui, Reges ad bonum Reipublicæ mentiri poſſe; nam cùm agant ſemper cum perſonis eos fraudare volentibus niſi mendacio ab eis eripi non valent: quod licèt quotidie accidat, attamen illicitum rectè ſcripſit Marquez *ubi proximè*. 12

Quamobrem in iis, quæ Principes per ſe non peragunt, ſed in quibus agnitio neceſſitatis publicæ pendet ab aliorum relatione, credendi facilè non ſunt ex ſola illorum aſſertione, ſed aliunde petenda eſt cognitio illius neceſſitatis; quia tunc Princeps non redarguitur, de mendacio, ſed quod alii Principem deceperunt. Decianus *lib.* 1. *conſ.* 18. *n.* 274. Maſcardus *lib.* 3. *de probat. concluſ.* 1227. *à n.* 35. Farinacius *d. quæſt.* 62. *n.* 147. *& n.* 176. 13

Aliæ enim ſunt neceſſitates, quæ immediatè tangunt Principem, veluti quando tributum imponitur ad ejus ſufficientem ſuſtentationem, vel ad filium ducendum, vel nubendam filiam; agitur enim principaliter de commodo Principis, & tantùm de utilitate publica per redundantiam, vel conſequentiam: & in hoc caſu minimè ſtandum aſſertioni Principis; nam principaliter agitur de ejus utilitate & comodo, in quo errorem facilè ſuſcipere poterit ob proprium amorem, & filiorum: tum quia teſtis eſſet in cauſa propria, & ideò non credendus, quare ejus aſſertioni aſſentiendum non eſt, Oldradus *conſ.* 102 *num.* 1. 14

Gram-

Grammaticus *decis.* 105. *num.* 12. Farinacius *d. quæst.* 63. *num.* 171.

15 Si verò Princeps ex statuto, vel consuetudine tributum imponere non possit per se, sed simul cum Comitiis vel Parlamentis, tunc etiam distinguendum est; si enim dubium existeret ex parte populi, tunc assertioni Principis stare debemus simul cum consensu Procuratorum; & ratio est, nam tunc non est sola assertio Principis, sed plurium asserentium certam esse necessitatem imponendi tributum. Ergo credendus est Princeps simul cum Comitiis. Grammaticus *decis.* 65. *n.* 62. Tapia *l.* 4. *de legibus*, *q.* 11. *art.* 4. Si verò consideremus ipsos Parlamentarios, seu Procuratores, respectu Principis asserentis necessitatem tributi, tunc Procuratores, seu Parlamentarii debent credere, prout suprà explicatum est.

Rursus casus accidere valet, prout in Hispánia quotidie evenit, ut tributum non imponatur propter Regni necessitatem, sed propter alia Regna, seu provincias Regno Castellæ adjacentes, quia forrè ab hostibus infestantur. Et in hoc casu à peritissimis viris illud est resolutum, ut possit imponi tributum in Regno Castellæ ad defensionem aliorum Regnorum, seu Provinciarum adjacentium. Idque probant, nam sicut membra tenentur capiti subvenire, & defendere; similiter caput tenetur, quando membra offensionem patiuntur; totum enim nequit defendi, nisi reciprocentur membra, & caput ad ejus defensionem.

17 Cæterùm id pertinet ad authoritatem, & decorem Principis, quæ valde necessaria est ad Regni conservationem, & defensionem, *c. Non sunt audiendi* 56. 11. *quæ.* 3. Adam. Contzen. *lib.* 8. *Polit. cap.* 4. §. 3. Aliàs si sua Regna, aut Provincias adjacentes non defenderet, opinione deperdita, facilè ab hostibus bellum inferretur, ac ad ruinam deveniret; idcircò ne hoc damnum perveniat, justa erit causa tributi, ut hæc Regna defendantur.

18 Tum interim procul debet esse bellum à principali Corona, & pacata Republica, vivitur absque bellorum damno, & ruina; quapropter erit justissima causa tributi defendere Regna, vel Provincias adjacentes, ut explicat Vasquez *de Restitut. c.* 6. §. 3. *dub.* 1. *nu.* 6. Delbene *de Comitiis*, *dub.* 14. Balmaseda *de Collect. quæst.* 2. *n.* 10. Larrea *allegat.* 62. *per tot.* Castillo *lib.* 6. *cap.* 41. *n.* 80. Diana 1. *p. tract.* 3. *resolut.* 3.

19 Verùm hæc doctrina indiget explicatione. Si enim Regna, aut Provinciæ istæ adeò adjacent Regno principali, ut contiguæ sint, ex quibus commodum percipit Regnum principale, tunc justissima est causa tributi in Regno principali; nam ex eo quod defendit illorum commodum, proprium defendit; nam ex illis Provinciis percipit utilitatem. Ergo erit illarum defensio justissima causa tributi.

20 Si verò non contiguæ sint, sed longinquæ, ex quibus nullum commodum percipit Regnum principale, veluti Belgium respectu Hispaniæ, tunc non videtur illarum defensio justa causa tributi. Ratio est, nam cùm Regnum principale nullum ab alio percipiat commodum, si ad illius defensionem depauperetur, & tributa persolvit, deficit illa ratio formalis justificationis tributi; quapropter nequit imponi. Idque in exemplo proposito Belgarum facilè demonstrabitur; nam cùm Reges Hispaniæ illas provincias jure hæreditario haberent semotas à principali Corona, ex quibus nullum commodum percipit Hispania; cùm tamen illas defendere intenderint, totam Hispaniam devastarunt, profusis thesauris suis, & Nobilium Hispanorum sanguine inutiliter effuso, & tam Hispania, quàm Belgium deperditum existit, ut benè consideravit Bitranius *ad Philip. Comum*, *c.* 116. *lit. K*, qui *lit. M*, scripsit Provincias illas, nec Ludovicum XI. Franciæ Regem, nec Edoardum Angliæ percipere voluisse, utpote periculosissimas, & magnarum expensarum ad earum defensionem. Ipse Bitranius latè *c.* 63. *lit. O.* quod similiter effecit posteà Franciscus I Galliarum Rex, cui Imperator Carolus V. Flandriam concedebat ad matrimonium sui filii; verùm ipse acceptare renuit. Ergo in similibus Regnis, seu Provinciis nequit admitti similis doctrina. Araujo *dict. disput.* 12. *difficult.* 2. *n.* 10. Marinis *observat. ad decis.* 160. *n.* 2.

21 Sed dices, quod licèt id non sit necessarium ad utilitatem, est tamen necessarium ad decorem, & authoritatem Principis, ut dicunt contrarii: Ergo erit causa sufficiens, ut possit imponi tributum. Sed tamen respondendum, honorem, & authoritatem Principis minimè debere consistere in aliqua vana, & inutili reputatione, nisi etiam utilitatem gravem contineat; quapropter Reges aliqui parvipenduntur, qui solùm ad animi, & futilis vanitatis ostentationem permulta & operosa bella gessere, ex quibus nihil penitus utilitatis percipere, sed solùm eorum sumptibus Regnorum opes exhausere, illustriumque virorum sanguinem perperam profudere, ut benè considerat Petrus Barbosa *in sua Polit. tract.* 1. *decis.* 4. *à fol.* 75. Cùm ergo, ut supponimus, Regna, seu Provinciæ nullius sunt utilitatis, quin potiùs gravissimarum expensarum, nequit rectè justificari tributum ad illas defendendas ex solo Principis decore.

In quo quidem casu benè aget Princeps, si illas dimittat, 22
& Principi sui sanguinis concedat, aut alteri, de quo bonam societatem speret; at si sint in partibus, ubi id non possit fieri, deserat, prout quotidie fit in Africa, & fecit etiam Joannes III. Lusitaniæ Rex, dimittens Azamoram, Cafi, & Arsillam. Barbosa *in dict. Polit. d.* 5. *à fol.* 78. Nec enim tanto damno velit Provincias longinquas conservare ex sola vanitate, prout Ludovicus XIV. Galliarum Rex, præstantissimus Princeps, belli, pacisque arbiter insignissimus, paucis ab hinc annis dimisit Messinam, & Augustam, Trinacriæ urbes, à quibusdam rebellibus sibi traditas; nam cùm prospiceret, minimè ad Regni Franciæ utilitatem deservire, nisi ad magnos sumptus, & periculosissima bella, illas deseruit. Exemplum autem tam magni Regis difficultatem absque dubio relinquit. Quamobrem minimè ad similia Regna, aut Provincias sustentandas possunt tributa imponi, sed dimittenda sunt.

Nec denique majoris ponderis est aliud fundamentum 23
appositum à contrariis, nempe bellum procul abesse, utilitatem maximam esse dicentes. Nam quando hæc Regna, seu Provinciæ longinquæ sunt, hostes contigui illius provinciæ bellum tam procul non adducunt, si verò etiam adjacent ad Regnum principale, similiter bellum cum principali Regno geritur, prout Galli nostri vicini, qui si adversùs Belgas, aut Italos nostros dimicent, statim Hispaniam aggrediuntur, unde necesse est, ut per nostros bellum geratur ad magnam diversionem, aut oppressionem; quapropter fundamentum illorum nullius est ponderis.

Prorsus aliud requisitum est necessarium ad imponendum 24
tributum, nempe forma, seu proportio; non enim justum est, ut æqualiter omnes persolvant, sed juxta facultates, & conditionem uniuscujusque; plus enim à divite, quàm à paupere solvendum est, cæteris paribus; id enim pertinet respectu Communitatis ad justitiam distributivam, & redundat in commutativam, respectu singulorum. D. Thomas 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. Tum etiam proportio servanda est, ne pauperes vassalli majoribus onerentur tributis, quàm solvere possint: tum si super te immobili imponantur, non debent excedere quantitatem moderatam, consideratis fructibus, laboribus, & expensis, Suarez *de legibus*, *l.* 5. *cap.* 16. *à. nu.* 1. Villalobos *dict. tract.* 8. *difficult.* 13. *n.* 5. Molina *tract.* 2. *disput.* 668. *à num.* 1. Castillo *lib.* 6. *de tertiis*, *c.* 41. *n.* 79. Marquez *en su Governador*, *lib.* 1. *cap.* 16. §. 3. Parra *in dub. Appendicis*, *num.* 6. Diana 2. *part. tract.* 3. *resol.* 5. Antunnez *d. cap.* 24. *num.* 99

Unde gravissima dissertatio est, an tributum impositum 25
in rebus necessariis ad vitam, injustum sit, necne, prout impositum est in Castella illud dictum *Sissa*. Prima sententia asserit injustum esse. Ducitur, nam tributum non est imponendum in rebus necessariis, sed tantùm in rebus negotiationis, & commercii, *l. Vniversi* 5. *leg. Omnium* 6. *C. de Vectigalibus*, *l.* 5. *tit.* 7. *p.* 5. Ergo simile tributum injustum est. Tum ratione probatur, nam si imponitur in iis rebus necessariis, debita proportio nequit servari, quin pauperes magis gravantur, quàm divites, quia hæ utensilia minutim emunt. Ergo simile tributum injustum est. Quapropter Driedo *lib.* 2. *de libertate Christiana*, *cap.* 5. scripsit, similia tributa damnata esse de Jure Civili, & Canonico, *in cap. Quamquam.* 3. *de Censibus*, *l.* 6. tenent hanc sententiam Cajet. Hostiensis, Ledesma, Soto, Toletus, & alii apud Suarez *d. cap.* 16. *n.* 2. & apud Tapiam *dict. lib.* 4. *quæst.* 11. *art.* 6. *num.* 3. Sayrus *de censur. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 9. Bertazolus *volum.* 1. *cons.* 207. *num.* 4. Rolandus *vol.* 3. *cons.* 42. *n.* 28. Becius *cons.* 96. *num.* 5. & 18. dicit probabile Bonacina *de Contract. disp.* 2. *quæst.* 9. *punct.* 1. & Tapia *d. art.* 6. *num.* 4. ubi contrarium dicit probabilius.

Secun-

26 Secunda ſententia tenet contrarium, nam ſimile tributum non opponitur juri naturali: & probatur, quia ſi opponeretur, fuiſſet propter improportionem, quæ in illo adverſaretur: ſed nullo modo adeſt, nam pauperes pauca emunt, plura divites: quapropter moraliter loquendo, proportio obſervatur; non enim in imponendis tributis æqualitas mathematica requiritur, ſed moralis, & poſſibilis, ſecundùm prudentiam, quæ quidem in hoc tributo obſervatur: Ergo non opponitur juri naturali.

27 Nec opponitur juri poſitivo; nam licèt jura illa *in dict l. Univerſi 5. l. Omnium 6.* dicant, in rebus neceſſariis non eſſe imponenda tributa; leges tamen iſtæ non ligant extra Imperium, & lex Partitæ ob contrariam conſuetudinem derogata eſt. Nec Jus Canonicum aliquid in contrarium decidit: nam caput *Quamquam*, caput *Super quibuſdam*, & Bullæ Cœnæ tantùm loquuntur de tributis impoſitis abſque legitima poteſtate, ut cum aliquibus notat Suarez *dict. cap. 14. num. 4.* non verò prohibet tributa imponere ſuper rebus neceſſariis. Hanc ob rem, quoties alia adſint requiſita, rectè ſimile tributum imponitur. Suarez *c. 16. à.num. 3.* Tapia qui plures dat, *d. art. 6. num. 4.* Vaſquez *de Reſtit cap. 6. §. 3. dub. 1.* Cruz *Direct. part. 1. præcept. 7. art. 3. dub. 1.* Layman *de Juſtit. tract. 3. part. 1. cap 3. n. 3.* Molina *dict. diſput. 668. num. 2.* Diana *2. p. tract. 3. Miſcell. reſol. 28.* Caſtillo *d. cap. 41. num. 79. verſ. Sic etiam*, Bobadilla *in polit l. 5. c. 5. nu. 17.*

28 In re tamen animadvertendum, aliquas eſſe res neceſſarias præcisè ad pauperes, & miſerabiles perſonas, quibus ſimpliciter neceſſariò utuntur, ut eſt panis, caro bovina, vel ovina, & ſagum; in his igitur imponere tributa, res inhumana eſt, & contra ipſam naturam, nec æquitas ipſa naturalis id permittit, ut cum Navarra rectè animadvertit Layman *d cap. 3. num 3. ad fin.* In pane eleganter id ſcripſit Magiſter Joannes Martinez *in ſuis Politic. diſſert. 5* Parra *dict. dub. num. 7.* Tapia *dict. quæſt. 11. art. 8. & 9.* Ratio eſt, nam hæ res ſimpliciter ſunt neceſſariæ pauperibus ad conſervandam vitam, & ſolùm miſerabiles perſonæ illis utuntur, non ita divites, & qui habent neceſſaria: Ergo fuiſſet contra ipſam naturam imponere tributum, abſque aliqua proportione, ſolis pauperibus, relictis aliis, in his rebus, quibus ſimpliciter indigent ad conſervandam vitam.

29 Cæterùm probatur, nam pauperes immunes ſunt à tributis, *l. 4. §. Inops, ff. de Mun. & Honorib.* Mena *lib. 2. var. quæſt. 21. num. 128.* Velaſco *de Privileg. pauper. 1. part. quæſt. 37. nu. 11.* Solorzanus *de Jur. Indiarum, tom. 2. lib. 1. cap. 16. nu. 28.* Unde ſequitur, immunes eſſe debere res, quibus neceſſariò ipſi utuntur, aliàs contra naturale jus graventur in rebus ſibi ipſis neceſſariis ad conſervandam vitam.

30 In aliis verò rebus non ita pauperibus neceſſariis, verùm quæ ſunt communes divitibus, & aliis perſonis, admittenda eſt ſecunda ſententia; nam ut ſcripſit Molina *dict. diſput. 668. num. 2.* hæc tributa ſenſim, & minutim ſolvuntur abſque moleſtia populorum; tum etiam excuſantur exactores graviter illos gravantes; quapropter à populo tributa iſta majori facilitate, & ſine moleſtia recepta ſunt: aſt hodie, cùm populi pro his ſolvendis capitentur, ad exactionem rigoroſam devenerunt, tum à Publicanis graviſſimis moleſtiis pergravantur, ut capitentur; unde illuc commodum à Molina perpenſum parvi ponderis eſt.

31 Illud verò prætereundum non eſt, aliquas conditiones eſſe neceſſarias ad juſtificationem hujuſcemodi tributi. Prima, ut ſit neceſſitas ſingularis Reipublicæ, cui aliter occurri non valet. Secunda, ut ſit per breve tempus. Tertia ut ſit quantitas parva. Quarta, ut ſit in rebus communibus utenſilibus, ab omnibus recipiendis, ut proportionatum ſit tributum, ut cum Medina & Navarra notat Villalobos *dict. difficult. 13. n. 6.* quare in praxi vix juſtificatur hoc tributum. Vide Tapiam *dict. quæſt. 11. art. 7.*

32 Alterum eſt etiam requiſitum ad juſtificationem tributi, ne perſonæ exemptæ ad illius ſolutionem cogantur, ac in illo comprehendantur, aliàs contineret injuſtitiam in præjudicium illius qui ex legitimo privilegio à tributis eximitur: iſti enim ſunt Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ perſonæ, *c. Non minùs 4. c. Adverſus 7. de Immunit Eccleſiarum, cap. Quamquam 4. de Cenſibus in 6. cap. Clericus 3. cap. fin. de Immunit Eccleſiarum in 6. Clement. 5. eod. tit lib. Placet, Cod. de SS. Eccleſiis, l. Sancimus, Cod. eod. tit. Authent. Item nulla, Cod. de Epiſcop. & Clericis, l. 50. cum ſeq. tit. 1. part. 1. lib. 3. 11. & 12. lib. 1. Recopilat.* Idque Jure naturali, & poſitivo procedit, ut doctiſſimi viri ex aliquibus Scripturæ teſtimoniis deducunt, præcipuè *Matth cap. 27. verſ. 25.* quorum placita hic recenſere longum eſſet. Verùm ratione probat D. Thomas *2. 2. quæſt. 16. art. 1.* Nam Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ perſonæ ſunt immunes à juriſdictione Principis ſæcularis, *cap. 2. de judiciis;* quare nequeunt per legem tributi eos adſtringere. Tum peculiari deputatione ſunt dicatæ Eccleſiæ, & Eccleſiaſtici ad cultum divinum, quapropter ſunt honorificè tractandi, & liberandi à tributorum exactione, ne implicentur negotiis ſæcularibus, & ut ſæculares tractentur. Suarez *contra Reg. Angliæ, l. 4. c. 22.* Molina *de Juſt tract. 2. diſp. 670* Parra *in dict. dub. Appendicis, à num 8.* Guttierrez *de Gabellis, quæſt. 92. à nu. 17.* Antonellus *de Regim. Eccleſiæ, l. 4. cap. 5.* Marta *de Juriſdict. 4. p. caſu 1. cum ſequent.* Caſtillo *lib. 6. controv. cap. 9. à n. 18.* Mena *Pract. lib. 2. q. 21. §. 4. num. 174.* Barboſa *de univ. jur. lib. 1. cap 39. §. 5.* Belletus *diſquiſit. Cleric. tit. de Exempt. à muneribus*, Laſtra *ad tit. de Conſuet. quæſt. 3. n. 58.*

De hac verò immunitate Clericorum plura ſcripſerunt DD. Sed ò tempora! ò mores! res tantùm ſpeculativa eſt; ſtatus enim Clericorum tanto ſubſidio, excuſato, donativis, & tributis inſeparabilibus, ac ſiſſis gravatur, ut pluſquam ignobiles laici pergraventur. Id tamen Bullis Romanorum Pontificum adeptis imponitur: ſed quomodo impetrantur, Deus Optimus Maximus judicabit; quanto enim experimento cernimus, Regnum tantis ſubſidiis, donativis, & ſiſſis Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum præſtitis, tanquam impari pondere oppreſſum ruere, etiam Bullis adeptis, prout accidit aliquibus Principibus, quos etiam poſt obtentam licentiam Pontificis graviter Deus caſtigavit, ut refert Araujo *dict. diſput. 12. difficult. 2. nu. 16.* Optimum quidem argumentum, non rectè impetrari: de re tamen non judico. 33

Sed ut aliqua dicamus, diſquiramus, an Eccleſiaſtici teneantur contribuere in neceſſitate communi etiam Laicis, & Eccleſiaſticis? Et in re illud animadvertendum, dupliciter id accidere poſſe. In primis, quando neceſſitas ipſa immediatè attingeret ipſos Eccleſiaſticos, in particulari, quo quidem caſu rectè ad contributionem obligantur, utpote ſi contributio poneretur ad cuſtodiendas vineas, ubi etiam ſunt Clericorum; vel ad divertendum flumen in agros etiam Clericorum irruens, vel ut irrigaret, & alia hujuſmodi. Ratio eſt, nam hæc contributio non reſpicit utilitatem communem, ſed privatam ipſarum Eccleſiarum, & Clericorum; quapropter ex juſtitia ſolvere tenentur, quia commodum privatum percipiunt, *l. 12. tit. 3. lib. 1. Recopilat.* Sanchez *conſ. lib. 2. cap. 4. dub. 55. num. 5.* Tapia *dict. quæſt. 11. art. 19 à num. 1.* Morla *in Emporio, 1. p. q. 16. num. 21.* Otero *de Paſcuis, cap. 18. nu. 11.* Fermoſinus *in cap. Eccleſia S. Mariæ, de Conſt. quæſt. 11. per tot.* Capponi *tom. 4. diſcept. 313. n. 29.* Balmaſeda *de Collect. quæſt. 19. num. 19.* Delbene *de Immunit. cap. 5. dub. 16.* 34

Quo quidem caſu licentia Summi Præſulis neceſſaria non eſt, quia id non concernit utilitatem publicam, ut loquitur textus *in dict. c. Adverſus.* Nec attendendum, an adſint bona propria oppidi ad id efficiendum, quia bona illa ſunt deſtinata ad utilitatem publicam, non verò ad privatam, et iam Eccleſiaſticorum, *l. 11. tit. 3. lib. 1. Recopilat.* ubi Azevedus *n. 4.* Sanchez *d. dub 55. n. 6. & 7.* 35

Secundo modo valet evenire hæc neceſſitas, ſcilicet quando competit in generali ad omnes, tam Laicos, quàm Clericos, ut pontium, ſeu murorum conſtructio, refectio fontium, viarum reparatio, pellere hoſtes, aut ab eis ſe defendere, cuſtodire apertè Civitatem, vias à latronibus, & alia hujuſmodi neceſſaria. 36

Et in hoc caſu duæ ſunt ſententiæ. Prima affirmat, Clericos teneri ad has contributiones impoſitas à Principe vel ab aliis Miniſtris ſæcularibus, *l. Ad inſtructiones 6. Cod. de SS. Eccleſiis, l. 20. tit. 32. part. 3. l. 11. tit. 3. lib. 1. Recopilat.* Quæ jura clarè hanc ſententiam probant. Tum probatur *ex cap. Pervenit 2. de Immunit. Eccleſiarum*, ubi aſſeritur, Clericos teneri ad vigilias murorum, ut meliùs Civitas cuſtodiatur, quæ quidem cauſa communis eſt laicis, & Clericis; & tamen non excuſantur: Ergo nec ab aliis contributionibus communibus generaliter Clericis, vel 37

Laicis.

Laicis. Deinde ratione probatur, nam hæ contributiones tributa non sunt, sed expensæ, quæ ex necessitate faciendæ sunt inter cives ad conservandam civitatem, & ad commodum, tam sæcularium, quàm Ecclesiasticorum. Ergo Clerici, aut Ecclesiæ debent ad has contributiones obligari, saltem ex æquitate, dum Ecclesiæ, & Ecclesiastici illud commodum percipiunt. Gregorius in *l.54. tit.6. part.1. verbo En las calzadas*, Guttierrez *pract lib.1. q.3. n.1.* Azevedus *in l.11. tit 3. lib.1. Recopilat. n.2.* Mena *d. q.21. §.4. n.213.* Narbona in *l.57. tit.4. lib.2. Recopilat. gloss. un. n.16.* Barbosa *lib.2. polit. cap.18. n.302.* Oliva *de for. Ecclesiæ, 1. part. q.39. n.8* Salgado *de protect. Reg. par.3. cap.5. num.9.* dicit probabilius Sanchez *d. dub.55. num.13.* Amaya in *leg. 3. C. de Annon. lib.10. num.36.* Antunez *de Donat.3. p. cap.2. num.10.*

38 Secunda sententia tenet contrarium, ex *cap. Non minùs 4. de Immunit. Ecclesiarum*, ubi in specie loquitur textus de Fossatis, & aliis expeditionibus necessariis ad custodiam communem, tam Laicorum, quàm Clericorum; verùm asserit textus, illos Clericos non debere: Ergo immunes sunt à similibus contributionibus. Cæterùm ratione probatur. Nam in eo stat privilegium Clericorum, ut quamvis commodum in his rebus percipiant, ob honorem tamen, & reverentiam minimè ad tributum veniant, prout etiam Nobilibus conceditur ob sua, aut Majorum facinora egregia. Denique, nam si in his Clerici gravarentur, eorum immunitas à tributis ferè ad nihilum reduceretur; quapropter in his contributionibus non debent contribuere, ut tenent plures, quos refert Sanchez *d. dub.55. nu.12.* Diana qui plures refert *1. par. tract.1. resol.38.* Layman in *Summa, lib.4. tract.9. cap.6. num.6.* Tapia *dict. lib.4. art.19. à num.4.* Delugo *de just. disp.36. sect.8. n.123.* Molina *dict. tract.2. disp.672. n.4.* Luca *in Theatro Iust. tom.2. de Regalibus, dissert.59. n.3.* Delbene *d. cap.5. dub.17.* Bellet. *ubi supra, §.2. à n.1.*

39 Tertia sententia asserit, in his contributionibus Clericos ex nulla obligatione teneri ad tributum, sed tantùm ex quadam honestate, & de consilio. Idque significetur in *d. cap. Non minùs*, quatenus asserit, Clericos ad id non esse cogendos, sed quod laici ab eis recipiant quidquid dederint: tum quia nulla est obligatio Juris Canonici: nec lex, aut dispositio laicalis potest eos comprehendere: Ergo Clerici ad similes contributiones non tenentur ex aliqua obligatione, sed tantùm de honestate. Panormit. *lib.1. cons.3. n.1.* cujus verba refert Suarez *contra Regem Angl. lib.4. cap.26. num.4.*

40 In re tamen, ex juribus pro utraque parte adductis nihil certum potest deduci; nam DD. utriusque sententiæ omnibus interpretamenta parant, dicunt enim legem *Ad instructiones*, & alia jura civilia, recensita *num.45.* nihil ad rem probare posse, quia cùm sint jura sæcularium Principum, nequeunt immunitatem Clericorum lædere. Textus verò in *dict. cap. Pervenit*, plura accipit interpretamenta, ita ut Abbas, & alii non summent propter varia interpretamenta. Illud verò magis consonum videtur, ut intelligatur in urgentissima necessitate, quando laici ad custodiam civitatis non sufficiant. Barbosa *de univ. lib.1. cap. 39. §.5. n.44.*

41 Textus in *d. cap. Non minùs*, non inquit, Clericos hæc tributa, ac fossatas non debere, sed non esse à laicis cogendos ad eorum contributionem, sed id poterit facere Judex Ecclesiasticus. Tum etiam, quia quamvis committatur arbitrio Ecclesiasticorum, non est quia illas contributiones non debent, sed quia eorum arbitrio committitur expendere necessitatem, quæ sit sufficiens ad contribuendum, ut latè expendit Sanchez *d. dub.55. num.13.* quare ex variis intrepretamentis hæc jura utramque sententiam sufficienter non probant.

42 Unde asserendum, duobus modis posse venire ad similes contributiones. In primis quando ponties, muri, vel viæ construerentur ad ornatum, vel ad utilitatem futuram, vel communem præsentem. Secundò quando immineret necessitas extrema, vel gravissima, ut construerentur, vel alia essent facienda ad præcisam defensionem ex urgentissima necessitate belli, aut pacis tuendæ, vel gravissima utilitate. Quoad primum assero, minimè Ecclesiasticos; teneri ad contributionem, quidquid resistat Castillo *de Tertiis, lib.6. cap.9 à num.20.* Id (non obstantibus interpretamentis) probat textus in *d. cap. Non minùs 4. & cap. Adversùs*

7. de Immunit. Ecclesiarum, qui quidem loquuntur de iis contributionibus, quæ fiunt à consulibus Civitatum ad has communes expeditiones: verùm Pontifex sub anathemate asserit, minimè Ecclesias, nec Ecclesiasticas personas gravandas esse; erat enim tunc impositio contributionis, vel ad ornatum, vel ad utilitatem futuram, quando non urgebat necessitas, quia si urgeret, arbitrio, & licentiæ Summi Præsulis, vel Episcopi, & Cleri relinquit arbitrandum. Unde constat, quod nisi extrema, aut gravissima urgeat necessitas, minimè Clerici, nec Ecclesiæ ad similes contributiones tenebuntur.

Cæterùm ratione probatur. Nam quodlibet bonum, 43
commune, sive pontium, sive belli, etiam pertinet ad Ecclesias, aut Clericos, ut partes communitatis: Ergo si quælibet utilitas publica fuisset causa sufficiens, ut Ecclesia, & Clerici contribuerent, quia ad eos bonum redunditur, privilegio immunitatis tributorum privarentur: Ergo non erit causa sufficiens illa utilitas communis ad Clericos refusa, ut trahantur ad tributum Ecclesiæ, & ejus Clerici. Tum probatur: nam immunitas status Ecclesiastici quoad tributa, non solùm est de iis tributis, quæ à Regibus, vel Supremis Principibus imponuntur; sed etiam de iis, quæ à Consulibus, vel Civitatibus, ut apertissimè probant textus in *d. cap. Non minùs, cap. Adversùs*. Quod etiam decreverat Concilium Toletanum IV. *can.46.* ibi: *Præcipiente Domino nostro, atque excellentissimo Sesinando Rege, id constituit Sanctum Concilium, ut omnes ingenui Clerici pro officio Religionis, ab omni publica indictione, ac labore habeantur immunes*. Quare communiter DD. ab omni collecta immunes Clericos scripserunt. Fagnanus *d cap. Non minùs, num.1.* D Gonzalez *num.6.* qui plures dat. Ergo nisi necessitas gravissima instet, ab iis etiam contributionibus positis à consulibus, vel Universitatibus, erunt immunes, nec solvere tenebuntur. Nec sufficiet dicere, has esse expensas, omnia enim tributa expensæ sunt, nec aliquo modo distinguntur, nisi quia gabellæ aliquæ sunt ad expensas totius Regni, alteræ ad alicujus Provinciæ, seu Civitatis. Ergo à similibus contributionibus erunt liberi Clerici, & Ecclesiæ, si fiant tantùm ad ornatum, seu utilitatem futuram, vel communem, ut cum aliquibus advertit Sanchez *d. dub.55. n.15.*

Si verò contributiones istæ fiant causa extremæ, aut ur- 44
gentissimæ necessitatis, quoad primum excussio facienda est in bonis communibus, tum & laicorum, quæ quidem si sufficiant, sibi necessariis relictis, minimè ad contributionem Clericorum est deveniendum, ut asserit textus in *d. c. Non minùs*, ibi: *Vbi laicorum non suppetunt facultates*. Suarez *d. lib.4. cap.26. nu.15.* Nam si necessitas possit suppleri ex bonis communibus, nequit etiam in laicos imponi gabella, & multò minùs in Clericos. Delugo *d disp.36. sect.8. num.125.* Si tamen ex bonis laicorum, relictis sibi necessariis, possit urgenti occurri necessitati, nec etiam ad tributum Ecclesiarum poterit deveniri, cùm ex laicorum bonis de jure sunt hæ necessitates succurrendæ, & in eorum defectu Clerici tenentur: Ergo si ex bonis communibus, aut laicorum similes necessitates succurri potuerint, nequeunt Ecclesiæ, seu Cleri gabellari. Diana *§. p. tract.1. resol.11. & 1. p. tract.1. resol.132.* Delugo *d. n.125.* Borellus *cons* 74. *num.32.* Decianus *cons.51. n.31. lib.2.* Gratianus *disceptat. 390. n.19.* Tapia *d. lib.4. art.20.* Delbene *d. cap.5. dub.20.* Bellet. *d. §.2. à n.7.*

Supposito enim deficere facultates laicorum, tunc ad tri- 45
butum, si urgeret necessitas extrema, seu gravissima, debent venire Ecclesiæ, & Ecclesiastici, etiam in iis contributionibus pertinentibus ad generale bonum Regni, seu Reipublicæ, ut decisum est in *d. cap. Non minùs, dict. c. Adversùs*. Et id optima ratione; nam immunitas tributorum concessa Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis, nequit procedere in iis extremis, & gravissimis necessitatibus communibus; hæ enim in legibus generalibus semper exceptæ videntur. Plures dat Castillus *lib.6. cap.113. num.15. 18. & 19.* Bobadilla *lib.2. cap.18. num.297* & necessitas facit licitum, quod aliàs erat illicitum, *l.2. C. de navibus non excusand. lib.11. l. Cùm ad felicissimum, C. de quibus muner. vel præst. lib.10.* Castillo *dict. lib 6. cap.19. num.24.* Larrea *allegat.59. num.16.* Quapropter in iis necessitatibus communibus, sive exremis, sive urgentissimis, Clerici, & Ecclesiæ tenentur ad contributionem. Cæterùm, nam succurrere similibus necessitatibus, quando laicorum non sup-

petunt facultates, piiſſima cauſa eſt, *l.11.t.3.lib.1.Recopilat. in fin* & diximus *lib.1 cap.2.nu fin.* ad contributionem enim cauſæ piæ tenentur Eccleſiæ, & Eccleſiaſtici, & id ex propria ſua obligatione, ut alibi dicemus. Ergo in extrema, aut urgenti neceſſitate communi, & generali tenebuntur contribuere Eccleſiæ, & Eccleſiaſtici.

46 Idem eſt aſſerendum, quando non ſuppeterent facultates laicorum, & graviſſima fuiſſet utilitas Reipublicæ, ut decidunt textus in *d.cap. Non minus*, & *cap. Adversùs*. Ratio eſt, nam quando adeſt graviſſima utilitas Reipublicæ, tunc realiter eſt graviſsima neceſsitas, ne perdita graviſsima utilitate, graviſsimum detrimentum patiatur; quapropter ſicut in neceſsitate gravi, ſeu extrema tenentur Clerici, & Eccleſiæ contribuere; ſimiliter quando adeſt graviſsima utilitas, Butrius *in d.cap. Non minùs*, *num.*8. Cardinalis *num.*9. Abbas *num.* 5. Fagnanus *num.* 25. Palao *tom.* 2. *Oper. Moral. tract.* 13. *diſput. un. à num.* 9. Parra *ubi ſupra*, *num.* 12. Tapia *d.art.* 19.*num.* 5. Mena *var.lib.*2. *quæſt.* 21. *num.*215. *verſ. Secundo*, Marinis *deciſ.*36. *à nu.* 2. Genuenſis *pract.quæſt.*446.*per per tot.* Gratianus *diſcep.cap.* 16.*nu.* 21 *&* 25.

47 Illud verò obſervandum erit, ut quoties ad ſimiles neceſsitates Eccleſia, & Clerus debent contribuere, ſi Pontifex conſuli poteſt, neceſsariò eſt conſulendus: idque ſibi reſervavit *in d.cap Adverſus*, ob imprudentiam inferiorum; Sedes enim Apoſtolica majori cura, & vigilantia proſpiciet hanc neceſſitatem, tum ne facilè, & ex quavis cauſa Eccleſia, & Clerici ab exemptione ſpolientur, ſuntque ad id Bullæ Clementis, & Urbani VIII. Marta *de Juriſdict.p.*4.*cent.*1.*caſu* 1.*num.*32. Tapia *d.quæſt.* 11.*art.* 21. Diana *tr.*1 *reſol.* 11.*p.* 5. Delugo *d.diſp.*36. *ſect.*8.*num.*127. Delbene *d.cap.*5.*dub.*17.*nu.*18. D. Salcedo *lib.*1.*cap.*4.*n.*16. *de leg.polit.*

48 Si verò neceſsitas urgeat, ita ut periculum ſit in mora, conſenſus Epiſcopi, & Clerici eſt neceſsarius, *d. cap. Non minùs*, quorum arbitrio committitur neceſſitatem expendere, an ſit urgentiſsima, & caſus advenerit, ubi exemptio Clerum à contributione non liberet, quod optimè diſpoſitum; nam ſi Sæcularium relinqueretur arbitrio, per facilè Clerici ab immunitate ſpoliaretur, cùm ad ſæcularium intereſse id pertineret. Abbas *in cap. Non minùs*, *nu.*19. Sanchez *d.dub.*55.*nu.*28. Delugo *dict. ſect.*8. *nu.* 127. *in fin.* qui ex Suarez animadvertit, quod ſi de conſenſu Epiſcopi, & Cleri tributum fuerit inchoatum, negotio inducias concedente, conſenſus Apoſtolicus eſt petendus. Tapia *d.art.*21. *nu.*4. Carolus de Graſſis *de effectibus Clericatus*, *effect.* 3. *à nu.*127. Caſtillo *d.lib.*6.*cap.*9 *num.*28. *verſ.Secundum requiſitum.* Tondutus 1.*p.quæſt.Benef.cap.*30. *num.* 12. Delbene *d.cap.*5. *dub.* 18. *per tot.* Guttierrez *lib.*1. *Pract.q.*3. *num.*3. Salzed. *d.cap.*4. *n.* 17.

49 In iis verò caſibus, quando Clerici ad contributionem tenentur, exequutio non eſt facienda per Judicem ſæcularem, ut aliqui dixerunt, vel pignora capiendo, ex *l.*12.*tit.* 3.*lib.*1.*Recopilat.* vel per apprehenſionem bonorum Eccleſiaſticorum, ut docet latè Bobadilla *d. lib.* 2. *Polit. cap.* 18. *num.*299. Vela *diſſert.*45.*nu.*60. Hermoſilla in *l.*3.*tit.*5.*p.*5.*gloſſ.*1.*num.* 68. Balmaſeda *d. quæſt.* 19. *à num.* 21. Id enim adverſatur Juri Canonico *in d.cap. Non minùs*, *c.Adversùs*, dum petunt conſenſum Summi Pontificis, aut Epiſcopi, ſeu Cleri, ne in re aliquid illicitum procedat, nec ex arbitrio, nec ex cauſa laicorum, ſed totum per juriſdictionem Eccleſiaſticam fiat. Eſtque textus de Jure Regio in *l.*54.*ttt.*6. *p.*1 Tum etiam Clerici, & eorum bona immunia ſunt à laicorum juriſdictione per dependentiam perſonæ, in qua eorum eſt dominium; & verè, & realiter Clerici hujuſcemodi à privilegio fori exuerentur, dum per pignorationem, vel bonorum apprehenſionem, ad ſæcularium judicem traherentur: qua propter exactio facienda eſt à Judice Eccleſiaſtico. Sanchez *d.dub.*55.*num.*9. Tapia *d.art.* 21. *num.*5. Guttierrez *pract.d.lib.*1.*q.*3.*num.*10. *& de Gabellis*, *q.* 92. *à n.*52. Mena *d.q.*21.*nu.*225. Diana 1.*p.tr.*2. *reſol.*41. Delugo *d.ſect.*8.*n.*131.*verſ.Contraria ſententia*, Marinis *lib.*1 *cap.*1. *ſect.* 47.*nu.*17. Cevallos *q* 889.*n.*166. Capponi *to.*2. *diſcept.* 102.*num.*57. Admittenda erit tamen contraria ſententia, quando Judex Eccleſiaſticus noluerit facere exactionem, & periculum eſſet in mora recurrendi ad ſuperiorem; quia tunc ſæcularis facere poſſet exactionem, quia pertineret ad naturalem defenſionem. Mena *d. q.*22.*num.* 225. Capponi *to.*4.*diſcept.*113.*n.*17.

Excipiendi enim ſunt Nobiles à tributo imponendo, 50
l.Reſcripto 6. *§. fin.* ubi gloſs *verbo Incolis*, *l. Munerum* 18. *§. Patrimoniorum*, ubi Bart. *ff. de Muneribus*, *& honoribus*, *l.*14.*tit.* 14 *lib.* 6. *Recopilat.* In Caſtella verò Nobiles collectam ordinariam, vulgò *Pecho*, non ſolvunt, quo ab ignobilibus diſtinguuntur: ab aliis verò collectis immunes non ſunt ob multitudinem Nobilium, qui ſi omnes ab aliis tributis eximerentur, regnum, deperdito ærario, enervaretur. Garcia *de Nobilit.gloſſ.*8 *nu.* 8. Guttierrez *pract. lib.*3. *quæſt.*14 *nu.*87. Mena *d q* 21.*n.*245. Vicentius de Franchis *dec.* 280. In neceſsitatibus autem communibus collectantur; & idem in extrema, aut gravi neceſsitate, prout explicat Balmaſeda *de Collect. q.* 29. *nu.*7. *&* 10. In imponendis tributis, illi etiam ſumma conſideratione, & pietate ſunt tractandi, ſcilicet agricolæ, ex quorum conſervatione pendet tota Reſpublica, & nervi regnorum dicuntur. Villalobos *d.diffic.*13. *nu.*9. *in fin.* D.Salzedo *de leg. polit. lib.*1. *can.* 22.*nu.*27.

Denique ad juſtificationem tributi requiritur, ut expen- 51
datur in illa cauſa, aut neceſsitate, ad quam conceſsum eſt, & impoſitum: tum etiam quantitas debet proportionari ad cauſam, & indigentiam, ne plus graventur vaſalli, quàm par eſt ad ſuccurrendam neceſsitatem publicam, & ut ceſſante cauſa tributi, ceſſet tributum. Villalobos *d.diffic.*13. *n.*9. Delugo *d.diſp.*36.*ſect.*2.*n.*20. Valenzuela *conſ.*99.*n.*46. Cabreros *de metu*,*lib.*2 *q.*23 *n.*30. Solorzano *de jure Indiar. to.*2.*lib.*2.*cap.*26.*n.*16. Balmaſeda *q.*2. *nu.*15.

CAPUT X.

Proſequitur materia neceſſitatis publicæ. De Donativis, & penuria Panis.

SUMMARIUM.

Convenientius eſt, ut Princeps Regni neceſſitatibus occurrat donativis quàm tributis, n. 1.

*Ad illa petenda debet bona ſua excutere, & Procerum, numer.*2.

In petendis donativis debet Princeps requiſita tributorum obſervare, num. 3. *Ubi explicatur Tuſchus, Supremi Princeps tantùm petere poſſunt donativa, nu.*4. *Magnates verò non, niſi in quibuſdam caſibus ibi recenſitis, n.*5.

*Nobiles non tenentur ad donativa,niſi urgente neceſſitate,n.*6. *Quod idem dicendum de Eccleſiaſticis, extrema, aut urgentiſſima neceſſitate inſtante, n.* 7.

*In graviſſimis neceſſitatibus divites poſſunt compelli ad mutuandum, quod abſque intereſſe ſolvendum, niſi ex æquitate, ut ibi explicatur, n.*8.

An Princeps ſupremus poſſit ex cauſa reſcindere contractus cum vaſſallis initos. Prima ſententia negat, num. 9. *Secunda ita negat, etiam ſuperveniente cauſa publica, n.*10. *Tertia ſententia affirmat, n.*11. *Sed latè reſolvitur, à n.*12.

*An cauſa publica, & neceſſitate urgente, poſſit Princeps revocare privilegia à ſe, vel à ſuis prædeceſſoribus conceſſa, vel alias conceſſiones. Qua in re plures ſunt ſententiæ. Diſtinguitur, n.*20.

Quando privilegia, vel conceſſiones fiunt liberaliter, Princeps poteſt abſque cauſa revocare, num. 21. *Alteri negant, quando jus fuiſſet quæſitum, ibid.*

*Privilegium, vel conceſſio facta ad arbitrium, ſeu voluntatem Principis, abſque cauſa, valet revocari, n.*22. *Aliter ſi perfecta fuerit donatio, vel privilegium, erit cauſa neceſſaria, n.*23.

Explicantur textus in l.6.tit.10.lib.5. Recopilat. & in l.15. ejuſdem tit. *à n.*24.

Si privilegium, aut donatio facta ſit à Rege remuneratoriè, vel ex venditione, dicunt plures, etiam ex cauſa revocari non poſſe, nu. 26. *Sed contrarium defenditur, num.*27.

An ad revocationem ſtandum ſit aſſertioni Principi. Affirmant aliqui: alteri negant, n. 28.

*Quando Princeps revocat privilegium, conceſſiones, aut contractus, damnum reſarcire tenetur, nu.*29. *Alteri negant, ſed diſtinguitur, n.*30. *&* 31.

De

De necessitate annonæ agitur, n. 32. Res quippè valdè necessaria est, & à Romanis maxima cura procurata, à nu. 33. Quid significet Annona, n. 35.

In necessitatibus gravibus annonæ, omnes ad vendendum frumentum coguntur, sive Nobiles, sive Ecclesiastici, num. 37.

Explicatur lex 1. & 4. tit. 25. lib. 5. Recopilat. n. 38.

An taxa frumenti sit observanda tempore sterilitatis. Prima sententia affirmat, à num. 39. Secunda negat, num. 40.

Resolvitur, à n. 43. Explicatur lex 1. cum seqq. tit. 25. lib. 5. Recopilat. *ibid.*

Agricolæ non tenentur ad taxam, nu. 44. Aliqui affirmarunt, non posse fieri taxam, n. 46.

Princeps potest ponere taxam intra latitudinem justi pretii, ibid.

In mediocri sterilitate est servanda taxa, n. 47. Secus in sterilitate magna, n. 48.

Princeps non potest cogere vendere viliori pretio, nisi in extrema necessitate, aut gravissima, à n. 49.

Adveniente gravi sterilitate, potest Princeps novam taxam imponere, nu. 67.

In necessitate gravi, & urgenti frumentum extrahi valet de domibus Nobilium, & Ecclesiasticorum, non de horreis, ubi sunt Decimæ Ecclesiasticæ, n. 52.

Sed non extrahendum id quo quis indiget ad usum suæ domus, & quo indigent agricolæ ad serendum, num. 53. & pretium statim est solvendum, n. 54.

Si pecunia, ut solvatur, non adsit ex bonis communibus, ad illam mutuandam possunt cogi Mercatores, & in subsidium Nobiles, & Ecclesiastici, ibid.

Aliàs potest imponi collecta, ibid. Quoad Ecclesiasticos explicatur, n. 55.

Tempore penuriæ ne permittant Prætores aliquem emere, nisi necessaria ad domum: possunt vicini petere, ut vendat triticum Civitas pro pretio minori, quo emerit, num. 57.

Prætores non permittent tempore necessitatis extrahere frumenta: & si ibi vendantur, possunt retrahi, ibid.

Possunt etiam agricolæ cogi, ut frumentum ad Civitatem afferant, & ad id possunt assumi jumenta, pretio soluto, nu. 58.

An qui tenentur solvere decem fanecas tritici, superveniente sterilitate, adimpleant solvendo pretium. Prima sententia affirmat, num. 59. Secunda negat, à num. 60.

Resolvitur, à num. 61.

1 NEcessitas publica, non solùm tributis, & vectigalibus succurritur, ut dictum est, verùm etiam donativis petitis à Principibus, quæ quidem petere aliquando convenientius est, quàm gabellas imponere, cùm odiosissimæ sint, & graviter populos irritent & onerent. Is enim modus donativorum magis est lenis, & animos vassalorum conciliat, & liberali animo conceduntur; dunt sciant vassalli pro una vice peti, tantùm ad sublevandam necessitatem, quam in petendo manifestè proponet Princeps. In Regnis, seu Provinciis, in quibus ad tributum difficillimè pervenitur, donativa petere utique Principi erit magis conforme.

2 Observet tamen Princeps in petendis donativis, ne ad illa perveniat quando aliter ex bonis propriis, aut aliunde valet necessitati subveniri. Quapropter Baldus in *dict. cap. Conquerente* 16 *de offic. Ordin. num.* 5. scripsit, Principem subsidium, seu donativum petere non posse, nisi à seipso priùs petierit, hoc est, nisi excusso patrimonio, & aliis bonis, quibus necessitati occurrere posset. Quamobrem laudantur plures Principes, qui ne manus ad vassallorum bona porrigerent, etiam propriam supellectilem vendiderunt, prout Nerva, Marcus Antonius Pius, Isabella Belgarum Principissa, & altera nostrorum Catholica Regina, sua propria ornamenta militibus concedens, Auth. *Ut judices sine quoquo suffragio, collat.* 2. Menchaca *Illustr. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 10. Staibanius *cent.* 2. *resol.* 200. *à num* 41. Larrea *alleg* 59. *numer.* 27. *& decis. Grammat.* 76. *num.* 19. qui animadvertit, non solùm bona Principum, sed etiam Procerum expendenda antequam ad tributum, seu donativum perveniatur. Valenzuela *cons.* 99. *nu.* 20.

Debet etiam observare omnia requisita, quæ in tributis 3
expendimus suprà, & latè Diana 1. *part. tract.* 3. *à resolut.* 1. Unde admittenda non est doctrina Tuschi *verbo Subsidium, concluf.* 767. *num.* 1. afferentis. Principem absque ulla causa posse petere donativa à vassallis Et ratio est, nam hæc donativa loco gabellarum petuntur, nec differunt à gabella, nisi quatenus Princeps mitiùs cum vassallis agere vult. Camillus Borrell. *de præstant. Regis Cath. cap.* 20. *nu.* 54. *& cent* 2. *cons.* 1. *per tot.* Larrea *allegat.* 40. *n.* 36. Inde est, ut ad donativa necessaria sit causa publica, prout in imponendis tributis, Pena *in l. ult. C. de Fund. Limitroph. lib.* 11. *num.* 9. *&* 12. Gregorius *in l. fin. tit.* 2 *par.* 10 *gloss.* 2. Cevallos *q.* 578. *n.* 14. Petrus Gregorius *Syntag. lib.* 3. *cap.* 3. Quapropter semper est causa necessaria, quæ ad utilitatem publicam concernat. Diana *dict. tract.* 3. *resol.* 3. Nisi velis intelligere Tuschum quando Princeps noluerit donativum ponere loco gabellarum, sed tantùm ut liberalem donationem, absque aliqua coactione, sed ex mera liberalitate vassallorum; tunc enim nulla erit causa necessaria, nisi mera liberalitas concedentium, prout in aliis privatis donationibus.

Hæc donativa petere tantùm Supremis Principibus con- 4
cessum est; nam cùm intrent locum gabellarum, solùm Princeps Supremi possunt alia petere, quibus concessa est potestas gabellandi; non verò aliis Proceribus, seu Magnatibus. Tuschus *verbo Subsidium, concluf.* 767. *n.* 1. Bobadilla *in polit. lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 162. Valenzuela *cons.* 99. *per tot.* Leoncillus *de privileg. pauper.* 2. *par. privil.* 330. *nu.* 4. Staibanius *cent.* 2. *resol.* 200. *n.* 51.

Aliquando tamen Magnatibus, aut Proceribus, vassallo- 5
rum dominis id permittitur, & jure conceditur, nempè si Domini isti captivi extiterint, aut si ad pauperiem pervenerint secundùm sui status qualitatem; vel si bellum immineat, & vassalli divites fuerint, vel ad comparandam clarissimam dignitatem suo filio, vel ad nubendam suam filiam, seu sororem aut ad emendum statum, prædiorumque congeriem, vel ad inserviendum Regi, seu exercitui; ac denique ut Regem hospitentur. Jason in *§. Item Serviana, Instit. de actionibus, col.* 19. & cum pluribus Bobadilla *d. lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 162. *ad fin.*

In iis donativis communiter ad tributum veniunt ple- 6
beii: ast si urgens, & gravis sit necessitas, etiam Nobiles contribuere debent; nam licèt de rigore juris ad contributionem, & donativa non teneantur, Avendanus in *c. Prætorum, 2. p. cap.* 10. *nu.* 22. Molina *de just. tract.* 2. *disp.* 661. *n.* 10. Otalora *de Nobilit.* 2. *par. cap.* 6. *num.* 8. Attamen quando gravis est necessitas, tenentur; omnis enim immunitas cessat grassante necessitate, & præcipuè Nobiles tenentur magis quàm alteri, Principem adjuvare, & causam publicam: quod si suasionibus facere renuerint, ut volebat Valenzuela *cons.* 99. *nu.* 63. Diana *d. tract.* 3. *resol.* 26. cogi poterunt, & præcipuè Nobiles illi, qui ad bellum non perveniunt, nec servitia particularia præstant, prout Neapolitani Barones concedunt.

De Ecclesiasticis in necessitatibus communibus, an ad 7
donativa teneantur, disceptatio est? Affirmarunt plures, quos refert Diana *d. tract.* 3. *resol.* 22. Capponi *tom.* 2. *discept.* 102 *num.* 52. Et necessariò debent concedere asserentes, in communibus publicis necessitatibus esse gabellandos. Sed nisi existentibus extremis, aut gravissimis necessitatibus, aliis requisitis, de quibus in gabellis egimus, id minimè admittendum, ut cum aliquibus docet Marinis *decis.* 36. *num.* 2. Diana *dict. resolut.* 22. Bobadilla *lib.* 5. *Polit. cap.* 5. *num.* 5.

Prorsus Principes in gravissimis necessitatibus possunt 8
divites compellere ad mutuandam pecuniam, ut se, & illos defendant, & Mercatores, absque aliquo interesse: id enim perspicuum est, ne causa publica existente, privati suis bonis, & commodis possint privari. Valenzuela *cons.* 99. *n.* 17. & 18. Cevallos *tom.* 4. *quæst.* 906. *num.* 44. Hermosilla in *rub. tit.* 1. *p.* 5. *num.* 9. Thesaurus *de collectis, tit.* 6. *à num.* 6. qui quidem asserit, tunc mutuum reddendum cum interesse: quod intelligendum, quando adeò gravis non fuisset necessitas, aut ex æquitate interesse concederetur. Similiter, si alio modo nequit succurri urgentissima necessitas publica, valet Princeps privatorum bona adimere, ut Respublica à tanto damno eruatur, *l.* 11. *tit.* 28. *par.* 3. *l.* 8. *tit.* 1. *p.* 2. Bobadilla *in Polit. lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 5. Gaillus *lib.* 2. *observat.* 16. Cevallos *quæst.* 577. Menchaca *lib.* 1. *Illustr. cap.* 1. *num.* 1. Ita ut transeunte necessitate, ad damnum Princeps non teneatur

neatur probabiliter. Larrea *allegat. 59. num. 19.* qui animadvertit, Principem, ejusque Consiliarios ad necessitatem graviter attendere debere, ne decipiantur, quando verè non adest.

9 Unde examinanda est quæstio illa celebris, an Princeps Supremus possit ex causa rescindere contractus cum subditis initos? Prima sententia negat, cum Princeps contrahens cum suis subditis, efficaciter obligatur, *l. Cæsar 15. ff. de Publican. & vectigal. leg. penult. C. de donat. inter.* Idque non solùm obligatione naturali, ut quidam affirmarunt, sed naturaliter, & civiliter, Gomez *variar. tom. 2. cap. 1. nu. 2.* Menchaca *Illustr. lib. 1. cap. 45. num. 14.* Valenzuela *cons. 2. num. 51.* Castillo *lib. 6. controvers. cap. 18. num. 6.* Alfaro *de offic. Fiscal. glos. 34. à num. 8.* Marinis *decis. 54. nu. 7.* Quapropter nequit venire, etiam ex causa, contra proprium contractum, & illum revocare. Deindè Princeps de mendacio argueretur, quod detestabile vitium est, præcipuè in Principibus, *Proverb. cap. 17.* ibi: *Non decet Principem labium mentiens.* Maximè enim inter alias virtutes convenit, ut fidem servet, de quo laudantur Alexander, Severus, & Theodosius. Scribanius *Polit. lib. 1. cap. 15.* Castillo *de Tertiis, dict. lib. 6. cap. 18. à num. 19.* Valenzuela *cons. 2. nu. 54.* Si enim ex causa contractus revocaret, illa non obstante, mendax relinqueretur, & quotidie contra propriam fidem veniret, quod de jure execratum est: Ergo etiam causa interveniente, nequit Princeps contra contractum venire. Rursus, quando Princeps contrahit, tanquam privatus censetur; quapropter sicut privatus nequit, etiam causa superveniente, contra proprium venire contractum, nec etiam Princeps, Castrensis *vol. 1. cons. 317.* Decius *cons. 268. col. penult.* Cardinalis *cons. 147.* & plures quos refert, & sequitur Peregrinus *de jur. Fisci, lib. 1. tit. 3. nu. 67.*

10 Secunda sententia non solùm affirmat, Principem revocare non posse contractum ex causa, verùm etiam nec causa publica superveniente, quod gravius est; idque ex fundamentis primæ sententiæ. Tum quia nulla causa publica valet considerari ad infringendam fidem data in contractibus, in quorum observatione causa inest etiam publica, *cap. 1. & 2. de pactis, l. 1. ff. de pactis.* Unde simili causa interveniente, nequit Princeps ex causa publica contractus à se initos revocare, Brunus *cons. 117. num. 245.* Mastrillus *de Magistrat. lib. 3. cap. 4. à nu. 331.* Castillo *lib. 8. cap. 18. à num. 125.* Petra *de potest. Principum, quæst. 32. à num. 56.*

11 Tertia sententia absolutè tenet, posse Principem, causa superveniente, contractus à se, vel à prædecessoribus factos revocare, & irritos facere, *l. Qui fundos 9. Cod. de omni agro desert. lib. 11. l. Quod semel ff. de Decret. ab Ordin faciend.* nam Princeps, causa superveniente, potest privatorum bona auferre, *l. Item si verberatum 15. § 2. ff. de rei vindicat. l. Lucius 11. ff. de evict.* Marinis *in observat. ad decis. 170. n. 28.* ut suprà, *num. 8.* Ergo si causa subsistat, poterit contractum rescindere, & jus per eum quæsitum. Cæterùm in contractibus semper intelligitur exempta causa publica, ut per Baldum *in leg. Jubemus nullam navem, Cod. de Sacrosanct. Eccles. notab. 2.* Hanc ob rem, si illa superveniat, rectè à Principe poterit rescindi contractus; non enim propriè agit contra contractum, quando rescinditur per conditionem illi inhærentem, & exceptam in ipso contractu. Denique Princeps duobus modis potest procedere, aut ex plenitudine potestatis, aut tantùm ex facultate ordinaria: plenitudo enim potestatis est super omnes leges, & contractus, ut eos, & eas rescindat quoties causa necessaria superveniat. Facultas enim ordinaria non ad id extenditur. Ergo si causa subsistat, ex plenitudine potestatis rectè poterit Princeps contractus revocare initos cum subditis, necessaria causa existente, Molina *de primog. lib. 4. cap. 3. nu. 17.* Pinellus *in l. 1. Cod. de bon. matern. 3. par. nu. 61. illat. 16. vers. Ego, decis. 351. nu. 6.* Menochius *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 10. nu. 49.* Burgo de Paz *cons. 25. à nu. 48.* Cabedo *2. par. decis. 75.* Carol. Tapia *in l. fin. de Constit. Princip. 2. par. cap. 9. nu. 41.* Valenzuela *cons. 99. nu. 34.* Barbosa *in cap. 1 de probat. nu. 11.* Cancerius *var. 3. par. cap. 3. à nu. 92.* Larrea *allegat. 3. à num. 8.* Antunez *de donat. 2. par. cap. 11. à nu 25.*

12 In re tamen absolutè dicendum, minimè Principem contra contractus suos cum subditis initos venire posse, idque neque ex plenitudine potestatis; nam contra naturale jus est fidem frangere, *leg. 1. ff. de constit. pecunia:* & subsidium decipere. Tum ab inconvenienti, quia nullus cum Principibus contrahere voluisset, quoties pro libito potuissent revocare contractus cum subditis initos, etiam de plenitudine potestatis, Grammaticus *decis. 65. num. 27.* Barbosa *de claus. claus. 41. num. 26.* Osuald. *ad Donellum, lib. 12. cap. 12. litt. Z,* Salgado *in Labyr. 1. part. cap. 37. num. 17.* qui cum Barbosa asserit, in contractibus nullus esse momenti clausulam illam, *de plenitudine Potestatis.*

Erit ergo quæstio quando ad revocationem, seu rescissionem existeret causa: & tunc considerandum est, an causa ipsa existeret tempore contractus, & cognoscebatur ab ipso Principe: quo quidem casu minimè poterit ex illa revocare contractum; nam videtur cum ipsa causa contraxisse, & illa non obstante, voluisse se obligare: quapropter nequit contra ipsum contractum pervenire, *leg. Tale 40. fin. ff. de pact.* ubi Glossa, Ozascus *decis. 90. nu. 15.* Larrea *allegat. 3. nu. 14.* Castillo *lib. 6. cap. 8. n. 123.* 13

Si verò de novo superveniat, aut tempore contractus ignoraretur, tunc distinctio facienda est, quando causa principaliter non prospiceret utilitatem publicam, aut quando directè. Primò enim casu quamplures DD. dicunt, non esse sufficientem, ut Princeps revocaret contractum; nam hæc necessitas immediatè tendit ad utilitatem privatorum, quæ non est sufficiens, ut jus privatorum vulneretur, acquisitum per contractum, ut cum Gregorio Lopez, & Menochio tenet Carolus de Tapia *in d. l. fin. ff. de Constit. 2. p. c. 9. n. 42.* Cæsar Barzius *decis. 118. n. 3. & 10.* Sed adhuc in hoc casu contrarium amplectendum, si causa pia adeò gravis sit, ut per redundantiam causa publica gravissimum damnum perciperet; nam quoad effectum perindè est, ac si causa publica principaliter vulneraretur. 14

Si verò causam publicam necessitas principaliter prospiceret, & gravissima foret, nec aliter ei occurri possit, tunc rectè poterit Princeps contractus revocare, veluti ingravescente peste, bello, hostium incursu. Id probat textus *in dict. l. Qui fundos 9. C. de omni agro deserto, lib. 11.* qui quidem non loquitur de gratuita concessione, ut aliqui censuerunt, sed de concessione facta jure contractus emphyteutici, & tamen Princeps, causa existente modificat; ut benè Molina *d. lib. 4. cap. 3. n. 16.* Ergo causa publica existente, poterit Princeps modificare, alterare, seu revocare contractus cum subditis initos. 15

Idem probari poterit *ex dict. leg. Quod semel 5. ff. de Decret. ab Ordin faciend.* quem textum licèt aliqui intelligant de revocatione Decreti, quod non erat factum in vim contractus, Castillo *dict. lib 8. cap. 18. num. 127.* attamen ex communi sententia id est admissum, decretum illud in contractum transisse, prout *in cap. In nostra 8. de injuriis,* ubi Canonistæ. Cæterùm ratione probo, nam ut dicunt communiter DD quoties Princeps contrahit cum subditis, ut privatus existimatur; si enim posteà, causa publica existente, & necessaria, revocet contractus, id agit non ut privatus, sed ut Princeps; quapropter non venit contra fidem, quam dedit ut privatus, idcircò poterit absque fidei fractione, & mendacio contractum rescindere. 15

Sed dices, duobus modis posse Principem revocare contractum à se factum, nempè quando legem faceret generalem, rescindendo omnes contractus à se, seu à suis Prædecessoribus factos; & tunc rectè procedit, ut Princeps possit, causa, & necessitate publica existente, contractus rescindere, Mieres *de Majorit. 4. part. quæst. 1. limit. 5. ex num. 6.* Menchaca *Illustr. lib. 1. cap. 5. num. 1.* Cevallos *4. par. quæst. 906. per tot.* Estque textus Regius *in leg. 31. tit. 18. par. 3.* ubi Gregorius *verbo Aotro,* quia procedit ut Princeps legem ferens. Alter verò quando Princeps decretum faceret rescindendo, aut revocando, contractus speciales, quos contraxit aliquibus designatis personis; tunc enim non procedet ut Princeps, sed verè ut privatus, revocans contractus, quos ipse fecit. Ergo hoc casu minimè etiam qualibet causa publica existente, poterit contractus revocare, prout significare videtur, Larrea *dict. allegat. 3. n 29.* 17

Sed adhuc respondetur, etiam in secundo casu agere ut publicam personam, & ut Principem; nam decretum illud procedit à publica potestate, etiam in specialibus contractibus, & contra certas personas: quapropter justa 18

cau-

causa publica existente, & necessitate, poterit per decretum in causa speciali, & contra certas personas revocare contractus à se initos, prout etiam potest Judex, *leg. Cùm quidam 17.ff.de Usur.* Larrea *d.allegat.3.n.15.* Et confirmatur, nam ut diximus suprà, potest Princeps, causa urgente publica, & gravissima necessitate, specialium privatorum bona auferre, ut cum multis tenet Cevallos *q.906. à nu.12.* Mesa *var.lib.2.c.49.n.17.* Ergo in causis specialibus, & contra personas certas, eadem causa existente, poterit annullare contractus, non tamen poterit ratione pacti, quia jam procederet ut privatus, Capponi *discept.25.n.11.*

19 Cæterùm probo assertum ex alia ratione; nam quoties cives, seu vasalli Principem recipiunt, & in communitate vivunt, ille est omnium. Consensus, ut bona, & vitæ pro communi bono expendantur. Unde Cicero *de legibus*, ait: *Omnibus bonis expedit salvam esse Rempublicam*, Cevallos *d.q.906. à num.14.* Ergo poterit Princeps, urgente publica causa, & necessitate, revocare contractus, & jus per illos acquisitum ex proprio consensu vasallorum. Consequens rectè inducitur, siquidem id fit non ex sola voluntate Principis, sed ex consensu vasallorum præstito in communitate viventium.

20 Denique supposita urgenti, & gravissima publica necessitate, potest Princeps gabellam imponere; idcircò rescissio istorum contractuum intrat locum gabellæ, si quidem aliter nequit Reipublicæ succurri, Marinis *dec.170. à num.24.* Delbene *de Comit.dub.4.& 5.* Noguerol. *allegat. 5. à nu.34.& 35.*

Hinc similiter disquirendum, urgente publica, & gravissima necessitate, an possit Princeps revocare privilegia à se, vel à suis Prædecessoribus concessa, & alias concessiones. Qua in re plures sunt sententiæ, quas retulit Castillo *dict. lib. 6. cap. 18. à num. 138.* Verùm quia ex dictis descendit resolutio, illis omissis, dico dupliciter hæc privilegia, seu concessione fieri à Principibus. Primò gratuitè, & liberaliter: secundò remuneratoriè, vel pretio suscepto.

21 Quoad plurimum, quando privilegium, seu concessio liberaliter facta est à Principe, dicunt plurimi, absque causa revocari posse; sunt enim hæc privilegia leges privatæ, quas potest Princeps per aliam lege revocare, *leg. Is potest, ff.de acquir.hæred.l.si quis in princ.ff.de.legat.3.* Ergo absque causa poterit Princeps revocare, cùm id pendeat à sua voluntate, Decianus *cons.80.n.27.vol.3.* Menochius *lib.2.præsumpt.10.n.29.* & alii quamplurimi apud Castillum *d. c. 18. à n.138.* Mesa *var.lib.2.cap.50. à nu. 17.* Alteri verò tenent contrarium, quia privilegii natura est perpetuitas, *c. Decet, de reg.jur.in 6.* Idcircò quando Princeps illud concedit, aut alias tacit confessiones, perpetuæ censentur, non tamen eo modo, ut revocabiles sint, Molina *de Primog.lib. 4.cap.3. à n.8.* Petra *de Potest. Principis, cap 24.ex n.229.* Castillus *d.cap.18.n.190.* Alteri verò distingunt, quando jam fuisset privilegium, seu concessio effectuata, ita ut jus jam fuisset parti quæsitum; & tunc inquiunt, absque causa revocari non posse. secus si adhuc jus non fuisset quæsitum, ut tenent plures apud Castillum *ubi proximè*.

22 Verùm in re animadvertendum, quando privilegium, seu concessio fit arbitrio Principis, aut pro sua voluntate; tunc enim absque causa poterit revocare, *cap.conquestus 9. quæst 3.cap.frater 16. quæst. 1.* ex eo enim, quod liberalitas illa sit regulata ad arbitrium, & voluntatem Principis, ex sua natura, contraria ejus voluntate, absque causa poterit revocari. Tum quia in hoc casu quodlibet jus à donatario acquisitum, admittit illam conditionem, donec à Principe revocetur, quapropter absque causa poterit revocare, Petra *de potest. Principis, cap.24. à n.227.* Cancerius *3.par.var.cap.3.n 150.* Castillo *d.cap.18. nu.153*

23 Si verò concessio facta sit à Principe, & similiter privilegium; ita ut sit perfecta donatio, sive tantùm concessum sit jus ad rem, sive in re, ad revocationem causa erit necessaria, & gravissima, concernens ad causam publicam. Ratio est, nam donatio liberalis est titulus transferendi dominium, & in Donationibus Regiis majori efficacia, quia absque apprehensione transfertur, ut cum aliquibus notat Ayllon *ad Gomez tom. 2. cap.1. nu.2. in fine*. Ergo Princeps nequit revocare ista privilegia, seu concessiones, absque causa gravi, & publica. Et probatur consequentia, nam ut dicebamus, jus tertii nequit tollere Princeps absque publica, & urgenti causa, cui aliter occurri non valet, quod quidem evenit in iis privilegiis, & concessionibus, etiamsi à liberalitate procedant. Ergo absque causa publica urgente, nequeunt tolli à Principe, ut tenent DD. secundæ sententiæ, Salgado *in Labyrint.1.par. cap.38. num. 17.* Barbosa *de clauf.clausul.41.nu.13.* Mathienzo *in leg.11.§.7.lib.5. Recopilat.gloss.8.* Capponi *discept. 25. nu. 11.* Quo quidem casu urgentissimæ necessitatis publicæ privilegia revocari teneri Principem, asserunt plures, quos refert, & sequitur Barbosa *dict. clausul. 41. nu. 13.* Si verò privilegium sit præter jus, absque juris translatione potest revocari absque causa, Layman *lib.1.tract.4.cap.23 nu.25.*

Hinc contrarietas duorum jurium exaranda est, scilicet 24
in l.6.tit.10. lib. 5. Recopilat. ubi dicitur: *Las cosas, que el Rey diere à alguno, que no se las pueda quitar à el, ni à otro alguno sin culpa.* Et *in l.15.* ejusdum tituli: *Tenemos por bien, y mandamos, que las mercedes que se hizieren per sola voluntad en los Reyes, que se puedan de el todo revocar.* Verùm aliqui agnoverunt hanc antinomiam, & dicunt legem ad decentiam, & honestatem Principis pertinere, & ideò servanda est, non verò alia lex, Molina *dict. lib. 4. cap.3. nu.20.* Alteri verò inquiunt, legem 6. intelligendam de jure jam quæsito per donationem, secus de jure quærendo, quod absque causa valet à Principe revocari, Castillo *dict.cap.18. num.147.*

Sed tamen in re dicendum, legem 15. loqui de donatio- 25
nibus factis ex voluntate, & beneplacito Principum, quarum valor pendet à sua voluntate, quapropter poterunt revocari à Principe absque aliqua causa, ut dicebamus *num.22.* Azevedus *in d.l.15.num.2.* Mathienzo *ibid. gloss 2. num. 3. l. 6.* quando nempè donationes, etiamsi ex liberalitate Principis fiant, purè factæ sunt, & irrevocabiles, tum & effectuatæ, quia reverà fuisset auferre jus parti quæsitum, quod nequit fieri à Principe, nisi gravissima causa publica existente, Azevedus *in l.3.tit.10.lib.5. Recopilat. num.12.*

Si verò privilegium, seu concessio non procedat ex cau- 26
sa liberali, sed remuneratoria, nempè propter servitia, tunc communis est sententia, revocari non posse à Principe; nam transit in vim contractus, quapropter nequit Princeps contra illud venire, *l.14.tit.1.par.2.* Azevedus *in d.l. 3. nu. 23.* Cancerius *d.3.par.cap. 23 n.154.* Quod idem dicendum quando pretium accedat, & verè contractus adsit ad concessionem privilegii, vel donationis, Cancerius *d.cap-3.n.154.* Gonzalez *ad Regul.8.gloss.28. num. 22.* Riccius *collect. 862.* Suarez *allegat.9.* Capponi *tom.2.discept.91. art. 1. num. 12.* Escobar *de purit. sanguinis, 1.part.quæst.7. à nu.223.* Sanch. *de Matrim. lib. 8. disput. 33. num. 3.* Castillo *dict. capit. 18. num.148.*

Verùm si causa, & necessitas publica urgeat, tunc pri- 27
vilegio, seu quælibet concessio, sive remuneratoria, sive pretio accepto, poterunt à Principe revocari; intrat enim jus publicum derogans privatorum juri, ex rationibus quas suprà expendimus *à num. 15.* quod quidem multoties fit, aut ob necessitatem belli grassantis, aut quietis Reipublicæ, ut tenet Capponi *tom.5. discept.398. num. 13.* Azevedus *in dict.l.3.tit.10. lib. 5. Recopilat. num. 29.* Giurba *cons. 94.* Cyriacus *controvers. 300.* Castillo *dict. cap.18 nu. 151.* Noguerol *allegat. 5. num. 36.* Sanchez *dict. lib. 8. disp. 33. num. 4.* Layman *in Summa, dict. lib. 1. tract. 4. c.23. n.25.* & alii plures apud D. Castejon *in Indice, verbo Privilegium, à num.9.*

Illud verò in iis revocationibus est animadvertendum, 28
aliquos DD. asseruisse, causam ad revocationem privilegii, aut concessionis, vel contractus, quando jus tertii læditur, non esse necessariò probandam, sed assertioni Principis standum. Refert Gabriel *tit. de jure quæsit. concluf.3.per tot. num.4.* Cyriacus *controvers. 75. num. 23.* Sed alteri negant, quin potiùs causam juridicè probandam, & de ea constare debere asserunt, ut cum plurimis docet Castillo *dicto cap.18.num.137.* Crespi *observat.115.* Verùm in hoc dubio resolutionem petes ex dictis *cap.9. nu. 4.* ubi rem examinavimus.

Prætereà ad rem non omittamus, quod communiter cir- 29
cumfertur, nempè quod quando Princeps revocaverit privilegia, & contractus subditorum, etiam ex causa publica, damnum resarcire tenebitur, Sanchez *dict lib.8.disp.33.n.9.* ubi adducit textum *in l.2.tit. 1. part. 2.* ubi Gregorius *verbo Buen cambio*, Noguerol *allegat.5.num.36.* Mathienzo *in l.6. tit.10.lib.5. Recopilat. gloss.1. num. 14.* Mastrillus *de Magi-*

ſtratibus lib. 3. cap. 4 à num. 352. Caſtillo *dict. cap. 18. numer. 134.*

30 Sed hoc aſsertum non ita certum, quin aliqui contrarium teneant, ut ex Larrea *allegat. 59. num. 19.* retulimus ſuprà, *num. 8.* cujus ſententia probabilis videtur. Verùm in re dicendum, diſtinctionem faciendam eſse, nempè duobus modis poſse Principem reſcindere contractum, vel auferre aliquam rem particularem à privato; quia aliquid in ſpecie eſt neceſsarium ad bonum publicum ex urgenti cauſa, veluti fundus ad caſtellum conſtruendum, vel aliquam arcem; & tunc ſatisfactio præſtanda eſt privato, cui auferetur. Ratio eſt, quia tunc licèt illa res ſit neceſsaria ad publicam cauſam, & neceſsitatem, non eſt tamen pretio; quapropter neceſsariò eſt præſtanda ſatisfactio, *l. Si quando 7. Cod. de oper. public.* Gregorius *in l. 49. tit. 88. par. 3. gloſſ. 1.* Meſa *var. lib. 2. cap. 50. nu. 17.* Marinis *deciſ. 170. nu. 27.*

31 Si verò revocentur privilegia, contractus, vel res aliqua auferatur à particulari, quia Corona indiget pretio, & æſtimatione, exhauſto ærario, itaut aliter nequit ſuccurri neceſsitas extrema, aut gravis; tunc incidimus in aliam quæſtionem, an qui in extrema, aut gravi neceſsitate aliquid conſumpſit, ſi poſteà perveniat ad pinguiorem fortunam, ſatisfacere teneatur? De qua ſcripſimus *in hoc lib. 7. cap. 3. à num. 30.* Et aliqui probabiliter negant, cum quibus conſentit Larrea nuperrimè allegatus: alteri verò affirmant, quorum doctrinam admitti mus, ſi quantitas conſumpta ſit gravis, prout hic etiam admittimus. Unde in ſpecie reſolvimus, quod ſi tranſacta illa urgente, & graviſsima neceſsitate. Princeps ad pinguiorem fortunam perveniat, & res ablata gravis ſit, ad ſatisfactionem tenetur, Guttierrez *in l. Nemo poteſt, ff. ad legat. 1. num. 73.* Cancerius *dict. 3. par. cap. 3. num. 84.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 3. nu. 25. verſ. Dixi autem.*

32 Prorſus de neceſſitatibus publicis agentes, aliqua de annona dicere, ac diſserere neceſsarium videtur; res quippè admodum eſt viventibus utilis, ita ut ſi aliquando deficiat, populi turbantur, & ad rixas, neceſsque ſæpè ſæpiùs perveniunt, nec aliqua majeſtate, aut poteſtate poſsunt coerceri. Lipſius *de Magnit. Rom. c. 10* Adam. Contzen. *lib. 7. Polit. cap. 38.* Bobadilla *in Polit. lib. 3 cap. 3. num. 26. & 10.* Capponi *tom. 4. diſceptat. 313. à num. 21.* Quapropter Princeps, & Magiſtratus maximè debent curare, ne annona in Civitatibus deficiat, neceſsitas enim iſta quamplura mala generavit, quibus onuſtæ ſunt Hiſtoriæ: noſtris enim temporibus Hiſpalim, & Cordubam turbatas vidimus ob annonæ penuriam, gravibus commiſsis criminibus; non tamen Nobiliſsimi, & fideliſsimi cives utriuſque urbis à Regia fide defecere; hanc enim ſemper conſtantiſsimè retinuerunt, etiam in tam extremis neceſsitatibus.

33 Romani, qui in gerenda Reipublicæ cura diſertiſsimi, & ſolertiſsimi extiterunt, ad curandam annonam ſemper præfectos habuere; ii enim Epiſcopi dicebantur, *l. Munerum 18. §. 7. & 8. ff. de Muner. & honor.* Unde etiam obligatio iſta deſcendit ad Epiſcopos Eccleſiarum, *l. 1. Cod. de Epiſcopis, & Clericis, cap. 1. de empt. & vendit.* Boerius *deciſ. 69. num. 1.* Bobadilla *in Polit. lib. 3. cap. 3. num. 4.* Erantque etiam Præfecti quidam, dicti *Parochi*, quibus annonæ diſtributio competebat, Gothofredus *in d. l. 18. §. 10. ff. de muner. & honor.* Petrus Gregorius *Syntagmat. lib. 36. cap.... nu. 9.* Unde plures dicunt, Parochum dici à paſcendo, Azorius *Inſt. Moral. tom. 2. lib. 3. cap. 22. quæſt. 1.* Barboſa *de offic. Paroch. 1. part. cap. 1. numer. 1.* Trullench. *de Jur. Parochi, cap. 1. num. 1.*

34 Poſteà verò Julius Cæſar Ædiles Cereales creavit, Valentinianus verò Præfectum annonæ ſumma majeſtate, & poteſtate. Anteà verò Auguſtus Præfectum annonæ ex ordine Equeſtri inſtituerat, ne annona deficeret, ſed maxima cura regeretur, *leg. 1. ff. de offic. Præfecti urbis*, Caſsiodorus *lib. 5. epiſt. 48.* Azevedus *in l. 9. tit. 5. lib. 7. Recopilat. in in proœm. n. 8.* Bobadilla *d. lib. 3. cap. 3. num. 3.* Horrea etiam habebant in Ægypto, Sicilia, & Libya, unde frumenta Romam aſportabant, Plinius *in Panegyrico Trajani*. Quapropter decretum eſt, ne in iis Provinciis aliquis Magnatum degeret, ne publicis horreis conquiſitis Romanam Urbem ad penuriam traheret. Unde Tiberius, hoc prætextu arrepto, de Germanico querelatur, quando Ægyptum adivit, ut refert Tacitus *lib. 2. Annalium*. Ex his cognoſcitur graviſsima cura à Principibus, & à Miniſtris curandum de annona, prout fecerunt multi, quos refert Bobadilla *d. lib. 3. cap. 3. à nu. 6.* D. Salzedo *de leg. Polit. lib. 1. cap. 22. per tot.* Amaya *in l. 1 §. Cod. de delatorib. lib. 20. nu. 11.* Cabreros *de metu, lib. 2. cap. 1. à n. 65.*

Annona verò non ſolùm frumentum ſignificat, ſed vinum, oleum, carnem, & alia edulia, & alias cellarienſes ſpecies, *l. Pro iocis 5. Cod de annonis, lib. 10. l. 1. & tot. tit. Cod. de erogat. milit. can.* Aliquando verò pro tributo, ſeu penſione accipitur, quæ in his ſpeciebus ex fundis principalibus pendebatur, *l. 1. §. 2 l. fin. §. Qui annonam, ff. de muner. & honor. l. 1. Cod. de præſcript. 30. annorum, l. 1. & 3. Cod. Si propter publicas penſit.* ut cum multis tenet Caponi *tom. 4. diſcept. 313. à num. 19.* Amaya *ad tit. de Annonis, lib. 11. à num. 5.* 35

De his tributis ſermo noſter non eſt, verùm de annona, ut in primo ſignificatur, præcipuè de annona frumentaria, ex eo enim quod hæc deficiat, penuria victualium conſequitur, *l 1. in fin Cod. de Frument. urb. Conſtantinopolit. lib. 11.* Mathienzo *in l. 1. tit. 25 lib. 5. Recopilat. gl. 9. nu. 3.* Bobadilla *dict. lib. 3. cap. 3. num. 7.* Quapropter graviores neceſsitates publicæ inde oriuntur, & populorum perturbationes. Idcircò de ea aliquid ſcribere erit neceſsarium. 36

In iis verò annonæ neceſsitatibus, & quando adeſt ſterilitas temporum, Præfecti, Prætores, & alii, quibus hæc cura incumbit, poſsunt cogere habentes frumenta ad vendendum; quod non ſolùm intelligas de plebeiis perſonis, ſed etiam de Nobilibus. De Eccleſiaſticis verò illud ſcriptum relinquimus, ut ad vendendum teneantur, verùm à ſuis Judicibus Eccleſiaſticis erunt cogendi, prout latè in hoc libro, *cap. 1. à num. 13.* diſſeruimus, Villadiego *in Polit. cap. 5. Inſtruct. §. 20. nu. 190.* Bobadilla *dict. lib. 3. cap. 3. à nu. 12.* 37

Hoc enim decretum eſt *in l. 1. & 4. tit. 25. lib. 5. Recopilat.* ubi aſſeritur, tempore neceſsitatis habentes triticum, compellendos eſse ad demonſtrandum; & vendendum pretio ibi dem taxato, etiamſi perſonæ Eccleſiaſticæ fuerint; unde non decipiaris, prout aliqui decepti ſunt, credentes poſse ſecularem judicem procedere ad hanc coactionem: ſed tenendum, tantùm teneri Eccleſiaſticos frugem demonſtrare, & vendere; non verò aſſerendum, eſse cogendos à ſæculari, illud tamen obſerves, tantùm evenire id poſse quando Judex Eccleſiaſticus cogere tenuerit, aut non potuerit, vel ſit periculum in mora, ut ſcripſimus *d. cap. 1. num. 14.* 38

Eſt verùm dubium, an tempore neceſsitatis, & ſterilitatis taxa frumentorum ſit obſervanda? Prima ſententia affirmat, & probari poterit *ex d. l. 1. Recopilat.* ubi aſſeritur, cogendos eſse abſtrahentes triticum ad pretium taxatum. Ergo mens legis fuit, ut frugum ſpecies, etiam quando poſſeſſores ad vendendum coguntur, pretio taxato vendant in annis ſterilibus. Sed lex illa aſſumptum non probat, quia loquitur quando vendentes frumenta abſcondunt, ne pretio taxato vendant, tunc enim cogendi ſunt ad pretium taxatum; non verò loquitur textus ille de anno ſterilitatis. 39

Ratione ducitur hæc ſententia, nam textus *in l. 1. cum ſequenti, §. 25. lib. 5. Recopilat.* à ſapientiſsimis, & prudentiſsimis viris compoſitus eſt frumenta taxando, ne in annis ſterilibus pauperes fame perirent, ſed pretio moderato illa emerent; quapropter intelligendæ ſunt, taxam fuiſse deſignatam ad annos ſteriles; nam quando abundant, tunc pauperes neceſſarios parvi emunt. Cæterùm in annis feracibus non eſt neceſsaria taxa, quia ex ipſa abundantia frumenta parvo pretio venduntur. Ergo taxa iſta facta eſt, ut in annis ſterilibus obſervaretur. 40

Rurſus de legibus jam factis, & admiſſis non eſt diſputandum, ſed tantùm ſecundùm ipſas eſt judicandum, ut cum D. Auguſtino obſervat Guttierrez *pract. lib. 4. qu. 61. n. 4.* Cum ergo leges iſtæ taxam frumentorum appoſuerint, & deſignaverint, non eſt gratis interpretatio facienda, verùm ad Principem recurrendum, *l. ult. Cod. de legibus*, ubi ſcribentes. Quapropter etiam in annis ſterilibus obſervanda eſt taxa, dummodò aliud Princeps non declaraverit. Cæterùm an leges iſtæ taxæ obligent in annis ſterilibus, & de eis loquantur, dubium eſt. Sed in dubio ſemper lex obligat, etiam quando adeſt caſus neceſſitatis, Sanchez *de Matrim. lib. 2. diſp. 41. nu. 37.* Suarez *de legibus, lib. 8. cap. 8.* Sanchez *in Select. diſp. 93.* Gallegos *de Conſcient. dubia, dub. 101.* 41

Ergo

Ergo in annis sterilibus taxa frugum obligabit, Ledesma *in Summ. 2. par. tract. 8. c. 32. conclus. 7. diffic.* 5. D. Melchior de Soria *de taxa tritici, cap. 27.* Tapia *de legib. lib. 4. qu. 14. art. 4.* Parra *de legib. tract. 4. art. 5. num. 9.* Guttierrez *lib. 2. pract. q. 180.* & latè *lib. 4. quæst. 61. per tot.* Azevedus *in l. 4. & 5. tit. 25 lib. 5. Recopilat à nu. 17.* Palao *de Just. disput. 5. punct. 4. nu. 7.*

42 Secunda sententia contrarium tenet; nam [Princeps non habet potestatem taxandi frumenta ad tempora sterilitatis, & gravis necessitatis; nam jubere vendi pro pretio taxato tempore, quo sterilitas non adest, est jubere ut vendatur pro pretio injusto; quia ex causa sterilitatis frumenta magis æstimantur, quod quidem nequit fieri à Principe, ut cum aliquibus docet Pontius *1. par. quæst. 1. Scholastica, c. 2.* Ergo tempore sterilitatis non est obligatio servandi taxam. Cæterùm, nam taxa in annis sterilibus conveniens non est, nec expedit bono communi, quia tunc meliùs est taxam tollere; unde plures venditores apparent, & ex abundantia pretia minorantur, lex enim justa non est, si bonum commune non prospiciat, *cap. Erit autem lex, dist. 4. l. 9. tit. 1. par. 1.* Arist. *Ethic 5. cap. 5.* S. Thomas *1. 2. qu. 90. art. 2. & lib. 2. de Regim. Principum, cap. 11.* Tapia *tom. 1. Cath. lib. 4. art. 4.* Ergo lex taxam imponens abundantiæ, nequit observari tempore sterilitatis, tanquam injusta. Denique omnes leges epiKejam admittunt, ita ut ex bono, & æquo emendentur; lex verò ista taxæ in nullo casu valet admittere epiKejam, nisi in casu magnæ sterilitatis, & necessitatis: Ergo in hoc casu non erit servanda, Medina *de restitut. quæst. 36. ad 2. in fine*, Navarrus *in Man. cap. 12. num. 88.* Molina *de Just. tract. 2. disput. 364.* Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 3. num. 14.* Rebellus *de obligat. Just. 2. part. lib. 9. quæst. 2 sect. 3. num. 14.* Reginaldus *in Praxi, tom. 2. lib. 25. cap. 16. num. 270.* Diana *1. par. tract. 8. resol. 70.* dicit probabile Villalobos *in Summa, 2. par. tract. 21. diff. 11. nu. 3.*

43 In hoc dubio, quoad leges Regni hujus *in d. l. 1. & tot. tit. 25. lib. 5. Recopil.* Illud animadvertendum, primis temporibus, quibus conditæ sunt, graviter fuisset observatas, verùm in hac nostra tempestate, in qua Castella in monetis, & rerum pretiis tantam variationem passa est, taxa frugum omninò est delata omnium communi sensui, & ex necessitate. Itaque non solùm homines communes non observant, verùm viri excellentiores, & timorati, utpotè Prælati, & doctissimi viri: quare hodie de hac quæstione disquirere supervacaneum videtur. Verùm quia jam falsæ monetæ cessarunt, & taxa ista, aut alia potest imponi, aut in aliis terris imposita est, ad ejus examen pergimus.

44 Et in primis observo, quæstionem non esse de Agricolis, quibus nequit in frumentis sui laboris imponi taxa tempore abundantiæ. Ratio clarissima est, quia in annis sterilibus, si ad hanc taxam adstringerentur, injusta redderetur; nam cùm plures expensas faciant in agrorum cultura, & pro tam modico pretio cogerentur vendere, nullum commodum, sed gravissimum damnum perciperent ex taxa, quapropter respectu illorum injusta foret. Hanc ob rem Philippus III. sua Pragmatica Sanctione, anno 1619. edita, Agricolas à taxa liberavit, ne simile damnum perciperent, Villalobos *d. tract. 21. difficult. 9. num. 6.* Molina *d. disp. 364. nu. 6.*

45 Erit ergo quæstio in aliis personis tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, suo labore, & industria frumenta non colligentibus, circa quas aliqui dixerunt, non posse taxam fieri ad annos sterilitatis, nec alio modo, quia pretium ex aliarum rerum pretio pendet, nec valor rerum est fixus, sed variatur ex variis circumstantiis, ita ut rerum taxa necessariò sit varianda, & non observanda; non enim Princeps poterit taxam designare, nisi intra latitudinem justi pretii: quare ex variatione illius sæpiùs redditur injusta. Itaque id tenent aliqui recensiti à Parra *d. tract. 2. art. 5. nu. 2.* Marinis *decis. 217. n. 6.*

46 Hæc sententia non probat efficaciter assumptum, sed ejus fundamenta tantùm probant, difficillimum esse imponere taxam subsistentem, & permanentem, tum quæ justa sit ob pretii communiter variationem. Quapropter Navarrus *in Man. cap. 23. nu. 88.* asserit, rarissimè taxam imponendam ob gravissima damna, & rationes, quæ venerabilis senex ibidem perpendit, cui me subscribo, Molina *disput. 365. num. 17.* Verùm absolutè loquendo asserendum,

Principem rectè taxam imponere posse intra latitudinem justi pretii, ut cum aliquibus tenet Parra *d. tract. 4. art. 5.* Palao *de Just. disput. 5. punct. 4. à nu. 2.* Delugo *de Just. disput. 26 sect. 5. à nu. 1.* Tapia *d. lib. 4. q. 14. art. 3. nu. 3.* Quapropter hac supposita sententia.

Dico, dupliciter considerandam esse hanc necessitatem, seu penuriam annonæ, scilicet quando sterilitas est, verùm est mediocris copia frugum; vel quando ita sterilitas gravis est, ut raritas frumentorum inveniatur: in hoc enim casu valet admitti prima sententia asserens, taxam servandam esse. Ratio est, nam ut considerat Palao *dict. disp. 5. punct. 4. num. 7.* Taxa frumenti fit ad tempora sterilitatis; quapropter consideranda tanquam propria illius temporis, & justè assignata, consideratis, & perspectis omnibus circumstantiis illius temporis, quo inest mediocris copia frumentorum, utpotè magis communis necessitas; non enim leges ad ea, quæ rarò accidunt, trahuntur, *l. nam ad ea, ff. de legibus.* 48

Si verò sterilitas magna sit, & rarum frumentum, ad hanc necessitatem nequit extendi taxa legis, seu statuti generalis, nec erit tunc observanda. Nam ut scripsit Covarr. *lib. 1. var. cap. 3. n. 5.* ex rerum penuria maximè pretium crescit; & tunc taxa jam fuisset injusta, cùm non staret intra latitudinem justi pretii. Ergo non erit observanda. Tum quia, ut dicebamus, leges non extenduntur ad rarissimos casus, sed tunc per epiKejam est procedendum, utpotè in casu in lege non comprehenso, quapropter taxa non erit observanda, Sanch. *cons. lib. 1. cap. 7. dub. 5. nu. 5.* 48

Sed dices, in gravi sterilitate lex non tenetur justum pretium observare, sed potest cogere ad vendendum viliori pretio, nam causa publica, & ejus necessitas potior est, quàm utilitas privatorum, ut in specie probat Bart. *in l. 1. §. Cura carnis, ff. de offic. Prætor.* quem sequuntur Romanus, Tiraquellus, & alii apud Covarr. *d. lib. 3. cap. 3. n. 5.* Bobadilla *de Polit. lib. 3. cap. 4. nu. 56.* Faria *ad Covarr. dict. cap. 3. num. 46.* Tapia *d. lib. 4. qu. 14 art. 2.* Ergo licèt taxa non correspondeat pretio communi, & currenti, tempore tamen gravissimæ necessitatis est observanda. 49

Sed respondetur, simpliciter non esse admittendam sententiam Bartoli, & sequacium; licèt enim necessitas, seu sterilitas sit gravis, ita ut habentes frumenta ad vendendum cogantur; semper tamen id est faciendum pretio justo, & currenti, *l. venditor, §. si constat, ff. communia prædiorum, l. 1. §. Cura carnis, ff. de officio Præfect. urb. leg. Annona, ff. de variis, & extraordin. cogn.* gravissimum damnum irrogaretur dominis, Covarr. *d. cap. 3. nu. 5.* Tum etiam ipsis populis indigentibus; nam cùm viderent venditores cogi ad vendendum viliori pretio, frumenta transportant, & abscondunt: tum forenses retrahuntur, ne veniant ad vendendum, Petrus Gregorius *Syntag lib. 36. cap. 30. nu. 4.* Bobadilla *dict. cap. 4. num 65.* quapropter doctrina illa non est admittenda. Tum, nam si est raritas frumenti, & adest pecunia ad comparandum, nequit considerari extrema, aut gravissima necessitas, ut causæ publicæ succurratur cum damno privatorum; non enim alio casu potest admitti illa sententia; nisi quando necessitas fuisset extrema, aut gravissima, quia defecerit pecunia, nec alio modo potuisset succurri Respublica, nisi venditores cogerentur ad vendendum viliori pretio, ut benè explicant Covarr. *d. n. 5.* Molina *tract. 2. disp. 365. à n. 4.* Et tandem agnoscit Bobadilla *d. cap. 4. nu. 66. vers. Y aunque.* Ergo in iis necessitatibus, & gravi sterilitate, in qua est raritas frumenti, taxa observanda non est. 50

Denique in re animadvertendum, adveniente gravi sterilitate, & raritate frumenti, Principem taxam imponere posse novam, & justam perspectis omnibus circumstantiis temporis, necessitatis, & valoris frumenti secundùm se, & ejus bonitatis; ad hoc enim Princeps habet potestatem, Pontius *dict. 1. par. quæst. 1. Scholastica, cap. 6.* Gomez *var. tom. 2. cap. 2. num. 51.* Idque aliquando convenit; nam in iis necessitatibus divites magnis, & excessivis pretiis frumenta vendunt, Bobadilla *d. n. 66.* Sed maxima consideratione faciendum, meliùs enim est, ut frumenta cariùs vendantur, quàm ut Respublica pereat, Faria *ad Covarr. dict. cap. 3. nu. 46. ad fin.* 51

Cæterùm in iis annonæ necessitatibus Præfecti, & Præ- 52
tores civitatum non solùm possunt cogere ad vendendum frumentum, sed etiam possunt illum è domibus extrahere, pretio soluto: quod quidem faciendum est, non solùm in Plebeiis, verùm in Nobilibus, & Ecclesiasticis. Ast verò

quoad frumenta in horreis Eccleſiæ condita, ut inter participes dividantur, licèt alio in tempore à ſæcularibus fuiſſet factum, hodie verò in concordis factis inter Catholicum Regem & Statum Eccleſiaſticum, id eſt exceptum, ut eſt communis aſſertio, quapropter in eis nequit fieri extractio frumenti; ſecus verò ſi in domibus reperiatur. Avendanus *1.part. cap. 19. num.* 34. Ripa *de peſte ad conſervand. ubert. num.* 40. Gregorius *in l. 3. tit. 5. part. 5. gloſſ.* 1. Villadiego *in Polit. cap. 5. Inſtruct. §.* 17. *num.* 62. Bobadilla *dict. lib. 3. cap. 5. à nu.* 12. Mathienzo *in l. 1. tit. 25. lib. 5. gloſſ.* 10. *num.* 1.

53 Illud verò in hac extractione erit animadvertendum, frumentum non eſſe extrahendum ab illis, qui illud emptum habent ad ſuarum domorum neceſſitatem & uſum: tum ab Agricolis non petendum, niſi relicto neceſſario ad ſuas familias non rigoroſè alendas, tum ad ſerendum; intereſt enim maximè Reipublicæ Agricolas conſervare. Tum denique eſt neceſſarium, ut pretium ſtatim eis ſolvatur, non verò cogendi ſunt, ut ad creditum vendant, quia ſic damnum eis irrogabitur privando eos frumento, quod ut piſtores vendere poterant, & injuſtum eſſet eos cogere ad creditum dare. Aviles *in cap. 17. Prætorum, verbo Arazonables, n.* 9. Bobadilla *d. cap. 3. à n.* 6. Villadiego *d. cap. 17. n.* 25. *&* 28.

54 Verùm ad pretium ſtatim ſolvendum in primis recurrere oportet ad pecuniam publicam, & bona civitatis; quotieſcumque enim id ex his bonis poſſit ſuppleri, ad privatos recurrendum non eſt. Bobadilla *d. cap. 3. n.* 26. Si verò hæc non adſint, particulares, & privati generaliter ſunt cogendi ad pecuniam mutuandam, in primis Mercatores, & ementes, & vendentes, qui ut plurimùm totius pecuniæ burſas habent. Florianus *in l. Si pendentes, §. Si quid, ff. de uſufruct. num.* 37. Poſteà ad divites, & alias perſonas deveniendum eſt, ſive Nobiles, ſive Eccleſiaſticæ ſint. In his enim, quæ maximam pietatem habent, Eccleſiaſtici libentiſſimè noſtra concedere debemus. Mexia *de Pane, concluſ. 1. num* 58. Guttierrez *pract. lib. 2. q.* 180. *num* 29. Garcia *de Expenſis, cap. 12. nu.* 67. Avendanus *d. cap* 19. *n.* 34. *verſ. quod procedit*. Bobadilla *d. cap. 3 n.* 19. Villadiego *dict. §.* 17. *n.* 76. Azevedus *in l. 1. tit* 25. *lib. 5. n.* 27. Mathienzo *ibidem gloſs. 9. n.* 8. Aliàs poteſt imponi collecta. Azevedus *nu.* 27. Mathienzo *nu.* 5.

55 Illud verò circa Eccleſiaſticas perſonas libet animadvertere, ne ad mutuandum ſint cogendæ, ne collectandæ, quando ſæculares divites, & abundantes extant, qui poſſunt facilè mutuare; nam ut ſupra diximus, ad contributiones tenentur tantùm in ſubſidium. Gratianus *diſcept.* 390. *num.* 19. nec à ſæcularibus Judicibus ſunt cogendæ ad mutuum, niſi Eccleſiaſticus Judex noluerit, aut non potuerit. Azevedus *in l. 1. tit. 25. lib. 5. n.* 19.

56 Tempore enim gravis neceſſitatis curent Prætores, ne quis emat niſi neceſſaria ad ſuæ familiæ alimoniam. Gomez *tom. 2. cap. 2. num.* 51. *verſ. Secundò*. Conductoribus etiam potuerunt dimidium tritici conductionis auferre. Villadiego *d. §.* 17 *nu.* 80. Bobadilla *d. cap. 3. num.* 19. *&* 22. Excipio conductores decimarum, ut dictum eſt *num.* 67. Poterunt etiam vicini petere, ut ſi civitas frumentum habuerit, minori pretio eis vendat, quando ipſa pro minori emerit; non enim civitas cum damno vicinorum debet locupletari, quando in neceſſitate non ſunt conſtituti. Villadiego *d. §.* 17. *nu.* 81. Mexia *de Pane, concluſ. 4. num. final.* Bobadilla *dict. cap. 3. n.* 25.

57 Tempore enim neceſſitatis, ſi Forenſes ad civitatem perveniant ad frumenta, vel alia neceſſaria aſportanda, vel vicini idem intenderint, permittendum non eſt, ne Civitas penuria prematur; quapropter extrahere non permittet Prætor, ex *l. Si quis, C. de ædific. privat. l. 1. & 2. Cod. quæ res aſport. non deb.* Afflictus *deciſ.* 290. *num.* 9. Bobadilla *d. cap. 3. num.* 51. Mathienzo *in dict. l. 1. gloſs. 11. num.* 2. Si tamen in civitate, aut in locis juriſdictionis frumenta vendantur, & neceſſaria ſint ad penuriam ſublevandam, retrahi poterunt, ut ex textus *in l. 18. tit. 11. lib. 5. Recopilat.* Ratio enim eſt, quia retractus conceditur ratione publicæ utilitatis; quapropter cùm neceſſitas urget, retractus iſte neceſſariò eſt faciendus, Mathienzo *in dict. l. 18. gloſs. 1.* Azevedus in *l. 28. tit. 18. numer. 6.* Mexia *de Pane, concluſ. 5. mer.* 94. Bobadilla *d. cap. 3. nu.* 50. *ad finem*, Villadiego *d. §. 17. n.* 63.

58 Agricolæ tempore neceſſitatis, & penuriæ cogi poſſunt, ut frumenta ad civitatem aſportent, vel transferant; & ad tranſportationem ſumi poſſunt jumenta ſingulorum, Bart. *in l. Jubemus, Cod. de ſacr. Eccleſiis*: idque ſemper pretio juſto ſoluto, ut cum Jaſone, & Aviles docet Mathienzo *in dict. l. 1. gloſs. 9. num. 8. & 9.* Azevedo *ibi, num.* 25. *in fin.* Bobadilla *dict. cap. 3. nu.* 63. qui *nu.* 7. anteà ſcripſerat, in his neceſſitatibus poſſe Decuriones unum nominare, ut ad loca etiam remota pergat ad transferendum frumentum, & ei ſalarium conſtituere.

Eſt verò dubium hìc exarandum, an qui tenetur ſolvere, v.g. viginti fanecas tritici, aut alterius frumenti, tempore ſterilitatis, & neceſſitatis, neceſſariò teneatur ſolvere ſpeciem, an verò pretium illius? Prima ſententia affirmat; nam quoties difficultas eſt gravis ſolvendi ſpeciem, ſeu rem ipſam, ſive ex contractu, ſive ex ultima voluntate, tunc debitor ſolvendo intereſſe liberatur, *l. Stipulationes* 72. *l. Continuus* 137. *§. Illud, ff. de verb. obligat.* Jaſon *in l. Si vinum* 22. *ff. ſi cert. petat.* Corraſius *lib. 2. Miſcell. cap. 3.* Cùm ergo in annis ſterilibus difficillimè triticum, aut alia frumenta inveniantur, inde eſt, ut debitor non teneatur ad præſtandum frumentum, ſed tantùm æſtimationem. Et confirmatur *ex l. In re furtiva 8. ff. de condict. furtiv.* ubi ſi res furata fuerit conſumpta, aut deperdita, quæ nequit ſolvi, æſtimationem ſolvere ſufficit. Ergo ſimiliter in noſtro caſu. Caſtrenſis *in leg. Mutui datio, ff. ſi certum petatur*. Mexia *de Pane, concluſ. 7. nu.* 11. qui *n.* 13. idem aſſerit, etiamſi frumentum ſolvi poſſit; ſi tamen haberi nequeat, niſi pretio immoderato. 59

Secunda ſententia tenet contrarium, nam ut ajebat Seneca *lib. 6. de Benefic. cap. 14. Quo genere obligatus es, ipſum exſolve*. Cùm ergo obligatio ſi ſolvendi frumentum, inde eſt, ut præcisè ſit ſolvendum, etiamſi annus ſterilis ſit. Cæterùm, nam licet poſſit ſolvi æſtimatio, quando res difficiliter invenitur, id eſt intelligendum quando debitor eſt ſpeciei certæ, utpotè equi: quo quidem caſu, ſi non inveniatur, ſufficit præſtare æſtimationem; ſecus verò quando debitor eſt generis, ut in præſentiarum, *l. Quod te mihi 5. ff. Si certum petatur*, ubi Scribentes. Quapropter tenebitur debitor ad præſtandum frumentum. Denique, nam creditori non eſt ſolvendum unum pro altero; hoc enim eſſet contra pactum, & obligationem venire, *l. 99. ff. de ſolut.* ubi DD. *l 3. tit. 14. p. 5.* Gomez *var. cap. 3. num. 2. tom. 2.* Caſtillo *lib. 4. controverſ. cap. 10. nu. 45.* Cyriacus *controverſ.* 390. Larrea *allegat.* 40. Tondutus *lib. 1. Quæſt. Civil. cap. 13.* Ergo in præſentiarum debitor tenetur etiam in caſu ſterilitatis frumentum ſolvere. Ripa *de Peſte, remed. ad conſervand. ubert. num.* 147. Franciſcus Marcus *deciſ.* 540. Bobadilla *d. lib. 3. cap. 3. à nu.* 72. Guttierrez *pract. lib. 4. q. 51. à n.* 3. Giurba *obſerv.* 15. 60

Caſus iſte quotidiè ad praxim adducitur, non ſolùm quando per converſionem frumentum, vinum, vel alia ſpecies ſolvitur, verùm ex ultima voluntate; & multoties in cauſis piis, quando à teſtatore præcipitur, ut certæ tritici fanecæ pauperibus elargiantur: in quo quidem dico, quod ſi neceſſitas graviſſima non ſit tritici, ſed licet ſterilis ſit annus, invenitur etiam pretio non multùm immodico, tunc admittenda eſt ſecunda ſententia abſque dubio; nam etiam difficultas, & pretium illud, dummodò exorbitans non ſit, non eſt cauſa ſufficiens, ut creditor aliud pro alio ſuſcipiat; ratio enim eſt, nam ut ſcripſit cum aliquibus Carleval *de Judiciis, to. 2. lib. 1. tit. 3. diſp. 3. n.* 9. debitor non liberatur à principali obligatione, ſolvendo intereſſe, niſi quando factum expleri non valet. Cùm ergo debitor poſſit triticum præſtare, licet cum difficultate, præcisè ad illud præſtandum tenetur. 61

Ergo erit tota difficultas, quando graviſſima fuiſſet ſterilitas, & cum magna difficultate inveniretur triticum, & ſi invenitur, eſt cum graviſſimo pretio; tunc enim credo primam ſententiam probabilem. Tum quia caſus iſte eſt inſolitus, & fortuitus, qui quidem exceptus relinquitur in contractibus, niſi de illo ſpecialiter fuiſſet mentio facta. Gaillus *Obſervat. lib. 3. obſervat. 3. num. 20.* Mareſcotus *var. lib. 2. cap. 8. n.* 10. Gratianus *diſcept. for. cap.* 197. *à nu.* 7. Quapropter nequit conſiderari, voluiſſe debitorem præcisè obligari ad dandum triticum in tam urgenti neceſſitate; verùm ad implendum pretio moderato, & juſto conceſſo. Rurſus graviſſima difficultas excuſat à mora, & à pœna, ut cum multis docet Carleval. *d. diſp. 3. nu.* 13. Ergo etiam debet excuſare à præſtando tritico in ſpecie, quando graviſſima eſt ſterilitas, & neceſſitas, nec niſi cum magna difficultate 62

inve-

invenitur. Cæterùm, licèt debitor sit debitor generis, nec possit dare interesse, ut dicunt contrarii, id non potest procedere quando genus non adesset; quia perindè est, ac si deficeret species: Ergo in similibus annis sterilitatis, & necessitatis, non poterit debitor cogi ad præstandum triticum, sed tantùm interesse, secundùm justam æstimationem.

63 Illud etiam non est prætermittendum, quod scripsit Guttierrez *d. lib. 4. q. 51. n. 6.* quod si frumentum debeatur ex certo quodam fundo, & sterilitas adveniat; tunc rectè pretium à debitore præstatur, quia cùm debitum restringatur ad certum fundum, perindè est, ac si debitor fuisset speciei.

CAPVT XI.

Qui possint facere eleemosynam, & de quibus.

SUMMARIUM.

Eleemosyna est danda ab eo, qui habet dominium, & administrationem, n. 1.

Servus nequit dare eleemosynam, nisi ex consensu domini, vel in bonis, in quibus habet dominium, & administrationem, n. 2.

Religiosus nequit dare eleemosynam, nisi extremè indigenti; & tunc etiam reluctante Prælato, n. 3.

Potest etiam dare, si foris degat, aut Romam petat ex licentia Prælati, n. 4.

Sed quid possint dare? Alii inquiunt posse dari quidquid alii sæculares ejusdem professionis, n. 5.

Sed melius dicendum, posse dare quidquid Religiosi alteri ejusdem Ordinis, & conditionis possunt, n. 6.

Prælatus Monasterii potest dare eleemosynas solitas, num. 7. Et Religiosus, si aliquid ei superfluat, parce vivendo, num. 8. Sed aliqui id negant, num. 9. Resolvitur, à num. 10.

An ex eo, quod alimenta Religioso conceduntur, detur licentia Superioris, ut si aliquid parcè vivendo supersit, possit eleemosynam dare. Negat Layman: affirmat Sanchez, num. 21. Defenditur Layman, à n. 12.

Vsuarius nequit uti, nisi ad usus proprios, ibid.

Religiosus potest dare eleemosynam, si Pontifex propter benemerita aliquos redditus Monasterii ei designaverit ad suos usus, & dispositionem, seu parentum usum, n. 14.

Sed an ex redditibus istis possit Capellaniam fundare? Affirmant aliqui, n. 15. Alteri negant, n. 16. Explicatur, & resolvitur, à num 17.

Filius familias nequit dare eleemosynam de rebus patris; dabit tamen si habuerit bona castrensia, vel quasi, num. 19.

Ex bonis profectitiis similiter non præstabit, num. 20. Sed an dare possit eleemosynas ex bonis sua industria acquisitis? affirmat Spino: sed negatur, n. 23.

Filius familias potest dare eleemosynas ex consensu patris, vel quando sunt tenues, vel ex bonis acquisitis parcè vivendo, n. 22,

Mulier uxorata nequit eleemosynas facere ex bonis dotalibus, absque licentia viri, n. 23. Fallit in sex casibus recensitis, n. 24. 25. & 26.

Pupillus nequit eleemosynas dare, nec prodigus, cui bona sunt interdicta, n. 27. Tutores, & curatores possunt facere tenues, ibid.

Administratores Reipublicæ possunt facere eleemosynas consuetas Hospitalibus, aut aliis piis locis, n. 28.

Sed an ex bonis publicis possint dari prandia solita Clericis, aut Sacristis, longè pergentibus ad Processiones? Prima sententia negat, n. 29. Secunda affirmat, n. 39. Resolvitur, à n. 31.

An ad faciendas eleemosynas solitas dari Hospitalibus ex bonis publicis, sit necessaria licentia Regia: Negant aliqui. Alteri affirmant, n. 32. Conciliantur, n. 33.

An ex bonis publicis possint dari eleemosynæ Prædicatoribus, seu Confessariis? Negant aliqui, num. 36. Sed alteri contrarium tenent, num. 35. Resolvitur, à num. 36.

An Parochus teneatur prædicare? Negant plures, nu. 39. Affirmant alteri, n. 41.

An hæ eleemosynæ possint dari Confessariis? Resolvitur affirmativè, n. 44.

Debentur etiam eleemosynæ ex publicis bonis ad solemnitatem Corporis Christi, & ad repræsentationes sacras ab honestis personis faciendas, n. 45.

Profanæ repræsentationes sunt ablegandæ à festis Corporis Christi, & Sanctorum, à num. 46.

Nequeunt ad Tauros agitandos dari aliqua ex bonis publicis titulo eleemosynæ, n. 47.

Ex re illicitè acquisita quomodo dari possit eleemosyna, num. 48. & 49.

Explicatur lex 10. tit. 13. par. 1. An dari possit ex acquisitis in ludo? Discutitur, n. 50.

Eleemosyna an possit dari ex bonis ipso jure confiscatis? Prima sententia negat, n. 51. Affirmat secunda, num. 52. Resolvitur, à n. 53.

An commisso delicto læsæ Majestatis statim dominium transeat ad Fiscum. Affirmant aliqui. Explicantur lex Commissa 14. ff. de Publician. *lex finalis*, Cod. ad leg. Jul. Majest. *num. 53. Sed contrarium defenditur, n. 54. Et resolvitur, posse dari eleemosynam, ibid.*

IN hoc capite illud est notum principium, tantùm eleemosynam facere posse, qui habet dominium, & rerum 1
administrationem: nam eleemosyna non solùm requirit dominium rei tradendæ ex pietate, sed ut possit expendi ab eo: qui præstat ex legitima administratione, Azorius *Inst. Moral. 2. par. lib. 2. cap. 10. in princip.* Trullench. *in Decalog. lib. 1. cap. 15. dub. 9. n. 1.* Spino *de testam. gloss. 6. num. 23.* Valdes *de Eleemos. 3. par. q. 7. n. 3. fol. 58.*

Unde servus minimè poterit eleemosynam dare ex bonis 2
domini, nec ex eo, quod acquirit; nam domino acquirit, §. *Item nobis, Inst. per quas personas, l. Id vestimentum, ff. de peculio.* Quod ita tenendum, nisi consensus domini accedat, aut habeat à domino administrationem; nam tunc ex concessione administrationis, etiam ei est concessa facultas, ut aliquid possit misericorditer elargiri. Tum etiam observandum, ex aliquibus causis posse servum dominium acquirere, & administrationem, ut scripsimus *lib. 1. c. 5. num. 44.* & ex his bonis poterit servus eleemosynas concedere, Azorius *dict. cap. 10. quæst. 2.* Villalobos *in Summa, 1. part. tract. 22. difficult. 4. num. 3.* Suarez *de charit. disp. 7. sect. 2. num. 2.* Tapia *de Charit. lib. 3. q. 4. art. 4. nu. 12.* Valdes *dict. quæst. 7. n. 1.* Palao *tom. 1. tract. 6. disp. 1. punct. 13. à num. 2.*

Religiosus, vel Monachus nequit etiam eleemosynari, 3
quia non habet dominium in rebus ab eo acquisitis, nec in bonis Monasterii, *cap. Non dicatis, 12. quæst. 1. cap Inter Monasterium 6. de stat Monach. Authent. Ingressi, Cod. de Sacros. Ecclesis.* Estque textus elegans *in l. 11. tit. 23. par. 1.* aliquas exceptiones dans. Prima est quando aliquis pauper fuisset in extrema necessitate; tunc enim Religiosus eleemosynam valet præstare ex præsumpta voluntate superioris, qui si vidisset pauperem extremè indigentem, omnò istam facultatem præstaret, S. Thomas *2. 2. q. 3. art. 8.* Valdes *de Eleemosyna, dict. art. 3. quæst. 7. vers. Quartus*, Leoncillus *de Privilegiis pauper. 1. par. privileg. 268. à num. 1.* Quod noster Alphonsus *in d. l. 11.* extendit, etiamsi in hoc casu Prælatus expressim contradixerit; nequit enim Prælatus rem justam, & necessariam contradicere, & tunc potiùs obediendum est Deo, quàm hominibus; *Exod. cap. 1. vers. 17.* ibi: *Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum Regis*, D. Petrus *Act. Apostolor. cap. 3 vers. 29.* ait: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*, S. Thomas *2. 2. q. 104. art. 5. in corpore*, Canonistæ *in cap. Pastoralis 28. §. Quia verò, de Offic. delegat.* Belluga *in Speul. Princip. rub. 11. §. Tractando, num. 4.* Molino *de Brach. Sæculari, cap. 11. à n. 35.* Quapropter Religiosus, si viderit pauperem extremè indigentem, poterit ei præstare eleemosynam, Navarrus *in Man. cap. 17. num. 105.* Surdus *de Aliment. tit. 8. privileg. 79. num. 12.* Diana *5. par. tract. 8. resol. 22.* Valenzuela *cons. 98. n. 12.*

Secunda, quando Religiosus extra claustra degit, negotii alicujus causa, aut in Studiis, aut Peregrinus Romam 4
petit, ex licentia superioris; tunc enim eleemosynam elargiri poterit. Argumento *ex l. Si longiùs 18. ff. de judiciis*, dum tamen sit moderata, *l. Item si 7. §. Quod dicitur 13. ff. ad Sen. consult. Maced.* Nam ex eo, quod habeat licentiam extra-

tra clauſtra degendi, ſeu peregrinandi, conſequenter datur ei licentia, ut aliquas moderatas eleemoſynas præſtet, Sanch. plures dans *lib.7. Decalog. cap.19. nu.98.* Trulench. *d. cap.5. dub.9. num.5.* Vaſquez *de Eleemoſyna, cap.4. nu.1.* Valdes *dict. quæſt.7. verſ. Tertius*, Diana *dict. reſol.22. verſ. Tertiò*.

5 Sed quæ quantitas iſta ſit, ut eleemoſyna moderata dicatur, non ita certum, Sylveſter *verbo Eleemoſyna,n.7.* Navarrus *comment. de Regularib. n.8. coroll.1.* Graſſis *1.p. deciſ. tit.3. cap.5. nu.63.* aſſerunt, poſſe Religioſum expendere pro eleemoſyna quidquid alii ſcholares ſæculares, aut peregrini moderatè, & honeſtè concedunt, quia id ex ſuperioris licentia conceſſum videtur, non verò aliquid immoderatum.

6 Aſt meliùs noſter Alphonſus *in d.l.11.* explicuit, ſimilem Religioſum dare poſſe ad eleemoſynam, quod alteri Clerici dant ejuſdem ordinis, & conditionis. Nam ut ſcripſit Villalobos *dict. difficult 4. num.4.* Religioſus magis aſtringitur ad voluntatem ſuperioris, quàm ſervus ad voluntatem domini: quapropter debet ſemper ſequi ejus voluntatem modo veriſimiliori, qui quidem eſt, ut det Monachus eleemoſynam, prout dant alteri Clerici ſui ordinis, & conditionis; non ut alteri ſæculares, ſive Clerici, ſive Scholaſtici, quia reſpectu iſtorum immoderata cenſebitur, Azorius *dict. lib.12. cap.10. quæſt.3.* Sanchez *dict. cap.19. num.99.*

7 Tertia exceptio, quam dat noſter Alphonſus *in d. leg.11:* eſt quando Religioſus fuerit Prælatus, aut officium habuerit cum adminiſtratione; tunc enim ex ſuperfluis, quæ ſuperſint ex Monaſterii redditibus, rectè eleemoſynam dat conſuetam, & ſolitam ab aliis Prælatis, ſeu Adminiſtratoribus dari, quia ad id eſt facultas conceſſa, Vaſquez *d.c.4. num.1.* Villalobos *d. difficult.4. num.4.* Suarez *d. diſput.7. ſect.2. n.3.* Mendoza *quæſt. quodlibet.8. §.2.* Palao *d. diſp.1. punct.13. num.9.* Valdes *dict. quæſt.7. n.4.* Quod extendendum ad cæteros Religioſos, quando erogant in eleemoſynam res parvi momenti, conſuetas dari pauperibus oſtiatim mendicantibus; quia in his caſibus præſumitur voluntas ſuperioris; ut cum aliquibus tenet Diana *d. par.5. tract 8. reſol.22. verſ. Non deſinam*, Sanchez *d. cap.19. n.103.* Graſſius *d. lib.3. cap.5. n 62.* Verùm in re, quando Religioſi ſunt intra clauſtra, id non admittendum, ſi opponeretur curæ, & recto regimini domus, ut cum aliquibus notat Palao *d. punct.13. n.9. in fine*.

8 Quarta exceptio, quando ipſe Religioſus aliquid parcè vivendo de ſuis alimentis ſubtraxerit, nam eo ipſo, quod ea alimenta à Monaſterio præſtantur, ea fit mente, ne ad illud redat, ſed Religioſus pro ſuo arbitrio expendat: Ergo ſi aliquid de his ſubtraxerit, poterit ad eleemoſynas conferre, Navarrus *de Redditibus, quæſt.1. num. 33.* Beja *4. par. caſ. conſcient. cap.32.* Rodriquez *quæſt. Regul. tom.3. q.29. art.10.* Diana *d.5. par. tract.8. reſol.22.* Tapia *d. quæſt.4. art.4. n.10.*

9 Sed hæc exceptio ab omnibus admiſſa non eſt. Eam negarunt Azorius *d. cap.10. quæſt.3. verſ. Quod ſi parcè*, Salonius *in 2.2. tract.6. de dominio, quæſt.1. art.1. coroll.3.* Villalobos *d. difficult.4. num.4.* quia qui liquid acquirit Religioſus parcè vivendo, ſeu genium ſuum defraudando, acquirit Monaſterio, Layman *in Summa, lib.4. tract.5. cap.7. n.5.* Ergo nequit Religioſus de his bonis aliquid pauperibus elargiri.

10 In hoc dubio duplex conſideratio facienda eſt. Prima quando certa portio conceditur Monacho ad ejus neceſſaria, illo adjecto moderamine, quod ſi aliquid ſuperſit, non teneatur de illo rationem reddere, nec Monaſterio præſtare; & tunc Navarri, & aliorum ſententia admittenda eſt, quia tunc voluntas ſuperioris clara eſt, ut ſi aliquid ſuperſit ex induſtria Religioſi, aut parcè vivendo, in rebus honeſtis expendat, Sanchez *d. cap.19. num. 100.* Ergo in hac conſideratione rectè Religioſus eleemoſynam concedet ex iis, quæ ſuperſunt, ſi parcè vivat in in iis, quæ ad ejus neceſſaria conceduntur.

11 Secunda conſideratio erit, quando ſine ea lege alimenta, vel alia neceſſaria conceduntur, & parcè vivendo, & ſuum genium defraudando, quod ſuperſit, teneat: quo quidem caſu cùm id totum acquiratur Monaſterio, neceſſaria eſt licentia ſuperioris, ut poſſit de illo eleemoſynam dare. Verùm eſt difficultas, an ex eo ſolo, quod hæc concedantur ad alimenta, & neceſſaria Religioſi, tacitè licentia concedatur, ut ſi aliquid ſuperfuerit ex parſimonia Religioſi, poſſit in re honeſta expendere, ut in eleemoſynas, Layman nuperrimè allegatus negat, concedi aliquam licentiam, niſi aliud adſit, ex quo talis licentia perpendatur, veluti ſi Religioſus habuerit independentem adminiſtrationem. Sed affirmavit Sanchez *d. n.100 ad finem*.

Sed in re admitto Laymani placitum; nam in iis bonis 12
conceſſis à Monaſterio, ſive ad alimoniam, ſive ad alia neceſſaria, Religioſus tantùm eſt uſuarius, dominiumque ſemper eſt penes Monaſterium, Mendoza *d.q.8. §.4. lit. B*, Uſuarius verò nihil diſponere valet da rebus ad uſum ſibi conceſſis, niſi ad uſum proprium, nec à domino aliam habet licentiam, *l. plenum 12. §. Si uſus, ff. de uſu, & habit. §. Item is, Inſt. eod. tit. l.21. tit.3. par.3.* Ergo ex eo ſolùm, quod alimenta, aut alia neceſſaria Religioſo concedantur, nequit conſiderari licentia ſuperioris, ut ſi aliquid ſuperſit, poſſit cum aliis expendi à Religioſo. Cæterùm, nam præſumptiones illæ validiores ſunt, quæ ex natura actus capiuntur, & alias quaslibet convincunt, Couarr. *lib.3. var. c.15. n.2.* Barboſa *in l. quia tale 14. ff. ſolut. matr. n 4.* Meſa *var. lib.2. c.27. nu.5.* Cùm ergo ex natura ipſius uſus ſit, ut tantùm concedatur licentia utendi ad uſus proprios, non ad alienum; inde eſt, ut non præſumatur licentia ſuperioris, quando aliqua neceſſaria conceduntur Religioſo ad eleemoſynam dandam ex eo ſolùm, quod conceduntur, ſi aliquid ſuperſit.

Unde reſolvendum, in ſpecie Religioſum, etiamſi par- 13
cè vixerit, & ſuum genium defraudet, minimè eleemoſynam facere poſſe ex iis, quæ ſibi ſuperſint, ſed erit neceſſaria licentia Superioris, niſi aliter ex aliis circumſtantiis conjecturaretur.

Quinta exceptio eſt, quando Summus Pontifex ob be- 14
nemerita aliqua concedat Religioſo ad uſus ſuos, & diſpoſitionem, ſeu parentum, vel certi redditus à Monaſterio deſignentur cum eadem facultate; tunc enim facere poterit eleemoſynas. Ratio eſt, nam tunc nulla reſtrictio apposita eſt, verùm libera adminiſtratio; unde data eſt licentia ad erogandas eleemoſynas: tum etiam ſunt claræ conjecturæ licentiæ ad dandam eleemoſynam, Layman *d.c.5. n.5.* Molina *de Iuſt. tract.2. diſp.276. n.5.* Sanchez *d. cap.19. n. 104.* Diana *d. tract.8. reſol.32.*

Verùm in hac ſpecie dubitari poterit, an Religioſus ex 15
eo, quod poſſit largiri eleemoſynas, poſſit Capellaniam fundare, vel orphanas dotare? Et affirmavit Navarrus *comment.2. de Regul. num.41.* Lopez *lib.2. Inſtruct. cap.40. poſt principium.* Nam ſi Religioſus valet redditus illos expendere in uſus ſui corporis, multò meliùs in utilitatem ſuæ animæ, quæ pretioſior eſt corpore *cap. Præcipimus 12. quæſt. 1. cap. Sedulo, 38. diſt.* Tum authoritate D. Hieronymi *ad Ruſticum*, aſſerentis gratiorem eſſe Monachum Deo, cujus bona pauperibus elargiuntur. Ergo rectè poterit fundare hæc opera pia ex redditibus, & bonis ad uſus ſuos præſtitis, ut gratior ſit Deo.

Sed Molina *de Iuſt. tract.2. diſp.140.* Sanchez *dict. c.19.* 16
num.102. tenent contrarium, quia ampla licentia non eſt exiſtimanda, quando hæc bona, ſeu redditus dantur ad uſus Religioſi, & ad ejus diſpoſitionem, ita ut excedat ad fundationes, ſeu memorias. Tum fundare Capellaniam, & alia opera pia, excedit Religioſum ſtatum, nec credendum; præſtitam eſſe licentiam ad rem, quæ exorbitat ab ſtatu religioſo. Ergo minimè Religioſus poterit ex bonis, aut redditibus ſibi ad uſum, & diſpoſitionem conceſſis fundare Capellaniam, ſeu alia opera pia.

In re tamen dicendum, poſſe Summum Pontificem 17
concedere hos redditus, ſeu bona Religioſo, independenter à Prælato, ſeu Monaſterio, ob benemerita ad uſus ſuos, ſeu diſpoſitionem; & tunc rectè poterit inſtituere Capellaniam, ſeu aliud opus pium ex iis redditibus, ut admittit Sanchez *dict. num.102.* tunc enim ampla licentia Pontificis conſideratur, non ſolùm ad eleemoſynas, verùm ad aliquam fundationem; beneficium enim Principis latè interpretatur, *l.3. ff. de Conſtit. Principum, cap. Cùm dilecti 6 de donat. cap. Quia circa 22. de Privilegiis, cap. Olim 24. verb. ſignif.* Thomaſſetus *regul.56.* Moneta *de diſtrib. quot.2. par. q.14. n.6.* Sanchez *de Matr. lib.8. diſp.1. n.4.*

Si verò ea conceſſerit de pendenter à Monaſterio, & à 18
Prælato, tunc admittenda eſt doctrina Molinæ, & Sanch. Verùm Navarri, & Lopez placitū probabilitatem habebit, ſi Capellania, aut opus pium non magnum, & honorabile

ſit,

sit, sed modestum, & modoratum respectu status religiosi, quia tunc etiam à Prælato, & Monasterio probabiliter existimaretur licentia, dum redditus ad usum, & dispositionem illius conceduntur.

19 Filius enim familias regulariter nequit eleemosynam concedere; nam licèt in vita patris suorum bonorum quodam modo dominus dicatur *l. In suis 11. ff. de liber. & posth. l. Licèt 58. §. Paternos, ff. de verbor. significat*, attamen propriè dominus non est, nec habet administrationem, Sylvester *verbo Eleemosyna, num. 7.* Sed tamen communis exceptio est: si filius familias bona habuerit castrensia, seu quasi bona enim castrensia dicuntur, quæ in castris acquirit, aut prodiens ad castra, idque ratione militiæ, *leg. Castrense 11. ff. de castrensi peculio*, Paulus *lib. 3. sentent. tit. 4. verb. Filius familias, l. 12. tit. 3. par. 3.* Quasi castrensia appellantur, quæ filius ex patrocinio Advocationis, Medicina, vel Administrationis publica, aut Principis donatione adeptus fuerit, *l. fin. Cod. de inoffi. testam. l. penult. & ult. Cod. Qui testament. facere possunt, l. Cùm multa 7. Cod. de bonis, quæ. lib.* Quibus adjungere libet fructus beneficiorum, quos filius familias ex illorum titulo consequutus fuerit, cùm integrè ad illum pertineant, non solùm quoad dominium, sed etiam quoad administrationem. Inde est, ut ex his bonis castrensibus, vel quasi possit facere eleemosyna, Azorius *dict. cap. 10. quæst. 1.* Vasquez *de Eleemosyna, cap. 4. num. 3.* Turrianus *2. 2. quæst. 84. dub. 1. litt. E*, Diana *5. par. tractat. 8. resolut. 25.* Palao *dict. tract. 6. disput. 1. punct. 13. num. 8.* Valdes *d. q. 7. n. 2. vers. Quintus casus*, Tapia *dict. art. 4. num. 12.*

20 Ex profectitiis, quæ ex bonis partis proficiscuntur, *§. Igitur, vers. Sancitum, Instit. per quas person.* filius familias eleemosynam non præstabit, cùm hæc ad dominium patris pertineant, Suarez *d. disp. 7. sect. 2 num. 4.* In adventitiis, quæ aliunde, quàm à patre proveniunt, veluti à matre, vel à consanguineis, aut extraneis, nequit etiam eleemosynas dare, quia eorum usufructus ad patrem pertinet, *l. 1. Cod. de bon. matern. l. 1. 2. & fin. Cod. de bon. quæ lib. 5. tit. 17. par. 4* Gomez *in l. 48. Tauri, n. 1.* Mathienzo *in l. 9. tit. 1. lib. 5. Recopil. gloss. 1.* ubi etiam Azevedus: quare ne damnum patri inferat, nequit eleemosynas dare, Sylvester *à n. 7.* Vasquez *d. cap. 4. n. 3.* Diana *d. resol. 25.*

21 Unde erit adnotandus Spino *in Specul. testam. gloss. 6. nu. 24.* asserens, filiumfamilias posse eleemosynas elargiri ex bonis, quæ acquisierit sua industria, & favore, aut prospera fortuna? nam ipse est proprietarius, *§. 1. Instit. per quas personas, l. Cùm oportet 6. Cod. de bonis, quæ lib.* Sed id non admittendum; nisi labor, & industria non sit castrensis, vel quasi; aliàs semper usufructus pertinet ad patrem, *l. 5. tit. 17. par. 4.* Gomez *var. tom. 2. cap. 15. in fine*, Azevedus *in l. 9. tit. 1. lib. 5. Recopilat. à num. 11.* Molina *de Iust. tract. 2. disput. 232. num. 1.* quapropter ex iis bonis nequibit filiusfamilias eleemosynas facere, Azevedus *in d. l. 9. n. 15.*

22 Possunt tamen filiusfamilias ex consensu patris dare eleemosynas, aut quando ita sunt tenues, ut faciliter præsumatur ejus licentia, vel quando scholaris est, & peregrinus, quoad eas eleemosynas, quæ solent fieri à personis sui status, & conditionis: tum si aliquid acquisierit parcè vivendo, ex bonis à suo patre concessis, aut pauper sit in extrema necessitate, Azor. *dict. cap. 10. quæst. 3.* Trullench. *in Decalog. lib 1. cap. 5. dub. 9. num. 7.* Palao *dict. punct. 13. n. 8* Diana *d. resol. 25.* Iranzo *de Protest cap. 59. n. 21.*

23 Mulier uxorata nequit eleemosynas efficere absque ejus viri voluntate, cui subjicitur, *cap. Quod Deus 33. quæst. 5.* Idque etiam ex bonis dotalibus; quia licèt in melioris sententia habeat illorum dominium, non tamen habet administrationem, *l. 12. tit. 23. par. 1.* Tiraquellus *in ll. conub. gl. 5. n. 218.* Azevedus *in l. 2. tit. 3. lib. 5. Recopilat. num. 7.* quod de jure regio strictè procedit: nam uxor nequit aliquem contractum efficere absque viri licentia, *l. 55. Tauri, dict. l. 2. Recopilat.* Valdes *dict. 3. par. quæst. 7. n. 3. fol. 62.* Tapia *dict. art. 4. num 14.* Spino *dict. gloss. 6. nu. 23.* Gregorius *in l. 12. tit. 23. par. 1. gloss. 4.* Cabedo *decis. 106.* Barbosa *in l. 1. ff. solut. matrim 1. par. num. 39.* Turrianus *dict. quæst. 84. dub. 1. vers. Restat.*

24 Sunt tamen aliqui casus, quibus uxori eleemosynas facere concessum est, quos recensuit Navarrus *in Man. cap. 17. num. 153.* Diana *5. par. tract. 8. resol. 34.* Primus ad evitandum aliquod malum mariti, prout fecit decreta Abigail *lib. 1. Regum, cap. 25.* quod à fortiori admittendum, si damnum fuisset spirituale, veluti si maritus pessimus, & malignus sit; tunc enim uxor moderatas eleemosynas facere poterit, ut Deus illum revocet ad veram pœnitentiam, & à delictis resipiscat, dummodò id agat sine scandalo, *c. Nihil. 2. de præscript.* & advertit Navarrus nuperrimè citatus Secundò poterit uxor dare eleemosynas dari solitas à mulieribus sui status: & conditionis, dummodò non constet, nolle maritum, quod illas præstet. Tertiò, quia tunc administratio domus ad illam pertinet, ac per consequens poterit dare eleemosynas moderatas, & illas, quas maritus dare consueverat, aut præsens distribueret. Quartò, quando pro ejus victu maritus aliquid designaverit, & aliquid acquisierit parcè vivendo, Azorius *dict. cap. 10. quæst. 4.* Spino *dict. gloss. 6. n. 23.* Turrianus *dict. quæst. 84. dub. 1. vers. Restat.* Valdes *ubi suprà, vers. Alius est casus*, Palao *dict. punct. 13. à num. 10.* Leoncillus *2. par. privileg. 425. n. 12.*

Quintus casus erit, quando habuerit bona paraphernalia, quæ quidem sunt reservata ab ipsa muliere ad suam dispositionem, independenter à dote, quorum dominium, & administratio ad eam petinet, *l. Maritus 21. Cod. de Procurat.* ubi Scribentes. Quapropter de his bonis poterit eleemosynas facere, ut disponit noster Alphonsus *in l. 12. tit. 23. par. 1.* Azorius *dict quæst. 4. vers. Quæres*, Vasquez *dict. cap. 4. n. 4.* Gregorius *in dict. l. 12. verbo Apartadas.* Quod ita teneas, nisi his bonis indiguerit ad alendum maritum, & familiam; quia priùs tenetur illum, & familiam alere, quàm eleemosynam præstare, vel sit in aliqua provincia, ut in Castella, ubi paraphernalium administratio ad maritum pertineat; tunc enim nequit eleemosynas dare, Navarrus *dict. c. 17. n. 153.* Valdes *dict. quæst. 7. vers. Aliàs si mulier, fol. 63.* Tapia *d. lib. 3. q 4. art. 4. n. 24.* 25

Sextus casus, quando mulier habuerit aliqua bona sua industria, aut officio acquisita, veluti texendo, aut aliter laborando; quia de jure communi hæc pertinent ad dominium, & administrationem illius, S. Thomas *2. 2. quæst. 32. art. 8. ad 2.* Valdes *dict quæst. 7. nu. 5 fol. 63. l. 12. titul. 23. par. 1.* Limitandum verò in iis Regnis, seu Provinciis, in quibus hæc bona pertinent etiam ad maritum, & communicantur, Azorius *dict quæst. 4.* Navarrus *cap. 17. num. 154.* prout in Castella, ubi hæc bona communicantur; & licèt pro dimidia parte uxor dimidium acquirat, attamen administratio pertinet ad maritum, *l. 14. & 15. Tauri, l. 1. cum sequent. tit. 9. lib. 5. Recopilat.* Garcia *de conjug. ac quæst. à n. 11.* Hanc ob rem ex his bonis nequit uxor eleemosynas elargiri, Trullench *d. lib. 1. c. 5. dub. 9. n. 9.* Diana *5. par. tract. 8. resol. 34.* 26

Pupillus nequit eleemosynas facere, quia non habet administrationem, nec prodigus, cui à Prætore interdicta est administratio. Administratores, tutores, vel curatores possunt facere illas eleemosynas, quæ rectè facerent minores, si jam adulti fuerint; idque eis concessum est in administratione, dummodò recta ratione, & temperata faciant, possunt enim pupillis concedere licentiam, ut minutas eleemosynas dent, Bonacina *de Charit. disp. 3. q. 4. punct. 7. num. 26.* Palao *d. punct. 13. num. 7.* Leoncillus *de Privil. paup. 2. par. privileg. 400.* Lorca *2. 2. sect. 3. disput. 36. n. 10.* Diana *d. tract. 8 resol. 35.* 27

Administratores Reipublicæ, quibus administratio bonorum publicorum concessa est, nequeunt facilè eleemosynas concedere, verùm facere possunt consuetas, quæ solitæ erant fieri Hospitalibus, aut alii pio loco, *l. Privilegia 11. C. de Sacrosanct. Eccl.* Rom. *singul. 433.* Idque procedere potest à cõsuetudine, vel ab statuto dandi quotannis annuas pias præstationes, quo quidem casu nequeunt revocari etiam ab eis, qui illas instituerunt, nec possunt annullare jus causis piis quæsitum, Tiraq. *de Causis piis, privil. 156.* Barbosa *in d. leg. Privilegia, n. 3.* Leoncillus *2. par. privileg. 117. n. 3.* Quapropter Administratores bonorum publicorum rectè has eleemosynas concedunt, etiamsi renuerint statuentes. 28

Est tamen dubium, an consuetudo dandi prandium moderatum Clericis, & Sacristis ex bonis publicis in Processionibus longè à Civitate, vel villa pergentibus, sustinenda sit, necne? Negavit Garcia *de Expensis, cap. 21. num. 36.* Nam hæ processiones fiunt ad privatorum commodum, non immediatè ad publicam utilitatem; quapropter hoc prandium, seu eleemosyna, non ex bonis publicis, sed privatorum facienda est, non obstante consuetudine. 29

Sed

30 Sed contrarium tenet Avendanus *de Exeq. 2. par. cap. 10. num. 18.* Nam hæc prandia, utpotè pia, Clericis conceduntur, & Sacriſtis per modum eleemoſynæ; quapropter ſicut aliæ piæ conſuetudines ex bonis publicis rectè ſolvuntur, ſimiliter iſtæ.

32 In re dicendum, quod in his proceſſionibus plerumque Judices, & Adminiſtratores excedunt, & non prandia moderata, & pia concedunt, verùm lauta: tum etiam addunt titulo charitatis panem, uinum, & caſeum, quæ omni populo concedunt, multis peccatis permixtis; quod quidem minimè faciendum, nec ex bonis publicis, neque privatorum, utpotè res iniqua, & quæ occaſionem præſtat crapulis, & ebrietatibus; Avendanus *dict. cap. 10. num. 18* Bobadilla *in Politic. lib. 5. cap. 4. num. 14.* Verùm ſi tantùm Clericis, ſeu Sacriſtis prandium honeſtum, & moderatum daretur, etiam ex bonis publicis, erit ſuſtinendum, prout etiam aliæ eleemoſynæ eis conceduntur pro agendis proceſſionibus ex bonis publicis; negandum enim non eſt, has eleemoſynas eſſe pias, & concernentes ad bonum publicum; quatenus in his proceſſionibus omnium bonum ſpirituale, & temporale deprecatur, ſalus Reipublicæ, & Eccleſiæ Catholicæ augmentum: quare non obſtante fundamento Garciæ, ſimilis conſuetudo ſuſtinenda eſt.

32 Eſt ſimiliter aliud dubium, an ad faciendas has eleemoſynas, quæ quotannis ex bonis publicis fiunt Hoſpitalibus, aut Monaſteriis, ſit neceſſaria facultas Regia, ita ut aliter non ſuſtineantur. Et Avendanus *dict. cap. 10. n. 18.* aſſerit, non eſſe neceſſarium, ſed alii tenent contrarium; nam bona publica, & communia, deſtinata ſunt à Rege præcisè ad publicam utilitatem, nec ad alios uſus poſſunt diverti, *l. Inter publica 17. de verbor. ſignific. leg. Sed & Celſus 6 ff. de contrab. empt.* ubi Gloſſa *l. 10. tit. 28. par. 3.* Ergo facultas Regia eſt neceſſaria ad hoc, ut poſſunt diverti ad cauſas pias, tum quia grave incommodum, & præjudicium poſſet advenire utilitati publicæ, ſi in pias cauſas bona publica expenderentur, Gregorius *in l. 10. tit. 28. p. 3. gloſſ. 3.* Bobadilla *dict. c. 14. n. 14.*

33 Sed hæ doctrinæ facilè poſſunt conciliari; nam doctrina Avendani poteſt intelligi quando eleemoſyna fuiſſet parva, unde nullum, aut parvum incommodum reciperet Reſpublica; tunc enim facultas Regia non eſt neceſſaria, quin potiùs ad has minutas eleemoſynas ſemper intelligitur licentia præſtita. Et à ſimili probatur, nam Eccleſia licèt ſine Superiorum licentia nequeat aliquid donare; ſi tamen habeat aliquam laudabilem conſuetudinem dandi aliquid modicum aliquibus diebus, tunc conſuetudo illa rectè ſuſtinetur abſque licentia. Addit. ad Abbatem *in cap. 1. de Conſuetud. num. 2.* Lopez *in l. 15. tit. 17. par. 1. gloſſ. 2.* Guttierrez *can. quæſt. lib. 2. cap. 21. num. 159.* Tondutus *tom. 1. quæſt. benefic. cap. 39. nu. 20.* Ergo ſimiliter eſt dicendum, in his largitionibus piis factis ex bonis publicis, dummodò modicæ ſint, nec Rempublicam incommodent. Si verò graves ſint quantitates, neceſſaria erit facultas Regia, ut benè tenent Gregorius, & Bobadilla, Villadiego *in Polit. cap. 5. de la Inſtruccion*, §. 32. *n. 81.*

34 Sed an ex bonis publicis dandæ ſint eleemoſynę conſuetę Prædicatoribus, ſeu Confeſſariis? Negarunt Villadiego *d. num. 81.* Bobadilla *lib. 5. Polit. cap. 4. num. 57.* quia id pertinet ad officium Curatorum, Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 8. & ſeſſ 24. cap. 7.* quapropter hæ expenſæ ad illos, non ad Rempublicam debent pertinere, Tondutus *tom. 1. quæſt. benefic. cap. 39. n. 7.*

35 Sed contrarium decrevit Sacra Congregatio, ut refert Lezana *in Summa, num. 3. verbo Concionari, num. 12.* ubi cenſuit, teneri univerſitates Prædicatoribus ſolvere eleemoſynas ſolitas, nec illis licere ad quantitatem parvam, & certam reducere: quod idem obſervandum in immemoriali conſuetudine exiſtimavit Sacra Congregatio, quam refert Halera *in Margarit. caſ. conſcient. verbo Prædicator 1.* & ad hanc obſervantiam Epiſcopum poſſe populum cogere, tenet ipſa Congregatio apud Franciſcum Leonem *in Theſaur. fori, 1. par. cap. 8. ſub n 6.* Sperellus *deciſ. 70. n. 1.* Barboſa *de Offic. Epiſcopi 3. par. alleg. 79. n. 14.* Et in Bull. *verbo Prædicator, num. 13. & 14.* Guttierrez *lib. 2. Can. c. 21. num. 152.* Paſſerinus *de ſtat. tom. 2. quæſt. 187. art. 4. inſpect. 2.* Illud tamen etiam declaratum, & deciſum, minimè Parochum petentem ſibi præſtari eleemoſynam ſolitam præſtari Prædicatoribus, concionari poſſe, nec licere ipſis univerſitatibus eam illi dare, prætextu etiam cujuſcumque paupertatis, ut ex Aldana tenet Barboſa *ad Concilium ſeſſ. 5. de Reformat. cap. 2. num. 15. & de offic. Parochi 1. par. cap. 14. num. 7.*

In re tamen animadvertendum, tribus modis hanc difficultatem capiendam eſſe. In primis quando Curatus non eſt perſona ſufficiens ad prædicandum altiori gradu, altiora myſteria explicando, & exponendo Sacram Scripturam, gregemque motum probitate inſtituendo; & ſimiliter propter inopiam non habet, niſi parcam ſuſtentationem, & in hoc caſu nec per ſe, nec per alium tenetur concionari: non per ſe, quia eſt inſufficiens; non per alium, quia non habet unde eleemoſynetur ſubſtitutus. Sufficiet tamen ei Sacramenta adminiſtrare, & inſtruere populum in neceſſariis tantùm ad ſalutem tam in fide, quàm in moribus, ut cum Bauni tenet R. Moya *2. tom. Select. tract. 2. de Religione, diſp. 1. q. 2. à num. 1.* Et in hoc caſu abſque dubio tenenda eſt declaratio Cardinalium, ſcilicet populum, ſeu Univerſitatem contribuere eleemoſynas conſuetas ad prædicatorem, ut excellentiori modo populum doceat, & inſtruat, quia id non pertinet ad Parochum. 36

Caſus ſic propoſitus adeò communis eſt, ut ferè ſemper accidat in aliis Epiſcopatibus, præter Toletanum, ubi major pars Parochorum, cùm per concurſum admittantur in Studiis Scholaſticis, & Moralibus, ad concionandum ſufficientiſſimi ſint, & permulti excellentiſſimi Prædicatores, ut paſſim videmus. Quapropter Bobadilla *d. c. 4. num. 57.* non debebat excludere has eleemoſynas, quia ex cupiditate, & malitia Curionum ſunt introductæ; ſiquidem ut plurimùm Parochi quamplurimi non ſunt ſufficientes ad prædicandum altiori modo, nec habent redditus, niſi parcos, & moderatos. Quod maximè dolendum, dum decimas quamplurium beneficiorum alii percipiunt, vel Sæculares, vel Eccleſiaſtici, de Animabus non curantes, & ditius Beneficium, quod Parochum doctum, & eminentiorem poterat habere, quali Clerico conceditur, ſæpè ſæpiùs ignoranti, & idiotæ, in graviſſimum animarum damnum, quia decimæ aliis dantur. 37

Quamobrem in viſceribus Domini Noſtri Jeſu Chriſti precor Prælatos Eccleſiæ, ut ſummoperè curent redditus Beneficiorum Curatorum augere, conſervare, & non deſtruere, ut ſæpè faciunt ad Fundationes, & Collegia Legiſtarum, vel aliarum Artium; ut Beneficia Curata habeant viros doctos, probos, & prudentes, proſpiciendo ad animarum regimen, ut inſignius opus, & præclariſſimum Eccleſiæ Dei, quod nequit fieri à paupere Clerico, & ignorante. 38

Secundò modo poteſt caſus evenire, quando Parochus eſt ſufficiens ad concionandum, etiam altiori modo, & habet redditus, & decimas ſufficientes. In quo quidem caſu aliqui Doctorum aſſerunt, adhuc ad officium ejus ex propria obligatione prædicare non pertinere altiori modo, ſed tantùm in neceſſariis inſtruere verbo, & doctrina, Soto *de Iuſt. lib. 10. quæſt. 1. art. 2.* qui aſſerit, diſputatum fuiſſe in Concilio Tridentino, an officium prædicandi committendum Curionibus; ſed non fuiſſe determinadum: Et eum eo tranſeunt Poſſevinus *de Offic. Curati, c. 3. num. 1.* Machado *in Summa, lib. 4. part. 2. tract. 1. document. 2. num. 1.* Barboſa *de Offic. Parocb. 1. par. cap 14. n. 1.* Et hanc ſententiam probare videtur Concilium Trident. *ſeſſ. 5. cap. 2.* ibi: *Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Eccleſias quoquo modo obtinent per ſe, vel per alios idoneos, ſi legitimè fuerint impediti, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas, pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus eſt neceſſarium ad ſalutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat.* 39

Hæc enim verba clarè oſtendunt, ad Parochorum munus pertinere docere in neceſſitatibus populum, non verò altiori modo prædicare, prout etiam oſtendit Concilium *ſeſs. 22. de Sacrific. Miſs. cap. 8.* Quamobrem quando hæ univerſitates has eleemoſynas dant Prædicatoribus, ut altiori modo inſtruantur, rectè ex publico dantur; non enim hoc pertinet ad officium Curati. 40

Sed dices, ex Concilio *ſeſs. 23. cap. 1.* contrarium probari, ibi: *Cùm præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus cura animarum commiſſa eſt, oves ſuas cognoſcere, verbi-* 41

bique divini prædicatione, ac bonorum omnium exemplum pascere. Quam sententiam tenet R. Moya *d. q. 2. à num. 1.* Sperell. *decis. 70. num. 4.* Ergo non rectè asserimus, prædicationem altiori modo non pertinere ex proprio officio ad Parochum, & consequenter eleemosynas illas non esse dandas ex publico Prædicatoribus. Sed respondetur, sententiam R. Moya non probari ex dictis verbis; potest enim textus ille intelligi de Episcopis, aut si de Parochis intelligamus, non de prædicatione altiori modo, sed tantùm de instructione, & prædicatione in necessariis. Hanc ob rem rectè ex publico hæ eleemosynæ conceduntur.

42 Verùm si Reverendissimi Moya placitum admittamus, adhuc hæ eleemosynæ ex publico rectè conceduntur; nam Prædicatores isti adducuntur ad faciendas plurimas conciones pluspuam à Rectoribus debent fieri; isti enim non tenentur prædicare, nisi quando oportuerit, & fuerit necessarium, ut cum Suarez docet Barbosa *ad Concilium, sess. 5. cap. 2. num. 16.* Ast verò illi tenetur, ut etiam aliis temporibus prædicent, quare rectè ex publico expenduntur.

43 Tertio modo est, quando Curatus esset habilis ad conciones faciendas altiori modo, verùm non habere redditus: & in hoc casu majori ratione convincitur, eleemosynas illas ex publico esse concedendas; nam quando Parochus est doctus, & sine sufficientibus redditibus, magis est dignus miseratione, quàm onerandus labore, præcipuè cùm in probabiliori sententia ad hoc munus non teneatur.

44 Majus erit dubium de eleemosynis, quæ conceduntur quibusdam Confessariis; ut Parochos in Quadragesima, aut in Jubilæis adjuvent. Ratio enim dubitandi apparet, nam hæc obligatio est intrinseca muneri illius. Ergo ipse tenetur confiteri, aut si non sufficiat, Adjutores vocare. Verùm dico, quod si Curatus habet parvos redditus, & ipse non possit adimplere, rectè has eleemosynas concedit. Si verò habet redditus sufficientes, & oppidum parvum sit, utique cùm ipse sufficiat, non est obligandus ad alios Confessores adducendos, & ita populus, si illos desideraverit, ex suis bonis rectè adducet, ad bonum spirituale vicinorum; quia durum, & difficilè foret omnes cogere ad confitendum cum Parocho. Si verò oppidum grande sit, nec ipse sufficiat, tenetur adjutores suis expensis ponere. Verùm si adsint ex publico eleemosynæ jam decretæ, non tenetur, sed populus est cogendus ad eas præstandas, quia ex sola continua præstatione ad id est obligatus, tanquam ad opus pium, concessum ad utilitatem vicinorum, ex aliis Confessoribus, quibus faciliter conscientiæ extricantur, traditis *lib. 2. cap. 11. à num. 27.*

45 Administratores Reipublicæ etiam possunt, & debent illas eleemosynas erogare, quæ solent dari, & expendi ad solemnitatem Corporis Christi Domini, non solùm ad decorum obsequium Ecclesiæ, verùm ad choreas honestas, & repræsentationes sacras, quæ communiter *Autos* dicuntur, in quibus multa mysteria dilucidè, & dulciter explicantur, Avendanus *dict. cap. 10. num. 28.* Bobadilla *dict. cap. 4. num. 16.* Ast vellem similes repræsentationes fieri à viris probis, & honestis, non autem ab histrionibus; inhonestissimum enim est, vilem comicum, & infamem, *l. 1. & l. 2. §. fin. ff. de his, qui not. infam, l. Si qua 4. Cod. de spect. & scenic. lib. 11. l. 5. tit. 2. p. 6. l. 4. tit. 6. par. 7.* Amaya *observ. lib. 3. cap. 5 num. 7. & ad tit. 7. Cod. de infamibus, num. 35.* Christum Dominum repræsentare, & mulierem impudicam, & meretricem, Mariæ Virginis Sanctissimæ personam agere.

46 Aliæ verò profanæ repræsentationes, etiam prout nunc fiunt, procul à festis Domini, & Sanctorum sunt ablegandæ; fiunt enim frequenter cum turpitudine, admixtis amoribus valdè ad lasciviam titillantibus: quapropter ut illicitæ à multis viris sapientibus, & timoratis declaratæ sunt, ex Tertulliano *in Apolog. cap. 15.* D. August. *de Civit. Dei, lib. 1. cap. 32.* Mendoza *de Spe, & Charitate, tom. 2. disput. 173. sect. 28. §. 367.* Diana *5. p. tract. 13. resol. 81. & 82.* Angelus Bossius *tom. 8. tit. 20.* & illius tituli *tit. 8. per tot.* Suarez *in 3. par. disput. 67. sect. 2.* Mariana *de spectaculis, tract. 3.* P. Gregorius *Syntag. 3. p. lib. 39. cap. 5.* P. Joan. de S. Maria *de Republica, c. 29.* quidquid resistant Bobadilla *lib. 5 Polit. cap. 4. num. 14.* Rojas *de incompatibilit. 1. par. cap. 12. à num. 32.* Quamobrem à festis Sanctorum, & Corporis Domini sunt ablegandæ. Ad rem audi exemplum adductum à Rojas *in Apologia Tragica, 1. par. §. 8.* ibi: *Otro exemplo pone en la Vida de otra perfectissima Religiosa el Padre Avila, tan conocido en el mundo por su vida, y santitad. Que estando en la Ciudad de Ezija, en Andalucia, celebrandose la fiesta de el Corpus Christi con grandes Autos, y Representaciones, fue esta Santa criatura arrebotada en rapto, y en el se la apareciò Christo Senor nuestro, asidos de el grandes sayones, y el Senor muy ensangrentado, y dolorido. Y Preguntandole la Santa: Pues, Senor e en tempo, que os estan regocijando, y celebrando en vuestra Yglesia les favores, que la haciste en daros Sacramentado, estais tan dolorido, y congaxado: Aquien el Senor respondio: Esposa mia, en aquellas Representaciones, y Autos publicos, quæ los comediantes hazen, son tantos los pecados que contra mi se cometen, haciendo, y profanando mi casa, que tornan à renovar los torementos de mi pbssion, y con cada pecado, que cometen, me buelven à crucificar.*

Unde cognoscitur, ad repræsentationes profanas, in quibus peccata permiscentur in celebratione Corporis Christi Domini, ex publicis bonis nihil, etiam titulo eleemosynæ esse concedendum, *cap. Donare 7. dist 86.* nec ad taurorum agitationem *l. 22. tit. 6. lib 3. Recopilat.* Avendanus *d. cap. 10. nu. 1.* utpotè ad rem barbaram, & periculosissimam animabus, & corporibus, & quæ rarissimè fit absque magnis peccatis, ut patet ex Motu Proprio Pii V. & Gregorii XIII. Navarrus *in Man. c. 15. nu. 18.* Guttierrez *Can. lib. 1. cap. 7.* Salzedo *ad Bernardum, cap 66. litt. A,* Parladorius *lib. 2. rer. quotid. cap. 7. à num. 2.* dat plures noster D. Petrus de Ovalle, in Pintiana Cancellaria Regius Auditor, *de Clerico venat. num. 39.* licèt ex consuetudine contrarium observari dicant Bobadilla *dict. cap. 4. num. 22.* Sanchez *cons. lib. 1. cap. 6. dub 8. n. 8.* 47

Denique in calce hujus capitis breviter disquiramus, de quibus bonis facienda sit eleemosyna. Et in primis minimè est danda de re furtiva, aut illicito contractu acquisita, nempè per usuram, *Ecclesiast. c. 34. vers. 24.* habetur: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* Idemque prohibetur *c. ult. 14. q. 5. cap. Non est putanda 27. 1. quæst. 1.* ubi Glossa *l. 10. tit. 23. par. 1.* D. Augustinus, & D. Gregorius apud Bellarminum *de bonis Oper. lib. 3. cap. 9.* Ratio est, nam dominus fuisset rationabiliter invitus, dum res sua, quæ necessariò erat sibi restituenda, in eleemosyna expenderetur. Id intelligendum quando dominium non est translatum ad furantem, vel contrectantem; si verò translatum sit, dummodò de propriis bonis possit satisfacere, rectè ex re illa poterit eleemosynas dare; verùm absque distinctione, si extremè indigenti res aliena concedatur, ut *in dict. l. 10. par.* S. Thomas *2. 2. quæst. 32. art. 7.* Becanus *de extern. act. charit. cap. 21. n. 17.* Layman *in Summa, lib. 2. tract. 3. cap. 6. n. 7* Bonacina *dict. disp. 3. quæst. 4. punct. 6. proposit. 4. num. 22.* Turrianus *disp 83. dub. 1. vers. Deinde,* Suarez *de Charit. disp. 7. sect. 2. n. 6.* Valdes *de Eleemosyna, 3. par. quæst. 8. à num. 1.* Palao *de Charit. tract. 6. disput. 1. punct. 12. nu. 3.* Fuscus *de Visit. lib. 2. cap. 30. n. 15.* 48

Unde ex iis rebus, quæ turpiter acquiruntur, veluti quæ acquirit meretrix meretricando, vel Judex propter aliquid illicitum faciendum, benè possunt facere eleemosynam, quia dominium ad eos est translatum, nec ad illius rei restitutionem tenentur, *dict. leg. 10. par.* S. Thomas *dict. art. 7.* Azorius *Inst. Moral. 2. par. cap. 12. q. 7.* Vasquez *de Eleemosyna, cap. 2. n. 4.* Spino *d gloss. 6. num. 2.* Gratianus *discept. forens. 218. n. 6. & 7.* Valdes *de Eleemosyna, d. quæst. 8. n. 2.* Palao *d. punct. 12. n. 3. in fin.* Tapia *dict. lib. 3. quæst. 4. art. 6. n. 2.* Leoncillus *2. par. privileg. 119. num. 12.* Fuscus *dict. lib. 1. cap. 30. num. 17.* 49

Est tamen adnotandus noster Alphonsus *in dict. leg. 12.* quatenus asserit, ex lucratis aliquo ludo, vel taxillorum, vel tabularum, eleemosynam fieri non posse. Verùm in re observandum, duobus modis posse legem ludum, vel aliam rem prohibere, non solùm interdicens ludum, sed alio modo, nempè si interdicat ludum, & insimul dominii translationem. Primo enim modo, quando quis acquisierit in ludo, rectè eleemosynam faciet de illis bonis acquisitis; quia ad lucrantem translatum est dominium, ut cum Divo Thoma docet Villalobos *dict. tract. 32. difficult. 2. n 3.* Sed si ludus prohibeatur, & insimul translatio dominii, minimè poterit facere eleemosynas de illis bonis, utpotè alienis, & obnoxiis restitutioni, prout libet intelligere *dict. leg. 10.* Et confirmatur ex eo, nam si quis receperit aliquid ex simonia, ad libitum nequit facere eleemosynas, 50

sed

ſed neceſſariò tenetur dare pauperibus, aut in aliquod opus pium convertere, quia ex prohibitione legis non tranſit dominium ad accipientem, Tapia *dict. art. 6. n. 4.* Ergo in ſimilibus ludis, in quibus lex prohibet translationem dominii ad lucrantem, ex lucro eleemoſynam facere non poterit, Villalobos *d. difficult. 2. num. 2.* Azorius *dict. cap. 22. q. 3.* Valdes *d. q. 8. verſ. De acquiſitione.*

51 Eſt verò dubium, an quando bona confiſcantur ipſo jure, ſtatim ac committitur delictum, delinquens ex illis bonis ipſo jure confiſcatis poſſit dare eleemoſynam? Prima ſententia negat; nam quando confiſcatio bonorum fit ipſo jure, nequit delinquens alienare, nec donare illa bona, *l. Ex judiciorum 20. §. Adeo, ff. de accuſat. leg. Donationes in concubinam 31. §. fin. de donat. l. 4. tit. 2. par. 7. c. Cùm ſecundùm 19. de hæret. in 6.* Ergo nec eleemoſynas facere poteſt. Cæterùm ex alienis nequit fieri eleemoſyna; ſed quando confiſcatio fit ipſo jure, ſtatim dominium tranſit ad fiſcum à tempore commiſſi delicti, Surdus *de Aliment. tit. 8. privileg. 59. num. 7.* Menochius *conſ. 185. num. 8.* Gomez *var. tom. 3. cap. 2. num. 2.* Gratianus *diſcept. 54. num. 16.* Peregrinus *de jur Fiſci, lib. 5. tit. 1. num. 166.* Leſſius *de Iuſt. lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 64.* Ergo delinquens à tempore commiſſi delicti, quando confiſcatio fit ipſo jure, nequit eleemoſynas dare. Tenet cum Ledeſma Azorius *dict. cap. 12. quæſt. 4.*

52 Secunda ſententia tenet contrarium; nam iſte delinquens habet uſum, & poſſeſſionem ſuarum rerum, ſicut ante delictum; quapropter poteſt dare eleemoſynas, ſicut antequam delictum commiſerit, Bonacina *dict. q. 4. punct. 4. num. 23.* Filliucius *in Summa, tract. 28. cap. 4. quæſt. 32. art. 7.* Trullench. *dict. lib. 1. cap. 5. dub. 10. n. 1.* Diana *5. par. tract. 8. reſol. 40.*

53 Hæc difficultas poteſt evenire in crimine læſæ Majeſtatis divinæ, vel humanæ, in quo hæ confiſcationes, ſeu publicationes bonorum fiunt ipſo jure, *dict. cap. Cùm ſecundùm 19. de hæreticis in 6.* ubi DD. & ejus reſolutio pendet ab alia quæſtione, an tempore commiſſi ſimilis delicti tranſeat dominium bonorum delinquentis ad Fiſcum, ut obſervat Vi lalobos *dict. tract. 32. difficult. 6. num. 4.* Et aliqui dixerunt, ſtatim tranſire, *ex l. Commiſſa 14. ff. de Publician. leg. fin. Cod. ad legem Iul. Majeſt.* ubi dicitur, quod ſi poſt commiſſum delictum læſæ Majeſtatis deliquens bona alienaverit, Fiſcum habere rei vindicationem, quæ nequit Fiſco competere, niſi dominium ad illum fuerit translatum. Sed hoc argumentum recipit reſponſum; nam jura illa ſunt intelligenda conditionaliter, ſcilicet ſi ſententia fuerit ſequuta, ut explicat Amaya *in dict. l. 1. C. de jure Fiſci, à num. 57.* Unde conſtat, nihil certum probare illa jura, niſi quod ſententia ſequuta poſt delictum, tranſeat dominium illorum bonorum ad Fiſcum.

54 Quapropter aſſerendum, à tempore commiſſi delicti dominium ad illum non tranſire, ſed remanere apud delinquentem, donec ſententia ſequatur, *ex leg. Quæſitum 15. ff. Qui, & à quibus*, ibi: *Quoniam ante ſententiam dominus eſt*, Santarellus *de hæret. quæſt. 2. dub. 1. num. 2.* Farinacius *de Hæret. quæſt. 190. §. 1. num. 5.* Sanchez *in Decalog. lib. 1. cap. 22. num. 3.* Unde ſequitur, admittendam eſſe ſecundam ſententiam aſſerentem, delinquentem poſſe dare eleemoſynam à tempore commiſſi delicti, niſi ſententia ſaltem declaratoria fuiſſe ſubſequuta. Cæterùm alienationes hoc tempore factæ mero jure ſuſtinentur, Sanchez *dict. cap. 22. num. 50.* & tunc delinquens habet poſſeſſionem, & adminiſtrationem, ut cum pluribus probat Barboſa *in dict. cap. Cùm ſecundùm 19. à num. 15.* Ergo eleemoſynæ eo tempore factæ debent ſuſtineri, Coninch *de Charit. diſp. 17. dub. 1. num. 63.*

CAPUT XII.

Quæ ſint perſonæ capaces eleemoſynæ.

SUMMARIUM.

Omnibus danda eſt eleemoſyna, num. 1. Sed ſecundùm ordinem charitatis, & quis ordo tenendus ſit, num. 2.

Defunctus præferendus vivo, niſi extremè indigeat, num. 3. Ubi etiam de aliis perſonis.

Rejicitur error Vvicleffi aſſerentis, infidelibus non eſſe dandam eleemoſynam, n. 4.

Et eſt danda hæreticis, num. 5. Et excommunicato, numero 6.

Eleemoſyna an dari poſſit laborare valenti? Et debet dari Religioſis, contra Vvicleffum, n. 7. & 8.

Religioſi Mendicantes poſſunt petere eleemoſynas, ubi habent Conventus, & extra, demonſtrata licentia ſuorum Superiorum, & nequeunt impediri ſub excommunicationis pœna. Fratres de Obſervantia poſſunt petere eleemoſynas, ubi adſunt Conventus, & extra, ex lege Regia, n. 9.

Eleemoſyna non eſt danda otioſis pauperibus valentibus laborare, n. 10.

Sunt enim relegandi, aut labori publico mancipandi, numero 11.

Explicatur Chryſoſtomus homilia 36. *& lex* 40. tit. 5. p. 1. *n. 12. Exhortantur Prælati, n. 14.*

Pauperes extra proprium oppidum nequeunt petere eleemoſynas, num. 15.

An meliùs ſit pauperes ponere in hoſpitio, quàm ſinere vagos mendicare, Aliqui dicunt, vagos relinquendos, n. 16. Alteri negant, num. 17. Defenditur hæc ſententia, n. 18.

An pauperes ficti teneantur reſtituere acceptas eleemoſynas; Negant aliqui, n. 20.

Alii autem affirmant, nu. 21. Alteri verò diſtinguunt, n. 22. Reſolvitur, à n. 23. Defenditur ſecunda ſententia, n. 24. & 25.

Sed cui reſtitutio facienda eſt: Referuntur variæ ſententiæ, à n. 26. Reſolvitur, n. 27. & 28.

Qui habent congruam ſuſtentationem, verùm de proximo neceſſitatem timent, rectè recipiunt eleemoſynam, num. 29.

Item qui habent filias nubiles: & de puella non habente congruam dotem idem dicendum, ibid.

Et extende ad filios habentes parentes pauperes, ſorores, vel fratres, quibus alimenta præſtare tenentur, num. 30.

Peregrinis danda eſt eleemoſyna, ſed non debent vagari, num. 31.

Forenſibus pauperibus danda eſt eleemoſyna, ex cauſa tamen poſſunt à civitate expelli, n. 32.

ILla ſanè regula generalis eſt, eleemoſynam omnibus eſſe concedendam, quando ea indigent, & quatenus neceſſitate premuntur, ſive Fideles, ſive Infideles ſint, ſive amici, ſive inimici; id enim charitas petit, ut omnibus egenis ſuccurramus, & obſervatum invenimus apud veteres Chriſtianos, non ſolùm aliis Fidelibus ſubvenientes, verùm ethnicis, ut expreſſit Tertullianus *in Apolog. c. 15.* & hoſtis adverſus Chriſtianos juratus. Julianus Apoſtata teſtatur *in epiſt. ad Artacium*, ibi: *Galilæi non ſuos modo, ſed noſtros quoque alunt*, Sozomenus *lib. 5. Hiſt. cap. 15.* Idcircò hanc regulam admittunt Bonacina *dict. diſp. 3. quæſt. 4 punct. 6. propoſit. 3. n. 18.* Paulus Rubeus *pract. reſolut. cap. 72. nu. 65.* Leoncillus *2. par. privil. 115. n. 13.* 1

Verùm licèt omnibus danda ſit eleemoſyna, attamen charitas habet ordinem, ut meliùs exerceatur: idcircò *in Cant cap. 2. verſ. 4.* ait Sponſa: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Ubi plures Patres congeſſit Serlogus *veſtigat. 20. ſect. 1. cap. 2. verſ. 4. & 5. nu. 23.* quapropter in danda eleemoſyna, per quam amor proximi exercetur, & inſimul Dei, ordo eſt ſervandus, uti noſter Alphonſus ſcripſit *in l. 7. tit. 23. par. 1.* Unde in eleemoſyna valdè egenus præferendus eſt illi, qui non eſt in tam urgenti neceſſitate, Gloſſa *in c. Si quis, 90. diſtinct.* Senex debilis præfertur juveni, dignior digno, pauper nobilis ignobili, invalidus ſano, Surdus *de Aliment. tit. 1. quæſt. 93.* Gratianus *diſcept. cap. 22. nu. 25.* Trullench *in Decalog. lib. 1. c. 5. dub. 11. n. 1.* Fidelis præferendus eſt infideli, & potiùs eleemoſyna danda eſt bonis, quàm malis; non tamen ad excludendos malos quærenda ſunt peccata occulta, ut cum Filliucio notat Trullench *dict. c. 5. dub. 10. n. 5.* Villalobos *1. par. tract. 22. difficult. 7. n. 1.* Bellarminus *de bon. oper. lib. 3. c. 12. litt. B,* Valdes *de Eleemoſyna, 3. par. fol. 72. verſ. Si autem omnibus*, Fuſcus *de Viſit. lib. 1. cap. 30. n. 9.* 2

Cæterùm, ſi vivus extremè, aut quaſi indigeat, præferendus eſt defunctis, quia ſalus ejus periclitatur: quod 3

peri-

periculum non habet anima in Purgatorio. Aliàs autem semper est præferendus defunctus, quia majori necessitate urgetur, Villalobos *dict. difficult. 7. num. 2.* quare *num. 3.* asseruit, magis esse meritoriam eleemosynam pro animabus Purgatorii, Trullench *dict. cap. 5. dub. 10. num. 5.* Valdes *d. §. 3. fol. 76. vers. Item si.* Sunt etiam præferendi amici, & domestici benemeriti aliis pauperibus, parentes naturales spiritualibus, Azorius *2. par. lib. 12. cap. 13. à quæst. 1.* Pater, & filius, si sint in extrema, anteferendus est pater; si mater, & pater, præferendus est pater; parentes præferendi sunt uxori, uxor propinquis, propinqui extraneis, vicini advenis. Debitor debet præferre creditorem: ac denique est præferendus Princeps, aut alia persona necessaria Reipublicæ, Trullench *dict. dub 11. num. 2.* Villalobos *dict. difficult. 7. num. 1.* Becanus *de extern. act. charit. cap. 21. num. 22.* Gregorius *in dict. l. 7. tit. 23. part. 1. verbo Parentes*, Barbosa *in Repert. posthum. verbo Eleemosyna.*

4 Ex dictis Vvicleffi error est reiiciendus, apud Vvaldensem *lib. 2. de Doctrin. cap. 81* asserentis, eleemosynam non esse dandam infidelibus, nec hominibus impiissimis. Et autem ad id locus *Ecclesiast. cap 12.* ibi: *Da misericordi, & ne suscipias peccatorem. Benefac humili, & non des impio.* Qui quidem intelligendus est, ne demus eleemosynam impio, ut foveatur in peccato, vel quando peccat in ipsa receptione eleemosynæ; aliàs verò rectè conceditur, quia peccatores indigent sustentatione naturæ: hæc autem sustentatio bona est, imò & necessaria ex obligatione juris naturalis; quapropter est objectum misericordiæ, & rectè peccatoribus indigentibus eleemosyna conceditur, ut cum S. Thomas observat Tapia *dict. lib. 3. quæst. 4. art. 7. n. 2.* Suarez *de Charit. disp. 7. sect. 1. n. 5.* Bellarminus *d. lib. 3. cap. 13. per tot.* Becanus *d. cap. 21. à nu. 20.*

5 Hæreticis extremè indigentibus, vel quatenus homines sunt, & necessitate premuntur, eleemosyna est concedenda; nam licèt incapaces sint alicujus donationis, ita ut si ignarus aliquis eis aliquid concesserint, possint hæredes repetere, aut si sciens donaverit, ad Fiscum pertineat, Simancas *de Catholicis Inst. tit. 46. num. 56.* Azorius *Inst. Moral. 1. p. lib. 5. cap. 8. q. 1.* Ast eleemosyna benè hæreticis indigentibus conceditur, ob rationem numero antecedenti scriptam, ut cum Azorio docet Sanchez *in Decalog. lib. 2. c. 14. num. 39.* Unde si hæretico alimenta relinquantur, licèt alia bona publicentur; non tamen quatenus sunt necessaria ad ejus alimoniam auferuntur, *l. Is cui 11. ff. de cib. & aliment. legat.* Surdus *de Aliment. tit. 8. privil. 59. num. 14.* Sanchez *d. cap. 14. nu. 42.* Leoncillus *de privileg. pauper. 2. p. privileg. 115. nu. 15.*

6 Quod idem dicendum de excommunicato, quia licèt communione Fidelium privetur, non verò ab hac pia communione ita excluditur, quin in necessitate per eleemosynam succurratur, *c. Quoniam 103. 11. q. 3. c. Quàm pio 2. 1. q. 2. cap. Non æstimamus 14. qu. 2.* Leoncillus *d. privileg. 115. nu. 16.* Quod idem dicendum de Judæis, Mascardus *de Judæis, 1. par. cap. 7.* Natta *conf. 620. n. 12.* Gratianus *discept. 628. nu. 35. cap. 842. nu. 28.*

7 Deindè disquirendum, an eleemosyna dari possit iis, qui possunt laborare? Et in hac disquisitione Religiosi in primis sunt adducendi, quibus eleemosynam præbere illicitum asseruit Vvicleffus. Nam cùm sit opus perfectionis manibus laborare ad victum quærendum, *Act. Apostol. c. 20.* D. Paulus *1. ad Thessal. cap. 2. & 1. ad Corinth. c. 4.* inde est, ut ad laborem teneantur, utpotè tendentes ad perfectionem, nec eis danda est eleemosyna, nec rectè percipiunt, nec mendicant, ut tenent alii hæretici apud Bellarminum *de Monachis, lib. 2. cap. 45.*

8 Sed contrarium tenendum est de Fide, & definitum in Concilio Constantiensi *sess. 8.* probantque quamplurimæ Bullæ confirmantes Religiones Mendicantium, concessæque ab Innocentio III. Honorio III. Gregorio IX. Innocentio IV. Nicolao IV. & à Joanne XXII. Cæterùm, nam licèt sit opus perfectionis laborare propriis manibus, quod & prisci Monachi laudabiliter observarunt, vel ad victum quærendum, vel ad vitandum otium, ut cum Cassiano, & aliis probat Lantmeter. *de vet. Cleric. & Monach. vict. 2. p. lib. 2. cap. 6.* Attamen non minùs laudabiliter hodie Religiosi contrarium observant, cessando à labore, ob plurima exercitia spiritualia, quibus vacant, & eleemosynis aluntur, ut benè differunt Bellarminus *dict. cap. 45.* Lantmeter. *dict. cap. 6.* Castro *de Hæresibus, verbo Eleemosyna, & verbo Labor, & Mendicitas*, Turrianus *disput. 85. dub. 2.* Vasquez *de Eleemosyna, cap. 3. dub. 1.* Cruz *de Stat. Relig. lib. 1. cap. 7. dub. 1.* Sanchez *tom. 2. Decalog. lib. 7. cap. 24. num. 6.* Tapia *dict. quæst. 4. art. 7. numer. 3.* Qui id extendunt, non solùm ad eos, qui voluntariam paupertatem susceperunt per ingressum Religionis, verùm etiam extra, ut se traderent exercitiis spiritualibus, verbi gratia S. Alexius, D. Franciscus, & D. Ignatius in initio suæ conversionis, Tapia *dict. nu. 3.* Diana *dict. 5. part. tit. 8. resolut. 18.* Passerinus *de Stat. 2. tom. quæst. 187. art. 1. per tot.*

Unde Sacra Congregatio apud Barbosam *3. par. allegat. 169. num. 10.* censuit, Religiosos Mendicantes per teipsos, 9
ubi habent Conventus, eleemosynas quærere posse, nec Episcopus valet eis interdicere mendicitate; si tamen extra eas quæritare voluerint, suorum Superiorum licentiam Ordinario demonstrare tenentur. Tum alibi, 15. Septembris 1629. censuit Sacra Congregatio, non esse prohibendos Religiosos eleemosynas, & oblationes recipere inter Missarum solemnia, vertendo se ad populum, & confessionem generalem dicendo, Lezana *in Summa Quæst. Regul. tom. 1. cap. 9. nu. 45.* Præterea, si aliquis Ordinariorum, aut alii impediant per vim, vel dolum, ne eleemosynæ dentur Religiosis; tunc ipso facto excommunicationem incurrunt, ut ex Bullis tradidit Cruz *dict. cap. 7. conclus 2.* Trullench *dict. cap. 5. dub. 8. num. 22.* Patribus verò Franciscanis de Observantia, lege Regia concessum est, ut eleemosynas quærere possint, non solùm in locis ubi adsunt Monasteria, verùm in aliis, dum tamen non petant cum indulgentiarum publicatione, nec etiam quæsitoribus intervenientibus, *l. fin. tit. 9 lib. 1. Recopilat.* Quid verò quando Fratres sibi eleemosynam petunt? Id ex causa, & licentia Vicarii faciendum, *l. 13. tit. 12. lib. 1. Recopilat.*

Alteri verò mendicantes, qui possunt laborare, & ad fu- 10
giendum laborem, ostiatim mendicant per vicos, & plateas, nequeunt eleemosynas percipere, nec eis benè conceduntur. Ratio est, nam pauperibus aliis auferuntur rectè illas petentibus. Tum ex otio ad maxima vitia prolabuntur, ac denique sunt ut fures eleemosynarum, Turrianus *disp. 85. dub. 1.* Vasquez *dict. dub. 1 cap. 3.* Trullench *dict. cap. 5. dub. 10. n. 8.* Palao *d. tract. 6. disp... punct. 14. n. 1.*

Hinc pauperes isti otiosi, & vagabundi, sunt semper re- 11
legandi, aut quod melius, labori publico mancipandi, *l. un. Cod. de Mendicant. validis, lib. 11. leg. 40. titul. 5. par. 1. l. 4. tit. 2. part. 2. l. 1. tit. 11. lib. 8. Recopilat.* aut aliis laboribus Reipublicæ convenientibus, Petrus Gregorius *Syntag. lib. 39. cap. 6. num. 13.* Menochius *de Arbitrar. lib. 2. cent. 6. casu 331.* Decianus *tom. 1. crim. lib. 4. cap. 13.* Avendanus *de Exequen. 2. par. cap. 6. num. 2.* Bobadilla *lib. 2. Polit. cap. 13. à num. 27.* Peguera *decis. crim. cau. 4.* Solorzano *de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 25.* Fuscus *de Visit. lib. 1. c. 30. num. 9.*

Sed in specie contrarium scripsit D. Chrysostomus *ho-* 12
mil. 36. super Matth col. fin. cujus assertum explicatione indiget, nam ut noster Alphonsus *in l. 40.* decrevit: *E à estos tales por mayor derecho tiene la Santa Y glesia de los tirar el comer que gelo dar, perque ellos dexan de loganar, podiendolo facer.* Et ita etiam deciditur, *cap. Non omnis 5. quæst. 5. cap. Nimium 23. quæst. 4.* Glossa *in cap. 1. 82. dist.* Azevedus *in l. 1. tit. 11. lib 8. Recopilat. nu. 13.* Quapropter intelligendus est, quando ibi pauperes otiosi essent in extrema, aut gravi necessitate, & ad meliorem frugem reducerentur, ut explicat Alphonsus *in d. l. 40.* Et cum aliquibus *d. punct. 14. n. 2.* Trullench *d. dub. 10. n. 8.*

Aliter enim Chrysostomus valet intelligi, quando elee- 13
mosyna his otiosis concederetur, non ut in otio degerent, id enim fuisset eorum ruinam, & vitia alere; quia ut Seneca *epist. 86.* dixit: *Otium est sentina omnium malorum, noverca virtutum, & cujusvis hominis sepultura*, Chrysostomus *dict. homil. 36.* Simancas *de Republic. lib. 8. cap. 28.* Petrus Gregorius *lib. 39. cap. 6.* sed misericorditer pecuniæ eis darentur, ut aliquo officio edocerentur, aut ut coloni, seu agricolæ fiant; tunc enim rectè eis eleemosyna conceditur.

Quod utinam in Hispania omnes eleemosynantes effice- 14
rent, præcipuè Prælati Ecclesiastici, ut suas eleemosynas concederent ad tollendos vagos, & otiosos paupères; tum alios, qui tituio nobilitatis nolunt laborare, nec in bellis,

nec

nec in litteris, vel in rurali opere, quorum in Hiſpania infinitus eſt numerus, & totalis hujus Regni ruina. Unde Catullus:

Otium Reges priùs, & beatas perdidit urbes.

Dolendum maximè eſt, quod Imperium à majoribus noſtris religione, & virtutibus, armis, & tanto cruore acquiſitum, vitiis, otioſitate, ignavia, & infamia ferè deletum videamus. Ad rem Salluſtius *de bello Catilinæ*, ibi: *Nam Imperium facile his artibus retinetur, quibus ab initio paratum eſt. Verùm ubi pro labore deſidia, pro continentia, & æquitate libido, atque ſuperbia invaſere; fortuna ſimul immutatur cum moribus. Itaque Imperium ſemper ab optimo quoque ad minùs bonum transfertur.*

15 His peſsimis, & otioſis pauperibus noſtræ patriæ leges aliquod pharmacum adhibere conantur *in tit.12.lib.1.Recopilat.* In primis, ne pauperes debiles, ſenes, cæci, aut aliàs impediti, extra proprium oppidum eleemoſynas petant; idque de licentia Parochi, & Judicum illius, quam quotannis renovare tenentur. In his enim licentiis ſigna corporis ſunt apponenda, ne alii pauperes ſimilibus licentiis abutantur; aliaque utilia in eis legibus decreta ſunt, benè conſiderata, ſed malè obſervata, de quibus conqueritur, Simancas *de Republica*, *lib.8.cap-30.nu.9.*

16 Eſt tamen quæſtio, an magis conveniens ſit pauperes domi, aut in hoſpitio retinere, & alere ex pecuniis publicis, quàm vagos per Civitatem ſinere mendicare? Et aliqui cenſuerunt, melius eſſe eos ſinere liberè mendicare, nam difficillimè ad eos alendos eleemoſynæ jungerentur. Tum quia præſentes magis charitatem movent ad illis ſubveniendum, & pietas majori miſericordia exercetur, Sotus *dict.deliberat.in cauſa paup.cap.* 11. & 12. Vaſquez *de Eleemoſyna*, *cap.* 3. *dub.*4.

17 Alteri verò tenent in contrarium, prout decrevit textus *in leg.*19.*tit.*12.*lib.*1.*Recopilat.* & anteà ſcripſerat Plato *c.*3. *de legibus.* Et ratione probatur, quia magis homines pii moventur ad ſuccurrendum pauperibus domi, vel in hoſpitio retentis, qui nequeunt mendicare, prout videmus in hoſpitalibus, ubi conſideratis pauperibus infirmis, & nequeuntibus eleemoſynam petere, majori charitate opitulentur. Cæterùm, nam faciliùs creditur illos pauperes veros eſſe, qui in hoſpitio retinentur, quorum impedimenta, & languores fuerunt explorati ad eos recipiendos, quam vagos pauperes, qui ut plurimùm fictis vulneribus, & morbis ſuam neceſſitatem exaggerant, *leg.un. Cod. de Mendicant. validis*, ubi decernitur, magna cura pauperum morbos eſſe explorandos, Petrus Gregorius *dict. lib.* 39. *cap.* 6. *num.* 15. Bobadilla *dict.lib.*3 *cap.*13. *num.*32. ob ſimilia figmenta: quapropter magis eleemoſynantes moventur ex ſcientia veræ paupertatis ad præſtandas eleemoſynas, ſi pauperes domi, vel in hoſpitio detineantur. Denique mendici, & pauperes moleſtiam inferunt Reipublicæ, ſi liberè incedant, nec Eccleſias relinquunt, Miſſas, Sermones, & alia divina Officia perturbant, quamvis leges interdicant, *l.*16.*tit.*12.*lib.*1.*Recopilat.* Tribunalia, commercia, tabernas, vicos, & plateas ſuis obſervationibus, & vocibus moleſtant, & impediunt, non ſolùm ad eleemoſynas, ſed etiam aliqui ad ſtirpes quærendas, ita ut magis ad indignationem, quàm ad pietatem moveant. Quamobrem magis erit conveniens, ut aut domi, aut in hoſpitio retineantur, Petrus Gregorius *Syntag.lib.*15.*cap.*28.*à nu.*3. Bobadilla *lib.*2.*Polit.cap.*13.*nu.*32.

18 Hæc ſententia eſt magis conformis bono Reipublicæ regimini, & ideò admittenda à Gubernatoribus, ut quamplurimi ficti pauperes, & vagabundi ablegentur.

19 Hinc pauperes iſti otioſi, & vagabundi, nolentes laborare, & qui ſe fingunt pauperes, licèt interim quod neceſſitate urgentur, donec inveniant ubi laborent, poſſint recipere eleemoſynas: attamen ſi in otio permaneant, vel ſi ſe fingant pauperes, graviter peccant, ut cum Navarro notat Trullench *dict.lib.*1.*cap.*5.*dub.*10 *num*9. Villalobos 1.*part. tract.*22.*differ.*9.*num.*1. Diana 5.*par. tract.*8.*reſol.*21.*verſ. Nota.*

20 Sed an teneantur reſtituere eleemoſynas, quas acceperint, dubium eſt? Prima ſententia negat; nam finis dantis eleemoſynam eſt charitatem exercere, quæ quidem exercetur, etiamſi pauperi ficto eleemoſyna concedatur. Ergo non tenentur ad reſtitutionem. Et confirmatur, nam ſubſtantia actus ſuſtinentur; etiamſi error ſit in qualitate, *cap. Super litteris* 20. *de reſcript.* ubi ſcribentes. Cùm ergo ſubſtantia eleemoſynæ charitas, ſuſtinenda eſt, etiamſi in qualitate perſonæ erretur. Ita ex aliquorum doctrina refert Delugo *Reſp.Moral.lib* 6.*dub.*17. *nu.*1.

Secunda ſententia contrarium tenet; nam cauſa finalis 21
eleemoſyna eſt pauperibus ſuccurrere ad ſublevandam ejus neceſſitatem, quæ non adſit, quia pauper eſt fictus, donatio illa non ſuſtinetur, idcircò ſuſcipiens ad reſtitutionem tenetur, Navarrus *in Man.cap.*17.*num.* 107. Navarra *de reſtit.lib.*3.*cap.*1.*an.*267. Delugo *d.lib.* 6. *dub.* 17. Vaſquez *de Eleemoſyna*, *cap.*3.*dub.ult.* Trullench *d.dub.*10.*nu.*19. Villalobos *d.tract.*22.*difficult.*9. *nu.*2. Palao *d.punct.*14. *num.*5. Tapia *d.q.*4.*art.*8

Tertia ſententia diſtinguit, quando eleemoſyna eſt ma- 22
gna, & tunc inquit, pauperem fictum teneri ad reſtitutionem: ſecus ſi parva, & in his, quæ quotidie minutim fiunt, quia cùm parvæ ſint, tantùm propter Deum conceduntur, non habito reſpectu ad perſonam, ut cum Soto, Molina, & aliis docet Diana *d.*5.*p.tract.*8.*reſ.*21.& 8.*p.tract.*6.*n.* 109.

In hac difficultate dicendum, quod ſi aliquis eo animo 23
expreſſo dat eleemoſynam, ut non aliter daret, niſi recipiens pauper eſſet, ſine dubio teneri ad reſtitutionem, quia dominium ad recipientem translatum non eſt, Fernandez *in Examine*, 1.*par.cap.*16. §. 5. *à nu.*3. Si verò donans proſpiceret pauperis neceſſitatem, utpotè cauſam impulſivam, & non finalem, ita ut ſciens non eſſe pauperem, adhuc eleemoſynam daret, recipiens non tenetur ad reſtitutionem, ut eſt textus *in l.*2.§.*fin ff.de donat.* Navarrus, & Villalobos nuperrimè allegati.

Erit ergo dubium, quando animus non demonſtraretur, 24
verùm tantùm voluntas tenderet ad faciendam eleemoſynam. Et tunc admitto ſecundam ſententiam; nam animus dantis eſt capiendus ab actus natura: aſt ex natura eleemoſynæ, & cauſa finali illius, eſt ſublevare pauperem indigentem, licèt motivum ſit charitas, Sanchez *de Matrim.lib.*7.*diſp.*18.*num.* 24. Vaſquez *de Eleemoſyna*, *cap.* 3. *dub. ult. num.* 15. Ergo animus dantis eſt non transferre dominium eleemoſynæ, niſi recipiens verè pauper ſit. Ergo recipiens tenebitur ad reſtitutionem. Cæterùm licèt donationes gratuitæ diſtinguantur à contractibus oneroſis, attamen ſi in donatione adſit dolus, aut circa ejus motivum, vitiatur donatio, ut optimè notat Delugo *de Juſt. tom.*2. *diſp.*21.*ſect.*7.*nu.*69.& 89. Cùm ergo in præſentiarum adſit dolus circa motivum eleemoſynæ, nempè circa indigentiam potentis, inde eſt ut vitietur, & recipiens teneatur ad reſtitutionem Denique quia eleemoſyna illa ſuſcipit tacitam conditionem, ſi pauper ſit: Ergo ea deficiente conditione, inde eſt, ut recipiens teneatur ad reſtitutionem, Cruz *in Direct* 1.*p.præcept.*5. *act.*4.*dub.*2. *concluſ.*4.

Quod non ſolùm intelligas quando eleemoſyna magna 25
eſt, verùm etiam in eleemoſynis minutis, & quæ oſtiatim petuntur; quia cùm plures ſint, in magnam quantitatem perveniunt, ut benè notat Villalobos *dict. diff.*9.*nu* 3. Si tamen aliqua eleemoſyna parva ſit, & ad plures non collimet, ex parvitate ab obligatione reſtituendi ſuſcipiens liberabitur.

Sed adhuc reſtat difficultas, cui facienda eſt iſta reſti- 26
tutio. Et aliqui dixerunt, danti eſſe faciendam. Ita Sotus, Granados, Turrianus, & alii apud Dianam 5. *par. tract.*8. *reſolut.*22. Alii dicunt faciendam pauperibus veris, Villalobos *dict. difficult.* 9. *num.* 4. Trullench *dict. dub.*10. *num.* 10. Alteri dicunt, ſufficere reſtituere, ſive danti, ſive pauperibus, quia utraque ſententia eſt probabilis, Vaſquez *d.dub.ult.num.*24. Diana *dict. reſol.* 22 Palao *d.punct.* 14.*nu.*7.

Aſt dico, quod ſi magna ſit eleemoſyna data pauperi 27
ficto, danti eſſe reſtituendam, nec ſufficiet fieri pauperibus; nam in his eleemoſynis magnis conſideranda eſt aliqua affectio ad perſonam, cui datæ ſunt, inſimul cum paupertate, quæ ad magnam illam eleemoſynam excitavit animum concedentis: quæ quidem qualitas in aliis pauperibus non invenitur, idcircò reſtitutio facienda eſt danti, non verò aliis pauperibus, in quibus ſimilis affectio non conſideratur. Prætereà, ut dictum eſt, dominium rei donatæ remanſit apud dantem; ſi enim magna ſit, non facilè alia donatio ad alios pauperes eſt præſumenda, *l.Cùm de indebito* 23.§. *Si verò*, *ff.de probat. l. fin. de donat.* Marius Ant. *var. lib.*2. *reſolut* 23. *num.* 11. Gratianus *diſcept. cap.* 824. *num.* 7. Ergo neceſsariò eſt danti reſtituenda, non verò aliis pauperibus.

Si

28 Si verò parva ſit eleemoſyna, probabilitrer ex voluntate dantis poterit fieri reſtitutio aliis pauperibus; credendum eſt enim, velle dantem tam parvam quantitatem datam ex charitate, propter Dei amorem, aliis pauperibus elargiri, quapropter rectè eis ex probabili præſumptione fit reſtitutio. Vaſquez *d. dub. ult. n.* 24.

29 Qui verò habent congruam ſuſtentationem, verùm de proximo neceſſitatem timent, rectè eleemoſynas ſuſcipiunt; quia quod de proximo expectatur, præſens cenſetur, *l.* 2. *C. de tranſact.* ubi Padilla, & Barboſa *num.* 5. Sicut de lite dicimus, quæ ſi de proximo ſperatur, præſens dicitur *d. l.* 2. *l.* 4. *tit.* 22. *lib.* 4. *Recopilat.* Bujacius *lib.* 9. *obſervat.* 24. Mohedan. *deciſ.* 1. *de tranſact.* quamobrem poterit petere eleemoſynam, ut ſi jam neceſſitate præmeretur. Delugo *d. lib.* 6. *dub.* 17. *nu.* 4. Idem dicendum de habentibus neceſſaria, verum qui habent filias nubiles, quas præcisè dotare tenentur; hi enim rectè eleemoſynas percipiunt. Mandellus *conſ.* 67. *num.* 7. Vivius *deciſ.* 454. *nu.* 5. Giurba *in conſuet. Miſſanenſ. cap.* 2. *gloſſ.* 12. *à nu.* 23. Diana 2. *part. tract.* 1. *reſol.* 18. Similiter dices de puella habente neceſſaria ad victum, ſi non habet congruam dotem ad ſui ſtatus conditionem, ut cum Bart. & aliis tradit Velaſco *de Privil. paup.* 1. *p. quæſt.* 4. *n.* 43.

30 Id extendendum ad filios habentes ſibi neceſſaria, qui ſi habeant parentes neceſſariò alendos, & ad id non habeant, poſſunt eleemoſynas ſuſcipere. Delugo *d. dub.* 17. *nu.* 5. Diana *de reſ.* 8. *verſ. Ex his apparet.* Itidem ſi habeant ſorores, aut fratres, quibus alimenta præbere tenentur. Delugo *d. num.* 5. Similiter Clericus obtinens tenue beneficium, qui nequit alere ſuam familiam; hi enim omnes pauperes ſunt, & rectè eleemoſynas percipiunt. Dueñas *regul.* 71. *verſ. Ultra quas*, Velaſco *d. quæſt.* 4. *nu.* 50. Delugo *d. dub.* 17. *n.* 5.

31 Peregrinis etiam eſt danda eleemoſyna, rem enim licitam exercent, & laudabilem, *cap. Si quis* 23. 24. *quæſt.* 3. *cap. un. de Clericis peregrin. in* 6. *l.* 1. & 2. *tit.* 24. *part.* 1. Sed eſt textus Regius *in l.* 27. *tit.* 12. *lib.* 1. *Recopilat.* decernens peregrinos vagari non debere per diverſa loca, ultra quatuor leucas à recta via peregrinationis: quam legem, & alias illius tituli, cenſerunt ex faſtidio pauperum conditas eſſe, prout exiſtimavit Sotus *de delib. in cauſ. paup. cap.* 7. Vaſqu. *d. cap.* 3. *de eleemoſyna, dub.* 3. Aſt viri illi ſapientiſſimi, qui Peregrinorum plurium inſolentiam, & otioſitatem non agnoſcebant, leges illas rigidè adnotarunt. O utinam Magiſtratus zelo illas cuſtodirent, & exequerentur, unde quamplurima mala adverterentur.

32 Forenſibus an danda ſit eleemoſyna? Negare videtur Concilium Turonenſe II. *can.* 4. ubi ſtatutum eſt, ut quælibet civitas, aut oppidum ſuos alat pauperes, & ad id Preſbyteri, & laici concurrant. Sed tamen licèt decretum illud tam neceſſarium ſit, ſi tamen aliqui forenſes pauperes ſint, eis eſt danda eleemoſyna, nec aliquo modo licere à civitatibus eos expellere, ſcripſerunt Sylvius *ad* 2. 2. *quæſt.* 31. *art.* 9. *verſ. Quæritur*, Lorca *ibid diſp.* 37. *ſect.* 31. *art.* 9. Quorum doctrina admittenda eſt, ſi non adſit cauſa, nempe quando civitas fame laboraſſet; nec illis, nec domeſticis pauperibus valet ſubvenire: vel quando forenſes pauperes morbos afferrent, aut quando in otio computreſcunt, unde ad vitia perveniunt, & illis expulſis laborarent; tunc enim rectè rejiciuntur. Bonacina *d. diſp.* 3. *quæſt.* 4. *punct.* 6. *propoſit.* 3. *num.* 19. Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *nu.* 3. Trullench. *dict. dub* 10. *nu.* 8. Diana 5. *part. tract.* 8 *reſol.* 36. Valdes *de Eleemoſyna*, 3. *part fol.* 80. *verſ. Quartò quæritur.*

CAPUT XIII.

De quæſitoribus Eleemoſynarum.

SUMMARIUM.

Olim facilè Quæſitores elemoſynarum concedebantur. Hodie interdicuntur, à n. 1. & 2.

Contra hęc Decreta facientes poſſunt puniri à Iudice Eccleſiaſtico, vel laico, n. 4.

Si delinquens fuerit Clericus captus in delicto, valet à Iudice laico deprehendi, & mitti ad Eccleſiaſticum, n. 5. *Sed explicatur hæc doctrina, à n.* 6.

Quæſitores non abſolutè prohibentur, ſi habeant juris re-

quiſita, numer. 10. *Quapropter ad cauſam neceſſariam poſſunt dari à Papa, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, numero* 11. *Ubi etiam requiſita recenſentur.*

In Caſtella ultra deputationem Ordinarii, requiritur Supremi Senatus licentia, & ſi adſint indulgentiæ, ultra examen Ordinarii, etiam illud Commiſſarii Generalis Cruciatæ requiritur, num. 12. *An jus petendi eleemoſynam poſſit locari? Aliqui affirmant, num.* 13. *Sed non admittuntur, n.* 15.

Fratres Mendicantes non ſolum per ſe poſſunt petere eleemoſynas, ſed per alios, num. 16. *Et abſque licentia Ordinarii, n.* 18.

An petens eleemoſynam pro aliqua imagine, poſſit de eleemoſynis vivere? Diſtinguitur, & negatur. Admittitur quando ex licentia ſuperioris aliquis peteret, num. 19.

Sed non ſunt dandæ ſimiles licentiæ laborare valentibus, num. 20. *Ubi de petentibus ad pauperes verecundos, num.* 21.

QUęſitores eleemoſynarum olim facilè concedebantur unde ad plurimos abuſus pervenerunt, jam falſa prędicantes, jam ementitas indulgentias publicantes, & Bullas Summorum Pontificum in grave animarum diſpendium, ac tandem alia delicta perpetrantes, quorum meminit Navarrus *de Iubilæo, not.* 31. *nu.* 46. Quare Sacri Canones tanto morbo medelam applicarunt. Innocentius III. *in cap. Tuarum* 11. *de Privilegiis*, quæſitores eleemoſynarum falsò ſignum Crucis ferentes excommunicavit, ſi laici ſint, ſi verò Clerici, ab officio, & beneficio ſuſpendit, *in cap. Cùm ex eo* 14. *de Pœnit. & remiſſ.* Decretum eſt, minimè quæſitores iſtos eſſe admittendos abſque Litteris Apoſtolicis, aut Diœceſanorum, nec ultra quàm in ipſis Litteris continetur, populis proponant. 1

Eoſque ſimiliter inſtruit, ut ſequitur: *Qui autem ad quærendas eleemoſynas deſtinantur; modeſti ſint, & diſcreti, nec in tabernis, nec in aliis locis incongruis hoſpitentur, nec inutiles faciant, aut ſumptuoſas expenſas, caventes omnino, ne falſæ Religionis habitum geſtent.* Idem decernitur *in Clement.* 2. *de Pœnit. & Remiſſ.* additurque, Litteras Apoſtolicas eſſe examinandas à Diœceſanis. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 5. *de R format. cap.* 2. *in fin.* his quæſitoribus prædicare interdixit, & latiori decreto *ſeſſ.* 21. *de Reform. cap.* 9. eos penitus delevit, & derogat Privilegiis Eccleſiaſticis ad id conceſſis Monaſteriis, & Hoſpitalibus. Tandem Pius V. *in ſua conſtitut.* 99. 4. *Non. Ianuarii* 1590. revocavit indulgentias, in quibus continebatur facultas quæſtuandi. Et *in conſtitut.* 30. quæſtuandi prohibitionem indixit, & quæſtores deputandi. Zerola 1. *part. verbo Quæſtores, nu.* 1. Barboſa *de offic. Epiſcopi* 3. *p. alleg.* 109. *num.* 4. Fagnanus *in cap. Tuarum* 11. *de Privilegiis, n.* 2. & 3. & *in c. Cùm ex eo, de Pœnit. & Remiſſ. à n.* 1. 2

Hæc autem Decreta, atque alia, quæ rectiſſimè à noſtris Pontificibus concinnantur, hæretici calumniantur. Nec miror, cùm ſimiles quæſtores, & prædicatores graviſſimos errores, & hæredes ſeminaverint, unde ad illas diſfundandas apertiſſimus adeſt aditus. Refellit Bellarminus *de Indulgent. lib.* 2. *cap.* 20. §. *Igitur.* Quamobrem Concilium optimè eos oblevit. Explicant Navarrus *de Orat. miſcell.* 66. *num.* 2. Avendañus *de exequend.* 2. *cap* 30. Riccius *in Praxi for. deciſ.* 290. *nu.* 2. Trullench *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 10. *num.* 4. Enriquez *in Summa, lib.* 7. *cap.* 29. Palao *Oper. Mor. tom.* 1. *tract.* 6. *diſput.* 2. *punct. ultim. à n.* 1. Fuſcus *de Viſit. lib.* 1. *cap.* 30. *n.* 36. 3

Si tamen aliquis contra hæc Decreta delinquerit, etiamſi laicus ſit, poterit ab Epiſcopo puniri, *cap. Tuarum* 11. *de Privileg.* ubi Abbas *num.* 1 quia ſi prædicat, res ſacra eſt, circa quàm delictum perpetrat; ſi verò tantùm petat eleemoſynam, pia eſt cauſa, de qua etiam cognoſcit Epiſcopus. Zerola *ubi ſupra, num.* 1. Decius *conſ* 276. *nu.* 1. Barboſa *d. alleg.* 109. *num* 12. Quod etiam fieri poterit à Iudice laico, ſi præveniat, & delinquens ſit in ſuo territorio, *ex cap. Ex litteris* 10. *de exceſſib. Prælat.* D. Gonzalez *in cap. Ex eo, de Pœnit. & Remiſſ. nu.* 2. *ad finem*, Aviles *in cap. Prætorum* 51. *num.* 2. qui etiam Litteras examinant. Pereyra *de manu Regia*, 2. *part. cap.* 76. D. Gonzalez *ubi proximè*. In hoc enim inſigni Archiepiſcopatu, etiam ex delegatione ſui Præſulis contra quæſitores procedunt 4

Vicarii, & Curiones, prout decrevit Conſtitutio 16. *de Pœnit. & remiſſ.*

5 Verùm in re libet examinare doctrinam Aviles, *ubi proximè, num.* 1. dicentis, quod ſi quæſitor fuerit Clericus, ſi verò excedat, vel falſus fuerit, poterit capi à Judice laico, & ad Eccleſiaſticum remitti. Et probatur, nam quoties Clerici in delicto comprehenduntur, rectè à laico Judice capiuntur, & ad ſuum Superiorem remittuntur: id enim eſt quædam defenſio, ne in delictis procedant, tum ne fugiant, & à Judice proprio coerceantur. Pereyra *de manu Regia*, 1. *part. cap.* 19. *num.* 6. Oliva *de for. Eccleſiæ*, 2. *part. quæſt.* 22. Belletus *diſquiſit. Clerical.* 1. *part. tit* 3. §. 11. *n.* 1. Olivanus *de jure Fiſci*, *cap.* 14. *nu.* 140. Farinacius *in praxi crim. quæſt.* 21. *nu.* 140. Salgado *de Regia Protect.* 2. *p cap.* 4. *n.* 13. Delbene plures referens *de Immun. cap.* 9. *dub.* 7. *à num.* 1. Quod idem eſt dicendum, quando Clericus falſus eleemoſynarum quæſitor reperiatur, quia in delicto comprehenditur.

6 Hoc tamen fundamentum ſolidum omninò non eſt, quia licèt ipſi Doctores, & alii relati à Barboſa *in cap. Ut famæ* 35. *de ſentent. excommunicat. num.* 5. Bonacina *de legibus*, *diſput.* 10. *quæſt.* 2. *punct.* 1. §. 1. *nu.* 22. teneant illam ſententia: attamen alii illam rejiciunt. Megala *in* 3. *part. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 7. Souſa *in Bull. cap.* 16. *diſput.* 82. *n.* 8. & alteri cum quibuſdam limitationibus admittunt, ut cum Campanilo notat Barboſa *in cap* 2. *de Vit. & honeſt. Cleric. num.* 7. Diana 1. *part. tract.* 2. *reſol.* 10. & 11. Delbene *dict. dub.* 7. *à num.* 6.

7 Verùm in re, quando Clericus in fragranti delicto capitur à Judice laico, non ita acriter debet procedere, prout exiſtimat ſententia aſſerens abſolutè, à Iudice laico ſtatim capi poſſe, & ad ſuum Superiorem remitti. Id erit ad praxim adducendum, quando aliter peccatum nequit tolli, aut turbatio Reipublicæ; vel quando eſſet perſona, de cujus timeretur fuga, & per eam impunitam remanſuram, ita ut urgentiſſima ſit cauſa capturæ; alias minimè eſt admittenda illa ſententia, ſed debet cauſa denuntiari ſuperiori Eccleſiaſtico, ut procedat. Probatur, nam nullus eſt textus, qui hanc capturam, etiam in fragranti concedat Iudici laico: Ergo niſi cauſa urgentiſſima exiſtente, ita ut ſit pura defenſio, nequit fieri à Judex laico; aliàs ſemper Judex laicus exerceret propriam juriſdictionem adversùs Clericum, quod omni jure execratum, *cap.* 2. *d. Iud. cap. Si diligenti* 17. *de for. compet.* ubi DD.

8 Prætereà captura illa ad illud eſt neceſſaria, ut Clericus neminem lædat, aut ſi læſerit, ſatisfactionem præſtet, & inſimul coerceatur; ſi enim hoc fieri valet abſque captura, quia eſt perſona, quæ ad culpam non procedit, nec timetur de ejus fuga, ceſſat ratio capturæ: Ergo nequibit Iudex laicus, etiam in fraganti Clericum capere, ut ad ſuperiorem remittat. Denique Iudex laicus reſpectu Clerici conſideratur ut privata perſona, quia in eum nullam habet juriſdictionem ex juribus vulgaribus. Privatus verò ad ſui defenſionem valet ligare Clericum, quando aliter nequit defendi. Clarius *in praxi*, §. *fin. quæſt.* 77. *verſ. Sed quæro*. Salzedo *ad Bernardum*, *cap.* 132. *lit. D.* Ergo ſi Judex laicus alio modo, ſine captura, poteſt obviare delicto Clerici, & valet à Superiore compeſci, nequit illum capere, & remittere ad Superiorem; quod multoties faciunt laici cum gravi ſcandalo, & ignominia totius ſtatus Clericalis; quapropter ad capturam Clerici, etiam in fragranti Iudex laicus non procedet. Marta *de juriſdictione*, 4. *part. cent.* 1. *caſu* 42. *num.* 18. Diana 5. *part. tract.* 1. *reſol.* 22.

9 Unde doctrina Aviles non eſt ad praxim abſolutè trahenda, ſed quando Clericus quæſtuarius aliter compeſci non valet, nec à Superiore puniri; quod proſpiciet diſcretus Judex, cum quæſitores ferè ſint Vagabundi, mendaces, & peſſimi, quibus rarò eſt parcendum, quin rigidè adversùs eos procedendum. Aſt illud cum Navarro *de Iubileo*, *not.* 31. *num.* 46. advertant Iudices quod ſimiles quæſitores, ut ex ſuggeſto prædicent in municipiis à ſuis terris longè diſtantibus, Sacris Ordinibus initiatos ſe fingunt, Coronam portant, & pileo rotundo impoſito, Doctores ſe ſimulant, qui fortè coniugati ſunt, aut nec prima Tonſura inſigniti; quare non ſunt facilè Clerici credendi, ſed diligenter examinandi.

10 Deinde, ex dictis non credas, quæſitores eleemoſynarum omninò prohibitos eſſe, dummodò enim ſint honeſti, providi, ſobrii, & ex juſto titulo deſignati ad cauſam piam, à Concilio non prohibentur. Bonacina *de cenſur. extra Bull. diſput.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 30. *propoſit.* 1. *num.* 9. Barboſa *in Bullar verb. Eleemoſyna*, *num.* 4. & *allegat.* 109 *num* 3. Palao *dict. diſput.* 2. *punct. ult. num.* 4. Fuſcus *d. cap.* 30. *num.* 36.

Hanc ob rem, ad cauſam piam conſtruendam, veluti 11
Eccleſiarum, aut Monaſterium, quæſitores eleemoſynarum recto decernuntur vel à Summo Pontifice, vel ab Archiepiſcopis, vel Epiſcopis; unuſquiſque in ſua Diœceſi. Archiepiſcopus verò pro Fabrica Eccleſiæ Metropolitanæ quæſitores mittere poterit per totam provinciam ſuam. Barboſa *de Univerſ. jur. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 78. Verùm in re aliqua ſunt obſervanda. Primò, ut quæſitores ſint honeſtæ vitæ, & opinionis, nec nominentur quæſitores, ſed eleemoſynarum collectores. Secundò, ne ſint participes eleemoſynarum, *ſed tantum pro Salario congruo, & diſtincto, illas colligant.* Tertiò, ne indulgentias proclament, circumferentes ſua privilegia, aut reliquias. Quartò, ne eleemoſynas nimiis precationibus extorqueant. Quintò, ne campanas, aut inſignia quæſitores portent, vel perferant. Sextò, ne petant eleemoſynas ut debitas, vel conſuetas, nec arte, aut ſpecie dicendi orationes, aut alio iniquo more, ſed ſimpliciter, & modeſtè. Ita cenſuit Sacra Congregatio apud Zerolam *verb. Quæſitores*, *num.* 1. Bonacina *d. punct.* 31. *num.* 9. Barboſa *in Bull. verb. Eleemoſyna*, *num.* 5. Palao *d. punct. ul. num.* 6. Fuſcus *ubi proximè*.

In Caſtella verò, ultra deputationem Epiſcopi, vel 12
Summi Pontificis, aliquid ampliùs deſideratur, ſcilicet Regii Senatus licentia; idque ſi eleemoſynæ petantur cum Indulgentiis, ſive ſine eis: Prætereaque ad unguem obſervanda eſt Regalis Proviſio, ne aliquo modo exceſsus permittatur, *l. fin. tit.* 9. *lib. Recopilat. l.* 21. *tit.* 18. *punct.* 3. ubi Gregorius. Solorzanus *tom.* 2. *de jur. Ind. lib.* 3. *cap.* 25. & poſteà *in l.* 12. *tit.* 10. *lib.* 1. *Recopilat.* quando aliquæ ſunt publicandæ indulgentiæ, etiam ad quærendas eleemoſynas, decernitur ultra examen Epiſcopi requiri examen Commiſſarii Generalis Cruciatæ, aut perſonarum ad id deſignatarum, prout ex Alexandri reſcripto notat Azevedus *in l.* 37. *tit.* 6. *lib.* 3. *Recopilat.* Villadiego *in Polit. cap.* 5. *de la inſtrucion*, *nu* 51. *fol. mihi* 84. Diana 5. *part. tract.* 1. *reſol:* 12. Quod in Gallia & Luſitania obſervari ſcripſerunt Barboſa *d. allegat.* 109. *num.* 13. Palao *d. punct. ult nu.* 7.

Eſt tamen diſquirendum, an quando adeſt licentia ad 13
petendam eleemoſynam ad conſtruendum Monaſterium, vel ad aliam cauſam piam, poſſit ipſa cauſa pia locare ius illud, ut tanto ſibi ſtipendio deſignato, locans aliud ſibi percipiat? Et aliqui affirmarunt, *ex l. Si tibi rem* 13. *ff. de præſcript. verbis*. Tum quia ſimiles locationes à jure interdictæ non ſunt. Enriquez *in Summa*, *lib.* 7. *cap.* 35. *num.* 5. Martinus de San Ioſeph *tom.* 1. *lib.* 2. *de eleemoſyna*, *tract.* 8. *num.* 3. Sanchez *lib.* 1. *conſ. cap.* 7 *dub.* 2. *num.* 2.

Sed ad praxim nunquam eſt trahenda hæc ſententia; 14
nam id prohibitum eſt à Triden. *d. ſect.* 21. *cap.* 9. ubi quæſitores eleemoſynarum omninò tolluntur: quod quidem decretum verificatur in iis quæſitoribus jus eas petendi locantibus, qui quidem ob lucrum, quod capiunt ex majoribus eleemoſynis, gravia delicta perpetrant ad earum exactionem. Navarrus *d. not.* 31. *num.* 41. quamobrem decretum Tridentini omninò prohibet has locationes anſam præbentes ad ſimilia delicta. Tum quia ut juſtificetur, ipſa licentia requiritur, ne Collectores aliquid participent de ipſis eleemoſynis, quod deficit in his locationibus: Ergo non eſt admittenda iſta ſententia, quidquid tolleret Diana 10. *part. tract.* 11. *reſol.* 41. ut cum Rodriguez, & Corduba tenet Delugo *de Iuſt. tom.* 2. *diſput.* 29. *ſect.* 1. *à num.* 3.

Fratres enim mendicantes, qui omnimodam pauperta- 15
tem profitentur, poſſunt non ſolùm per ſe, ſed per alias perſonas ad id deputatas eleemoſynas petere; quia non comprehenduntur in Decreto Tridentini, ut cum Navarro notat Ugolinus *de offic. Epiſcop. cap.* 8. §. 4. *num.* 6. Rodriguez *Reg. quæſt. tom.* 2. *quæſt.* 17. *art.* 7. Sanchez *in Decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 24. *num.* 7. Palao *d. punct. ult. num.* 2. Quod quidem ita intelligendum, ut faciant moderatè; & ad neceſsaria, non autem ad ſuperfluas eleemoſynas

peten-

petendas; nam tunc poterunt à Judicibus Ecclesiasticis moderari, ut de facto testatur Franchis, & cum eo Barbosa *d. alleg.* 109. *n.* 7.

16 Est tamen adnotanda doctrina Zerolæ *verbo Quæsitores, num.* 2. dum scripsit, Regulares non posse petere eleemosynas absque licentia Episcopi, quia Gregorius XIII. revocavit Constitutionem Pii V. id concedentis. Verùm hæc doctrina non est admittenda in iis Regularibus, ex quorum institutione facultas mendicandi concessa est à Sede Apostolica. Tum quia quando Episcopus concedit licentiam ædificandi Monasterium horum Religiosorum, similis licentia concessa videtur, ut censuit Sacra Congregatio 6. Octobris 1597. Barbosa *ad Concilium, d. sess.* 21. *cap.* 9. *nu.* 6.

17 Est tamen dubium, an qui habet curam alicujus Imaginis, vel eremitorii, & petit pro ipso eleemosynas, possit vivere ex ipsis: & si quid supersit, illud dare suis consanguineis pauperibus? Hæc autem investigatio duobus modis valet considerari. In primis quando aliæ personæ habuerint licentiam petendi, & hoc jus alteri locassent; quo quidem casu, si hæc locatio tenderet, ut locatores fuissent quæsitores, minimè admittendum, ex iis quæ diximus *num.* 14. Tum quia hi locatores semper locant ad lucrum, quod turpe efficitur, quærendo interesse titulo pietatis, & eleemosynæ. Denique, quia intentio dantium eleemosynas est pauperi subvenire, non verò dare illas ad lucrum petentis, & locantis, ut benè considerat Delugo *d. disput.* 29. *sect.* 1. *n.* 8.

18 Poterit autem hoc fieri operas locando certo salario ab ipsa causa pia sibi præstando independenter ab eleemosynis. Quo in sensu intelligo Delugum *lib.* 6. *Respons. Mor. dub.* 17. *num.* 7.

19 Secundo modo potest is, qui curam habet Imaginis, aut eremitorii, petere ipse eleemosynas ex licentia Superioris, quæ communiter conceditur quibusdam pauperibus: & in eo videtur negandum aliquid percipere posse, quia jam fuisset quæsitor cum lucro in petenda ipsa eleemosyna, quod de jure est prohibitum. Ergo minimè id est permittendum. Sed tamen contrarium in praxi admissum est, ut tenet Delugo *dict. dub.* 17. *num.* 7. Ratio est, nam inter ea, quæ sunt necessaria ad conservationem eremitorii, vel Imaginis, est victus illius, qui debet habere curam. Ergo rectè percipiet ex eleemosynis victum necessarium secundùm statum illum. Tum si aliquid superest, est concedendum aliis pauperibus, quod rectè concedit suis pauperibus consanguineis. Denique ex parte dantium jam sciunt, petentem eleemosynam ex ea alii, ut pauperem & eremitam, seu Imaginem ex illa conservari; quapropter rectè hunc victum suscipiat.

20 Verùm curent Judices ecclesiastici, dantes has licentias, ut minimè eas concedant nisi, pauperibus labore nequeuntibus, prævio examine morum; quia ad has eleemosynas petendas multi juvenes otiosi, vagabundi, & pravis moribus imbuti se dedunt, gravissima delicta perpetrantes. Similiter sunt alteri petentes eleemosynas ad pauperes verecundos, quorum cura graviter est habenda, non solùm à Judicibus ecclesiasticis verùm etiam sæcularibus, *l.* 18. *tit.* 12. *lib.* 1. *Recopilat. & Constit.* 15. *hujus Archiepiscopatus, de Pœnit. & Remiss.* Sunt enim ad id deputandæ personæ honoratæ, modestæ, & misericordes, ut has eleemosynas petant simul cum licentia. Azevedus *ad tit.* 9. *lib.* 1. *Recopil.*

CAPUT XIV.

De Charitativo, Subsidio, & de Subsidio, & Excusato.

SUMMARIUM.

Prælatis Ecclesiasticis charitativum subsidium est concedendum, & aliquando Principibus ex concessione Apostolica, n. 1.

Definitur quid sit charitativum subsidium, & explicatur. Remedium subsidiarium non conceditur, nisi alio deficiente, n. 2.

Subsidium charitativum à Prælatis potest exigi, & quare, n. 3.

An subditi cogi possint ad contribuendum subsidium charitativum? Et negandum videtur, num. 4. *Explicatur. Prælati Ecclesiæ non possunt subditos collectare, numer.* 5. *Ex causa possunt petere subsidium hoc; & si subditi renuerint, possunt eos cogere, num.* 6.

An Episcopus quando imponit subsidium ad proprias necessitates, possit subditos ad solutionem compellere? Prima sententia negat. Nemo potest esse judex in causa propria. Secunda affirmat. In causa manifesta potest esse quilibet judex in causa propria, num. 7.

Admittitur hæc secunda sententia, si causa est manifesta, & notoria, aliàs ad superiorem reccurrendum, sicut si dubia fuisset, aut subsidium immoderatum, num. 8.

Pontifex potest imponere, & exigere charitativum subsidium, num. 9. *Et omnes, tam sæculares, quàm Regulares Clerici obligantur, nec ad excusationem valet aliquod privilegium, nisi expressum, num* 10.

An Cardinales possint petere subsidium in suis titularibus Ecclesiis? Respondetur affirmativè, num. 11. *Idem dicendum de Legato in sua provincia, n.* 12.

Primates, & Archiepiscopi in suis Diœcesibus illud petere possunt: sed an in tota provincia? Prima sententia affirmat, n. 13.

Explicatur caput Præterita 45. de elect. *& caput* Cùm Apostolus 16. §. Prohibemus, de censib. *num.* 14. *Et admittitur contraria sententia, n.* 15.

Episcopi electi, & confirmati possunt petere charitativum subsidium. Similiter commendatarii perpetui, Administrator generalis Ecclesiæ, & Coadjutor generalis Episcopi, n. 16.

Eodem modo Capitulum, Sede vacante, non verò statutum concedere, ut subsidium in futurum solvatur, Collegium Cardinalium, Sede vacante, valet imponere subsidium, si grave periculum Ecclesiæ immineat, num. 17.

Prælati inferiores episcopo, nequeunt subsidium exigere, nisi adsit consuetudo, seu privilegium. Nec Vicarius Episcopi potest imponere absque speciali mandato. Prælati Regularium possunt subsidium petere à suis Monasteriis, n. 18.

In subsidio charitativo imponendo duo sunt animadvertenda, scilicet ut petat Episcopus cum Capitulo, & Clero: tum & moderatum, n. 19.

Reges possunt petere subsidium charitativum à suis subditis. Privilegia ad non collectandum non extenduntur ad hæc subsidia, num. 20. *Sed non possunt semper petere ab ecclesiasticis, num.* 21. *Nisi sub aliquo modo, & conditione, num.* 22.

Reges Catholici ad imponendum subsidium ecclesiis, & ecclesiasticis ad Pontificem recurrunt, ut est Constitutio Pii IV. Pii V. Gregorii XIII. & Pauli V. num. 24.

Similiter impetrarunt excusatum, ex Constitutione Pii V. Gregorii XIII. cum extensione ad Monachos S. Hieronymi, & Cistercienses, ex Constitutione Urbani VIII. & aliorum, n. 25.

Tum etiam scissas, ex Gregorio XIII. & Clemente VIII. qui declaravit Cardinales exemptos à subsidio, ut solverent Titulares, n. 26. *&* 27.

Gratiæ istæ concessæ sunt ad sexaginta triremes habendas contra Turcas, & alios Christi hostes, num. 28. *Impositæ super fructibus beneficiorum omnium, Monasteriorum, &c. Et declaratum comprehendere Cappellanias amovibiles, n.* 29.

Pensionarii ad subsidium, & excusatum tenentur pro rata, sicut tenentur ad charitativum subsidium, nu. 30. *Unde qui solvit pensionem, potest ratam retinere, num.* 31. *Nec respectu illius intelligitur clausula,* Sine retardatione solutionis, *ibidem. Etiamsi pensio imponatur in quantitate, num.* 32.

Excoquitur quando in Bulla pensionis ponitur clausula, Libera ab omni onere. *Sed limita pro primo quinquennio, n.* 33.

An in hoc Archiepiscopatu Toletano Canonici S. Iusti, & Portionarii Toletani in dimidietate fructuum, possint illam integram percipere, non solvendo subsidium, & excusatum, & illud onus recipere su-

per Beneficiatos, num. 34. *Ponitur ratio dubitandi, ibid.*

Proponuntur aliqua mendacia, & rejiciuntur. Reſpondetur rationi dubitandi, n. 35.

*Quare abſque dubio tenendum eſt contrarium. In Bullis ſubſidii & excuſati omnes comprehenduntur, num.*30. & 37.

*Omnes comprehenduntur ad ſolvendum ſubſidium, & excuſatum, niſi nominatim fuerit exempti, n.*38.

Etiamſi Bullæ dicant, Onere deducto, *poſt quinquennium ſolvitur ſubſidium, & excuſatum, n.*39.

*Bulla Canonicorum, & Portionariorum, eſt conceſſa per multum temporis antequam ſubſidium, & excuſatum, & ideò nequit eximi à contributione, n.*40.

*Fit inſtantia. Conſuetudo recipiendi aliena fraudando, partibus non ſuffragatur, n.*41.

*An quando quis non debet ſubſidium, & excuſatum, ſi ſolvat abſque proteſtatione, ſit poſteà obligatus ad ſolutionem, ponitur ratio dubitandi: privilegium privatæ perſonæ amittitur per unicum actum contrarium, nu.*42.

*Sed negat Palao. Quando privilegium habet tractum ſucceſſivum, non admittitur per unicum actum contrarium, num.*43.

Reſolvitur, an per unicum actum contrarium perdatur privilegium? Aliqui affirmant, alteri negant, numer. 44.

Componuntur ſententiæ. Explicatur caput Cùm acceſſiſſent 8. de Conſtit. *n.* 45.

*Solvens ſubſidium abſque proteſtatione, renuntiat privilegio quoad actum præſentem, non tamen quoad futuros Actus coactus non inducit renuntiationem privilegii, nu.*46. *Sed ad difficultatem tollendam melius eſt proteſtari, n.* 47.

An ad diſtributionem ſubſidii, & excuſati ſint deducenda onera fructuum? Prima ſententia negat. In gabellis onera non deducuntur, n. 48. *Sicut in decimis, ibid.*

Secunda ſententia tenet contrarium. Fructus intelliguntur, deductis expenſis, etiamſi mentio fiat de fructibus integris. Valor beneficii ſemper intelligitur deductis oneribus, n. 49.

*Admittitur hæc ſecunda ſententia, fructus etiam in reſcriptis intelliguntur deductis oneribus, num.*50. *Intelligitur de oneribus perſonalibus, & realibus, num.*51.

Explicatur Extravagans unica de Decimis, *n.*52.

In gabellis, vulgo Alcabala, *eſt ſpeciale, ut debeantur expenſis non deductis, num.* 53. *Datur ratio, quare decimæ prædiales ſolvuntur non deductis expenſis, non perſonales, nu.*54. *Et datur diſparitas inter ſubſidium, & decimas, n.* 55.

*An ſubſidium, & excuſatum ſolvendum ſit ex beneficiis curatis non habentibus niſi congruam, n.*56.

Reſpondetur negativè. Congrua eſt onus reale fructuum ante omnia non deducendum, num. 57. *Nec poteſt tolli, nec minui à Pontifice, nu.* 58. *Sicut in charitativo ſubſidio, n.* 59. *Quod extendendum ad alendum Vicarium neceſſarium, n.*60.

*Dantur rationes quare hodie omnia Beneficia, etiam ſolùm congruam habentia, ſolvunt ſubſidium, num.*61. *Fit deploratio, nu.*62.

Datur alia ratio, Clauſula, Non retardata ſolutione, *multùm gravat; & clauſula,* Appellatione remota, *de quibus remiſſivè, n* 63.

*Notatur, quo modo Canonici S. Iuſti, & Portionarii Toletani recipiunt medietatem fructuum primi anni, licèt tantùm habeant congruam, n.*64.

Tertiæ Regales tenentur ad ſubſidium, & excuſatum, num 65.

Quando fructus beneficiorum per caſus inſolitos deſtruuntur, aut per anni ſterilitatem, aut per gravem diminutionem valoris, Rex debet minuere ſubſidium, & excuſatum, non obſtante concordia, n 66.

*Quo modo charitativum ſubſidium eſt petendum, & ex qua cauſa, cum qua debet commenſurari: & quæ ſit cauſa, relinquitur arbitrio judicantis, n.*67.

*Prima cauſa petendi eſt ad conſecrationem Epiſcopi, num.*68. *Secunda, quando multa debita contraxit Epiſcopus ad tuendum jus ſuæ dignitatis, n.*69. *Tertia quando Prælatus evertit rem magni momenti ad conſervationem ſuæ Eccleſiæ, n.*70.

Quarta ſi Epiſcopus iter agat ad Papam, Imperatorem, ſeu Regem pro utilitate Eccleſiæ: vel quando vocaretur ad Concilium Generale, ſeu provinciale: aut quando eſt viſitaturus limina S. Petri, n. 71.

Quinta, quando lis magna moveretur contra ſuam Eccleſiam. Idem quando Rex hoſpitaretur in domo Prælati, nu. 72.

An ſubſidium charitativum poſſit imponi ad ſolvendam mediam annatam Epiſcopatus? Prima ſententia negat, n. 73. *Secunda affirmat, num.* 74. *Tertia relinquit cogitandum, n.*75.

*Admittitur, ſecunda, n.*76.

An quando Prælatus in pauperiem inciderit ſua culpa, poſſit petere charitativum ſubſidium? Prima ſententia negat. Ius non favet his pauperibus. Minor ſuæ culpa læſus non reſtituitur, nec uſurarius excuſatur, nu. 77.

*Secunda ſententia affirmat. Pauperes licèt ſua culpa ſunt ſubveniendi. Eccleſia ſua bona vendit ad ſuccurrendum pauperem ſua culpa, n.*78.

Admittitur hæc ſententia, niſi Epiſcopus data opera ad paupertatem deveniret, ut exigeret ſubſidium. Sed adhuc in hoc caſu in extrema eſt ſuccurrendus, numer. 79.

*Cauſa petendi ſubſidium charitativum debet eſſe manifeſta, nu.*80.

Sed cujus quantitatis debeat eſſe ſubſidium, referuntur ſententiæ, & relinquitur arbitrio judicantis, numer. 81.

*Subſidium charitativum petitur ab Eccleſiis, & Clericis propriæ Diœceſis, n.*82.

*An Epiſcopi poſſint petere à laicis, ponitur ratio dubitandi; reſolvitur negativè, ſicut nec poſſunt petere procurationes, n.*83.

*Excipitur, niſi ratione feudi, aut officii teneantur, numer.*84.

*Clerici ſolventes ſubſidium debent eſſe Beneficiati: & non debent ſolvere de patrimonialibus, vel quaſi, num.*85.

Si Rector habet in una Diœceſi Eccleſiam, & in altera prædia, & fructus beneficii, debet ſolvere ubi eſt Eccleſia: ſi verò in confinio ſit Eccleſia, alternis vicibus Epiſcopus ſolvet, n. 86.

An ſucceſſor in beneficio teneatur ſolvere ſubſidium anteceſſoris? Prima ſententia negat, n. 87. *Secunda affirmat, nu.* 88.

An ſubſidium charitativum ſit onus reale fructuum, affirmant aliqui, alteri negant, quoslibet admittere, num. 89.

*Reſolvitur ſucceſſorem non teneri, & in alia ſententia reſolvitur teneri, excuſſis bonis anteceſſoris, n.*90.

*Capitula Cathedralium tenentur ad hoc ſubſidium, ſed non ratione diſtributionum, niſi ubi ſunt principales fructus nu.*91.

Sed an Monaſteria ad illud teneantur; Prima ſententia affirmat. Explicantur Clementina 1. & 2. de Cenſib. *n.*92. *Secunda negat, n.* 93.

*Eccleſiæ exemptæ non tenentur, niſi habuerint populum, num.*94.

*An adversùs charitativum ſubſidium detur præſcriptio? Prima ſententia negat. In tributis, ſicut in facultativis, non datur præſcriptio, n.*95. *Secunda admittit in præſcriptione immemoriali, n.*96.

*Reſolvitur præſcriptionem immemorialem non eſſe admittendam, quando tota diœceſis excuſaretur, num.*97. *Secus ſi aliquis particularis, num.*98. *In cauſa charitativi ſubſidii proceditur appellatione remota, numer.*99.

CUm in capitibus antecedentibus de eleemoſyna tractaverimus, nunc de charitativo ſubſidio, & de ſubſidio, & excuſato agendum eſt nobis, cùm ſint eleemoſynæ ab Epiſcopis, & Principibus concedendæ indigentia, & inopia oppreſſis. Si enim Epiſcopus inopia, & neceſſitate opprimitur, nec aliter valet ſuæ egeſtati ſubvenire, congregato Capitulo, & inſimul Clero, ſuam urgentiam proponit, ut per 1

cha-

charitativum subsidium ab ea relevetur. Idque statim faciendum; nam si aliis indigentibus succurrere tenemur, quanto magis nostris Prælatis, & Pastoribus, in quorum humeris pondus regiminis, animarum imponitur. Alexander de Nevo *cons.* 57. *num.* 2. Menochius *de Arbitariis, casu* 520. *nu.* 16. Belletus *disquisit. Cler.* 1. *p. tit. de Cleric. debit.* §. 12. *n.* 9. Bengeus *de Benefic.* 2. *p.* §. 6. *n.* 5.

2 Est enim charitativum subsidium, *Auxilium quod ex rationabili causa, charitate moderatum, superior ab inferiore postulat*, ut cum Cherubino scripsit Leoncillus *de Privileg. pauper.* 2. *part. privileg.* 50. *num.* 32. dicitur enim *Charitativum*, quia à principio ex charitate processit, nec per vim extorquere licet, nisi postquam concessum, & terminatum fuerit, & posteà non nisi cum benignitate, *cap. Ex parte* 18. *de Censib.* Deinde dicitur *subsidium*; nam sicut actio subsidiaria appellatur, quando propria deficit, §. *fin. inst. ad l. Aquiliam*, §. *fin. inst. it. de interdict.* ubi Glossa ait: Remedium subsidiarum non conceditur nisi deficiente alio remedio. Rota apud Merlinum *decis.* 695. *num.* 10. Costa *de Remed. subsid. prælud.* 1. *num.* 24. Ita similiter subsidium hoc non conceditur, nisi quando redditus propriæ Ecclesiæ non sufficiunt pro oneribus Prælato incumbentibus. Bellencinus *de Charit. subsid quæst.* 14. quapropter remedium hoc subsidium dicitur. Menochius *dict. casu* 520. *num.* 10. Belletus *d.* § 12. *n.* 6. Bengeus *d.* §. 6. *nu.* 5. Barbosa *de univers. iur. lib.* 3. *cap.* 21. *n.* 1.

3 Prælati enim superiores, veluti Episcopi, de jure subsidium hoc petere possunt, *cap. Conquerente* 16. *ad fin. de offic. ordinarii*, *cap. Cùm Apostolus* 6. §. *Prohibemus*, *de Censib. Clement.* 1. §. *Exigendo*, *de excessib. Prælat. Extravag. Vas electionis*, §. *Præmissis*, *de Censib. inter comm.* Rationem decidendi præstitit Bellencinus *d. quæst.* 14. nam ad charitatem pertinet, ut simus iis obnoxii, à quibus beneficia suscipimus, *c. In officiis* 7. *de testam.* Ergo cùm subditi multa à Superioribus Ecclesiasticis suscipiamus, tam corporalia, quam spiritualia, consequenter nos debemus gratos exhibere, sublevando eorum indigentiam, *l. Sed etsi* 28. §. *Consuluit*, *ff. de petit. hæredit.* Est enim grave vitium benemeritos negligere, & gratiam eis non referre, *l. Servos* 20. *ff. de Manumiss. testament. l. Contra* 16. *l. Omni modo* 39. *Cod. de in offic. testament.* Valerius Maximus *lib.* 5. *tit. de ingrat.* quare superioribus in necessitate, non succurrere grave esset vitium. Leoncillus *dict. privileg.* 50. *num.* 1. Velasco *de Privileg. paup.* 1. *part. quæst.* 38. *à nu.* 27. Belletus *d.* §. 12. *nu.* 2.

4 Est verò dubium, an superiores possint subditos cogere ad hoc charitativum subsidium contribuendum? In quo sunt variæ sententiæ videndæ apud Archidiaconum *in cap. Cavendum* 10. *quæst.* 3. & Baldum *in cap. Conquerente*, *de Offic. Ordinarii*, *num.* 6. Et asserendum videtur minimè cogi posse; nam ut ait textus *in cap. Conquerente*, subsidium hoc est cum charitate petendum; est enim gravis differentia quando aliquid petitur ex charitate, aut ex justitia: quando enim ex charitate petitur, nulla coactio conceditur, quia nequit considerari aliqua obligatio, sed tantùm pia liberalitas ex parte concedentis, *cap. Cavendum* 7. 10. *quæst.* 3. *l. Non cogitur* 21. *ff. de rit. nupt.* Ergo in specie nulla debet concedi coactio, ut charitativum subsidium concedatur, cùm non sit debitum justitiæ, sed piæ liberalitatis.

5 Verùm in hoc dubio hoc dicendum, Episcopos neutiquam posse talias, seu exactiones imponere suis subditis, *cap. Cùm Apostolus* 6. §. *Prohibemus*. *de Censib.* Illis enim tantùm concessum est, ut suaviter, & piè regant tamquam patres gregem Domini, non solùm sua incrementa spiritualia prospicientes, verùm temporalia; non ut talis, collectis, aut gabellis oves suas onerent. Belletus *d.* §. 12. *num.* 1. Menochius *de Arbitrar. casu* 187 *num.* 1. Canisius *in Summa*, *ad tit. de Cens. num.* 4. Balmaseda *de Collect. quæst.* 6. *n.* 1.

6 Attamen si causa rationabilis existat petendi charitativum subsidium, tunc rectè poterunt illud Episcopi petere cum charitate, & humilitate: si tamen petitio ista non sufficiat, possunt devenire ad coactionem, compellendo subditos, ut illud præstent, ut *in dict.* §. *Prohibemus*, tenet Abbas *num.* 5. Ratio est, nam subsistente causa, charitas ipsa æquitatem, aut scriptam necessitatem importat, *l. Si me*, & *Titium* 32. *ff. de reb. credit.* Baldus *in d. cap. Conquerente*, *num.* 5. Ergo si charitativa persuasio non sufficiat, poterunt Episcopi transire ad coactionem. Cæterùm, nam quamvis subsidium hoc procedat à charitate, si tamen necessitas urgeat, proceditur ad coactionem, implorando Judicis officium. Rendina *in Prompt. tit.* 38. *n.* 12. & latè *suprà*. Ergo si charitativa persuasio non sufficiat, ad coactionem possunt pervenire, ut charitativum subsidium eis persolvatur. Bengeus *d.* 2. *part.* §. 6. *n.* 6. Boerius *decis.* 136. Barbosa *de offic. Episcop.* 3 *part. allegat.* 87. *nu.* 5. qui asserit etiam per censuras compelli posse, ut cum Rota tenet Azorius *Inst. Moral.* 2. *part. lib.* 9. *cap.* 14. *qu.* 3 Torrecilla *Exam. de Obisp. tract.* 2. *quæst.* 3. *sect.* 3. *difficult.* 6. Belletus *d.* §. 12. *n.* 15. Bellencinus *quæst.* 15. Leoncillus *d. privileg.* 50. *à nu.* 9. Velasco *d. quæst.* 38. *n.* 28. & 29. Layman *in Summa*, *l.* 3. *de Iust. tract.* 3. 1. *part. cap.* 3. §. *unic. nu.* 10.

Est deinde majus dubium, an quando Episcopus petit charitativum subsidium ad suas proprias necessitates, possit ipse suos subditos compellere? Prima sententia asserit, compellere non posse, quia nequit esse judex in causa propria, *l.* 1. *Cod. Ne quis in causa propria*: tenet Leoncillus *d. privileg.* 50. *nu.* 12. Secunda sententia tenet contrarium, quia subsidium petendum est cum causa manifesta, *d. cap. Conquerente*. Sed quoties est causa manifesta, potest quis esse judex in causa propria *cap. Romana* 1. *de Pœnis in* 6. Innocentius *in cap. Ex parte*, *de verb. significat.* Trentacinquius *lib.* 2. *var. tit. de Iudiciis*, *nu.* 5. & 7. Ergo Episcopus potest compellere subditos ad solvendum sibi subsidium charitativum, etiamsi sit ad proprias necessitates. Azorius *d. cap.* 14. *quæst.* 3. Barbosa *d. alleg.* 87. *n.* 6. 7

Hæc secunda sententia admittenda est quando causa petendi charitativum subsidium fuerit manifesta, & patens, ita ut nullo modo fuerit obscura, & ita ut circa illam nulla sit necessaria cognitio; alias tamen semper erit recurrendum ad superiorem. Et est ratio, nam in præsentia agitur de interesse personæ ipsius Episcopi; quapropter est causa personalissima, in qua nequit esse judex, ut cum Navarro, & Capycio tenet Decius 1. *part. decis.* 144. *nu.* 2. Nec facilè credendum Episcopo attestanti de sua necessitate, sicut nec etiam aliis majoribus Principibus Abbas *in Clement.* 1. *de Probat.* Mieres *de Majorat.* 4. *part. quæst.* 1. *limit* 6. *n.* 55. Gabriel. *lib.* 1. *communium*, *tit. de probat. conclus.* 2. *nu.* 65. & latè *supra*. Ergo nisi causa fuerit notoria, & patens, minimè Episcopus poterit per se subditos compellere in præsenti casu, sed erit recurrendum ad superiorem, sicut quando immoderatum subsidium peteret, aut causa fuerit dubia. Azorius *d. cap.* 14. *quæst.* 4. Menochius *de Arbitrariis*, *casu* 179. *num.* 4. Leoncillus *d. privil.* 59. *nu.* 13. Layman *d. lib.* 3. *tract.* 3. 1. *part. cap.* 3. 8

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Qui possunt exigere charitativum subsidium.

UT hanc materiam faciliùs comprehendamus, tribus paragraphis eam dividere curavi, ut meliùs digesta tradatur. In primis enim valet exigere charitativum subsidium Romanus Pontifex, nam habet liberam administrationem omnium beneficiorum, & eorum redditum, *cap.* 2. *de Præbend. lib.* 6. *Clem.* 1. *ut lit. pendent.* quamobrem poterit in fructibus subsidium imponere, & petere, *cap. In nostris* 6. *de conces. Præbend.* Ergo & ob suas necessitates subsidium charitativum sibi exigere. Azorius *dict. cap.* 14. *quæst.* 5. Barbosa *lib.* 3. *vot.* 96. *n.* 7. 9

Illud verò sciendum, in charitativo subsidio petito à Pontifice nullum excusari, nec sæcularem, nec Regularem Clericum, quia nullus est exemptus, sed omnes sunt subditi illius, *cap Cuncta per mundum num.* 9 *quæst.* 1. Est enim Ordinariorum, & omnes Ecclesiastici æqualiter Domino Papæ subjiciuntur. Caputaquen. 1. *part. decis.* 282. *nu.* 3. Mohedanus *decis.* 1. *num.* 4. *de conces. Præbend.* & ipsius sunt omnia Beneficia. Gonzalez *ad Regul.* 8. §. 2. *procem. num.* 47. Ergo quando subsidium ab eo petitur, ab omnibus est solvendum, quantumvis exemptis. Cochier *de iurisd. in Exempt.* 4. *part. quæst.* 27. Quod ita rigidè observandum, ut privilegium ad non solvendum subsidium minimè præsumatur, quin potiùs speciale debet esse ad non solvendum subsidium Pontifici Romano. Bellencinus *de charit. subsid. quæst.* 58. *nu.* 5. Leoncillus *dict. quæst.* 50. *n.* 16. Barbosa *d. alleg.* 87. *n.* 24. 10

De Cardinalibus est aliquod dubium, an possint petere 11

tere charitativum ſubſidium in ſuis Eccleſiis titularibus? Et negandum videtur, nam id tantùm conceditur Epiſcopis habentibus juriſdictionem diœceſanam: Ergo non eſt concedendum Cardinalibus. Aſt contrarium eſt tenendum, nam in ſuis Eccleſiis titularibus habent juriſdictionem, *cap. Querelam 24. de Electione*, & cætera jura Epiſcopalia. Mandoſius *ad Regul. 1. Cancell. quæſt. 2. num. 20.* Suarez *de legib. lib. 4. cap. 5. num. 4.* Ergo poterunt Cardinales exigere in ſuis Eccleſiis titularibus charitativum ſubſidium. Azorius *d. cap. 14. quæſt. 5. verſ. Quæres*, Diana *5. part. tract 2 reſol 55.* Barboſa *d. lib. 3. cap. 21. n. 10.*

12 Idem dicendum de Legato Pontificis, cui plenè legationis officium committitur in provincia; nam ut docet Speculator *tit. de Legato, §. Nunc oſtendendum, verſ. Legatum*, omnia liberè, & immediatè poteſt, quæ poſſunt Ordinari. Ergo & ſubſidium charitativum exigere, ut cum Bellencino, & Azorio docet Barboſa *d. cap. 21 n. 11. & alleg. 87. num. 16.*

13 Primates, & Archiepiſcopi charitativum ſubſidium poſſunt exigere in ſuis civitatibus, & Diœceſibus, idque ex juribus idem Epiſcopis concedentibus. Grammaticus *deciſ. 88. num. 2.* Eſt verò dubium, an poſſint petere extra Diœceſim per provinciam? Et prima ſententia affirmat, *ex cap. Præterita 45. de elect. c. Cùm Apoſtolus 16. juncto §. Prohibemus, de cenſib.* tenent Hoſtienſis *in d. cap. Cùm præterita.* Calderinus *conſ. 3. de Cenſib.*

14 Secunda negat, quia Primates, & Archiepiſcopi non habent juriſdictionem in Diœceſibus ſuffraganeorum, niſi quatenus eſt in jure expreſſum, *cap. Conqueſtus 9. 9. quæſt. 3. cap. Duo ſimul. 9. de offic. Ordinarii, cap. Sicut unire 8. in fin. de exceſſib. Præl.* Genuenſis *in Praxi Archiepiſcopali, cap. 70. num. 6. verſ. 7.* Sed petere charitativum ſubſidium in provincia expreſſè eis conceſſum non eſt: Ergo non poterunt extra Diœceſim illud petere. Bellencinus *d. quæſt. 2.* Azorius *dict. cap. 14. quæſt. 5. verſ. Sed dubiæ.* Barboſa *dict. alleg. 87. n. 9.*

15 In hoc dubio animadvertendum, jura adducta pro prima ſententia illam non probare; nam textus *in cap. Ut præterita*, non loquitur de charitativo ſubſidio, ſed tantùm de expenſis factis in electione à Capitulo, Sede vacante, quod eſt diverſum. Deinde textus ille non loquitur de bonis Eccleſiarum inferiorum extra Diœceſim, ſed de bonis Cameræ Eccleſiaſticæ Patriarchalis: itaque ad rem non eſt. Bellencinus *dict. quæſt. 2. nu. 6.* Nec ſimiliter textus *in dict. cap. Cùm Apoſtolus*, quia loquitur de Archiepiſcopis provinciam viſitantibus: & poſteà *in §. Prohibemus*, ſubjungit textus, Epiſcopos poſſe petere charitativum ſubſidium, quod quidem non eſt extendendum ad Archiepiſcopos, de quibus loquebatur Pontifex in principio textus; ſed tantùm intelligendum de Epiſcopis de, quibus proximè loquebatur, non de Archiepiſcopis viſitantibus provinciam, quorum longè meminerat caput *Cùm dilecti 6. de donat.* ibi: *Non ad Superiorem*. Idcircò jura illa primam ſententiam non probant, ut cum Menochio notat Barboſa *dict. cap. 21. num. 14.* ſed admittenda eſt ſecunda.

16 Epiſcopos in ſua Diœceſi poſſe ſubſidium charitativum petere, explorati juris eſt, ex juribus adductis *num. 3.* Non tamen eſt neceſſarium, ut ſint conſecrati, quia poteſtas iſta non eſt Ordinis, ſed Juriſdictionis, quàm habent, ſi tantùm fuerint confirmati, *cap. Tranſmiſſam 15. de elect.* Ergo & ſubſidium charitativum exigere poterunt. Bellencinus *quæſt. 9.* Azorius *dict. cap. 14. quæſt. 5. verſ. ult.* Belletus *dict. §. 12. nu. 2.* Epiſcopis adjungere libet Commendatarios perpetuos Eccleſiarum, quia habent titulum adminiſtrationis, & exercitium, utpotè titulati. Bellenc. *quæſt. 6.* Azorius *dict. quæſt. 5. verſ. Commendatarius*, Barboſa *dict. allegat. 87. num. 10.* Eodemque jure poſſunt uti Adminiſtrator generalis Eccleſiæ, & Coadjutor generalis datus Epiſcopo; nam Adminiſtrator generalis habet jura Epiſcopalia, *cap. Is qui 19. de Elect. in 6. cap. ult. de ſupplend. negligent. Prælat.* & Coadjutor agere poteſt quidquid epiſcopus, excepta bonorum alienatione, *cap. 1. de Cleric. ægrotant.* tenent Bellencinus *d. quæſt. 6.* Azorius *d. quæſt. 5. verſ. Adminiſtrator.*

17 Ex eadem quidem ratione Capitulum, Sede vacante poterit petere charitativum ſubſidium. Gloſſa *in cap. Cupientes, §. Ad hæc, de elect. in 6. verbo Aliunde*, ubi etiam Joan. Monachus, Bellencinus *quæſt. 7.* Belletus *dict. §. 12. num. 38.* Nequit verò ſtatutum concedere, ut in futurum ſubſidium perſolvatur. Tuſchus *verbo Subſidium num. 766.* Barboſa *d. alleg. 87. num. 23.* Collegium verò Cardinalium, Sede vacante, poteſt imponere ſubſidium generale, ſi gravis, & notoria ſit cauſa, puta ſi periculum Eccleſiæ immineat, dummodò ſit omnium Cardinalium conſenſus. Azorius *d. quæſt. 5. verſ. Item Collegium.*

Prælati inferiores Epiſcopis nequeunt ſubſidium petere, niſi privilegio, aut conſuetudine muniantur, cùm non habeant jura Epiſcopalia. Boerius *deciſ. 133.* Tuſchus *ver. bo Subſidium, concluſ. 767. num 4.* Dueñas *regula 91.* Bellet. *dict. §. 12. num. 39.* Leoncillus *dict. privileg. 50. nu. 20.* Minano *Baſis Pontific. tract. 2. fundament 1. quæſt. 2. §. 3. num. 50.* Barboſa *dict. allegat. 87. num. 17.* Quod idem eſt dicendum de Vicario Epiſcopi, niſi ad id habeat ſpeciale mandatum Bellencinus *quæſt. 2.* Azorius *dict. quæſt. 5. verbo Vicarius.* Barboſa *lib. 3. cap. 21. num. 21.* De Prælatis, ſeu Præpoſitis Regularibus dicendum, poſſe charitativum ſubſidium petere pro neceſſariis ſumptibus ad regimen Religionis, illudque imponere Monaſteriis. Azorius *d. quæſt. 5. verſ. Quid dicendum.* Tamburinus *de iur. Abbat. to. 3. diſp. 10. quæſt. 2. n. 2.* 18

Duo tamen ſunt animadvertenda in impoſitione ſubſidii, ut Epiſcopus ſemper cùm Capitulo, & Clero perat. Tum ut ſit moderatum, nec ultra quàm neceſſitas eſt. Beroius *vol. 1. conſ. 81. n. 4.* Belletus *d. §. 12. n. 8.* 19

Sed quæritur, an Reges, & Principes ſæculares poſſint petere ſubſidium charitativum à ſuis ſubditis? Et affirmandum id poſſe, ut latè ſcripſimus in hoc libro, *cap. 10. à n. 1.* Leoncillus *d. privileg. 50. n. 20.* Illud verò non prætereundum, privilegia ad non collectandum non extendi ad hæc ſubſidia, ſeu donativa quæ à Regibus petuntur; nam licèt intrent in locum gabellarum, non tamen ſub eis intelliguntur, quia ſunt promptiora remedia ad ſublevandas urgentiores Principis neceſſitates, ut cum Campan. advertit Balmaſeda *de Collect. quæſt. 46. n. 17.* 20

Sed an Principes ſæculares poſſint petere ſubſidium charitativum ab Eccleſiis, & Eccleſiaſticis, excitari poterat magnum diſſidium adducendo caſus in quibus ab eis collectas exigere valent. Verùm ad rem dicendum, neutiquam poſſe, cùm ſint propriè eorum ſubditi, niſi aliquando per quandam communicationem politicam cum aliis civibus, impropriè ſubditi dicantur, quo in ſenſu intelligas Salcedum *de lege polit. lib. 1. cap. 4. per tot.* & alios Scribentes. Aſt reverà ſubditi non ſunt, ſed à juriſdictione ſeculari exempti. Covarruv. *pract. cap. 31.* Morla *in Emporio, tit. 2. quæſt. 12.* Menchaca *illuſtr. lib. 1. cap 22. nu. 8.* Bellarminus *lib. 1. de Clericis, cap. 28.* Caſtillo *lib. 7. controv. cap. 9. num. 14.* Molina *de iuſt. tractat. 1. diſput. 31.* Quapropter princeps ſæcularis nequit ſemper & in omnibus occurentibus caſibus ab eis charitativum ſubſidium petere. 21

Id tamen intelligendum, niſi ab eo petatur ex libera, & voluntate ſpontanea Eccleſiarum, & cum aliquo moderamine adhibito, & juxta conſuetudines in quodlibet regno, vel provincia receptas in caſibus id exigentibus; aliàs enim rarò Principes ſæculares cogunt Eccleſias, & Eccleſiaſticos ad perſolvendum charitativum ſubſidium, propter exemptionem Clericorum ab illorum juriſdictione, de quo cum multis agit Salcedo *dict. lib. 1. cap. 3. per tot.* 22

Unde Reges noſtri Catholici quoties charitativum ſubſidium volunt exigere ab Eccleſiis, & Eccleſiaſticis, ad Pontifices recurrunt, ut impetrent indultum ad illud percipiendum, ut conſtat ex multis conceſſionibus. Pius IV. 6. Novembris 1561. conceſſit Regi Hiſpaniæ indultum de trecentis millibus ducatis auri ſingulis annis perſolvendis uſque ad quinquennium, ſuper omnes fructus omnium, & ſingularum Eccleſiarum Cathedralium, Metropolitanarum, Collegiatarum, & aliarum, Prioratuum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum cura, & ſine cura, Sæcularium, & Regularium, Canonicatuum, & Dignitatum, etiam poſt Pontificales majorum, & Capitularium, Conventualium, & aliarum Eccleſiarum: idque non ſolùm perſolvendum ſuper fructibus, ſed & ſuper redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis. 23

Prorogarunt indultum alii Summi Præſules, ut pro duabus vicibus Pius V. & Gregorius XIII. & Paulus V. & cæteri uſque hodie, de quinquennio quinquennium, ut refert Barboſa *3. part. de offic. Epiſcopi, allegat. 87. à nu. 96.* Gregorius 24

gorius etiam XIII. hanc contributionem prorogavit ad Ordinem S. Jacobi, excepta tamen mensa Magistrali, ut refert in sua Bulla an. 1573. & adnotavit Barbosa *ubi proximè, n. 57. & collect. 637. à n. 4.*

25 Ad similitudinem subsidii Pontifices concesserunt excusatum, nempe Decimas unius domus, post duas uberiores, in qualibet Parochia, etiam cujuscumque Ordinis Regularium, de quinquennio in quinquennium: ita concessit Pius V. 15. Julii 1567. & ampliori modo prorogavit in aliud quinquennium. Idem fecit ipse Gregor. XIII. declarans ad excusatum teneri Monachos S. Hieronymi, & Cistercienses, Moniales, & alia loca pia. Clemens VIII. similiter prorogavit, & extendit ad pensiones, exceptis Cardinalibus. Barbosa *lib. 3. vot. 96. num. 57.* Urbanus VIII. decrevit subsidium, & excusatum nullo modo solvendum, nisi nova concordia cum Rege Catholico facta, quas Bullas summavit Barbosa *d. alleg. 87. à num. 6. & collect. 637. à n. 8.*

26 His addendæ sissæ, quæ variis modis conceduntur Regibus Catholicis, prout sunt variæ Bullæ ad sexennium, ut fecerunt Gregorius XIII. Clemens VIII. & Urbanus VIII. & cæteri successores concedunt usque in hodiernam diem, & quotidie in majori quantitate. Barbosa *d. alleg. 87. à nu. 65.*

27 Illa tamen Bulla Clementis VIII. 11. Februar. 1594 obliviscenda non est, ubi decrevit Cardinales exemptos à solutione subsidii, & excusati, in pensionibus sibi concessis super Dignitatibus, & Ecclesiis Hispaniarum, & Titulares, quantumvis dignitate fulgentes, solvere debere subsidium, & excusatum; nec distributionem illorum esse faciendam in toto Clero, ut ab Episcopis, & Archiepiscopis exequi solitum erat.

28 Hæc verò subsidia, & excusata fuerunt liberalissimè Catholicis Regibus concessa à nostris Pontificibus, ut sexaginta, vel magis, vel minùs, triremes haberentur adversùs Christi Domini hostes, utpote Turcas, & hæreticos, in Fidei defensionem, ut constat ex dictis Bullis, & concordiis factis cum statu Ecclesiastico, & insimul multis Schedulis Regalibus, maximè in illa data Vallisoletti 4. Aprilis 1603. ubi gratiarum administratio designatur: & quas congessit Lara *lib. 2. de las tres Gracias, per tot.*

29 Hæ autem concessiones factæ sunt super omnibus Beneficiis. Verùm hisce temporibus dubitatur, an ad harum contributionem teneantur Capellaniæ ad nutum amovibiles; dubium enim oriebatur ex diversis sententiis jam affirmantibus esse beneficia, jam negantibus, de quo scripsimus *lib. 3. cap. 1. à num. 9.* Sed jam hodie sopita est hæc difficultas ex concordia confirmata à Clemente X. 29. Maii 1675. ubi Pontifex sic decrevit: *Cæterum ad obviandum litibus; & differentiis, quæ inter personas Ecclesiasticas super præmissis oriri solent, harum serie decernimus, & declaramus, quod ad hujusmodi contributionem, juxta prædictæ concordiæ tenorem, non solùm Capellani Capellaniarum perpetuarum, sed etiam Capellani ad nutum amovibiles, qui Capellanias ipsis ad nutum concedi solitas, quæ redditus, aut bona Ecclesiastica stabilia certa, & determinata possident, habuerint, pro rata redditum earumdem Capellaniarum omninò teneantur, & obligati existant, æquè ac alii Capellani titulares supradicti.* Idem est decisum in concordia similiter confirmata à Paulo V. anno 1614. Crespi *2. p. observat. 91. à n. 63.*

30 Ex eadem quidem ratione dubitatum fuit, an pensiones ad hanc contributionem tenerentur? Affirmabant aliqui esse beneficia, alteri negabant, de quo Duarenus *de Beneficiis, lib. 1. cap. 4.* Gonzalez *ad Regul. 8. glos. 5. §. 5.* Gratianus *in addit. ad decis. 158. num. 3.* Sarnensis *in Regul. de infirm. quæst. 16.* Tondutus *de Pens. cap. 17. num. 27.* Garcia *de Benefic. 1. part. cap. 5. à num. 2.* Sed jam in praxi optima ratione decisum est, pro rata pensionis subsidium, & excusatum deberi, idque ex Bulla Clementis VIII. relata *num. 27.* facilè depromitur, ubi Cardinales, ut eximantur in suis pensionibus à subsidio, & excusato, expressè eximuntur. Ergo absque exemptione omnes pensiones tenentur ad solvendum subsidium, & excusatum. Tum ratione probatur; nam subsidium, & excusatum, prout in Bullis continentur, & in concordiis, sunt onera realia ipsorum fructuum, ut constat ex Bulla Pii IV. *Super omnium, & singularum Cathedralium, & Metropolitanarum fructibus, & emolumentis.* Lassarte *de Decima, cap. 19. num. 34.* Rodriquez *tom. 3. Regul. Quæst. quæst. 74. art. 6.* Quamobrem ut onus reale debet transire cum ipsis fructibus ad pensionarium. Cæterùm probatur à paritate subsidii charitativi; nam pensionarii illud solvere tenentur pro rata fructuum, quia est onus reale. Bellencinus *qu. 35.* Azorius *d. cap. 14. quæst. 6. vers. Si quæras,* Garcia *de expens. cap. 11. num. 58.* Leoncillus *2. part. privileg. 50. n. 18.* Belletus §. *12. num. 32.* Tondutus *de pensionib. cap. 6. à nu. 6.* Ergo similiter est dicendum de subsidio, & excusato, utpotè cùm sit onus reale fructuum. Gigas *de Pens. quæst. 38.* Mohedanus *decis. 4. de locat.* aliàs 234. Puteus *lib. 2. decis. 386.* Marchesanus *de Commiss. 3. par. cap. 4. de commiss. appellat. nu. 49.* Tondutus *d. cap. 6. n. 12.*

Unde qui solvit pensionem, potest retinere ratam subsi- 31
dii, & excusati, ut faciliùs solvatur, ne à Collectoribus opprimatur, ut benè censuit Marchesanus *dict. num. 94.* nec respectu illorum intelligitur clausula, *Sine retardatione solutionis pensionis.* Garcia *d. 1. part. cap. 5. nu. 17.* Palao *to. 2. Oper. Moral. tract. 13. disput. 1. punct. 11. n. 2.*

Sed dices, duobus modis pensionem imponi posse, aut 32
in fructibus, aut in pecunia: si enim in fructibus imponitur, tamquam onus reale ipsorum, benè procedit doctrina suprà tradita. Si tamen in quantitate pecuniæ imponatur, prout quotidie fit, contrarium est dicendum; nam posita in quantitate fructuum, transit onus cum illis. Gratianus *tom. 6. decis. 20. n. 10.* Rota *1. part. diverse. decis. 298.* Si tamen sit in quantitate pecuniæ, non ita, quia non est onus pecuniæ, ut agnoscit Rebuffus *de Pacific. num. 120.* aliàs 138. Ergo quando pensionarius habet pensionem in quantitate, non tenebitur ad solutionem subsidii, & excusati. Sed tamen objectio ista nullius est ponderis, quin potiùs à suo sensu recedit Rebuffus. Et ratio est, quia pecunia illa loco fructuum subrogatur, quos pensionarius percipere debebat: quare sicut percipiendo fructus tenebatur ad subsidium, & excusatum, similiter percipiendo pecuniam loco fructuum. Tondutus *d. cap. 6. num. 11.* Barbosa *d. allegat. 87. n. fin.*

Excipiunt tamen Doctores quando in Bulla pensionis 33
reservaretur *libera ab omni onere*; quia tunc onus subsidii, & excusati pertineret ad titularem beneficii. Azorius *Inst. Moral. 2. part. lib. 8. cap. 9. quæst. 2.* Gambara *de offic. Legat. lib. 6. quæst. 5. nu. 207* Palao *Oper. Moral. tom 2. tract. 13. disput. 1. punct. 1. §. 8. num. 2.* Layman *d. cap. 3. §. unic. n. 11.* Trullench *lib. 4. Decalog. cap. 1. dub. 7. num. 6.* Garcia *dict. cap. 5. nu. 172.*

Verùm limitandum quando subsidium, & excusatum 34
pro quinquennio conceditur, ut Regibus Hispaniæ, & rursus pro alio quinquennio prorogatur; quia tunc clausula illa derogatur per subsequentem concessionem, ut in praxi observatur. Est tamen observandum, non quodlibet subsequens indultum esse sufficiens ad derogandum priori; cùm clausula illa, licèt dicat, quod conceditur absque diminutione, & cum aliis respicientibus ad valorem rescripti, tamen id non est sufficiens ad illam clausulam irritandam. Azorius *dict. lib. 8. cap. 9. quæst. 2.* Garcia *dict. 1. part. cap. 5. à num. 173.* Palao *dict. §. 8. num. 2.* Barbosa *d. alleg. 87. n. 52.*

Hinc disquirendum, an Canonici S. Justi, & S. Pa- 35
storis Complutenses, & Portionarii Toletani, excipientes dimidietatem fructuum Beneficiorum primi anni vacantium, ex Bulla Sixti IV. eam liberam à subsidio, & excusato percipere possint, onerando Titulares ad eorum solutionem? Et affirmandum videtur; nam Bulla illa integram dimidietatem eis concedit: non enim integram perciperent, si diminueretur solutione subsidii, & excusati; integrum enim dicitur, cui nulla pars deficit, *l. decem, ff. de fideicommiss. libert.* Rota *apud Farinac. in collect. novis. decis. 446. num. 1.* Peregrinus *de fideicom. articul. 3. nu. 90.* Tuschus *lit. D, conclus. 297. num. 1.* Garcia *de Nobilit. gloss. 12. num. 7. in fin.* Ergo minimè tenebitur illa dimidietas ad solutionem subsidii, & excusati.

Sed observandum, ex Bulla sua Canonicos, & Portio- 36
narios nullum pro se facere posse argumentum, nisi relatum; nam quod aliqui proclamant, habere clausulam, *Deductis expensis:* vel, *Omni onere deducto*, est falsum & mentitum, ad decipiendos Beneficiatos, ut ex illa constat, quam attentè perlegi. Nec fundamentum integritatis alicujus est ponderis; nam fructus beneficiorũ semper intelligun-

tur, deductis expenſis, & oneribus, *l. Fructus* 17. *ff. ſolut. matrimon. l. Quod fructibus* 46. *l.* 1. *C. de uſufruct. cap. præſentia* 9. *de offic. Ordin.* ibi: *Hoc de illis bonis ſolùm debet intelligi, ſolutis debitis*. Et in terminis probat Guttierrez *Can lib.* 1. *quæſt.* 1. *nu.* 126. Cavalcanus 2 *part. deciſ.* 37 *ſub num.* 59. Ferretus *conſ.* 146. *num.* 8. Quapropter eis debetur integra medietas, jam deductis oneribus: quo in ſenſu ſunt illa verba Bullæ intelligenda, ut optimè docet Petrus Barboſa *in l. Fructus* 7. *ff. Solut matrim. num.* 73. Unde ex dicta Bulla nullum adeſt fundamentum, ut ſe exonerent à ſubſidio, & excuſato, & onerent pro illa medietate Titulares beneficiorum.

37 Hanc ob rem proculdubio aſſerendum, prædictos Canonicos, & Portionarios teneri ſolvere pro ſua dimidietate fructuum ſubſidium, & excuſatum. Et patet, nam Bullæ ſubſidii omnes comprehendunt, quomodolibet etiam exemptos, & immunes ab ejus ſolutione, ut conſtat ex Bulla Pii IV. hiſce verbis: *Ita quod quicumque fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, emolumenta ſibi loco penſionum annuarum, ac etiam penſiones annuas ſibi ſuper ſimilibus fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, & diſtributionibus, etiam ſub quo vis exemptionis, & immunitatis à ſimilibus, aut diſſimilibus oneribus in genere, vel in ſpecie reſervatas, & aſſignatas habeant, & percipiant, pro rata veri valoris Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum, ſuper quibus hujuſmodi penſiones reſervatæ, & aſſignatæ fuerint, contribuere teneantur, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint (ipſis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Militibus Hieroſolymitanis, & aliis tunc nominatim exceptis) annis ſingulis, in certis locis & terminis ſtatuendis, juſtè, & proportionabiliter compartiendum, & integrè perſolvendum, pro inſtruendis, & armandis ſexaginta triremibus, &c.* Et ſimilia verba ſunt in Bulla Pii V. *verſ. Itaque*, & in aliis ſubſequentium Pontificum.

38 De excuſato ſimiliter dicendum eſt ex Bulla Pii V. & aliis Bullis poſteà conceſſis, ubi unius vicini decimæ auferuntur, & Regi Catholico applicantur. Ergo cùm omnes, licèt exempti, comprehendantur in dictis Bullis, cur non Canonici S. Juſti, & Portionarii Toletani in his dimidietatibus fructuum non comprehendentur.

39 Et confirmatur, nam Pontifices omnes comprehendunt ad ſolvendum, & excuſatum, niſi qui nominatim fuerint exempti, ibi: *Et aliis tunc nominatis exceptis*. Aſt in dictis Bullis non excipiuntur Canonici S. Juſti, nec Portionarii Toletani. Ergo ſunt comprehenſi in his dimidietatibus.

Rurſus licèt Bulla Sixti IV. haberet clauſulam, *Omni onere deducto*, adhuc nullius erat ponderis, quia ſolùm poterat durare uſque ad novam conceſſionem ſubſidii; nam ex tunc intelligitur clauſula illa revocata, ut in penſionibus conceſſis cum clauſula, *Ab omni onere ſubſidii, & excuſati immunibus*, quæ per novam conceſſionem prorogatur ad aliud quinquennium, ut dicunt relati *num.* 34. Rota 2. *part. diverſ. deciſ.* 161. Cùm ergo per tantos annos antecedat Bulla Sixti IV. & poſteà ſupervenerint Bullæ Pii IV. & cæterorum Pontificum, conſequenter etiamſi haberet illam clauſulam, jam erat derogata, prout derogatur in Bullis penſionis, de quo nulla poteſt dari diſparitas.

40 Rurſus inter Doctores illa eſt communis diſtinctio, an Bulla, in qua eximitur quis à ſubſidio, & excuſato, ſit anterior quàm Bullæ conceſſionis eorum, aut poſterior: ſi enim eſt poſterior, uſque ad novam conceſſionem durat; ſi eſt anterior, ſtatim eſt derogata, nec amplius poteſt valere. Moneta *de decimis, cap.* 9 *quæſt.* 3 *nu.* 89. Barboſa *de exig. penſ.* 1. *part. quæſt.* 7. *num.* 31. Bulla Sixti IV. eſt antiquiſſima, & anterior quàm Bullæ Pii IV. & aliorum Pontificum concedentium ſubſidium, & excuſatum. Ergo licèt haberet aliquam clauſulam eximentem ab omni onere, jam clauſula illa eſt derogata. Ergo tenentur ab ſubſidium, & excuſatum pro ſua dimidietate fructuum. Id verò maximè, quia Sixtus IV. non potuit eximere à ſubſidio, & excuſato, quod non erat in rerum natura, *l. Non omnis* 19. *ff. de Rebus credit.* Argellus *de legitimo contract. quæſt.* 10. *nu.* 36. Tuſchus *lit A, concluſ.* 125. Gratianus *tom.* 5. *cap.* 948. *nu.* 38. Flaminius *de confidentiis quæſt.* 27. *num.* 139.

41 Sed dices Bullam Canonicorum & Portionariorum, ſic eſſe interpretatam per conſuetudinem, ut ex illa dimidietate fructuum non ſolvant ſubſidium, & excuſatum: conſuetudo autem eſt optima legum, reſcriptorum, & ſcripturarum interpres, *l. Minimè* 23. *ff. de legibus*. Guttierrez *lib.* 3. *practicar. quæſt.* 10. *à num.* 76. Matheu *de re criminal. controverſ.* 6. *num.* 61. Salgado *de Reg. protect.* 1. *part. cap* 1. *num.* 123. Vela *diſſert.* 30. *à num.* 61. Barboſa *in cap.* 8. *de conſuetud. à num.* 6. Ergo ſaltem ex hac conſuetudine non tenebuntur ad ſolvendum ſubſidium, & excuſatum ex dimidietate fructuum. Sed facilè reſpondetur, quia doctrina illa procedit quoties reſcriptum, ſcriptura, vel aliud inſtrumentum continet aliquod dubium; tunc enim ſtandum eſt obſervantiæ, & conſuetudini; *cap. Cùm dilectus* 8. *de conſuetud.* Guttierrez *dict. quæſt.* 10. *num.* 76. Salgado *dict. cap.* 1. *in prælud. num.* 222. Capponi *tom.* 5. *diſcept.* 363. *nu.* 30. Aſt in dicta Bulla nullum eſt dubium, nec ulla ſunt verba dubia excuſantia Canonicos à ſolutione ſubſidii, & excuſati: tum ſi eſſent, ſunt derogata per Bullas ſubſequentes. Ergo conſuetudinis interpretatio nulla eſt, nec poteſt admitti. Quin potius conſuetudo iſta eſt iniqua, & contra legem naturalem, locupletando Canonicos, & Portionarios cum maximâ, & continua jactura Beneficiatorum; & conſequenter eſt corruptela, quæ eſt tanto deterior, quanto diutiùs infelices animas detineat alligatas, *cap. fin. de conſuetud. cap. Cùm in Eccleſia* 9. *de ſimonia, cap. Cùm haberet* 5. *de eo, qui duxit in matrimon.* Nec tanti graviminis habent excuſationem, quando cum tanto dolore, & indignatione Beneficiatorum, cum ſubſidio, & excuſato eos onerent, & cenſuris gravent, niſi aliquo modo reſipiſcant, prout etiam faciunt percipiendo medietatem fructuum in permutationibus Beneficiorum, quod numquam fuit admiſſum, ſed paucis ab hinc annis ab eis introductum eſt cum graviſſimo damno hujus Archiepiſcopatus, difficillimas faciendo permutationes quotidie neceſſarias ad bonum regimen animarum, non animadvertentes Bullam Sixti IV. ſolùm fuiſſe confirmatam à Leone X. quatenus erat in conſuetudine, ibi: *Vnde medietas vigore literarum hujuſmodi percipi conſuevit*. Et infrà: *Vnde medietas literarum hujuſmodi vigore percipi conſuevit*. Verùm ipſi Canonici, & Portionarii jam cenſuris, jam blanditiis, & liberalitate aliquando in permutationibus etiam dimidietatem percipiunt, ut credo, per quindecim annos, plus, vel minus: quapropter ſimiles poſſeſſiones minimè eis ſuffragantur, utpote mala fide, & ex titulo nullo procedentes, Pariſius *lib.* 8. *conſ.* 27. *nu.* 119. Aymon *conſ.* 134. *n.* 44. Bellonus *conſ.* 20. *col.* 9. *verſ.* 3. Mareſcotus *var. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 59. Poſthius *de manut. obſervat.* 42. *ſub num.* 66. & *obſervat.* 48. *num.* 11. & 12. Rota apud eumdem *deciſ.* 537. *num.* 7. Quapropter reſolvendum, teneri Canonicos S. Juſti, & Portionarios Toletanos ad ſubſidium, & excuſatum in ſua dimidietate fructuum Beneficii primi anni vacantis, ad quos tranſit cum onere illo, ut diximus *nu.* 30.

Eſt verò aliud dubium exarandum, an quando quis non 42
debet ſubſidium, & excuſatum, veluti Penſionarius intra quinquennium, cum clauſula, *Omni onere deducto ſubſidii, &c.* verùm ipſe ſolvat abſque proteſtatione pro prima vice, poſteà remaneat obligatus ad ſolvendum? Et affirmandum videtur; nam ex eo quod non proteſtatur, nec jus ſuum reſervavit, ſolutio facta eſt voluntaria, non ſolùm pro illa vice, ſed in poſterum, *l. Voluntariæ* 12. *C. de excuſat. tut. cap. Accedentibus* 15. *de Privilegiis, cap. Cùm acceſſiſſent* 8. *de Conſt.* quia intelligitur privilegio ſuo renuntiaſſe: Ergo non ſolùm pro illa vice ſolvere videtur, ſed in poſterum ad ſolutionem obligatur. Confirmatur; nam ad renuntiationem privilegii ſufficit unus actus contrarius, ut eſt textus *in d. cap. Cùm accepiſſent*, ubi per unicum actum contrarium factum à Capitulo, & confirmatum à Papa, deſtruitur privilegium, ob præſumptionem renuntiationis. Ergo ex eo, quoad abſque aliqua proteſtatione penſionarius, aut alter exemptus ſolveret ſubſidium, & excuſatum, etiam in poſterum tenebitur ſolvere.

Sed tamen ut probabilius tenet contrarium Palao *d. tom.* 43
2. *tract.* 13. *diſput.* 1. *punct.* 11. §. 8. *nu.* 2. *verſ. quod ſi hæc*. Et ratio eſt, nam quoties exemptio, ſeu privilegium habet tractum ſucceſſivum, & non unico actu conſtituitur, tunc per unicum actum ſolum contrarium non amittitur, *d. l. Voluntaria* 12. *C. de Excuſat. tut.* quin potiùs plurimi actus ſunt neceſſarii, ita ut per præſcriptionem alterius partis videatur exemptio, aut privilegium renuntiatum,

ut

ut est aptissimus textus *in dict. capit Accedentibus 15. de privilegiis*, ubi plurimi actus requiruntur per spatium quadraginta annorum, ut privilegium renuntiatum videatur. Ergo per unicum actum solvendi in præsenti, exemptio amissa intelligenda non est.

44 In hoc dubio dicendum, resolutionem pendere ab alia controversia, an privilegium per unicum actum contrarium deperdatur. Affirmarunt plures *ex dict. capit. Cùm accessissent*, *l. secunda l. fin. ff. de veter. l. secunda parag. fin. ff. de Decurionibus*, *leg. 1. Cod. qui sponte publica munera*, & per alia congesta ab Altaserra *in dict capit. Cum accessissent*, tenent Abbas, Felinus, & Altaserra *ibidem*, Rebuffus *de decim. quæst. 12. num. 113.* Genuensis *in Praxi, tricen. 6. quæst. 134. num. 2.* Tuschus *tom. 6. lit. P. conclus. 656. num. 10.* Alteri verò negárunt. Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 35. à numer. 12.* Bonacina *de legib disput. 1. quæstion. 3. punct. 6. propos. 3. à numer. 16.* Poncius *de Matrim. lib. 8. cap. 18. §. 3 num. 28.* Castillo *de Tertiis, cap. 19. num. 16.* Otero *de Pascuis, cap. 20. num. 31.* Gironda *de Privilegiis, à n. 107.*

45 Sed hæc difficultas fœdere distinctionis facilè componitur animadvertendo, duobus modis posse considerari privilegium, nempe quando unico actu comprehenditur, vel quando habet tractum successivum, & in multis aliis actibus futuris est exequendum. Primo enim casu, ex unico actu contrario deperditur, quia cùm nullus sit actus, nisi unicus, nequit capi alia conjectura, nisi quod pars privilegiata voluit privilegio renuntiare, ex eo quod egit actum contrarium: quo in sensu intelligenda sunt jura asserentia unico actu contrario privilegium amitti, ut *in dict capit. Cùm accessissent*, quod est melius illius textus interpretamentum, ut benè perpendit Bonacina *dict. proposit. 3. versic. Dixi*; licèt aliis dicant, loqui de statuto, quod nequit valere, etiamsi à Pontifice sit confirmatum, si actu contrario frangeretur Gonzalez *in dict. cap. Cum accessissent*, *num. final.* Amaya *in l. 1. Cod. de his, qui sponte, lib. 10. numer. 27.* Si verò privilegium non unico actu concludatur, sed habeat tractum successivum, tum unico actu contrario non extinguitur, etiamsi formaliter, & materialiter sit contrarius, nisi secundum quid, quoad illum actum, non verò quoad futuros; quia tunc capitur conjectura, nolle renuntiare privilegio, nisi quoad actum præsentem, non verò quoad alios, & quominus sibi præjudicet, ut benè notat Barbosa *in dict. cap. Cum accessissent*, *numer. 7.* Ergo tunc non extinguetur privilegium quoad actus futuros, licèt privilegiatus non protestetur. Gonzalez ubi proximè, & Barbosa *ibidem*, *& prima part. allegat. 26. num. 5.* latè Amaya *in dict. leg. 1. Cod. de his qui sponte, à num. 14.* Palao *de legibus, tract. 3. disput. 4. punct. 19. per tot.*

46 Hinc colligitur, quod si exemptus à subsidio, & excusato, à Collectore impetitus, absque aliqua protestatione solverit, minimè quoad solutiones futuras perdit exemptionem, seu privilegium. Cæterum in specie alia ratione probo; nam licèt admittamus sententiam contrariam, adhuc ex unico actu formaliter, & materialiter contrario non perditur privilegium; quia ut benè scripsit Bonacina *dict. proposit. 3. num. 16. versic. Dixi per actum*, actus iste contrarius ut perdatur privilegium debet esse spontaneus, nec solvens aliquo modo coactus, seu ignorans. Cùm ergo exemptus sit impetitus, & minatus à Collectoribus, ut semper accidit, & jam cœperit coactio, jam non est spontanea solutio, unde præsumatur renuntiatio privilegii: sed conjecturatur, metu censurarum solvisse, & terribilis exactionis subsidii, & excusati appellatione remota, & non retardata solutione: quamobrem etiamsi fisteremus in contraria sententia, quod perditur privilegium exemptionis, solùm erit quæstio quando exemptus spontaneè se offerret solutioni.

47 Verum ad tollendam omnem difficultatem, semper protestandum, metu censurarum solvere pro illa vice, & non alias, ut cum Panormitano, & aliis monet Suarez *d lib. 8. cap. 35. n. 24.*

48 Prorsus est aliud dubium investigandum, an ad distributionem subsidii sint onera deducenda? Prima sententia negat, ex extravagante unica *de Decimis, vers. Ratione*, ubi asseritur, ad decimam solvendam, nempe subsidium ad bellum, non esse deducenda debita Beneficiatorum, licèt ad ea sint obligatæ res Ecclesiæ. Sed hæc onera sunt fructuum, & non deducuntur. Ergo ad solvendum subsidium non sunt onera deducenda. Et confirmatur, nam subsidia, & excusata sunt quædam gabellæ impositæ ad fidei defensionem contra Turcas, & hæreticos. Ast in gabellis onera non deducuntur, quinimò potius solvuntur quàm alia debita ipsius rei. Lassarte *de decim. vendit. capit. 7. num 59.* Azevedus *in l. 10 tit. 6. lib. 3. Recopilat. num. 2. in fin.* Guttierrez *de Gabellis, lib. 7. quæst. 53. per tot.* Ergo idem est dicendum ad solvendum subsidium, & excusatum, prout etiam observatur in decimis prædialibus, quæ integræ solvuntur, nullis deductis oneribus, aut expensis, *cap. Tua nos 26. cap. Pastoralis 28. cap. Cum sint homines 7. de Decimis.* Ergo similiter est dicendum ad contributionem subsidii, & excusati. Moneta *de Decimis, quæst. 2. à num. 52. & quæst. 4. à numer. 174.*

Secunda sententia tenet contrarium, nam subsidium, & excusatum imponitur super fructibus beneficiorum, & fructus semper intelliguntur deductis oneribus, & expensis, præcipuè cùm sint fructus beneficii. Cevallos *quæst. 897. num. 516.* Gonzalez *ad Regul. 8. §. 7. proœm. num. 163.* Parisius *de confidentiis, quæstion. 35. num. 33.* Tuschus *tom. 4. lit. F. conclus. 484. numer. 25.* Et valor beneficii semper intelligitur deductis oneribus, & articulus erit ineptus, nisi dicat, quod beneficium tantum valeat deductis oneribus. Rota *in antiquis decision. 60. de cons. præbend.* Crescentius *decision. 2. de Probat.* Cassadorus *decision. 46. de Præbend.* Rota apud Seraphinum *decision. 1297 num. primo*, Garcia *de beneficiis, quinta par. capit. 3. numer. 164.* Ergo cum subsidium; & excusatum impositum sit in fructibus beneficiorum, inde est, ut prius deducantur onera, & expensæ ipsorum fructuum. Rursus subsidium, & excusatum imponitur per modum collectæ impositæ in ipsis fructibus, variabilis ad modum crescentiæ, aut decrescentiæ fructuum. Bertachinus *de Gabellis, in prælud. numer. 16.* Franchis *decision. 107. numer. 4.* Chassaneus *in Consuetud. Burgund. §. quarto versic. Extraordinarium, numer. 43.* Cùm ergo fructus decrescant per onera, ut observatur in oneribus censualibus, *cap. primo de immunitat. Ecclesiar. in 6.* Velasco *de jur. emphyteut. quæstion. 17. num. 9.* Mena *Variar. lib. 2. quæstion. 21. num. 62.* Garcia *de Expensis, cap. 11. num. 57.* ad contributionem subsidii, & excusati etiam onera debent deduci. Barbosa *dict. allegat. 87. num. 78. & lib. 3. vot. 96. per totum.* 49

Hæc ultima sententia admittenda est: nam ex natura rei semper fructus intelliguntur deductis oneribus, & expensis, & his, quæ ex necessitate eorum sunt solvenda: quod non solum intelligas in dispositione legis, sed in rescriptis, & mandatis Principum. Jason *in dict. leg. Fructus 7. ff. solut. matrimon. num. 16.* Petrus Barbosa *ibidem, num. 14.* Itaque in his rescriptis subsidii, & excusati fructus intelliguntur deductis oneribus, & expensis ad illorum contributionem. 50

Sed est necessarium, ut explicemus de quibus oneribus, & expensis rescripta ista sint intelligenda; sunt enim aliqua personalia ipsius beneficii, veluti jura Episcopalia, procurationes, & visitationes: alia verò onera realia, veluti pensiones, & alia realia ipsorum fructuum, quibus ipsi sunt obnoxii. Navarrus *consil. 48. de Præbend.* Tondutus *de pensionibus, capit. 6. num. 15.* Itaque dubitari poterit, an omnia sint deducenda; Et affirmandum, omnia esse deducenda, quia omnia onera, sive realia, sive personalia, necessariò sunt facienda in ordine ad beneficium, & non sunt contracta ex culpa Beneficiati. Ergo omnia sunt deducenda ex fructibus beneficii, & præcisè ex eis solvenda. Cæterùm in Bullis subsidii non est apposita clausula, *Omni onere deducto*, ex qua onera personalia, & realia non sunt deducenda, ut dicunt Navarrus, & Tondutus ubi proximè. Ergo onera realia, & personalia sunt deducenda ad contributionem subsidii, & excusati. 51

Nec obstant argumenta Monetæ. Nam primum desumptum ex Extravagante unica *de Decimis, versic. Ratione*, quia loquitur de debitis contractis à persona, quæ 52

de-

debet ſolvere decimam; non autem de oneribus debitis ratione fructuum, & ipſius beneficii, quia iſta ſemper ſunt deducenda, non verò altera, etiamſi ad ea ex aliqua licentia, aut facultate res Eccleſiæ fuerint obligatæ, quas indemnes præſtare debet; nam iſta non ſolvuntur ex fructibus tamquam onera ipſorum. Aſt textus ille, quando loquitur de his oneribus ad ſolutionem decimæ, inquit deducenda, ut probatur *in dict. Extrav. verſ. In ſolvendo decimam.*

53 Ad aliud argumentum collectarum dicendum Doctores illos loqui de Gabella apud nos dicta *Alcabala*, quæ imponitur in ipſa venditione, & in ejus celebratione, & debetur non deductis aliis debitis, & oneribus; quia patrimonii quantitas computatur non deducto eo, quod cauſa explicandarum venditionum in proxenetis, & gabellis in ipſa venditione expenditur, *l. Quantitas 72. ff. ad l. Falcid.* ubi Gloſſa, & Scribentes, *l. Quod privilegium, verſ. Planè 8. ff. depoſit.* Guttierrez *d. q. 53. nu 3. & 4.* Ergo nihil mirum ſi gabella debeatur, non deducto ære alio: quæ quidem ratio non procedit in contributione ſubſidii; & excuſat impoſiti ſuper fructibus ſuperſtantibus, deductis oneribus, & expenſis.

54 Paritas decimarum prædialium ad rem non eſt. Illa enim communis eſt diſtinctio, ut decimæ perſonales ſolvantur deductis expenſis, ſecus verò prædiales. Guttierrez *can. lib. primo quæſt. 18. num. 9.* Suarez *de Religione, tom. 1. primo tract. 2. lib. primo cap. 33. numer. 1.* Moneta *de decim. capit 6. num. 32.* diſparitatis rationes plures adduxerunt Doctores, quos refert, D. Gonzalez *in cap. 7. de Decimis, num. 7* Verùm illam, utpote meliorem, admittit Barboſa *in cap. Paſtoralis 28. de Decimis, numer. 1.* quia decimæ perſonales verſantur circa res jam decimatas, verùm prædiales minimè, quia creantur, & renaſcuntur abſque aliqua decimatione. Tum & alia ratio reddi valet; nam quando in ipſis fructibus imponitur certa quantitas ex ipſis ſolvenda, utpote decima pars, non deducuntur expenſæ, *l. Si quis argentum 35. §. 1. iuncta gloſſ. verbo Fundos, Cod. de donat.* Barboſa *in d. l. Fructus 7. ff. Soluto matrimon. numer. 26.* quia renaſcuntur cum ipſo onere, nullis deductis oneribus, ut in decimis tenent Coſta *de Port. Rat. quæſt. 140. num. 12.* Borrellus *in Summa deciſ. tit. 19. num. 6.* Franciſcus Marcus *deciſ. 34. nu 5 & 6.* Itaque decimæ prædiales ſolvuntur, nullis deductis expenſis, quod quidem ceſſat in impoſitione ſubſidii, & excuſati, quæ per Bullas, & concordias redacta ſunt ad quantitates ſolvendas ſuper fructibus beneficiorum, in quibus deductæ expenſæ, & onera intelliguntur.

55 Unde ſequitur, ad contributionem ſubſidii, & excuſati expenſas, & onera realia & perſonalia eſſe prius deducenda, inter quæ tenentes neceſſarii, Prædicatores, & alia neceſſaria ad bonam adminiſtrationem Sacramentorum ſunt prius deducenda.

56 Ex his diſcutiendum venit litigium, quod quondam exagitari cognovi, an ſubſidium, & excuſatum ſolvendum ſit ex beneficiis curatis non habentibus niſi congruam. Verùm in re abſque dubio reſpondendum exiſtimo negativè, quia hoc onus eſt reale fructuum, neceſſariò prius deducendum, ut primò poſſit vivere Beneficiatus, ne adminiſtratio deficiat, *cap. de Monachis 12. de Præbend.* Rota *prima part. diverſ. deciſion. 16. num. 7.* Graffis *deciſion. 6. num. 7. de Præbend.* Bellet. *diſquiſit. Cler. debit. numer. 16.* Ergo beneficium curatum non habens niſi congruam, non tenetur ad ſolvendum excuſatum, & ſubſidium. Cæterum, licèt in Bullis ſubſidii, & excuſati onera alia non deducerentur, neceſſariò eſt congrua deducenda, utpote de jure naturali, & divino debita, ad quam capiendam naturali impulſu ducimur. *Geneſ. capit. 28. verſic. 20.* ibi: *Si dederit mihi Dominus panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reverſuſque fuero proſperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum.* In quæ verba ſic ſcripſit Chryſoſtomus *hom. 54.* ibi: *Non divitias, non abundantiam quandam petivit, ſed panem, & veſtem ad contegendum corpus, illum in neceſſarium alimentum. Conſidera quomodo nobis Apoſtolicum characterem petitione ſua ſignificavit? tanto ſapientiæ ſtudio plenus erat juſti animus. Nunquid quod Chriſtus dicebat, Non poſſideatur aurum, vel argentum, hoc iſte non à quoquam doctus, ſed à ſeipſo, & ab inſito naturæ Magiſtro didicit, & optavit à Domino præberi panem ad comedendum, & veſtem ad tegendum; Et capit. Cùm ſecundùm 16. capit. Extirpandæ 30. de Præbend.* Surdus *de aliment. tit. primo quæſtion. 60. per tot.* Ergo ſemper intelligitur congrua iſta reſervata in indultis ſubſidii, & excuſati.

Deinde Rector Eccleſiæ nunquam in congrua gravatur, nec poterit gravari, etiam à ſuprema poteſtate Pontificis, ut eſt textus clarus *in dict. capit. Extirpandæ*, Flaminius *de Reſignat. lib. 6. quæſt. 2. numer. 22.* Barboſa *in dict. capit. Exſtirpandæ, numer. 4. & in capit. de Monachis 12. de Præbend. num. 3.* Unde Clemens VII. graviſſimè fuit increpatus ab Scriptoribus, ex eo quod quinque decimis gravaſſet Eccleſias, & Eccleſiaſticos ad bellum Ungariæ à Solimano Turcarum Imperatore gerendum contra Imperium Germanorum, itaut plures Rectores ſuas Eccleſias deſerverunt ob victus defectum. Refert Jovius *lib. 30. Hiſtor. cap. 2.* Ergo ſemper erit excipiendus Beneficiatus Curatus à ſolutione ſervitii, & excuſati, ſi non habet niſi congruam. 57

Denique charitativum ſubſidium non poteſt imponi in Beneficiis, niſi congruam habentibus neceſſariam ad victum Parochi, Belletus *dict. §. 12. numer. 19.* Leoncillus *2. part. privileg. 50. numer. 30.* Trullench *lib. 4. Decalog. cap. 1. dub. 7. num. 6.* Ergo ſimiliter eſt dicendum in ſubſidio, & excuſato, cùm ſimiliter ſit charitativum ſubſidium ad urgentem neceſſitatem alicujus Principis Catholici. 58

Quod non ſolùm intelligas in congrua ipſius Curati, ſed etiam Vicarii illius neceſſarii, ſine quo nequit commodè fieri adminiſtratio Sacramentorum ob populi copiam, quia ſalarium Vicarii neceſſarii intrat congruam, ut eſt deciſum *in Extrav un. de Decimis, verſ. Solvetur autem decima.* 59

In praxi tamen video contrarium malè obſervari; indiſcriminatim enim omnia beneficia onerantur ſubſidio, & excuſato, etiamſi non habeant congruam: & id non de jure, ſed de facto procedit duabus rationibus; nam gravamen ſubſidii in his Regnis graviſſimum eſt, & procedit ubſque ad quadringentos & viginti mille ducatos, excuſati verò uſque ad ducentos & quinquaginta millia ducatorum, ſolubile quidem, ſed graviſſimo dolore Eccleſiaſticorum, & rigoroſis exactionibus, quando Regna iſta ferè ſunt depopulata, agricolis diminutis, campis aridis, & abſque cultura relictis, & quamplurimis fundationibus piis per cautelas patronatus laicorum liberatis ab hac ſolutione. Hanc ob rem neceſſitudo iſta ſolvendi tam ingentem quantitatem breviter, & terribili exactione, fuit ut omnia beneficia cum congrua, & ſine ea ad tributum veniant. Quod magnoperè debent animadvertere noſtri Sanctiſſimi Pontifices, ne dando fidem Regiis Miniſtris (qui ut plurimum exaggeratis informationibus tam graves quantitates impetrant, & prorogant) tam facilè concedant hæc indulta, & alia ad ſiſſas perſolvendas, itaut Eccleſiaſtici magis gravati remaneant, quàm alii ſeculares, non in minima, ſed in graviſſima quantitate. 60

Ex qua quidem ſolutione parvum commodum percipit Eccleſia Catholica; videmus enim in Europa hæreticos divites, & victores cum tanta Chriſtianorum ſtrage, arbitres pacis, & gabelli, dantes leges Catholicis Regibus; ſunt enim rogati, ut cum noſtris fœdus percutiant, & ex noſtris bellis triumpha hæretici percipiunt. Deinde Turcæ potentiſſimi adſunt noſtris ſpoliis divites. Precor Cæleſtem Regem, ut ſuis oculis miſericordiæ, & pietatis tanta mala à ſuis Catholicis avertat, & Principes Chriſtianos protegat, atque cuſtodiat. 61

Secunda ratio eſt difficultas litis proſequendæ, ut à ſolutione liberentur, cùm Bullæ iſtæ concedantur adhibita ſtrictiſſima exequutione, cum clauſula, *Non retardata ſolutione*, quæ multum gravat ſolventem, ut latè oſtendit Garcia *de Beneficiis, 1. p. cap. 5. num. 536.* Mareſcotus *var. lib. 1. cap. 22.* Marta *de clauſulis, 1. p. clauſul. 149.* Riccius *4. par. collect. 1163.* Tondutus *de penſionibus, cap. 80. num. 5.* Barboſa *clauſula 162.* Tum alia additur clauſula, *Apellatione remota*, quæ multam vim, & effectus habet. Barboſa *clauſula 9.* Gratianus *tom. 1. cap. 41. n. 17.* Moneta *de commutat. cap. 11. à nu. 487.* Carleval. *de Iudiciis,* 62

tom. 2. lib. primo tit. 2. diſput. 8. numer. 35. quapropter ob difficultatem conſequendi, Curati pauperes non habentes niſi congruam, facilè ſuccumbunt, maximè cùm onerati gravioribus quantitatibus veniant ad tributum.

63 Hinc breviter adnotandi ſunt Canonici S. Iuſti, & portionarii Toletani percipientes dimidietatem fructuum à Curatis non habentibus niſi congruam, & in aliis adhuc congruam nondum attingentibus: quod nequit fieri, cùm adhuc de jure introductum ſit, in his dimidietatibus fructuum primum congruam relinquere. Legant duas Extravagantes, primam nempe *Extravagant. 2. de conſt.* Secundam *Extravagant. unic. Ne ſede vacante*, præterquam quod hoc eſt ſcitiſſimum principium.

64 An Tertiæ Regales teneantur ad ſubſidium, & excuſatum, olim fuit dubitatum. Hodie ſanè illud perſolvunt ut diximus in hoc libro, *cap. 8. n. 52.* & hoc jure utimur. De Capellaniis laicalibus, an teneantur ad ſubſidium, diximus *lib. 2. c. 2. n.* 44.

65 Eſt denique in ſubſidio, & excuſato animavertendum, quando fructus Beneficiorum minuuntur per caſus inſolitos, ut ſterilitatem, grandinem, aut aliter ad infimum valorem perveniunt, ſubſidium & excuſatum, etiam per concordias deſignatum, diminui debere; nam cùm ſint onus reale illorum, inde eſt, ut diminutis fructibus, etiam onera minui debeant, *l. Cura* 4. *§. Inopes, ff. de Munerib. & honorib. l. Forma, ff. de cenſib.* ubi Bart. Purpuratus *lib. 1. conſ. 356.* Gigas *de penſionib. quæſt. 35. num. 8.* Lara *de Aniverſ. lib. 1. cap. 15. num.* 4. Deinde probatur à paritate charitativi ſubſidii, in quo ſi minuantur fructus beneficiorum grandine, bello, aut alia ratione, etiam illud minuitur. Bellencin. *de ſubſid. charit. quæſt. 34.* Azorius *dict. lib. 9. cap. 14. quæſt. 6. verſ. quid dicendum.* Tuſchus *verbo Subſidium, concluſ. 768.* Moneta *de diſtribut. 3. p. quæſt. 9. num. 21.* Ergo idem eſt dicendum de ſubſidio & excuſato. Rebuffus *conſ. 125. num. 11.* Barboſa *dict. alleg. 87. num. 79.*

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

Quibus ex cauſis ſubſidium charitativum exigi valeat.

66 PRælati, qui charitativum ſubſidium petere volunt, accerſito Capitulo, & Clero cauſam petendi declarant, non ſolum ut fundamentum conceſſionis, ſed ut quantitas commenſuretur cum ipſa neceſſitate, *capit. Conquerente 19. de offic. Ordinarii, cap. Cum Apoſtolus 6. §. Prohibemus, de cenſibus.* Sed quæ cauſa iſta ſit, generaliter loquendo, arbitrio diſerti judicis relinquitur. Gloſſa *in dict. §. Prohibemus*, Grammaticus *deciſ. 88. num. 3.* Bellet. *dict. §. 12. num. 3.* Franciſcus Marcus *quæſt. 472. nu. 2.* Leoncillus *dict. privileg. 50. numer. 13.* In ſpecie verò loquendo, aliquæ ſunt cauſæ de quibus in præſentia agendum eſt nobis.

67 Prima cauſa eſt quando adeſt Prælatus pauper, & ad ejus conſecrationem charitativum ſubſidium eſt neceſſarium. Hæc enim neceſſitas eſt in ordine ad dignitatem, & in commune bonum ſubditorum, ut Epiſcopus actus Ordinis exerceat: quare eſt cauſa ſufficiens ad petendum ſubſidium charitativum. Menochius *de Arbitr. caſu 178. numer. 3.* Riccius *prima part. deciſ. 52.* dummodo expenſas neceſſarias non excedat, ut cenſuit Sacra Congregatio 24. Maii 1583. Bellet. *dict. §. 12. num. 4.* Bengeus *de benefic. 2. part. §. 6. numer. 3.* Barboſa *de Univerſ. lib. 3. cap. 21. num. 24.* Torrecilla *Exam. de Obiſp. tract. 2. quæſt. 3. ſect. 3. difficult. 7.*

68 Secunda cauſa eſt quando multa debita contraxit Epiſcopus ad tuendum jus ſuæ Eccleſiæ, & ex bonis illius perſolvi nequeunt. Azorius *dict. cap. 9. quæſt 4.* Tamburinus *de jur. Abbat. tom. 3. diſput. 10. quæſt. 3. num. 4.* Bellet. *dict. §. 12. num. 64.* Idem dicendum quando multas expenſas fecerit in negotiis communibus totius Diœceſis. Innocentius *in cap. 1. de ſtat. Monach.* Belletus *dict. §. 12. nu 4.* Azorius *dict. cap. 9. quæſt. 4.* Barboſa *dict. allegat. 87. num. 30.*

69 Tertia cauſa eſt, ſcilicet quando Prælatus rem magni momenti emerit, neceſſariam ad conſervationem ſuæ Eccleſiæ. Oldradus *conſ. 110.* Bellet. *dict. §. 12. num. 4.* Azorius *dict. quæſt. 4. verſ. Tertiò*, veluti Caſtrum, ut ſe defendat ab hoſtibus. Layman *in Summa, lib. 3. tract. 3. cap. 1. num. 3.* vel ad recuperandam Eccleſiam ab hoſtibus captam. Menochius *dicto caſu 178. n. 5.*

Quarta, ſi Epiſcopus iter agat ad Papam, Imperatorem, ſeu Regem pro utilitate totius Eccleſiæ generalis, in commune bonum, Azorius *dict. quæſt. 4. verſ. 4.* Barboſa *dict. allegat. 87. num. 32.* Idem dicendum quando vocaretur ad Concilium Generale, Menochius ubi proximè, nu. 9. vel ad Provinciale, Azorius *dict. quæſtion. 4. verſic. 6.* Barboſa *dict. allegat. 87. num. 34.* Vel quando Epiſcopus eſt viſitaturus limina Sancti Petri ad adimplendum jus jurandum, juxta formam *in capit. Ergo n 4. de jurejur.* Bellet. *dict. §. 12. num. 4.* Leoncillus *2. par. privileg. 50. numer. 5.* Barboſa *dict. allegat. 87. num. 33.* Aut quando interrogaret ad viſitandam Diœceſim. Bellet. *d. §. 12. n. 4. verſ. 4.* Barboſa *ubi proximè, num. 35.* Torrecilla *d. difficult. 7. n. 26.* 70

Quinta quando lis magna moveretur contra ſuam Eccleſiam. Menochius *dict. caſu 178. numer. 12.* Idem dicendum quando Imperator, aut Rex in domo ſua hoſpitaretur. Menochius nuperrimè allegatus *num. 11.* Balmaſeda *de Collect. quæſt. 6. num. 5.* Barboſa *lib. 3. cap. 21. num. 3.* maximè ſi Princeps habeat regalias. Aſt in hoc caſu obſervandum, maxima moderatione ſubditos eſſe gravandos, quia Rex, vel Imperator à Prælatis Eccleſiaſticis ſemper eſt excipiendus ſumma moderatione, & modeſtia, itaut plus redoleat ſanctitas, & temperantia, quàm apparatus. Azorius *dict. quæſt. 4. verſ. 7.* Trullench. *dict. lib. 4. cap. 1. dub. 7 n. 6.* 71

Sed eſt dubium, an charitativum ſubſidium poſſit imponi ad ſolvendam mediam annatam conſuetam, quando promovetur Epiſcopus ad Epiſcopatum? Prima ſententia negat, quia iſtæ expenſæ fiunt ad utilitatem ipſius electi, non verò Eccleſiæ. Ergo ob hanc cauſam nequit hoc ſubſidium exigi, Remigius de Gonny *de charit. ſubſid. quæſt. 5. à num. 40.* Petrus Duenas *Reg. 89.* Azorius *d. quæſt. 4.* 72

Secunda ſententia affirmat, *ex cap. Cupientes 6. §. Ad hæc, & §. Si verò, de elect. in 6.* Et ratione probatur, nam expenſæ iſtæ fiunt, ut Eccleſia non careat Paſtore, quod eſt maximum bonum illius, & totius Diœceſis. Ergo pro ſolvenda annata rectè exigetur charitativum ſubſidium. Boerius *deciſ. 134. num. 3. & 6.* Tuſchus *verbo Subſidium, concluſ. 767. num. 8.* Leoncillus *d. privil. 50. num. 3.* Barboſa *in cap. Cùm Apoſtolus 16. §. prohibemus, num. 8.* 73

Tertia ſententia cogitandum relinquit. Franciſcus Marcus *1 part. quæſt. 1025. n. 5.* 74

Sed tamen admitto ſecundam ſententiam, quia negandum non eſt, gravia imminere pericula in Eccleſiis, ubi Prælatus deficit, *cap. Magna 6. de vot. cap. Ne pro defectu 41. de elect.* quapropter expenſæ iſtæ, licèt ſint ad confirmationem electi, attamen ſunt utiliſſimæ Eccleſiæ, quia multò plura agere poteſt Epiſcopus electus & confirmatus, *cap. Tranſmiſſam 15. de elect.* nempe illa quæ pertinent ad juriſdictionem. Ergo cùm expenſæ illæ ſint utiliſſimæ Eccleſiæ, inde eſt ut propter eas imponi poſſit charitativum ſubſidium. Cæterùm cauſa conſecrationis Epiſcopi eſt ſufficiens. Ergo & confirmationis, cùm ad eumdem effectum tendant. 75

Quid verò ſi Epiſcopus ob ſuam culpam in pauperiem deveniat, an poſſit exigere charitativum ſubſidium? Prima ſententia negat; nam jura non favent illis; qui propter ſuam culpam in egeſtatem inciderint, *l. Fidejuſſor 7. §. Si neceſſaria, ff. Qui ſatisd. cognat. l. Papinianus 21. ff. de Minor.* Borellus *de præſtant. Reg. Cath. cap. 21. num. 30.* Menochius *conſ. 55. num. 12.* quare minor ſua culpa læſus, non reſtituitur. Nec uſurarius à reſtitutione excuſatur, ſi ſua culpa pauperetur. Velaſco *de Privileg. pauper. 1. part. quæſt. 54. a num. 2.* Ergo Epiſcopus ex ſua culpa pauper nequit exigere charitativum ſubſidium. Bellencinus *quæſt. 26.* Menochius *de Arbit. caſu 182. n. 58.* 76

Secunda ſententia tenet contrarium; nam jura, licèt pauperibus ſua culpa non ita facilè ſubveniant, attamen ſuccurrunt, quia revera pauperes ſunt, & miſericordia proſequendi. Redoanus *de Reb. Eccleſiæ, quæſt. 21. n. 71.* Giurba *deciſ. 43. num. 27.* Velaſco *dict. quæſt. 54. nu. 6.* Carleval. *de Iudic. tom. 1. diſput. 2. quæſt. 6. ſect. 7. num. 616.* Ergo 77

etiamſi

etiamsi Episcopus sua culpa indigeat, potest petere charitativum subsidium. Et confirmatur, nam Ecclesia sua bona vendere potest ad succurrendum pauperi sua culpa. Covarruv. *lib.2. cap.16. num.* 9. Menochius *cons.*55. *n.*41. & 42. estque textus Regius *in leg.* 40. *tit.* 5. *part.* 1. Ergo Episcopus sua culpa pauper, adhuc poterit subsidium charitativum exigere. Layman *dict. lib.*3. *tract.* 3. 1. *part. cap.* 3. *n.*9. *vers. Colligitur*.

78 Hæc sententia Laymani admittenda est; contraria tamen habebit locum, si Prælatus data opera ad paupertatem venisset, ut subsidium exigeret: quo quidem casu non est dignus, ut subsidio succurratur, ut tenet Mantua *in cap. Quæ in Ecclesiarum, de Constit. numer.*64. Gamma *decis.* 26. *num* 2. Velasco *dict. quæst.* 54. *num.* 16. Quod ita intelligendum, nisi adeò sit urgens necessitas Episcopi, ut si non subveniatur, omninò perire; nam extrema necessitas, à qualibet causa procedat, præstat omnia naturalia privilegia ad vitam conservandam. Surdus *de Aliment tit.*7 *quæst* 25. *num* 10. & 15. Azevedus *in l.* 1. *tit.* 1. *lib.*2. *Recopilat. num* 44 Velasco *d. quæst.* 4. *num.* 27. Ergo etiam ad exigendum charitativum subsidium.

79 Causa ista petendi subsidium debet esse manifesta, & rationabilis. Bellet. *d.* §.12. *num.* 2. Si verò dubia fuerit, non est sufficiens, nec in dubio præsumenda est rationabilis; nam textus *in d.cap.Cùm Apostolus*, §. *Prohibemus*, causam manifestam petit, unde excludit dubiam. Bellencin. *quæst.*18. Barbosa *d. lib.*3. *cap.*21. *n.*23.

80 Sed quæ quantitas debet esse hujus subsidii, adhuc certum non est. Extravagans *Vas electionis*, *de Censib.* decernit excedere non debere singulas procurationes, quasi per alium visitaret: sed non est recepta, ut cum aliquibus probat Menochius *de Arbitrariis*, *casu* 179. *numer.* 3. Afflictus *dec* 136. asserit debere esse decimam partem annui redditus. Alexander, quem refert Grammaticus *dec.*88. *in fine.* dicit debere esse dimidium collectæ. Ast asserendum, totum relinquendum arbitrio recti Judicis, qui ex qualitate loci, annuorum redditum, necessitatis, & expensarum perpendat quantitatem exigendam subsidii, & ut si multiplicentur causæ, subsidium augeatur. Grammaticus *dec.*88. *n.*3. Menochius *d.casu* 179. *nu.*4. Leoncillus 1. *p privil.g.*50. *n.*13. Belletus *d.*§.12. *nu.*5. Azorius *d.c.*14. *qu.*8. Barbosa *d. alleg.*87 *n.*37. & *lib.* 3. *c.*21. *nu.* 36. Torrecilla *d. tr.*2. *q.*3. *sect.*3. *difficult.*8 *n.*29.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

A quibus charitativum subsidium exigi possit.

81 PRælati, & alii Superiores, quibus competit facultas exigendi charitativum subsidium, possunt illud petere ab Ecclesiis, & Ecclesiasticis suæ Diœcesis, ex lege diœcesana. Bellencinus *de subsid. qu.* 28. Cochier *de jurisdict. in exempt. q.*25. *n.*8. Barbosa *lib.*3. *c.*21. *n.* 2. Torrecilla *d sect.*3. *difficult.*9. *n.*55.

82 Est tandem dubium, an Prælati Ecclesiastici possint ex causis suprà relatis petere charitativum subsidium à laicis? Et affirmandum videtur, *ex d.cap Cum Apostolus*, §. *Prohibemus*, *de censib.* ubi asserint, posse peti à subsiditis: Sed Clerici sunt subditi Prælatorum Ecclesiasticorum: Ergo ab eis poterunt petere charitativum subdium. Ast contrarium est tenendum *ex cap. Quia cognovimus* 6. 10 *qu.* 3. ubi angarias, & exactiones interdictum est Prælatis Ecclesiasticis imponere laicis. Ergo nec subsidium petere. idem sequitur *ex d. cap. Conquerente* 16. *de offic. Ordinarii*, ubi conceditur Episcopis petere charitativum subsidium à Clericis. Ergo non à laicis. Et ratio est, nam licèt laici sint subditi Episcoporum quoad spiritualia. Glossa *in Clement.* 1. *de for. compet. verbo Subditos*, non tamen subditi sunt quoad temporalia, ut super his subsidia ab eis petant. Deinde licèt Episcopi visitent. Diœcesim, scilicet Clerum, & Laicos, non tamen ab eis percipiunt procurationes, *cap. Cavendum* 7. 10. *q.*3. *cap. Romana* 1. *de censib. lib.*6. Ergo nec hoc subsidium possunt petere. Bellencinus *qu.*26. Azorius *d.c.*14. *qu.*6. Barbosa *d. alleg.*87. *n.*41. & *lib.*3. *c.*21. *an.*36.

83 Excipitur quando laicus ratione alicujus feudi, aut officii contribuere teneretur, quo quidem casu quartam partem annui redditur ipsius feudi reddere tenetur. Afflictus *dec.* 136. Grammaticus *dec.* 88. Barb. *d.alleg.*87. *n.* 42. Quam doctrinam in Regno Neapolitano, ex auctoritate Sacri Concilii admittendam censuit Boerius *dec.* 154. *nu.* 9. Menochius *casu* 179. *n.*3. non tamen de jure communi probatur, sed arbitrio judicis relinquitur.

Clerici, à quibus subsidium exigendum est, debent 84
esse Beneficiati, & habere titulum ad percipiendos fructus, quorum onus reale est subsidium. Barbosa *lib.* 3. *vot.* 96. *n.* 71. aut saltem onus personale in ordine ad fructus. Remigius de Gonny *qu.*25. Layman *d.lib.*3. *tr.*3. 1. *p.c* 3. §. *unic. num.*11. Ergo necessariò clericus debet habere beneficium cùm fructibus, ut subsidium persolvat. Azorius *d. c.*14. *qu.*6. *vers. Insuper.* Trullench *dict. lib.*4. *Decalog. c* 1 *dub.*7. *n.*6. Unde sequitur, Clericos non habentes nisi bona patrimonialia, non teneri ad hoc subsidium persolvendum. Navarrus *cons.*10. alias 5. *de censibus.* Sayrus *dec.*10. *de censibus*, Torrecilla *d. difficult.*9. *n.*36.

Quid verò si Beneficiatus habeat in una Diœcesi Eccle- 85
siam, & in altera prædia, & fructus beneficii, ubi nam solvendum est subsidium? Et resolvendum, solvi debere ubi est Ecclesia; nam ut principalis trahit ad se minus principale, ut sunt prædia, & fructus. Cæterùm in meliori sententia, onus istud est personale in ordine ad fructus. Ergo solvendum ubi est persona Beneficiati. Azorius *d. c.*54. *qu.*6. *vers. Quid dicendum*, Bellencinus *qu.*35. Layman *d.* §. *unico*, *n.* 11. *vers. colligitur*, Barbosa *d.allegat.*87. *nu.*51. Si verò Ecclesia sit in confinio duarum Diœcesum, alternis vicibus Episcopis est solvendum. Barbosa *d. alleg.* 87. *nu.*53.

Est tamen dubium, an quando anteccessor beneficii 86
debitor sit subsidii charitativi, & non est unde solvatur, successor teneatur ad solutionem? Et negavit Dominicus *in cap. Præsenti* 6. §. *Porro*, *de offic. Ordinarii in* 6. & probari poterit hæc sententia; nam in placito aliquorum impositio ista est personalis, in ordine ad fructus; obligatio enim personalis non transit ad singularem successorem Beneficii, *l. emptorem* 9. *C. locat. cap.* 1. *de solut.* ubi Scribentes. Ergo successor in Beneficio non tenebitur ad subsidium charitativum anteccessoris. Prætereà licèt impositio ista sit in ordine ad fructus, est tantùm quoad quantitatem distribuendam, non verò est censenda ut onus reale, aut hypothecarium, ut transire possit ad singularem successorem, *l. Si fundus* 16. §. *In vindicatione*, *l. pignoris* 17. *ff. de pignoribus*, *l. distractus* 14. *C. eod. tit.* Gozadinus *cons.*24. *col.*2. Gratianus *dec. March.*99. *num.*3. &4. Ergo successor in beneficio non tenebitur ad subsidium charitativum anteccessoris.

In contrarium est communis sententia, quia onus istud 87
est reale, & transit cum fructibus ad quemlibet successorem, etiam singularem. Ergo ad illud tenebitur successor in beneficio, si anteccessor non est solvendo. Bellencinus *qu.*5. Azorius *d.qu.*6. *vers. fin.* Barbosa *alleg.*87. *n.*54. & *lib.*3. *c.*21. *n.*38.

Difficultas ista pendet ab examine, an subsidium hoc sit 88
onus personale, aut reale ipsorum fructuum. Aliqui inquiunt esse onus reale fructuum, quia imponitur personis, nam percipiunt fructus; si verò eos non percipiunt, neutiquam imponitur, ut jam dictum est cum Barbosa *lib.*3. *vot* 96. *n.*71. Alii negant, & dicunt esse personale in ordine ad fructus, Layman *d. cap.*3. §. *unico*, *n.*2. cujus doctrinam amplector ex decisione textus *in d.cap. conquerente* 16. *de offic. Ordinarii*, ibi: *Pensatis facultatibus earumdem.* Ex quibus verbis cognoscitur, onera de quibus loquitur textus, prout de quarta, & subsidio, esse personalia, pensatis facultatibus beneficiorum quoad quantitatem solvendam. Nec Barbosa probat contrarium, quia loquitur de subsidio, & excusato Regibus solvendo, quod impositum est à Pontificibus ut onus reale fructuum, ut jam est dictum supra, *n.*31.

Hinc resolvendum, admitttendam esse doctrinam Do- 89
minici, quia est debitum personale, non transiens ad singularem successorem, & ita successor ad subsidium hoc non tenebitur. Secus in alio subsidio, & excusato Regibus debito, quia cùm sit onus reale, ad illud tenetur successor, excussis tamen bonis anteccessoris, ut in pensionibus tenet Rota *apud Seraphinum dec.*1361. *à num.*1. Gratianus *to.*1. *c* 94. *n.*59. Garcia *de Benefic.*1. *p.cap.*5. *n.*199.

Capitula Cathedralium tenentur ad subsidium charita- 90
tivum, utpote magis unita Episcopo, & ejus necessitati-

bus

bus. Moneta *de Decimis*, 3. *p. quæst.* 9. *n.* 20. Idem dicendum de Ecclesiis Collegialibus. Bellencinus *quæst.* 27 Barbosa *dict. alleg.* 87. *num.* 43. Layman *dict. cap* 3. §. *unico*, *num.* 12. Ast Canonici ratione distributionum quotidianarum non tenentur, quia non sunt fructus, Leoncillus *d. privilegio* 50. *num.* 23. Valenzuela *cons.* 4. *num* 138 Moneta *de distribut.* 3. *p. quæst.* 9. *num.* 19. Tamburinus *de jure Abbat. tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 1. *num.* 10. Gonzalez *ad Reg* 8. *in procem. num.* 174. Quoad admittendum, nisi omnes fructus fuissent in distributionibus.

91 Sed an Monasteria teneantur ad subsidium charitativum. Prima sententia affirmat, *ex Clement.* 1. & 2. *de Censib.* ubi asseritur, Monasteria teneri solvere jura, & onera Episcopalia. Ergo & subsidium charitativum, cùm sit jus Episcopale, *dict. cap. Conquerente* 16. *in fin. de offic. Ordinarii.* Ast jura ista non benè probant, quia loquuntur de Monasteriis habentibus Ecclesias sæculares sibi subjectas, quæ anteà subsidium, & alia onera Episcopalia solvebant; & ideo jura illa tenentur solvere. Azorius *dict. cap.* 14. *quæst.* 6. *vers. Item non potest*. Sed ratione probatur, nam omnium interest, tam Clericorum, quàm Religiosorum, habere, & conservare Episcopum, & Ecclesiam illius Episcopatus. Ergo ad subsidium hoc tenebuntur. Abbas *in cap.* 1. *de stat. Monach.* Tuschus *verbo Subsidium*, *concluf.* 766. *num.* 9. Joan. Honorius *in Summa Decret lib.* 1. *tit.* 91. *num.* 10.

92 Secunda sententia tenet contrarium; nam Monasteria sunt exempta à lege Diœcesana, ex quo subsidium hoc imponitur. Ergo illud non debent. Azorius *dict. quæst.* 6. Layman *d. cap.* 3. §. *unico*, *n.* 13. Trullench *dict. cap.* 2. *dub.* 7. *n.* 6. Barbosa *lib.* 3. *c.* 21. *n.* 39. Cochier *de jurisdict. in exempt.* 1. *p. q.* 28. *n* 8. Bengeus *de Beneficiis*, 2. *p.* §. 6. *n.* 8. Minano *Bas. Pontif. tract* 2. *fundament.* 1. *quæst.* 2. §. 5. *n.* 50. Torrecilla *d. difficult.* 9. *n.* 98.

93 Hæc sententia admittenda est ex suo solidissimo fundamento. Unde nec Ecclesiæ exemptæ ad illud obligantur, quando exemptio datur cum plena libertate. Azorius *d. qu.* 6. *vers. Item non potest* 4. *par. de jurisdict. in exempt. qu.* 9. *per tot.* Limita, nisi ecclesia exempta habuerit populum non exemptum, quia ratione illius contribuet ad subsidium; vel nisi privilegium exemptionis habuerit clausulam vulgarem: *Volumus autem, quod Ecclesia hujusmodi exempta, cum charitate priori cum Episcopo suo permaneat*. Barbosa *d. cap.* 21. *n.* 53.

94 Est difficultas, an subditi possint præscribere adversùs charitativum subsidium? Communis sententia negat; nam pedagia, & tributa non præscribuntur, *l. Competit* 6. *Cod. de Præscript.* 30. *annorum*, *l.* 2. *tit.* 15. *lib.* 4. *Recopil.* Ergo nec charitativum subsidium, cùm in locum gabellæ subrogetur. Cæterùm charitativum subsidium procedit in radice à facultativis, in quibus non datur præscriptio. Riccius 5. *p. collect.* 1293. Tuschus *lit. O. concluf.* 537. Moneta *de Optionib. cap.* 8. *n.* 81. Ergo non poterit præscribi. Bellencinus *q.* 47. Rota *dec.* 3. *de Censib. in antiquis*, Leoncillus *d. privileg.* 50. *n.* 7. Bellet. *d.* §. 12. *n.* 9. Azorius *d. c.* 14. *qu.* 7. Barbosa *lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 56.

Sed contrarium tenet Layman *dict.* §. *unico*, *nu.* 15. si adsit præscriptio immemorialis, quia supponit privilegium, *leg.* 2. §. *Ductus aquæ*, *ff. de aqua quot. & æstiv.* Guttierrez *Pract. lib.* 3. *quæst.* 14. *n* 70. Sed per privilegium potest quis eximi à solvendo subsidio. Ergo etiam per præscriptionem immemorialem. Et confirmatur *ex cap. Accedens* 11. *de Præscript.* ubi quis excusatur à solvendis procurationibus propter privilegium. Ergo a solvendo subsidio per præscriptionem immemorialem. 95

Sed in hac difficultate dicendum, duobus modis posse evenire excusationem solvendi subsidium per præscriptionem, etiam immemorialem. Primò, quando tota Diœcesis, & ecclesiæ vellent se excusare per præscriptionem immemorialem, & in hoc casu vera est prima sententia communis, & probatur *ex dict. cap. Accedens* 11. *de Præscript.* ubi præscriptio non conceditur procurationum ad visitandas Ecclesias, nam præscriptio ista tenderet contra commune bonum ecclesiarum, ut inde Prælati negligentes fierent ad illas visitandas. Sed in petendo subsidio adest commune bonum ecclesiarum, & Clericorum, ut diximus §. *antecedenti*. Ergo minimè est admittenda præscriptio immemorialis ad præscribendum contra hoc subsidium. Rursus in causis facultativis non currit aliqua præscriptio, *l. Viam publicam*, *ff. de via public.* Covarruv. *lib.* 1. *var. cap.* 9. *nu.* 2. Subsidii verò causa publica est, & facultativa ex parte episcopi. Ergo contra eam nequit dari præscriptio immemorialis, ut tota diœcesis eximatur. Denique quando tota Diœcesis se excusaret, jam læderet commune bonum. Sed quando læditur commune bonum, præscriptio immemorialis non supponit privilegium. Barbosa *in dict. cap. Accedens*, *nu.* 3. Ergo tota Diœcesis, & ecclesiæ nequeunt se excusare à solvendo subsidio per immemorialem præscriptionem. 96

Secundo autem modo potest evenire, quando aliqua persona particularis, aut ecclesia vellet se eximere per istam præscriptionem; & in illo admitto sententiam Laymani, quia tunc ex hac excusatione non læditur, utilitas publica & commune bonum aliarum ecclesiarum; quia alii multi contribuentes restant. Ergo tunc præscriptio habebit locum, ut ipse excusetur, sicut particularis persona à tributis excusatur per immemorialem præscriptionem, *cap. Super quibusdam* 36. §. *Præterea*, *de verb. signific.* Guttierrez *de Gabellis*, *quæst.* 5. *à n.* 1. 97

Deinde Episcopus nequit liberare à subsidio omnes Ecclesias suæ Diœcesis, sed tantùm aliquam particularem. Azorius *dict. cap.* 14. *quæst.* 7. Bellencinus *quæst.* 47. Layman *d.* §. *unic. n.* 14. quia tunc non læditur utilitas publica. Ergo similiter aliquis particularis, seu Ecclesia poterit liberari per præscriptionem immemorialem. 98

Denique in capite isto animadvertendum, in charitativo subsidio semper procedi appellatione remota; quia causa ista debet esse manifesta, & petit celerem exequutionem. Bellet. *dict.* §. 12. *n.* 34. Salgado *de Protect. Reg.* 1. *par. cap.* 1. *n.* 39. & 3. *par. cap.* 3. *n* 3. 99

LIBER OCTAVUS.

DE DIVERSIS CAUSIS PIIS,

De Obligatione Eccleſiaſticorum dandi Eleemoſynas, vel faciendi opera pia ex redditibus Eccleſiaſticis, tam in vita, quàm in ultima voluntate.

CAPUT PRIMUM.

Quæ ſit iſta obligatione Eccleſiaſticorum dandi eleemoſynas, vel faciendi opera pia ex redditibus ſuis, & à quo jure procedat.

SUMMARIUM.

Beneficia obtinentes in primis ſuam congruam ſuſtentationem, non parcam ex redditibus ſuſcipere valent, n.1.
Congrua dupliciter conſideratur, quoad naturalem ſuſtentationem, aut quoad ſtatum, & decentiam perſonæ, numer.2.
Quando quis tenue beneficium obtinuit non habens niſi congruam naturalem, an debeat eſſe ea contentus, vel quando ex redditibus reparatur Eccleſia, ibid.
Congrua ſecundùm ſtatum arbitrio boni viri eſt taxanda, & explicatur, n.3. Et quid ejus nomine intelligantur, n.4.
Beneficiati, relicta ſibi congrua decenti, ſuperfluum tenentur pauperibus erogare, aut in alia opera pia expendere, & id obligat ad peccatum lethale, numer. 5. & 6.
Quod intelligendum, non ſolùm quando ſunt neceſſitates extremæ, ſeu graves, ſed in communibus, n. 7.
Sed à quo jure procedat præceptum, diſceptatur. Prima ſententia aſſerit procedere à jure Divino, poſitivo, & naturali, à n.8.
Secunda dicit tantùm procedere de jure poſitivo, n.9.
Explicatur, & defenditur hæc ſententia, à n.10.
Ubi circa redditus Eccleſiaſticos quatuor tempora diſtinguuntur. Adducitur Lorca, & explicatur, n.14.
An Beneficiatus in profanos uſus expendens redditus Beneficii, ad reſtitutionem teneatur? Prima ſententia affirmat, n.15.
Secunda tenet contrarium, n.16. & 17. Reſolvitur, à n.18.
An beneficiati habeant dominium in redditibus beneficii. Aliqui dicunt eſſe in vita uſufructuarios, in ægritudine uſuarios, n.20.
Alteri dicunt, in rebus congruæ habere dominium, ſecus in ſuperfluis, n.25. Sed in omnibus habere dominium certius eſt, n.22.
Unde ad reſtitutionem non tenentur, n.23. Fit inſtantia, & reſpondetur, n.24.
Suſcipientes donationes profanas ex redditibus, non tenentur ad reſtitutionem.
Quæ ſint opera pia, in quibus expendendum ſuperfluum redditum, n.26.
Primi ſuccurrendi ſunt pauperes, n.27. Sed ea ſufficiat dare quibuſcumque pauperibus. Affirmant aliqui, ibid. Alteri dicunt dandos eſſe Parochianis, n. 28. Explicatur, n.29. & 30. Enumerantur alia opera pia, quibus hi redditus ſunt applicandi, n. 31. An opera pia intelligantur ſubſidia, quæ dantur Regibus; Affirmat Hurtado, & explicatur, n.32.

1 EX redditibus eccleſiaſticis Beneficia obtinentes, in primis ſuam congruam, & decentem ſuſtentationem debent accipere, non parcam, nec miſeram (Dominus enim largitor eſt liberalis) ſed ſecundùm perſonam, & ſtatus decentiam, §. *De Monachis* 12. *c. Cùm ſecundùm* 16. *c. Extirpandæ* 39. *de Præb. cap. 2. de ſupplenda neglig. Prelat.* Iſta enim congrua debitum eſt, & neceſſariò concedenda, ratione miniſterii, & occupationis Eccleſiaſticæ, & propria fit ipſius Beneficiati. Rota *diverſ. 1. part. dec. 16. n. 1.* Gregorius XV. *dec. 429. nu. 1.* ubi Beltr. *lit. A.* Mantica *dec. 250. nu. 1.* Rota apud Merlinum *dec. 73. n. 5.* Hurtado *de congrua, lib. 2. reſol. 1. §. 2.*

Hæc enim congrua dupliciter conſideratur. Primùm 2
quoad naturalem ſuſtentationem, & onera præciſa Eccleſiæ. Secundò habita ratione perſonæ, nobilitatis, litteraturæ, vel aliarum circumſtantiarum. In aliquibus caſibus tantùm congrua quoad primum modum conceditur, veluti quando quis à principio beneficium obtinuit, non habens niſi naturalem ſuſtentationem; tunc enim ea contentus nequit ampliorem petere, quia ex eo quod acceptavit, ex quaſi contractu ſe obligavit ad intereſſendum pro illa naturali congrua. Rota 1. *part. diverſ. deciſ.* 420. *num.* 4. Mantica *deciſ.* 22. *num.* 1. Rebuffus *de congrua, nu.* 92. Barboſa *in cap. de Monachis* 12. *de Præbend. numer.* 6. Velaſco *de Privileg. pauper. 1. par. quæſt. 11. à numer.* 24. Idem dicendum quando congrua relinquitur aliquibus Beneficiatis delinquentibus, quorum bona licèt ſubhaſtentur, adhuc tamen alimenta neceſſaria eis relinquuntur, ne Clericus in dedecus ſui ſtatus mendicare cogatur, ut cùm Diez advertit Tondutus *tom. 1. quæſt. benefic. 2 part. cap. 1. §. 11. à num.* 15. Eadem congrua Beneficiatus relinquitur quando reparatur Eccleſia, vel inſtauratur. Riccius 4. *part. deciſ.* 293. *nu. m.* 9. & *in praxi aurea, 1. part. reſol.* 476. *numer.* 4. Comitolus *Reſponſ. Moral. lib. 1. quæſt.* 83. *concluſ.* 3. Barboſa *ad Concilium, ſeſſ. 21. de Reformat. cap. 7. num.* 10. quod examinavimus *lib. 5. cap* 6.

Altera verò congrua non ſtrictè ſumpta, ſed quæ dan- 3
da eſt ſecundùm ſtatum, perſonam, & conditionem Beneficiati, latitudinem recipit, & quantitas illius ex arbitrio boni viri pendet, & aliquando ex amplitudine nobilitatis, litteraturæ, & aliarum circumſtantiarum creſcit, quia ſimiles Beneficiati magis influunt ad authoritatem, & ſplendorem eccleſiæ, ut latè probat Thom. Hurtado *de Congrua, tom. 1. lib. 2. reſolut. 1. à ſect.* 6. Rota *in noviſſ. 2. p. deciſ.* 449. *num.* 7. Gloſſ. *in cap. Conquerente* 9. *de Cleric. non reſident. verbo Sufficientia.* Quapropter ſe extendit ad honorabilem ſuſtentationem ſui, & ſuæ familiæ, non pompaticè, itaut Beneficiatus luxuriosè vivat, ſed modeſtè ſecundùm ſtatum. Itaque optimè D. Chryſoſtomus *homil.* 15. ait: *Magna oportet Doctoribus affatim miniſtrare, de deficiant, ne reſolvantur, nec minimis occupati, magnis ſe ipſos, ac alios privent.* Id enim totum pro religione recti arbitrii penſabitur. Rota *apud Seraphinum, 1. p. dec.* 173. *num.* 1. Sylveira *opuſcul. 2. reſ.* 32. *qu.* 3. *nu.* 19. Tapia *lib. 3. qu. 5. ar. 8. §. 6.*

In hac autem congrua non ſolùm intrat dicta honorabi- 4
lis ſuſtentatio, ſed etiam honeſta convivia, recreationes modeſtæ cum amicis, vel cum extraneis; tum ſigna remuneratoria præbere, hoſpites non ſolùm pauperes admittere, verùm etiam alios, quando urbanitas, & humanitas petat, aliquid reſervare providentialiter ad infirmitates, vel litem. Quæ quidem congrua rectè ut propria ad Beneficiatum pertinet, ut benè expendat, nec de ea tenetur aliquid ſubtrahere ad eleemoſynandum, quia

in

in ea nullum adeſt præceptum. Molina *de iuſt. tract. 2. diſput.* 145. Sanchez *conſ. lib. 2. cap. 2. dub.* 42. Becanus *de juſt. cap. 3. num.* 7. Bonacina *de obligat. Sacerdot. diſput. 14. punct. 2. propoſit. 3. numer.* 7. Palao *Oper. moral. tom. primo tract. 6. diſput. 2. punct. 5. numer.* 9. Covarr. *in capit. Cum in officiis, de teſtament. num.* 2. Thom. Hurtado *d. lib. 2. reſol. 5. ſect.* 10.

5 Igitur aſſerendum, Clericos Beneficiatos (relicta ſibi congrua) quidquid ſuperſit teneri pauperibus erogare, aut in alia opera pia expendere; nam bona iſta quæ ſuperſunt, pauperum ſunt, & adhuc finem deſtinata, *cap.* 1. 12. *quæſt.* 2. *cap. Quia* 69. 16. *quæſt.* 1. Trident. *Seſſ.* 25. *de Reformat. cap.* 1. Ergo illa eis debent concedere, aut in opera pia divertere. Unde eleganter quæritur D. Bernardus *ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem*, per hæc verba: *Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt: Dicite Pontifices in freno quid facit aurum: Numquid in freno repellit frigus, ſive eſuriem: Nobis frigore, & fame laborantibus, quid tot conferunt tot mutatoria, vel extenſa in perticis, vel plicata in manticis? Noſtrum eſt quod effunditis: nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis. Vita noſtra cedit vobis in ſuperfluas copias: noſtris neceſſitatibus detrahitur, quod accedit vanitatibus veſtris.* Alia proſequitur *epiſtola* 173. *ad Falconem*. Origenes *homil.* 16. *in Matth.* Proſperius *de Vit. contemplativa, lib. 2. cap.* 9. Concilium Antiochenum *cap.* 25. Triburienſe *cap.* 13. Aquiſgranenſe *cap.* 7. Gratianus plura referens 12. *quæſt.* 1. Bellet. *diſquiſit. clerical. tit. de bon. Clericor.* §. 10 *n.* 7. Narbona *in l.* 35. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopilat. gloſſ.* 3.

6 Hoc enim præceptum non quomodolibet obligat, ſed ad peccatum mortale, ut depromitur ex Trident. *dict. ſeſſ.* 25. *cap.* 1. ubi tam enixè præcipit non eſſe conſanguineos ditandos ex redditibus Eccleſiaſticis, ſed tantùm ut pauperes ſuccurrendos, cùm ad pias cauſas ſint bona illa deſtinata. Unde percipitur, præceptum hinc obligare ad lethale. Tum etiam ex natura ſtatus; nam Eccleſiaſtici ſunt patres pauperum, *cap. Epiſcopus* 23. 16. *quæſt.* 1. *cap. gloria* 71. 16. *quæſt.* 2 quare debent prælucere dando eleemoſynas cum pietate, miſericordia, aliàs graviter peccant. Cæterùm ea intentione dantur redditus beneficiorum ab Eccleſia, ut ex ſuperfluis eleemoſynam concedant recipientes, & alia opera pia conficiant: quapropter ſi ad profana divertant, graviter peccant, ut latè proſequuntur Layman *in Summa lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 3. Palao *dict. tract.* 6. *diſput.* 2. *punct.* 5. *numer.* 6. Leſſius *de Iuſtit. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *à num.* 41. Molina *de Iuſt. tract* 2. *diſput.* 144. Sarmiento *de Reddit.* 1. *part. cap.* 1. *num.* 1. Rubeus *Pract. in prælud. num.* 536. Sylveira *dict. opuſc.* 2 *reſol.* 31. *quæſt.* 2. *num.* 10. Cevallos *com. quæſt.* 188. *num.* 9.

7 Quod non ſolùm intelligendum quando extremæ, aut graves ſunt neceſſitates, in quibus ſeculares etiam eleemoſynare tenentur, ſed graviori obligatione, etiam in communibus, cùm ad id redditus iſti præſtentur. Tapia *in cap. lib.* 3. *quæſt.* 4. *art.* 8. §. 3. Moya 2. *part. ſelect. ad tract.* 6. *miſcel. diſput.* 6. *quæſt.* 2. Semper enim aufugiendum, ne bona iſta detineantur, ſed curandum ut pauperibus erogentur. Idcircò D. Bernardus *ſermon.* 23. *in Cant.* exclamat: *Timeant Clerici, timeant Miniſtri Eccleſiæ, qui in terris Sanctorum quas poſſident, tam iniqua gerunt, & ſtipendiis quæ ſufficere debent, minimè contenti, ſuperflua, quibus egeni ſuſtentari valent, impiè, & ſacrilegè retinent, & in uſus ſuæ ſuperbiæ victum pauperum conſumere non verentur: duplici profectò iniquitate peccant, quod aliena diripiunt, & in ſuis vanitatibus abutuntur.*

8 Sed à quo jure proveniat hæc obligatio aſtringens Beneficiatos, ſub lite eſt. Prima ſententia aſſerit, hanc obligationem provenire à jure divino, naturali, & poſitivo. De jure divino probatur, nam ut ſcripſit Sanchez *conſ. lib.* 2. *cap.* 2 *dub.* 38. *in princip.* hæc obligatio deducitur ex multis Scripturæ teſtimoniis. Tum ex Clemente *lib.* 1. *Conſtit. Apoſtol. cap.* 28. qui mentem Apoſtolorum ſatis concepit, & aſſerit Epiſcopos inanes, & inutiles ſumptus facere non poſſe, nec eſſe delicatos; nec ſumptuoſos, verùm tantùm ad conſervandam naturam expendere poſſe. Idem docent SS. PP. D Hieronymus *ad Iſai. cap.* 3. Bernardus *epiſt.* 2. *& in declamat. ſuper Matth. cap.* 19. ad hæc verba, *Ecce nos relinquimus omnia.* Auguſtinus *ſerm.* 37. *ad Fratres* Unde cùm ex Scripturis, Conciliis, & Patribus hæc obligatio deducatur, exiſtimandum à jure divino procedere, & originem trahere. De jure naturali probatur; nam Decimæ, & aliæ res quæ à Fidelibus Eccleſiæ conceduntur, ea dantur conditione, ut aſſumptis neceſſariis, reliquum pauperibus erogetur, vel aliis operibus piis. Concilium Matiſconenſe *can.* 2. Meldenſe *can* 65. *cap. Epiſcopus*, 23. 12. *quæſt.* 1. *l. Iubemus* 10. *Cod. de Sacroſanct. Eccleſiis*. Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 10 *nu.* 52. Bollo *in œconom can.* 3. *claſſ. cap.* 4. §. 7. Ergo Beneficiati de jure naturali tenentur ſuperfluum dare pauperibus, cùm de jure naturali ſit pacta ſervare, & eorum conditiones, *l.* 1. *ff. de pact. l.* 1. *ff. de conſtit. pec. l. fin ff. Naut. caup. & ſtab.* De jure poſitivo etiam probatur; nam præceptum hoc multis in juribus eſt impoſitum, ut tenent Navarrus *de reddit. quæſt.* 1. *num.* 11. & 19. Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 18. Delugo *de Iuſt. diſp.* 4. *ſect.* 2. *num.* 16. Palao *dict. diſp.* 2 *punct.* 5. *num.* 6. R. Moya *dict. diſp.* 6. *quæſt.* 2. §. 1. dicit probabilius Sanchez *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 40. *num.* 2. Unde infert, Summum Pontificem teneri ad hoc præceptum, nec in contrarium aliquam conſuetudinem valere. Navarrus ubi proximè. Lugo *d. num.* 16. Thomas Hurtado *d. lib.* 2. *reſol.* 2. *à numer.* 579.

Secunda ſententia tantùm aſſerit, eſſe de jure poſitivo. 9
Ducitur, nam Scripturæ teſtimonia, & Sanctorum Patrum, non probant, hanc obligationem Eccleſiaſticorum eſſe de jure divino, ſed tantùm demonſtrant ſtrictam obligationem Eccleſiaſticorum dandi eleemoſynam ex ſuperfluis: tum ne conſanguineos ditent, quoad à temporibus Apoſtolorum obſervatum eſt in Eccleſia, *Can.* 39. *Apoſtolor* Cæterùm quoad jus naturale ſimiliter probatur, quia Fideles non dant decimas, primitias, & oblationes præciſa Eccleſiæ liberaliter, itaut in eis poſſint apponere aliqua pacta, conditiones, ſeu obligationes, *cap. Verùm* 4. *de condit. appoſit.* tanquam debitum juſtitiæ, *cap. Decimas* 7. 16. *quæſt.* 7. *cap.* 1. *cap. Parochianos* 14. *de Decim.* Barboſa *de offic. Parochi*, 3. *par. cap.* 28. §. 2. quapropter nequeunt apponere in illarum præſtatione aliqua pacta, conditiones ſeu obligationes dandi pauperibus, aut convertendi ad aliqua opera pia; & ideo tantùm erit obligatio iſta de jure poſitivo. Et confirmatur ex nonnullis extravagantibus Iulii III. & Pauli IV. ubi pleniſſima facultas conceditur aliquibus perſonis teſtandi ad profana de redditibus; tum ut propinquis concedant, quod neutiquam concederent Pontifices, ſi hæc obligatio fuiſſet de jure naturali, & divino. Sotus *de Iuſt. lib.* 10. *quæſt.* 4. *art.* 3. Leſſius *de Iuſt. lib* 1. *cap.* 4. *dub.* 6. *numer.* 47. Bauny *in Theolog. Mor. tom.* 3. *lib.* 2. *tract.* 9. *quæſt.* 4. Filliucius *de ſtat. Cleric. tract.* 43. *cap* 7. *n.* 11. *verſ. Sed dices, & n.* 12. *&* 13. Vaſquez *de reddit. cap.* 1. §. 1. *dub.* 1. *à n.* 32.

Ut verò hanc difficultatem capiamus, obſervandum, 10
Eccleſiam pro diverſitate temporum diverſis modis redditus, & bona Eccleſiaſtica diſtribuiſſe. Quamobrem quinque tempora ſunt conſideranda. Primò enim tempore naſcentis Eccleſiæ Chriſtiani, ſive Eccleſiaſtici, ſive Laici, proprium non habebant in particulari, ſed rebus omnibus venditis & oblatis, ex earum pretio omnes alebantur, *Act. Apoſt. cap.* 4. Succeſſit tempus ſecundum, ubi laici ſua bona habebant, verùm Eccleſiaſtici in communitate vitam agebant; nihil tamen habebant in particulari, ſed in communi prædia & alia bona penes Eccleſiam remanebant. Epiſcopus verò redditus & fructus diſtribuebat, & inſimul decimas; quibus Clerici adebantur, *cap. Expedit* 12. *cap. Videntes* 16. *cap. Duo ſunt* 7. 16. *quæſt.* 1. Tertium fuit tempus, quo Clericis ægrè ferentibus rebus propriis privari, proprium patrimonium illis conceſſum eſt, illa verò adjecta conditione, ut nihil caperent de bonis aſſignatis ad pauperem alimoniam, *cap. Certè ego* 18. *cap. Epiſcopi* 19. *cap. Epiſcopus* 23. 12. *quæſt.* 1. Aliquando tamen Clericis, ſive Monachis benemeritis, vel peregrinis ad tempus bona Eccleſiæ concedebantur, ad ipſam poſtea reverſura, idque Precariæ nomine. Concilium Tolet. VI *cap.* 5. Aurelianenſe IV. *can.* 34. & aliquando Precariæ renovabantur, *cap. Precariæ* 5. 10. *quæſt.* 2. Unde Eccleſiaſtica beneficia originem habuiſſe conjectat Baronius anno 502.

Quartum deinde tempus advenit, quo fiebant cumulus 11
omnium reddituum Eccleſiæ, & eorum diſtributionem peragebat Epiſcopus. Erat verò tunc proprius Parochus, & cæteri Presbyteri tanquam adjutores illius, *cap. Epiſcopus* 23. *cap. Præcipimus* 24. 12. *quæſt.* 2. Deinde diviſio facta

fuit

fuit Parochiarum, & proprii Rectores cuilibet designati, & facta est decimarum distributio, quarum una pars dabatur Episcopo, altera Parocho proprio, tertia Fabricæ Ecclesiæ, & quarta pauperibus, *cap. Quatuor* 27. *cap. De redditibus* 28. *cap. Cognovimus* 29. *cap. Sancimus* 30. 12. *qu.* 2. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 7. Quamvis in Concilio Toletano IV. *cap.* 3. hæc quarta pauperum fuit suppressa, *cap. Constitutum* 60. *quæst.* 1.

12 Quintum denique advenit tempus, in quo Episcopi, exceptis iis bonis, quæ ad Episcopalem mensam pertinent, vel ad Capitula Cathedralium, nihil habent nisi tertiam partem; reliquum verò Doctoribus Ecclesiarum conceditur cum onere Fabricæ, vestimentorum sacrorum, & insimul cum obligatione elargiendi eleemosynas. In quo quidem regula certa nequit dari, quia sunt diversæ distributiones, prout diversæ Ecclesiarum consuetudines, quibus standum est, *cap. De his* 7. *in fin.* 10. *quæst.* 1. *leg.* 19. *tit.* 20. *p.* 1. Castillo *lib.* 6. *controvers. cap.* 4. *nu.* 1. Explicant hæc tempora Eusebius, Nicephorus, Genebrardus, & alii sequuti à Balboa *in cap. Quarta, de præscript. num.* 6. Duenas *regul.* 72. Selva *de Beneficiis*, 1. *part. quæst.* 4. *n.* 12. Boetius Epo *in cap.* 1. *de testam. nu.* 41. Fagnanus *in capit.* 1. *de pecul. num.* 15. Barbosa *de univers. iur. lib.* 3. *cap.* 17. *nu.* 3. Minano *Bas. Pontifi. tract.* 2. *fundament.* 2. *quæst.* 7. §. 6. *à num.* 11. Tapia *dict. art.* 8. §. 1. *num.* 2. Thomas Hurtado *dict. lib.* 2. *resolut.* 1. §. 1.

13 Ex dictis sequitur, dispositionem, & distributionem redditum totam pendere à jure positivo, & Summos Pontifices circa illos, ut magis conveniens rationi, & causæ, posse liberè disponere: quamobrem redditus isti ex eodem jure applicati sunt Ecclesiasticis cum obligatione erogandi superfluum in eleemosynis, ac aliis operibus piis. Et consequenter hanc obligationem à jure positivo procedere, conformem tamen juri divino, & statui Ecclesiastico, in quo debet vigere summa pietas, & misericordia erga pauperes, & alia opera pia. Tum avaritia tanquam pestis ab Ecclesiasticis est aufugienda; quare superfluum ex redditibus debent pauperibus erogare: qua instante ratione, id à jure dispositum sub pœna gravissimæ culpæ, alias rapinam, & sacrilegium dicit Bernardus *epist.* 2. *ad Canon. Lugdun.* ibi: *Quidquid præter necessarium victum, & simplicem vestitum de Altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Dicit enim Bernardus sacrilegium esse: nam redditus, & bona Ecclesiæ sunt Christo Domino sacrata, & Deo dicata. Tiraquellus *de Constit. limit.* 16. *nu.* 3. Joan. Valer. *de differ. utriusque for. different.* 1. *num.* 5. itaque injuriam recipiunt, si non piè erogentur, ut ratiocinatur Diana *p.* 10. *tract.* 11. *ref.* 35. Tum & vocat rapinam, non quia verè est rapina, sed per allusionem; quia quæ sua obligatione danda sunt, pauperibus subtrahuntur, & grave peccatum committitur. Sanchez plures referens *d. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 38. Bonacina *de oblig. Benefic. disput.* 4 *punct.* 2. *n.* 2. Villalobos *in Sum.* 1. *p. tr.* 32. *difficult.* 5. *nu.* 5. Sylveira *opusc.* 2. *ref.* 32. *qu.* 1. *n.* 4.

14 Hinc admittendas non est Lorca 2. 2. *qu. est* 32. *art.* 9. *sect.* 3. *membr.* 2. *num* 44. dicens in Trident. *sess.* 25. *cap.* 1. non probari hoc præceptum dandi eleemosynam ex superfluis reddituum, quia tantùm dicit consanguineos non posse ditandos ex bonis Ecclesiarum; non autem loquitur de redditibus. Sed vir ille perdoctus non prospexit litteram, quæ apertè loquitur de redditibus, ibi: *Omnino verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant.* Quare contrarium est tenendum Diana *d.* 10. *p. tr.* 11. *ref.* 35 Palao *d. punct.* 5. *n.* 6. *vers. Fundamentum*, Hurtado *de Congrua, lib* 1. *ref.* 1. §. 5. *n.* 74. Cevallos *qu.* 388. *n.* 9.

15 Prorsus in re erit exagitanda quæstio, an Beneficiatus qui superfluum redituum ad profanos usus divertit, ad restitutionem teneatur, tantumdem supplendo de suo patrimonio, vel alias ex aliis redditibus parcè vivendo? Prima sententia affirmat; nam in his fructibus, quæ concedun tur Beneficiatis, duo sunt consideranda. In primis congrua decens, & in ea habent dominium, & quasi bona patrimonialia eorum censetur. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 7. Secundò considerandum quod supereſt ex congrua & hoc ad pauperes pertinet, itaut Beneficiati in eo non habeant dominium; ideircò Sanctus Augustinus *contra Petilian.* sic scripsit: *Si enim privatim, quæ nobis sufficiunt, possidemus, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procuratione quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* Sic *cap.* 1. 13. *qu.* 3. *cap. ult. in princip.* 16. *quæst.* 1 *cap. Quod autem* 23. *quæst.* 7. Thomas Hurtado *dict. lib.* 1. *resol.* 1. Villaroel. *Govierno Eccleſiast.* 1. *c. q.* 3. *a* 4. *n.* 16. Cùm ergo Beneficiati in his redditibus dominium non habeant, si eos ad profanos usus divertant, ad restitutionem tenebuntur.

Prætereà horum bonorum Beneficiati sunt tantùm administratores, & dispensatores, sicut & cæteri Prælati, *c.* 1. *cap. Sine exceptione*, 12. *q.* 2 *c.* 2. *de donat.* Abbas *in cap. Cùm esses, de testam. n.* 39. Navarrus *reddit. quæst.* 1. *Monit.* 24. *n.* 4. D. Thomas *quodlibet.* 6. *a n.* 12. Quare si malè administraverint divertendo ad usus profanos, ad restitutionem adstringentur, sicut alii malè bona aliena administrantes, qui nequeunt dispendere, nisi in causa sibi commissa. Escobar. *de ratioc. cap.* 34. *nu.* 12. *in fin.* Thomas Hurtado *dict. resolut.* 1. §. 2. *nu.* 48. Deinde redditus isti dantur ea conditione, ut superfluum pauperibus concedatur, ad restitutionem tenebitur Beneficiatus ex non adimpleta conditione, *cap.* 4. *de condit. appos.* ubi Scribente, *l.* 1. *Cod. quæ sub modo*. Denique hæc obligatio dandi ex redditibus superfluum pauperibus, est de Justitia. Refert plures Delugo *de Iust. disput.* 4. *sect.* 1. *num.* 1. Ergo si Beneficiatus hanc obligationem non adimpleverit, tenebitur ad restitutionem, ut noster Alphonsus tenet *in l.* 12. *tit.* 28. *par.* 3. Gregorius *in l.* 40. *tit.* 5. *par.* 1. *verbo Que lo diesse*, Avendanus *respons.* 19. *à n.* 1. Ancharanus *in princip. dist.* 45. Felinus *in cap. Pastoralis, de Rescript. num.* 6. Navarrus passim *in tract. de reddit.* Petrus Gregorius *de re Benefic. cap.* 5. *n.* 7. latissimè Thomas Hurtado *de Congruo, d. lib.* 1. *resol.* 1. *per tot.* 16

Secunda sententia asserit, Beneficiatos, licèt graviter peccent extendendo superfluum in profanis, non tamen teneri ad restitutionem; nam contraria sententia nititur in fundamento incerto, quippe Beneficiati sunt domini redditum Ecclesiasticorum, ut colligitur *ex cap. unico, de Cleric. non resident. in* 6. Trident. *sess.* 22. *de reforma. cap.* 3. *& sess.* 24. *cap.* 12. quibus in locis loquitur Concilium de fructibus beneficiorum, ut de propriis Beneficiatorum. Delugo *de Iust. disput.* 4. *sect.* 1 *per tot.* Sarmiento *de redditib.* 4. *par. cap.* 1. Squillante *de obligat. Sacerdot.* 4. *part. nu.* 28. Barbosa *de univers. jur lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 10. Garcia *de Benefic.* 2. *par. cap.* 1. *nu.* 5. Ergo licèt Beneficiatus peccet graviter superfluum redditum expendendo ad usus profanos, non tamen tenebitur ad restitutionem. Cæterùm quando ex bonis communibus fit distributio, & inter particulares designantur, transfertur dominium, *l.* 1. *Cod. communit. utriusque jud* illa enim distributio gerit vicem emptionis. Sarmiento *de Redd.* 4. *part. cap* 1. *num.* 4. Gamma *dec.* 242. *n.* 6. Velasco *consult.* 53. *num.* 4. Menochius *lib.* 3. *præsumpt.* 61. Cùm ergo ex redditum Ecclesiasticorum cumulo facta fit divisio, *cap. De redditibus* 28. 12. *quæst.* 2. & diximus à num. 12. dominium eorum ad Beneficiatos transfertur, unde si in profanos usus divertant, peccabunt graviter, sed ad restitutionem non tenentur. 17

Prætereà illa conditio apposita in protestatione à laicis, incerta est, nec aliquo jure probatur; est enim obligatio ista imposita in ipso dominio; quare non impedit translationem dominii. Ergo si Beneficiati malè expendant, peccabunt; sed non tenentur ad restitutionem. Denique hęc obligatio non nititur in aliqua obligatione justitiæ, ut non rectè existimavit Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 3. Sed est præceptum impositum Beneficiatis, fundatum in charitate, & pietate, quam debent habere Ecclesiastici erga pauperes. Ergo licèt peccent, non tamen ad restitutionem adstringuntur. Ita tenent communiter DD. Villalobos 2. *part. tract* 10. *difficult.* 8. *nu.* 7. & 8. Trullench *in Decalog. lib.* 8. *cap.* 2. *dub.* 6. *nu.* 8. Lessius *d. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 6. *nu.* 43. Tamburinus *de jur. Abbat. disput.* 11. *quæstion.* 15. *numer.* 11. Garcia *in Summa, tractat. primo difficult.* 4. *dub. primo nu ner.* 2. Diana *quinta parte tractat.* 8 *resolut.* 31. Sylveira *opuscul.* 2. *resolut.* 32 *quæstion.* 8. *per tot.* Covarruv. *in capit. Cùm in officiis, de testament. numer.* 3. Fagnanus *in cap. primo de testament. à num.* 6. Barbosa *dict. capit.* 17. *num.* 24. 18

In re tamen dicendum, olim fuisse gravem quæstionem, quodnam jus haberent Beneficiati in fructibus Beneficiorum? Quidam dicebant esse tantùm usurarios, alteri verò usu- 19

usufructuarios, quorum placita non admittit Abbas *in cap. Cùm esses, de testament. n.* 27. Verùm plurimi affirmarunt, in vita esse usufructuarios, in morte usuarios. Rota apud Seraphinum *dec.* 594. *n.* 7. & apud Farinacium 1. *p. dec.* 240. *n.* 6. Sperell. *dec.* 82. *n.* 9. Sed hanc distinctionem refellit Covarruv. *in cap. Cùm officiis, de testament. nu.* 4.

20 Tandem dubitatum fuit, an essent domini fructuum, vel redditum; Quæ fuit quæstio celebris inter Navarrum, & Sarmientum, quorum contraria placita divisi sequuti sunt DD. Verùm cardo difficultatis non consistit in fructibus pertinentibus ad congruam; in his enim DD. conveniunt esse dominos, & de illis prout de patrimonialibus disponere posse, ut constat ex D. Thoma 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. cujus verba transcripsit Thomas Hurtado *d. lib.* 1. *resol.* 1. §. 2. *nu.* 47. Sed tantùm in fructibus superstantibus, in quibus cadit obligatio dandi eleemosynam, ut benè distinguit Hurtado *ubi proximè, n.* 44. de Lugo *d. disp.* 4. *sect.* 1. *n.* 4. *vers. Dicet aliquis*.

21 In his igitur quidquid aliqui contradicant, asserendum, etiam Beneficiatos habere dominium. Ratio est, nam post divisionem Parochiarum, ac redditum Ecclesiasticorum, pars illa, quæ ad pauperes erat destinata, permixta fuit cum aliis redditibus, & concessa inseparabiliter Beneficiatis: permixtio verò inseparabilis cum rebus propriis, est modus acquirendi dominium, *l. Si alieni nummi* 78. *ff. de solut.* Pichard. *in §.* 25. & 25. *Instit. de rer. divis.* Ergo Beneficiati, etiam in his redditibus superfluis habent dominium. Deinde decreta privantia Clericos fructibus ob non recitationem Horarum, aut propter non assistentiam, dicunt non facere fructus suos: quod non solùm dicunt de fructibus congruæ, sed & de aliis superstantibus. Ergo apertè demonstrant, omnes fructus fieri proprios Beneficiatorum, ut benè considerat de Lugo *dict. disp.* 4. *sect.* 1. *n.* 4. *vers. Dicet aliquis*. Denique fructus extra congruam applicantur Clericis per modum stipendii, *cap. Quatuor* 27. 12. *quæst.*.... Vasquez *de Reddit. d. cap.* 1. §. 2. *dub.* 1. *nu.* 36. Ergo ex hoc titulo fiunt propria Beneficiatorum, & transeunt ad eorum dominium, ut latè probat Vasquez *dict. dub.* 1. *per tot.*

22 Unde sequitur, quod si Beneficiatus malè superflua bona extra congruam expenderit, graviter peccabit, sed non tenebitur ad restitutionem, cùm verò expendat rem propriam, & solùm delinquat per abusum. Bellet. *tit. de bon. Clericor.* §. 12. *num.* 1.

23 Sed dices: Non implicat, quod Beneficiatus habeat dominium in fructibus Beneficii; & tamen si in re profana expendat, tenebitur ad restitutionem. Et probatur, nam dominium istud non est amplium, & absolutum, sed conditionatum, scilicet si superfluum pauperibus erogetur. Ad quoties dominium est conditionatum, si aliter res expendatur, tenetur expendens, ad resarciendum. Gomez *in l.* 40. *Tauri, à nu.* 25. Covarruv. *lib.* 1. *var. cap.* 14. *n.* 13. Ergo Beneficiatus superfluum ad profana divertens ad restitutionem tenebitur.

24 Verùm respondetur negando, dominium hoc esse conditionatum; nam licèt in aliquibus juribus Beneficiati abutentes his fructibus raptores, & homicidæ pauperum dicantur; tamen id per exaggerationem dictum, & de laicis avaris similiter loquuntur Patres, ut docet S. Thomas *dict. art.* 7. *ad* 1. Quare dicendum, dominium illud non esse conditionatum sed absolutum, cum obligatione tamen non retinendi superfluum, & in pauperes illud erogandi, extrinseca tamen à dominio, ut benè advertit Palao *dict. tract.* 6. *disp.* 1. *punct.* 6. *n.* 5. Vasquez *dict. dub.* 1. *nu.* 49.

25 Hinc colligitur, accipientes donationes profanas à Beneficiatis ex redditibus, non teneri ad restitutionem; nam cum Beneficiati sint domini horum fructuum, rectè ad donatarios dominium transferunt, quare suscipientes ad restitutionem non tenentur. Sotus *dict. lib.* 10. *q.* 4. *art.* 3. R. Moya *dict. tract.* 6. *disp.* 6. *q.* 1. §. 3. Villalobos 2. *part. tract.* 10. *difficult.* 8. *n.* 8. Sed quomodo peccent cooperando ad has donationes, dicentes infrà.

26 In calce hujus capitis assignandi sunt, qui sint usus profani, in quibus interdictum Beneficiatis redditus expendere; & qui pii, in quibus expendendi. Et quoad primum, profani usus sunt excessus in cibis, supellectili, aut ornamentis domus, & personæ extra modestiam, & honestatem Ecclesiasticam; & si fuerit Monachus, extra monasticam. Tum liberalitates excessivæ erga Principes Magnates, aut personas divites: quidquid expenditur in luxu, venationibus, canibus, equis, curribus & nimia familia, & ejus splendore, cum multo famulatu, & pretiosis vestibus. Plura refert Gratianus *tn* 44. *distinct.* D. Hieronymus *super Matth. cap.* 3. D. Bernardus *epist.* 21. & 42. Deinde quidquid expenditur in ditandis consanguineis, vel extraneis. Trident. *d. sess.* 25. *c.* 1. Et tandem regula generalis fit, quidquid pium non fuerit, profanum esse censendum respectu bonorum Ecclesiasticorum Tapia *d. q.* 5. §. 2. Sanchez *cons. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *nu.* 2. de Lugo *dict. disp.* 4. *sect.* 2. *n.* 11. Thomas Hurtado *de Congrua, lib.* 2 *res.* 1. §. 3. *sub sect.* 9.

Opera enim pia quæ sint, expressimus *lib.* 1. *cap.* 1. & 2. Ad 27
rem tamen primum locum obtinet pauperum sustentatio, quæ potissimùm pertinet ad charitatem proximi, & maximè est commendata à Deo in Sacris Litteris. Sed quis ordo est servandus in eleemosynis, & in redditibus erogandis, est dubium; nam aliqui asserunt, Beneficiatum, seu Prælatum indiscriminatim eleemosynas facere posse quibusvis pauperibus, sive sint suæ Parochiæ, seu Episcopatus, vel extra, cum revera adimpleat præceptum erogandi hos fructus pauperibus. Azorius *Inst. Mor. lib.* 7. *cap.* 11. *q.* 2. Navarrus *de reddit. monit.* 27. *nu.* 2. Bonacina *de obligat. Benefic. disp.* 4. *punct.* 2. *n.* 3. Barbosa *d. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 22.

Alteri inquiunt, priùs esse succurrendum pauperibus ip- 28
si us Episcopatus, aut Parochiæ, quia sunt propriæ oves, erga quas majori ratione exercenda est charitas. Tum quia ex istorum terris, & laboribus decimæ, & fructus illi sunt percepti. Ergo in eleemosynis eorum sunt præferendi, ut cum Duvallio Diana 10. *p. tract.* 11 *res.* 36. Tapia *d. q.* 5. §. 5. *n.* 19. *vers. In succurrendis*.

Hanc ultimam sententiam admitto quoties Parochiani 29
proprii fuissent in extrema, aut gravi necessitate. In communi autem aliquid præcisè est eis dandum ob propriam obligationem Pastoris, qui semper suo gregi in primis subveniet. Verùm etiam in hoc casu poterit dare extraneis dum proprii non multùm indigeant. Si verò Ecclesia propria indigeat reparatione, vel ornamentis, vel Hospitale Parochianorum, exteris eleemosyna non est danda, quia ista est gravis necessitas propriorum dicendum, si pauperes adsint Ecclesiæ Episcopatus, licèt Parochiani non indigeant. de Lugo *d. disp.* 4. *sect.* 3. *à num.* 38. Molina *de Just. tract.* 2. *disp.* 145. *versus fin.* Diana 5. *p. tract.* 8. *resolut.* 36. Garcia *in Sum. tract.* 1. *difficult.* 4. *dub.* 2. *nu.* 10.

Si tamen in territorio Episcopatus, aut Parochiæ fuerint 30
pauperes consanguinei, vel amici, isti sunt præferendi; ast illi facta animadversione, ne dicantur, sed tantùm necessitas eorum sublevetur. Tapia *d. q.* 5 §. 5. *n* 20. Villaroel. *Govier. Ecclesiast.* 1. *p. q.* 3. *art.* 4. *n.* 20. Valenzuela *cons.* 98. *à n.* 7.

Deinde sunt alia opera pia, quibus ex redditibus succur- 31
rendum, nempè hospitalitas peregrinorum. Trident. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 8 tum infirmorum, dotatio virginum. Templorum ornatus & Altarium, Ornamentorum sacrorum venustas, deinde Collegia studentium, aut fiant animarum ministri, ac denique Monasteriorum erectio, seu reparatio. Congessit Tapia *d.* §. 5. *n.* 10.

His etiam adjungere libet subsidia quædam, quæ ex red- 32
ditibus Ecclesiasticis aliqui Prælati præstant Regibus in necessitate constitutis, ob bellorum oppressione, sive bellum geratur adversùs infideles, sive hæreticos, vel fideles. Hæc enim rectè fiunt ex redditibus, quia dantur loco eleemosynæ. Thomas Hurtado *d. lib.* 1. *resol* 1. §. *ult. sub resolut.* 3. *n.* 29. Sed in hoc magnoperè animadvertendum, aliquos Principes licèt bellis opprimantur, sumptus largissimos domi facere, opulentissimè vivere, & in comœdiis, ludis, & venationibus expensas graves profundere & subsidia ista, quæ illis fiunt, luxui, aut scurris conceduntur. Quamobrem non sunt eis danda, sed ad exercitum mittenda, ut per aliquem honestum virum inter milites pauperes distribuantur. Outinam facerent omnes Prælati, & Ecclesiæ, & nostri sanctissimi Pontifices in subsidiis, & excusatis Regibus concessis, & ne in potestatem Regem intrarent: aliter causæ Fidei, & Ecclesiæ, & earum defensio tractarentur, & status Ecclesiasticus tantis oneribus non gravaretur.

CAPUT II.

De quibus bonis, & redditibus Prælati, ſeu Beneficiati tenentur dare eleemoſynas, vel alia opera pia facere.

SUMMARIUM.

Bona Clericorum in triplici ſunt differentia, alia patrimonialia, de quibus diſponere poſſunt ad libitum, n.1. Idem dicendum de quaſi patrimonialibus, ibid.
Alii in his contra ſentiunt, num 2. Sed non admittuntur, num.3.
Tertia differentia eſt bonorum, quæ ex redditibus beneficiorum acquirunt, in quibus eſt præceptum dandi eleemoſynas ex ſuperfluis, n.4.
An Capellanus teneatur dare eleemoſynam ex redditibus ſuæ Capellaniæ? Aliqui negant, n. 5.
Alteri affirmant, n. 6.
Tertia ſententia diſtinguit, nu.7. Explicatur, à n.8.
An redditus Capellaniæ ſint ſalaria, affirmat Lugo, ibid. Sed explicatur, n.9. & 10.
An hoc præceptum dandi eleemoſynam ex redditibus, comprehendat diſtributiones quotidianas. Prima ſententia affirmat, n.11.
Secunda negat, nu.12. Reſolvitur, à n.13. uſque ad 18.
Ad hanc obligationem teneantur penſionarii? Aliqui negant, num. 18. Alteri affirmant, num. 19. Explicatur, à num.20.
Diſtinguuntur tria genera penſionum, à nu. 20. Exagitatur dubium, quando penſio extrahitur favore reſignantis, vel ob bonum pacis. Ponitur ratio dubitandi, n.22.
Et affirmativè reſolvitur, num.23. Fit inſtantia, & reſpondetur, nu.24.
An Reges Catholici, ut Magiſtri Ordinum, adhoc præceptum teneantur? Ponitur ratio dubitandi, n. 25.
Sed affirmativè reſpondetur, num.26. & 27. Explicatur, numer.28.
An idem dicendum de Tertiis Regalibus? Prima ſententia negat, nu.29.
Sed contrarium defenditur, à nu.30.
An Commendatarii Ordinum Militarium ad hanc obligationem aſtringantur. Prima ſententia negat, n.31. Secunda affirmat, n.32. Reſolvitur, nu.33.
An Equites Militares ſint Religioſi. De Equitibus S. Joannis certius eſt, eſſe Religioſos, n. 33.
Et an ad hoc præceptum teneantur, ſunt duæ ſententiæ contrariæ, n.34.
Non tenentur de bonis patrimonialibus, n.36. & 47. Et redditibus Commendarum teneri affirmatur, n. 38.
Sed an Equites iſti ſub lethali teneantur, negavit Bonacina, nu.39.
Sed contrarium ſuſtinetur, num. 40. Et quomodo excuſentur, nu.41.

1 BOna Clericorum in triplici ſunt differentia. Prima dicuntur bona patrimonialia, quæ ex parentum hæreditate percipiunt, aut alia induſtria, vel labore proprio. Hæc verò in dominio eorum ſunt, & de eis valent diſponere, quemadmodum alii privati, abſque ſpeciali obligatione dandi eleemoſynam, aut in aliud opus pium expendendi, niſi in caſibus, quibus laici præſtare tenentur, idque ſive in vita, ſive in ultima voluntate, *c. Epiſcopus 23.12.q.1. c. quia nos 9. de teſt. c. Cum dilectus 28. de jure Patron.* In ſecunda differentia ſunt alia bona, quæ quaſi patrimonialia dicuntur. Hæc acquirit Clericus ratione Clericatus, independenter ab aliquo titulo Beneficii, veluti celebrando Miſſas, canendo, concionando, aut ſi Vicariam temporalem abminiſtret. In his igitur plenum dominium acquirit, & ad libitum de eis diſponere valet, ſive in vita, ſive in ultima voluntate, nec aliquo modo obligatur ad erogandam eleemoſynam, niſi ſicut cæteri ſæculares Avendanus *Reſp.19.n.12.* Molina *de Juſt. tract.1. diſp.147.* Becanus *de Juſt. c.3. q.6. n.3.* Diana *4. part. tract.4. reſol.171.* Trullench *in Decalog. lib.7. cap.2. dub.6. n.3.* Palao *d. punct. 5. n.3.* Thom. Hurtado *lib.2. de Congrua, reſol.1. §.3. ſect.1.*

Sed in hac ſpecie contrarium tenet Innocent. *in cap. Quoniam, Ne Prælat. vic. ſuas*, & dat rationem, quia hæc bona conſideratione Eccleſiæ, & ratione Clericalis Ordinis acquiruntur, quamobrem in eleemoſynis & aliis operibus piis ſunt eroganda. Tum & addere poſſumus, Fideles, ſimilia ſtipendia dare, & ſubſidia miniſtrare eo animo, ut quod ſuperfuerit, ad eleemoſynas, & alia opera pia convertatur, prout in decimis, primitiis, & aliis colationibus conſiderat Barb. *de unit. lib.3. c.17. n.13.* Ergo & in his bonis erit obligatio ex ſuperfluo dandi eleemoſynam, aut alia opera pia faciendi. 2

Verùm hæc fundamenta debilia ſunt; nam licet Clerici conſideratione Eccleſiæ, & ratione Ordinis acquirant ſimilia ſtipendia, & ſubſidia, non verò ex aliquo titulo Beneficii ut fructus, ſed tamquam ſalaria, & mercedes, pro obligatione inſerviendi illis miniſteriis; quare nullam habent obligationem ex ſuperfluo erogandi eleemoſynas, nec Eccleſia in illis tale appoſuit præceptum, ſicur nec Reſpublica onus imponit in ſtipendiis Magiſtratibus conceſſis, ob munia civilia exercenda, *c.1. de ſepult.* ubi DD. *l. Stipendiæ 4. C. de execut. rei jud.* Cæterùm aliud argumentum diſſolvitur; nam animus Fidelium, quando dant hæc ſtipendia, & ſubſidia, non eſt, ut ex ſuperfluo eleemoſyna concedatur, ſed ut ſolvatur ſalarium, aut ſtipendium Clerici ob obligationem, & occupationem inſerviendi. Nec urget confirmatio adducta ex decimis, primitiis, & oblationibus; quia non ſunt donationes liberales, ut in eis poſſint apponere aliquas conditiones, aut onus ſolventes: quin potius negandum, in eis adeſſe tales conditiones, ſed ſolvi ex præcepto juſtitiæ, abſolutè, & ſimpliciter, Covarr. *var. lib.1. c.17. n.1.* Guttierr. *Can. qq. lib.2. c.21. n.45.* Suarez *de Relig. lib.1. c.36. n.20.* Unde non urget illa confirmatio; ut potè incerta. Denique quia hoc præceptum dandi eleemoſynam ex ſuperfluo ex decimis primitiis, & oblationibus, non provenit ab aliquo onere, ſeu obligatione impoſita in ipſis, ſed ab alio, nempè præcepto Eccleſiæ. Sanchez *d. lib.2. c.2. dub.45. n.4.* Leſſius *lib.2. de Juſt. c.4. dub.45.* Azorius *Inſt. Mor.2. p. lib.7. c.8. q.2.* Trullench *d. dub.6. n.3.* Barb. *d. c. 17. n. 32.* Ergo cùm hoc præceptum impoſitum in his ſtipendiis & ſubſidiis datis ob obligationem inſerviendi, inde eſt, ut Clerici illa percipientes non obligentur ex ſuperfluo ad dandas eleemoſynas, aut alia opera pia facienda. 3

Tertia differentia eſt bonorum, quæ à Clericis acquiruntur ex titulo Beneficii, Prælaturæ, ſeu Præbendæ, &c. Et in eis impoſita eſt hæc obligatio dandi eleemoſyna ex ſuperfluo, aut expendendi in alia opera pia. Sanchez *lib.2. conſ. cap.2. dub.38.* Delugo *d. diſp.4. ſect.2. n.11.* Qua in re in primis eſt diſceptandum, an ex bonis, ſeu redditibus Capellaniæ Capellanus ad hoc præceptum teneatur In qua difficultate recolenda ſunt quæ ſcripſimus *lib. 3. c. 1.* ubi diſtinctionem fecimus de Capellaniis Laicalibus, & Eccleſiaſticis. Quia enim tenent Capellanias Laicales, neutiquam ex fructibus illarum tenentur ad hanc obligationem, quia Beneficia non ſunt, Gonzalez *ad Reg.8. gloſſ.5, à n.20.* Garcia *de Benefic.1. p. c.2. n.102.* ſed tantùm ſimplices memoriæ Miſſarum, quarum fructus dantur ut ſtipendia, & ſalaria percepta ex bonis laicalibus, Lara *de Capell. lib.2. cap.1. à nu.3.* Hanc ob rem Capellani ad hoc præceptum non tenentur. Sylveſter *verbo Clericus 4. q.4.* 4

Aliæ ſunt Capellaniæ collativæ, & propriè beneficia ſunt, ut diximus *lib.3. cap.3.* & in his eſt difficultas, an Capellani, quod ex congrua ſupereſt, teneantur dare pauperibus, aut in alia opera pia divertere? Prima ſententia negat, nam fructus Capellaniæ dantur Capellano, tanquam ſalaria, & ſtipendia obligationis, & oneris dicendi Miſſas, aut alia munera ſacra. Ergo quaſi patrimonialia bona non remanent obligata ad hanc obligationem, & conſequenter nec Capellani. Cæterum licet ex titulo bona iſta Eccleſiaſtica ſint, non tamen vult Eccleſia hæc ſtipendia ſimili obligatione gravare: ſolùm id vult in aliis fructibus, ut domina liberaliſſima. Ergo Capellani ex redditibus Capellaniæ non tenentur ex ſuperfluo ad eleemoſynandum. Soto *lib. 10. de Juſtit. quæſtion. 4. art. 3. concluſ. 3.* Driedo *de libert. Chriſt. lib.2. capit.4.* Avendanus *d. reſponſ. 19. num.6.* & conſentire videtur Navarrus *de Reddit. quæſt. 1. nu.75.* 5

Secunda ſententia tenet contrarium, nam fructus iſti procedunt ex titulo veri Beneficii, prout eſt Capellania collativa. Ergo ſicut alii Beneficiati hoc præcepto aſtringuntur, ſimi- 6

ſimiliter Capellani. Eadem enim ratio, quæ adeſt in illis, eſt in iſtis. Covarruv. *in cap. Cùm in officiis, de teſtament. num. 6.* Bonacina *dict. diſp. 4. punct. 2. propoſit. 3. numer. 19.* Sanchez *dict. dub. 45. nu. 5.* Thomas Hurtado *lib. 2. reſol. 2 §. 8. nu. 678.*

7 Tertia ſententia diſtinguit; ſi enim fructus Capellaniæ tantùm ſufficiant pro ſtipendiis Miſſarum, ac oneris ſibi impoſiti; tunc Capellanus ad dandam eleemoſynam ex fructibus non tenetur, quia tunc conſiderantur ut ſtipendia certa correſpondentia operi inſerviendi; quare ut patrimonialia cenſentur, & libera ab hac obligatione: quod non ita ſtrictè intelligendum, ut ſi aliquantulum excedant non ſalaria intelligantur. Si verò ſint plures fructus excedentes opus inſerviendi, aliter eſt dicendum, quia fundator quando tam pingues, fructus reliquit Capellaniæ, non ut ſalarium, ſed ut fructus reliquit: quapropter Capellanus ex ſuperfluo ad dandam eleemoſynam tenebitur. Azorius, qui alios dat *2. p. Inſt. Mor. lib. 7. c. 9. q. 10. in fin.* Sanch. melius ſe expediens *d. c. 2. dub. 45. n. 6.*

8 Hæc quæſtio tota pendet ab examine voluntatis fundatoris Capellaniæ, quia licèt pingues fructus Capellaniæ reliquerit, ſi ejus voluntas eſt expreſſa, aut tacita, ut omnes pro ſalario deſignentur, utique erunt ſalaria: ſi verò aliter exiſtimaverit, id erit obſervandum. Erit ergo difficultas quando nihil expreſſerit, aut deſignaverit tacitè, & in hoc caſu Cardinalis Delugo *dict. diſput. 4. ſect. 3. num. 30.* aſſerit in omnibus Capellaniis, univerſaliter loquendo, præſumendum fuiſſe voluntatem fundatoris fructus deſignare pro ſtipendio, & ſalario operis inſerviendi, etiamſi redditus pingues fuerint. Et ratio eſt, quia Capellaniæ perpetuæ factæ ſunt adinſtar mobilium, in quibus redditus exiſtimantur ſtipendia pro labore perſonali. Redoanus *de Spoliis, q. 3 verſ. Aſt hi, & q 6. num. 18.* Bonacina *d. propoſit. 3. nu. 19.* Ergo idem dicendum de Capellaniis perpetuis.

9 Sed diſertiſſimi Cardinalis non admitto ſententiam, quando pingues ſunt fructus, aut redditus Capellaniæ. Ratio eſt, nam quoties fundator aliquid nec expreſsè, nec tacitè demonſtraverit, videtur ſe conformem reddere voluiſſe cum jure communi, *l. De illo, ff. de condit. & demonſtrat. l. Hæredes mei, §. Cùm ita, ff. ad Trebell.* Menochius *de Præſumpt. lib. 1. præſumpt. 28. nu. 2.* Rota apud Seraphinum *dec. 264. num. 15.* Cùm ergo jus commune ſit ut redditus Beneficiorum tanquam ſtipendia, & ſalaria non deſignentur, ſed tanquam fructus dependentes à titulo, cum obligatione ſuperfluum erogandi pauperibus, ſequitur in dubio voluiſſe fundatorem Capellaniæ non deſignare illos pingues fructus pro ſalario, ſed tanquam aliorum Beneficiorum, cum eadem obligatione; aliàs ſi ſine cauſa, & ratione volumus ultimas voluntates interpretari, in graviſſimos errores incidemus. Cyriacus *controverſ. 142. à n. 13.* Rurſus id probatur à veriſimili voluntate teſtatoris, quia qui fundat Capellaniam, & pingues redditus ad eam deſignat, proſpicit majorem ſuæ animæ profectum, quapropter præſumptio facienda eſt, non ad favorem Capellani, ſed animæ fundatoris. Cùm ergo majus ſit illius animæ incrementum, ut relicta Capellano congrua decenti, reliquum pauperibus elargiatur, conſequens eſt, voluiſſe hoc modo fundare Capellaniam, non verò deſignando omnes fructus pro ſalario, quod eſt veriſimilius, & pro veritate habendum. Cephalus *lib. 2. conſ. 27 num. 22.* Tuſchus *lit. V. concluſ. 162.* Ozaſchus *dec. 170. num. 10.* Mantica *de conject. lib. 3. tit. 9. nu. 5.* Caſtillo *controverſ. lib. 5 cap. 63. per tot.* Denique fundamentum Delugi reſponſum recipit; nam licet Capellaniæ collativæ perpetuæ factæ fuerint ad inſtar mobilium, non tamen eodem titulo, & ratione: nam illæ non ita certò ſunt beneficia prout ſunt iſtæ, in quibus redditibus, & fructus non conceduntur pro ſalario, ut in illis; ſed ratione tituli, cum obligatione dandi pauperibus ſuperfluum. Idcircò volens fundare Capellaniam Eccleſiaſticam perpetuam, vult ea quæ ſunt conſequentia illius, ex juris diſpoſitione, *l. Ad rem, l. legatum, ff. de Procurat. l. fin. C. de bon. vacant.* Novarius *quæſt. for. lib. 5 qu. 59 num. 9.* Surdus *conſ. 91. nu. 4.* Ergo in præſentia dicendum, Capellanum ex redditibus, & fructibus ſuæ Capellaniæ teneri ad eleemoſynandum, ut cæteri beneficiati, quando pingues ſunt fructus.

10 Admitto tamen contrariam ſententiam, quando fructus ſeu redditus fuiſſent tantùm correſpondentes oneri Miſſarum, ſeu ſervitio; nam tunc videntur eſſe tantùm onerum ſalaria, ſeu ſtipendia. Idem poterit conſiderari, licèt fructus pingues ſint, quando Cappellania deferenda eſt conſanguineis fundatoris; nam tunc facilè conjectatur, non ſolum voluiſſe onus Miſſarum, ſed commodum ſuorum conſanguineorum: unde præſumitur voluiſſe omnes fructus deſignare pro ſalario. Lugo *d. ſect. 3. numer. 29.* & conſequenter abſque hac obligatione. Tandem quando ex aliquibus verbis fundatoris cognoſceretur voluiſſe omnes fructus deſignare pro ſalario, veluti ſi dicat: *Omnes redditus, ſeu fructus percipiat Capellanus, ut majori cura, diligentia, & perpetuitate Miſſæ dicantur, & alia onera adimpleantur.* Tunc enim ſatis conſtat, voluiſſe fundatorem omnes fructus, & redditus pro ſtipendio relinquere: nec Cappellanus tenebitur ſuperfluo ad eleemoſynandum; ſufficit enim ut ex mente fundatoris id capiantur, *l. 3. C. de liber. præterit. l. Quoniam 15 C. de teſtam.*

Deinde eſt alia quæſtio, an hoc præceptum dandi eleemoſynam ex redditibus, habeat locum in diſtributionibus quotidianis datis ob aſſiſtentiam in Choro. Prima ſententia affirmat, nam fructus iſti diſtributionum conceduntur ex redditibus Beneficiorum, & ideò cum illa obligatione tranſeunt ad ſuſcipientes; modus enim accipiendi non mutat eorum naturam; nec finem ad quem recipiunt, *l. 1. Legatam 4. ff. de adminiſtrat. rer. ad civit. Clement. Quia contingit 2. de Religioſ. domib.* nec modus diſtribuendi, Sarmiento *de Reddit. 3 p. c. 5. num. 6.* Ergo percipientes diſtributiones quotidianas tenentur ex ſuperfluis ad eleemoſynandum. Cæterum, nam licèt diſtributiones concedantur ob aſſiſtentiam in Choro, ſimiliter alii redditus, prout patet in Canonico, qui ultra diſtributiones alios fructus percipit ob eandem aſſiſtentiam. Ergo ſicut ex aliis adhoc præceptum tenetur, ſimiliter ex diſtributionibus quotidianis. Oldradns *conſ. 118.* Sarmiento, & Navarrus, quos ſequitur Sanchez *dict. capit. 2. dub 46.* 11

Secunda ſententia negat, *ex cap. unico de Clericis non reſid. lib. 6.* ubi aſſeritur, aſſiſtentes in choro ſuas facere diſtributiones quotidianas, unde propriæ relinquuntur lucranti, & conſequenter poterunt de eis ad libitum diſponere, abſque aliqua obligatione eleemoſynandi. Sed hæc conſequentia pondus non habet, nam licèt qui habet dominium habeat liberam facultatem utendi re ad ſui libitum, & de ea diſpenſandi, ut per Bart. *in l. Is qui, §. Differentia, ff. de acquir. rer. dom num. 4.* Solorzano *in Polit. lib. 3. cap 3. fol. 260.* Antonez *de donat. lib. 1. p. 3. cap. 8.* Becanus *de Juſt. cap. 2. q. 1. n. 1.* id tamen intelligendum, niſi aliqua leg. prohibeatur, prout in bonis & redditibus beneficiorum, in quibus licet habeat Beneficiatus dominium, nequit ſuperfluum expendere, niſi ad eleemoſynas, vel alia opera pia, ſic lege ſtatuente. Unde conſequentia illa nullius eſt roboris. Sed probatur ratione, nam diſtributiones quotidianæ dantur propter diurnum laborem, ut ſtipendia illius, & ſunt quaſi patrimonialia. Ergo non tranſeunt cum onere, & obligatione dandi eleemoſynam, & conſequenter ſuſcipientes non tenentur ad eleemoſynandum. Covarr. *in cap. Cùm in officiis, de teſt. n. 4.* Avendanus *d. reſponſ. 19. n. 6.* Gonzalez *ad Reg. 8. §. 7. proœm. nu. 168.* Moneta *de diſtribut. 3. p. q. 1. n. 18.* Delugo *d. diſp. 4. ſect. 3. à nu. 24.* Bonacina *d. propoſit. 3. n. 18.* Barboſa *d. lib. 3. c. 17 n. 31.* Sylveira *opuſc ul. 2. reſ. 32. q. 5. à nu. 34.* 12

Cardo hujus difficultatis conſiſtit in examinando, an diſtributiones iſtæ ſint fructus, aut redditus beneficii, an verò ſpecialia ſalaria, & ſtipendia conceſſa ob diurnum laborem aſſiſtendi Horis Canonicis: quod quidem examen tribus modis faciendum eſt. Primò quando diſtributiones iſtæ non diſtinguuntur, nec ſeparentur à Præbendis, ſed vice earum funguntur, ut ſunt diſtributiones illarum Eccleſiarum, quarum fructus in communi reponuntur, poſteà inter Canonicos diſtribuendi, de quibus *in cap. Olim 16. de verb ſignificat.* Decianus *vol. 1. conſ. 43. num. 13.* Secundò, & quando diſtributiones à præbendis ſunt ſeparatæ, & diſtinctæ ab ipſa groſſa illarum, & conceduntur ſpecialiter ob chori aſſiſtentiam, de quibus eſt textus *in cap. fin. de Præbend. lib. 6. cap. unic. de Cleric. non reſident. in 6. cap. ultim. de conceſſ. Præbend. eod. lib.* Covarr. *lib. 3. var. capit. 13. in princip.* Barboſa *de univerſ. lib. 3. cap. 18. à numer. 1.* Caponi *tom. 2. diſcept. 123. num. 2.* Tertiò veluti quando 13

omnes distributiones sunt fructus Præbendarum, ut dicunt relati.

14 Quoad primum DD. asserunt, etiam in his distributionibus, quæ Clericis, seu Canonicis conceduntur de grossa in communi absque aliqua separatione, adhuc concedi ut stipendia, & salaria diurni laboris, ob chori assistentiam, non verò ut redditus præbendarum: quapropter possunt Clerici de eis ad libitum disponere, absque aliqua obligatione eleemosynandi. Azorius 2. *part. lib.* 7. *cap.* 9. *quæst.* 10. *vers Nec impedit*, Filliucius *in Appendice*, *tract.* 48. *capit.* 3. *quæst.* 12. *numer.* 13. Bonacina *dict. propos.* 3. *numer.* 19. à quibus non dissentit Delugo *dict. sect.* 3. *numer.* 27.

15 Verùm in his distributionibus non admitto hanc sententiam, quia quando hæ distributiones fiunt ex cumulo communi, propriè non sunt distributiones, quin potius fructus præbendarum, qui conceduntur non solùm ob Chori assistentiam, verùm ob alia munia sacra illarum. Et comprobatur, nam quando non interessentibus tolluntur similes distributiones, non accrescunt aliis interessentibus, sed redeunt ad cumulum, ut cum Moneta & Garcia tenet Trullench *lib.* 1. *Decalog. cap.* 8. *dub.* 1. *n.* 8. Ergo non propriè sunt distributiones, quarum natura est accrescere aliis assistentibus, *cap. unic. de Cleric. non resident.* Cassadorus *decis. unic. de Cleric. non resident.* Moneta *de distribut.* 3. *p. quæst.* 6. *num.* 16. Trullench *dict. cap.* 8. *dub.* 10. *num.* 2. Barbosa *dict. lib.* 3 *cap.* 18. *num.* 86. sed sunt fructus præbendarum: ergo transeunt ad susciptentes, cum obligatione ad eleemosynandum. Cæterum quando distributiones sunt separatæ, & distinctæ à cumulo communi, tunc non veniunt fructuum appellatione. Barbosa *d. cap.* 18. *num.* 9. Moneta *de distribut.* 2. *p. quæst.* 14. *num.* 22. Salgado *de Reg. protect.* 4. *p. cap.* 9. *num.* 76. Cassiodorus *dec.* 6. *de Præbend num.* 8. Ergo quando non sunt separatæ, sunt fructus præbendarum, quare transeunt ad suscipientes cum obligatione eleemosynandi. Denique in præsentia distributiones quæ ex communi cumulo extrahuntur; subrogantur pro parte illa fructuum, quæ danda erat illi præbendæ, quare sapiunt naturam illius, *l. Si cum* 10. §. *Qui injuriarum*, *ff. Si quis caut. cap. Ecclesia S. Mariæ* 3. *ut lit. pendent.* Ergo debent transire distributiones illæ cum obligatione dandi eleemosynas ad recipientes. Ex quibus fundamentis hanc sententiam contrariam admitto.

16 Secundò considerandæ sunt distributiones, quando sunt separatæ à grossa Præbendæ; & tunc nomine fructuum non comprehenduntur, ut dicunt relati *num.* 15. Capponi *dict. discept.* 123. *num.* 15. sed sunt propriè salaria, & stipendia pro labore assistentiæ, & interessentiæ, Capponi *tom* 2. *discept* 125. *num.* 5. Barbosa *dict. cap.* 18. *num.* 5. Quæ recipientes poterunt de eis liberè disponere absque aliqua obligatione dandi eleemosynas, & ad libitum disponere, tam in vita, quàm in ultima voluntate, & ad hæredes licitè transmittere. Bursatus *cons.* 226. *num* 49. Gratianus *discept.* 381. *numer.* 11. Maresçotus *Var lib.* 2. *cap.* 2. *numer.* 11. Rota apud Seraphinum *decis.* 494. *num.* 6 Capponi *discept.* 125. *nu.* 5.

17 Tertio etiam modo examen est faciendum, scilicet quando omnes Præbendæ fructus consistunt in distributionibus; tunc enim Præbendatus ad eleemosynandum ex aliquo tenetur, quia distributiones illæ sunt fructus ex titulo pendentes, cùm alios non habeat Præbenda. Ergo ad eleemosynas tenebitur. Moneta *de Distribut.* 3. *p. quæst.* 6. *num.* 16. Cenedus *Can. Quæst.* 1. *part. num.* 6. Barbosa *de Canon. cap.* 2. *num.* 6. Filliucius *dict. tract.* 48. *quæst.* 12. *nu.* 13. Delugo *dict. sect.* 3. *nu.* 27.

18 De pensionibus est alia quæstio, an pensionarii ex reliquo ultra congruam teneantur ad hoc præceptum? Aliqui negant; nam textus Concilii *sess.* 25. *cap.* 1. loquitur de omnibus Beneficiatis, non tamen de habentibus pensionem signum quidem, noluisse obligare pensionarios ad hanc obligationem. Cæterùm quando authoritate Summi Pontificis imponitur pensio, jam pars illa, quæ extrahitur à fructibus beneficii, applicata est ad alimoniam, & sustentationem pensionarii, vel ad studium juvenis bonæ indolis, vel ad bonum pacis, quæ sunt opera pia: ergo non debent etiam remanere obligati fructus illi, aut quantitas ad eleemosynandum, vel ad altera opera pia. Azorius 2. *p. lib.* 7. *c.* 9. *q.* 12. Redoanus *de Spoliis*, *q.* 3. §. 1. *à n.* 27. Gigas *de Pensionibus*, *q.* 52. *n.* 2. Zerola *in Praxi Episcop. verbo pensionarius*, *num.* 25. Covarruv. *in cap. Cùm in officiis*, *num.* 19. Diana 5. *part. tract.* 8. *resolut.* 29. Vasquez *de Eleemosyna*, *cap. ult. nu.* 22.

Alteri tenent contrarium? nam fructus, vel quantitas pensionis procedunt à titulo clericali Beneficii quamobrem transeunt ad pensionarium cum obligatione dandi eleemosynas ex superfluo, *cap. Ex litteris* 5. *de Pign. cap. Pastoralis* 28. *de Decimis*. Cæterum, nam licet Pontifex taxaverit pensionem, & ad alimenta, vel studia applicaverit, non tamen vult, ut si aliquid superfluat, prodiga pensionarius, *c.* 1. *dist.* 43. §. 1. sed ut ad eleemosynas, aut opera pia convertat, Ergo ex mente Pontificis tenebitur adhanc obligationem eleemosynandi. Deinde isti pensionarii minus Ecclesiæ deserviunt quàm alii Beneficiati, cùm ipsi tantum Officium Divinum recitent, si sint sacro Ordine insigniti; si verò non, Officium tantùm Beatæ Mariæ, ex Constitutione Pii V. Azorius *Inst.* 1. *p. lib.* 10. *cap.* 4. *q.* 3. Vasquez *in Opusc. de Beneficiis*, *cap.* 4. §. 1. *dub.* 4. *nu.* 17 Suarez *tom.* 2. *de Religione*, *tract.* 4. *lib.* 4. *cap.* 22. *nu.* 6. Oliver. *de obligat. Hor. lib.* 2. *cap.* 9 Salzedo *de leg. polit. lib.* 2. *c.* 16. *n.* 13. Ergo si Beneficiati amplius laborantes, ad obligationem ex superfluo eleemosynandi tenentur, multò melius pensionarii. Navarrus *de Redditib. q.* 1. *à nu.* 32. Tapia *in d. q.* 5. *ar.* 8. §. 3. *nu.* 13. Sanchez *d. c.* 2. *dub.* 47. *à n.* 15. Garcia *de Benefic.* 1. *p. c.* 5. *n.* 161. Barbosa *d lib.* 3. *c.* 17. *n.* 33. Thomas Hurtado *de Congrua*, *lib.* 2. *resol.* 2. §. 7. *à nu.* 653. Sylveira *opuscul.* 2. *res.* 32. *q.* 4. *à nu.* 29. 19

In hoc dubio animadvertendum, triplicem esse pensionem, quæ solet extrahi ex fructibus Beneficiorum. Garcia *de Beneficiis*, 1. *p. cap.* 1. *à nu.* 1. & præcipuè num. 8. Prima enim sæcularis dicitur, quæ datur titulo temporali, veluti propter cantum, advocationem, vel administrationem, &c. Et hæ pensiones salaria, & stipendia dicuntur, & non sunt adstrictæ ad hanc obligationem eleemosynandi, ut cum Navarro, & Soto notat Sanchez *dict. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 47. *nu.* 6. Molina *de Just. tract.* 2. *disp.* 145. *n.* 5. Palao *d. tr.* 6. *disp.* 2. *punct.* 7. *n.* 2. 20

Secunda est pensio Ecclesiastica, quæ datur pro titulo spirituali, veluti pro coadjutoria Episcopi senis, valetudinarii, vel alicui Clerico conceditur ob aliquod officium spirituale. Et in hac secunda pensione dicendum, teneri pensionarium ad eleemosynas ex superfluo, vel ad alia opera pia; nam hæ pensiones titulo spirituall concessæ, ut beneficia censentur, & tanquam quid spirituale. Cruz *ad* 7. *præcept. Decalog. dub.* 10. *num.* 1. Ergo sicut alii Beneficiati tenentur ex superfluo ad eleemosynandum, similiter pensionarii isti. Sanchez *d. cap.* 2. *dub.* 47. *n.* 5. 21

Tertia pensio est, quæ ex fructibus Benefieii extrahitur favore resignantis, aut ob bonum pacis lite authoritate judicis transacta, *cap. Nisi* 21. *de Præbend.* Et in hac specie existimo adesse totam controversiam, & asserendum videtur, pensionarios istos non teneri ad eleemosynandum ex superfluo: quia similes pensiones, ut temporales, censentur applicatæ ad alimoniam, seu necessitates resignantis, aut à lite discedentis, nec habent naturam Beneficii. Cruz *d. dub.* 10. *n.* 2. Azorius 2. *p. Inst. lib.* 8. *c.* 5. *n.* 2. Gonzalez *ad Reg.* 8. *glos.* 5. §. 5. *à princip.* Flaminius *de Resignat. lib.* 2. *q.* 15. §. 5. Tondutus *tom.* 1 *q. benefic.* 2. *p. c.* 1. §. 4. *à n.* 2. Idcircò isti pensionarii ad hanc obligationem non tenentur. Cæterum hæ pensiones separatæ à beneficio, tanquam salaria, & stipendia existimantur. Redoanus *de Simon.* 2. *p. c.* 14. *à n.* 26. Suarez *de Relig. tom.* 2. *de simon. lib.* 4. *c.* 16. *n.* 1. & 2. Unde ut quasi patrimonialia bona censentur, & consequenter immunia ab hac obligatione: dicit probabile Delugo *d. disp.* 4 *sect.* 3. *nu.* 37. *vers. Sed hæc tertia*. 22

Sed adhuc in hac specie contrarium tenendum; nam licèt sit quæstio, an hæ pensiones sint Beneficia, necne? de qua agit Garcia *de Benefic.* 1. *p. cap.* 5. *à num.* 3. Mancinus *de Jur. Sacr. differt.* 5. *n.* 8. Antunez *de Donat. lib.* 1. 2 *p. c.* 32. Salzedo *d. c.* 16. *à n.* 4. Ast illa est probabilior sententia, ut sunt Beneficia, *ex cap. Ad audientiam* 31. *de Rescript.* ibi: *Pensiones, aut alia Beneficia*, ubi verbum *alia*, est receptivam similium. Rota apud Seraphinum *dec.* 187. *n.* 2. Barbosa *d.* 26. *à n.* 1. ac perinde est, ac si Pontifex pensiones vocaret Beneficia. Barbosa *d. lib.* 3. *c.* 11. *n.* 16. Salgado *de Reg. Protect.* 4. *p. cap.* 9. *à nu.* 44. Salzedo *de leg. polit. lib.* 2. *cap.* 16. *à nu.* 3. Ergo cùm pensionarius recipiat hos fructus ex titulo Beneficii, inde est, ut teneatur ad eleemosynas ex superfluo. Cæterum licet pensiones istæ habeant aliquid, quibus distinguan- 23

guantur ab aliis Beneficiis, Tondutus *d.§.4. à num.2.* attamen habent alia quamplurima cum illis convenientia. Gabriel *lib.2.conſ.187.num.12. & conſil.200.* Salgado *dict.cap.9.à num.44.* Ergo licèt propriè Beneficia non ſint, ſapiunt tamen majorem partem Beneficii: quapropter fructus penſionis, vel quantitas, quorum in locum ſubrogatur, perveniunt ad penſionarium cum illa obligatione dandi eleemoſynam ex ſuperfluo; nam in hoc nulla datur diſparitas inter Beneficium, & penſionem. Rurſus fructus vel quantitas penſionis in his fructibus ſuperſtantibus ultra ſuſtentationem, & alimoniam penſionarii, ſemper remanent pendentes à titulo beneficii; quare ſpolio ſubiiciuntur. Bonacina *de obligat. Benefic.diſput.4. punct.2. propoſit.3. num.17.* Thomas Hurtado *dict.reſolut.2.§.7.numer.659.* Ergo etiam remanent pendentes à titulo, ut remanent penſionarii obligati ad dandam eleemoſynam ex ſuperfluis. Denique, nam penſio reſervata, habita ratione ad beneficium ex quo extrahitur, ſemper conſideratur ut beneficium. Salzedo *d. lib.2. cap.16. num.10.* Ergo ſemper tranſibit ad penſionarium cum obligatione beneficii: Ergo ſemper tranſibit cum obligatione dandi eleemoſynas ex ſuperfluo, ut tradunt DD. relati n.19.

24 Sed dices, has penſiones non poſſe conſiderari ut Beneficia, etiam ratione Beneficii, ex quo extrahuntur; nam quando à fructibus ſeparantur, relinquuntur ut portiones quædam ad alimenta penſionarii Pariſius *de Reſign. lib.1.q.10.nu.64* Mena *Var.lib.3.quæſt.23. num.35.* Gratianus *diſcept.397.à nu.11.* Tondutus *de Penſ.cap.17 n.23.* Ergo ratione Beneficii, ex quo extrahuntur, nec ſunt Beneficia, nec tranſeunt ad penſionarium cum obligatione dandi eleemoſynam ex ſuperfluo.

Sed reſpondetur contra hos DD. contrarium eſſe probabilius, nempè relinqui dependentes à titulo Beneficii, unde ſunt Beneficia, & tranſeunt cum obligatione eleemoſynandi.

25 Hinc ad Reges noſtros Catholicos aliqua ſunt diſquirenda. Et in primis an ex redditibus, & fructibus Beneficiorum, quos percipit Rex, ut Magiſter Ordinum, teneatur ex ſuperfluis eleemoſynam dare, aut in alia opera pia divertere? Et negandum videtur? nam Magiſtri Ordinum Beneficiati, aut Prælati Eccleſiaſtici non ſunt ratione alicujus tituli, ſed ſunt quædam officia, ut regnant Equites milites. Unde redditus illi facti ſunt temporales, ex titulo temporalis militiæ. Ergo minimè tenentur ad eleemoſynandum ex ſuperfluis.

26 Sed contrarium tenet Navarrus, quem refert Thomas Hurtado *dict.lib 2.reſolut.2.§.2.num.248.* Addit tamen Navarrus, prius eſſe deducendam congruam, non ſolùm ut Magiſtri, ſed etiam Regis; nam qua parte Rex eſt, eget pluribus quàm ſi ſimplex fuiſſet Magiſter Ordinum; ex eo enim quod Rex Magiſter eſt, majori congrua eſt dignus, ſicut nobilis, aut litteratus, qui ſit Beneficiatus, *cap. De multa 28 de Præbend.* Sed hanc partem non admittit Hurtado num. 253. quia doctrina illa eſt in graviſſimum damnum pauperum, & bellorum quæ facienda ſunt adverſus Infideles ex illis redditibus.

27 Hæc doctrina, prout illam explicat Thomas Hurtado, admittenda eſt. Rex enim Catholicus tenetur ex ſuperfluis horum redditum eleemoſynas pauperibus erogare, aut alia pia opera facere, recipiendo congruam decentem Magiſtro, nec ampliùs poteſt excedere, quia Rex eſt. Et ratio eſt, nam ratione illius ſupremæ dignitatis opulentiſſimos reddit us percipit à vaſſallis, itaut non egeat ad ſplendorem Regiæ Majeſtatis redditibus Eccleſiaſticis Ordinum quos percipit ut Magiſter: quapropter dati ei non ſunt ad decorandam Majeſtatem Regiam, ſed tantùm ut percipiat congruam decentem, & reliquum pauperibus elargiatur, vel aliis operibus piis applicet. Et confirmatur, quia mens Pontificis fuit, dando illos redditus Regibus Catholicis, ut congruam reciperet Rex ut Magiſter, non verò ut decoraret Majeſtatem Regiam, quod eſt purè temporale, nec aliquo modo credendum fieri à Pontifice. Ergo ſemper Reges Catholici tenentur ſuperfluum ex his redditibus dare pauperibus, aut aliis operibus piis.

28 Id intelligas, quando prius Rex bellis ſancti contra infideles, aut hæreticos etiam ex illis fructibus ſubveniſſet, & ex eis aliquid ſuperfuiſſet, alias ad nihil tenetur; quia prius redditus illi applicandi ſunt ad illa opera pia, nempè bella contra Chriſti Domini hoſtes, quàm ad alias eleemoſynas, & opera pia, quia ad id ſunt deſtinati: & ſi hæc non adſint & ipſe ſit in gravi neceſſitate, poterit ſibi ipſi applicare, utpotè opus pium, ut diximus ſupra, *cap.1.num.29.* & in terminis docet Hurtado *d.§.2. num.256.*

Nec contra eſt argumentum, quod pro contrario poſuimus, quia ex dicendis reſpondebitur.

De Tertiis Regalibus ſimiliter diſſeritur, an Rex Catholicus teneatur ad hoc præceptum eleemoſynandi ex ſuperfluo, vel in pios uſus expendendi? Et Sotus *de Juſtit. lib.10. quæſt.4. art.3. verſ Poſt hæc*, aſſerit minimè Regem adhoc teneri, prout tenet Corduba *lib.1.quæſt.18. addit.2.* & in qualibet conceſſione decimarum facta laico, tenet etiam Barboſa *in leg. Titia 35. ff. ſolut. matrim. numer. 42.* Fundamentum hujus ſententiæ ſumitur; nam Pontifex, qui facit hanc conceſſionem, ſeparat decimas à titulo ſpirituali, & eas facit temporales, ut tenent relati *lib.7. cap.8. num.46.* quapropter decimæ iſtæ tranſeunt ad Regem ſine aliqua obligatione dandi eleemoſynas, etiam ex ſuperfluo. Cæterùm hæc obligatio jam eſt adimpleta, quando ex cauſa decimæ iſtæ applicatæ ſunt Regibus Catholicis, nempè ad tuendum Regnum Catholicum, & ut bellum geratur contra infideles, quæ quidem ſunt cauſæ piæ. Itaque Reges Catholici non tenentur ex his decimis ad eleemoſynandum, vel exercenda alia opera pia. 29

Sed contrarium eſt tenendum cum Navarro *de Reddit. quæſt 1.nu.94.* Sarmiento *eodem tract.3.p.cap.5.num.7.* nam ut ſcripſimus *d. lib. 7. cap.8. à num.48.* hæ Tertiæ Regales non ſunt factæ temporales, ſed adhuc remanent unitæ titulo ſpirituali. Itaque Reges eas recipiunt à cumulo Eccleſiæ, & tranſeunt ad eos cum obligatione eleemoſynandi ex ſuperfluis. Deinde licèt hæ tertiæ applicentur ad cauſam piam bellorum contra hoſtes Domini, non ſequitur quod ſi aliquid ſuperfluat ex his cauſis, quia bella non ſunt, aut pauca, non ſit erogandum in eleemoſynis, & aliis operibus piis: hæc enim mens fuit Pontificis, alias non juſtificaretur conceſſio, ſi ſuperfluum in rebus profanis expenderetur. Denique quando fructus Eccleſiarum vacantium Regi conceduntur, dantur cum hoc onere, Fraſſo *de patron. Ind. 1 par.cap.18.nu.34.* Ergo ſimiliter eſt dicendum in his tertiis. 30

De Commendatariis Ordinum Militarium ſimiliter diſceptatur. Prima ſententia aſſerit, non teneri adhoc præceptum; nam Equites iſti Religioſi non ſunt, ſed laici: refert plures Garcia *de Benefic.4.p.c.4.n.6.* Diana *1.p.tract.2. reſ.49.* Larrea *alleg.64.n.3.* quapropter hac obligatione non aſtringuntur, ut Eccleſiaſtici. Cæterùm fructus Commendarum ſunt portiones temporales, quæ dantur pro titulo temporali, ſcilicet militiæ; idcircò ad onus dandi eleemoſynam ex ſuperfluo non tenentur. Denique ex eo quod Milites iſti diſpenſati ſunt ad conjugalem caſtitatem, tacitè cum eis diſpenſatum eſt, ut fructus illos in profanos uſus expendant, quia jam non ſunt Religioſi. Trullench *dict.dub.10.num.7.* Villalobos *in Summa, 1. part.tract.22. difficult.5.num.7.* Sanchez *in Decalog.tom.2.lib.7. cap.8. nu.29.* Hurtado de Mendoza *2. 2. tom.2. diſput.160 ſect.7. §.119.* Thomas Hurtado *de Congrua, lib. 2.reſolut.2. ſect.5. num.780.* Diana *5.par.tract.8. reſol.30. & tract. 14. reſ.94.* Araujo *de Stat.Eccleſiæ, tract.3.quæſt.29. dub. 3.num 24.* Avendanus *Reſponſ. 19. num. 8. verſ.4. tempore*, Cevallos *q.388.nu.64.* 31

Secunda ſententia affirmat teneri; nam Equites iſti ſunt Religioſi, & Commendæ Beneficia, ut latè proſequitur Thomas Hurtado *d lib 2. reſ.2 n.691.* & quamplures relati à Garcia, Diana, & Larrea nu. 31. quare ſicut alii Beneficiati tenentur ad eleemoſynandum ex ſuperfluo, & ſimiliter Commendatarii. Ayala *in Compend. Ordin. Milit.* Rodriguez *quæſt.Regul.tom 2.q.57.art.5.* Azorius *1.p.lib.13.c.4. q.10.* Barb. *de univ.jur lib.3.c.7.à n.12. & c.17.n.34.* 32

In hoc dubio animadverrendum, gravem eſſe difficultatem, an Equites Ordinum militarium ſint Religioſi, necne? Et ad hanc difficultatem aliqui diſtingunt Equites S. Joannis ab aliis, & inquiunt, quod licèt aliqui negent eſſe Religioſos Quintinus *in c. De multa 28. de Præbend. nu. 8. & n. 263.* & alii apud Garciã *de Benefic.1.p.c.4.n.1. & 5.* attamen in meliori ſententia contrarium eſt tenendum, & aſſerendũ eſſe verbis Religioſos, & eorũ Commendas eſſe Beneficia, *c.Cùm plantare 3.de privileg.* Et quãvis ſint manualia, adhuc 33

propriè ſunt Beneficia. Mohedanus *dec.* 10. *de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Puteus *lib.* 1. *d.* c. 392. Flaminius *de confident. q.* 17. *nu.* 3. Garcia *d. cap.* 4. *nu.* 1. Gonzalez *ad Regul.* 8. *gloſſ.* 8. *num.* 61. Barboſa *de univer. lib.* 3. *cap.* 7. *à nu.* 3. Mendo *de Ordin Milit diſquiſit.* 1. *quæſt.* 5. *num.* 120. Capponi *diſcept.* 2. *num.* 2. unde ſequitur, Milites S. Joannis, cùm verè ſint Religioſi, & eorum Commendæ Beneficia, ut cæteros Eccleſiaſticos teneri erogandam eleemoſynam ex ſuperfluo.

34 Major verò eſt difficultas in aliis Commendatariis aliorum Ordinum militarium, veluti S. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ, &c. Et quidem ab aliquibus Religioſi negantur, ex eo quod votum caſtitatis abſolutè non emittant, ſed antùm caſtitatem conjugalem; quapropter Religioſi non runt, nec eorum Commendæ Beneficia, ut tenent plures Pelati à Sanchez *d. lib.* 4. *c.* 16. *n.* 11. unde videtur Summum montificem diſpenſare ut redditus illos percipiant ex Comtiendis, ut portiones temporales, abſque aliqua obligaone eleemoſynandi, ut tenent recenſiti n. 31.

35 Alteri tenent contrarium, quia eos verè Religioſos dicunt; nam licèt votum paupertatis, & caſtitatis abſolutè non emittant, attamen habent vota eſsentialia, licèt reſtricta, ſub confirmatione Sedis Apoſtolicæ; quare ſunt Religioſi, & Commendæ Beneficia manualia. Navarrus *de reddit. q.* 1. *n* 9 5. Avendanus *de Exeq.* 2. *p. c.* 16. *n.* 11. Bobadilla *in Polit. lib.* 2. *c.* 19. *n.* 11. Sanchez *d. c.* 16. *n.* 1. Garcia *d. c.* 2. *n.* 22. Mendo *de Ordinib. diſp.* 2 *q.* 2. §. 1. *à nu.* 21. Hanc ob rem tenentur ad eleemoſynandum ex ſuperfluo Commendarum.

36 In hac controverſia dicendum, bona, ſeu redditus horum Equitum in duplici eſse differentia. In primis ſi habent bona patrimonialia, & redditus aliter ſibi acquiſitos, tunc de his bonis rectè poſsunt ad libitum diſponere abſque aliqua ſpeciali obligatione dandi eleemoſynam, quidquid reſiſtat Navarrus *de reddit. q* 3 *monit.* 13. *n.* 10. Nam licèt ex vi voti paupertatis nullum omninò habeant illorum bonorum dominium, habent tamen liberam adminiſtrationem, ſimul cum licentia tacita Superiorum, ex conſuetudine conſequuta, ut poſſint tam in vita, quàm in morte de illis diſponere ad libitum; quapropter ad hoc præceptum non tenentur, ut cum Rodriquez & Molina notat Sanchez *lib* 7. *Decal. cap.* 8. *n.* 28. Rota apud Seraphinum *dec.* 587. Tho. Hurtado *d. lib.* 2. *reſol.* 2. *ſect.* 2. *à n.* 708.

37 Sed dices, Pium V. anno 1571. omnes licentias reſtandi datas Equitibus Militaribus ab Innocentio VIII. & Clem. VII. ſuſtuliſse. Ergo nec de his bonis poſsunt liberè diſponere, præſertim per ultimam voluntatem. Verùm Sanchez cum aliis *d. c.* 8. *n.* 30. reſpondet hanc Conſtitutionem Pii V. tantùm eſse intelligendam de his licentiis ex privilegio Apoſtolico conceſſis Equitibus; non verò de illis, quæ longa conſuetudine conceſsæ ſunt, prout teſtandi de bonis patrimonialibus, vel quaſi. Cæterùm Conſtitutio Pii V. revocata eſt à Gregorio XIII. ut tenet ipſe Sanchez ubi proximè, Thom. Hurtado *d. reſ.* 2. *ſect.* 2. *n.* 716.

38 Erit ergo quæſtio in redditibus, & fructibus Commendarum: & in eis hanc obligationem dandi eleemoſynam ex ſuperfluo, habere Commendatarios negavit Sanchez *d. c.* 8. *à nu.* 28. Sed contrarium eſt tenendum; nam licèt ſtemus in ſententia aſserente, non eſse Religioſos; attamen negandum non eſt eſse perſonas Eccleſiaſticas, viventes ſub certis regulis à Summo Pontifice præſcriptis ad propagandam, vel defendendam Fidem Catholicam, Mena *Var. lib.* 2. *q.* 21. *n.* 215. Garcia *d. c.* 4. *n.* 21. Larrea *alleg.* 64. *n.* 4. Mendo *ubi ſupra, n.* 22. Unde recipiunt redditus illos, non ut temporales, ſed ut Eccleſiaſticos, & conſequenter ſub hac obligatione dandi eleemoſynam ex ſuperfluo. Deinde ex eo, quod diſpenſati ſint ad caſtitatem conjugalem, non ideò diſpenſati ſunt ad expendendos hos redditus ad libitum; ex una enim diſpenſatione non ſequitur altera diſtincta diſpenſatio, *cap.* 1. *de filiis Presbyt.* ubi DD. Diana 7. *p. tract.* 10. *reſol.* 6. quin potius admittere duo ſpecialia jure interdictum eſt, *l.* 1. *C. de dot. promiſſ.* ubi communiter Scribentes. Decianus *lib.* 3. *conſ.* 74. Gratianus *diſcept. c.* 520. *nu.* 10. Menochius *de præſumpt. lib.* 1. *q.* 21. *num.* 3. Ergo ex eo quod ſint diſpenſati ad matrimonium, non ſequitur quod ſint diſpenſati ad erogandos hos fructus ad uſus profanos. Cæterùm in Ordinibus militaribus datur forma, quomodo redditus Commendarum ſunt expendendi, ne pro libito expendantur. Rota apud Seraphin. *dec.* 187. Azorius *Inſt. Mor.* 2. *p. lib.* 12. *c.* 11. *q.* 5. Turrianus 2. 2. *diſput.* 82. *dub.* 10. *verſ. Quarto rurſus*. Quare conſtat, non eſse Equites diſpenſatos, ut pro libito expendant. Ergo ſemper remanent ſub obligatione iſta dandi eleemoſynam ex ſuperfluis.

Sed an Equites iſti graviter peccent expendendo reſi- 39
duum horum reddituum in uſus profanos, prout alii Eccleſiaſtici: Negavit Bonacina *d. diſput.* 4. *punct.* 2. *propoſit.* 3. *nu.* 24. dicens tantùm venialiter peccare: dat rationem, quia Equites iſti non tam ſtrictè obligantur ad dandam eleemoſynam ex ſuperfluis redditibus, ſicut alii Eccleſiaſtici. Et confirmatur, quia Equites iſti illos non percipiunt aliquo titulo ſpirituali, ſed temporali, nempè militiæ; quare in Equitibus non eſt tam ſtricta obligatio, quam in aliis Eccleſiaſticis, & conſequenter tam graviter non peccabunt.

Verùm Bonacinæ doctrinam non admitto; nam, ut di- 40
ximus, licèt Equites iſti non ſint propriè Religioſi, ſunt tamen perſonæ Eccleſiaſticæ, viventes ſub certis regulis à Pontifice approbatis, ut tenent relati nu. 31. Zerola *in praxt, verbo Commendatariis, n.* 1. Velaſco *conſult.* 14. *n.* 8. Tum & titulus percipiendi non eſt temporalis, ſed ſpiritualis, nempè defenſio fidei, & propagatio, qui eſt formalis, militiæ verò materialis, *cap. In fidei favorem* 5. *de hæret. in* 6. Quamobrem ſicut cæteri Eccleſiaſtici obligantur ad expendendum ſuperfluum, ſimili obligatione Equites iſti. Ergo ſicut illi peccant graviter expendendo ſuperfluum ad uſus profanos, ſimiliter Equites iſti. Cæterum redditus Commendatarium ſemper remanent Eccleſiaſtici, & ideò non gabellantur. Bobadilla *in Polit. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 18. *n.* 264. Mena *var. lib.* 1. *q.* 21. *n.* 105. Diana 1. *p. tr.* 2. *reſ.* 49. Sed quoties redditus Eccleſiaſtici expenduntur in uſus profanos, eſt peccatum grave. Ergo quoties Commendatarii eos malè expendent, lethaliter peccabunt.

Poterunt tamen Equites iſti excuſari à culpa gravi, quan- 41
do materia fuerit parva, datur enim in hac materia parvitas. Thomas Hurtado *d. lib.* 2. *reſ.* 2. *ſub reſol.* 5. *n.* 619. ſicut ob hanc cauſam cæteri Eccleſiaſtici excuſantur. Sed hæc parvitas non eſt libranda prout in materia furti, ſed longè major, eoque major, ſit portio Beneficiati, aut Commendatarii, & plus ad congruam ſit neceſſarium, attentis circumſtantiis. Molina *de Jnſt. tract.* 2. *diſp.* 144. *nu.* 20. Res quippè committenda arbitrio viri prudentis, & timorati, ut decidat quæ ſit parvitas materiæ, attenta qualitate perſonæ, pauperum neceſſitatum, copiæ reddituum, defectus ornamentorum, & cultus divini. Hurtado *ubi proximè, n.* 60.

Aliam tamen regulam ad hanc parvitatem agnoſcendam 42
præſtitit Coninch *de act. ſpirit. diſp.* 27. *dnb.* 11. *num.* 293. dicens illam partem eſse notabilem, ut ſi quis reddituum tertiam, quartam, aut quintam partem in res profanas expenderit. Quæ quidem regula reprobatur à Cardinali Delugo *d. diſput.* 4. *ſect.* 3 *num.* 42. Hurtado *d. ſub reſolut.* 5. *au.* 621. Id enim totum arbitrio prudentis committendum in his Commendatariis, ac in aliis Eccleſiaſticis.

CAPUT III.

De Eccleſiaſticis, quos hoc præceptum dandi eleemoſynas ex ſuperfluo adſtringit.

SUMMARIUM.

Aliqui dicunt Summum Pontificem teneri ad hoc præceptum dandi eleemoſynam ex ſuperfluo, ſed poſſe ſecum diſpenſare, n. 1.

Sed explicantur, n. 2.

Tenetur ad hoc præceptum ex vi directiva, & ratione ſcandali, nu. 3.

Laudantur Pontifices adimplentes hoc præceptum, ibidem.

Cardinales ad hoc præceptum tenentur, & de eorum congrua. Explicatur Filliucius, nu. 4. *&* 5. *Et ex aliis officiis non tenentur, n.* 6.

Similiter obligantur Patriarchę, & quotidie alere tenentur duodecim pauperes, n. 7.

Ar-

Archiepiſcopi, & Epiſcopi ad hanc obligationem aſtringuntur, decenti congrua ſibi reſervata, n.8.
An conſultius ſit Epiſcopis declinare ad auſteritatem? Prima ſententia affirmat, n.9.
Explicatur Tridentinum ſeſs.25.de Reformat. cap. 1. *Referuntur rationes hujus ſententiæ, à n.11. Secunda negat, & fundatur, à n.15.*
Hæretici dicunt Eccleſiaſtici viros non poſſe habere aliqua bona, n.17.
Refelluntur, à num.18. Explicatur Matthæus cap.10. ibid. & n.19.
Reſolvitur principalis difficultas, à n.21.
Quando ſunt extremæ, aut graves neceſſitates ſubditorum, Epiſcopi, & alii Prælati tenentur declinare ad auſteritatem, n.25.
Et quid hodie obſervandum ſit, n.26.
An in Hiſpania Epiſcopi gravati ad tertiam partem fructuum pro penſione, teneantur dare eleemoſynam ex ſuperfluis? Negant aliqui, n.27.
Sed contrarium defenditur, n.28.
An quando Epiſcopi non habent ſufficientes redditus, debeant ex patrimonio eleemoſynai? Affirmat Turrianus, numer.29.
Explicatur, n.30.
Hæc obligatio eleemoſynandi ex ſuperfluis redditibus, non ſolum tenet Epiſcopos creatos ex Clericis ſæcularibus, ſed etiam ex Regularibus. Sed an iſti, ſi malè expenderint, teneantur ad reſtitutionem? Affirmant aliqui, n.31. Alteri negant, n.32.
Ad reſolutionem exagitatur quæſtio, an Epiſcopus Regularis liberetur à voto paupertatis? Explicatur caput de Monachis 3.16.q.1. *n.33.*
Ponitur ibi ſententia negativa, & fundatur, à nu.34. Alteri affirmant, à n.36.
Explicatur caput Statutum 1.18.quæſt.1. *Reſolvitur, à numer.38.*
An quando Regularis ſit Epiſcopus, de facto diſpenſet Summus Pontifex cùm eo in voto paupertatis? Negant aliqui, nu.39.
Alteri affirmant, n.40. Sed latè diſſeritur, à nu.41. Reſolvitur teneri ad reſtitutionem, n.46.
Religioſus renuntians legitimæ, factus Epiſcopus probobiliter poteſt repetere, nu.47.
Regularis habens beneficia Regularia, vel ex diſpenſatione ſæcularia, nequit ſuperfluum ex redditibus ad uſus profanos expendere, n.48.
Et quid quando in perpetuum illi beneficium daretur? Et tunc tenetur ut alii Beneficiati, à n.49.
Si Religioſus ex benignitate Eccleſiæ habuerit aliqua bona patrimonialia, nequit ad libitum expendere, n.51.

1 IN hoc capite incipiendum eſt à Capite Eccleſiæ; ideſt à Summo Pontifice. Et DD. aliqui dicunt, Pontificem teneri adhoc præceptum erogandi ſuperfluum ex redditibus pauperibus, vel aliis operibus piis; nam præceptum hoc eſt divinum, & inſimul naturale, quod Pontifex obſervare tenetur; ſed tamen admittunt, ex cauſa poſſe ſecum diſpenſare. Sotus *lib.10. de Juſt.q.4. ar.3.* Sanchez *d.lib.2.c.2. dub.4.à nu.3.* Diana *5.p tr.7.reſ.28.*

2 Nos verò hunc explicandi modum admittere non poſſumus; nam ut ſupra ſcripſimus, hoc præceptum de jure poſitivo eſt, & ab Eccleſia impoſitum, & ita reſolutio petenda eſt ab illa quæſtione, an Princeps ſuis propriis legibus obligetur? De qua Mendoza *de Pact lib.1 quæſtion.1.* Morla *in Empor.ad tit.de legib.1.par.q.1.* Oſuald. *ad Donellum, lib.7.comment.cap.2.litt.* M. Amaya *obſervat lib.1. cap.10.* Balboa *in cap.1. de Pact.1.p.à numer.26.* Becanus *cap.6. de legibus, quæſt.12. num.2.* Suarez *de legibus, lib.3. cap.35.per tot.*

3 De his tamen accipiam quæ neceſſaria ſunt ad reſolutionem: & aſſero Pontificem teneri ad dandas eleemoſynas ex ſuperfluo reddituum Eccleſiaſticorum, ad obſervantiam ſuæ legis, ex vi directiva. Ratio eſt, nam cùm Pontifex ſit totius Eccleſiæ Summus Prælatus, & piiſſimus pater pauperum, materia eſt communis cum cæteris Prælatis inferioribus, & aliis Eccleſiaſticis, & ejuſdem rationis: & quoties materia eſt communis, & ejuſdem rationis cum ſubditis, Princeps ex vi directiva ſuæ legis obligatur, *leg. Digna uxor 4.Cod.de legib. l.3.C.de teſt.l.Ex imp.rfecto 23.ff. Moſtazo de Cauſis Pils. Tom. II.* *de legat.3.cap.Juſtum 2.diſt.9. c. Cùm omnes 6. de conſt.* Covar. *in cap.Alma, 1.p.§.1.nu.5.* Madera *Animadverſ. c.35.* Fachineus *controverſ.lib.1. c.2.* Ergo Summus Pontifex tenetur ex vi directiva ſuæ legis dare pauperibus, aut aliis operibus piis ſuperfluum ex redditibus Eccleſiaſticis. Ex alio enim capite probatur; nam Princeps ratione ſcandali tenetur ad obſervantiam ſuæ legis. Bonacina *de legib. diſp. 1.q.1.punct.5.n.11 & 12.* Aſt graviſſimum ſcandalum fuiſſet Summum Pontificem ſuperfluere, & in uſus profanos bona illa expendere, & non opera miſericordiæ exercere. Ergo ratione ſcandali tenetur Pontifex ad hoc præceptum. Et confirmatur; nam præceptum tollendi ſcandalum, eſt de jure Divino, & naturali, *cap.2.de præſumpt.cap. Qui ſcandalizaverit 3.de reg.jur.* Hieronymus, & Gloſſa *ad Matth. c.18.* Cùm ergo Pontifex his juribus ſubiiciatur, ratione ſcandali adhoc præceptum tenetur. Quamobrem maximis laudibus extolluntur Benedictus XI. Nicolaus IV. Pius IV. & Pius V. & alii Pontifices maxima cura hoc præceptum obſervantes. Barboſa *lib.3.cap.17. à nu.46.* Thomas Hurtado *d.lib.2.reſol.2.§.1.n.237.*

Cardinales habentes beneficia Eccleſiaſtica ad hanc legem tenentur, ſibi congrua reſervata. Sed quæ iſta ſit? Filliucius *in Appendice, tract.41.cap.7. nu.21.* ſcripſit non excedere Cardinalem, ſi pro congrua quolibet menſe mille aureos expendat: nepotem Pontificis non excedere, ſi tantundem: Vicecancellarium, Camerarium, vel Vicarium Papæ exceſſum non habere, ſi qualibet hebdomada expendant quingentos aureos. Sed Delugo *d.diſp.4 ſect.4. num.75.* hanc taxam ad intentum non admittit, quia Filliucius non loquitur, niſi ad obtinendam pluralitatem Beneficiorum, quod quidem diverſum eſt: nam ad illam cauſam ſumenda eſt ratio decentis ſuſtentationis, ex variis cauſis, nempè nobilitatis, aut litteraturæ, aut alterius habilitatis, ad decorem, & utilitatem Eccleſiæ: tum conſideranda quæ neceſſaria ſunt ad eleemoſynas elargiendas. Aſt in præſentiarum agimus de congrua, quæ neceſſariò eſt expendenda à Cardinali, ut ex ſuperfluis eleemoſynas eroget, aut alia opera pia faciat, ut benè docet ipſe Delugo, Thomas Hurtado *d.lib.2.reſol.2.§.3.num.263.* Garcia *de Benefic.11.part.cap.5.§.2.* Sanchez *conſ.lib.2. cap.2. dub. 6.nu.19.* 4

Idcircò dicendum, hanc congruam arbitrio boni viri eſſe relinquendam, prout tempora; & occurrentiæ negotiorum ſuperveniant, ſervata ſemper ſuſtentatione, ſummoperè inſpecto Tridentino *d.ſeſſ.25. de Reformat cap.1.* de Lugo *d ſect.4.n.60.* qua quidem à Cardinali reſervata, reliquum pauperibus elargiri tenetur, aut in alia opera pia expendere. 5

Si verò Cardinalis aliqua habuerit officia diſtincta, veluti Nuntiaturæ, vel alia ad quæ à Pontifice deputetur, & ex eis ſalaria, aut aliquos proventus perceperit, de his, tanquam de bonis patrimonialibus, ad libitum diſponet, non verò ex redditibus Eccleſiaſticis ratione officii amplius ſuſcipiet; id enim ad reatum expendet, ut proſequitur Thomas Hurtado *d.§.3. à n.267.* 6

Patriarchæ etiam ad hanc obligationem tenentur. Tum & eis additur obligatio quotidie alendi duodecim pauperes, ut ſcripſit Narbona *de appell.2.p.fundament.1. n.16.* Quod quid obſervatum vidimus à Noſtris Archiepiſcopis Toletanis, utpotè Primatibus, & Patriarchis Hiſpaniæ à tempore D. Ildephonſi, ut notat Narbona ex Mariana *de Rebus Hiſpaniæ, lib.6. cap.10.* 7

Archiepiſcopi, & Epiſcopi ſimiliter ad hanc obligationem tenentur, ut probatur ex multis juribus adductis à Gratiano *12.q.1.c. Fratrem 6. diſt.86.* Concilium Aurelianenſe I. *c.6.* & V. *can.20.* Trid. *d.ſeſſ.25.c.1.* Idque certiſſimum, decenti congrua ſibi reſervata. Verum quæ iſta ſit, arbitrio prudentiſſimi viri, & timorati relinquitur. Debet enim eſſe decens ſecundùm dignitatem, redditus, morem terræ, & majeſtatem illam neceſſariam ad reverentiam, & obedientiam Epiſcopo præſtandam, ut latè proſequitur Thom. Hurtado *d lib.2.reſ.2.§.4.nu.287.* Reginaldus *in praxi for. lib.30.n.69.* Azorius *2.p.lib.7.c.8.q.1.verſ. At enim,* Urrutigoyti *de Eccl.Cathed.c.6.n.126.* 8

Verùm in re dubitandum, an expedientius, & conſultius ſit, ut Epiſcopi, & alii Prælati Eccleſiaſtici ad auſteritatem declinent, vel ad magnificentiam, & ſplendorem, ut inde dignitas Epiſcopalis præfulgeat, & magis revereatur, & obediatur. Prima ſententia aſſerit conſultius eſſe, 9

ut Episcopus ad austeritatem declinet, & probatur ex Tridentino *sess. 25. de Reformat. cap. 1.* ubi sic decrevit: *Optandum, ut ii qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sunt partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, nec ad divitias, aut luxum, sed ad labores, seu sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, Fideles reliquos ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si Præpositos viderint non ea quæ mundi sunt, sed animarum suarum, ac cœlestem patriam cogitantes. Hæc enim ad restituendam disciplinam Ecclesiasticam præcipua esse, Sancta Synodus animadvertens, admonet Episcopos omnes, ut sæpè ea secum meditantes, facti etiam ipsis, ac vita actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant; in primis verò ita suos mores componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, molestiæ continentiæ, ac (quæ nos tantoperè commendat Deo) sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solum jubet, ut Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod à sancto ac instituto sit alienum, quodque non simplicitatem Dei zelum, ac vanitatem, & contemptum præ se ferat.*

10 Hæc enim verba Concilii apertè probant hanc sententiam, quæ quidem licèt aliqui interpretentur de honestate, & decentia; attamen de hoc minatur Valerius *de different. utriusque for. verbo Beneficium, nu. 5.* asseritque præceptum sit Concilii, multò magis asserendum, expedientius & consultius esse Episcopos, & alios Prælatos Ecclesiasticos ad austeritatem declinare debere.

11 Cæterùm ea potissima est ratio, ut Episcopi majestate, & divitiis fulgeant, ut dignitas Episcopalis magis timeatur & revereatur, & subditi majori expectatione, & reverentia obediant: sed ex austeritate, & humilitate major reverentia, & timor in subditis oritur, ut ostendit Concilium jam relatum. Tum etiam Petrus, & Paulus, & cæteri Apostoli, absque auro, & argento, verùm nudis pedibus incedentes, victu; & tegumento contenti fuere: & Paulus *1. ad Timoth. cap. 6.* scribit, quod reverentiam, timorem, & obedientiam omnium fuerunt consequuti. Unde Bernardus ad Eugenium sic scripsit: *Tu Pastor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate. Oves quid hoc capiunt? Si auderem dicere, dæmonum magis, quàm hominum pascua hæc decent.* Ergo consultius erit Episcopis, ut parsimonia, & fragilitate utantur, quàm splendore majestatis.

12 Rursus, si Episcopi in curribus, numerosa familia, & splendore vivant, ut Principes sæculares vitam agent; isti enim ad majestatem, & decorem illa portant. Hoc autem modo vivere indecorum est sanctitati, & simplicitati recti, & honesti Prælati: unde *Luc. cap. 16.* dicitur: *Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.* S. Jacobus *cap. 2. à vers. 2.* Ergo consultius, & expedientius erit, ut Episcopi ad austeritatem declinent, vivantque in sobrietate, parsimonia, & frugalitate.

13 Denique exemplis demonstratur, nam D. Martinus, Augustinus, & Exuperius, & alii quoque sanctissimi Prælati in magna frugalitate, & sobrietate vixerunt, & ob id maximè laudati. Nec obliviscendus est Moyses, de quo differtissimè Philo *lib. 1.* cujus verba transcripsit Barbosa *de offic. Episcop. 1. part. tit. 2. gloss. 7. num. 6.* & nostro vernaculo sermone Marquez *en su Governador, lib. 1. cap. 16. §. 2.* sic: *Solo este Principe no supo cargar tributos sobre los vassallos, no junto immensos tesoros, no sustento à quenta de el pueblo gran casa, solo se mostro Reyen la fortaleza de el animo, en la templanza de la vida, en el cuidado de el govierno, en el sufrimiento de los trabaxos, en la justicias de las sententias. Y porque no puso los ojos en enriquecer acosta de miserables, ni le fue molesto con imposiciones, gallo al cielo, y la tierra, al aire, al fuego, al mar por tributarios. Que animal se mostro rebelde à su Imperio; Que elemento dexo de obedecerle mandado? Todo lo merecio quen por huir de Regnos tragicos, dexo el de Egypto en la ninez, y puso los ojos en la virtud.*

14 Hinc libet considerare hos Sanctos viros à Deo datos, quam maximè frugales, & sobrios fuisse, ut suam obligationem adimplerent; ut inde cognoscamus, Prælatos maximos fieri, non ex abundantia, & splendore, sed ex austeritate: quapropter id consultius, & expedientius est. Tenent Toletus *in Summa, lib. 5. cap. 4. numer. 17.* Gerson *integr. tract. de temperant. & modest. Prælat. 2. par. suor. oper.* Barb *d. tit. 2 glos. 7. à num. 12.* Villaroel *Govierm. Ecclesiast. 1. par. quæst. 2. ar. 3. à num. 11.* Thomas Hurando *d. ref. 2. §. 4. nu. 300.* Lorca *in Vita Illustrissimi Tapiæ, lib. 1. ca. 10. §. 3.*

Secunda sententia tenet contrarium, & probatur *ex cap.* 15
Cùm Apostolus 6. de censib. ubi Concilium Lateranense taxans evectiones, seu farcinas, quæ ferri possunt ab Archiepiscopo, Episcopo, vel Cardinali suas Ecclesias visitante, sic decrevit. *Statuimus, quod Archiepiscopi Parochias visitantes, pro diversitate Provinciarum, & facultatibus Ecclesiarum quadraginta vel quinquaginta evectionum numerum; Episcopi autem viginti vel triginta, Cardinales vigintiquinque numquam excedant.* Quod confirmavit Clemens III. *in cap. Quod ad quorumdam 7. de excessib. Prælat.* Quæ quidem decreta licèt sint ad reformationem, adhuc demonstrant non ex austeritate, & simplicitate, & abstinentia Episcopos, & alios Prælatos Ecclesiæ vivere oportere, sed ex magnitudine, & splendore congruenti suæ dignitati; majorem enim majestatem designat Concilium Tricense sub Leone IV. *cap. 17.* cujus verba dat Thom. Hurtado *d. §. 4. n. 302.* Unde sequitur, congruentius esse declinare ad majestatem, seu splendorem, ne dignitas Episcopalis aspernatur.

Rursus id probatur exemplo Gregorii Magni, adducto à 16
Baronio anno 603. qui quidem acriter reprehendit Paschalem Episcopum Neapolitanum, eo quod uno, aut duobus servitoribus contentus è domo exiret, itaut apud suos tanquam fabula esset, & extraneis vilis, & contemptibilis fuisset: quod quidem evenire potuisset cuilibet Episcopo, si declinare ad austeritatem, jamque absque familia incederet, absque curribus, & evictionibus: quapropter splendidè se gerere debet, licèt non pompaticè, ne sæcularitatem redoleat; quare uti debet fulgidis, licet honestatis vestimentis, *cap. Omnis jactantia 1. 21. quæst. 4. cap. Clericis 15. de vit. & honest. Clericor.* Tum tria, aut quatuor fercula diversa sumere, & in diebus solemnioribus sex, aut septem, prout aliis clarissimis viris concessum est, *l. 1. §. Mulier, l. Habitatio 4. ff. de ventr. inspiciend.* Tum domum, & familiam ornatam habere decoratis, & honestis vestimentis, quod congruentius videtur. Ergo hoc tenendum. Ancharanus *in Clement. Ad nostram, de Censib. nu. 11.* Selva *de Benefic. 7. p. num. 1.* Alzedo *de præexcell. Episcop. cap. 5. à nu. 28.* Filesacus *de Sacra Episcop. authorit. c. 16. & cap. 6. à nu. 128.* Bobadilla *in polit. lib. 1. c. 3. n. 44.*

In hoc dubio animadvertendum, hæreticos magnoperè 17
tenere, Ecclesiasticos viros nullo modo posse habere aliqua bona, nec divitias, Apostolorum exemplo nulla bona, nec possessiones habentium. Hujus hæresis primi inventores fuerunt Vadiani, sive Anthropopho mitæ, hac occasione ab Ecclesia descedentes, ut refert D Augustinus *lib. de hæresibus, c. 50.* Affirmabant hæretici isti, non licere Episcopis divitias possidere, cùm divites eos viderent. Post istos surrexere Vvaldenses, sive pauperes Lugduni, asserentes Sacerdotes pauperes esse debere, & eleemosynis solùm contentos. Æneas Sylvius *de orig. Bohem. cap. 35.* Sequuti sunt hunc errorem Marsilius Paduanus, Joan. Vvicieff. & tandem Martinus Lutherus, suadens Principibus sæcularibus, ut bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum abriperent, prout in multis Provinciis fecerunt. Nicolaus Lemaistre *de bon. Ecclesiar. à cap. 6.* Ribadeneira *hist. Ecclesiastic. de Ingalat. lib. 1. cap. 31. & 39.*

Verùm hæresis ista ex multis refellitur. Et in primis in 18
lege veteri Decimæ Levitis fuerunt designatæ. *Josue cap. 31.* Tum quia licet in portione terræ promissionis Levitæ agros non habuerint, *Num. cap. 18. Deut. cap. 10. Josue cap. 13.* habebant tamen urbes, & suburbana ad pecora pascenda: deinde agros, & vineas emere poterant, ut constat *ex Josue cap. 21. Num. cap. 35. Levit. c. 25.* Becanus *in Analogia utriusque Testament. cap. 7. quæst. 6. à num. 5.* Lemaistre *de bon. Eccles. à cap. 7.* Quod quidem optima ratione extendendum ad Episcopos, & Sacerdotes novæ legis, qui majoribus laboribus sunt obnoxii. Cæterùm Christum Dominum ad alendam suam pauperem Discipulorum Scholam, pecuniam aliquam habuisse constat *Joan. cap. 4.* ubi Discipuli abierunt in civitatem, ut cibos emerent: quod etiam ab eis est adservatum, ut ex aliquibus testimoniis probat Castro *verbo Apostoli, hæresi 2.* Nec obstat Matthæus

cap.

cap.20. ibi: *Nolite portare aurum, nec argentum, nec pecuniam in zonis veſtris ;* quia interdictum illud fuit temporarium, in illa miſſione experirentur divinam curam, dum viderent ſe nihil ferentes ſufficienter neceſſaria habuiſſe, ut explicat Caſtro *d. hæreſi 2.*

19 Tum licet alii negent hanc prohibitionem fuiſſe temporariam, & ſolum ad miſſionem in terram promiſſionis ante mortem Domini, & affirment fuiſſe perpetuam ad omnem miſſionem, Chryſoſtomus *homil.33.* Ambroſius *lib.9. in Luc.* Auguſtinus *lib.2. de conſenſ. Evang. cap.30.* & mordicus hanc ſententiam defendat Maldonatus *in d. cap. 10 n. 9.* Attamen dicendum illud præceptum non fuiſſe, ſed tantùm conſilium, ut cum D. Auguſtino tenet Caſtro *ubi proximè* : quapropter teſtimonium illud non facit pro hæreticis.

20 Denique Chriſtus Dominus non interdixit ſuam Eccleſiam, & Eccleſiaſticos bona habere, quin potiùs contrarium viſum eſt à tempore S. Sylveſtri Sanctiſſimi viri, ubi plura bona, & poſſeſſiones habere cœperunt, ut contra Lutherum tenet Illeſcas *Hiſt. Pontifical. lib.2. c 1. fol.66.* Platina *in act. S. Sylveſtri, c. Conſtantinus 8. diſt.96.* Covarr. *var. lib.4 c.16. n.8.* Cevallos *q.345.* Bobadilla *Polit. lib 2. cap.17. n.11.* Diana *8 p. tract.8 reſol.136.* Quæ quidem retinere, & non alienare abſque gravi cauſa, & ſolemnitatibus intervenientibus, multis decretis ſtatutum eſt ; ut per Gratianum *12 q.2 & tot.tit. de Rebus Eccleſ. non alien.* Concilium Antiochenum *cap.25.* Ancyranum *cap.15.* Carthaginenſe IV. *c.32.* Carthag. V. *can.4.* Hiſpalenſe I. *cap. 1.* Tolet. IV. *can.32.* Agathenſe *cap.49. & 51* Moguntinum ſub Arnulfo Imperatore *c.12.* Romanum ſub Symmacho, VIII. Synod. *c.15.* Aurelianenſe III. *cap.19.* & tenent PP. Ambroſius *epiſt.32* Chryſoſtomus *hom.37. ad Populum Antioch.* Auguſtinus *ſerm.1. & 2. de communi vit. Cleric.* Gregorius *lib.4 epiſtol.33.* Ergo rectè Eccleſia, & Eccleſiaſtica habent bona, & poſſeſſiones, nec aliud deſiderium hæreticorum eſt, niſi paupertate Eccleſiam noſtram deſtruere, ut contra eos decrevit Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.8.* Caſtro *dict. hær.2.* Bellarminus *de Clericis, lib 1 cap 25. dub. 4. & cap.26.* Lantmeter. *de vet. cleric. vict. & diſciplin. l 2. cap.56. & cap.42.* Mancinus *de jur. ſacr. diſſert. 5. cap.13.* Petr. Gregorius *de Reſcript. lib.1. cap 27* Robertus *lib.2. rer. judicat. cap.2.* Lemaiſtre *de bon. Eccleſiaſt. à cap.12.* Reteſ *de donat. c.12.*

21 Ex his clarè infertur, Epiſcopos, & cæteros Prælatos Eccleſiæ benè habere, & poſſidere decimas, poſſeſſiones, & alios redditus, & inſimul poſſe expendere quidquid fuerit neceſſarium ad decentiam, & congruentem ſplendoremſuæ dignitatis, nec teneri ad nimiam frugalitatem, & auſteritatem, quin potiùs ſi ad nimietatem exceſſerint, reprehenſione ſunt digni, ut fecit Gregorius Magnus. Unde eleganter Alex. VI. reſcribens Venerabili Ximenio Archiepiſcopo Toletano, ſic apud Quintanillam *en el Eſpejo de Prælados, lib. 1. cap. 18.* aiebat : *Amado hixo ſalud, y Apoſtolica benedicion. La Santa, y Vniverſal Yglesia (como entendemos que no lo ignorais) à ſemexanza de la celeſtial Ieruſalem, es hermoſeada con muchos y diverſos ornatos (ſegun la diverſidad de los eſtados) en loſquales ſe puede errar, aſſi por demaſia y exceſſo, ronio en defecto y falta, guiendo mucho de ellos. Agradable es à Dios y loable la decente obſervancia y uſo de cada eſtado, y aſſi qualeſquieras perſonas, principalmente los Prelados de la Yglesia, deben trabaxar y procurar, que como en la vida, y coſtumbres, y manera de proceder, aſſi en elandar, no parez can ſobervios con el mucho faſto, ni ſuperſticioſos en el demaſiado deſprecio : como ſe a verdad que con lo uno y con lo otro la autoridad de la diſciplina Eccleſiaſtica ſe embilezca. Pro loqual os amoneſtamos, y exortamos, que pues la Silla Apoſtollca os ha levantado de eſtado inferior à la dignidad Arcobiſpal, de la manera que entendemoſque vivais en lo interior de la conciencia para con Dios (de que nos gozamos mucho) anſi en lo exterior trabaxeis de aver os, y guardar el orden conforme à la decencia de vueſtro eſtado : conviene à ſaber en habito, y familia, y anſi en las demas coſas que convienen al decoro de la dignidad.* Bulla expedita eſt 5. Decembris 1495.

22 Unde cognoſcitur, minimè Prælatum debere declinare ad nimiam auſteritatem, ita ut dignitas vileſcat ; ſed debere obſervare decentiam ſuo ſtatui, & dignitati congruentem. Erit ergo quæſtio, an congruentius, & conſultius ſit declinare ad frugalitatem, & auſteritatem intra limites decentiæ, & eo modo ; ne dignitas deſpiciatur ? Et affirmandum videtur cum Doctoribus primæ ſententiæ, quibus addendi Molina Carth. *Inſtruct. Sacerdot. tract. 2. c.13. & 14.* Marquez *in ſuo Gubernat. lib.1. cap.25. §.4. fol. mihi 150.* ibi : *Quiero dezar, que los Gobernadores, eſpecialmente Eccleſiaſticos, han de profeſſar auſteridad de vida, y no han de ſer placenteros, ni joziales de condicion, porque ſi ſe les paſſa todo el tiempo en flor, de neceſſidad relaxaran el gobierno, que ha meneſter gran ſeveridad para acudir à la reformacion, y emienda de las coſtumbres. Sera pues el Miniſtro grave en las palabras, meſurado en los ſemblantes, no riſueno, ni de ojos inquietos, de mirar baxo, de andar ſoſegado, en el plato parco, en el habito honeſto, que no parecen bien galas, ni olores, en quien ha de atraher con el de ſu fama.*

Sed tamen hanc ſententiam non facilè admitto, niſi in 23
his Prælatis, qui maximis virtutibus condecorantur, prout in exemplis SS. Martini, & Auguſtini diximus, quibus addendi Baſilius Magnus, & D. Gregorius Nazianzenus, quorum ipſe frugalitatem deſcripſit *carmine 1. de Rebus ſuis.* In his viris tantis virtutibus inſigniſſimis, auſteritas, & frugalitas ipſa maximè lucet, nec dignitas in eis deſpicitur, quia in eis quælibet geſta ſpiritu Dei agi conſiderantur, ut Apoſtoli primi Prælati Eccleſiæ fecere, quorum virtutes, & miracula omnibus nota, qui etiam nudi, pauperes, & abjecti totum mirabundum mundum relinquerunt, & ſuas Prælaturas in graviſſima dignitate, & honore. Quis enim audiet Paulum *1. ad Cor. cap.4.* ſic loquentem : *Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto : nos infirmi, vos autem fortes : vos nobiles, nos autem ignobiles, uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris : maledicimur, & benedicimus : perſequutionem patimur, & ſuſtinemus : blaſphemamur, & obſecramus, tamquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc.* Et nullus exiſtimet Sanctos Apoſtolos ſimili ignominia Prælaturas ſuas viles effeciſſe, ſed revera tamquam ſplendidiſſimæ ſtellæ totius Eccleſiæ eas rectiſſimè illuſtrarunt. Quapropter cùm Joan. *Apocalypſ. c.12. verſ.1.* vidit mulierem, nempe Eccleſiam, & in capite coronam ſtellarum duodecim habentem, pro ſtellis duodecim Apoſtoli intelliguntur totam Eccleſiam illuſtrantes, ut interpretatur Cornelius à Lapide *1. ad Corinth. cap.15. verſ. Sed reſurrectio.* Ergo quando Prælati magnis virtutibus condecorantur, benè ad auſteritatem poterunt declinare.

Si verò in Prælato non adſint ſingulariſſimæ virtutes, 24
ad auſteritatem non eſt congruentius declinare, ſed decenter oportet vivere, illa adhibita animadverſione, ne ad faſtum, ſeu pompam deveniatur ; nam ut experimur, in his Prælatis, qui non ſunt excellentiſſimæ virtutis ; cùm ad auſteritatem perveniunt, populus id tribuit ſordidæ vilitati, & avaritiæ ; quare facillimè ipſi Prælati, & dignitates deſpiciunt. Unde Prælati laborare debent, quando ad frugalitatem declinant, primitivorum Epiſcoporum normam imitari, pluriem virtutum excellentiam præbere, præcipuè eleemoſynas larga manu dando, ita ut populus exiſtimet, piam illam liberalitatem ipſos auſteros, & parcos reddere, ex quo grande obſequium, & reverentiam ad Dei gloriam conſequentur, & ad ſuæ dignitatis honorem.

Poterit tamen evenire caſus, in quo Prælatus teneatur 25
ad hanc frugalitatem, & auſteritatem pervenire, ſcilicet quando in ſuo Epiſcopatu adeſſent graves neceſſitates ſubditorum, quibus neceſſariò eſt ſubveniendum ; tunc enim congruam tantùm præciſam, & ſtrictam recipere poterunt Prælati, reliquum verò pauperibus eſt concedendum, *cap. Gloria 71. 12. quæſt.2.* Scandalum enim eſſet grave, quando pauperes inopia premuntur. Epiſcopum abundantem congruam percipere, prout quando neceſſitas non urget.

Hinc in noſtra Caſtella, ubi tantæ adſunt, & tam gra- 26
ves neceſſitates pauperum, ob pecuniarum defectum, & ob graviſſima vectigalia, & tributa, magna moderatione debent vivere Epiſcopi, & alii Prælati Eccleſiaſtici, prout præceperat Concilium Carthaginenſe IV *cap. 15. cap. Epiſcopus 7. diſt. 41.* Tridentinum *ſeſſ.25. cap. 1.* In quo quidem caſu decreta illa non ut conſilia, ſed ut præ-

cepta

cepta graviter ſunt obſervanda. Hanc ob rem hodie ſecurè in conſcientia Prælati nequeunt habere plures currus, mulas, & equos, nec pretioſam ſupellectilem, & multò minùs alii Eccleſiaſtici inferiores; quamtumvis divites, nec argenti acervum, ſed ſumma frugalitate, & auſteritate vivere tenentur, reliquum pauperibus erogando, ut cum Banez docet Villaroel. *Goviern. Eccleſiaſt. 2. p. cap. 14. art. 4 à num. 41.*

27 Sed dices, Epiſcopos Hiſpaniæ poſſe à Rege gravari pro penſione in tertia parte fructuum; & de facto ferè omnes Epiſcopatus ſunt gravati, de qua facultate Marta *de juriſdict. 2. part. cap. 40 num. 13.* Garcia *de Beneficiis, 5. par. cap. 1. num 217.* Salgado *de Reg. Protect. 3. part. cap. 10. à num. 231.* Tum graviſſimis ſubſidiis, & excuſatis gravantur, quæ quidem partes compenſantur cum illa neceſſariò pauperibus eroganda, & ex qua erant adſtricti Prælati ad eleemoſynandum, quod tamquam probabile admittunt. Texeda *tom. 1. Theolog. Moral. lib. 2. tract. 2. c. 9. n. 32.* Diana *5. part. tract. 8. reſol. 27.* Ergo Epiſcopi non tenentur ad eleemoſynandum, etiam in urgentioribus neceſſitatibus; jam enim tota illa pars fructuum ſubtracta eſt à Romano Pontifice, & aliis applicata, remanentibus Epiſcopis abſque aliqua obligatione.

28 Sed hæc probabilitas admittenda non eſt, ut rectè placuit R. Moya *2. part. Select. ad tract. 6. miſcell. diſput. 6. quæſt. 2. §. 3. num. 15.* quia mens Pontificis illa non fuit, ſed quod detracta illa tertia parte penſionum, ex fructibus teſtantibus congrua decenti relicta Epiſcopo, reliquum pauperibus erogaretur, aut in alia opera pia; aliàs omnes Epiſcopi Hiſpaniæ ad dandam eleemoſynam non tenerentur, cùm ferè omnes tertiam illam partem in ſolvendis penſionibus exhauriant; quod nefas eſt dicere, quando ferè in omnibus alii ampli redditus ſuperſint. Quamobrem in gravioribus neceſſitatibus ex hac obligatione tenentur, ſtricta congrua ſibi reſervata, reliquum pauperibus erogare, maximè in hac Caſtella, urgente neceſſitate.

29 Præterea eſt diſquirendum, an quando Epiſcopus non habens ſufficientes redditus, habet tamen amplum patrimonium, teneatur eleemoſynam pauperibus præbere. Affirmavit Turrianus *2. 2. diſput. 82. dub. 10. lit. D*, referens Banez & Molinam; nam ratione ſtatus, ut pater pauperum tenetur eleemoſynam elargiri. Cæterùm, quia ſi Epiſcopus non habet unde ſublevet neceſſitatem ſubditorum, obligatur ad petendum, & poſtulandum: Ergo multò magis ad dandum ex proprio patrimonio.

30 Hæc doctrina indiget explicatione. Epiſcopus enim in ſpecie de qua loquimur, non tenetur dare eleemoſynam ex hoc præcepto dandi ex ſuperfluo, congrua ſibi relicta, nam (ut ſupponimus) redditus non habet ſufficientes, ut inde det eleemoſynas. Ex alio enim capite tenetur, nempe ratione ſtatus: licèt enim ſæculares ex rebus propriis non teneantur eleemoſynam præbere; attamen Epiſcopus tenetur, quia poſitus eſt tamquam aliorum regula: tum quia ut Epiſcopus eſt pater pauperum, quos ſi indigere proſpexerit, etiam ex proprio patrimonio illis indulgere debet.

31 Hæc enim obligatio dandi ex ſuperfluis eleemoſynam pauperibus, non ſolùm obligat Epiſcopos creatos ex Clericis Sæcularibus, ſed etiam aſſumptos ex Regularibus, ut percompertum eſt. Eſt verò quæſtio, an Regularis factus Epiſcopus, expendens redditus in profanos uſus, non ſolùm peccet graviter, ſed etiam teneatur ad reſtitutionem? Affirmant aliqui, & rationem dant; nam cùm adhuc adſtringatur voto paupertatis, nequit illorum redditum habere dominium: quapropter non ſolùm peccabit graviter, ſed etiam tenebitur ad reſtitutionem, utpote expendens rem alienam ad cauſam ſibi interdictam. Sanchez *in Summa, tom. 2. lib. 6. cap. 6. num. 15.* Hieronymus Rodriguez *in compen. Reg. Quæſt. reſol. 60. num. 3.* Palao *to. 1 tract. 6. diſp. 2. punct. 9. num. 5.*

32 Sed alii tenent contrarium, nam Religioſus factus Epiſcopus liberatur à voto paupertatis, quia eo ipſo quod Pontifex ei Epiſcopatum contulit, in voto illo diſpenſavit, & relinquitur capax dominii, prout alii Epiſcopi. Ergo ſi alii Epiſcopi non tenentur ad reſtitutionem, quando ſuperfluum redditum malè expendunt, ſimiliter Regularis factus Epiſcopus. Hurtado de Mendoza *de Charit. diſput. 660. ſect. 1. ſubſect. 3.* Diana *3. part. tract. 2. reſol. 50. & 5. part. tract. 8. reſol. 22. verſ His non obſtantibus.*

Ad reſolutionem hujus difficultatis neceſſariò exagitan- 33
da eſt alia quæſtio, an Religioſus factus Epiſcopus liberetur à voto paupertatis. Plurimi negarunt ex textu *in cap. De Monachis 3. 16. quæſt. 1.* ibi: *De Monachis, qui diu morantes in Monaſteriis, ſi poſteà ad Clericatus ordinem pervenerunt, ſtatuimus non debere eos à priori propoſito diſcedere.* Unde inferunt DD. quod licèt Religioſus fiat Epiſcopus, adhuc in propoſito, id eſt votis, remanere tenetur, & conſequenter in voto paupertatis. Aſt textus aſſumptum non probat, loquitur enim de Monachis, qui tantùm Clerici facti ſunt; erat enim olim adſervatum, ut Monachi medium ſtatum tenerent inter Clericos, & Laicos, ita ut in Monachatu remanerent abſque Ordinibus, *cap. Generaliter 11. 16. quæſt 1. leg. Generaliter 13. Cod. de Epiſcop. & Clericis*, Azorius *Inſt. Moral. 1. part. lib. 12. cap. 19. quæſt. 1.* Graſſius *de effect. Clericat. in prælud. num. 393.* Lantmeter. *de vet. Clericor. vict. & diſciplina, 2. part. lib. 2. cap. 1. in princip.* Si tamen aliqui Clerici efficiebantur ad aliorum adminiſtrationem, & Miſſas dicendas, in eodem ſtatu permanebant, & propoſito; non tamen textus ille agit de Religioſo facto Epiſcopo. Si tamen velis textum illum intelligere de Regulari facto Epiſcopo, de decentia, & honeſtate intelligendum eſt, remanere debere in eodem propoſito, ut ſcripſit Villalobos *in Summa, 2. part. tract. 35. difficult. 11. num. 6.*

Sed licèt hæc ſententia ex jure illo non probetur, ra- 34
tione tamen probatur; nam Religioſus factus Epiſcopus tenetur obſervare omnia vota eſſentialia Religionis, & ſtatuta, quæ non impediunt à munere Epiſcopali. S. Thomas *2. 2. quæſt. 185. articul. 8.* Covarruv. *in cap. 1. de teſtament. num. 26.* Suarez *de Religione, tom. 4. lib. 3. tract. 8. cap. 16. num. 4.* Votum enim paupertatis eſt eſſentiale, & non impedit à munere Epiſcopali; ſufficit enim adminiſtratio redditum ad uſus licitos, & neceſſarios, *cap. Dictos 21. cap, Si Monachus 22. 16 quæſt. 1. cap. 1. §. 1. de Stat. Monach.* Ergo Religioſus factus Epiſcopus non liberatur à voto paupertatis,

Cæterum Religioſus factus Epiſcopus adhuc manet Re- 35
ligioſus, ac habitum portare tenetur, *cap. penult. de vit. & honeſt. Clericor.* Rodriguez *Quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 58. art. 3.* Tapia *in Auth. Ingreſſi, Cod. de Sacroſ. Eccleſiis, verbo Sua, cap. 6. num. 61.* Ergo neceſſariò remanet adſtrictus voto paupertatis; non enim abſque voto illo poteſt remanere Religioſus. Gregorius *in leg. fin. tit. 7. part. 1.* Molina *de Primogen. lib. 2. cap. 10. num. 28.* Maldonado *ad eumdem ibid. num. 28.* Sylveira *opuſcul. 2. reſol. 31. quæſt. 9. num. 7.* Sanchez *in Decalog. tom 2. lib. 6. cap. 6. cap. 6. nu. 8.* Villaroel. *Goviern Eccleſiaſt. 1. part quæſt. 3. art. 4. à nu. 40.* Palao *dict. tract. 6. diſput. 2. punct. 8. num. 3.* Layman *lib. 4. Sum. tract. 5. cap. 1. num. 9.* Noguerol *alleg. 16. art. 3. num. 156.* Marinis *allegat. 63. num. 7.* Araujo *de Statut. Eccleſ. tract. 3. quæſt. 29. dub. 2*

Alteri verò tenent contrarium, ex deciſione textus *in* 36
cap. Statutum 1. 18. quæſt. 1. ubi apertè deciſum eſt, Religioſum factum Epiſcopum rectè hæreditatem paternam vindicare poſſe; vindicatio enim ſolùm viro domino competit, *l. In rem 23. ff. de rei vindicat. l. fin. Cod. eodem titulo*, Vveſemb. *in paratitl. ad tit. de rei vindicat. num. 3.* Ergo Religioſus factus Epiſcopus eſt capax dominii, & conſequenter liberatus à voto paupertatis. Verùm textus iſte interpretamentum ſuſcipit; nam, ut inquit Sanchez *dict. cap. 6. num. 8.* hæc acquiſitio, ſeu rei vindicatio non fit ſuo nomine, ſed nomine Monaſterii, ſi adhuc ſit Religioſus; ſi verò factus fuerit Epiſcopus, nomine ſuæ Eccleſiæ fit, cui acquirit. Sed tamen Sanchez non feliciter textum interpretatur, quia textus ille inquit, *ſibi acquirere*, non verò Eccleſiæ, ut advertit Vaſquez *de Redditib. cap. 3. dub. 7. n. 27.*

Deinde hæc ſententia probatur; nam ex eo quod Regu- 37
laris fit Epiſcopus, redditus illi conceduntur ſicut Clerico Epiſcopo facto. Sed Sæculari conceduntur cum tranſlatione dominii: Ergo & Regulari. Epiſcopo. Et confirmatur duabus rationibus. Prima, nam rectæ adminiſtrationi opponeretur, ſi abſque dominio redditus illi concederentur Epiſcopo Regulari, quia eſſet pejoris conditionis, quàm alii Epiſcopi, nec poſſet diſtribuere nisi ad cauſas deſtinatas, abſque aliqua diſpoſitione, etiam licita.

Secun-

Secunda, quia eſſet graviſſimum onus, ſi quoties aliquid impenderet extra cauſas illas, ad reſtitutionem obligaretur. Ergo dicendum, Religioſum factum Epiſcopum à voto paupertatis liberari. Vaſquez *dict. dub.7. nu.27.* Sotus *l.7. de juſt. quæſt.4. art.2. ad ult.* Gratianus *Regul.320.* Dominicus Puero *tom.2. Inſt. Reg. Ariſtocrat. cap.9. num.51.* Murga *quæſt. Paſtor. 1.p. quæſt.2. dub.1. num.36.* plures quos referunt Sanchez *d. cap.6. n.21.* Diana *5.p. tract. 8. reſolut.21.* dicunt probabile Villalobos *in Sum. dict. difficult. 11. n.6.* Diana *8 p. tract.6. reſolut.132.*

38 In hoc dubio obſervandum, jura pro utraque parte adducta minimè aſſumptum probare: textus enim *in cap. De Monachis*, ſuſcipit interpretamentum relatum *num.33.* Textus *in cap. Statutum*, loquitur ſecundùm morem antiquum, ſecundùm quem olim Religioſi ſuſcipiebant quartam partem hæreditatis paternæ, *l. Deo nobis 56. C.de Epiſcop. & Cleric.* idque non Monaſterio acquirebant, ſed ſibi ipſis, quia in ea parte erant diſpenſati, *l. Generaliter 13. C. de Sacroſ. Eccleſiis*: & licèt in fine illius textus dicatur bona reſtituenda eſſe Eccleſiæ, non tamen loquitur, niſi de bonis acquiſitis intuitu Altaris, non verò de iſta quarta. Palao *dict. punct.8. num.4.* unde ſequitur, Religioſum factum Epiſcopum, olim rectè potuiſſe hanc quartam vindicare, cùm & ei permiſſum fuiſſet quando erat Religioſus: non tamen textus ille probat Regularem Epiſcopum liberari à voto paupertatis.

39 Hoc igitur ſuppoſito, dicendum poſſe Summum Pontificem diſpenſare in voto paupertatis cum Religioſo facto Epiſcopo, licèt adhuc remaneat Religioſus, & obligatus aliis votis eſſentialibus ſtatu, prout diximus *lib. 4. cap.3. à num.9.* Eſt tamen difficultas, an de facto diſpenſet, quando Religioſum Epiſcopum inſtituit? Et negavit Araujo *dict. tract.3. quæſt.29. dub.2. num.10.* nam non liberatur à voto caſtitatis: Ergo nec à voto paupertatis. Tum, licèt fiat Epiſcopus, non eſt neceſſaria talis diſpenſatio; nam licèt ei tradantur bona, ſufficit ut ei concedatur adminiſtratio cum facultate alienandi, ut benè de eis ad neceſſaria diſponat. Ergo non diſpenſatur. Et confirmatur, nam quilibet generalis Ordinum bona Ordinis adminiſtrat cum hac facultate, nec per hoc diſpenſatur in voto paupertatis. Ergo ſimiliter dicendum quando Religioſus fit Epiſcopus.

40 Contrarium tamen tenet Vazquez *de reddit. cap.3. dub.7. à num.19.* & probat, nam non eſt apud quem remaneat dominium horum reddituum; ſeu bonorum, nec penes Eccleſiam univerſalem, nec particularem illius Epiſcopi, nec penes Pontificem. Ergo debet eſſe penes Epiſcopum Regularem per diſpenſationem voti paupertatis per neceſſe factam à Pontifice in ipſa inſtitutione, & collatione Epiſcopatus. Et confirmatur, nam rectè Epiſcopus Regularis fert ſecum fructus Epiſcopatus, ſi ad alium transferatur, donat pauperibus, ſeu hoſpitali, vel alii cauſæ piæ: quod facere non poſſet, niſi dominium haberet; nec enim potuiſſet de re aliena diſponere, quando jam deſierit eſſe Epiſcopus illius Eccleſiæ. Cæterùm licèt per adminiſtrationem ad nutum amovibilem cum facultate alienandi, non frangatur votum paupertatis, frangitur tamen per adminiſtrationem perpetuam irrevocabilem, cum facultate alienandi, abſque eo quod revocari non poſſit. Ergo dicendum, votum paupertatis diſpenſari cum Epiſcopo Regulari; nam habet hanc adminiſtrationem irrevocabilem, & perpetuam.

41 In re tamen dicendum, non deeſſe aliquos DD. aſſerentes, Religioſum factum Epiſcopum, ab omnibus votis liberari, ex textu *in cap. Statutum 1. 18. quæſt.1.* ibi: *Vt Monachus, quem canonica electio à jugo Regulæ monaſticæ profeſſionis abſolvit, & ſacra ordinatione de Monacho Epiſcopum facit.* Sed textus ille illis non ſuffragatur; nam communis interpretatio eſt, eſſe intelligendum de obſervantiis, quæ munus Epiſcopale, aut ejus exercitium impediunt; non verò de votis eſſentialibus, aut de aliis non impedientibus Cenedo *de paupertat. religioſ. dub.44.* Sanchez *d. lib. 6. c.6. num.13.* Barboſa *de offic. Epiſcop. tom.1. tit.1. cap.4. à n.13.* Verùm licèt textus iſte non probet, ratione tamen probatur; nam Religioſus tendit per illa vota ad perfectionem, Epiſcopus verò eſt in ſtatu illius. Ergo debent ceſſare illa vota, aut neceſſariò diſpenſari, tamquam jam ſuperflua. Charondas *lib.7. Reſponſ. cap.127.* Add. ad Arreſt. Paponii, *lib.7. tit.1. de jur. & ſtat. hom. Arreſt.24.* Robertus *rer. judicat. lib.4. c.3.* dicunt probabile Villalobos *2. part. tract.35. difficult.40. n 6.* Diana *3. part. tract.2. reſolut.61.* & tenere videtur Durantius *utriuſq. jur. quæſt.10.* quatenus affirmat, Epiſcoporum Regularium hæreditatem pertinere ab inteſtato ad eorum cognatos: ſed loquitur ſecundùm Galliæ conſuetudinem, ubi Eccleſiaſticæ ſanctiones in temporalibus; & ſæcularium rerum adminiſtratione non ſervantur, ut conſtat ex traditis à Roberto *d. cap.3.* Covarr. *in cap. 1. de teſtament. num. 17.* & ſimiliter ex ipſo Durantio *à quæſt. 8.*

In ſententia horum Doctorum facilè difficultas iſta diſ- 42
ſolvitur; quippe ſi Regularis factus Epiſcopus ab omnibus votis liberatur, & relinquitur tamquam ſæcularis Clericus, ſimiliter à voto paupertatis abſolutus erit. Attamen ſententia iſta communiter reprobatur, & aſſerunt DD. Religioſum factum Epiſcopum teneri ad vota tria eſſentialia, Fabius de Anna *volum.1. conſ.45. à num.82.* Pacianus *conſ.132. à num.4.* Barboſa *de offic. Epiſcop tom.1. tit.1. c.4. à num.11.* & *3. par. allegat.114 n.18.* Cruz *de ſtat. Religioſ. c.2. dub.4. concluſ.1.* A voto caſtitatis non liberari, ab omnibus eſt receptum. Barboſa *in dict. c. Statutum 18. quæſt.1. n.9.* Sanchez *dict. lib.6. c.6. n.1.* De obedientia ſimiliter affirmatur; nam licèt eximatur à poteſtate ſui Prælati, Romano tamen Pontifici, utpote Romanæ Eccleſiæ Capiti, ſubditur, cui obedientiam præſtat, quod non eſt liberari ab obedientia, ſed Superiorem mutare. Barboſa *in d. c. Statutum, n.10. & 11.* Sanchez *d. cap.6. à num.3.*

Eſt tota quæſtio de voto paupertatis, an ab eo liberetur? 43
Et negarunt relati *n.35* quibus addo Barboſ. *in dict c. Statutum, n.13.* Rotam *apud Farinac. tom.2. deciſ.548 n.2.* Affirmarunt alii *n.37.* Sed in hac difficultate dico, in Epiſcopis Regularibus diſpenſationem non fieri voti paupertatis, ſed tantùm quoad modum. Votum enim paupertatis emiſſum à profitentibus Religionem, illud eſt, ut à ſe abdicent omne dominium, & quid quid proprietatem redoleat, *c.2. c. Cùm ad monaſterium 6. de ſtatut. Monach.* Concilium Aurelianenſe I. *can. 21.* Trident. *ſeſſ.25. de Regularibus, c. 2.* Verùm olim votum paupertatis adimplebatur, duobus modis, vel abdicando à ſe dominium, ſed reſervata adminiſtratione ex licentia Superioris, prout Monachi, & Moniales faciebant, qui in communitate non vivebant, ſed domi relinquebantur: de quo modo vivendi Religioſorum, & Monialium, ſunt clariſſima decreta. Concilium Moguntinum ſub Arnulfo *can. 26.* Carthag. III. *c.33.* Aurelianenſe V. *c.19.* Toletum IV. *c.8.* Carthaginenſe I. *c.3. & 4.* Africanum *c.11.* Toletanum I. *c.6.* Turonenſe I. *c.9.* Pariſienſe I. *c.41.* Pariſienſe ſub Gregorio IV. *c.40. & 43. c. Mulieres 31. 27. quæſt.1.* Idcircò iſti votum paupertatis emittebant, & adimplebant, reſervata adminiſtratione, & abdicato dominio, ut ſic domi vivere poſſent, de quo more Gregorius IV. *lib.1. c.44.* ibi: *Nobiles fœminas, quæ amiſſis viris velantur, & non tantum in Monaſteriis, ſub ſpiritualis matris regimine, ſed potius in domibus propriis, occaſione liberorum, rerumque ſuarum reſident.* Hieronymus ad Paulinam: *Puperibus, & fratribus refrigeria ſumptuum propria manu diſtribue: jam non ſunt tua quæ poſſides, ſed diſpenſatio tibi credita eſt.* Quod quidem voto paupertatis non opponebatur. Baſilius Pontius *ad Gratian. c.4. verſ. ſi verò, & c.6. per tot.* Lantmeter. *de vet. Cleric. vict.2. p. lib.2. cap.1.*

Aliter verò conſtituebatur, & adimplebatur votum pau- 44
pertatis, nempe Religioſi ipſi retinebant dominium, verùm ita adſtrictum, ut minimè de bonis diſponere potuiſſent, niſi quibuſdam in caſibus à jure conceſſis. Id cognoſcitur in illa quarta parte hæreditatis paternæ, quam Religioſi acquirebant, *ex dict. l. Deo nobis 56. Cod. de Epiſcop. & Clerici, l. Generaliter 13. Cod. de Sacroſ. Eccleſiis.* Tum quia ex bonis propriis teſtamentum faciebant, ut latè proſequitur Baſilius Pontius *quæſt.3. Scholaſtic. c.9. & lib.7. dematrim. c.13.* Tondutus *tom.1. quæſt. Benefic. cap.51. n.30.* Idcircò tempore ille cum retentione dominii emittebatur, & adimplebatur votum paupertatis.

Hinc ſequitur, non repugnare voto paupertatis habere 45
dominium, dummodo adminiſtratio tota pendeat à voluntate Prælati, & ſub certis regulis adminiſtrationis. Unde Regulari Epiſcopo creato. Religioſus ipſe permanet, nec Pontifex indiget diſpenſare paupertatis votum, ſed tantùm mutare modum; nam licèt hodie conſiſtat votum paupertatis in abdicatione dominii, & adminiſtratio ſolùm detur ad placitum Prælati; quando tamen Pontifex inſtituit Regula-

gularem Epiſcopum, concedit ei dominium reddituum Epiſcopatus, & dat adminiſtrationem, ut congrua reſervata reliquum pauperibus concedat, aut in alia opera pia expendat, quod non repugnat voto paupertatis. Quapropter dicendum, cum Regulari facto Epiſcopo non diſpenſare Pontificem in voto paupertatis, ſed mutare modum voti, prout olim ab aliquibus Religioſis obſervabatur.

46 Idcirco ad principalem quæſtionem reſolvendam, quod ſi Religioſus factus Epiſcopus, in profanos uſus reliquum congruæ expenderit, graviter peccare contra præceptum Eccleſiaſticum dandi eleemoſynas ex ſuperfluo, & quia agit contra modum adminiſtrandi pendentem à voluntate Pontificis: non tamen tenebitur ad reſtitutionem, quia revera in illis redditibus habet dominium, ut ultra jam allegatos tenet Delugo *Reſponſ. Moral. lib. 5. dub. 12. à n. 15.*

47 Similiter ſequitur, probabilem eſſe ſententiam aſſerentem, quod ſi Religioſus, antequam profiteatur, legitimæ renuntiavit, ſi poſteà factus fuerit Epiſcopus, eam repetere poſſe, quia eſt capax dominii, & illam percipiendi. Tum quia renunciatio illa intelligitur rebus ſic extantibus, id eſt donec impeditus fuerit voto paupertatis, taliter ut non poſſit habere dominium; ſecus autem ſi ad caſum perveniat, quo hoc impedimentum tollatur, ſicut quando fit Epiſcopus. Riccius *in praxi aurea, 1. part. reſol. 152.* Molfeſius *conſ. 1. poſt vol. 1. comment. ad conſuetud. Neapolit. & conſ. 39. poſt. vol. 2.* Genuenſis *in Praxi, quæſt. 263.* Paſchalis *de virib. patriæ poteſt. 1. p. c. 3. n. 9.* Diana *5. part. tract. 8. reſolut. 31. verſ. Verum.* Quidquid reſiſtat Fajardo *de Legitimat. quæſt. unica, per tot.*

48 De aliis Religioſis habentibus beneficia Regularia, aut ex diſpenſatione ſæcularia, aſſerendum, minimè in redditibus habere dominium, ſed tantùm ad Monaſterium pertinere, ob impedimentum voti paupertatis: quamobrem licèt adminiſtrationem habeant ex placito Superioris, nequeunt aliquid in uſus profanos expendere ad libitum, ſed in his, de quibus ex voluntate Superioris conſtiterit. Vaſquez *d. cap. 3. dub. 8.* Palao *de Charit. d. tract. 6. diſput. 2. punct. 8. num. 1.*

49 Hoc tamen intelligit Vaſquez quando Beneficium fuiſſet ad nutum amovibile, prout ſunt communiter Beneficia Regularia. Si verò in perpetuum Religioſo concedatur, contrarium tenet; nam inquit habere dominium, ut cæteri Beneficiati. Sed reſiſtunt Palao *d. num. 1.* Araujo *dict. tract. 3. quæſt. 29. dub. 3. num. 22.* quia adhuc Religioſus ille manet adſtrictus voto paupertatis.

50 Sed probabilis eſt ſententia Vaſquez ex fundamento, quod antea dixerat, nempe quando Religioſus fit Epiſcopus; nam ex eo quod perpetuò muneri illi mancipetur, videtur Papa cum eo diſpenſare, ut habeat dominium etiam in redditibus. Dicit probabile Diana *5. p. tract. 6. reſol. 31. verſ. His tamen.* Unde infert, idem eſſe dicendum quando beneficium perpetuò Religioſo concederetur; quia ex eo quod perpetuò muneri illi mancipatur, cum eo diſpenſatum eſt à Pontifice. In noſtro enim modo explicandi, de quo *à num. 43* faciliùs hæc probabilitas admittenda eſt, quia tantùm diſpenſatur votum paupertatis quoad modum, quapropter remanente Religioſo cum eodem voto diſpenſato quoad modum, dominium habet illorum reddituum, ut alii Beneficiati, & congrua ſibi reſervata, reliquum ad eleemoſynas, & alia opera pia ſuo ſtatui convenientia divertere tenetur.

51 Si verò Religioſi ex benignitate Eccleſiæ aliqua bona patrimonialia habuerint, nequeunt ad libitum expendere; eſt enim proprietas Monaſterii, & ipſi ad nutum Superioris ſunt adminiſtratores. Sà *verbo Religio, n. 46.* Leſſius *de Iuſt. llb. 2. cap. 41. dub. 11.* Sanchez *d. lib. 6. cap. 6. nu. 14.* Quia aſſerit, Religioſum Beneficiatum, bonorum aliunde quæſitorum, dum vivit, habere adminiſtrationem: quod ex conſuetudine admittit Layman *lib. 4 tract. 2. c. 3. n. 11. ad finem*, aliàs de jure communi non eſt admittendum.

CAPUT IV.

Proſequitur materia antecedens.

SUMMARIUM.

Eccleſiarum, tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Præbendati, & Canonici tenentur ſuperfluum ultre congruam dare pauperibus. Idem dicendum de Parochis, & aliis Beneficiatis ſimplicibus, n. 1.

Eccleſiæ etiam de his, quæ ſuperfluunt ex Fabrica, pauperibus erogare tenentur, num. 2. In primitiva Eccleſia erat magna cura pauperum, & erant deſtinati Diaconi Regionarii: in Africa etiam Presbyteri ad hanc curam deſtinabantur, n. 3. Fiebat diſtributio non ſolùm pauperibus Fidelibus, ſed etiam infidelibus. Explicatur Concilium Carthaginenſe III. c. 13. n. 4.

In graviſſimis neceſſitatibus pauperum bona Eccleſiarum vendebantur, & etiam vaſa ſacra. Quod hodie, ſi neceſſitas urgeat, eſt obſervandum, n. 5.

An quando alienantur bona Eccleſiarum ad has neceſſitates, à bonis mobilibus, aut immobilibus ſit incipiendum. Aliqui ab immobilibus, alteri à mobilibus inchoandum affirmant: ſed reſolvitur, n. 6.

Quando vaſa ſacra laicis venduntur, franguntur; ſecus verò ſi alteri Eccleſiæ vendantur, n. 7. Qualis debeat eſſe hæc neceſſitas, n. 8.

An quando ad has neceſſitates immobilia, & pretioſa Eccleſiæ venduntur, ſint ſolemnitates neceſſariæ? Affirmant aliqui, num. 9. Sed contrarium defenditur, num. 10.

Debent tamen Prælati animadvertere, ne vendantur, niſi neceſſaria ad neceſſitatem ingruentem; non tamen pro ſolvenda pœna pauperis delinquentis, n. 11.

Princeps in neceſſitate poteſt petere aurum, & argentum Eccleſiarum, num. 12. Sed hoc non niſi extrema, aut graviſſima Regni neceſſitate exigente, nu. 13. Idem quando invaſio gravis infidelium, aut hæreticorum timeretur, n. 14.

In aliis verò neceſſitatibus minimè id faciendum, eſt enim graviſſima culpa. & à Deo graviter punita, nu. 15. & 16.

Monaſteria Regularium etiam ad hoc præceptum obligantur: quod explicatur, num. 17. Intellige relicta congrua, & quæ ſit iſta, n. 18. & 19. Deſcribitur cura habita à Monachis antiquis circa pauperes, & peregrinos, à n. 19. uſque ad 22. Et quid hodie num. 23.

An quando aliqui redditus ſunt applicati menſæ Abbatiali, ſeu Priorali, poſſit Abbas, vel Prior aliquid expendere ad uſus profanos? Ponitur ratio dubitandi, n. 24. Sed contrarium reſolvitur, n. 25.

An omne ſuperfluum ſit expendendum in eleemoſynis, aut in aliis operibus piis? Referuntur variæ ſententiæ, à n. 26 Reſolvitur, totum ſuperfluum erogandum, congrua decenti reſervata, n. 28. & 29.

An Beneficiatus, ſeu Prælatus poſſit reſervare ſuperfluum ad fundandum Hoſpitale vel Monaſterium, aut aliud pium opus? Ponitur ratio dubitandi, n. 30. Referuntur ſententiæ, n. 31. Reſolvitur, n. 32. & 33.

An Prælati, ſeu Beneficiati habentes patrimonium, teneantur omnes redditus dare pauperibus? Affirmant aliqui, n. 34. Explicatur caput Clericos 6. quæſt. 2. *cap. final. 16. quæſt. 1. cum aliis, n. 35. & 36. Reſolvitur negativè, à n. 37.*

An ſi Prælatus, ſeu Beneficiatus ex patrimonio aliquid expenderit ad utilitatem Eccleſiæ, poſſit tantumdem percipere ex redditibus? Negant aliqui, n. 38. Sed contrarium ſuſtinetur, ibid. Expenditur caput Si Epiſcopus *5. 12. quæſt. 15.*

An quod animo donandi expenderit, poſſit tantumdem repetere? Prima ſententia negat, num. 39. Secunda affirmat, num. 40. Reſolvitur, à nu. 41. Explicatur Authentica Præterea, C. unde vir. & uxor, *à n. 44. uſque ad 47.*

An Prælatus, ſeu Beneficiatus poſſit ex redditibus ſolvere ſua debita. Prima ſententia negat, n. 47. Secunda affirmat.

mat. Explicantur caput 2. de Fidejuſſ. & *caput.* 4. *ejuſdem tituli, n.* 49. & 50. *Tertia ſententia diſtinguit, nempe poſſe ſolvere debita ex utilitate Eccleſiæ contracta, non vero propria, n.* 51. *Reſolvitur affirmativè, à n.* 52.

An in hoc Archiepiſcopatu Toletano ſuperfluum ex primitiis pauperibus concedendum, aut aliis operibus piis? Videtur dicendum, quod ſic, n. 58. *Sed contrarium defenditur, à n.* 59. *Limita ſi primitiæ ſint plurimæ, & excedant laborem Parochi, n.* 63. & 64.

An Canonici S. Iuſti, & Portionarii Toletani poſſint percipere dimidium primitiarum, quando percipiunt dimidietatem fructuum primi anni Beneficii vacantis? Negativè reſpondetur, à n. 64. *Idem dicitur de dimidio pullorum & ſuum, n.* 68. *Quod defenditur, & interpretantur Bullæ, n.* 72.

1 PRæbendatos, aut Canonicos Eccleſiarum Cathedralium, ſeu Collegialium, Parochos, & alios Beneficiatos ad hoc præceptum dandi eleemoſynas ex reſiduo reddituum, aut in aliud pium expendendi, explorati juris eſt teneri. Quod ſimiliter eſt dicendum de ſimplicibus Beneficiatis ad curam non deſervientibus. Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 3. Turrianus *d. diſput.* 82 *dub.* 10. *verſ.* 4. Garcia *in Summa, tract.* 1. *difficult.* 4. *dub.* 2. *n.* 17.

2 Eccleſiæ verò de fructibus, qui ad Eccleſiæ fabricam deſtinantur, ſimiliter ad hoc præceptum tenentur, & earum nomine œconomi. Eſt enim Eccleſia piiſſima mater, quæ non ſolùm eleemoſynas in communibus neceſſitatibus porrigit, verùm in gravioribus ad ſuccurrendos pauperes ſua omnia bona venundat. Quapropter Ambroſius *in cap. Aurum* 70. 12. *quæſt.* 2. eleganter ſcripſit: *Aurum habet Eccleſia, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus. Quid opus eſt cuſtodire, quod nihil adjuvat? An ignoramus quantum auri, & argenti de templo Domini Aſſyrii ſuſtulerunt? Nonne melius conflat Sacerdos propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint, quàm ſacrilegus contaminata aſportet hoſtis? Nonne dicturus eſt Dominus, Cur paſſus es tot inopes fame mori? & fortè habebas aurum, unde adminiſtraſſes alimoniam. Cur tot captivi deducti in commercium ſunt, nec redempti, ab hoſte occiſi ſunt? Melius fuerat, ut vaſa viventium ſervaſſes, quam metallorum.* Eſt etiam textus *in cap. Sacrorum* 15. 12. *quæſt.* 2. Sanchez *conſ. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 38. *n.* 17. *in fin.*

3 In Eccleſia antiqua pauperum maxima adfuit cura, ad quam ex quarta parte fructuum theſaurus fiebat, exemplo Chriſti Domini, qui pauperum indigentiis ſuccurrebat ex his quæ adſervabantur ad alimoniam Collegii Apoſtolici, ut teſtatur Auguſtinus *in cap. Duo* 35. 23. *quæſt.* 4. Beda *in epiſtol. ad Galatas, cap.* 6. Gelaſius Pontifex *in epiſtol. ad Lucanum Epiſcopum.* Ad hanc tamen diſtributionem Diaconi Regionarii erant deſtinati; iſti enim per decurias diſtribuebant pauperibus bona illius theſauri, de quibus Cyprianus *epiſt.* 49. ibi: *Diaconum ſanctæ diſtributionis.* De Beato Laurentio id ſatis notum eſt, ut conſtat ex ejus actis. S. Leo *in ſerm. de ejus natali.* In Africa hæc diſtributio commiſſa eſt Presbyteris, non verò Diaconis, Concilium Carthag. IV. *c.* 27. & apud Græcos Chorepiſcopis. Concilium Neocæſareenſe *c.* 13. ubi Theodorus Balſamon.

4 Hæc tamen diſtributio pauperibus Chriſtianis non ſolùm fiebat, verùm etiam infidelibus, ut diximus *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 1. Cui non obſtat Concilium Carthag. III. *c.* 3. interdicens donare Gentilibus; quia id eſt intelligendum de divitibus, non autem de pauperibus. Illud verò adnotandum, ex hoc pauperum theſauro noviter ad fidem converſos ali ſolere, ne turpes, aut vitioſas artes exercerent, ſeu addiſcerent: quod cùm aboleretur, deplorat Baronius anno 494. hiſce verbis: *Hæc autem in Eccleſia exoleviſſe deploramus, dolemus rem tantam negligi, vel involucro aliorum prætermitti. Vnde facilè mihi perſuadeo, hanc potiſſimam ob cauſam Eccleſiam aſſiduè malis atteri. Cognovi, dicam cum Propheta, quia facies Dominos inopis judicium, & vindictam pauperum.* Lantmeter. *de vet. Clericor. vict. lib* 2. 1. *part. cap.* 25.

5 Cæterùm olim adſervatum eſt, ut vaſa conflata Eccleſiarum, ob pauperum ingruentem neceſſitatem venderentur, ut ita ſublevarentur. Fecerunt ita D. Ambroſius, & D. Auguſtinus, Paulinus, & Poſſidius, quos refert, & ſequitur Lantmeter. *dict. cap.* 55. Quod hodie, ſi neceſſitas urgeat, ad praxim eſt trahendum, veluti quando fuerit neceſſarium ad pauperum Parochianorum alimoniam, vel exterorum. Covarruv. *lib.* 2. *var. cap.* 16. *num.* 9. Surdus *de Aliment. tit* 8. *privileg.* 46. *num.* 5. etiamſi ſua culpa fuerint pauperes, Faria *ad Covarruv. dict. cap.* 16. *n.* 88. Idem dicendum pro redemptione captivorum, & pro eruendis pauperibus carceribus mancipatis, *l. Sancimus* 17. *verſ. Excepta videlicet cauſa, C. de Sacroſ. Eccleſiis, Auth. de ſanctiſſ. Epiſcop, §. Sed hoc præſenti, l.* 1. *tit.* 14. *par.* 1. Genuenſis *in Praxi, quæſt.* 199. *n.* 1. Camill. Borrellus *tom.* 1. *deciſ. tit.* 15. *de non alien. n.* 2. Barboſa *in cap. Statutum* 12. *quæſt.* 2. *n.* 2. Ant Auguſtinus 2. *part. lib.* 14. *tit.* 12. Velaſco *de Privileg. pauper.* 1. *p quæſt.* 22. *à n.* 42. Faria *ad Covar. d. cap.* 16. *à n.* 80. Boſſius *var. tom.* 6. *tract.* 18. §. 3. *à n.* 45.

Eſt verò dubium, an in his neceſſitatibus gravibus, quando ſunt vendenda bona Eccleſiæ ad pauperum alimoniam, incipiendum ſit à bonis mobilibus, an ab immobilibus. Noſter Alphonſus *in l.* 2. *tit.* 14. *part.* 1. ſcripſit à mobilibus eſſe incipiendum. Faria verò *dict. c.* 16. *num.* 81. aſſerit ab immobilibus ad cultum Dei non deſervientibus inchoandum eſſe. In re tamen dicendum, quod ſi Eccleſia habeat mobilia non deſervientia ad cultum divinum ſpeciali conſecratione, aut deputatione, ab illis eſt incipiendum, ut aſſerit noſter Alphonſus; illa enim ſunt minùs neceſſaria, & minùs præjudicant Eccleſiæ, quare ab illis eſt incipiendum, prout in exequutionibus, in quibus incipitur à mobilibus, minùs debitores lædentibus, *l. A Divo Pio* 15. §. *In venditione* 2. *ff. de rei judicat l.* 3. *tit.* 27. *p.* 3. *l.* 19. *tit.* 21. *l.* 4. *Recopilat.* Parladorius *lib.* 8. *quot. c. fin. par.* 5. §. 3. *n.* 2. Carleval. *de Iudiciis,* 2. *part. lib.* 1. *tit.* 3. *diſput.* 1. *num.* 7. Ergo in ſimilibus neceſſitatibus ab his mobilibus eſt incipienda venditio. Si tamen hæc non ſufficiant, ad immobilia recurrendum; & tamdem ſi urgentiſſima ſit cauſa, ita ut aliter nequeat ſuccurri, deveniendum eſt ad ſacrata, verùm reſervatis aliquibus neceſſariis ad divinum cultum, qui nequit ceſſare, etiam non obſtante qualibet neceſſitudine. Molina *de Iuſtit. tract* 2. *diſput.* 468. *n.* 2. Pyrrus Conradus *de diſpenſat. lib.* 9. *c.* 8. *à n.* 13. Guttierrez *Pract. lib.* 3. *quæſt.* 8. *n.* 13. Leoncillus *de Privileg. pauper.* 2. *par. privileg.* 19. *n.* 3. Boſſius *d. tract.* 18. §. 3. *n.* 48. 6

Illud verò obſervandum in venditione ſacrorum vaſorum, quod ſi venditio fiat laicis, prorſus erunt frangenda. S. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. Leoncillus *d. privileg.* 19. *num.* 6. Si verò alteri Eccleſiæ vendantur, in eadem forma vendi valent; nam tranſeunt ad eumdem cultum, ut jam diximus. Boſſius *d.* §. 3. *n.* 48. *in fin.* 7

Hæc verò neceſſitas, non quælibet ſufficiet, ſed quæ urgens, & garvis ſit, & evidens, *cap.* 1. *de Reb. Eccleſiæ non alien. in* 6. ubi Imola, & Barbatia *in cap.* 1. *de pign. in* 6. Et eſt ratio, nam in qualibet alienatione bonorum Eccleſiæ hæc cauſa petitur. Ergo neceſſariò etiam in iſta. Rota apud Cencium *de Cenſibus, deciſ.* 27. & 28. Leoncillus *dict. privileg.* 19. *n.* 11. Boſſius *d.* §. 3. *nu.* 50. Barboſa *de univerſ. lib.* 3. *c.* 30. *num.* 15.

Eſt tamen aliquod dubium, an quando bona immobilia Eccleſiæ, aut pretioſa venduntur ad pauperum alimoniam, ſint ſolemnitates neceſſariæ, prout quando ad aliam cauſam alienantur? Et communis eſt ſententia, eſſe neceſſarias; nam cauſa iſta eſt neceſſaria, prout diximus *n.* 8. Ergo etiam aliæ ſolemnitates; pari enim paſſu ambulant hæc cauſa, & aliæ ſolemnitates, *cap. Sine exceptione* 12. *quæſt.* 2. *c.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien. in* 6. *Clement.* 1. *eod. tit.* Quaranta *in Bullario, verbo Alienatio, num.* 2. Ergo cùm iſta cauſa ſit neceſſaria, ſimiliter etiam aliæ ſolemnitates. Cæterùm, nam in aliis cauſis piis, quoties alienantur bona minoris, aut fundus dotalis, requiruntur ſolemnitates; quia licèt cauſa ipſa ſit ſufficiens, valet committi imprudentia quoad modum, ut diximus *lib.* 4. *cap.* 8. *n.* 54. Ergo ſimiliter eſt dicendum quando bona Eccleſiæ venduntur ad ſuccurrendum pauperibus. Surdus *de Aliment. tit.* 8. *privileg.* 46. *n.* 3. Leoncillus *d. privileg.* 19. *n.* 13. Rota 4. *par. diverſ. deciſ.* 205. Riccius 6. *part. collect.* 2164. Barboſa *de offic. Epiſcop.* 3. *p. alleg.* 95. *n.* 2. 8 9

Temperant tamen DD. ſi neceſſitas adeò urgeat, ut dilationem non patiatur: quo quidem caſu non ſunt neceſſariæ ſolemnitates, quia adeſt periculum in mora. Leoncillus *d. privileg.* 19. *num.* 14. Barboſa *dict. allegat.* 94. *n.* 48. Gavantus *in Man. Epiſcop. verbo Alienatio, n.* 31. Boſſius *d.* §. *n.* 56. *circa fin.* 10

Sed

11 Sed in re tenendum, non eſſe neceſſarias alias ſolemnitates, præter ipſam cauſam urgentem, & evidentem, neceſſariam ad procedendum ad hanc alienationem, ut in cauſis piis cum multis ſcripſimus *d. lib.4. cap.8. n.55. & 56.* Nam, ut ſupponimus, cauſa iſta debet eſſe urgens, evidens, & manifeſta: Ergo ſi aliæ ſolemnitates adhibeantur, id erit ſuperfluum, & neceſſariò vitandum, *l. Tunc cogendum, §. Sabinus, ff. de procurat.* Scaccia *de commerc. §. 49. gloſſ. 3. à num. 20.* Gratianus *tom. 4. diſcept. 639. n. 33.* Ergo non ſunt neceſſariæ. Tum ſi neceſſitas eſt urgens, non patitur dilationem, præcipuè ſi bona iſta Eccleſiæ vendantur ad alimoniam pauperum, quia venter non patitur dilationem. Ergo numquam ſolemnitates erunt neceſſariæ, cùm & contrarii dicant, in caſu non habenti dilationem, ſolemnitates non eſſe adhibendas. Denique ſi cauſa dilationem patiatur, non ſunt alienanda bona Eccleſiæ. Menochius *de Arbitr. lib.2. cent.2. caſu 182. nu.13.* Ergo quando bona iſta alienantur ex urgenti cauſa, adhibenda non eſt dilatio. Ergo numquam erunt neceſſariæ ſolemnitates.

12 Prælati enim ad has neceſſitates hæc bona debent alienare, quibus de jure competit, *cap.7. de Conſtit.* Leoncillus *dict. privileg. 19. num 15.* ſed maxima cura proſpicere debent, ne niſi neceſſaria alienentur, nec plura pro parva neceſſitate, ſed quæ illi correſpondeant, *Authent. Hoc jus porrectum, Cod. de Sacroſ. Eccleſiis.* Maſcardus *de Probat. concluſ. 73. num.13.* Gratianus *diſcept. 570. nu.10.* Rota apud Seraphinum *deciſ. 1490. num.9.* Tum etiam animadvertant, ne bona alienentur ad ſolvendam pœnam alicujus delinquentis rectè damnati, quamvis pauperis; ſed poterunt alienari, quando inopia preſſus in vinculis detineretur: in altero verò caſu, delinquens juſtam pœnam luat. Sà *verbo Alienatio, num.1.* Molina *dict. diſp. 468. nu.2.* Leoncillus *d. privileg. 19. n.12.* Boſſius *dict. §.3. num.47. circa fin.*

13 Sed quid ſi bellum urgeat, & Regni ſit neceſſitas? An poſſit Princeps accipere argentum, & aurum Eccleſiarum? Et communis eſt ſententia, accipere poſſe, *ex l. Sancimus 21. Cod. de Sacroſ. Eccleſiis*: eſtque textus Regius *in lib.9. tit.2. lib.1. Recopilat.* Ratio eſt, nam neceſſitas hæc non eſt minor quàm particularium perſonarum pauperum, & captivorum; quin potiùs major, cùm publica ſit. Ergo ſicut ad illorum neceſſitates alienantur argentum, & aurum Eccleſiarum: ſimiliter ad hanc, & conſequenter Princeps poteſt illud accipere; verùm id non faciendum authoritate propria, ſed Epiſcoporum, & Cleri, qui hanc neceſſitatem expendant. Gregorius *in lib.14. tit.22. part.1.* Perez *in l.1. tit.12. Ordin. col.12.* Azevedus *in d. l.9. Recopilat. num.1.* Morla *in Emporio, 1. p. tit 1. quæſt. ult. n.26.* Bobadilla *in Polit. lib.2. cap.48. n.319.*

14 Hæc verò doctrina tam abſolutè tenenda non eſt, ſed tantùm quando neceſſitas Regni tam magna eſſet, ut extrema, aut graviſſima exiſtimaretur, nempe quando à potentiſſimo exercitu invaderetur, excuſſis priùs bonis communibus, & particularium vaſſallorum, tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticorum, qui ad ſimiles neceſſitates contribuere tenentur, ut diximus *lib.7. cap.9. à num. 41.* Quibus quidem deficientibus, ſi graviſſima urgeat neceſſitas, vel extrema, poterit Princeps argentum, & aurum Eccleſiarum petere, & Prælati ſimul cum Clero debent concedere. Idque exemplis demonſtratur; nam Ezechias Judæorum Rex, non aliter manus ad aurum, & argentum Templi porrexit, niſi in extrema, & urgentiſſima neceſſitate, quando jam Sennacherib. Aſſyriorum Rex omnes munitas urbes ceperat, & Ezechiam ad ultimum exitium compulerat, *lib.4. Reg. cap.18. verſ.14.* Idem factum eſt à Joab, premente graviſſima neceſſitate, *lib.4. Reg. c.14. verſ.14.* ab Aſa etiam *lib.3. Reg. cap.15.* ab Ocozia, & aliis Regibus, quorum exempla congeſſit Bobadilla *dict. cap.18. nu.319.* Ludovicus II. Siciliæ Rex, à Carolo Durantio aggreſſus, in ultima neceſſitate aurum, & argentum Eccleſiarum ſuſcepit. De Rege Gallorum Franciſco I. idem ſcribit Chaſſaneus *in Conſuetud. Burgund. rub. 1. p. 4. n.26.* Noſter Ferdinandus Catholicus aggreſſus à Luſitanis partem Caſtellæ occupantibus, inteſtino bello, & graviſſima urgent neceſſitate, dimidium auri & argenti ab Epiſcopis ſuſcepit. Mariana *lib. 24. hiſt. Hiſp. cap.8.* Apud Ethnicos ſimiliter adſervatum, ut non ad ſacra manus injicerent, niſi in urgentiſſimo bello, ut de Cajo Mario, & Cneio Carbone ſcripſit Livius, quem refert Benedictus *in cap. Raynutius, de teſtam. verbo Vxorem, num.471.* Unde cognoſcitur; non niſi in extrema, aut graviſſima neceſſitate Principem poſſe aurum, & argentum Eccleſiarum petere, & ſuſcipere.

Huic & aliam neceſſitatem adjungere libet, quaudo invaſio grandis infidelium, ſeu hæreticorum juſtè timeretur, unde Eccleſiarum, & Regni everſionem infallibiliter eventuram eſſe agnoſceretur; tunc enim ſi non ſufficiant bona communia, nec particularium, ad Eccleſiarum aurum, & argentum pervenitur. At hoc damno Germani, & Itali à Turcarum copiis ſæpiùs poſſunt periclitari. Hiſpani, & Galli idem poſſunt à Mauris timere. Qua adveniente urgentiſſima neceſſitate, ſi dilationem patiatur, conſenſus Apoſtolicus eſt petendus; ſi verò adſit periculum in mora, utpote quando incepit aggreſſio, ſufficiet Epiſcopi & Cleri, aut Epiſcoporum totius Regni, & Cleri conſenſus, ſi ad aurum, & argentum omnium Eccleſiarum eſt perveniendum. Benedictus *in d. verbo Vxorem, n.471.* Barboſa *in collect. ad text. in c.1. de pign. n.3.* Petrus Barboſa *in Polit. tract.1. fol. mihi 211.* Marta *de juriſdict.4. part. caſu 10. n.3.* Larrea *allegat.62. n.17.* 15

In aliis verò caſibus Princeps numquam ad bona Eccleſiæ, nec ad ejus aurum, aut argentum manus extendet, nec à Prælatis eſt concedendum. Erit enim graviſſimum ſcelus, non ſolùm in altero ſæculo acriter puniendum, verùm etiam in iſto, prout nota ſunt exempla in ſacris Literis, Balthaſaris, Antiochi, Symmachi, & Heliodori: tum Juliani Præfecti Orientis, ob direpta, & temerata vaſa ſacra, ex ore ſanguinis profluvio ſuffocati: & Felicis ejus quæſtori, vermibus exeſi. Nec prætereundus Conſtans Imperator, qui poſt expilatas Romæ, & Siracuſis Eccleſias, à ſuis interficitur. Comes Matiſconenſis Eccleſias, & Monaſteria diripiens, viſibiliter à dæmone raptus eſt per aera. In noſtra Caſtella adeſt exemplum à Noſtris relatum Reginæ Urracæ, quæ cùm Templum D. Iſidori Legionis, expilaſſet, argento onuſta repentè deceſſit. Donnus Joannes I. ob ablatum argentum B. Virginis de Guadalupe, miſerè à Luſitanis devictus eſt cum magna ſuorum ſtrage. De Alfonſo Aragoniæ Rege illud eſt memoriæ proditum, quod ob expilatas Eccleſias ad prælium Tragæ internecatus eſt, nec poſteà ad ſepulturam repertus. Adduxerunt alia & plura exempla Guzman *en ſu Valerio, lib.1. tit.2.* Petrus Barboſa *ubi ſupra*, Araujo *de ſtat. civil. diſput. 12. difficult.2. à n.26.* Lantmeter. *de vet. Clericor. vict. lib.2. cap.55. verſ. Severitatem*, Laurentius BeyerlincK *verbo Templum, verſ. Everſores, & profanatores Templorum.* 16

Rurſus Monaſteria Regularium ad hoc præceptum tenentur, ut reſiduum pauperibus concedant, aut in aliis operibus piis expendant, *cap. Cæterùm 3. de donat.* Sotus *lib.10. de juſt. quæſt.4. art.4.* Valdes *de Eleemoſyna, 3. part. quæſt.5. fol. mihi 54.* Sanch. 2 *lib.2. c.2. dub.38. n 17.* Diana *5. part. tract.8. reſolut.33.* Eſcobar *in Summa, tract 5. exam. 5. n.110.* Advertit tamen Diana *d. reſolut.33.* Monaſterium in extremis, & gravibus neceſſitatibus totum reſiduum expendere debere, non autem in communibus: quod quidem intelligo, ſi in alia opera pia expendat, veluti in augmentum Monaſterii, vel cultus divini; non tamen ut theſaurizet. Illud verò nolumus tam arctè accipere, ut Prælati, & Abbates omne reſiduum in eleemoſynis, aut operibus piis expendere teneantur, itaut nequeant aliquid moderatè donare; hoc enim eis eſt permiſſum, quia hæ donationes moderatæ ſumptus neceſſarios attingunt. Abbas *1. p. conſ.25. num.1. & 2.* Oldradus *conſ.216. n.6.* Tuſchus *lit.E, concluſ.287.* Belletus *diſquiſit. Clerical. 1. part. tit. de bon. Cleric. §.5. n.10.* Villalobos *in Summa, 2. p. tract 35. difficult.32. n.1.* Qui id extendit etiam ad donationes remuneratorias, & alias parvas, quæ ad Monaſterii utilitatem conveniunt, prout etiam in Officialibus Monaſterii admittit Diana *8. part. tract.6. reſolut.12.* & infr à latiùs agemus. 17

Aliqui Doctorum apud Thomam Hurtado *de Congrua, lib.3. reſolut.1. num.8.* aſſerunt non eſſe neceſſarium quod Prælati in uſus pios exterorum reſiduum hoc expendant, ſed tantùm aliquando eſſe convenientius. Quod quidem tantùm admittendum in communibus neceſſitatibus, ſed ſemper aliquid eſt elargiendum pauperibus; ſcandalum enim grave eſſet Monaſterium divitem omninò portas pauperibus claudere. Si verò fuiſſent extremæ, aut graves neceſſitates, ſive totius urbis, aut aliquarum perſonarum 18

narum particularium , contrarium eſt dicendum ; tunc enim tenentur Prælati ſuperfluum pauperibus erogare ; nam in hoc caſu clamant Patres id faciendum à Beneficiatis, quantò magis à Monachis, & Religioſis , ad majorem charitatem obligatis. Unde S. Auguſtinus *in epiſt.* 50. *ad Bonifacium Comit.* ait: *Si privatim poſſidemus , quæ nobis ſufficiant , non illa noſtra ſunt, ſed pauperum , quorum procurationem quodammodo gerimus , non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus* . Thomas Hurtado *d. reſolut.* 1. *à num.* 15. qui *n.* 27. ſcripſit Conventus , ſeu Cœnobia teneri ſuccurrere Regi tantùm congruam decentem habenti , in neceſſitatibus bellorum contra Chriſti Domini hoſtes , & in defenſionem Regni .

19 Congrua verò ipſius Monaſterii priùs excipienda eſt , ad quam pertinent victus , & veſtitus , & alia neceſſaria Religioſorum , tum domorum habitationes , & reparationes: quibus addenda infirmorum curatio , & debilium recreatio , prout exiget infirmitas , ſeu debilitas , famulorum ſalaria ; mulorum , & equorum ad ſervitium ſuſtentatio : quibus & addendæ moderatæ donationes , & remuneratoriæ , ut benè notat Thomas Hurtado *lib.* 3. *de Congrua* , *reſol.* 2. *à num.* 42.

20 Non eſt tamen obliviſcenda hoſpitalitas tot , & tantis Canonibus commendata omnibus Eccleſiaſticis , tam Sæcularibus , quàm Regularibus , *cap. Conceſſo* 26. *cap. De Regularibus* 28. *cap. Mos eſt* 30. 12. *quæſt.* 2. Trident *ſeſſ.* 25. *cap.* 8. cujus expenſæ ad congruam pertinent, & priſcis temporibus à Monachis eſt ſummoperè adſervata . Inter ea , quæ in Monaſteriis adſtruebantur , illa non minùs principalis erat domus , quæ pauperibus , & peregrinis deſerviebat , ibidem excipiebantur , portio ad id ſpecialiter deputabatur , ut frugaliter hoſpitarentur . Præficiebatur ad hanc hoſpitalitatem vir affabilitate , & pietate præditus , ut de pauperibus peregrinis curaret . Concilium Aquiſgranenſe *capit.* 141. Regula S. Benedicti *capit.* 53. Caſſianus *Inſt. lib.* 4. *cap.* 7. Mulieribus extra clauſtra deſignabatur locus , & ibi cum eis officia charitatis exercebantur , maximè ſi ad menſam deveniebant , ut diſponit relatum Concilium Aquiſgranenſe *cap.* 144. Gibalinus *de Clauſura* , *diſquiſit.* 1. *c.* 2. §. 10.

21 Sollicitudinem verò Monachorum ad pauperes peregrinos habendam , deſcripſit Lantmeter. *de vet. Cler. vict.* 2. *part lib.* 2. *cap.* 8. Ultra locum jam animadverſum peregrinis pauperibus deſtinatum , ſtatim quod de adventu alicujus erat renuntiatum , ex conſuetudine Orientalium ſtatim Monachus obvius erat ; idemque adſervatum ex Conſtitutionibus S. Benedicti . Apud Nitrienſes ille adſervabatur mos , ut Religioſus adventantibus occurreret , panem , & aquam deferens ; & hoc modo deteſtabantur Monabitarum , & Ammonitarum inhumanitatem , Iſraelitis cum pane , & aqua occurrere negligentium . *Deut. cap.* 25. & *lib.* 2. *Eſdræ* , *c.* 13.

22 Statim ut ad pauperes peregrinos adventabant Monachi , genuflexi eos adorabant , & oratione facta , oſculantes eos excipiebant . Mox deducebantur ad Eccleſiam cum pſalmis , & hymnis , apud Nitrienſes , & Monachos S. Apollonii , poſteaque reducebantur , & ab Abbatibus , lotis eorum pedibus , tanta charitate invitabantur , ut ad invicem inter ſe Fratres contenderent . Inter Ægyptios licebat ob peregrini adventum jejunia voluntaria frangere , idque jejunia frangere non dicebatur , ſed charitatis communicationem habere , ut ex exemplo Sylvani Abbatis demonſtravit Marulus *lib.* 4. *cap.* 1. & S. Bernardi Monachorum patris , qui cùm in adventu peregrinorum extra ordinem cœnaſſet , idque diſcipuli crimini darent , dixit: *Non ego , ſed charitas bibit , editque* . Æneas Sylvius *lib.* 2. *comment. in Panormit* . Demorantes ibidem per triduum non ſolùm corporaliter , ſed etiam ſpiritualiter reficiebantur . Denique hoſpiti abeunti eulogiæ , ſeu lautum dari conſueverat apud aliquos Patres viaticum . Latè illuſtrat Lantmeter. *dict. cap.* 8. Gibalinus *d. cap.* 2. §. 9;

23 Hæc breviter in compendio relata , charitatem , & hoſpitalitatem antiquorum Monachorum demonſtrant . Aſt hodie , niſi in quibuſdam Monachorum cœnobiis , in deſuetudinem abiit hoſpitalitas . In his verò peregrinos & divites , & pauperes excipiunt , non tamen debent ſuſcipere in fide ſuſpectos , nec mulieres intra clauſtra , ſed in loco ſeparato , ubi clauſura nullatenus offendatur . Ibique peregrini excepti , modeſtè tractandi ſunt , non multis epulis , nec vinis , ſed eo modo quo parſimoniam , benignitatem , & humanitatem convivium redoleat ; ab omni enim crapula , & ebrietate aufugiendum , præcipuè inter Eccleſiaſticos , & Religioſos , *cap. Eccleſiæ* 4. *diſt.* 35. *c. Comeſſationes* 1. *cap. Non oportet* 2. *cap. Nulli* 3. *c. Clerici* 2. *diſt.* 44. *can* 33. *Apoſt. cap. A crapula* 14. *de vit. & honeſt. Clericor.* Concilium Toletanum III. *cap.* 7 Agathenſe *can.* 41. Turonenſe I. *can.* 2. & 3. & *can.* 48. Forojulienſe III. *can.* 3. Baſilius *tom.* 1. *homil.* 14. *de ebriet. & luxu* , D. Iſidorus *de Somno* , *lib.* 2. *cap.* 4. S. Petrus Chryſologus *ſerm.* 2. & 41. Humbertus de Romanis *de erudit. Relig. lib.* 1. *cap.* 1. Bollo *in œconom. can. claſſ.* 1. *cap.* 4 §. 7. Lantmeter. *de vet. Cleric. vict. lib.* 2. *cap.* 49. Quapropter convivia , quæ in his Monaſteriis conceduntur , parca , & religioſa debent præberi , ut benè advertit Thomas Hurtado *dict. reſolut.* 2. *à num.* 46. Bonacina *de largit. num. diſput.* 3. *punct* 1. *propoſit.* 2. *num.* 12.

Poteſt verò dubitari , an in his Monaſteriis , quando 24
menſæ Abbatiali , vel Priorali aliqua quota reddituum , ſeu fructuum eſt deſignata , Abbas , vel Prior poſſit abſque culpa ſuperfluum expendere in uſus profanos ? Et affirmandum videtur ; nam ex eo quod fructus illi ſunt ſeparati à cumulo Monaſterii , & menſæ Abbatis , ſeu Prioris commixti cum libera adminiſtratione , ſimiliter libera facultas eſt eis conceſſa , ut ad libitum expendant . Ergo poterunt abſque culpa in uſus profanos expendere .

Sed tamen contrarium eſt tenendum , quia fructus illi , 25
ſeu redditus , eo quòd aſſignari ſunt menſæ Abbatiali ; ſeu Priorali , naturam non mutant , quin proprii Monaſterii ſunt , nec Abbas , nec Prior habent eorum dominium , *leg. Cùm pater* 77. §. *Hæreditatem* , *l. Cajus* 86. §. *Titius* , *ff. de legat.* 2. Hanc ob rem debent expendi prout alii fructus , ſeu redditus Monaſterii . Idcircò Abbas , vel Prior non ad uſus profanos expendere valent , ſed tantùm ad eleemoſynas , ſeu alia pia opera , ſicut alios redditus Monaſterii . Denique fundamentum contrarium nullius eſt ponderis ; nam ſegregatio illorum fructuum non eos ſeparat à Monaſterio , ſed ſunt illius , ut tenet cum Suarez , & Navarro Thomas Hurtado *d. lib.* 3. *reſol.* 1. *n.* 12.

Hæc de perſonis ad hoc præceptum obligatis : tranſea- 26
mus ad enucleandas alias difficultates ad rem pertinentes , & in primis an hæ perſonæ teneantur expendere totum ſuperfluum ultra congruam ad eleemoſynas , vel ad alia opera pia ? Prima ſententia aſſerit , non teneri , ſed poſſe aliquid reſervare ad moderatè donandum conſanguineis . Sotus *d. l.* 10. *q.* 4 *art.* 4. *verſ. Quamtumvis* , & cum Tabiena advertit Toletus *in Summa* , *lib.* 7. *cap.* 38. *num.* 3. Secunda ſententia dicit, ſufficere expendere ad eleemoſynas, & cauſas pias quartam partem ſuperflui , vel dimidiam in communibus neceſſitatibus ; in gravibus verò aliquid amplius expendi debere. Hurtado de Mendoza 2. 2. *diſput.* 160. *ſect.* 15. *à* §. 105. Diana 5. *p. tract.* 8. *reſolut.* 27. Eſcobar *in Summa* , *tract.* 5. *exam.* 5. *n.* 112.

Tertia ſententia tenet , ſufficere Epiſcopum expendere 27
quartam partem reſidui , cæteros verò Beneficiatos ſufficienter adimplere , ſi quintam , aut ſextam partem pauperibus , vel aliis cauſis piis concedant . Granados 2. 2. *controverſ.* 3. *tract.* 11. *diſput.* 3. *num.* 21. Diana 4. *part. tract.* 4. *reſolut.* 214. Sed advertendum , doctiſſimum Patrem Granados non dicere , ſufficere expendere quartam , quintam , vel ſextam partem reſidui , ut Epiſcopus , aut Beneficiatus reliquum reſervet , ut ad libitum expendat , ſed ut in alia opera pia divertat , dando illam partem eleemoſynæ pauperibus.

Quarta ſententia affirmat , totum ſuperfluum extra 28
congruam expendere teneri . Azorius *Inſt. Moral.* 2. *part. lib.* 12. *cap.* 11. *verſ. Si quæras quantam partem* . Turrianus 2. 2. *diſput.* 82. *dub.* 10. *lit. C* , Garcia *in Summa* , *tract.* 11. *difficult.* 4. *dub.* 2. *n.* 23.

In re obſervandum , ex iis doctrinis aſſerentibus quartam , quintam , aut ſextam partem reddituum ſufficere expendere , nihil certum depromi . Ratio eſt , nam cùm redditus beneficiorum varii ſint , jam pingues , jam tenues , nequit ex eis certa regula dari . Tum ratione neceſſitatis , quia aliquando eſt communis , aliquando gravis , ſeu extrema , in quibus magis eſt expendendum . Unde propter incertitudinem doctrinæ iſtæ parum deſerviunt ad reſolutionem , & claritatem materiæ , *l. Tutor incertus* , *ff. de teſt.*

tut.

tut. l. Idem Pomponius, §. *fin. ff. de rei vindicat.* Thomaſſetus *regul.* 146. Gratianus *tom.* 4. *diſcept.* 640. *n.* 19.

29 Quare dicendum, admittendam eſſe illam doctrinam aſſerentem, relicta decenti congrua, non tamen parca, reliquum erogandum eſſe ab Eccleſiaſticis in eleemoſynis, aut in aliis operibus piis. Ratio eſt, nam in hoc ſenſu loquuntur Jura Eccleſiaſtica de hoc præcepto ſtatuentia, *cap. Statuimus* 32. *c. Diaconi* 35. *cap. Quidquid* 36. *cap. Abbatibus* 49. 12. *quæſt.* 1. *c. Fraternitatem* 2. *de Donat.* Trident. *ſeſſ.* 25. *de reformat. c.* 5. Itaque cùm præceptum hoc contineat, neceſſariò eſt obſervandum, ut tenet quarta ſententia, cui addendi de Lugo *dict. diſput.* 4. *ſect.* 2. *num.* 11. Leſſius *de Iuſt. lib.* 2. *c.* 4. *dub.* 6. *num.* 47. Vaſquez *de Eleemoſyna*, *c.* 4. *dub. ult. num.* 8. Sylveira *opuſcul.* 2. *reſolut.* 32. *quæſt.* 3. *num.* 17. Becanus *de Iuſt. c.* 3. *quæſt.* 6. *à nu.* 7. Trullench. *lib.* 7. *Decalog. c.* 2. *dub.* 6. *num.* 9. Diana 8. *p. tract.* 7. *reſolut.* 10. & 12. R. Moya *dict. tract.* 6. *diſput.* 6. *quæſt.* 2. §. 2. quorum doctrinam comprobant verba D. Bernardi *epiſt.* 12. ibi: *Denique quidquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de Altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.*

30 Cæterùm eſt aliud dubium, an Prælati, & Beneficiati poſſint ex redditibus theſaurizare ad fundandum Hoſpitale, ſeu Capellaniam, vel Monaſterium? Et negandum videtur; nam ſimile peccatum eſt retinere ſuperflua reddituum, prout expendere in profanos uſus; nam nequit Prælatus, ſeu Beneficiatus illa retinere, quæ neceſſariò ſunt pauperibus eroganda pro præſentibus neceſſitatibus, *cap. Clericos* 6. 12. *quæſt.* 2. *c.* 2. 1. *quæſt.* 5. D. Hieronymus *in epiſt. ad Fammachium*, Navarrus *de reddit. quæſt.* 1. *n.* 51. Sanchez *conſ. lib.* 2. *dub.* 38. *n.* 12. Covarr. *in cap. Cùm in officiis, de teſtament. num.* 6. Ergo nequeunt hæc ſuperflua retinere non indulgendo præſentibus neceſſitatibus pauperum, etiamſi ſit ad fundandum Hoſpitale, Capellaniam, ſeu Monaſterium.

31 Sed tamen Vaſquez *d. c.* 4. *dub. ult. n.* 16. ſcripſit, adhuc in futurum ſuperfluum reſervari poſſe ad opera pia illa facienda, dum præſentibus ſuccurrat reſervator illorum reddituum. Alteri verò tenent, ex circumſtantiis id librandum, an dilatio gravis ſit, vel levis, quæ utilitas ex erectione ſequatur, vel quando ex tenacitate detentio iſta procedat, & ſolùm affectus conſtruendi ſit prætextus ad retinendum. Molina *de juſtit. tract.* 2. *diſput.* 145. *num.* 17. de Lugo *d. diſput.* 4. *ſect.* 3. *n.* 41.

32 Hanc ultimam doctrinam amplector, ſed indiget explicatione. Idcircò dicendum, quando adſunt pauperum graviſſimæ neceſſitates, minimè Prælatum, aut alium Beneficiatum poſſe ſuperfluum retinere, etiam animo conſtruendi Monaſtrium, Hoſpitale, ſeu Capellaniam; quia cùm de præſenti inſtent neceſſitates, & urgeant, urget pariter præceptum eleemoſynandi abſque aliqua dilatione. Ergo ſtatim eſt adimplendum, nec poteſt differri, etiam cum intentione conſtruendi Hoſpitale, Monaſterium, ſeu Capellaniam, & conſequenter nec poteſt quis theſaurizare hac intentione. Cæterùm in re conſiderandæ ſunt neceſſitates, an ſit major neceſſitas pauperum, an Monaſterii, Hoſpitalis, vel Capellaniæ. Ergo ſi major ſit neceſſitas pauperum, quia eſt gravis, & inſtat de præſenti, eſt præferenda, nec neceſſitas Hoſpitalis, Capellaniæ, & Monaſterii eſt ſufficiens ad detinendos, & coacervandos redditus illos. Ergo in gravibus neceſſitatibus pauperum nequit theſaurizari ad fundandum Hoſpitale, Monaſterium, ſeu Capellaniam.

33 Erit igitur difficultas in communibus neceſſitatibus: & in his ſupponimus, ſemper Prælatum, ſeu Beneficiatum eleemoſynare teneri ex reſiduo reddituum. Moya *dict. diſput.* 6. *quæſt.* 2. *num* 3. Quapropter ſi plures ſint pauperes triviales, & qui communi neceſſitate premuntur, ita ut ſit neceſſarium totum reſiduum ultra congruam, nequit Prælatus, ſeu Beneficiatus aliquid retinere, etiamſi ſit ad fundandum Hoſpitale, Monaſterium, ſeu Capellaniam, ratione dicta *n.* 32. Poterunt tamen id facere, quando pauci eſſent pauperes, & iis opitulatis, aliquid ſuperflueret; tunc enim ad has cauſas pias theſaurizare nefas non eſt, maximè ſi ſtatim, & abſque grandi dilatione opus fuerit inceptum, quod quidem ex circumſtantiis penſandum, ut dixerunt Molina, & de Lugo, ne prætextu pietatis lateat avaritia, quod ſæpe accidit. Unde benè Jacobus Bernicius *emblem profan.* 15. ait:

Non mihi Religio cordi eſt, ſed amor Regionis:
Nimirum Religio in Religione latet.

Ubi alia ad hoc intentum congeſſit Nicolaus Meorfoldet.

Rurſus examinandum, an Prælatus, ſeu Beneficiatus 34
habens patrimonium unde alimoniam, & neceſſaria percipiat, teneatur omnes redditus Eccleſiæ pauperibus elargiri? Et affirmandum videtur ex aliquibus juribus interdicentibus ne ſimiles Prælati, aut Beneficiati congruam percipiant ex redditibus, ſed ex ſuo patrimonio, *cap. Clericos* 6. 1. *quæſt.* 2. *c. fin.* 16. *quæſt.* 1. *verſ. Clericus*, *c. Paſtor* 7. 1. *quæſt.* 2. *cap. Illi quidem*, 25. 12. *quæſt.* 2. & probant plures Doctores apud Sanchez *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 44. *num.* 1. & admittit Abulenſis *in Matth. cap.* 6 *quæſt.* 75. quoties Clericus vellet ſimul cum Beneficio patrimonium habere. Bonacina *de obligat. Benefic. diſput.* 4. *punct.* 2. *nu.* 6. Ergo cum Prælatus, aut Beneficiatus iſte nequeat congruam ex redditibus percipere, omne erit ſuperfluum, & conſequenter tenebitur dare pauperibus, aut in alia opera pia convertere.

Ad reſolutionem dicendum, aliquos Doctores aſſeruiſſe, 35
Prælatum, ſeu Beneficiatum Beneficium habentem, ſi patrimonium habuerit, congruam ex redditibus recipere non poſſe. Sed decipiuntur, quia licèt jura numero antecedenti relata id clarè ſcripſerint, recipiunt tamen plura interpretamenta. Plures dicunt tantùm jura illa eſſe aliquorum Sanctorum dicta, ut pote Hieronymi, Auguſtini, & Proſperi, quorum teſtimonia licèt magnæ ſint authoritatis, legem non faciunt. Alteri aſſerunt, tantum loqui de honeſtate, & decentia, vel ex conſilio. Sed melior interpretatio eſt, loqui tempore illo, quo ſtatutum erat ab Eccleſia, ne Clerici habentes patrimonia, ex redditibus Eccleſiarum ſuſtentarentur, ut benè probat Barboſa *d. cap. Clericos* 6. 1. *quæſt.* 2. *num.* 2.

Illo verò tranſacto, contrarium eſt dicendum, quia 36
interdictum illud jam ceſſavit. Cæterùm quia nullus obligatur militare propriis ſtipendiis, & quod patrimonium habeat, per accidens eſt: quapropter Clericus licèt habeat patrimonium, adhuc ex redditibus rectè congruam recipit. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 7 *ad* 3. Sylveſter *verbo Clericus* 4. *quæſt.* 17. Sanchez *d. dub.* 44. *num.* 5. Suarez *de Relig. tom.* 1. *tract.* 3. *lib.* 4. *de ſimon. cap.* 46. *num.* 7. Covarr. *in cap.* 1. *de teſtament. n.* 3. Sarmiento *de Reddit.* 1. *par. cap.* 1. *num* 18.

Unde ad propoſitum redeundo, affirmandum, quod 37
licèt Clericus habeat patrimonium, congruam tamen decentem ſuſcipere poſſe ex redditibus, utpote mercedem ſui laboris. *Lucæ cap.* 10. & Paulus 1. *Corinth. cap.* 9. & 1. *ad Timoth. cap.* 5. quapropter ex illa non tenetur eleemoſynam dare, nec alia opera pia exercere; ſed tantùm ex reſiduo reddituum, ut alii Prælati, ſeu Beneficiati. Sylveſter *d. quæſt.* 17. Felinus *in cap. Poſtulaſti*, *de reſcript. nu.* 6. Avendanus *reſponſ.* 19. *num.* 3 *verſ.* 5. Vaſquez *de Reddit. cap.* 1. §. 2. *dub.* 2. Sanchez *d dub* 44. *num.* 5. Azorius 2. *par. Inſt. Moral. lib.* 7. *c.* 9. *quæſt.* 13. Bonacina *de obligat. Benefic. diſput.* 2. *propoſit.* 3. *n.* 6. Surdus *de Aliment. tit.* 1. *quæſt.* 60. *à num.* 1. Belletus *diſquiſit. Clerical.* 1. *part. tit. de bonis, Cleric.* §. 6. *n.* 5. de Lugo *d. diſput.* 4. *ſect.* 3. *n.* 36. Fagnanus *in cap.* 1. *de teſtament. à n.* 8.

Præterea diſquirendum, an Prælatus ſeu Beneficiatus 38
habens patrimonium, ſi aliquid ex eo expenderit ob utilitatem Eccleſiæ, vel ad ſui ſuſtentationem, aut ad pauperum eleemoſynam, tantumdem ex redditibus Beneficii percipere poſſit? Et negavit Redoanus *de Spoliis quæſt.* 3. §. 1. *num.* 2. quia cùm ex ſua voluntate expenderit, ſibi imputet. Sed contrarium eſt tenendum, quia expenſæ illæ ſunt onera realia reddituum Beneficii. Ergo ſi aliquid expenderit de patrimonio pro oneribus illis, rectè tantumdem ex redditibus percipiet, quia intelligitur illud expendiſſe animo compenſandi, non verò animo donandi, qui numquam præſumitur, *l. Cùm de indebit* 25. §. *Si verò*, *de probat. l. fin. ff. de Novat.* Bellet. *dict.* 1. *part. tit. de bon. Cleric.* §. 9. *num* 7. Gratianus *tom.* 5. *cap.* 814. *num.* 17. quin potiùs præſumitur error quàm donatio. Menochius *conſ.* 1. *n.* 215. Maſchardus *de Probat. concluſ.* 554. *num.* 5. Flaminius *de Reſignat. lib.* 9. *quæſt.* 19. *num.* 5. Seſſe *deciſ.* 182. *num.* 5. Idcircò tantumdem ex redditibus recipere valet. Denique ad aſſumptum expendi valet textus *in cap. Si Epiſcopus* 5. 12. *quæſt.* 5. ubi ſi Epiſcopus aliquid de proprietate Eccleſiæ legaverit, intelligitur velle ſupplere de ſuo patrimonio.

monio. Ergo quoties Beneficiatus pro oneribus redditum de patrimonio aliquid expenderit, videtur voluiſſe cum redditibus Beneficii compenſare. Unde fundamentum Redoani dilabitur, & poterit tantumdem de redditibus recipere. Ita tenent Azorius *dict. lib. 7. cap. 9. q. 14.* Sanchez *dict. cap. 2. dub. 38. num. 15. & dub. 42. num. 5.* Leſſius *de Juſtit. lib. 1. cap. 4. dub. 8. num. 38* Vaſquez *dict. cap. 1. § 3. dub. 3. num. 65.* Palao *de Charit. tom. 1. tract. 6. diſp. 2. punct. 5. num. 4.* Navarrus *in Man. cap. 17. num. 94.*

39 Major eſt difficultas, quando Prælatus, aut Beneficiatus ex proprio patrimonio onera redditum expenderit animo donandi, an adhuc tantùm recipere poſſit ex redditibus? Prima ſententia negat, quia cùm habuerit animum expreſsum donandi, non poterit repetere; nam quod conſultò datur, eſt pura donatio, nec conceditur repetitio, *l. Cujus per errorem 53. ff. de condict. indebit. l. Indebitum 9. Cod. eodem tit.* Ergo ex redditibus tantumdem recipere non poterit, Molina *de Juſtit. tract. 2. diſp. 145. num. 1.* Leander *de Sanctiſſimo Sacramento, tom. 6. in Decalog. tract. 5. diſput. 3. quæſt. 94.* Sanchez *in Decalog. lib. 1. cap. 13. n. 11.* Moya *Select. tom. 1. tract. 6. Miſcell. diſp. 1. n. 9.*

40 Secunda ſententia tenet contrarium; nam licèt habuiſſet animum donandi, & non adimplendi præceptum Eccleſiæ eleemoſynandi ex redditibus; attamen cùm Beneficiatus ex præcepto legali dare eleemoſynam ex redditibus obligetur, illud adimplet abſque intentione adimplendi. Ergo cùm adimpleat hanc obligationem ex proprio patrimonio, rectè ex redditibus tantumdem recipere poterit, tanquam ſi non habuiſſet animum donandi. Confirmatur exemplo; nam ſi aliquis non habuiſſet intentionem adimplendi præceptum audiendi Miſſam, & reverà audit, adimplet præceptum abſque intentione non adimplendi, Leſſius *de Juſtit. lib. 2. cap. 37. dub. 10. num. 59* Buſembaum *in Medulla, lib. 1. tract. 2. cap. 2. dub. 3.* Sanchez *dict. cap. 13. num. 13.* Suarez *de Relig. tom. 1. l. 4. cap. 16. num. 8.* Ergo licèt Beneficiatus, quando dat eleemoſynam ex proprio patrimonio, non habeat intentionem adimplendi præceptum eleemoſynandi ex redditibus, ſed donandi, adhuc adimplet. Ergo tantumdem poterit repetere ex redditibus. Denique pro hac ſententia poteſt expendi Authentica *Prætereà, Cod. unde vir, & uxor*: ubi ſi maritus legatum reliquerit uxori, intelligitur compenſare voluiſſe cum debito legali; licèt enim legatum donatio ſit, *§. Legatum, Juſtit. de legat.* & tunc non habeat animum compenſandi, verùm quia debitum eſt legale, & contractum abſque voluntate contrahentis, ſimiliter abſque ejus voluntate ſolvitur, & adimpletur obligatio, unde compenſatur cum debito legali, Covarruv. *in cap. Cum in officiis, de teſtament. num. 2.* Tuſchus *litt. L, concluſ. 141. & 142.* Gratianus *diſcept. cap. 120. num. 31.* Siguenza *de Clauſul. lib. 2. cap. 11. numer. 196.* Ergo ſimiliter eſt dicendum in noſtra ſpecie, quia præceptum, dandi eleemoſynam ex ſuperfluis redditibus eſt obligatio legalis, impoſita abſque voluntate Prælati, ſeu Beneficiati, & conſequenter illud adimplet, & ſolvit abſque intentione adimplendi, ut facit maritus legans uxori. Ergo poterit tantundem recipere ex redditibus. Ita tenet Delugo *dict. diſp. 4. ſect. 3. nu 45.*

41 In hoc dubio animadvertendum, duobus modis poſſe Beneficiatum, ſeu Prælatum dare eleemoſynam ex proprio patrimonio. Primò quando non erat memor præcepti, ſed bona fide dat ex patrimonio eleemoſynam, motus pietate, & charitate. Et in hoc caſu repetere poterit tantumdem ex redditibus; nam cùm immemor fuerit obligationis dandi eleemoſynam ex redditibus, in dubio ſemper intelligitur datum pro adimplenda obligatione, *l. Ex pluribus 89. ff. de ſolut. l. 1. C. eod. tit. l. 10. tit. 14. p. 5.* ubi Gregorius, & non quomodolibet, ſed pro duriori, Menochius *lib. 3. præſumpt. 143. n. 4.* Parladorius *l. 2. rer. quot. c. fin. 1. par. §. 17. n. 15.* Bolanos *in Curia, 2. par. l. 2. c. 7. n. 34.* Valenzuela *conſ. 21.* Cyriacus *controver. 238.* Caſtillo *l. 6. controverſ. c. 113. per tot.* Ergo tantumdem ex redditibus poterit repetere.

42 Secundò quando expreſsè Prælatus, aut Beneficiatus haberet intentionem non ſatisfaciendi præcepto dandi eleemoſynam ex redditibus, ſed liberè concedendi ex ſuo patrimonio. Et in hoc ſecundo caſu ſtat difficultas. In quo admitto primam ſententiam aſſerentem, repetere non poſſe. Ratio eſt, nam licèt hoc ſit præceptum legale, nec ad adimplendum requirat intentionem actualem, & præciſam adimplendi, attamen requiritur, ut non ſit intentio excluſiva illud adimplendi: quare in ſpecie dando ex patrimonio eo animo, ut per aliam eleemoſynam diſtinctam adimpleat illud præceptum, per eleemoſynam ex patrimonio non adimpletur præceptum eleemoſynandi ex redditibus. Unde in exemplo appoſito audiendi Miſſam, quamplures tenent contrarium, ut ſunt Angles, Azorius, Ledeſma, & alii relati à Sanchez *dict. c. 13. n. 12.* Marchinus *de Ordin. tract. 3. par. 3. c. 17. n. 10.* & qui admittunt illam ſententiam, limitant eam, ut intra meridiem audiens Miſſam mutet voluntatem, Tamburinus *Oper. Mor. tom. 1. l. 4. c. 2. nu. 28.* Villalobos *in Summ. 1. par. tract 7. difficult. 25. n. 9.* Ergo exemplum illud Miſſam audiendi non eſt efficax ad probandam illam ſententiam.

Cæterùm licèt abſolutè admittamus illam doctrinam, 43
caſui tamen noſtro non adaptatur; nam diverſum eſt non habere intentionem adimplendi præceptum audiendi Miſſam, & eo animo illam audire, aut dare eleemoſynam ex proprio patrimonio, eo voto ut non det pro obligatione dandi ex redditibus: nam qui audit Miſſam, reverà adimplet ſubſtantiam præcepti, eſto non habeat intentionem illud adimplendi. Aſt in noſtro caſu non adimplet ſubſtantiam præcepti dandi ex redditibus eleemoſynam, quia reverà dat ex proprio patrimonio, eo animo ne det ex redditibus, Molina *dict. diſput. 145. num. 1* Ergo eſt maxima diſparitas inter utrumque caſum, quapropter etiam admiſſa illa ſententia, Prælatus, ſeu Beneficiatus nequit repetere tantumdem ex redditibus.

Aliud verò fundamentum deſumptum ex Authentica 44
prætereà, Cod. unde vir, & uxor, non facit pro ſententia Lugi. In jure enim conſtitutum eſt, ut legata relicta creditori liberalia exiſtimentur, & abſque animo compenſandi, ſi creditum procedat à cauſa voluntaria, veluti à contractu: hanc ob rem utrumque præſtatur legatario, nempè legatum, & debitum, *l. unica, §. Sciendum, C. de rei ux. act.* ubi ſi maritus relinquerit legatum uxori, cui dos debetur, compenſatio non admittitur, quia debitum proceſſit ab actu voluntario, nempè à contractu dotis, *l. Lucius 22. leg. Creditorem 85. ff. de legat 2.* Gomez *var. tom. 1. cap. 12. num. 27.* Guttierrez *pract. l. 2. quæſt. 124.* Menochius *de præſump. lib. 4. præſumpt. 109.* Molina *de Juſtit. tract. 2. diſput. 200. à nu. 1.*

Si verò debitum ſit neceſſarium, veluti quando debitum 45
eſt legale, proveniens ab ipſa lege, etiam invito creditore, veluti ſi pater legaſſet filiæ, quam dotare tenetur ex debito legali, aut filio, cui legitima debetur de jure communi, tunc compenſatio admittitur legati cum debito legali, ut in primo caſu eſt textus *in l. Si cùm dotem 22. §. Si pater, ff. ſolut. matrim.* & in ſecundo *in l. Quoniam nonnulla 29 C. de inoff. teſtament. dict. auth. prætereà, l. 3. tit. 3. par 6.* Ratio diſparitatis eſt, nam in debitis voluntariis præſumitur nolle teſtatorem compenſationem fieri: ſecus in neceſſariis, quæ eo invito, & contra ejus voluntatem fuerunt contracta, ut explicant Gomez *dict. cap. 12. nu. 27.* Mantica *de conject. lib. 10. tit. 2. num. 3.* Coſta *in c. Si pater, de teſtament. verbo Legavit, ex num. 17.* Cujacius *lib. 3. obſervat. c. 15.* Caſtillo *lib. 1. controverſ cap. 46. à nu. 4.* Sanchez *conſ. lib. 4. cap. 2. dub. 13. num. 8.*

Aſt omnes admittunt hanc doctrinam quando ſtamus in 46
dubio; ſi verò conſtiterit de voluntate teſtatoris, aliter dicendum; illa enim abſque dubio obſervanda erit, quia licèt debitum ſit voluntarium, ſi tamen voluntas fuerit teſtatoris, ut compenſetur, compenſabitur; & in debito neceſſariò, ſi dicat, *Non compenſetur*, non compenſabitur; non eſt enim locus præſumptioni quando conſtat de voluntate illius, ut in ſpecie tenet Surdus *deciſ 14. nu. 8. & deciſ. 144. num. 8.* Caſtillo *d. cap. 46. num. 7.* Menochius *lib. 4. præſumpt. 110.* Sanchez *d. dub. 15. n. 2.* Unde conſtat dictam Authenticam *Prætereà*, ad rem non eſſe, quia verſamur in caſu, quo ipſe Prælatus, aut Beneficiatus habet claram intentionem dandi eleemoſynam ex proprio patrimonio, non de redditibus, in quo nulla præſumptio admittitur, & conſequenter nec illa, quæ deducitur ex dicta Authentica *Prætereà*. Idcircò in præſentia aſſerendum, Prælatum, ſeu Beneficiatum non poſſe repetere tantumdem ex redditibus, quando voluit ea intentione dare eleemoſynam ex proprio patrimonio, non verò de ſuperfluo redditum.

47 Deinde examinare debemus quæſtionem illam, an Prælatus, ſeu Beneficiatus poſſit ſua debita ſolvere ex redditibus Beneficii. Prima ſententia negat, nam redditus extra congruam pauperum ſunt, nec in eis Beneficiatus habet dominium. Ergo nequit ex eis ſua debita ſolvere, Cæterùm iniqua conditio nequit uni per alterum inferri, *cap. Venerabilis, de exceptionib.* pauperibus enim inferretur, ſi dum privarentur illis redditibus, Beneficiatus ex illis ſua debita ſolveret. Ergo Ancharranus *in cap. Statutum, §. Aſſeſſorem, de reſcript. in* 6. Rota *deciſ.* 1. *de ſolut.* aliàs 41. *de præbend.*

48 Secunda ſententia tenet contrarium *ex c. Pervenit* 2. *de Fidejuſſ.* ubi fidejuſſor pro Clerico ſolverat. Et aſſerit Innoc. III. fidejuſſori ſatisfaciendum de redditibus Beneficii ipſius Clerici. Unde conſtat, Beneficiatum ex redditibus ſolvere ſua debita. Sed Archidiaconus nuperrimè adlegatus hunc textum interpretatur, eum intelligens de redditibus patrimonii ipſius Clerici, non verò Beneficii. Tum aliter dicit, quod ſi velis intelligere textum illum de redditibus beneficii, inteligendum eſſe ex indulgentia Pontificis, non verò de mero jure, ut etiam refert Abbas *in cap. Cùm eſſes, de teſtament. num.* 7.

49 Cæterùm pro hac ſententia adducit textus *in cap. Quod quibuſdam* 4. *de Fidejuſſorib.* ubi ſi Religioſus fidejubeat de licentia Abbatis, & majoris partis Capituli, in manifeſtam utilitatem domus, tunc ex redditibus Monaſterii fidejuſſioni ſatisfaciendum aſſeritur. Ergo etiam Prælatus, ſeu Beneficiatus ex redditibus Beneficii poterit ſua debita ſolvere. Sed nec iſte textus probat hanc ſententiam, ibi enim agitur, quando Religioſus fidejubere poſſit? Et aſſerit Pontifex duo deſiderari, ſcilicet licentiam Abbatis, & majoris partis Capituli; tum manifeſtam utilitatem Monaſterii; aliter enim fidejuſſio erit nulla, quia Religioſus non habet velle, nec nolle, *cap. Non dicatis* 12. *q.* 1. *c. Dilectus* 27. *de elect. in* 6. *cap.* 2. *de teſtam. eod. lib.* Quare eſt neceſſaria licentia Abbatis, & majoris partis Capituli, & utilitas manifeſta Monaſterii, tanquam præciſa cauſa licentiæ, & fidejuſſionis, *c.* 2. *de Poſtulat. Prælat. l.* 2. *tit.* 12. *par.* 5. Tamburinus *de Calog. c.* 14. *num.* 38. Diana 11. *par. tract.* 4. *reſol.* 31. Herinius *de Fidejuſſ. c.* 7. *num.* 43. plures Barboſa *in dict. cap.* 4. *num.* 4. Vel ſufficiet quod probetur, fidejuſſionem utilem fuiſſe Monaſterio, Covarr. *lib.* 2. *var. cap.* 17. *n.* 3. Maſcardus *de probat. conſ.* 728. *num.* 9. quod fieri valet per conjecturas, & præſumptiones, de quibus Maſcardus *dict. concluſ.* 728. Menochius *lib.* 4 *præſumpt.* 55. *per tot & de arbitrariis caſu* 132. Riccius *in praxi for. deciſ.* 3. Barboſa *in c.* 1. *de depoſit. num.* 5. Ex hac enim textus illius intelligentia nullum deducitur argumentum, unde probetur Prælatum, ſeu Beneficiatum poſſe ſua debita ſolvere ex redditibus; ſi enim fidejuſſio illa eſt ſolvenda de redditibus Monaſterii, eſt quia fidejuſſio fuit contracta in utilitatem illius.

50 Sed licèt jura iſta non probent hanc ſententiam, probat tamen enim Stylus Curiæ, & cæterorum Tribunalium, ubi relacti Clerico congrua ſufficienti, ex reliquis redditibus ejus debita ſolvuntur, ut tenent Gomez *tom.* 2. *var. cap.* 13. *n.* 18. Farinacius *in praxi crim.* 1. *par. quæſt.* 27. *n.* 66. Salgado *de Reg. protect.* 2. *par. c.* 4. *num.* 63 Molina *de juſt. tract.* 2. *diſput.* 540. *num.* 21. Paz *in praxi, tom.* 2. *par.* 3. *cap. unic. per tot.* Et in terminis Sarmiento *de Reddit.* 4. *part. c.* 1. *à nu.* 1. Cevallos *quæſt.* 388. *num.* 55.

51 Tertia ſententia aſſerit, Prælatum, ſeu Beneficiatum poſſe ex redditibus ſua debita ſolvere, quæ pro utilitate ſuæ Eccleſiæ, aut ſui Beneficii contraxerit. Ducitur *ex c. Olim* 16. *de reſtit. ſpoliat.* ubi Epiſcopus debita, quæ contraxerat ad ſui ſuſtentationem, ex redditibus rectè ſolvit; erat enim obligatio iſta ipſius Epiſcopatus. Eſtque etiam textus *in cap.* 1. *de ſolut.* ubi ſucceſſores Beneficii tenentur ſolvere ex redditibus debita contracta ab anteceſſore ob utilitatem Eccleſiæ. Denique ratione probatur, nam redditus Beneficii non poſſunt obligari, niſi ad onera illa, quibus ſunt obnoxii; non verò ad alia debita Prælati, ſeu Beneficiati, contracta ab ipſa perſona ut particulari, ut tenent Scribentes *dict. cap.* 1. *de ſolut.* Ergo Prælatus, aut Beneficiatus non poterit ſolvere ex redditibus, niſi debita contracta nomine Eccleſiæ, aut Beneficii, non verò alia debita contracta nomine ipſorum, & ad eorum utilitatem, Abbas *in cap. Cùm eſſes, de teſtament. num.* 27. *& in cap. Pervenit, de fidejuſſ. num.* 12. Angelus *verbo Clericus* 3. *num.* 3. Sylveſter *verbo Clericus* 4. *q.* 16. Avendanus *d. reſp.* 19. *n.* 3. *verſ. Sextò infertur.*

In hoc dubio in primis dico, nullum eſſe dubium, poſſe 52
Prælatum, ſeu Beneficiatum ſolvere debita ex redditibus, contracta in utilitatem Eccleſiæ, & ipſius Beneficii, ut quæ facta ſunt ob ipſius congruentem alimoniam, Bullas, conſecrationem, ob decentiam familiæ neceſſariæ, ad reparandam Eccleſiam, viſitandam Diœceſim, & alia neceſſaria ad bonam gubernationem illius; hæc enim debita fiunt nomine Eccleſiæ, & ad ejus utilitatem: quapropter ex redditibus poſſunt ſolvi, Rota 1. *par. diverſ. deciſ.* 805. *n.* 4. Bellettus *diſquiſit. Clerical. par.* 1. *tit. de Cleric. debit.* §. 3. *n* 1. Burattus *deciſ.* 582. *n.* 8. Comitolus *Reſponſ. Moral. lib.* 1. *q.* 87. *à n.* 1. Sanchez *conſ. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 42. *n.* 5.

Erit ergo difficultas in aliis debitis contractis à Præla- 53
to, ſeu Beneficiato, ratione ſui patrimonii, alicujus delicti, aut aliarum expenſarum ad utilitatem Eccleſiæ, aut Beneficii non pertinentium. In quo quidem caſu diſtinguendum, an Prælatus, ſeu Beneficiatus habeat bona patrimonialia, necne? Si enim habeat bona iſta, nequit ex redditibus ſolvere debita ſua. Ratio eſt, quia tunc redditus expenderentur in uſus profanos, quatenus ex eis debita Prælati, aut Beneficiati divitis ſolverentur, quod quidem interdictum eſt. Igitur ex redditibus ſolvenda non ſunt debita illa, ſed ex ſuis bonis patrimonialibus. Quamobrem in foro exteriori exequutio incipienda eſt adverſus bona patrimonialia, in quorum defectu, & illis non ſufficientibus, tranſeundum eſt ad redditus, Duenas *regula* 275. *verſ. Limita undecimò*, Barboſa *in c. Pervenit.* 2. *de Fidejuſſ. n.* 22.

Si verò Prælatus, aut Beneficiatus nulla habuerit bona 54
patrimonialia, ſed tantùm redditus Beneficii, aſſerendum videtur, non poſſe ex eis ſimilia debita perſolvere, nec capi in exequutione ad ſolvendum; nam fructus iſti ſunt ſtipendia militis Eccleſiaſticæ Militiæ, *c. Cùm ſecundùm* 16. *de præbend.* & nequeunt capi, nec aliquo modo exequi ad alia debita ſolvenda, ſicut alia militaria ſtipendia, *l. Stipendia* 4. *C. de exequut. rei judicat. l.* 3. *tit.* 27. *par.* 3. & ſalaria judicium, Bolanos *in Curia.* 2. *par.* §. 17. *n.* 11. Villadiego *in Polit. c.* 2. *n.* 79. Ergo ex eis nequit ea debita ſolvere, nec in exequutione poſſunt capi, prout etiam nequeunt pignorari, quia ſunt præmia Eccleſiæ ſervientium, *l. Spem* 5. *C. quæ res pignor. oblig. poſſ.* Deinde redditus ſuperflui Beneficiorum ſunt ab Eccleſia deſtinati ad pauperes ſublevandos, & ad alia opera pia exercenda ſub graviſſimo præcepto. Ergo nequeunt à Prælato, ſeu Beneficiato applicari ad ſua debita ſolvenda cum tranſgreſſione illius.

Sed his non obſtantibus, contrarium eſt tenendum; in 55
redditibus enim Beneficiorum duo ſunt conſideranda. In primis quatenus ſunt deſtinati ad congruam Prælati, ſeu Beneficiati, & hæc congrua nequit deficere, quantumvis debitis obnoxii fuerint; nam ſi iſta deficeret, Eccleſiæ ſervitium deficeret, tum etiam decentia ſtatus Eccleſiaſtici: quapropter nequit in ea fieri exequutio, ſed ſemper debet ſalva remanere, *c.* 3. *de ſolutionib.* ubi Scribentes, & latiſſimè diximus *lib.* 9.

Prout nequit fieri exequutio in aliis rebus ad utilita- 56
tem publicam concernentibus, ut ſunt ſalaria militum, & judicium, boves aratorii, & alia inſtrumenta ruſtici laboris, *l. Exequutores* 7. *Cod. quæ res pign. oblig. poſſ. l.* 5. *& 6. tit.* 17. *lib.* 5. *Recopilat.* Libri Doctorum, & alia, de quibus plura dant D. Gonzalez *in d. c. Pervenit* 2. *de Fidejuſſ. n.* 10. Parladorius *lib.* 2. *c. fin. par.* 5. §. 3. Carleval. *de judic.* 2. *par. lib.* 1. *tit.* 3. *c.* 18. Rodriguez *de Exequut. cap.* 5. *per tot.* Collerus *de proceſſib. exequut.* 2. *par. c.* 3. Bollanos, & Villadiego *ubi ſuprà, n. antecedenti*: quare ex congrua nihil eſt detrahendum ad debita ſolvenda. Ex placito tamen rectè aget Prælatus, ſeu Beneficiatus, qui ſalva decentia ſui ſtatus in occulto parcè vixerit, ut ſua debita ſolvat.

Secundò redditus ſunt conſiderandi, quatenus ſuper- 57
fluunt extra congruam, & de his rectè Prælatus, ſeu Beneficiatus, ſi non habeat bona patrimonialia, ſua debita ſolvet ad ſublevanda ſuam propriam indigentiam. Ratio eſt, nam ſi illos fructus poteſt divertere ad levandam neceſſitatem, & inopiam aliorum, quantò magis ad ſublevandam propriam, quando ære alieno gravatur, & non habet unde ſolvat. Et confirmatur, nam charitas benè ordinata, id petit, ut priùs quis ſublevet propriam indigentiã, quàm alienam. Ergo rectè poterit ſua debita ſolvere per modũ eleemoſynæ ſibi applicatæ ex redditibus ſui Beneficii, Navar.

de

d. Reddit. quæſt. 1. *in Summ. nu.* 7. *& in Man. c.* 25. *n.* 132. Azorius *Inſt. Mor.* 2. *par. lib.* 7. *c.* 9. *q.* 6. Sanchez *dict. cap.* 2. *dub.* 43. *n.* 6. Delugo *de Juſtit. diſp.* 4. *ſect.* 4. *n.* 67.

58 Unde fundamenta contraria dilabuntur; nam illud quod diximus de ſtipendio, & ſalario, intelligitur de congrua, quæ nunquam auferri valet à Prælato, ſeu Beneficiato. Aliud verò de præcepto Eccleſię dandi elemoſynam ex ſuperfluis redditibus, adimpletur per applicationem eleemoſynæ factam ſibi ad ſua debita ſolvenda.

59 Denique in hoc capite examinanda eſt difficultas, an in hoc Archiepiſcopatu Toletano Parochi, & Beneficiati, quibus dantur primitiæ ob laborem adminiſtrationis Sacramentorum, teneantur ex eis ad dandam eleemoſynam pauperibus, vel ad libitum poſſint eas expendere. Et affirmandum videtur; nam Parochi, & Beneficiati alios habent fructus; unde teneantur ad hanc obligationem adminiſtrandi Sacramenta. Ergo quidquid pro hac adminiſtratione admittunt, eo modo datum cenſetur, non pro labore, ſed ut ſibi relicta congrua, reliquum pauperibus erogetur. Confirmatur, nam ut docuerunt Cardinalis, Panormitanus, & alii, quos refert Sanchez *dict. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 45. *n.* 7. ſtipendia, vel eleemoſynæ pro adminiſtratione ſacrorum Clericis relictæ, ad quam tenebantur, non ſunt bona quaſi patrimonialia, ut ad libitum expendant, ſed obnoxia obligationi dandi ſuperfluum pauperibus. Ergo idem eſt dicendum de his primitiis, quæ ſpecialiter dantur in hoc Archiepiſcopatu, ratione adminiſtrationis Sacramentorum, cùm Parochi, & Beneficiati ex alio capite ad hanc obligationem teneantur, ſcilicet ex perceptione aliorum fructuum.

60 Sed tamen contrarium ſatis probabiliter tenendum videtur; nam in hoc Archiepiſcopatu, & in aliis, in quibus primitiæ dantur præcipuè ob adminiſtrationem Sacramentorum, & ad id à cumulo aliorum fructuum ſunt ſegregatæ, conceduntur ob ſtipendia, & ſalaria illius laboris; quare nequeunt dari primitiæ iſtæ niſi Sacramenta adminiſtranti, etiam exiſtente qualibet conſuetudine, Mareſcotus *lib.* 2. *var. cap.* 54. *per tot.* Aſt quoties aliqui fructus dantur ut ſalaria, Clerici de his diſponere poſſunt, nec obligantur ad dandum reſiduum pauperibus, ut latè ducuimus *lib. iſto c.* 2. *à num.* 8. Ergo ex ſimilibus primitiis in hoc Archiepiſcopatu Parochi, & alii Beneficiati non tenentur ſuperfluum pauperibus dare, ſed poſſunt ad libitum expendere. Cæterùm hæ primitiæ deſignatæ pro adminiſtratione Sacramentorum, ſeparatæ videntur à titulo beneficii, itaut non reſpiciantur tanquam fructus illius, ſed tanquam ſeparata ſtipendia, ut de diſtributionibus diximus *d. c.* 2. *à num.* 16. Ergo primitiæ iſtæ ſunt conſiderandæ tanquam bona quaſi patrimonialia, quæ ad hoc præceptum non tenentur, ſed poterunt ad libitum expendi.

61 Rurſus primitiæ duobus modis valent conſiderari, quando ſunt onus reale prædiorum, & debentur Parocho aut Beneficiatis ex prediis illius Parochię, in quibus habent fundatam ſdam intentionem, Puteus *lib.* 3. *deciſ.* 169. Mareſcotus *dict. c.* 54. *num.* 2. Barboſa *de univerſ. lib.* 3. *cap.* 25. *num.* 8. *& 9. & de jure Parochi*, 3. *par. cap.* 28. *num.* 9. Trullench *in Decalog. lib.* 3. *c.* 3. *dub.* 12. *num.* 5. & in hoc caſu valent conſiderari, ut fructus beneficii, non verò quando ſunt onus perſonale, ut in hoc Archiepiſcopatu, ubi primitiæ ex conſuetudine ſolvuntur non ubi prędium ſitum eſt, ſed ubi Parochianus ſuſcipit Sacramenta; quæ quidem conſuetudo demonſtrat datas eſſe, ut ſtipem laboris extrinſeci adminiſtrandi Sacramenta. Ergo dicendum, in hoc Archiepiſcopatu primitias non eſſe conſiderandas, ut fructus, ſed ut ſalaria, aut ſtipendia adminiſtrantium: quamobrem ex earum reſiduo Parochi, aut Beneficiati eas percipientes ad præceptum eleemoſynandi non tenentur. Nec obſtat primum, quia licèt Parochus, ſeu Beneficiati ex obligatione ſui officii teneantur Sacramenta adminiſtrare, attamen id non tollit, quin poſſint percipere alia ſtipendia determinata, ut majori cura, & diligentia Sacramenta adminiſtrent, ut in Canonicis patet: quia licèt ex propria obligatione teneantur Choro intereſſe, ob perceptionem fructuum præbendarum; attamen propter eandem aſſiſtendiam rectè recipiunt diſtributiones quotidianas, ut ſtipendia, quibus majori cura, & diligentia aſſiſtant in Choro ad divina canenda, & pro obeundis aliis officiis divinis, *cap. unic. §. Statuimus, de Clericis non reſident. in* 6. Valenzuela *conſil.* 34. *num.* 129. Tuſchus *de viſit. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 16. Duarenus *de Sacroſ. Eccleſ miniſtrant. lib.* 7. *c.* 4. Lotterius *de re benefic. lib.* 1. *quæſt.* 19. *à n.* 38. Ergo ſimiliter dicendum eſt in noſtra ſpecie, quod licèt Parochi, & Beneficiati teneantur ex aliis fructibus ad adminiſtrationem Sacramentorum, adhuc poterunt recipere primitias tanquam temporalia ſtipendia, quibus allecti majori cura, & diligentia Sacramenta adminiſtrent abſque aliqua obligatione dandi eleemoſynam ex earum reſiduo.

Nec obſtat ſecundum argumentum, deſumptum ex doctrina Cardinalis, & aliorum; nam communiter ab omnibus rejcitur. Dicendum eſt enim, quod licèt aliquæ eleemoſynæ dentur à Fidelibus pro his, quę debent adminiſtrari à Clericis, non tamen dantur cum illo onere dandi reſiduum pauperibus, ſed tanquam temporale ſtipendium pro labore perſonali extrinſeco, ut cum Barbatia, Navarro, & aliis docet Sanchez *dict. cap.* 2. *dub.* 45. *n.* 8. unde minimè probat contra nos. 63

Tempero tamen ſi in aliquo Beneficio privativè pertineant ad unum primitiæ, & non ad alios adminiſtrantes, & plurimùm excedant laborem illius; tunc enim exiſtimandum, ut fructus fuiſſe illi ſoli applicatus, & conſequenter tenebitur ex reſiduo earum eleemoſynam præſtare, ut diximus *d. c.* 2. *à n.* 9. 64

Unde obiter diſquirenda eſt quæſtio, quæ ſepiùs agitatur inter fructus Beneficiorum medii anni, quæ ſolvitur Canonicis S. Juſti, & S. Paſtoris Complutenſibus, & Portionariis Toletanæ Eccleſię, an ſcilicet primitiæ iſtæ per dimidium illis debeantur. Et affirmandum videtur ex Bulla Sixti IV. 8. *Kalendas Junii* 1479. ibi: *Fructuum, reddituum, & proventuum primi anni, quo illa de cætero, tam in Romana Curia, quàm extra eam pro tempore vacare contigerit, integra medietas Menſæ, & Maſſæ prædictis æquis portionibus, videlicet pro una Maſſa, & alia ex medietatibus ipſius medietatis Menſæ præfatis debeatur.* Eo eodem modo loquuntur aliæ Bullæ Leonis X. & Urbani VIII. faciendo mentionem de fructibus, redditibus, & proventibus, quibus in verbis univerſalibus etiam primitiæ debent intelligi, utpotè fructus, reditus, aut proventus Beneficii; generalis enim loquutio omnia comprehendit, *l. Cùm quærebatur, ff. de verb. ſignific.* Seſſe *deciſ.* 4. *num.* 2. Gonzalez *in reg.* 8. *gloſſ.* 9. *num.* 24. Molina *de rit. nupt. lib.* 3. *q.* 54. *n.* 4. Ergo & hæc loquutio harum Bullarum. 65

Sed tamen contrarium eſt tenendum ex Extravaganti *Suſcepti* 2. *de elect.* Joan. XXII. & Extravaganti unica, *Ne Sede vacante, inter communes*. Quibus in juribus latiſſimè probatur, ſimilia privilegia percipiendi medietatem fructuum primi anni Beneficii vacantis, eſſe reſtringenda in favorem cultus divini, & pro adminiſtratione Sacramentorum: quapropter *in §. In illis*, deciſum remanet, in dimidietate fructuum non venire niſi illos, qui fructus in decima ſolvere conſueverunt. Ubi Gloſſa exprimit *littera C, ideſt qui hactenus fuerunt decimales Eccleſiis baptiſmalibus*. Unde cognoſcitur, ad hanc dimidietatem fructuum Canonicis S. Juſti, vel Portionariis primitias non eſſe ſolvendas, ſed tantùm fructus decimarum: quod in favorem divini cultus, & adminiſtrationis Sacramentorum rectiſſimè ſtatutum videtur, cùm primitiæ iſtæ ſint ſpecialiter deputatæ ad ſtipendium iſtius adminiſtrationis. 66

Confirmatur diſcurſus; nam primitiæ valdè differunt à decimis, nec in earum ſolutione continentur, ſed ſunt prorſus ſeparatæ, & diſtinctæ, ut ex aliquibus Scripturæ teſtimoniis decerpitur, *Exodi cap.* 20. ibi: *Decimas, & primitias non tardabis reddere*. Et *c.* 27. ibi: *Primitias frugum terræ ſuæ deferes in domum Domini*. Et *Deut. c.* 20. ſic præcipitur: *Tolles de cunctis fructibus tuis primitias*. Quibus in locis loquitur Dominus, ut de re diverſa, & diverſis præceptis ſolvenda: & ſunt jura *in cap. Decimas* 1. *verſ. Oportet*, 16. *quæſt.* 7. *cap.* 1. *de decim. verſ. At verò primitiæ*, Trullench *dict. lib.* 3. *cap.* 3. *dub.* 12. *per tot.* Ant. Auguſtinus 1. *par. lib.* 10. *tit.* 9. Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 16. Lantmeter. *de vet. Cleric. vict lib.* 2. *c.* 41. Barboſa *dict. cap.* 27. *de offic. Paroch.* Ergo cùm Extravagantes illæ dicant tantùm ex decimis dimidietatem fructuum eſſe ſolvendam, nequeant comprehendi primitiæ, utpotè res diverſæ à decimis ipſis. 67

Cæterùm Bullæ iſtæ, cùm ſint in grave diſpendium cultus divini, & adminiſtrationis Sacramentorum, ut 68

dicunt ipſæ Extravagantes, *cap. Ex parte* 12. *de Conſtit. cap. Quia per ambitioſam fin. de reſcript. in* 6. & per eos fraudetur debitum ſervitium Eccleſiarum, cùm ferè omnia beneficia Eccleſiaſtica in his Bullis non excepta habeant tenues redditus, ſtrictiſſimè ſunt interpretandæ, nec queunt extendi ad primitias ſpecialiter deputatas ad Eccleſiarum ſervitium, & ad adminiſtrationem Sacramentorum, Mareſcotus *dict. lib.* 2. *cap.* 54. *num.* 2. Molina *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 142. *num.* 1. de Lugo *de Juſtit. diſp.* 4. *ſect.* 3. *num.* 1. Hoc enim directè fuiſſet tendere adverſus Eccleſiarum ſervitium, tollendo directè illa ſtipendia deputata ad illud: quod repugnat menti Pontificum concedentium. Ergo ſimilis dimidietas nequit extendi ad primitias.

69 Rurſus in hoc Archiepiſcopatu majori ratione probatur; nam cæteri participes in fructibus beneficiorum, de primitiis non participant; ſeu enim ſegregatæ à titulo aliorum fructuum, & ſpecialiter deputatæ ad ſervitium Eccleſiarum Parochialiam, & adminiſtrationem Sacramentorum ſtrictiori deputatione, quàm de jure communi, ut patet de conſuetudine, quę plurimùm valet in materia primitiarum, Barboſa *d. c.* 25. *n.* 6. Trullench. *d. dub.* 12. *n.* 4. Ergo quamvis Canonici S. Juſti, & Portionarii Toletani habeant has Bullas ad percipiendam dimidietatem fructuum, reddituum, aut proventuum Beneficiorum, nequeunt primitias percipere, quæ ſunt ſeparatæ à titulo aliorum fructuum. Et confirmo diſcurſum; nam ſi poſſent has primitias percipere, quæ ſunt ſtipendia adminiſtrationis, poſſent percipere ſtipem Aniverſariorum funeralium, & oblationum, quod nec petunt, nec poſſunt petere. Ergo nec iſta ſtipendia primitiarũ.

70 Inſuper primitiæ magis tendunt ad naturam oblationis, quàm ad naturam fructuum Beneficiorum; origo enim illarum proceſſit ab oblatione ultronea, *Exod. cap.* 25. ibi; *Loquere filiis Iſrael, ut tollant mihi primitias. Ab omni homine qui offert ultroneas, accipietis eas.* Dabantur enim ob recognitionem ſupremi dominii Dei Optimi Maximi. Tum ne ingrati homines extarent cum Domino, à quo quotidie tanta Beneficia recipimus, Rebuffus *de Decim. quæſt.* 1. *num.* 21. Borboſa *d. lib.* 3. *c.* 25. *n.* 4. & *de offic. Paroch. d. c.* 27. *n.* 4. Trullench *d. dub.* 12. *n.* 1. Ergo ſicut nequeunt recipere partem oblationum, ſimiliter nec partem primitiarum.

71 Sed dicent aliqui: Decimæ aliquæ, ut pullorum, & ſuum pertinent ſpecialiter ad Parochos, & Altari inſervientes, & non ad alios participes in hoc Archiepiſcopatu Toletano; & tamen de his Canonici, & Portionarii dimidium percipere ſolent. Ergo licèt primitiæ ſint ſpecialiter deputatæ ad adminiſtrationem Sacramentorum, dimidiam earum percipere poſſunt. Sed reſpondetur, quod ſicut nec petere poſſunt primitias, ſimiliter nec has decimas minores, quia ad Altaris ſervitium ſunt deputatæ, & ſegregatæ à cumulo aliarum decimarum, quapropter nequeunt aliis concedi, niſi verè ſervientibus, etiamſi conſuetudo adeſſet in contrarium, ut in primitiis tenet Mareſcotus *lib.* 2. *cap.* 54. *n.* 4. eſſet enim contra jus naturale, ut ſtipendia ſervientibus debita darentur non ſervientibus, nec exercentibus illas operas pro quibus ſpecialiter conceduntur, *Tob. c.* 4. ibi; *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii ſui apud te non remaneat.* Non enim textus ſacer permittit, ut merces mercenarii apud alium remaneat, ſed juber ut verè ei ſolvatur, *Luc. cap.* 10. *l. Si quis ex argentariis* 6 *ff. de edend.* Cyriacus *controverſ.* 67. *n.* 5. Robertus *rer. judicat. lib.* 1. *cap.* 7. Carlevar. *de judic. tit.* 1. *diſp.* 4. *n.* 21. Idcircò Canonici S. Juſti, & Portionarii Toletani nequeunt percipere iſtas minores decimas, quæ in hoc Archiepiſcopatu ad pedem Altaris pertinent; nec etiam primitias, quæ ſpecialiter ſunt deſtinatæ, & extractæ à communi cumulo, ut deſerviant ad ſtipendium adminiſtrantium Sacramenta.

72 Nec fundamentum deſumptum ex verbis Bullarum alicujus eſt ponderis; nam verba illa, *Fructuum, reddituum, & proventuum*, magis appoſita cenſentur ex ſtylo Notariorum Curiæ, quàm ex aliqua obligatione, non enim vult Pontifex in his conceſſionibus aliquid concedere, niſi dimidium illorum fructuum pertinentium ad decimas, ne Eccleſiæ debito ſervitio defraudentur, ut declaratum eſt in dictis Extravagantibus. Tum etiam, licèt clauſulæ, aut verba exuberantia ponantur in Bullis, non intelligitur gravatum quidquid pro ſtipendiis, pede Altaris, aut aliis functionibus perſonalibus conceditur, ut in penſionibus cognitum eſt, quæ non gravant fructus incertos, & pertinentes ad pedem Altaris, & ad diſtributiones, niſi ſpecialiter, & expreſsè graventur, Moneta *de diſtribut.* 3. *p. q.* 8. *numer.* 10. & 11. Rodriguez *Queſt. Regul. tom* 3. *q.* 74. *art.* 4. Flaminius *de Reſignat. lib.* 6. *q.* 2. *numer.* 33. & 34. Garcia *de Benefic.* 1. *par. cap.* 5. *art.* 369. Ergo in ſpecie licèt illa verba ſint exuberantia, & plurimùm denotent; cùm tamen expreſsè non comprehendant primitias, & alia quæ data ſunt propter ſtipendia adminiſtrationis, & ſervitii, nequeunt illa comprehendere. Denique illa verba copulativè intelligenda non ſunt, ſed diſtributivè; nam loquuntur Bullæ de pluribus Beneficiis, Dignitatibus, & præſtimoniis, quorum fructus varii ſunt; nam aliqui ſunt propriè fructus, alii redditus, alii proventus, ex quibus cùm principales fructus componantur, ut fructus cenſentur, etiamſi fuerint diſtributiones quotidianæ, Caputaq. 2. *par. deciſ.* 29. *n.* 4. & 5. Gonzalez *de Regul.* 8. *in proœm.* §. 7. *num.* 157. Moneta 1. *par. de deſtribut. q.* 6. *num.* 16. Ricciulus *de jur. perſon. lib.* 1. *c.* 13. *numer.* 55. Hanc ob rem non dicunt, ex quodlibet Beneficio debere ſuſcipere fructus, redditus, & proventus, aliàs perciperent funeralia, & oblationes, quæ comprehenduntur ſub nomine proventus, Gonzalez *in dict.* §. 7. *n.* 198. Puteus *lib.* 2. *deciſ.* 478. Barboſa *de Appellat. verb. ſign. appell.* 227. *num.* 1. ridiculum eſt exiſtimare, ſed tantùm debere precipere dimidietatem fructuum Beneficiorum primi anni, ſive conſiſtant in fructibus, vel redditibus, aut proventibus: quare nequeunt Bullæ extendi ad primitias, & ad alia ſtipendia adminiſtrationis, & ſervitii.

CAPUT V.

De donativis, quæ poſſunt inter vivos facere Prælati, ſeu Beneficiati ex redditibus, conſanguineis, extraneis, & concubinis.

SUMMARIUM.

Prælati, ſeu alii Eccleſiaſtici habentes ex ſuis dignitatibus villas, caſtra, & oppida, an eorum fructus, & reddituſ donare poſſint abſque obligatione dandi eleemoſynam? Prima ſententia affirmat, nu. 1. *Prælati iſti ſunt domini temporales villarum, & oppidorum, ibid.*

Secunda ſententia tenet contrarium, n. 2. *Redditus iſti ſunt obligati ad defendendos vaſſallos, ad adminiſtrandum juſtitiam, & congruam Prælati, & ad ſervitium, ſi ſint feudalia: & in cauſa illorum cognoſcit Dominus feudi, n.* 3.

Sed adhuc defenditur, teneri Prælatos ad eleemoſynam, nec poſſe ex eis liberè donare: utile dominium eſt penes Eccleſiam, & fructus ſunt Eccleſiaſtici, numero 4.

Quando villæ, ſeu caſtra ſimpliciter, & Prælatis, & Eccleſiis donantur à Regibus, temporalia bona cenſetur, & juriſdictio ſemper eſt ſecularis, & cenſuris nequit in illa procedi; unde ad eleemoſynam teneri non videntur, num. 5.

Ponitur opinio contraria, num. 6. *Reſolvitur, dominium ad Eccleſias tranſire, non verò juriſdictionem, quæ ſemper remanet reſervata, n.* 7. & 8.

Niſi donatio fiat Eccleſiæ Romanæ, & tunc juriſdictio ſecularis exercetur per ballivos, aut judicis ſeculares, ibid. Reſolvitur principalis quæſtio affirmativè, numero 9. *Ubi idem dicitur de Monaſteriis oppida habentibus.*

An Prælati, vel alii Eccleſiaſtici ex ſalariis officiorum præſtitis à Principe poſſint liberè donare, & ad eleemoſynam teneantur? Aliqui tenent affirmare Sarmientum: ſed explicatur, num. 10. *reſolvitur contrarium, num.* 11.

An Commendatarii aliquarum Eccleſiarum poſſint liberè de fructibus donare, abſque obligatione eleemoſynandi? Affirmarunt aliqui, & explicantur, num. 12. *Communis ſententia contrarium tenet, n.* 13.

Diſtinguitur commenda perpetua, & temporalis, nu. 14. *In perpetuis admittitur communis ſententia, n.* 15.

Si eſt temporalis aliter dicendum, & poterit liberè donare,

nare, abſque aliqua obligatione eleemoſynæ, num. 16. *&* 17.

Sed an idem ſit dicendum quando commenda temporalis datur à Pontifice cum integra adminiſtratione? Affirmandum videtur, n. 18.

Sed cum explicatione ſuſtinetur contrarium, n. 19.

Bona Eccleſiæ nequeunt donari à Prælatis, n. 20. *De redditibus Beneficiorum nequeunt Beneficiati facere donationes, ſicut nec tutores, & curatores bonorum pupilli, & Procuratores Cæſarum, n.* 21.

Sed poſſunt facere modicas donationes, ut mariti ex lucris matrimonii, & patres, quæ non imputantur de jure Regio in tertio, & quinto, n. 22. *Tum & donationes remuneratorias, n.* 23.

An quando Prælati ex redditibus donant remuneratoriè, poſſint ultra merita excedere? Negant aliqui, n. 24. *Admittuntur, ſi excedant immodicè, ſecus ſi parum ſit. Explicatur caput* Delatum 12. de teſtament. *num.* 25.

Sed quæ ſit pars modica, vel magna, referuntur ſententiæ, n. 26. *Sed arbitrio prudentis relinquitur, num.* 27.

Non ſolùm in donationibus remuneratoriis poſſunt excedere modicum, ſed aliquid ampliùs, quod ſi modica donatio liberalis. Remuneratoria donatio eſt quædam debiti ſolutio, num. 28.

An peccet accipiens donationes à Prælatis, ſeu Beneficiatis ex redditibus? Affirmant plures, negant Delugo, & Moya, num. 29.

Si donatarius perſuaderet, aut auxiliaretur, peccat, nu. 30. *Quando Prælatus, ſeu Beneficiatus haberet alia bona patrimonialia, vel alia bona acquiſita parcè vivendo, tunc non peccat acceptans donationem. Maritus poteſt donare in præjudicium uxoris, & filiorum, ſi habeat unde eos alat, & dotem perſolvat. Delictum nunquam præſumitur, n.* 31.

Si non habeat alia bona, niſi redditus, probabilius eſt peccare. probabile non peccare. Non peccat qui acceptat donationem factam in fraudem creditorum, num. 32.

Eplicatur textus in leg. ult. §. 4. ff. Quæ in fraudem, *num.* 33.

Duobus modis alienatur res in fraudem creditorum, titulo lucrativo, & oneroſo. Ex lucrativo ſufficit fraus donantis: ex oneroſo tam alienantis, quàm accipientis requiritur, n. 34.

Admittitur probabilior ſententia, peccare accipientem donationem exceſſivam redditum. Ad donationem requiritur acceptatio, num. 35.

Fit inſtantia, & reſpondetur. Beneficium invito non datur, num. 36.

Fit replica, & datur reſponſio, n. 37.

Peccat graviter Beneficiatus faciens ex redditibus, aut ex aliis bonis donationem concubinis: nequeunt eis donare, ſicut milites, Equites militares, Doctores, Licentiati, Advocati, n. 38.

An ex redditibus, aut ex aliis bonis poſſint Beneficiati facere concubinis donationes remuneratorias? Negavit Cabedo, num. 39. *Sed contrarium defenditur, num.* 40.

In foro poli ſufficit, ut hæc ſervitia concubinarum ſint certa. In foro fori ſunt probanda, aliàs repetitur donatio, num. 41.

An quando fuerint ſervitia antecedentia, & poſteà Beneficiatus ſimpliciter [*donaverit*] *concubinæ, ſit donatio remuneratoria, necne? Prima ſententia negat remuneratoriam, & dicit nullam talem donationem, num.* 42.

Secunda ſententia tenet contrarium. Pater donans filio, ſi habeat merita antecedentia, intelligitur remuneratoriè donare: & idem ſi maritus uxori, n. 43.

Admittitur hæc ſententia, & explicatur lex Si verò 12. §. Inde Papinianus, ff. Mandati, *num.* 44. 45. *&* 46.

Fit inſtantia: quando donatur conſanguineo, intelligitur propter affectionem ſanguinis, non propter merita antecedentia donari. Reſpondetur inſtantiæ, n. 47.

Quando Beneficiatus donaverit concubinæ expreſsè propter ſervitia, & merita, an debeat illa probare, ut va-

leat donatio remuneratoria? Prima ſententia affirmat, num. 48.

Secunda aſſerit, quod ſi mentio meritorum ſit generalis, ei ſtandum non eſt; ſecus ſi ſpecialis, n. 49.

Tertia dicit, quod ſive mentio ſit generalis, ſive ſpecialis, merita eſſe probanda, n. 50.

Si nullum præjudicium ſequitur legitimis, nec eſt donatio inter perſonas prohibitas donare, aſſertionis donantis ſtandum. In dubio donatio liberalis non præſumitur, ſed remuneratoria, num. 51.

Si verò ſit in præjudicium tertii, aut inter perſonas donare prohibitas, merita ſunt probanda, n. 52.

Non facilè credendum donanti aſſerenti de meritis, etiam inter perſonas donare valentes, & ſine præjudicio. In donationibus præſumitur error, n. 53.

Idem dicendum, etiamſi Princeps donaſſet. Principis aſſertioni credendum, ut dicunt plures: ſed in ſpecie non ita facilè, n. 54.

Reſolvitur, merita iſta eſſe in hac ſpecie probanda à concubina, n. 55.

An Beneficiatus poſſit ex redditibus, aut ex aliis bonis donare modicum, quando ambo ad meliorem frugem tranſierunt? Negavit Cancerius, n. 56.

Sed contrarium defenditur, n. 57. *Expenditur textus* in l. in ipſius 5. C. Famil. erciſcundæ, *ibid.*

An poſſit donare concubinæ ſeneſcenti? Negavit Cancerius, num. 58.

Admittitur contrarium, & reſpondetur ejus fundamento, num. 59.

IN hoc capite in primis quærendum, an Prælati, aut 1
alii Beneficiati ex ſuis Dignitatibus, aut Prælaturis habentes villas, caſtra, vel oppida, poſſint ex redditibus eorum liberè donare abſque obligatione eleemoſynæ? Prima ſententia affirmat: ducitur, quia donationes caſtrorum, ſeu villarum, factæ à Principibus Prælatis Eccleſiaſticis, & eorum dignitatibus, conceduntur titulo temporali, ut vaſſallos defendant, juſtitiam adminiſtrent, & alia temporalia ſervitia impendant: quapropter fructus illi, & redditus ſunt temporales, ex quibus liberè poſſunt donare, abſque aliqua obligatione eleemoſynandi. Cæterùm, nam Prælati iſti reſpectu harum villarum, caſtrorum, ſeu oppidorum, ſunt Domini temporales, & juriſdictionem temporalem exercent per Miniſtros ſeculares, *l.* 8. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopilat.* Segura *in Direct.* 1. *part. cap.* 11. *num.* 3. Azevedus *in l.* 4. *tit.* 7. *lib.* 3. *Recopilat. num.* 3. *in fin.* Bobadilla *in Polit. lib.* 2. *cap.* 17. *à num.* 194. Ergo redditus iſti ſunt purè temporales, de quibus liberè poſſunt donare abſque aliqua obligatione eleemoſynandi, Sotus *lib.* 10. *de Juſt. quæſt.* 4. Lorca 2. 2. *ſect.* 3. *diſp.* 40. *num.* 3. Becanus *de Juſt. cap.* 3. *n.* 6.

Secunda ſententia tenet contrarium; nam villæ, caſtra, aut oppida conceſſa dignitatibus, & Prælaturis Eccleſiæ tranſeunt ad dominium Eccleſiæ, *l.* 1. *Cod. de ſacroſ. Eccleſiis:* quare redditus illi ſunt Eccleſiaſtici, & conſequenter ex eis nequeunt Prælati liberè donare, ſed tenentur ex reſiduo eleemoſynare, Coninck *de charit. diſput.* 27. *dub.* 1. *num.* 176. de Lugo *dict. diſp.* 4. *ſect.* 3. *num.* 34. *verſ. In contrarium.*

In hoc dubio animadvertendum, redditus iſtos villarum, 3
& caſtrorum, in primis obligatos eſſe ad defendendos vaſſallos, & ad adminiſtrationem juſtitiæ, & in reſiduo eſt diſputatio, ad cujus reſolutionem dico, duobus modis Principes dare poſſe caſtra, villas, & oppida Prælaturis, & dignitatibus Eccleſiaſticis. Primò quando in feudum dantur cum obligatione ſervitii; & tunc dominium directum penes Principem remanet, & ipſi Prælati tanquam alii Barones cenſentur ſervitia impendentes, & juriſdictio ſecularis eſt, & Dominus de feudo cognoſcit, *cap. Cæterum* 5. *de Judiciis, cap. Ex tranſmiſſa* 6. *cap Verùm* 7. *de for. compet.* Balboa *in cap. Decernimus* 2. *de Judiciis, n.* 57. Tondutus *de Prævent.* 1. *p. cap.* 14. *nu.* 3. Mantica *de ambiguis lib.* 23. *tit.* 3. *num.* 85. Bolanos *in Curia*, 1. *par.* §. 5. *num.* Unde videtur ſimiles redditus temporales remanere, de quibus Prælati poterunt donare ad ſuum placitum, abſque aliqua obligatione eleemoſynandi reſiduo.

Sed tamen adhuc in hac ſpecie feudi contrarium te- 4
neo; nam licèt dominium directum penes Principem donantem remaneat, verùm dominium utile tranſit ad Eccle-

ſiam ; uſus fructus enim, qui morte non finitur, verùm ad alios tranſit, utile dicitur dominium, quia tranſcendit terminos uſusfructus communis morte extincti, §. *finitur, Inſt. de uſufruct. leg. ult. Cod. eodem tit.* Unde redditus illius dominii utilis, ſunt proprii Eccleſiæ, & Prælaturæ feudatariæ, Mantica *dict. lib.* 23. *tit.* 2. *à n.* 1. Camillus de Curte *reſolut. feudal. c* 5. *n.* 100. Leſſius *de Juſt. lib.* 2. *c.* 24. *dub.* 10. *n.* 58. quare fructus, ſeu redditus illi ſunt Eccleſiaſtici, ex quibus nequit Prælatus liberè donare, ſed ex reſiduo tenetur eleemoſynare. Cæterùm licèt fructus illi, ſeu redditus, dentur ob præſtandum ſervitium, non tamen tollit, quin ii redditus fiant Eccleſiaſtici, & ſint ſemper Eccleſiæ, licèt cum onere illo, ex pacto procedente, ut in oneribus realibus diximus *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 13. idcircò nequeunt liberè donari, ſed ad eleemoſynam applicari debent.

5 Secundò, & aliter, Caſtra iſta, oppida, vel villæ, Eccleſiis, ſeu Prælaturis deſignatæ, conceduntur à Principibus per ſimplicem donationem, abſque aliqua reſervatione dominii. Et in hoc caſu videtur admittendam eſſe primam ſententiam; nam in his donationibus Prælati, ut ſeculares exiſtimantur, quapropter quoad hanc juriſdictionem ſubſunt Regibus, ſeu Principibus concedentibus, Bobadilla *lib.* 2. *Polit. cap.* 17. *num.* 106. & *cap.* 18. *num.* 61. Cancerius *par.* 3. *cap.* 13. *num.* 345. Olibanus *de jur. Fiſci, cap.* 10. *num.* 3. Maſtrillus *de Magiſtrat. lib.* 2. *c.* 8. *num.* 31. Quod ita certum, ut nequeant Prælati procedere cum cenſuris, aut aliquo modo utendo juriſdictione Eccleſiaſtica, Cabedo 2. *par. deciſ.* 40. *num.* 13. Bobadilla *dict. cap.* 17. *nu.* 195. Unde aſſerendum videtur, fructus, ſeu redditus illos temporales relinqui, ex quibus Prælati liberè poſſunt donare abſque aliqua obligatione eleemoſynandi.

6 Hoc verò fundamentum non ſatis firmum relinquitur; nam Gloſſa *in c. fin. de delict. pueror. verbo Infrà decimum*, Aretinus *conſ.* 14. *col.* 1. Petrus Gregorius *de conceſſ. feudor. par.* 5. *quæſt.* 9. Marta *de juriſdict.* 4. *par. caſu* 198. *n.* 7. inquiunt in his donationibus caſtorum, villarum, ſeu oppidorum dominium ad Eccleſiam transferri, *l. fin. Cod. de Sacroſ. Eccleſiis, c. Cùm dilectus* 6. *de donat.* & ſimiliter omnem juriſdictionem, ita ut relinquatur Eccleſiaſtica, non ſolùm in prima, ſed etiam in ſecunda inſtantia.

7 In rem tamen dicendum, caſtra, oppida, ſeu villas ad Eccleſiam tranſire per has ſimplices donationes factas Eccleſiis, aut dignitatibus Eccleſiaſticis, & remanere in bonis Eccleſiæ: aſt verò juriſdictionem ſecularem remanere. Prima pars hujus aſſerti probatur; nam per ſimplicem donationem caſtrorum, ſeu oppidorum, dominium transfertur ad donatarium, Covarr. *pract. cap.* 1. *num.* 10. Ergo cùm donatio facta ſit Eccleſiæ, vel dignitati, eorum dominium tranſit ad Eccleſiam, Becanus *dict. c.* 3. *n.* 5. Vaſquez *de reddit. cap.* 2 §. 1. *dub.* 3.

8 Altera pars, ſcilicet quod juriſdictio remaneat ſecularis, pertinet ad Regaliam Principis, nec facilè venit in generali conceſſione, niſi expreſſim concedatur, Covarr. *d. cap.* 1. *n.* 10. Maſtrillus *de Magiſtrat. lib.* 1. *c.* 14. *n.* 6. Cabedo 2. *p. deciſ.* 12. *num.* 2. Antunez *de donat.* 2. *pat. lib.* 1. *c.* 8. *num.* 8. & in terminis notat Vela *diſſert.* 44. *à num.* 42. Ergo ſimul cum dominio caſtrorum, ſeu oppidorum non tranſit juriſdictio ad Eccleſiam, ut fiat Eccleſiaſtica, ſed ut remaneat ſecularis cum dependentia Principis concedentis. Cæterùm in ſimilibus donationibus factis Eccleſiis, ſeu dignitatibus Eccleſiaſticis, ſemper remanet reſervata juriſdictio in ſuo eſſe ſecularitatis, *l.* 5. *tit.* 15. *par.* 2. *l.* 8. & 9. *tit.* 4. *par.* 5. Vela *dict. n.* 42. ubi limitat, niſi donatio fiat Eccleſiæ Romanæ: ergo juriſdictio ſemper remanet ſecularis. Denique Eccleſia iſto modo recepit caſtrorum, & villarum juriſdictionem; nam cùm neceſſariò in his fit juriſdictio criminalis exercenda, id facit per ballivos, & ſeculares judices, non ex propria juriſdictione, *cap. ult. ne Clerici, vel Monachi*, Covarr. *in Clement. Furioſus, de homicid.* 2. *par.* §. 5. *n.* 8. Azevedus *Cur. Pif. lib.* 2. *c.* 21. *n.* 1. Molina *de Juſt. tom.* 4. *diſput.* 74. *n.* 9. Unde ſimilis juriſdictio ſemper remanet ſecularis, Antunez *dict. c.* 8. *num.* 8. Parladorius *lib.* 2. *rer. quot. cap.* 1. *num.* 5. Riccius 7. *par. collect.* 2577. Salgado *de Retent. Bull.* 2. *par. c.* 33. *à n.* 31. Carleval. *de judiciis, tit.* 1. *diſput.* 2. *n.* 507. Matheu *de re crimin. controverſ.* 44. *n.* 37.

9 Ex his deſcendit reſolutio hujus difficultatis, & aſſerendum, ex fructibus, & redditibus horum caſtorum, ſeu oppidorum ſimpliciter datorum, teneri Prælatos, vel alios Eccleſiaſticos ex reſiduo eleemoſynam dare, nec poſſe liberè donare; nam licèt eorum juriſdictio remaneat ſecularis, attamen dominium tranſit ad Eccleſiam; quare fructus illi, ſeu redditus Eccleſiaſtici ſunt, & tranſeunt cum onere illo ad Prælatos, ſeu alios Eccleſiaſticos eos poſſidentes. Idem dicendum quando Monaſteria Religioſorum habuerint caſtra, vel oppida, propter eandem rationem, Delugo *dict. ſect.* 3. *num.* 44.

Præterea de ſalariis, aut ſtipendiis à Principe Prælatis conceſſis, quia aliquod officium ſæculare exercent, diſſerendum an ex iis poſſint liberè donare, abſque obligatione eleemoſynandi. Affirmavit Sarmiento, ut refert Sanchez *lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 45. *n.* 9. Ratio eſt, nam opera Eccleſiaſtica, quæ in ſua Eccleſia explere debeant, non adimplent, in quorum locum ſuccedunt illa opera ſecularia: quapropter ſtipendia, ſeu ſalaria illa perindè cenſentur, quaſi ſi ex operibus Eccleſiaſticis illa ſuſciperent. Ergo ex eis liberè nequeunt donare, ſed obligata ſunt ad eleemoſynam. Verùm advertendum, Sarmientum non habere iſtam ſententiam, quin potiùs cum Navarro habere contrariam: nec illam rationem ſuprà poſitam adducit ad comprobationem, ſed ad dubium excitandum à ſimili ſervi, ſeu uſufructuarii, qui nequeunt alteri ſuas operas locare, ſeu exhibere *l.* 1. *leg. Si ſervus*, §. *Fructuarius, l. Sed & ſi quis*, §. *Interdum, ff. de ſtipulat. ſervor.* Unde argumentum conficitur, ut ſicut iſti non poſſunt defraudare dominos à ſuis operis, ita nec Eccleſiaſtici Eccleſias ſuas; quare redditus illi tanquam redditus Pontificii cenſetur, ex quibus liberè donare non poſſunt, ſed tenentur ad eleemoſynandum. 10

Sed contrarium tenet Sarmiento & meritò; nam quando Prælati de licentia Summi Præſulis in his officiis occupantur, & rectè illa retinent, à Sacris muneribus excuſantur; quapropter ſalaria, ſeu ſtipendia illa recipiunt, ut mercedem ſecularis officii, & occupationis, & quaſi patrimonialia, & ſecularia ſunt: quare de his poſſunt liberè donare abſque aliqua obligatione eleemoſynandi. Cæterùm licèt licentia non adeſſet Pontificis, & Prælati non rectè gererent illa officia, propter non reſidentiam, non intrant fructus iſti, ſeu ſalaria in locum fructuum Eccleſiaſticorum, ſed immediatè illa percipiunt propter officium ſæculare. Ergo rectè Prælati poterunt de his ſalariis donare abſque aliqua obligatione eleemoſynæ, Sarmiento *de Reddit.* 3. *par. c.* 5. *n.* 8. Navarrus *de Reddit. q.* 1. *n.* 78. Molina *de primog. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 5. Sanch. *d. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 45. *n.* 9. 11

Rurſus diſquirendum, an Commendatarii poſſint liberè donare de fructibus Beneficii commendati, abſque aliqua obligatione eleemoſynæ, Sylveſter *verbo Commenda, quæſt.* 3. cum Hoſtienſi, & aliis tenet, Commendatarios Beneficiorum liberè poſſe donare, & diſponere abſque obligatione eleemoſynandi; refert Sanchez *dict. c.* 2. *dub.* 48. *n.* 1. Verùm Doctores iſti, ubi eos refert Sanchez, hanc quæſtionem non agunt, ſed tantùm, an Commendarii faciant fructus ſuos? Et inquiunt eos non facere ſuos, licèt de facto contrarium obſervetur. 12

Communis tamen reſolutio eſt, Commendatarium teneri ſuperfluum reddituum pauperibus elargiri, nec de reo poſſe ad libitum donare, ſeu diſponere. Ratio eſt, nam iſti habent verum titulum, & jus Eccleſiaſticum ad fructus, & redditus Beneficii, ſicut verè titulares. Ergo tenentur ad precepta eleemoſynam ex reſiduo, ſicut alii titulares. Cæterum quia Commenda eſt quædam ſubrogatio, ſeu ſubſtitutio Beneficiati ejuſdem muneris, & honoris; idcircò Commendatarii nequeunt hos redditus liberè donare, nec ad libitum diſponere, ſed tenentur ſuperfluum pauperibus concedere, Navarrus *de reddit. q.* 1. *n.* 80. Sanchez *dict. c.* 2. *dub.* 48. *à n.* 1. Delugo *de Juſt. diſp.* 4. *ſect.* 3. *num.* 33. Buſembaum *in Medull. lib.* 4. *de ſtatib. c.* 2. *dub.* 3. *n.* 4. 13

In hac diſputatione notandum, dupliciter Commendam fieri poſſe, aut in perpetuum, aut ad tempus. Quando enim Commenda perpetua eſt, & adminiſtratio Eccleſiæ conceditur tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus, per eam Commendatarius conſtituitur verus Prælatus, Rota *recent. deciſ.* 141. *ſub n.* 6. & alienatio bonorum eſt ei interdicta, Rota *diverſ. par.* 3. *lib.* 3. *deciſ.* 295 *nu.* 5. & eſt titulus Canonicus Beneficii, *c. Si plures* 21. *quæſt.* 1. *c. Dudum* 54. *de elect.* & Commenda iſta nequit fieri, niſi à Papa, ut latè docet Garcia *de Beneficiis*, 4. *par. c.* 4. *n.* 7. Lotterius *de re Benefic. lib* 3. *q.* 8. *à n.* 20. Tondutus *q. Benefic.* 2. *p. c.* 1. §. 12. 14

à num. 7. Layman *in Summa*, *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 5. *à n.* 7.

15 In his Commendis perpetuis certa eſt Doctorum ſententia relata *nu.* 13. quia cùm titulus ſit canonicus, ſimul cum libera adminiſtratione fructuum, inde eſt, ut Commendatarius non poſſit liberè donare, verùm ad eleemoſynandum teneatur ex ſuperfluo reddituum, ut rectè docet Bonacina *d. diſp.* 4. *punct.* 2. *propoſit.* 3. *n.* 2.

16 Si verò Commenda fiat ad tempus, veluti quando propter utilitatem Eccleſiæ Beneficiatum alicui conceditur ad adminiſtrationem, & cuſtodiam, depoſitario comparatur; expenſæ verò, & ſalaria ei conceduntur, & aliquid ultra ſalarium de fructibus, Rota *recent.* 2. *par. deciſ.* 772. *ſub num.* 3. Garcia *d. cap.* 4. *n.* 6. quæ quidem Commenda olim ab Epiſcopis per ſex menſes fiebat, *c. Nemo deinceps* 8. *de elect. in* 6. Nunc verò eſt Epiſcopis interdictum. Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform. c.* 18. quatenus diſpoſuit Beneficium vacans, per Vicarium eſſe deſerviendum, ab Epiſcopo deſignatum: & declaravit Sacra Congregatio, & explicant Garcia *dict. cap.* 4. *num.* 14. & 15. Tondutus *dict.* §. 12. *num.* 6. Barboſa *d. Univerſ. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 9.

17 In his verò temporalibus Commendis aſſerendum, poſſe Commendatarium de fructibus liberè donare, abſque aliqua obligatione eleemoſynandi: & eſt ratio, quia in his temporalibus Commendis nullus adeſt titulus, & fructus illi tantùm conceduntur propter ſalarium, & adminiſtrationis ſtipendium, Gomez *in regul. de tollend. quæſt.* 4. Gonzalez *in regul.* 8. *gloſſ.* 5. §. 8. *nu.* 37. Flaminius *de Reſignat. lib.* 2. *q.* 17. *n.* 3. Ex quibus non tenetur dare eleemoſynam. Ergo rectè poterit de his liberè donare, & ad libitum diſponere, ut tenet Bonacina *dict. diſp.* 4. *punct.* 2. *propoſit.* 3. *n.* 14.

11 Reſtat verò difficultas, ſi Pontifex hanc temporalem Commendam cum integra adminiſtratione omnium fructum concedat, an procedat hæc doctrina? Et affirmandum videtur, quia fructus illi non dantur ratione tituli, cùm Commendatarius nullum habeat, ſed ratione adminiſtrationis, tanquam ſalarium, & ſtipendium illius. Explicatur magis, nam poteſt Pontifex conferre Beneficium minori ætatem non habenti, & Commendam temporalem Clerico, cum integra adminiſtratione, & perceptione fructuum; tunc verò Commendatarius eſt temporalis, donec puer ad legitimam ætatem perveniat, nec titulum habet, quia illum habet minor. Hanc ob rem fructus illos percipiat ut ſalaria, & ſtipendia illius temporalis adminiſtrationis. Ergo de his liberè poterit diſponere, & donare.

19 In re tamen conſiderandum, an quantitas fructuum talis ſit, ut correſpondeat, tantum labori adminiſtrationis, & ſervitii, aut ſit aliquid ampliùs? Et tunc dicendum, liberè de eis diſponere poſſe Commendatarium, & libenter donare, abſque aliqua obligatione eleemoſynandi. Si verò fructuum fuerit magna quantitas, plurimùm excedens laborem, contrarium eſt dicendum, quia dati cenſentur cum ſuis oneribus, nempè cum onere recitandi, Medina *de orat. quæſt.* 7. Barboſa *dict. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 20. & inſimul cum obligatione dandi eleemoſynam ex reſiduo, nec poterit ex illis bonis liberè donare, aut diſponere.

20 Rurſus Prælati, aut Beneficiati nequeunt aliquas donationes facere ex bonis Eccleſiarum, aut redditibus earum hæc enim nequeunt alienari, niſi urgente neceſſitate, aut utilitate Eccleſiæ, & ſolemnitatibus intervenientibus: quare nequeunt liberè alienari à Prælatis, ſeu Beneficiatis, *cap. Sine exceptione* 52. 12. *quæſt.* 2. Barboſa *de offic. Epiſcopi*, 3. *p. alleg.* 95. Cardoſo *in Praxi judic. verbo Donatio*, *num.* 29. Caſtillo *lib.* 1. *controverſ. cap.* 54. Sanchez *dict. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 36. *n.* 3.

21 Stat ergo difficultas in redditibus Beneficiorum Prælatis ſeu Beneficiatis competentibus, in quibus abſolutè loquendo nequeunt facere donationes, ſeu de eis liberè diſponere. Probatur ex Trident. *ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 1. ubi Prælatis, ſeu Beneficiatis interdictum eſt donare conſanguineis ex redditibus Beneficiorum. Deindè ratione probatur; nam nequeunt Prælati, ſeu Beneficiati in uſus profanos hos reddibus expendere: donare autem ſæcularibus, vel aliis perſonis, eſt uſus profanus: Ergo nequeunt donare. Rurſus, Prælati, ſeu Beneficiati ſunt adminiſtratores reddituum, quibus de jure interdictum eſt donare, ſicut aliis adminiſtratoribus civitatum, vel minorum curatoribus, ſeu tutoribus; *l.* 2. §. *Jus Reipublicæ* 8. *ff. de Adminiſtr. rer. ad civit. pertinent. l. Non omnes* 16. *C. de adminiſtrat. tut.* quantumvis habeant liberam adminiſtrationem, cùm in ea non detur hæc facultas, ut in Procuratore Cæſaris, *l.* 3. §. *Planè*, *ff. Quod vi, aut clam*, *l.* 1. §. 2. *ff. de offic. Procurat. Cæſar.* Mathienzo *in l.* 3. *tit.* 3. *gloſſ.* 2. *n.* 3. *lib.* 5. *Recopil.* Garcia *de donat. remunerat. n.* 22. Sanchez *conſil. lib.* 1. *c.* 6. *dub.* 2. *n.* 3. Diana 8. *par. tract.* 6. *reſolut.* 16. & 17. Ergo Prælati, ſeu Beneficiati nequeunt liberè donare ex redditibus, Diana *dict. tract.* 6. *reſolut.* 14. Trullench *lib.* 7. *Decalog. cap.* 17. *dub.* 8. *num.* 3.

Sed licèt donare non poſſunt, attamen modicas donationes, & ſuo ſtatui decentes poſſunt facere; nam Prælati, & Beneficiati ſunt domini reddituum cum adminiſtratione libera; quare ut domini, & adminiſtratores poſſunt donare modicè, & quod ſtatui ſuo ſit decens. Deinde, nam Prælati, & Beneficiati habent congruam, in qua donationes iſtæ modicæ, & honeſtæ, ſuo ſtatui convenientes continentur, *c. Cæterùm* 3. *de donat.* Unde ſicut ad congruam poſſunt expendere neceſſaria de redditibus, ſimiliter ad donandum modicè, dum id congruum fuerit ſuo ſtatui. Exemplo mariti confirmatur, quia licèt non poſſit donare lucra acquiſita durante matrimonio, *leg. Creditor* 60. §. *Lucius. ff. Mandati*; attamen poteſt facere modicas donationes, & honeſtas ex illis bonis, Mathienzo *in l* 5. *tit.* 9. *lib.* 5. *Recopilat. gloſſ.* 6. *num.* 14. Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 66. Garcia *de conjug. acquæſt. n.* 65. Guttierr. *Pract. lib.* 2 *quæſt.* 121. *num.* 4. Molina *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 145. *n.* 11. & ſimiliter exemplo patris, qui licèt non poſſit donare filiis, eis tamen valet facere donationes modicas, & non exceſſivas, non imputandas in tertio, & quinto, de jure Regio, Guttierrez *pract lib.* 2 *quæſt.* 68. *n.* 3. Ergo Prælati, & Beneficiati rectè poſſunt facere donationes modicas, & congruentes ſuo ſtatui, ex redditibus, Belletus *diſquiſit. Cleric.* 1. *p. tit. de bon. Cleric.* §. 5. *nu.* 10. Avendanus *Reſ. ponſ.* 19. *n.* 4. Leſſius *de Juſt. lib.* 2. *c.* 18. *dub.* 11. *num.* 82. Delugo *diſp.* 4. *ſect.* 4. *n.* 72. 22

Prorſus Prælati, ſeu Beneficiati poſſunt facere donationes remuneratorias, non ſolùm extraneis, ob præſtita obſequia, & ſervitia, verùm etiam conſanguineis; nam iſtæ non ſunt propriè donationes, quia non procedunt à mera liberalitate, quæ eſt formalis ratio donationis propriè, Garcia *de donat. remuner. n.* 3. Guttierrez *pract. lib.* 2. *q.* 119. *num.* 2. Covarruv. *in cap. Cùm in officiis*, *de teſtamen. n.* 10. Paz *de tenui. c.* 57. *n.* 136. Retes *de Donat. cap.* 3. Eſt enim naturale debitum, quatenus incitamento naturali impellimur retribuere illis, à quibus Beneficia ſuſcipimus, *l. Sed etſi* 54. §. *Conſuluit*, *ff. de pet. hæred.* Menochius *lib.* 4. *conſil.* 307. *n.* 4. Molina *de Juſtit. tract* 2. *diſput.* 192. *per tot.* Garcia *ubi proximè*, *num.* 3. Unde Prælati, ſeu Beneficiati ex redditibus rectè poſſunt facere donationes remuneratorias, Molina *d. tract.* 2. *diſp.* 145. *num.* 9. Sanchez *d. cap.* 2. *dub.* 41. *n.* 4. Garcia *de donat. remuner. n.* 14. & 31. Gratianus *diſcept. for. c.* 102 *à n.* 4. 23

Eſt verò dubium, an Prælati, ſeu Beneficiati, quando donat remuneratoriè, poſſint aliquid ex redditibus ultra merita, & obſequia donare? Nonnulli negarunt, *ex cap. Relatum* 12. *de teſtament.* ubi aſſeritur, has donationes remuneratorias faciendas eſſe à Clericis ex redditibus, juxta qualitatem ſervitii. Cæterùm, nam in exceſſu eſt liberalis donatio, Surdus *conſ.* 164. *num.* 33. Garcia *de donat. remunerat. num.* 51. Sanchez *de matrim. lib.* 6. *diſp.* 6. *num.* 5. Rota *apud Seraphin. deciſ.* 516 *n.* 31. quæ quidem interdicta eſt Clericis, & Prælatis ex redditibus: ergo nequeunt aliquid donare extra merita, & obſequia. Ita Bart. Jaſon, & Decius, & aliis apud Navarrus *de reddit. q.* 1. *num.* 90. quos etiam refert Sanchez *dict. dub.* 41. *n.* 6. Cyriacus *controv.* 270. *num.* 22. 24

Sed hæc doctrina diſtinctione eſt reſolvenda; ſi enim quod excedit eſt quantitas magna, & valdè excedens, admittenda eſt, quia nequit fieri à Prælatis, ſeu Beneficiatis. Secus verò ſi modicum excedat, quia hæc quantitas continetur in ipſa donatione remuneratoria. Unde S. Thomas 2. 2. *q.* 106. *art.* 6. *in corpore*, docuit quod quando conceditur Beneficium ultra ſervitium, eſt aliquid ex parte donantis, nempè voluntas gratis conferendi, ad quod non tenebatur donans: quamobrem remunerator tenetur aliquid ampliùs retribuere, quàm quod accepit. Idem ſcripſit Seneca *lib.* 2. *de Beneficiis*, *cap.* 18. ibi: *Diligentiùs quærendus eſt beneficii, quàm pecuniæ creditor: huic reddendum eſt quantum accepi; illi verò plus ſolvendum eſt.* Quare ſi exceſſus modicus ſit, valet exceſſus ille factus à Prælato, ſeu 25

Beneficiato ex redditibus. Denique textus *in dict. cap. Relatum*, non obſtat, quia eſt intelligendus de exceſſiva quantitate, non de modica ultra merita ſervitii. Ita tenent Molina *d. diſp.* 145. *num.* 10. Sanch. *dict. dub.* 41. *n.* 7. Delugo *diſp.* 4. *ſect.* 4. *num.* 72.

26 Verùm reſtat inquirere, quæ ſit pars modica, aut magna quantitas excedens donationem remuneratoriam, ut pro illo exceſſu non rectè valeat. Et Sanchez *de matrimon. lib.* 6. *diſp.* 6. *à nu.* 7. aliquas refert ſententias. Aliqui dixerunt, donationem remuneratoriam relinqui, etiamſi excedat dimidium meriti, ſeu obſequii: quod admittunt Baldus, & Salycetus apud Tiraquellum *in l. Si unquam, C. de revocand. donat. verbo Largitus, nu.* 81. Alii verò aſſerunt, quartam partem donationis excedere poſſe, veluti ſi ob benemerita debeantur duodecim, ſecundùm qualitatem ſervitii, & remuneratoriè rependerentur ſexdecim, *ex l. Si verò* 12. §. *Idem Papinianus, ff. Mandat.* Navarrus *de Reddit. quæſt.* 1. *num.* 91. Barboſa *in l. Quæ dotis* 34. *ff. ſolut. matrim. num.* 60.

27 In re tamen arbitrio prudentis ſtandum eſt; nam multi Clerici nobiles ſunt, aut Prælati, & in magnis dignitatibus conſtituti, qui quidem poſſunt majori exceſſu rependere ſervitia, & beneficia præſtita. Alteri verò inferiores, qui tantam quantitatem redonare nequeunt. Tum qualitas ſervitii, aut meriti aliquando majorem, aliquando minorem compenſationem petit. Textus eſt *in l. Etiam* 15. §. 1. *ff. de Manumiſſ. vindict.* ibi: *Quia multa merita intercedere poſſunt, quibus honeſtum ſit libertatem cum decreto præſtare, quæ æſtimare debet is apud quem de eare agitur*. Quapropter in re nulla regula dari valet certa, ſed arbitrio prudentis eſt relinquendum, ut docuerunt Menochius *de Arbitr. lib.* 2. *cent.* 2. *caſu* 131. *à num.* 7. Clarus *lib.* 4. *recept.* §. *Donatio, quæſt.* 3. *in fine*, Maſcardus *de probat. concluſ.* 186. *num.* 8. Gaillus *lib.* 2. *obſervat.* 36. *num.* 6. Sanchez *dict. diſput.* 6. *num.* 10. Diana 8. *par. tract.* 6. *reſol.* 120. *verſic. Cæterùm*.

28 Addo in Prælatis, & Beneficiatis tales donationes remuneratorias facientibus, non ſolùm poſſe excedere illud quod eſt proprium ipſius donationis remuneratoriæ, ſed aliquid ampliùs, quod ſit modica donatio liberalis: & eſt ratio, nam donatio remuneratoria eſt quædam debiti ſolutio inter honeſtas perſonas, *l. Attilius Regulus* 27. *ff. de donat. l. Si vera* 12. *ff. Mandat. l. Quod autem* 7. §. *Si vir, & uxor, ff. de donat. inter.* Cevallos *quæſt.* 273. *num.* 9. Delugo *de Juſt. diſput.* 23. *ſect.* 9. *n.* 113. quæ non ſolùm conceditur faciendi Clericis, ſed etiam modica donatio liberalis ex redditibus. Ergo rectè poterunt ultra donationem remuneratoriam, ex redditibus aliquid addere, quod ſit modica donatio liberalis. Tamen in cauſa erit advertendum quod ſi multùm excedat quantitas ultra donationem remuneratoriam, licèt donantes peccent graviter, non tamen ad reſtitutionem tenentur, & valida exiſtit donatio quoad exceſſum, licèt illicitè donetur, Dicaſtillo *de Juſtit. lib.* 2. *tract.* 5. *diſp* 1. *dub.* 11. *num.* 35. Caſpienſis *in Curſu Theolog. tom.* 2. *tract.* 18. *diſput.* 5. *ſect.* 3. Diana 8 *p. tract.* 6. *reſolut.* 13. Nec accipientes ad reſtituendum obligantur. Diana *dict. reſolut.* 6. *num.* 15. Trullench. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 8. *& cap.* 17. *dub.* 8. R. Moya *d. diſp.* 6. *quæſt.* 1. §. 1.

29 Quod verò dicendum, an peccet accipiens donationes exceſſivas ex redditibus, à Prælatis, ſeu Beneficiatis? Et affirmarunt aliqui, quia accipiens cooperatur ad peccatum dantis, Sylveſter *verbo Clericus* 4. *quæſt.* 15. Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 18. §. *Nota* 2. Navarrus *de Redditib. quæſt.* 1. *nu.* 97. Sanchez *conſ. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *numer.* 14. Sed contrarium tenet Delugo *diſp.* 4. *de juſt. ſect.* 3. *num.* 48. Moya *dict. diſput.* 6. *quæſt.* 1. §. 4. *à num.* 12. Ducuntur, nam licèt ex parte concedentis ſit peccatum, non tamen ex parte accipientis, quia ex parte illius nullum eſt præceptum, ut non acceptet, ſed tantùm recipit quod ſibi offertur, & ex charitate propria non tenetur rejicere. Cæterùm peccatum dantis jam eſt conſummatum quando donat, nec ipſe amplius agit, niſi acceptare. Ergo non peccat acceptando; nullo enim modo concurrit ad peccatum dantis, nec phyſicè, nec moraliter.

30 In hoc dubio dicendum, tribus modis conſiderari poſſe hanc difficultatem. Primò, quando donatarius Prælato, ſeu Beneficiato auxiliaretur ad donandum immodicè ex redditibus, vel ſic perſuaderet: in quo quidem caſu omnes Doctores conveniunt, acceptantem etiam graviter peccare, quia verè cooperatus eſt ad peccatum concedentis, Moya *dict.* §. 4. *num.* 11.

Secundò, quando Prælatus, ſeu Beneficiatus haberet 31
alia bona patrimonialia, vel quaſi, vel adeò ſit diſcretus, & parcus, unde acceptans rectè exiſtimet, donationem illam exceſſivam refundere poſſe ex bonis propriis; & hinc acceptans minimè peccat, quia rectè præſumit donare Prælatum, ſeu Beneficiatum, animo compenſandi illam donationem cum bonis propriis, quod rectè facere poſſunt, Leſſius *de Juſt. lib.* 2. *c.* 18. *dub.* 11. *n.* 82. Ergo rectè abſque peccato acceptat. Confirmatur doctrina D. Olea *de ceſſ. tit.* 2. *q.* 7. *n.* 50. ubi aſſerit, maritum poſſe donare in præjudicium uxoris, & filiorum, dummodò habeat bona, unde uxorem, & filios alat, & dotem ſuſceptam ſolvat. Ergo ſimiliter poterit donare Prælatus, ſeu Beneficiatus ex redditibus, dummodò habeat alia bona unde refundat tantumdem ad pauperum eleemoſynas. Cùm ergo, ut ſupponimus, Prælatus, aut Beneficiatus habeat alia bona, rectè poterit acceptans exiſtimare donationem illam fieri eo modo, ut inde aliqua culpa non ſequatur, & conſequenter non peccare acceptando. Denique delictum nunquam præſumitur, *l. Merito, ff pro ſocio, cap. Eſtote miſericordes, de Regul. in* 6. Menochius *lib.* 5. *præſumpt.* 161. *n.* 62. Ergo cùm Prælatus, ſeu Beneficiatus habeat alia bona unde poſſit tantumdem reddere pauperibus, præſumendum eo animo donationem fieri, & ita acceptans non peccabit, Delugo *dict. ſect.* 3. *num.* 48.

Tertio etiam modo fieri valet hæc donatio, ſcilicet 32
quando eſt illicita ex parte concedentis Beneficiati, ſeu Prælati; quia verè expendit redditus ad donationem immodicam profanam, nec habet unde tantumdem reddat pauperibus: & in hoc eſt difficultas, ſententiam enim Delugi, & R. Moyæ dicitur probabilis à Diana 8 *par. tract.* 6. *reſol.* 134. & à Tamburino *lib.* 5. *c.* 1. *de charit. n.* 16. & ultra rationes adductas ſuprà, *n.* 28. comprobatur doctrina aliquorum aſſerentium, minimè peccare acceptantem donationem factam ab eo, qui ſcienter dat in fraudem creditorum, quia ipſe rectè ſuſcipit, *l. ult.* §. 4. *ff. quæ in fraudem credit.* Navarrus *lib.* 3. *de reſtit. c.* 4. *n.* 218. Leſſius *de Juſt. lib.* 2. *c.* 20. *dub.* 19. *n.* 168. Molina *de Juſt. tract.* 2. *diſp.* 328. *num.* 14. Diana 3. *p. tract.* 5. *reſolut.* 39. Donans enim in fraudem creditorum peccat, non tamen acceptans: Ergo ſimiliter in noſtra ſpecie.

Sed noto textum *in dict. leg. ult.* §. 4. aſſumptum non pro- 33
bare illorum Doctorum, quia non agit niſi de reſtitutione fructuum, quando alienatio reſcindirur ex dicto, *Quæ in fraudem creditorum*, de quo *in l. Ait Prætor* 10. *ff. Quę in fraudem, l. Videamus* 34. §. *In Fabiana, ff. de uſur.* §. *Item ſi quis in fraudem, Inſtit. de actionib. l.* 7. *tit.* 15. *par.* 5. Peguera *deciſ.* 171. Trentacinquius *lib.* 2. *var. tit. de except. reſolut.* 4. quo quidem caſu inquit Conſultus, fructus pendentes tempore alienationis, in reſtitutionem venire; nam hæc bona alienantis cenſentur; idem aſſerit de fructibus pendentibus tempore inchoati judicii, fructus verò medii temporis ad emptorem pertinere, quia ratione tituli, quem habet in rebus ſibi alienatis, & venditis illos lucratur, Veſembechius *in Paratitl. ad tit. quę in fraud. n.* 11. Donellus *lib* 23. *comment. c. ult.* quod non ita certum, *ex l. At ſi Prętor* 10. §. *Per hanc* 19. *& 20. ff. quę in fraudem*. Ex hac ſpecie ſic applicata nihil decerpitur, unde probetur poſſe ſuſcipientem rectè acceptare alienationem in fraudem creditorum; cùm textus ille longè ſe habeat ab ſpecie, de qua tractamus.

Sed dices, textum illum probare, fructus medio tempo- 34
re perceptos pertinere ad emptorem rei alienatę in fraudem creditorum. Ergo ex eo deducitur, rectè acceptaſſe alienationem, aliàs eſſet in mala fide, & fructus non lucraretur, *l. Bonæ fidei* 48. *ff. de acquir. rer. domin.* Ergo textus ille benè aſſumptum probat. Verùm reſpondetur, duobus modis poſſe alienari rem in fraudem creditoris. Primò titulo lucrativo, nempè donatione, & tunc ad reſciſſionem non requiritur fraus ex parte ſuſcipientis, ſed tantùm ex parte alienantis. Secundò ex titulo oneroſo, & tunc non ſolùm ad reſciſſionem requiritur fraus alienantis, ſed ex parte accipientis, aliàs reſciſſoria in fraudem creditorum non conceditur, Gloſſa *in* §. *Idem ſi quis* 6. *de Actionib. verb. In fraudem*, & ibi etiam Jaſ. *n.* 27. Mynſingerus *n.* 25. Paz *in Praxi, tom.* 3. §. 2. *n.* 22. Fontanella *de pact. nupt. clauſula* 4. *gloſſ.* 9. *par.* 5. *n.* 104. Molina *de Juſt. tract.* 2. *diſp.* 328. *n.* 2. Sed in dicto paragra-

ragrapho loquitur Conſultus de alienatione in fraudem titulo oneroſo, ſcilicet venditionis, in qua quidem reſciſſione neceſſariò ſupponendum, emptorem fraudis participem fuiſſe, & peccaſſe cooperando ad damnum creditorum: ſed tamen fructus medio tempore perceptos lucratur, quia non obſtante fraude, in qua ipſe deliquit, venditio valida eſt interim quod reſcinditur per edictum, *Ne in fraudem*; & eſt verus dominus illius rei; & ideo fructus illos lucratur. Paz *d.* § 3. *n.* 30. Pichardus in *d.* §. *Item ſi quis* 6. *de Act. à n.* 8. Mynſingerus *num.* 42. Maynerius *lib.* 2. *act. cap.* 11. Unde ſequitur, non poſſe fieri illationem ſic: Fructus medii temporis lucratur emens: Ergo cooperando ad emptionem non peccavit, quin potiùs ex juris neceſſitate debet peccare, quia debet eſſe particeps fraudis.

35 Quapropter admitto doctrinam Sanchez, & aliorum aſſerentium, in ſpecie peccare acceptantem donationem exceſſivam factam ex redditibus à Prælato, ſeu Beneficiato. Ratio eſt, nam ad donationem neceſſaria eſt acceptatio de jure communi, ſecundùm aliquos etiam de jure naturali, ut ſcripſimus *lib.* 1. *c.* 4. *à num.* 28. Itaque acceptatio intrat ſubſtantiam donationis, & donec acceptetur, perfecta non eſt. Noguerol. *allegat.* 22. *num.* 6. Caſtillo *lib.* 4. *controverſ. cap.* 37. *num.* 39 Larrea *deciſ.* 91. *num.* 1. D. Caſtejon *in Indice*, *verbo Donatio*, *num.* 17. ubi alios dat. Ergo ſi donatarius acceptat exceſſivam donationem ex redditibus alicujus Beneficii, concurrit cooperando ad perficiendam donationem illicitam, & conſequenter peccabit graviter.

36 Sed dices: In probabili ſententia, acceptatio non requiritur in donationibus, ſed perficitur ex ſolo conſenſu donantis, quod de jure regio recepimus *lib.* 1. *cap.* 4. *num* 34. Ergo cùm peccatum ſit jam conſummatum, & perfectum ex parte dantis, ad nihil concurrit acceptans, & conſequenter non peccabit, ſaltem in hac probabili ſententia. Reſpondetur, etiam admittendo hanc ſententiam, peccare acceptantem; nam duobus modis concurrit cooperando ad peccatum concedentis. Primò effectuando donationem illam, licèt in hac ſententia perfectam; nam invito Beneficium non conceditur *l. fin. Cod. unde legitimi*, *leg. Invitus*, §. *Quod cuique*, *ff. de Regul. jur.* Thomaſſetus *regula* 60. Cardoſo *in praxi*, *verbo Beneficium*, *numer.* 65. unde ratione illius effectuationis peccabit. Secundò, alio modo concurrit ad peccatum iſte donatarius, nempe ad præjudicium pauperum ſequutum ex ipſa donatione, quatenus pauperes illis bonis privantur, quam ſi non acceptaſſet, Prælatus, ſeu Beneficiatus ex obligatione propria pauperibus erogaſſent: itaque ex hoc præjudicio à peccato non excuſabitur.

37 Huic præjudicio reſpondet Moya *d. q.* 1. §. 4. *nu.* 5. donatarium non teneri ad non acceptandum ex aliquo præcepto, nec tenetur cum ſuo nocumento vitare præjudicium aliorum. Ergo rectè acceptat donationem abſque aliquo peccato. Sed adhuc reſponſio iſta ſuſcipit reſponſum: nam licèt donatarius iſte non teneatur aliquo præcepto ad non acceptandum, nec cum ſuo præjudicio vitare præjudicium aliorum; attamen tenetur ad non aſſentiendum peccato beneficiati, nec aliquo modo cooperari, ut effectuetur alterius peccatum, ſimul concurrendo ad præjudicium pauperum, quod illicitè fit. Suarez *de charit. tract.* 3. *diſput.* 10. *ſect.* 4. Sanchez *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 7. Tamburinus *Oper. Moral. lib.* 2. *in method. confeſſ. cap.* 1. §. 17. Buſembaum in *Medul. lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 2. *art.* 3. Ergo ſemper peccabit graviter per hanc cooperationem.

38 Rurſus in re diſquirendum de donationibus factis concubinis ex redditibus beneficiorum. Et in his certum eſt, graviſſimè peccare beneficiatos donantes concubinis ex redditibus, vel ex aliis bonis. Ratio eſt, nam tunc non ſolùm redditus expendetur in uſus profanos, ſed turpes, quod indecentius eſt. Ergo ſi Beneficiatus peccat graviter expendendo in uſus profanos, multò magis in turpes. Cæterùm Clericis interdictum eſt donare concubinis de bonis patrimonialibus, argumento ſumpto à militibus, *l. Miles ita* 41. §. *Mulier*, *ff. de Milit. de teſtament. l.* 2. *C. de donat. inter*, *l. final. tit.* 21. *p.* 2. ſicut etiam Equitibus militaribus, Doctoribus, Licentiatis, & Advocatis. Azorius *Inſt. Mor.* 3. *part. lib.* 1. *cap.* 3. *q.* 4. Guttierrez *de jurament.* 1. *p. cap* 6. *à nu.* 7. Cancerius *var.* 1. *p. cap.* 8. *à num.* 172. Ergo multò magis ex redditibus, & conſequenter graviter peccabunt per ſimiles donationes. Padilla in *rubr. C. de Fideicomm. num.* 6. Rolandus à Valle *vol.* 1. *conſ.* 98. Cevallos *q.* 388. *num.* 34. Meſa *var. lib.* 3. *cap.* 40. *numer.* 22. Molina *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 275 *num.* 15.

Eſt verò difficultas, an Clericus ex redditibus, aut ex aliis bonis patrimonialibus poſſit facere concubinæ donationes antidotales, ſeu remuneratorias ob ſervitia, aut obſequia ab eis præſtita. Negavit Cabedo 1. *p. deciſ.* 116. *n.* 2. & 3. qui ſcripſit Senatum Luſitanum ſic cenſuiſſe. Ratio eſt quia in ſimilibus donationibus non ſolùm eſt turpitudo ex parte dantis, ſed etiam ex parte recipientis: quo quidem caſu nequit aliquid peti, aut repeti, *l. Ubi autem* 3. *l. Si ob turpem* 8. *ff. de condict. indebit.* Ergo nequeunt tales donationes valere, etiam remuneratoriæ. 39

Hoc verò fundamentum ſolidum non eſt, nam ſupponit falſum, nempe donationem factam fuiſſe ob actum turpem concubinatus; hìc enim non agimus de turpitudine aliqua, ſed de donatione facta concubinæ ob merita, & ſervitia, quod eſt diverſum. Quare aſſerendum, valere talem donationem, & rectè fieri à Beneficiato, quia non datur ob actum turpem concubinatus, ſed ob gratitudinem, tanquam ſalarium, & ſtipendium illius ſervitii, & obſequii: itaque non eſt aliqua ratio turpitudinis, ut improbetur, ſed valet. Ancharanus *conſ.* 247. Afflictus *deciſ.* 202. Cevallos *quæſt.* 388. *num.* 35. & *quæſt.* 273. *num.* 6. Guttierrez *dict.* 1. *par. cap.* 6. *num.* 11. Rodriguez *in Summa*, *tom.* 1. *cap.* 167. *num.* 3. Bellet. *diſquiſ. clerical. tit. de bonis Clericor.* §. 14. *n.* 16. 40

Eſt verò animadvertendum in foro poli, ad has donationes factas à Clericis concubinis ex redditibus, aut ex bonis patrimonialibus, ſufficere ſervitia, ſeu merita eſſe certa. In foro autem fori, ut hæc donatio ſuſtineatur, probanda ſunt ſervitia, & obſequia præſtita Beneficiato, aut Clerico donanti, aliàs reperi poterit quidquid fuerit donatum concubinæ, ut docent Afflictus & Guttierrez ſupra recenſiti, Navarrus *in Man. c.* 17 *num.* 145. Sanchez *de matrim. lib.* 6. *diſp.* 6. *n.* 4. Benedictus in *c. Raynutius*, *verbo vxorem*, *n.* 166. Hermoſilla in *l.* 3. *tit.* 4. *p.* 5. *à n.* 17. Solorzano *lib.* 3. *Polit. c.* 9. Paz *de tenit. cap.* 57. *à n.* 139. Diana 8. *p. tract.* 6. *reſol.* 83. *verſ. Sed mihi*. 41

Eſt verò dubium, an quando anteceſſerunt merita, & obſequia quia concubinæ, verùm Beneficiatus, aut Clericus ſimpliciter donaverit, an ſit ſimplex donatio liberalis, ſeu remuneratoria. Prima ſententia aſſerit, donationem eſſe liberalem, & conſequenter validam non eſſe. Ducitur. nam Beneficiis acceptis nemo certior eſt teſtis, quàm qui recipit. Cùm ergo in donatione Clericus nihil dixerit de obſequiis, & meritis, nec aſſeruerit propter merita donare, ſequitur, liberaliter concedere voluiſſe. Cæterùm, licèt merita extiterint, quoties de eis mentionem non facit, videtur merita habuiſſe ut cauſam impolſivam ad liberaliter donandum, non verò ut finalem: Ergo videtur donaſſe liberaliter concubinæ, quare non eſt valida donatio. Curcius ſen. *conſ.* 142. *n.* 3. Guido Papæ *deciſ.* 95. Barboſa in *l.* 34. *ff. ſolut. matrim. n* 56. 52

Secunda ſententia tenet contrarium, nam quoties merita, & obſequia anteceſſerunt, ſemper eſt præſumendum, ob merita antecedentia donationem factam fuiſſe; quia, donatio liberalis in dubio nunquam præſumitur, *l. Cùm de indebito* 25. *ff. de Probat. l. fin. Cod. de novat.* Menochius *de Arbitrariis*, *caſu* 88. *per tot.* Gratianus *tom.* 5. *cap.* 824. *n.* 17. Rota apud Merlin. *deciſ.* 692. *num.* 1. Ergo in præſentia, ſi merita, & obſequia præceſſerunt, intelligenda eſt donatio remuneratoria, licèt Clericus ſimpliciter donaverit abſque aliqua mentione meritorum. Cæterùm exemplis confirmatur; nam ſi pater ſimpliciter abſque mentione meritorum donaverit filio, ſi tamen merita præceſſerint, intelligitur remuneratoria donatio. Gloſſa celebris in *l. Donationes*, *C. de poſtul. verbo Poſtulans*. Navarrus *in Man. cap.* 17. *num.* 146. Garcia *de donat. remuner. n.* 41. Valenzuela *conſ.* 117. *n.* 29. Et idem dicendum de marito, qui uxori donaverit ſimpliciter, ſi adſint merita antecedentiam. Menochius *de Arbitrariis*, *lib.* 2. *caſu* 132. *n.* 4. Valenzuela *d. conſ.* 117. *n.* 23. Ergo idem eſt dicendum de donatione facta à Clerico concubinæ, quando merita præceſſerunt. Menochius *de Arbitr. caſu* 88. *n.* 53. Guttierrez *pract.. lib.* 2. *q.* 120. *num. fin.* Maſcardus *concluſ.* 550. *nu.* 10. Garcia *de donat. remuner. num.* 49. Mantica *de tacit. lib.* 13. *tit.* 15. *n.* 3. Sanchez *de matrim. lib.* 6. *diſp.* 6. *n.* 3. Diana 8. *p. tract.* 6. *reſol.* 116. Palao *de Juſt. diſp.* 2. *punct.* 22. *nu.* 2. 43

Hanc

44 Hanc ſententiam admitto ex deciſione textus in *l. Si verò* 12. §. *Inde Papinianus*, *ff. mandati*: ubi donatio remuneratoria eſt ex eo, quod merita præceſſerunt in patrono reſpectu liberti. Quem textum aliqui intelligunt reſtrictè; nempe quando meritum præceſſit in eadem re; ibi enim Patronus tradiderat liberto fundum à ſe emptum, & poſteà libertus conſenſum præſtiterat Patrono illum vendenti; tunc enim pretium repetere nequit, quia cùm meritum præceſſit, nempe primæ donationis factæ liberto, ſecunda donatio remuneratoria faciliter præſumitur in eadem re. Unde colligunt aliqui Doctores, in dubio non eſſe præſumendam donationem remuneratoriam meritis præcedentibus, niſi in eadem re. Bart. ibi, *n.* 14. Vincentius *n.* 39. Barboſa in *l. Quæ dotis*, *ff. ſolut. matrim. n.* 54.

45 Sed tamen ſive in re ipſa ſtet meritum, ſive in alia diverſa, textus ille aſſumptum probat; nam duobus modis valet ibi meritum antecedens Patroni conſiderari, aut reſpectu ipſius prædii antecedenter à patrono liberto donati; aut reſpectu libertatis, quam patronus liberto præſtiterat, quod eſt optimum Beneficium, *l.* 1. *ff. de bon. libert.* Donatio enim remuneratoria, quam conſiderat Conſultus ex aſſenſu præſtito à liberto, ut Patronus fundum venderet, & pretium ſibi haberet, conſideratur à pluribus Doctoribus ob meritum datæ libertatis, ut cum Gloſſa tenet Sanchez *d. diſp.* 6. *n.* 3. quod quidem diverſum eſt à prædio. Unde aſſero, quod licèt meritum, vel obſequium ſit in alia re diverſa, in dubio tamen ſubſequens donatio conſideranda eſt remuneratoria. Confirmo diſcurſum in ſpecie; nam prima donatio prædii facta à patrono, non fuit omninò liberalis, ſed ea conditione, ut libertus partem pretii fundi empti ſolveret, ut conſtat ex littera; non enim erat tam grande obſequium, aut meritum patroni, ut ex ſolo illo inducamus præcisè libertum remuneraſſe, ſed ex merito datę liberatis, quod eſt optimum. Ergo Conſultus ibidem induxit remuneratoriam donationem, non ex ipſa re, ſed ex merito libertatis antecedenter datæ, quod eſt diverſum.

46 Quare aſſerendum, textum illum benè aſſumptum probare, nempe in dubio, quando merita, ſeu obſequia ſunt antecedentia, licèt in diverſa re, ſubſequutam donationem remuneratoriam, eſſe, quamvis ſimplex ſit donatio, nec donans alicujus meriti meminerit. Idcirco licèt Clericus de meritis concubinæ nihil dicat, ſi tamen præceſſerint, valebit donatio ut remuneratoria. Cæterùm probo, nam hic concurrunt duæ præſumptiones, nempe donatio ob merita antecedentia, quod rectè fit à Clerico abſque aliquo peccato, & culpa: tum in donatione liberali adeſt præſumptio claræ culpæ, ob affectum turpem ad concubinam, & delictum agendi contra legem prohibentem ſimilem donationem. Sed in dubio delictum, ſeu peccatum non præſumitur, ut diximus ſupra. Ergo præſumendum, velle Clerum donare remuneratoriè, ubi nullam culpam committit, potiùs quàm liberaliter cum gravi culpa.

47 Verùm dices, donationem remuneratoriam præſumi ob merita antecedentia, quoties nulla eſt altera affectio, unde præſumatur ob illam liberaliter donari: & ponitur exemplum quando donaretur conſanguineo; nam ratione ſanguinis intelligitur liberaliter donari, non autem propter merita antecedentia. Romanus *ſingul.* 648. Caſtrenſis *lib.* 1. *conſ.* 345. Garcia *de donat. remuner. num.* 50. Mantica *d. lib.* 13. *tit.* 15. *num.* 12. Sed in ſpecie eſt altera affectio, nempe concubinæ amicitia. Ergo dicendum, in præſentia non poſſe præſumi donationem remuneratoriam. Sed reſpondetur, doctrinam illam intelligendam quoties affectio eſt naturalis, & licita, & conſanguineus eſt perſona, cui licitè donatur; quia tunc prævalet magis præſumptio illa ſanguinis, quæ naturalis eſt, quàm accidentalis meritorum; non verò quando affectio eſt peccaminoſa, & culpabilis, ut in affectu ad concubinam, & contra legis interdictum, quo caſu non præſumitur, præcipuè in Clerico. Cephalus *lib.* 2. *conſil.* 188. *num.* 18. Maſcardus *de Probat. in præfat. quæſt.* 10. *num.* 38. Menochius *lib.* 1. *præſumpt.* 31. *n.* 8. Ergo præſumendum, ob ſervitia donaſſe, licèt ſimpliciter donet.

48 Deinde abs re non erit diſquirere, an quando Beneficiatus, ſeu Clericus concubinæ donaverit expreſſim ob merita, & ſervitia ſibi præſtita, debeat valere ut remuneratoria donatio, abſque aliqua probatione meritorum. Reſolutio hujus quæſtionis petenda eſt ab alia inquirente, an ex ſola aſſertione donantis credendum ſit merita eſſe certa, ut ſuſtineatur donatio remuneratoria? Prima ſententia affirmat, nam nullus valet eſſe certior meritorum, quàm donans, dum ei præſtita fuerunt; nec ullum præjudicium ſequitur, niſi bonis; quapropter ſicut in re ſibi nota, & quæ damnum proprium reſpicit, ejus aſſertioni ſtandum eſt, abſque aliqua probatione meritorum, Caſtrenſis *lib.* 1. *conſ.* 114. *num.* 4. Bertrandus 2. *p. conſ.* 138. *num.* 22. & deciſum refert Clarus *verbo Donatio*, *q.* 2. *n.* 2.

Secunda ſententia aſſerit, quod ſi mentio meritorum ſit generalis, donantis aſſertioni ſtandum non eſt, ſecus verò ſi ſpecialis, veluti ſi in ipſa donatione retuliſſet merita, & ſervitia, & quæ illa ſint, ſingulari nominatione, & ſpecifica; quia tunc minimè deceptus videretur, ſed ex ſola obligatione antidorali donaſſe. Gloſſa in *l. donationes*, *Cod. de collat.* Baldus *in l. fin. C. de exercit. act.* Alex. & alii apud Garciam *de Nobilit. gloſſ.* 2. 17. 49

Tertia ſententia tenet, quod ſive mentio meritorum ſit generalis, ſive ſpecialis, aſſertioni donantis ſtandum non eſſe, quin potiùs merita, & obſequia eſſe probanda, *l. Qui teſtamentum* 27 *ff. de probat. l. Cùm quis* 37. §. *Titia* 6. *ff. de legat.* 3. *l. fin. ff. de exercit. act.* quibus in juribus probatur, legatum, ſeu donationem factam cum mentione meritorum non ſubſiſtere niſi à legatario probentur. Tenent plures, quos refert Garcia *d. gloſſ.* 2. *n.* 17. *verſ. Sed tamen*, Baldus in *l. Iſtud*, *C. de Sacroſ. Eccleſiis*, *n.* 7. Socinus junior *lib.* 4. *conſ.* 8. *nu.* 27. Mantica *de tacitis*, *lib.* 13. *tit* 15. *n.* 40. Rota apud Seraphinum *dec.* 181. *n.* 9. Marinis *ad conſuetud. Neapolit. verſ. Idem ſi*, *fol. mihi* 453. 50

Sed in re duo caſus ſunt diſtinguendi. Prima, quando ex donatione nullum præjudicium ſequitur, veluti legitimæ filiorum, nec donatio fit inter perſonas interdictas donare; & tunc aſſertioni donantis ſtandum eſt, ſi de meritis, & obſequiis aliquid affirmaverit. Ratio eſt, nam in dubio non præſumitur liberalis, ſed remuneratoria. Decius *conſ.* 20. Menchaca *de ſucceſſ. creat.* §. 17. *num.* 111. Pinellus in *l.* 1 *Cod. de bon. matern* 3. *part. num.* 6. *verſ. Sed probatur*. Diana 8 *part. tract.* 6 *reſolut.* 116. *in fin.* idcircò præſumendum, quoties nullum præjudicium ſequitur alicujus tertii, nec ulla fraus legis, merita illa eſſe certa, & cauſam finalem illius donationis: quare merita illa probatione non indigent. 51

Secundus caſus eſt quando præjudicium alicui inferretur, vel ſunt perſonæ prohibitæ donare, & aſſertioni donantis ſtandum non eſt; nullus enim creditur in re propria in damnum alterius, aut quando præſumeretur in fraudem legis donare, ut ſunt jura in *l. Qui teſtamentum*, & alia adducta *n.* 50. Tum quia ſi in hoc caſu ſtaremus aſſertioni donantis, aperiretur via multis fraudibus, contra leges interdicentes iis perſonis donare; idcircò niſi merita probentur ultra aſſertionem donatoris, minimè in hoc caſu ſuſtinebitur donatio. Clarus *verbo Donatio*, *q.* 3. *nu.* 2. Guttierrez *de Juram.* 1. *p. cap.* 5. *n.* 16. Garcia *de Nobilit. gloſſ.* 2. *à n.* 19. Mantica *de tacit. lib.* 13. *tit.* 15. *n.* 41. qui id extendit etiamſi interponatur juramentum. Rota apud Seraph. *dec.* 1184. *num.* 4. 52

Hanc diſtinctionem admitto, & aſſero, non facilè credendum donatori aſſerenti, ob merita etiam ſpecialia donare, licèt nullum damnum alicui perſonæ ſequatur, aut donans non ſit interdictus donare; nam licèt plures DD. id admittant, quia poteſt donatio illa conſiderari liberalis, idcircò ſuæ aſſertioni ſtandum; attamen eſt juris præſumptio, ut in donationibus potiùs error, quàm donatio liberalis præſumatur. Benedictus Ægidius in *l. Ex hoc jure*, *ff. de juſt.* 1. *par. cap.* 11. *num.* 23. Menochius *conſ.* 1. *num.* 215. Rota apud Merlinum *dec.* 692. *num.* 4. Quare poſſumus conſiderare, adhuc errorem in his meritis extitiſſe, aut fortè donatorem circumventum fuiſſe ad hæc merita aſſerenda. Hanc ob rem circumſpectus judex penſatè proſpiciet, quæ fides huic aſſertioni eſt danda, etiamſi nullum damnum ſequatur, aut ſi donatio remuneratoria inter perſonas donare prohibitas. 53

Idem dicendum quando Princeps donaſſet, & dixiſſet, ob merita, & ſervitia donare, ſive ſpecialiter, aut generaliter loquendo; nam licèt aliqui dicant, ſtandum ſuæ aſſertioni, quia eſſet arguere Principem de mendacio, ut cum pluribus tenet Garcia *d. gloſſ.* 2. *à n.* 20. Natta *conſ.* 674. *n.* 9. *lib.* 4. Decianus *reſponſ.* 25. *num.* 79. Joſephus Ludoviſius *conſ.* 16. *à n.* 360. etiamſi donatarius nequeat merita dona- 54

re,

re, & probare, Decianus *reſponſ. 21. n. 37.* Grammaticus *conſ. 100. num. 55.* Diana *d. reſolut. 116. verſ. Non tamen.* Attamen id non eſt facilè credendum, valet enim Princeps falſa ſuggeſtione decipi, aut alio modo circumveniri: quare reſpiciendæ ſunt circumſtantiæ, & alia quæ ſcripſimus *lib. 7. cap 9. à n. 4.*

55 Si verò donatio remuneratoria tendat in præjudicium aliquorum, aut ſi inter perſonas donare prohibitas, tunc dico merita, & obſequia ultra aſſertionem eſſe probanda; eſt enim magna ſuſpicio in fraudem legis, aut tertii, illam aſſertionem feciſſe, ut dicunt relati *num. 50.* Unde in præſentiarum dicendum, quod licèt Clericus Beneficiatus, aut alius donet concubinæ, dicendo id facere ob benemerita, ſive generaliter, ſive ſpecialiter, non ſtaneum eſſe ejus aſſertioni, ſed illa debet probare; nam cùm interdictum ſit Clerico concubinæ donare, ſive ex redditibus, ſive ex bonis patrimonialibus, præſumitur illam aſſertionem factam eſſe in fraudem legis, niſi alio modo merita probatur.

56 Præterea diſquirendum, an Beneficiatus ex redditibus, aut alius Clericus ex bonis patrimonialibus poſſit donare concubinæ modicas conceſſiones, quando ambo ad meliorem frugem tranſierunt. Cancerius *1. p. var. c. 18. n. 173.* negavit; nam licèt privatus poſſit facere donationes concubinæ, *l. Affectionis 5. l. Donationes 31. ff. de donat.* Ricciolus *de perſon. quæ in mal. ſtat. verſant. lib. 3. c. 20. n. 10.* Pontius *de matrimon. lib. 7. cap. 54. nu. 2.* aſt in Clericis eſt interdictum, ne eis pateat aditus ad inveniendas concubinas cum ſpe quæſtus: quæ quidem ratio non ſolùm procedit, quando remanet concubinatus, ſed etiam eo jam derelicto, quia per has liberalitates adhuc aperitur via ad alias concubinas inveniendas.

57 Hoc fundamentum debile eſt; nam mulierculæ iſtę turpitudine inſervientes, ultra quod ſua natura ſunt avariſſimæ, etiam ob præſentem quæſtum mercenariæ ſunt, prout dicit Ambroſius in *Pſalm. 118. ſerm. 2. l. 4. §. Si quid meretrici, ff. de condict. ob turp. cauſ l. Palam 23 ff. de rit. nupt* non enim alliciuntur per donationes faciendas poſt concubinatum, ſed eo quæſtum præſentem. Quare contrarium teneo ex deciſione textus in *l. In ipſius 5. C. famil. erciſcund* ubi quod tempore iracundiæ ob culpam ſervorum dominus in teſtamento ſcripſerat, deflectens poſteà revocavit: quod idem de hoc interdicto dicendum; nam licèt tempore concubinatus lex irata donationes iſtas interdixerit, poſtea cùm ad meliorem frugem perveniant, clemens revocat, & conſequenter valent ſimiles donationes. Cæterùm lex prohibet Clericis, ne donent ſuis concubinis, non verò iis, quæ concubinatum deſeruerunt; ceſſat enim ratio adæquata legis, quare debet ceſſare illud interdictum. Baldus *lib. 3. conſ. 354 in fin.* Benedictus in *cap. Raynutius, de teſtament. verbo Uxorem, num. 161. in princip.* Trentacinquius *var. lib. 3. tit. de donat. num. 7.* Bellettus *tit. de bon. Cler. §. 13 num. 16.*

58 Hinc admittenda non eſt alia doctrina ejuſdem Cancerii *d. c. 18. n 175.* dum ſcripſit Presbyterum non poſſe dare concubinæ ſeneſcenti, quæ jam deſierat eſſe concubina illius; & dat rationem, quia propter ſenectutem illa peccatum non dimiſit, ſed peccatum illam.

59 Hæc ratio parum urget, deſervire enim potiùs valet ad ſuaſorium diſcurſum, quàm ad probationem alicujus aſſerti: idcircò Cæſarius Arelatenſis *homil. 7.* exemplo Magdalenæ ad pœnitentiam ſic ſuadet: *Nec ipſa ſe reſervavit, ut in fine vitæ pœnitentiam ageret, ſed dum adhuc poterat peccare, ſic voluit peccata deſerere, ut illam de adulteriis ſuis non impoſſibilitas ſubtraheret, ſed voluntas.* D. Auguſtinus *in cap. ultim. de pœnit. diſt. 7.* ad hoc intentum ſit loquitur: *Nullus expectet, quando jam non poſſit peccare, arbitrii enim quærat libertatem, ut dolere poſſit commiſſa, non neceſſitatem. Qui priùs itaque à peccatis relinquitur, quàm ipſa relinquat, ea non liberè, ſed quaſi ex neceſſitate condemnat.* Ita *cap. Si quis 2. de pœnit. diſt. 7.* Et ratio eſt, quia Dominus faciliùs exaudit relinquentem peccare libenter, quam ex neceſſitate. *Proverb. cap. 1.* ibi: *Quia vocavi, & renuiſti.* Et infrà: *Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Non enim Dominus ait, ſe pœnitentiam in morte non admiſſurum, in quacunque enim hora exaudit. *Ezech. c. 33. c. Pondere, diſt. 56. c. Si quis Presbyter 28. q. 6.* Sed non ita exaudiet, prout quando pœnitentia ex voluntate fieret. Navarrus in *d. c. Si quis Presbyter; in littera*, ubi etiam Turrecremata. Barboſa *n. 2.* Menochius *de Præſumpt. lib. 9. præſumpt. 94. à n. 15.* Sylveira *in Evangel. lib. 5. c. 15. nu. 10.* Serlogus *in Cant. tom. 3. lib. 5. c. 8. n. 61.* Unde ratio Cancerii plus ad ſuadendum, quàm ad probandum convenit. Denique ex eo, quod concubina, quæ etiam vetula à peccato reſipiſcit, & ad Deum convertitur, Beneficia meretur, & illorum fit digna, ut exemplo Domini demonſtratur, qui peccatoribus ad pœnitentiam adductis magna dona conceſſit, ut in Prodigo, & aliis multis agnoſcitur. Sylveira *in Evang. tom. 3. lib. 5. cap. 8. n. 61.* Ergo ex eo, quod concubina vetula concubinatum deſeruit, rectè Clericus, vel ex redditibus, aut ex aliis bonis poterit mediocriter donare.

CAPUT VI.

Proſequitur materia antecedens, de donationibus ex redditibus faciendis concubinis, filiabus ſpuriis, & conſanguineis.

SUMMARIUM.

Donatio à Clerico facta concubinæ an firmetur juramento? Affirmant aliqui, num. 1. Sed contrarium defenditur, num. 2.

Quid quando Clericus, vel Beneficiatus aliquid promiſerit concubinæ, ſeu meretrici pro uſu corporis, an poſſit adimplere ex redditibus. Ponitur ratio dubitandi, num. 3.

Sed affirmativè reſolvitur, num. 4.

Beneficiatus, vel alius Clericus valet aliquid dare concubinæ, ut à peccato reſipiſcat, vel nubat, vel ingrediatur Religionem, num. 5.

Sed an aliquid dari poſſit concubinæ per modum eleemoſynæ, ſi pauper ſit, in extrema, aut gravi neceſſitate, n. 6. In neceſſitate communi, ſi non eſt otioſa, poteſt aliquid ei dare ad ſuccurrendam ejus indigentiam, num. 7.

Beneficiatus valet ex redditibus ſuas filias ſpurias dotare, num. 8.

Sed eſt dubium, an poſſit dotare, ex redditibus, quando habeat alia bona patrimonialia. Prima ſententia affirmat, n. 9. Secunda negat, num. 10. Reſolvitur negativè, uſque ad num. 13.

An Beneficiatus, ſeu alius pater ſpurius, ſi filiam exceſſivè dotaverit, poſſit exceſſum repetere: & in quo conſiſtat exceſſus, num. 14.

Prima ſententia affirmat in quolibet caſu, n. 15. Secunda tenet contrarium, n. 16. Tertia diſtinguit, num. 17. Quarta aliter diſtinguit, num 18. Quinta diſtinguit de jure noſtro Regio, ibid.

Reſolvitur, à num. 19. & diſtinguitur quando Beneficiatus, vel pater ſpurius habuerint filios legitimos. Explicatur lex finalis §. Si à ſocero, ff. quæ in fraud. à num. 23. Etiam explicantur lex 29. Tauri, lex 3. tit. 8. lib. 5. Recopilat. à n. 25.

An dotem datam à Beneficiato filiæ ſpuriæ ipſa tranſmittat ad hæredes? Prima ſententia negat, nu. 32. Secunda affirmat, num. 33. Tertia diſtinguit, n. 34. Reſolvitur, à num. 35.

Dos quando conſtituatur in fructibus, aut in anima præſtatione, n. 36. Fructus ſunt ſors principalis dotis, n. 37. Et quando tranſmittetur, n. 38.

Quando ſumus in dubio, an Beneficiatus, aut alius pater ſpurius in proprietate, aut in uſufructu dotem dederit, quid præſumendum? Aliqui dicunt præſumi dediſſe in uſufructu, num. 39.

Sed diſtinguitur, num. 40. & reſolvitur, n. 41. & 42. Explicatur lex 9. Tauri, lex 7. tit. 8. lib. 5. Recopilat. n. n. 43. & relinquitur, an quintum bonorum relictum filiæ ſpuriæ tranſmittatur ad hæredes? Affirmant plures, & explicantur, num. 44.

An Beneficiatus, vel alter pater ſpurius, poſſit in quinto gravamen imponere? Negant plures, n. 45. Affirmat Cevallos, n. 46. Explicatur, n. 47.

Prælati, & Beneficiari poſſunt eleemoſynas facere ſuis conſanguineis pauperibus, non tamen poſſunt eos ditare, num. 48.

Olim qui habebat filios, non creabatur Prælatus; ſecus hodie, num. 49. Minis feriuntur Eccleſiaſtici ditantes conſanguineos, n. 50. Fit animadverſio, numero 51.

Prælatus, aut Beneficiatus poteſt ex redditibus cauſam piam erigere, & patronos relinquere conſanguineos, & aliquid prolabore, n. 52.

Eſt dubium, an Prælatus, ſeu Beneficiatus poſſit aliquid donare ex redditibus, pluſquàm par ſit ad eorum neceſſitatem? Negarunt aliqui, n. 53. Explicantur, n. 54. Non tamen poteſt dotare conſanguineam, ſi habebat bona patrimonialia, & teneatur eam dotare, ſecus ſi non, num. 55.

1 RUrſus in re breviter diſcutiendum, an donatio facta à Clerico ex redditibus, vel ex patrimonialibus concubinæ, poſſit juramento firmari. Aliqui affirmant, quia licèt hæ donationes interdicantur, ſolùm eſt quia prohibitæ ſunt à lege, non verò quia intrinſecè malæ; aliàs etiam aliis interdicerentur. Ergo potuerunt firmari juramento. Romanus *conſ.* 43. Palacios *rub. de donat.* §. 37. *n.* 10. Benedictus in *cap. Raynutius, verbo & uxorem, n.* 161. *de teſtam.*

2 Sed contrarium eſt tenendum in Clericis, & Beneficiatis, quia continent hæ donationes turpitudinem maximam; lex enim prohibet Clericis donationes facere concubinis, quia per has alliciuntur turpes mulieres ad concubinatum Clericorum, in graviſſimum dedecus Status Eccleſiaſtici; quare ſimiles donationes maximam turpitudinem continent, nec juramento poſſunt firmari, *c. Non eſt obligatorium 58. de regul. jur. in 6.* Deinde licèt lex non annullet donationes concubinis factas ab aliis perſonis, non eſt quia turpitudinem non contineant, ſed quia non eſt in eis tam grave dedecus ſicut in Eccleſiaſticis Deo dicatis. Ergo minimè poterunt ſimiles donationes factæ à Clericis juramento firmari. Covarr. in *c. Quamvis pactum, de pact. in* 6. Guttierrez *de juram. 1. p. cap.* 16 *num.* 16. Belletus *diſquiſ. Clerical. tit. de bon. Cleric.* §. 13 *n.* 13.

3 Quid verò, ſi Beneficiatus aliquid promiſerit mulierculæ pro uſu corporis, an poſteà id poſſit ſolvere ex redditibus? Et negandum videtur, quia Beneficiatus nequit donare concubinæ: Ergo nec meretrici promiſſum ſolvere. Cæterùm in plurimorum ſententia, quod promittitur meretrici ob uſum corporis, nequit ſolvi, involvit enim turpitudinem. Gloſſa in *l.* 4. §. *Si quòd meretrici, ff. de condict. ob turp. cauſ. & in l. 2. C. eod. tit.* Caſtrenſis, Angelus, Zaſius, & alii apud Covarr. in *regula peccatum, 2. p.* §. 2. *n.* 1. Navarrus *in Man. cap.* 17. *n.* 34. Ergo nec Beneficiatus ſolvere ex redditibus.

4 Sed tamen contrarium eſt reſolvendum, quapropter dico, quod ſi Beneficiatus non habet bona patrimonialia unde ſolvat, poſſe ſolvere ex redditibus; nam poſtquam meretrix uſum ſui corporis conceſſit, illud quod ei promiſſum eſt, non eſt donatio, ſed debitum, quod quidem poteſt petere, quia licèt turpiter agat, non tamen turpiter recipit, ut ait Conſultus in *l.* 4. §. *Sed quod meretrici, ff. de condict. ob turp. cauſam*. Sed ut ſcripſimus ſupra, Beneficiatus poteſt ſolvere ſua debita ex redditibus, ſi non habet bona patrimonialia. Ergo & hoc debitum ſolvere. Prætereà ad id expendi valet locus Geneſis *cap.* 33. ubi Judas promiſſum factum Thamar meretricali veſte indutæ, poſt expletam libidinem magna cura perſolvit; quia licèt graviter peccaſſet per luxuriam, attamen promiſſum accuratè perſolvit, tanquam debitum, ne injuriam irrogaret mulieri, ut benè explicat S. Thomas 2.2. *q.* 254. *art.* 2. *ad* 3. Covarruv. *dict.* §. 2. *num.* 1. Ergo tanquam debitum debet, & poteſt ex redditibus promiſſum illud ſolvere, ſi non habet bona patrimonialia. Denique fundamenta contrariæ ſententiæ ſunt debilia. Primum facilè diſſolvitur; non enim valet argumentum de donationem concubinę ad debitum, quod neceſſariò eſt ſolvendum: illa enim invalida eſt, ſi fiat à Clerico concubinæ; non tamen impeditur meretrici debitum ſolvere ob uſum ſui corporis. Secundum negatur; rectè enim meretrix recipit promiſſum, licèt turpiter agat, quia nulla eſt turpitudo in receptione. Bart. in *d. l.* 4. §. *Sed quod meretrici*, Covarruv. *d.* §. 2. *n.* 1. & 2. Guttierrez *d. 1. part. cap.* 6. *num.* 2. Leſſius *de Juſt. lib. 2. cap.* 14. *dub.* 8. Villalobos *in Summa, 2. part. tract. 1. diffic.* 16. *num.* 8. Diana 8. *p. tract.* 6. *reſol.* 83. *in fin.* Ergo aſſerendum, Beneficiatum rectè ex redditibus poſſe ſolvere hoc promiſſum poſt expletam libidinem.

Rurſus poterit Clericus, aut Beneficiatus concubinæ aliquid piè concedere, ut à peccato reſipiſcat, nubat, vel Religionem profiteatur, ſi pauper ſit, vel ne ad meretricium revertatur; hoc enim pium eſt, *leg. Nec* 13. §. 1. *verſ. Sed mortis tempore, ff. de teſtam. milit.* Baldus in *l. Imperiali, C. de nupt.* quamobrem etiam ex redditibus poterit donare concubinæ. Benedictus in *d. c. Raynutius, verbo Et uxorem, num.* 161. 5

Quid verò dicendum, an Beneficiatus poſſit ex redditibus pauperi concubinæ ſuæ aliquid concedere per modum eleemoſynæ ad ſublevandam ejus indigentiam? Et cum diſtinctione reſpondetur. Aut concubina eſt in extrema neceſſitate, aut in gravi, & tunc rectè poterit eleemoſynam illi applicare ex redditibus; nam ut docet Bonacina *ad* 1. *præcept. Decalog. diſp.* 3. *punct.* 4. *propoſit.* 3. *n.* 18. in hoc caſu etiam peccatori, & injuſto præſtanda eſt. Tum eſt cauſa pia, ne occaſione illius neceſſitatis ad majora vitia prolabatur. Ergo rectè poterit Beneficiatus ex redditibus eleemoſynam ſuæ concubinæ præſtare, ut cum Raymundo, & Hoſt. tenet Sylveſter *verbo Clericus* 4. *q.* 15. 6

In neceſſitatibus verò communibus etiam poterit aliquam eleemoſynam illi præbere, ut aliis pauperibus; ſed in omni caſu magna cautela id faciendum, ne occaſione harum eleemoſynarum concubina ad amorem Clerici alliciatur, & magis prona ad libidinem fiat. Advertendum tamen ex alio capite, in communi neceſſitate concubinæ eleemoſynam non eſſe præſtandam, nempe ſi perſona iſta otioſa ſit, & ad laborem refugiens, ut ſolent eſſe ſimiles mulierculæ, quibus eleemoſyna non eſt danda, *l.* 40. *tit.* 5. *part.* 1. ubi Gregorius *lit. B.* & diximus *lib.* 7. *c.* 12. *n.* 10. quapropter in hac neceſſitate communi concubinæ pauperi laboranti, & non otioſæ poterit Clericus eleemoſynam præſtare, adhibita cautela ſupra relata. 7

Rurſus ex redditibus poterit Beneficiatus, aut alter Clericus ſuas filias ſpurias dotare congrua dote, pro earum dignitate, & nobilitate, non amplè, & pompaticè, ſed quod arbitrio boni viri congruum videatur; nam cùm ex redditibus teneatur has filias alere, ſimiliter dotare tenetur. Abbas in *c. Pervenit, de Arbitriis, num.* 1. Avendanus *reſponſ.* 19. *n.* 5. Gregorius in *l.* 40. *tit.* 5. *par.* 1. *verbo Limoſnas*, Spino *de teſtament. gloſſ.* 16. *num.* 119. Duenas *regul.* 367. Larrea *deciſ. Granatenſis* 96. *num.* 5. Molina *de Juſtit. diſp.* 146. *n.* 4. *tract.* 2. Delugo *de Juſt. diſp* 4. *ſect.* 4. *num.* 69. Bonacina *diſp.* 4. *de obligat. Sacerd. punct.* 2. *n.* 15. & 16. Boſſius *de dot. c.* 6. §. 6 *num.* 81. Qui aſſerit, iſtam obligationem eſſe adimplendam, ubi etiam bona iſta poſt obitum pertinent ad Cameram Apoſtolicam. Filliucius *de ſtat. Cleric. tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 37. Diana 6. *p. tract.* 7. *n.* 38. Belletus *diſquiſit. Clerical. tit. de bonis Cleric.* §. 11. *n.* 41. Valenzuela *conſ.* 99. *n.* 8. & 9. 8

Eſt difficultas, an Clericus ex redditibus Beneficii poſſit filiam dotare, quando habeat bona patrimonialia, vel quaſi? Prima ſententia affirmat, quia filia ſpuria habet æquale jus ad omnia bona ſui patris Clerici, ſive ſint redditus, vel bona patrimonialia, vel quaſi. Ergo pater Clericus poterit ex redditibus dotare filiam ſpuriam, etiamſi habeat bona patrimonialia, vel quaſi. Cæterùm hoc eſt onus redditum Eccleſiaſticorum, prout & alia debita naturalia, ut diximus de donationibus remuneratoriis. Ergo ex his redditibus poterit Clericus, ſeu Beneficiatus filiam ſpuriam dotare, etiamſi habeat alia bona patrimonialia, vel quaſi. Valentia 2. 2. *diſp.* 10. *q.* 3. *punct.* 7. *verſ. Nec ii ſolùm*, Diana 10. *p. tract.* 11. *reſol.* 26. *in fin.* 9

Secunda ſententia tenet contrarium, quia hoc eſt debitum ipſius Clerici, ſeu Beneficiati, quod nequit ſolvere ex redditibus, ſi habet bona patrimonialia, vel quaſi, ut diximus ſupra. Ergo non poterit dotare filiam ſpuriam ex redditibus, quando habet bona patrimonialia, vel quaſi, Molina *d. tract.* 2. *diſp.* 146. *in fin* Reginaldus *in praxi for. lib.* 40. *tract.* 3. *n.* 101. Bonacina *d. punct.* 2. *propoſit.* 3. *n.* 16. Boſſius *de dote, d. c.* 6. *n.* 81. 10

In hoc dubio difficultas ſtat, an hoc debitum dotandi filias ſpurias ſit onus fructuum, ſeu redditum Eccleſiaſticorum, prout alia debita naturalia, nempe donationes antidotales. Et licèt DD. primæ ſententiæ id affirment, unde aſſumunt, poſſe Clericum donare filiam ex redditibus, licèt habeat alia bona patrimonialia, vel quaſi; contrarium tamen 11

nem eſt tenendum; onus enim reddituum duobus modis eſt conſiderandum, nempe quoad onera pertinentia ad ſtatum, Beneficiati decentiam, & ejus congruam; & hæc ex redditibus ſunt danda Beneficiato, etiamſi habuerit alia bona patrimonialia, vel quaſi, tanquam mercedem ſui laboris: & in his intrant donationes remuneratoriæ.

12 Alia verò ſunt onera ipſius Beneficiati, quæ ex ſua perſona contraxit, ut ſunt debita patrimonialia, vel delicti cauſa contracta: & hæc ſolvere non poteſt ex redditibus, niſi in ſubſidium, nempe quando alia bona non habuerit. His enim oneribus adjungenda eſt obligatio dotandi filias: ratio eſt, nam debitum hoc, licèt naturale ſit, proceſſit ex delicto, nempe ex turpitudine coinquinandi ſe cum mulieribus, quod à jure execratum eſt, *cap. Si quiſquam* 22. *cap. Quidem* 30. *diſt.* 81. *c. Sacerdotes* 33. cum aliis *diſtinct.* 50. *cap.* 2. & 3. *c. Si autem* 6 *cap. Tua nos* 8. *de cohabit. Cleric. & mulier.* Concilium Toletanum II. *cap.* 17. Arelatenſe I. *c.* 3. Toletanum IV. *c.* 41. Cartaginenſe III. *cap.* 18. Matiſconenſe I. *cap.* 1. Nicænum *can.* 3. Moguntinum *cap.* 49. Bracharenſe I. *cap.* 15. Turonenſe III. *c.* 10. & 11. Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 8. Ergo non eſt dicendum, hanc obligationem eſſe onus reddituum ipſius Beneficii, ſed ſolùm perſonæ ipſius Beneficiati, quod ſolvere nequit niſi in ſubſidium.

13 Quapropter reſolvendum, Beneficiatum nequire filias ſuas dotare ex redditibus Beneficii, quando habuerit bona patrimonialia, licèt ſive ſpuriæ, ſeu legitimæ, habitæ in matrimonio antecedenti Ordine; quia debitum iſtud eſt perſonale, non verò onus fructuum, ut poſſit ex redditibus ſolvere. Tum alia ratione, quia Beneficiatus poteſt dotare filia ex redditibus, ſive ſpurias, ſive legitimas, quando ſunt pauperes, & in earum dotatione opus pium exercetur. Rojas *in Epit. ſucceſſ. cap.* 21. *n.* 39. Gomez in *l.* 9. *Tauri*, *num.* 44. Vaſquez *de Reddit. cap.* 1. §. 7. *dub.* 17. *n.* 158. Si enim habent Clericum patrem habentem alia bona, adversùs quem poſſunt petere alimenta, & dotes, pauperes non ſunt. Ergo non potuerunt dotari à patribus ex redditibus, quando habent alia bona patrimonialia, vel quaſi, ut tenet etiam Duenas *d. regul.* 307. *ampliat.* 3. Leoncillus *de privileg. paup.* 2. *p. privileg.* 378. *num.* 10 Coſta *de Remed ſubſid. remed.* 66. *illat. unica*, *num.* 1. Velaſco *de privileg. paup.* 1. *p. q.* 15. *num.* 18.

14 Eſt verò gravis difficultas, an quando Beneficiatus, vel alius pater ſpurius filiam ſpuriam dotaverit per exceſſum, & ultra id quod à jure permiſſum eſt, poſſit exceſſum repetere. Qua in difficultate præmitto, de jure beneficiatos, vel alios patres ſpurio nen poſſe dotare filias ſpurias, niſi ad certam quantitatem, de jure communi ad neceſſariam quantitatem alimentorum; de jure noſtro Regio, ſi habuerint alios filios legitimos, ad quintum bonorum *l.* 10. *Tauri* Petr. Barboſa in *l.* 1 *ff. ſolut. matrim.* 4. *p. à n.* 54. Velaſcus *de privil. paup.* 1. *p. q.* 15. *n.* 23. Hoc ſuppoſito difficultas eſt, an quando ultra dictam quantitatem beneficiatus, vel pater ſpurius filiam ſpuriam dotaverit, poſſit repetere exceſſum.

15 Prima ſententia aſſerit, repeti poſſe, etiam conſtante matrimonio, ſive maritus ignoraverit, ſive ſciverit eſſe filiam ſpuriam, ſive dos detur filiæ, vel ipſi marito. Ratio eſt, nam dos quoad exceſſum ipſo jure non valet, Auth. *Excomplexu*, *C. de inceſt. nupt.* ubi Scribentes. Ergo etiam conſtente matrimonio exceſſus poterit repeti, ſive ſciat, ſive ignoret maritus eſſe ſpuriam. Confirmatur; nam ſive ſciat, ſive ignoret maritus, nullius eſt ponderis; quia ſi ignorat, ſibi imputet, quia debebat inveſtigare, an fuiſſet ſpurias, necne: ſi verò ſcierit, nulla injuria illi irrogatur. Ergo cùm lex ipſo jure annullet exceſſum, etiam conſtante matrimonio, marito ſciente, vel ignorante, pro exceſſu eſt danda repetitio. Barboſa in *d. l.* 1. 4. *par. nu.* 79. Mathienzo in *l.* 1. *tit.* 2. *lib.* 5. *Recopilat. gloſſ.* 4. *num.* 7. & in *l.* 8. *tit.* 8. *gloſſ.* 1. *n* 36. Covarr. *de ſponſal lib.* 2. *part. cap.* 8. § 6. *num.* 12. Gratianus *diſcept. for. tom.* 3. *c.* 472. *à nu.* 4. Velaſco *de privil. paup.* 1. *par. q.* 15. *num.* 25. Sanchez *conſ. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 39. *nu* 1. Palao *de juſt. diſput.* 9. *punct.* 7. *num.* 9.

16 Secunda ſententia contrarium tenet, ſcilicet quod ſive maritus ſcierit, ſive ignoraverit mulierem eſſe ſpuriam, conſtante matrimonio nequit exceſſus repeti, ex *l. fin.* §. *Si à ſocero*, *ff. quæ in fraud.* ubi dos data in fraudem creditorum, non repetitur conſtante matrimonio. Ergo nec exceſſus dotis datus filiæ ſpuriæ ab ipſo patre. Cæterùm, nam quando dos datur marito, conceditur titulo oneroſo propter onera matrimonii, *l. Ex promiſſione* 19 *ff. de act. & obligat. cap. Salubriter* 16. *de uſuris*: quare donec maritus illa onera portat, exceſſu conſtante matrimonio non eſt privandus, ſi ignoravit, quia aliàs ſine omni dote uxorem non duceret, ſi id ſcriret, quia fortè ignorabat exceſſum repeti poſſe; error enim juris controverſi æquiparatur errori facti. Craveta *conſ.* 132. *num.* 2. *par.* 2. Gabriel *lib.* 1. *conſ.* 90. *num.* 25. Rota *diverſ.* 2. *p. deciſ.* 131. *num.* 2. & cauſat bonam fidem. Rota *recent. deciſ.* 101. *num.* 10. & *deciſ.* 559. *num.* 2. *in addit.* apud Rubeum. Cùm ergo quæſtio iſta ſit controverſa, licèt ſcierit mulierem eſſe ſpuriam, ab eo exceſſus ille repeti non poterit, conſtante matrimonio. Bart. *in d. l. fin.* §. *Si à ſocero*, Capicius *dec.* 181. Molina *de tacit. lib.* 13. *tit.* 37. *n.* 29. Lucidorus *de illegitim. Clericor. fil. c.* 22. *n.* 24. Paſchalis *de patria poteſt.* 2. *p. c.* 3. *n.* 39. *in fin.* Surdus *de Aliment. tit.* 1. *q.* 10. *n.* 23. Fagundez *in Decalog. lib.* 4. *c.* 1. *num.* 9.

17 Tertia ſententia diſtinguit, ſi maritus tempore contracti matrimonii ignorabat mulierem, quam ducebat, eſſe ſpuriam, tunc enim matrimonio ſtante nequit exceſſus ab eo repeti, nam non fuit particeps fraudis in dote tam exceſſiva conſtituenda: illud enim ſcitum eſt, in alienatione in fraudem creditorum, quando fit titulo oneroſo, quod ad reſciſſionem utriuſque fraus, vendentis nempe, & ementis, requiratur, ut in ſpecie dictæ legis finalis, §. *Si à ſocero*. Cùm ergo maritus dotem titulo oneroſo recipiat, ſi tamen ignoravit, fraudis particeps non eſt: quam ob rem ab eo conſtante matrimonio nequit exceſſus repeti. Si verò ſcierit, revocari poterit, quia tunc maritus ſibi imputet, qui ſcienter filiam ſpuriam duxit, cui exceſſum non deberi cognoſcet. Ergo tunc etiam conſtante matrimonio exceſſus poterit repeti. Barboſa in *d. l.* 1. *ff. ſolut. matr.* 4. *par. n.* 78. Surdus *d. q.* 10. *n.* 24. Navarrus *de Reddit.* 7. 2. *monit.* 16. *num.* 2. Gomez in *l.* 9. *Tauri*, *n.* 43. Baeza *de meliorand. filiab. c.* 37. *num.* 4.

18 Quarta ſententia alio modo diſtinguit, nempe quando dos promittitur, & conceditur genero, vel quando conceditur ipſi filiæ ſpuriæ. Primo enim caſu repeti non poteſt, quia datur ex titulo oneroſo; ſecus in ſecundo, quia recipit filia titulo lucrativo. Ita tenet cum aliquibus Boſſius *de Aliment. cap.* 6. §. 9. *n.* 208.

19 Quinta ſententia aſſerit, de jure Communi admittendam eſſe tertiam ſententiam, & de jure noſtro Regio dicendum, ſempeı exceſſum eſſe repetendum, ſive conſtante, ſive ſoluto matrimonio, ex *l.* 29. *Tauri*, ut cum Covarr. aſſerit Vaſquez *de reddit.* §. 7. *à num.* 259. Sanchez *d. c.* 3. *dub.* 39. *num.* 5. Sed notandum, textum in *dict. l.* 29. hanc ſententiam non probare, loquitur enim de filiabus legitimis, quæ quidem defuncto patre tenentur dotes ad collationem afferre, ut ſi fortè aliquis fuerit exceſſus, inter alios fratres dividatur, & communicetur. Gomez ibidem, *n.* 13. Ayora *de partit.* 1. *p. cap.* 3. *num.* 19. non autem loquitur in noſtra ſpecie, ſed longè ab ea: unde nulla deciſio hujus difficultatis ex hac lege nobis conceditur, etiam de jure Regio.

20 Quapropter ut luculenter hæc difficultas concipiatur, dico duobus modis eſſe tractandam. In primis quando beneficiatus, aut alius Pater ſpurius haberet filios legitimos: ſecundò quando non haberet. Et quoad primum, præmitto filios legitimos non poſſe petere exceſſum iſtius dotis, vivente patre, nec revocationem illius; nam cùm id non poſſint facere, niſi ex vi legitimæ, quam quidem non habent, nec eis debetur patre vivente, *l.* 1. §. *Si impuberi*, *ff. de collat. bon.* inde eſt, ut eo vivente non poſſint petere revocationem hujus exceſſus. Baeza *de melior. filiab. c.* 34. *num.* 8. & 9. Mathienzo in *l.* 3. *tit.* 8. *lib.* 5. *gloſſ.* 7. *à n.* 4. Sanchez *d. dub.* 39. *n* 5. & Erit ergo neceſſarium, ut pater jam deceſſerit.

21 Hoc ſuppoſito reſolvendum, quod ſi Beneficiatus, aut alius patre ſpurius ſpuriæ filiæ dotem exceſſivam, & inofficioſam conceſerit, & maritus ſcierit eſſe filiam ſpuriam, etiam conſtante matrimonio poſſe revocare exceſſum, duabus rationibus. Prima, quia ex diſpoſitione legis exceſſus dotis non tenet, & ideò poteſt ſtatim repeti. Secunda quia talis exceſſus eſt in præjudicium filiorum, & eorum legitimarum, quæ abſque mora ſunt ſupplendæ, *l. Scimus*, §. *Repletionem*, *ff. de inoffic. teſtament. l. Omnium* 50. *Cod. eod. tit.*

Ergo

Ergo ſtatim, etiam conſtante matrimonio, poterit exceſſus repeti, maximè ſi maritus ſcierit eſſe ſpuriam, cui in hac ſpecie nullum damnum, aut fraus irrogatur, *l. 1. C. de inoffic. dot.* Afflictus *dec. 86.* Cevallos *q 780. à nu. 130.* Gratianus *tom. 3. diſcept. cap. 473. n. 4.*

22 Si verò maritus ignoraverit filiam eſſe ſpuriam, plures aſſerunt exceſſum repeti non poſſe conſtante matrimonio, quibus adjungendus diſertiſſimus Cardinalis Delugo *de juſt. diſp. 24. ſect. 7. num. 134.* qui ſingulariter probat; nam ſi pater paciſceretur cum aliquo, ut inſerviret ſuæ filiæ ſpuriæ pro tali pretio, nec ipſi, nec filii paciſcentis poterunt ab eo ſtipendium repetere à patre deſignatum: cùm ergo dos licèt exceſſiva, conſtituatur ut ſtipendium, ſeu ſalarium onerum matrimonii, *l. Pro oneribus 16. C. de jur. dot.* inde eſt, quod ſi maritus ignoraverit mulierem eſſe ſpuriam, conſtante matrimonio nullatenus poſſit repeti exceſſus, quia eo durante durant ſervitium, & onera matrimonii ab eo præſtanda.

23 Verumtamen quando Beneficiatus, vel alter pater ſpurius haberet filios, legitimos, contrarium eſt tenendum; nam textus in *l. 1. C. de inoffic. dot.* quoties præjudicium fit legitimus filiorum, hanc reſtitutionem abſque mora concedit, ne damnum in legitimis ſequatur: nec lex diſtinguit, an maritus ſcierit, vel ignoraverit; quare nec nos diſtinguere debemus *l. De pretio, ff. de public. in rem act. l. Non diſtinguimus, ff de recept. arbitriis, cap. Quia circa 22. de privileg. Clement. unic. de Reſcript.* Gamma *deciſ. 205. n. 5.* Narbona *de Appellat. Vicarii, 1. par. num. 27.* Ergo ſi legitimi adſint filii, etiam conſtante matrimonio exceſſus ille eſt repetendus. Cæterùm, nam ut benè conſiderat Gratianus *d. c. 423. num. 7.* titulus oneroſus mariti nihil relevat in præjudicium legitimarum, unde fundamentum Delugi ruit; nam licèt dos conſideretur ut ſalarium, ſeu ſtipendium pro oneribus matrimonii, aut ſervitii, nequit tamen pater exceſſivum ſalarium, ſeu ſtipendium deſignare, in damnum filiorum: quare licèt maritus ignoraverit mulierem eſſe ſpuriam, & bona fide de illa dote paciſceretur, nequit excuſari à reddendo exceſſu. Denique lex, ſtantibus legitimis, annullat exceſſum independenter à marito. Ergo licèt ſciat, aut ignoraverit filiam ſpuriam, exceſſus ab eo rectè poterit repeti conſtante matrimonio. Mathienzo in *l. 1. tit. 6. lib. 5. gloſſ. 1. num. 1.* Sanchez *dict. dub. 19. num. 12.*

24 Sed contra pugnat textus in *d. l. fin. §. Si à ſocero, ff. quæ in fraud.* ubi maritus ſi ignoraverit mulierem eſſe filiam ſpuriam, & dos ei concedatur in fraudem creditorum, non reſcinditur. Textus verò iſte loquitur in diverſa ſpecie. Venuleius loquitur de dote data patre in fraudem creditorum, & diſtinguitur; ſi enim maritus ſciat in fraudem dari, Ex Edicto reſcindetur; ſi verò ignoraverit, & mulier ſciat, ipſa obligabitur ad reſtitutionem: ſi verò uterque, tam maritus, quàm filia ſpuria ignoraverint, ipſa adhuc tenebitur, quia percipit dotem ex titulo lucrativo, quo quidem caſu ſufficit ſcientia ex parte patris dotantis, *l. Quod 6. ff. quæ in fraud. l. 5. C. eodem tit.* Vveſembechius in *parat itl. ad tit. quæ in fraud n. 6.* Donellus *lib. 23. comment. cap. ult.* ubi Oſuald. *lit. H*, Maritus verò non tenebitur; quia recepit ex titulo oneroſo, & percipit ſibi debitum; creditorem enim vigilantem adjuvat jus, *l. Quod 6. §. Apud Labeonem, l. Iſtud 13. ff. quæ in fraud.* Vveſembechius *ubi proximè, n. 8.*

25 Ex hac verò ſpecie ſic explicata ſolidum argumentum contra nos nequit depromi; loquitur enim Conſultus in Edicto, *Quæ in fraudem*, in quo ſpeciale eſt, an creditor ignoraverit, necne, ut reſcindatur alienatio, unde pendet, quod ſit fraudis particeps aut non, *d. l. 6. §. Hoc edictum, ff. quæ in fraud. leg. penult. C. eod. tit.* Nos verò loquimur de reſtituendo exceſſu dotis dato in præjudicium legitimarum filiorum, cujus reſtitutio ſtatim poteſt peti, licèt maritus ignoraverit; quia independenter lex annullat, ut benè docet Barboſa in *leg. 2. ff. ſolut. matrim. 1. part. nu. 172.* Unde textus ille contra noſtram reſolutionem nihil probat.

26 Sed adhuc inſtabis: Dos inofficioſa data filiæ legitimæ in præjudicium aliorum filiorum, nequit conſtante matrimonio repeti, ſive maritus ſcierit, ſive ignoraverit; eſſet enim in grave præjudicium mariti Ayora *de partit. 2 part. q. 21. per tot.* Guttierrez *Pract. quæſt. 41. à num. 17.* Barboſa in *l. 2. ff. ſolut. matrim. 1. part. num 171.* Ergo etiamſi dos inofficioſa detur filiæ ſpuriæ in præjudicium filiorum; vel ſive ſciat, aut ignoret maritus, nequibit repeti. Hæc inſtantia non procedit de jure communi, in eo enim ſemper conceditur repetitio exceſſus dotis datæ in præjudicium legitimorum. Erit ergo difficultas de jure Regio, propter deciſionem textus in *leg. 29. Tauri, l. 3. titul. 8. lib. 5. Recopilat.* ubi cavetur generum ad conſiderandam dotem in officioſam duo habere tempora, ſcilicèt tempus contractæ dotis, aut tempus mortis patris dotantis: quare inquiunt. DD. exceſſum dotis de Jure Regio conſtante matrimonio repeti non poſſe, quia adverſus exceptionem poterit gener replicare, eligere tempus mortis, ut inſpiciatur an dos ſit inofficioſa, necne; unde ab eo nihil poterit repeti, donec pater dotans moriatur, ut expendit Guttierrez *dict. q. 41. num. 17.*

Sed contrarium tenet alteri, etiam de jure Regio; nam 27
jura illa loquuntur jam defuncto patre dotante, quando ad diviſionem bonorum pervenitur: quo quidem caſu poterit gener duo tempora proſpicere, & eligere quod maluerit: non verò leges iſtæ tollunt facultatem, ut ſi pater antea conſtante matrimonio voluerit exceſſum repetere, non poſſit, prout defendit Baeza *de melior. filiab. cap. 34. à num. 2.*

Ex hac ſecunda ſententia facilè inſtantiæ reſpondetur: 28
verùm ſtando in priori reſponſum adeſt; nam doctrina illa loquitur quando dos datur filiæ legitimæ, quæ habet privilegium de jure Regio, ut hæc duo tempora inſpiciantur, ad hoc ut inofficioſa dicatur. In noſtra autem ſpecie eſt caſus diſtinctus; nam agimus de dote data filiæ ſpuriæ, cui nequit pater concedere niſi illam dotis quantitatem ratione alimentorum debitam, quæ ſi excedat, annullatur, *l. 1. Cod. de lib. cauſ. l. Quemadmodum, C. de Agricol. & cenſit. lib. 11.* Baeza *dict. c. 34. num. 2.* Barboſa *dict. l. 1. ff. ſolut. matrim. 4. par. à nu. 54.* Nec expectandum tempus mortis patris, qua propter ſtatim peti valet, etiam conſtante matrimonio, ſive maritus ſcierit, ſive ignoraverit filiam eſſe ſpuriam.

Ex his breviter eſt diſſolvenda alia quæſtio, an filii de- 29
functo patre poſſint exceſſum petere adversùs meritum ignoranter ducentem filiam ſpuriam? Et negarunt Segura, Diez, Palacios, & alii apud Barboſam *d. 4. p. num. 171.* refert deciſum Afflictus *deciſ. 86.* Grammaticus *deciſ. 90. num. 3. ad fin.*

Sed tamen à nobis contrarium eſt recipiendum, quia id 30
conceſſimus patri: Ergo eodem modo eſt concedendum filiis ſeu hæredibus, in cujus locum ſuccedunt. Tum quia iſti ſunt, qui perceperunt præjudicium, quare eis competit petere ſatisfactionem. Cæſar Urſill *in addit. ad Afflict. deciſ. 86.* Barboſa *in l. 2. ff. ſolut. matrim. 1 p. n. 172.* Mathienzo *in l. 3. tit. 8. lib. 5. gloſſ. 6. n. 3.* alter Barboſa *in l. un. Cod. de inoffic. dot. n. 9.*

Si verò Beneficiatus, vel alter pater ſpurius legitimos fi- 31
lios non habuerit, & dederit exceſſivam dotem filiæ ſpuriæ, ultra alimenta, tunc cum diſtinctione reſpondendum. Aut maritus ſciebat, aut ignorabat invincibiliter filiam eſſe ſpuriam: ſi enim ſciebat, aſſero patrem ſpurium poſſe ſtatim petere exceſſum: ſi verò invincibiliter ignoraverit, pater nequit conſtante matrimonio repetere, quia maritus valet exceſſum retinere ratione damni ſibi illati, dum onus matrimonii ſuſtinet, nec conſtante matrimonio poteſt exceſſu privari. Deinde quia tunc non agitur de præjudicio filiorum, ſed ipſius patris, cui ob fraudem factam filiæ ſpuriæ marito, jus non ſuffragatur, ut tenent plures quos refert Covarr. *in 4. 1. p. cap. 8. §. 6. n. 12.* Gomez *in l. 9. Tauri, n. 44.* Baeza *de melior. filiab. c. 32 n. 10.* Salzedo *in addit. ad Bernardum, reg. 215.* Molina *de juſt. tract. 2. diſput. 168. n. 8.* Sanchez *d. dub. 39. n 13. in fin.*

Denique ſi matrimonium fuerit ſolutum, exceſſus iſte 32
ſemper repeti poterit, quia ceſſat onus matrimonii. Tum ſi dos reverſa fuerit mulieri, exceſſum nequit retinere, quia titulo lucrativo retinet: quapropter ſemper repetitio conceditur, ut cum Gomez notat Sanchez *d. dub. 39. n. 1.* Angelus Boſſius *de Aliment. c. 6. §. 12. n. 117.*

Eſt etiam aliud dubium non prætereundum, an dos data 33
filiæ ſpuriæ à beneficiato, vel ab alio Patre ſpurio, tranſmittatur ad hæredes, vel neceſſariò mortua filia, debeat pervenire ad beneficiatum, vel ad alium patrem ſpurium. Prima ſententia aſſerit non tranſmitti, ſed debere redire ad patrem: ratio eſt, nam dotes iſtæ conceſſæ filiabus ſpuriis, ſuccedunt loco alimentorum, & ideo illorum ſumunt

na-

naturam, *l. Si cùm* 10. §. *Qui injuriarum, ff. ſi quis caut.* alimenta enim morte filiæ extinguuntur, & ad patrem redeunt. Ergo ſimiliter dos data filiæ ſpuriæ ad patrem redire debet, nec ad hæredes tranſmittetur. Cæterùm natura alimentorum ea eſt, ut morte perſonæ extinguantur, *l.* 3. *ff. de cibar. & aliment. legat l. Cum hic* 8. § *Modus autem, ff. de tranſact.* Cùm ergo dos iſta oriatur ex obligatione alimentorum à patre ſpurio debitorum, inde eſt, ut muliere defuncta, non tranſeat ad hæredes, ſed ad patrem revertatur. Abbas *lib.* 2. *conſ.* 50. *n.* 2. Lara in *l. Si quis à liberis, §. Idem reſcripſit, ff. de lib. agnoſcend. num.* 3. Menochius *conſ.* 60. *num.* 29. Surdus *de Aliment. tit.* 5. *quæſt.* 7. *num.* 3. Mathienzo in *l.* 8. *tit.* 8. *lib.* 5. *gloſſ.* 4. *num.* 1. Barboſa in *l.* 1. *ff. ſolut. matr.* 4. *p. num.* 71. Trentacinquius *var. lib.* 1. *tit.* 2. *de Noth. num.* 31.

34 Secunda ſententia contrarium tenet, & ducitur, nam dotes iſtæ non ſolùm dantur quoad uſumfructum, ſed etiam quoad proprietatem, & fiunt proprium patrimonium filiæ ſpuriæ, *l.* 3. §. *Ergo etiam filius, ff. de Minoribus l. Pomponius* 35. *ff famil. erciſcund.* Ergo tranſmittentur ad hæredes, nec ad patrem ſpurium redibunt, argumento Legis *Pater filium* 38. §. *Quindecim, ff. de legat.* 3. Cæterùm licèt dos procedat ab obligatione alimentorum à Patre ſpurio debitorum, habet tamen etiam cauſam publicam ipſius matrimonii, & eſt ſuſtentatio liberorum; quapropter licèt alimenta cùm perſona extinguantur, dos tamen ad hæredes tranſmittitur, ob cauſam illam, quæ major eſt in dote, quàm in alimentis: Bartolus *lib.* 7. *conſ* 56. *num.* 9. Beroius *volum.* 2 *conſ.* 165. *num.* 23. Vincentius *de Franchis deciſ.* 283. *à num.* 10. Paleotus *de Noth. & ſpuriis, c.* 55. *ad fin.* Peregr. *de jur. Fiſci, lib.* 3. *tit.* 18. *n.* 31. Cancerius *var.* 3. *par. c.* 21. *num.* 121.

35 Tertia ſententia diſtinguit; ſi enim filia ſpuria à Patre dotata abſque liberis decedat, tunc dos ad patrem, vel ad ejus hæredes revertitur: ſecus verò ſi filios, aut deſcendentes habuerit; quia ad eos tranſmittitur. Ducitur hæc ſententia, quia dos iſta procedit ab obligatione patris ſpurii alendi non ſolùm filiam ſpuriam, verùm etiam filios ejus, & nepotes. Ergo ſi filios, aut deſcendentes habuerit, ad eos dos tranſmittetur propter illam obligationem. Cæterùm, quia dos mulieris eſt in obligatione nutriendi, atque educandi filios, & alios deſcendentes illius. Ergo ad illos debet tranſmitti per obligationem illam doti in hæredem. Ruinus *volum.* 1. *conſ.* 124. *num.* 11 Gaſpar Theſaurus *lib.* 1. *quæſt. for. quæſt.* 25. *num.* 9. Minardorus *deciſ.* 21. Lucidorus *de illegitimis, quæſt.* 23. *nu.* 3. Molina *de juſt. tract.* 2. *diſput.* 168. *nu.* 8. *in fin.* Boſſius *de Aliment. dict. cap.* 6. §. 17. *num.* 244.

36 Hæc difficultas examinanda eſt de jure communi, & de jure Caſtellæ. Quoad primum dico, duobus modis poſſe dari dotem filiæ ſpuriæ, aut dando bona quoad proprietatem, vel quoad uſumfructum; non enim tenetur Beneficiatus, vel alius Pater ſpurius dare dotem filiæ ſpuriæ quoad proprietatem, ut ex *l. Mela* 18. *ff. de cib. & aliment. legat.* percipiunt DD. & eſt ratio; nam tantùm pater tenetur dare quoad proprietatem dotem, quando dos intrat in locum legitimæ, quod quidem deficit in filia ſpuria, cui legitima non debetur, ſed tantùm alimenta: Ergo non tenetur beneficiatus, vel alius Pater ſpurius dotem ſpuriæ dare quoad proprietatem, ſed ſufficit quoad uſumfructum, *l. Cùm hi* 12. §. *ſi uni, ff. de tranſact.* Baldus in *l. Eam quam, C. de fideicom.* *n.* 41. Surdus *de Aliment. tit.* 4. *q.* 9. Molina *de primog. lib.*
37 2. *c.* 15. *n.* 9. Larrea *dec.* 96. *n.* 4.

Unde ſequitur, quod ſi pater ſpuriæ deſignaverit dotem in uſufructu aliquarum rerum, dos illa ad ſuos filios, vel hæredes non tranſmittetur, ſed revertetur ad patrem, vel ad ejus hæredes; nam uſusfructus morte finitur, § *Finitur Inſtit. de uſufruct.* quapropter dos illa data videtur ſub illa conditione, ut mortua filia ſpuria, ad patrem proprietarium revertatur; non verò eo modo ut tranſmittatur ad hæredes. Tum pater, quando dotem dat in uſufructu, videtur tantùm alimentis filiæ conſulere voluiſſe, non verò ad dandam dotem cum translatione dominii, quare dos ad hæredes non tranſmittitur, ſed morte illius finitur, tanquam ipſius alimenta, ex *d. l.* 3. *ff. de cib. & aliment. legat.* Et confirmatur, quia in jure receptum eſt, ut ſimilis dos in uſufructu conſtituta, non propriè ut dos, ſed ut alimenta exiſtimetur, *l. Cùm ii* 8. §. *In annos, ff. de tranſact.* Boerius *deciſ.* 80. *num.* 9. Surdus *de Aliment. tit.* 9. *q.* 6. *num.* 14. Ergo debet morte finiri, nec poterit ad hæredes ſpuriæ tranſmitti, ſed ad patrem, vel ad ejus ſucceſſores debet revertiParladorius *lib.* 1. *rer. quotid. c.* 16. *num.* 11. Caſtillo *controverſ. lib.* 5. *c.* 62. *à n.* 99.

Illud verò in hac ſpecie eſt animadvertendum, quod 38
quando dos filiæ in uſufructu conceditur, aut in annua præſtatione, fructus illi non tanquam fructus cenſentur, ſed tanquam ſors principalis ipſius dotis; nam fructus propriè dicuntur, quando eſt aliquas res à qua dependeant, *l. Item veniunt* 20. §. *Fructus, ff. de petit. hæredit. l.* 2. *C. de act. empt.* Si verò per ſe ſubſiſtant, ut quando uſusfructus in dotem conceditur, tunc fructus cenſentur ſors, *l. divortio* 8. §. *Si vir, ff. ſolut. matrim* quapropter licèt morte ſpuriæ uſusfructus finiatur; attamen commoditas uſusfructus, & fructus illius ad hæredes tranſmittuntur, quia iſti ſunt proprii ipſius uxoris. Parladorius *quotid. quæſt.* 4. *per totum*.

Si verò beneficiatus, vel alter pater ſpurius de dotem 39
ſpuriæ in proprietate aliquarum rerum, tunc ad ſuos hæredes, vel filios tranſmittetur; nam eſt proprium patrimonium ipſius filiæ, & tranſit ad illam quoad uſumfructum, & proprietatem, abſque aliqua reſervatione, vel conditione, & ad ſuos hæredes transfertur, ut dicunt DD. ſecundæ ſententiæ.

Erit ergo quæſtio, quando non conſtat Beneficiatum, 40
ſeu patrem ſpuriæ dediſſe bona in dotem ſpuriæ quoad uſumfructum, vel quoad proprietatem. Et tunc dicendum videtur, quoad uſumfructum tantùm dediſſe, & ideò tranſmitti non poſſe. Ratio eſt, nam cùm ipſa ſit incapax bonorum paternorum, Authen. *Ex complexu, C. de inceſt. nupt.* quando bona in dotem dantur ſpuriæ, in dubio præſumendum dari quoad uſumfructum, non quoad proprietatem, ut tenet Barboſa in *d. l.* 1. 4. *p. num.* 71. & conſequenter ad hæredes tranſmitti non poſſe.

Sed in re diſtinguendum, quando bona, quæ in dote 41
dantur, fuiſſent majora, quàm erant neceſſaria ad alendam, & dotandam filiam ſpuriam; & tunc præſumendum, dari tantùm quoad uſumfructum: ratio eſt; quia cùm uſusfructus illorum bonorum ſit ſufficiens ad alimenta, & dotem filiæ ſpuriæ, præſumendum eſt illa majora bona tantùm eſſe data quoad uſumfructum, non verò quoad proprietatem, in qua exceſſiva dos continebatur. Rurſus bona in dotem data ratione alimentorum, intelliguntur data quoad proprietatem, quando in locum legitimæ conceduntur. Molina *de Primogen. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 10. Cevallos *quæſt.* 779. *num.* 100. Mieres *de Majorat.* 4. *p. quæſt.* 28. *num.* 22. Seſſe *deciſ.* 26. *num.* 47. Caſtillo *controverſ. lib.* 5. *cap.* 62. *num.* 93. Cùm ergo filia ſpuria legitimam non habeat, præſumendum eſt, bona illa excedentia dotem, & alimenta, tantùm eſſe data quoad uſumfructum, non verò quoad proprietatem.

Si verò bona quæ dantur ſpuriæ in dotem, ſunt propor- 42
tionata ad illam alendam, & dotandam, nec aliquo modo excedant, intelliguntur data quoad proprietatem, & uſumfructum; aliàs ſi in uſufructu tantùm darentur, dos diminuta præſtaretur, quod non eſt præſumendum in dubio, quando ſi in proprietate bona data intelligerentur, completa dos concederetur. Caſtillo *d. c.* 62. *n.* 114.

Hinc hac diſtinctione obſervata, faciliter capitur reſolu- 43
tio hujus difficultatis, quando eſſemus in dubio, an beneficiatus, vel alter pater ſpurius dederit filiæ dotem in uſufructu, vel ſolùm in proprietate; ſi enim majorem quantitatem ad dotem deſignaverit, erit datus uſusfructus, & non tranſmittetur: ſi verò bona fuerint proportionata, intelligentur data in proprietate, & ipſa tranſmittetur. Quod omne intelliges, niſi priùs pater paciſcatur, dotem ſibi eſſe reddendam, aut non, defuncto filia; quia ſemper pacto ſtandum eſt. Garcias *de expenſ. c.* 3. *n.* 27. Avendanus in *l.* 10. *Tauri, gloſſ.* 3. *n.* 5. Parladorius *lib.* 1. *rer. quot. cap.* 16. *n.* 4. Cevallos *q.* 779. *n.* 95.

De jure noſtro Regio ex *l.* 9. *Tauri, l.* 7. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recopil.* 44
plures Doctores aſſerunt, dotem datam filiæ ſpuriæ, ad hæredes, aut filios tranſmitti, ex illo fundamento; nam ex dictis juribus quintum bonorum non ſolùm relinquitur filiabus ſpuriis, quoad uſumfructum, ſed quoad proprietatem, ibi: *Pero bien permitimos, que les puedan en vida y en muerte mãdar falta la quinta parte de ſus bienes, y no mas, de lo que podian diſponer por ſu anima, y de tal parte deſpue que la huvieren, puedan diſponer en ſu vida, ò al tiempo de ſu muerte, los*

di-

dichos hijos ilegitimos, como quiſieren. Unde ſuſcipiunt Doctores iſti, de jure Regio dotem hanc datam filiabus ſpuriis tranſmitti poſſe ad hæredes; & datam quoad uſumfructum, & proprietatem. Cæterùm, nam ex doctrina plurimorum Doctorum, quos refert Caſtillo *dict. l. 5. c. 62. nu. 88.* hæc quinta pars non datur ſpuriis filiabus alimentorum loco, ſed ſucceſſionis. Ergo neceſſariò debet tranſmitti ad hæredes, ſicut & aliæ res, in quibus legitimi ſuccedunt. Avendanus in *l. 10. Tauri, gloſſ. 3. n. 4.* Lara in *l. Si quis à liberis, §. Idem reſcripſit, n. 75.* Mathienzo in *l. 8. tit. 8. l. 5. gloſſ. 3. per tot.* Azevedus in *l. 7. tit. 8. l. 5. Recopilat. a n. 16.* Barboſa *l. 3. vot. 126. n. 156.*

45 Hæc doctrina maxima eget explicatione, leges enim Regiæ non inquiunt, patrem ſpurium præcisè debere hanc quintam partem relinquere filiis, aut filiabus ſpuriis, aut in vita, aut in morte; ſed tantùm *poſſe* quando filios legitimos habuerit. Non enim tollit difficultatem parentibus ſpuriis, ut pro alimentis ſeu dote, ſi tantùm voluerit dare uſumfructum, id non poſſint, ita ut bona illa ad ipſos revertantur, filia, aut filiis defunctis; ſed tantùm, ut quando facerent ſimplicem donationem, aut legatum illius partis abſque aliqua declaratione, tunc filii ſpurii, vel filiæ poſſint ea bona tranſmittere ad ſuos hæredes, & id quia interpretatur lex, data eſſe quoad proprietatem, & integro jure, ut poſſint ad alios transferre. Barboſa *d. 4. p. nu. 75.* Caſtillo *d. c. 62. nu. 111.* Unde ſi aliter patres ſpuriis provideant, aut in dote, aut in donatione, ſeu legato, illud erit de jure Regio obſervandum, prout paciſcantur, aut tacitè ex pacto cognoſcatur: nec bona iſta poterunt ad hæredes tranſmitti, ſi pactum expreſſum, aut tacitum id petierit.

46 Quare de jure Regio diſquirunt DD. an in hac quinta parte poſſit pater ſpurius gravamen imponere? Et communiter inquiunt, non poſſe, ſi tantùm in his bonis contineatur neceſſarium ad alimenta. Et ratio eſt, nam neceſſaria iſta alimenta ut debita cenſentur, in quibus nequit gravamen imponi, niſi tantùm in exceſſu. Tellus Fernandez in *l. 10. Tauri, in fin.* Mathienzo in *d. l. 8. tit. 8 l. 5. gloſſ. 3. ad fin.* Gomez *var. tom. 1. c. 12. n. 25. verſ. Tertiò, & in lib. 9 Tauri, n. 43. in fin.* Azevedus in *l. 7. tit. 8 l. 5. Recopil. nu. 18.* Caſtillo *d. c. 62. n. 120.*

47 Sed tamen contrarium tenet Cevallos cum aliquibus *q. 779. nu. 97.* quia leges Regiæ tantùm ſunt intelligendæ, quando quintum ſimpliciter relinquitur filiis, aut filiabus ſpuriis; non autem ſi aliter ex voluntate expreſſa parentum ſuperiorum: quampropter Sacerdos dotans filiam ſpuriam, aut donens (verbi gratia) centum pro alimentis, poteſt ei gravamen imponere, ut poſt mortem reſtituat, cùm alimenta ſint perſonalia.

48 Verùm licèt doctrinam Cevallos admittamus, tamen non benè ſe expedit. Hanc ob rem dico, quod ſi Sacerdos, aut alius pater ſpurius quantitatem pecuniæ deſignet, aut bona, quorum quantitas neceſſariò reſolvenda eſt in alimentis filiæ ſpuriæ, vel in ejus dote pro ipſis alimentis, nequit de jure Regio, nec de jure communi gravamen imponere. Ratio eſt, nam tota illa quantitas eſt debiti naturalis, & ſolutio alimentorum; quare nequit ibidem gravamen imponere: ſecus verò ſi aliter provideat magnam quantitatem, ex cujus redditibus poſſit filia ſpuria alimenta percipere, vel ad alimenta prædium deſtinaverit, ut ex fructibus alimoniam percipiat; tunc enim gravamen rectè imponere poterit, non in fructibus, aut redditibus, ſed in ipſa quantitate, aut prædio, ut poſtea defuncta ſpuria, aut ſibi, aut aliis reſtituat; nam dominium illorum ad ſpuriam non eſt translatum, itaque ut in re propria Sacerdos, aut pater ſpurius poterit gravamen imponere; voluit enim alimenta tantùm ex fructibus, aut redditibus præſtare.

49 His verò relictis, tranſeamus ad donationes, & eleemoſynas, quæ fieri poſſunt conſanguineis ex redditibus Eccleſiaſticis. Et illud eſt certum, Prælatos, ſeu Beneficiatos poſſe ex redditibus conſanguineis ſuccurrere pauperibus, donationes, & eleemoſynas eis concedere, illo adjecto temperamento, ne illos ditent. Id enim opus pium eſt, & majori ratione, quatenus ſunt pauperes magis conjuncti. Textus *in c. Eſt probanda 16. diſt. 86. c. Quiſquis 19. 12. q. 2.* Concilium Antiochenum *c. 25.* Tridentinum *ſeſſ. 25. de refor c. 1.* Riccius *tom. 2. deciſ. 55. n. 9.* Cancerius *var. 3. par. c. 21. n. 225.*

50 Quod quidem magnopere debent conſiderare aliqui Prælati, & Beneficiati, qui circa filios, nepotes, & cæteros conſanguineos ita ſunt cæci (ut dicebat Baldus in Authent. *Quicunque, C. de Sacroſ. Eccleſiis*) ut non exiſtiment ad Eccleſiam perveniſſe, niſi ad eos ex redditibus ejus locupletandos, relictis pauperibus, Eccleſiis deſtitutis, & ſtatu dedecorato: quamobrem in *Authent. Quomodo oporteat Epiſcopos, §. 1. collat. 1.* illud eſt ſtatutum, ne ad Epiſcopatum admittantur filios habentes, aut nepotes, quamvis legitimos: quod licèt contraria conſuetudine ſit abrogatum, & contrarium obſervetur, *c. Epiſcopus qui filios 12. quæſt. 2.* & cum aliis notat Barboſa in *Paſtor. 1. par. tit. 2. gloſſ. 9. n. 30.* attamen ſi aliqui reperiantur idonei eos non habentes, ii ſunt aſſumendi, & præferendi, ut liberiùs in eleemoſynis, & operibus piis redditus expendantur, *cap. de Syracuſanæ 13. diſt. 28.* quo in ſenſu intelligendi ſunt textus in *c. Priuſquam 4. diſt. 28 c. Carnotenſis 17. diſt. 61.* Innocentius, & Abbas in *cap. 1. de teſtament. nu. 2.* Barboſa in *d. c. priuſquam, num. 7.*

Contra hos Eccleſiaſticos ex redditibus ditantes conſan- 51
guineos, explicatur illud Micheæ, *Væ qui ædificatis in ſanguinibus*, id eſt, qui ex redditibus Beneficiorum conſanguineos ditatis, ut explicat Bollo *Oeconom. Can. 2. claſſ. cap. 2. §. 2. verſ. Quantum*. Hanc ob rem Dominus ſuos diſcipulos docuit columbæ ſimplicitatem imitari, ne unguibus, aut roſtro rapiant, ut conſanguineos divites faciant. Unde D. Gregorius *homil. in Evangel.* expendit illa verba Iſaiæ *cap. 6. verſ. 8.* exarata: *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant. & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas ſunt? Quaſi ergo ad feneſtras ſuas ſunt, qui nihil in hoc mundo concupiſcunt, qui omnia ſimpliciter agnoſcunt, & in hæc, quæ vident, rapacitatis ſtudio non trahuntur*. Addit adhuc Sylveira *tom. 3. in Evangelia, l. 5. c. 8. n. 50. Hoc columbæ ingenium ebibant Eccleſiaſtici, ut unguibus, & roſtro non rapiant, ut ipſi, & eorum conſanguinei ex magnis opibus vivant, & largiter augeantur*. Eſt enim laudandus Prælatus ille, quem refert Alvarus Pelagius *de planctu. Eccleſ. l. 2. c. 15.* qui conſanguineo depoſcenti pecunias, reſpondit illud *Pſal. 19. Quæ utilitas in ſanguine meo dum deſcendero in corruptionem?* Et nihil ei conceſſit

Si tamen pauperes ſint, ut diximus, licet aliquid eis con- 52
cedere, ſicut & aliis pauperibus. Verùm conſiderandum, ne amore ſanguinis decipiaris, Reverende Prælate, aut Beneficiate; debes enim conſiderare ſtatum perſonarum, indigentiam, laborem ex quo alimenta poſſunt percipere, ne totum ex redditibus expendatur, prout faciunt aliqui, quorum conſanguinei agricolæ, aut officiales ſunt, & ſtatim, abſtrahentes eos, otioſi degunt, & totam alimoniam ex redditibus hauriunt, quod eſt graviſſimum peccatum, ut cum S. Thoma obſervat Molina *tract. 2. de Juſt. diſp. 146. n. 4.* Delugo *d. diſp. 4. ſect. 4. n. 70.* Turrianus *2. 2. diſp. 82. dub. 10. ad fin* Cevallos *q. 388. n. 33.* Urrutigoyti *de Eccleſ. Cathed. c. 6. à n. 128.*

Poterit tamen Prælatus, aut Beneficiatus memoriam 53
erigere, ut ex illius fructibus pauperes ſui conſanguinei ſubleventur; hoc eſt enim opus pium, ad quod redditus ſunt deſtinati. Similiter ex eis Hoſpitale, ſeu Eccleſiam erigere, vel Capellaniam inſtituere poteſt, & patronatum relinquere conſanguineis, & propter laborem aliquam, moderatam mercedem eis aſſignare; quia id non eſt eos ditare, ſed deſignare ſtipendium pro labore. Molina *de primog. lib. 2. cap. 10 nu. 47.* Sanchez *conſ. l. 2. cap. 2. dub. 38. nu. 10.* Delugo *d. ſect. 4. nu. 71.* R. Moya. *d. diſp. 6. q. 2. §. 4. num. 17.*

Eſt dubium, an Prælatus, ſeu Beneficiatus poſſit ex red- 54
ditibus aliquid amplius donare conſanguineis, quam quod eſt neceſſarium ad ſublevandam eorum indigentiam? Et aliqui negarunt; nam licèt cauſa neceſſitatis, & paupertatis conceſſum ſit conſanguineis aliquid ex redditibus donare, attamen ſi amplius conceditur, jam ceſſat cauſa; & ideò ſi quid amplius donetur erit peccatum. Gregorius in *l. 40 tit. 5. p. 1. gloſſ. 10. ad fin.* Avendanus *reſponſ. 19. num. 4.* Major *in 4. diſt. 24. q. 19.* & videtur ſentire Vaſquez relatus à Delugo *d. ſect. 4. n. 70.*

Hæc ſecunda ſententia admittenda eſt quando donatio 55
ultra eleemoſynam fuiſſet exceſſiva, non verò quando modica; nam ut ſupra diximus, & tenet ipſe Avendanus *dict. reſp. 19. n. 4. verſ. Eadem ratione*, Beneficiatus ex redditibus valet facere aliquas modicas donationes, non ſolùm extraneis, ſed etiam conſanguineis. Unde ſequitur, ultra elee-

mo-

moſynam factam conſanguineo, poſſe ei addere aliquam modicam donationem: idque majori ratione, quando fieret conſanguineo, ad quod natura nos impellit; quapropter illa ſententia intelligenda eſt de exceſſivis donationibus, non verò de modicis, ut tenent aliqui apud Sanchez *dict. dub. 38. nu. 7.* Abbas *in cap. 1. de Arbitris*, Aufrerius *ad Capell. Toloſ. quæſt. 289.* de Lugo *dict. ſect. 4. n. 70.*

56 Extendit Molina *dict. diſput. 146. nu. 6.* poſſe id facere Beneficiatum, ſeu Prælatum uſque ad notandam conſanguineam pauperem, licet habeat alia bona patrimonialia: ſed hoc ultimum intelligendum, quando conſanguinea non ſit ex illis, quam ex obligatione propria teneatur donare, veluti ſi fuiſſet filia, aut ſoror; tunc enim nequit dotare ex redditibus, ſecus ſi ad hanc obligationem non aſtringeretur, quia ſi fuiſset pauper, perinde eſt, ac ſi aliis pauperibus mulieribus dotem concederet, ut probat ipſe Molina.

CAPUT VII.

Quid poſſint Prælati, aut Beneficiati expendere ex redditibus ad ſtatum conſanguineorum, aut fundandos majoratus: & de largitione munerum Religioſorum.

SUMMARIUM.

An quando aliquis ex infima ſorte ad Epiſcopatum, ſeu Cardinalatum aſſumptus eſt, poſſit conſanguineis dare amplius, quàm quod erat neceſſarium ad illorum ſtatum, ut ad altiorem aſcendant? Prima ſententia negat, numer. 1. Illuſtratur exemplis Clementis IV. num. 2. & Adriani VI. num. 3. Temperatur hæc ſententia, quando conſanguineus eſt tam infimæ ſortis, ut dedecoret Cardinalem, ſeu Epiſcopum, nu. 4.

An Prælati, ſeu Beneficiati ex redditibus poſſint majoratus inſtituere? Ex patrimonialibus bonis, vel quaſi rectè poſſunt, n. 5.

Si Prælatus, aut Beneficiatus ſanus majoratum ex redditibus inſtituat, peccat graviter, ſed valet inſtitutio, & explicatur, n. 9.

Limitant aliqui, quando majoratus non eſt ad conſervandam, & locupletandam familiam, ſed ita ut non cadat ab ſtatu, nu. 7. Non admittuntur, niſi quando fieret majoratus, ut ex redditibus eleemoſyna conſanguineis pauperibus fieret; & ſi conſanguinei pauperes non ſint, ad aliam piam cauſam divertatur, nu 8.

Sed an Prælatus, ſeu Beneficiatus ex bonis redditiuum acquiſitis parcè vivendo poſſit majoratum inſtituere? Affirmant plures, n. 9.

Negarunt aliqui. Privilegium alimentorum non competit præteritis, nu. 10. Admittitur prima ſententia, & reſpondetur contrariis, n. 11.

Si majoratus ex redditibus inſtituatur revocabiliter à Prælato, ſeu Beneficiato ſano, de jure communi non ſolùm illicitè fit, ſed etiam invalidè, n. 12.

Si verò Prælatus, aut Beneficiatus de jure communi in ægritudine ſit conſtitutus, an poſſit valide majoratum inſtituere? Prima ſententia negat, num. 13. Secunda affirmat, ſi fiat ſine fraude, & irrevocabiliter, num. 15. Matrimonium, ſeu profeſſio in articulo mortis ſunt validæ, ibid.

Eſt gravis quæſtio, de qua infrà, an donationes immodicæ factæ à Prælato, ſeu Beneficiato in ægritudine, ſint validæ? Negant plures, num. 15. Unde reſolvitur, ſimiles majoratus inſtitui non poſſe, niſi clarè conſtet fraudem non adeſſe, n. 16.

Prælati, ſeu Beneficiati per teſtamentum, vel per aliam ultimam voluntatem non poſſunt fundare majoratum ex redditibus, niſi ubi de conſuetudine poſſunt teſtari, & in probabili ſententia abſque peccato. Si habeant indultum teſtandi ſimpliciter, non poſſunt, niſi conceſſum ſit ad cauſas profanas, n. 17.

An Prælatus, ſeu Beneficiatus poſſit ex redditibus expenſas ſtudii concedere nepoti habenti patrem divitem? Prima ſententia affirmat, num. 18. Secunda negat. Filius habens patrem divitem dives eſt, & pater tenetur ad ſtudia ſecundùm ſtatum filii, n. 19.

Poteſt dare has expenſas nepoti pauperi beneficiatus, num. 20. Si habeat patrem divitem, non poteſt ad minora ſtudia, ad quæ pater tenetur, n. 21.

Pater an teneatur ad majora ſtudia? Aliqui negant, alteri affirmant, numer. 22. Reſolvitur, & aſſeritur patrem divitem ſolum teneri ad majora ſtudia, quando filius ea inceperit cum profectu: quo quidem caſu non poterit beneficiatus, ſeu Prælatus præſtare, nu. 23.

In eleemoſynis concedendis ſunt præferendi conſanguinei pauperes, & virtuoſi, & idem in emphyteuſi Eccleſiæ, nu. 24.

An Epiſcopi, ſeu alii Beneficiati poſſint aliquid reſervare, ut aſcendant ad majorem ſtatum? Poſſunt aliquid reſervare ad neceſſaria vitæ, num. 25. Non verò ut conſanguinei aſcendant, n. 26.

Prima ſententia affirmat poſſe reſervare ad aſcendendum ad altiorem ſtatum, nu. 27. Secunda negat, nu. 28. Admittitur, ſi ſit ad profanum, n. 29.

Si ſit ad Eccleſiaſticum, ſimiliter aſſerendum eſt, num. 30. Si verò ſit immediatus ſtatus, adhuc negat de Lugo. Sed contrarium defenditur, ſi non adſint extremæ, aut graves neceſſitates. Argumentum à contrario ſenſu validum eſt, num. 31. Quia experientia præditi utiliores ſunt ad Eccleſias, unde quotidie translationes approbantur, ibid. Id pertinet etiam ad melius regimen eccleſiæ præſentis, nu. 32. Fit inſtantia, nu. 33. Et reſpondetur, n. 34.

Religioſi nequeunt ex redditibus Monaſteriorum aliquas donationes elargiri directè, ſive indirectè, exceptis levibus eſculentis, ſeu potulentis, & ad devotionem munuſculis. Explicatur Conſtitutio Clementis VIII. nu. 35.

Hæc Conſtitutio licèt ab aliquibus dicatur neceſſaria, recepta non eſt, & dicunt non obligare, alteri affirmant, quia ſufficit promulgatio, nu. 36. Et ad praxim explicatur Conſtitutio Clementis, n. 37.

Prælati poſſunt facere modicas donationes, Religioſi verò ex licentia tacita, aut expreſſa Superioris. Sed quæ ſit iſta modica quantitas? Aliqui uſque ad decimam partem, alii ad duodecimam extendunt: alteri dicunt à Conſtitutionibus taxari, nu. 38. Sed arbitrio prudentis relinquitur, n. 39.

An donationes iſtæ modicæ ſint intelligendæ de modicis comeſtibilibus, de quibus Bulla? Affirmandum videtur, num. 40. Quando in jure propter certas cauſas revocatur donatio, non poteſt fieri extenſio ad alias, ibid.

Sed contrarium defenditur. Dictio Tantùm, *licèt ſit taxativa, & reliqua excludat, non tamen caſus ſimiles, ſicut etiam ad revocandas donationes etiam ſimiles caſus admittuntur, in meliori ſententia, n. 41.*

Eſculenta, & potulenta non debent eſſe magni valoris, nu. 42. Quod intelligunt aliqui ad quantitatem, quæ ſi furata eſſet, lethale efficeret, n. 43.

Hæ doctrinæ explicantur: & textus in l. Plebiſcito 18. ff. de offic. Præſidis, *n. 44. & 45.*

De Xeniis à judicibus recipiendis, vel non, nu. 46. Et id totum arbitrio recti iudicii relinquendum, nu. 47. Sed defendi valet, eſculenti, & potulenti quantitatem poſſe expendere Religioſos, quæ valet à donatario expendi intra duos, aut tres dies, n. 48.

Religioſus poteſt dare aliqua parva ad devotionem, veluti imagines, libellos, thecas, n. 49.

Sed an quando moniali dantur facienda corporalia magni valoris, ſed picturæ, miniſtratis ad id neceſſariis, poſſit facere gratis, abſque licentia Superioris? Negandum videtur, num 50. Sed contrarium tenent aliqui, nu. 51. Admittitur, ſi opus fuerit parui valoris, aut Conventus operas ſuas dederit Moniali, num. 52. Si fuerint magni valoris, negatur, n. 53.

Servus quidquid acquirit per operas, domino acquirit, ſicut libertus, ſi in manumiſſione operas promiſiſſet, ibid. Et defenditur, n. 54. & 55.

An Prælatus, ſeu Religioſus poſſit dicere dare ſibi volenti, Non indigeo, da meo conſanguineo, *ſeu amico? Affirmant plures, n. 56.*

Quando dicit, Da nomine meo, *nequit id dicere, acceptat enim, ſi dicat* nomine meo, *num.58. Si dicat*, Da nomine tuo, *poſſe affirmant plures: ſed contrarium cum Sorbo ſuſtinetur, ibid.*

Fit inſtantia, & interpretatur Bulla, num.58. Et confirmatur ſententia Sorbi, num.59. Et probatur ſic eſſe directam donationem, & abſque traditione tranſire dominium ad cauſam piam, nu.60.

Quando aliquis promitteret donare Religioſo, an poſſit reſpondere, Da amico, ſeu conſanguineo. *Pervenitur ad quæſtionem, an promiſſio de donando, ſit donatio. Prima ſententia negat. Qui promittit, ſe obligat ad factum, & liberatur præſtando intereſſe. Promiſſio vendendi non eſt venditio, n.61.*

Secunda ſententia tenet contrarium: circuitus in jure vitantur. Qui promiſit ſe obligaturum, ſtatim obligatur. Pactum de liberando parit liberationem, numer. 62. & 63.

Qui oſtendit propoſitum donandi, non obligatur, num. 64. Componuntur caput Literaturam 3. de vot. *& caput* Conſulti 20. Regular. *nu.65.*

Si verò promiſſio ſit cum animo ſe obligandi ad donationem, & promiſſio ſit nulla deſignata quantitate, tunc non eſt donatio: & in hac ſpecie latà probatur, numer. 66. Promiſſio vedendi, non deſignato pretio, non eſt venditio, ibid.

Fit inſtantia per argumentum â dote, cujus promiſſio abſque quantitate eſt dos. Sed reſponſum datur, nu.67.

Fit replica, & ei reſpondetur, num.68. In hac conſideratione Prælatus, ſeu Religioſus rectè poſſet dicere, Da nomine tuo. *Sed contrarium defenditur, numer.69.*

Quando verò promitteretur Religioſo, ſeu Monaſterio quantitas, aut res certa donanda, tunc promiſſio eſt donatio, & talia verba dicere non poterit, nu.70. & 71.

An Prælati, ſeu Religioſi poſſint facere donationes remuneratorias? Negandum videtur, num.72. Sed contrarium in meliori ſententia ſuſtinetur. Prohibitus dare, non eſt interdictus remuneratoriè donare, num.73. Admittitur, & explicatur hæc doctrina, nu.74. Limita ſi ex indulto Pontificis Religioſus Beneficium obtineat, vel Epiſcopatum; tunc enim ex redditibus poterit remuneratoriè donare, n.75.

Vel ſi donatio remuneratoria ſit neceſſaria ad bonum Monaſterii, n.76.

Licentia Prælati ſemper eſt neceſſaria, ut donet Religioſus quam poteſt concedere Abbatiſſa, n.77.

Inter ipſos Religioſos ſi donetur, eſt neceſſaria licentia: ſed ſi ambitio ceſſet, aliqui tenent contrarium, n 78.

Accipientes donationes contra hoc interdictum tenentur ad reſtitutionem, n. 79.

1 IN hoc capite in primis inquirendum eſt, an quando aliquis ex infima ſorte ad Cardinalatum, ſeu Epiſcopatum aſcendat, poſſit conſanguineis dare amplius ex redditibus, quàm quod erat neceſſarium ad priſtinum ſtatum conſervandum, ita ut ad alium aſcendant? Negavit Gregorius Lopez *in l.40. tit.5. p.1. gloſſ. fin. ad finem*: nam ſacri Canones illud tantùm permittunt dare conſanguineis, quod ſit neceſſarium ad ſublevandam ejus indigentiam. Ergo nullo modo eis eſt concedendum, ut ad majorem ſtatum aſcendant.

2 Exemplis hæc doctrina Illuſtratur. Nam Clemens IV. Pontifex Maximus, mira ſanctitate prædictus, duas cùm haberet filias antea ex matrimonio ſuſceptas, unam in Monaſterio collocavit, aſſignata portione triginta librarum parvarum Turonenſium. Alteri verò, quæ marito ſuæ conditionis nupſerat, trecentas libras Turonenſes pro dote numeravit, illo pacto adjecto, ne amplius peteret. Ex una nepotem habuit, & Datarii, & Officiales inſciò avo tria ei pinguia beneficia contulerunt. Aſt cùm id ſciret Pontifex, unum eligere, aliis dimiſſis nepotem compulit: contrà autem amicis rogantibus, reſponſum præbuit: *Se Deo, non carni, & ſanguini acquieturum: Deum ita velle, ut ſua in pias cauſas erogentur, nec eſſe dignum Petri ſucceſſorem, qui plus cognationi, quàm pietati, & Chriſto tribueret*. Platina *in ejus vita, fol. mihi* 200. Illeſcas *Hiſt. Pontifical. lib.5 cap.10. in fin.* Petrus Gregorius *de Re benefic. cap.5.n.8.* Barboſa *in Paſt.1. p.tit.8. gloſſ.9.n.32.*

Aliud verò imitandum exemplum præſtitit Adrianus VI. ad apicem Pontificatus perveniens. Cùm enim plures conſanguineos haberet, & ex Belgis Romam petiiſſent pedeſtres, aliquibus veſtimentis eis datis, ac admodum pauca pecunia illis præſtita, pedites revertebantur: & cùm Senis nepotem literis vacantem haberet, ipſeque ad viſendum Pontificem adveniſſet, feſtinanter eum redire juſſit, & tanquam pauperi ei ad pergendum ſolam mulam conceſſit. Illeſcas *tom.2. lib.6. cap.25.* Ex his exemplis Gregorii Lopez doctrina confirmatur, dum iſti Summi Præſules ſuis conſanguineis pauperibus, & egenis ad altiorem ſtatum capeſcendum minimè aliqua præſtiterunt. Ergo Prælatus, ſeu Beneficiatus ex redditibus nequit conſanguineis concedere, ut ad altiorem ſtatum evehantur. 3

Sed tamen hæc ſententia temperanda eſt, nempe quando conſanguinei alicujus Prælati forent tam infimæ ſortis, ut inhonorarent dignitatem Prælati, ſeu alterius eccleſiæ dignitatis, utpote ſi eſſent lignarii, vel aquarii: poteſt enim epiſcopus, Cardinalis, aut alter inſignis Præbendatus eos ponere in alio moderato ſtatu, ne injuria irrogetur ſuæ dignitati: & eſt ratio, quia epiſcopus tenetur proſpicere decorem ſuæ dignitatis ex redditibus. Tum quia ſtatus conſanguineorum creſcit per dignitatem epiſcopi, ſeu Cardinalis; quamobrem poterit ſuos conſanguineos ad altiorem ſtatum evehere, ad quem poſiti ſunt per ſuam dignitatem. Navarrus *de reddit. quæſt.1. Monit.77. num.4.* Molina *dict. tract.2. diſput.146. nu.8.* Toletus *in Summa, lib.7. cap.38. num.1.* Sanchez *dict. dub.38. num.8.* Garcia *in Summa, tract.1. difficult.4. dub.2. num.9.* R. Moya *dict. diſput.6. quæſt.2. §.4. num.16.* Velaſco *de privileg. paup.1. p. quæſt.4. n.35.* 4

Deinde diſquirendum, an Prælati, ſeu alii Beneficiati poſſint ex redditibus majoratus inſtituere? Qua in re illud in primis ſciendum, poſſe Prælatum, ſeu Beneficium primogenitum inſtituere de ſuis bonis patrimonialibus, aut de aliis, de quibus liberè valet diſponere, quorum ſuprà mentionem egimus: in his enim ut certum id eſt ſupponendum. Capponi *tom.3. diſcept. forens.140. nu.2.* non ſolùm in vita, ſed etiam in morte, prout ſibi placuerit, prout in venerabili Cardinale Ximenio ſcripſit Alvar. Gomez *in ejus Hiſtoria, lib.1. fol.mihi 26.* Molina *de primogen. lib.2. cap.10. numer.26. & 48.* Gratianus *tom.5. diſcept. cap.854. à num.59.* Barboſa *3. part. allegat.114. num.33.* 5

Erit ergo diſquiſitio, an ex redditibus Beneficiorum poſſint Prælati, ſeu Beneficiati majoratum inſtituere ad conſervationem ſuæ familiæ? & eſt duplici modo facienda. Primò quando Prælatus, ſeu Beneficiatus ſanus, & recta valetudine fruitur. Secundò quando aliqua infirmitate gravaretur. Quoad primum dicendum, de jure communi loquendo, quod ſi Prælatus, aut Beneficiatus majoratum inſtituerit ſanus, & abſque aliquo morbo, graviter peccare, ſed tamen validum eſſe majoratum. Prima pars probatur, nam expedit redditus in uſus profanos, quod eſt peccatum grave. Secundò ſimiliter probatur; nam eſt donatio rei propriæ, in qua Prælatus, ſeu Beneficiatus habebat dominium. Ergo valdè conceſſa eſt ad inſtituendum majoratum, licèt illicitè: quod quidem admittendum quando majoratus inſtitutio facta eſt irrevocabiliter inter vivos, aut in noſtra Caſtella cum ſolemnitatibus, de quibus *in l.17. Tauri*, Angulo *de Meliorat. in l.1. gloſſ.1. à num.1.* Morquecho *de diviſ. bonor. lib.3. cap.2. à num.1.* Molina *de primog. dict. cap.10. num.32.* Alter Molina *de juſt. tract.2. diſput.148. num.3.* Garcia *in Summa, tract.4. difficult.4. dub.2. num.18.* de Lugo *de juſt. dict. ſect.4. nu.71.* Barboſa *3.p. allegat.114. nu.33.* 6

Temperant tamen aliqui, ſi inſtitutio majoratus facta fuerit ad locupletandam familiam, ſecus verò ad conſervandum ſtatum, & decentiam illius; nam reſpectu, iſtius conſiderationis modica donatio videtur, quare non erit grave peccatum. Sotus *de juſt. lib.10. quæſt.4. art.4. verſ. Quamvis documentum*, Eſcobar *in Theolog. Moral. tract.5. examin.5. cap.4. num.60.* Gratianus *dict. diſcept.854. num.63.* & tenere videtur Petrus Hurtado relatus à Garcia *dict. difficult.4. dub.4 num.8.* 7

Sed

8 Sed non admitto Doctrinam horum Doctorum; nam hic modus inſtituendi primogenitum ex ſua natura reſpicit ad conſervandam familiam, quod quidem eſt uſus profanus; quamobrem Prælati, ſeu Beneficiati graviter peccabunt ad id expendendo redditus Eccleſiaſticos, ut tenent Molina *d. c.* 10. *n.* 49. Garcia nuperrimè relatus. Admitterem tamen illum placitum, quando majoratus inſtitueretur per modum cauſæ, aut memoriæ piæ, ad ſuccurrendas neceſſitates occurrentes propriæ familiæ; verùm ſi ad meliorem fortunam perveniat, ut redditus illius majoratus ad aliam piam cauſam divertantur: tunc enim rectè inſtitueretur majoratus ex redditibus, quia ſemper pietatem reſpicit. Gratian. *d. diſcept.* 854. *n.* 64.

9 Præterea limitant alii Doctores quando Prælatus, ſeu Beneficiatus ex redditibus parcè vivendo aliqua bona acquiſierit, & ex his bonis majoratum inſtituerit; tunc enim abſque aliquo peccato procedit: nam bona illius ſunt propria inſtituentis, cum libera facultate diſponendi, & expendendi. Ergo rectè Prælatus, ſeu Beneficiatus poterit ex eis primogenitum fundare. Navarr. *de Reddit. quæſt.* 1. *monit.* 30. & 76. Molina *dict. cap.* 10. *nu.* 50. Gratian. *dict. diſcept.* 854. *nu.* 65. Molina *de Juſt. tract.* 2. *diſput.* 146. *num.* 3. Villalobos *in Summa*, 2. *p. tract.* 10. *difficult.* 8. *numero* 3. *ad fin.*

10 Sed dices: Bona illa, quæ parcè vivendo acquirit Prælatus, ſeu Beneficiatus, eodem modo ſunt expendenda prout ipſi redditus, ut tenet Abbas relatus à Molina *dict. cap.* 10. *num.* 50. Sarmiento *de reddit.* 3. *part. cap* 5. *num.* 4. Garcia *de Benefic.* 1. *p. cap.* 1. *num.* 3. Ergo ſicut de redditibus nequit Prælatus, aut Beneficiatus majoratum inſtituere abſque gravi culpa, ſimiliter nec ex his bonis acquiſitis parcè vivendo. Confirmatur duabus rationibus. Prima, nam quod iſto modo ſupereſt de redditibus, ſuperfluum eſt ex eis, itaque ſemper remanet cum onere eleemoſynandi, non verò ut de eis liberè diſponatur. Secunda, licèt bona iſta parcè vivendo acquiſita reſtent ex congrua Prælati, ſeu Beneficiati, & ut alimenta cenſeantur, *l.* 1. *Cod. de Fideicommiſſ. l. Cum ii* 8. *ff. de tranſact.* ſunt tamen alimenta præterita, non gaudentia privilegiis alimentorum, *l. Alimentis* 8. *C. de tranſact.* Caſtillo *lib.* 8. *controverſ. cap.* 19. *num.* 6. Ergo licèt congrua de præſenti gaudeat privilegio, ut expendi valeat prout placuerit Prælato, ſeu Beneficiato; non tamen bona illa præterita ex congrua acquiſita, idcircò non poterunt liberè expendi, nec ex eis majoratus inſtitui.

11 Verùm argumentum, & illius fundamenta debilia ſunt; bona enim parcè vivendo acquiſita ex congrua, ſunt bona patrimonialia, vel quaſi Prælati, ſeu Beneficiati, quia Eccleſia totam congruam concedit, ut mercedem ſeu ſalarium laboris Prælatis, ſeu Beneficiati; & non ſolùm dominium concedit, ſed etiam facultatem liberam, ut de ea diſponant prout ſibi placuerit, tempore quo dat; ſed poſteà eo tranſacto, quidquid acquiſierint parcè vivendo ex genio, ad liberam diſpoſitionem acquirentis relinquit. Eſcobar *d. c.* 4. *num.* 6. Bonacina *de obligat. Benefic. diſput* 4. *punct.* 2. *propoſit.* 3. *num.* 14. Layman *in Summa*, *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 3. *num.* 2. Trullench *l.* 7. *Decalog. c.* 2. *dub.* 6. *num.* 4. Palao *de charit. tract.* 6. *diſput.* 2. *punct.* 5. *num.* 5. Idcirco rectè poterunt de his bonis parcè vivendo acquiſitis primogenitum inſtituere.

12 Si tamen Prælatus, aut Beneficiatus ſanus, & abſque aliqua ægritudine majoratum revocabilem inſtituerit, de jure communi nec in Beneficiatis validum erit; modus enim inſtituendi magis conformis eſt ultimæ voluntati, quàm contractui: quare valida non erit talis inſtitutio, Prælati enim, aut Beneficiati de jure communi nequeunt de redditibus teſtari, nec aliquid relinquere per modum ultimæ voluntatis: quare nec majoratum revocabilem inſtituere poterunt. Molina *dict. capit.* 10. *numero* 35. alter Molina *dict. diſput.* 146. *num.* 3. Barboſa *dict. alleg.* 114. *num.* 33.

13 Si verò Prælatus, aut Beneficiatus in ægritudine ſint conſtituti, & majoratum irrevocabilem inſtituant ex redditibus, de jure communi quæſtio eſt, an validus ſit, necne. Prima ſententia negat validum ex deciſione Textus *in cap. Ad hæc* 8. *de teſtament.* ubi donationes factæ à Clerico in ægritudine, niſi modicæ fuerint, & per modum eleemoſynæ, annullantur. Ergo nec Prælatus, nec Beneficiatus, ex redditibus in ægritudine poſſunt majoratum irrevocabilem inſtituere. Hæc enim eſt maxima quantitas, & non per modum eleemoſynæ, ſed ad uſus profanos, nempe ad conſervandam familiam. Ergo talis inſtitutio erit irrita. Cæterùm, nam diſponere de bonis acquiſitis intuitu Eccleſiæ in ægritudine, conſideratur in fraudem legis: ad quod eſt optimus textus *in l. filiæ meæ* 59. *ff. ſolut. matrim.* ubi ſi pater ſtipulatus fuerit dotem ad ſe revertendam, ſi filia decedat in matrimonio, & non in cauſam repudii; verùm maritus cùm eam ægram videret, repudiavit: inquit Conſultus, patrem dotem recuperare poſſe, quia id in fraudem actum eſt. Quod idem in præſentia aſſerendum; nam in fraudem eſt. Quod idem in præſentia aſſerendum; nam in fraudem legis actum videtur in ægritudine majoratum irrevocabilem inſtituere, ex eo quod erat interdictum relinquere per ultimam voluntatem, *l. Si mulier* 21. *ff. de Rer. amot.* Boerius *deciſ.* 287. Ergo non eſt ſuſtinenda talis majoratus inſtitutio. Denique, nam Prælatus, ſeu Beneficiatus in ægritudine conſtitutus cenſetur tanquam uſuarius reddituum, qui nequit aliquid de eis diſponere, niſi neceſſaria ſuſcipere. Gloſſa *in cap. fin. de pecul. Cleric.* Covarr. *in cap. Cùm in Officiis*, *de teſtamen. num.* 1. quare ſi aliquem majoratum inſtituerit, erit nulla inſtitutio. Gratianus *dict. cap.* 854. *nu.* 50. Lima ad Molinam, *lib.* 2. *cap.* 10. *à num.* 40.

Sed Molina *dict. cap.* 10. *n.* 40. tenet aliam ſententiam, contrariam; ſcilicet ſuſtinendam eſſe talem majoratus inſtitutionem, ſi fiat abſque aliqua fraude, verùm conſtet irrevocabiliter, & cum traditione bonorum effectuatam eſſe. Probat, nam donatio inter vivos pura, & irrevocabilis poteſt fieri ab infirmo, etiam morti proximo, *l. Seja* 42. §. *Cùm Prætor*, *ff. de donat. cauſa mortis*, ibi: *Cùm autem quis abſolutè donaret, non tam mortis cauſa, quàm morientem donare.* Et diximus *lib.* 1. *cap* 13. *nu.* 49. Ergo & majoratus inſtitutio, nulla fraude interveniente. Et confirmat ſententiam; nam ſi poſteà Prælatus, aut Beneficiatus convaleſcat, ſi aliquid irrevocabiliter tempore ægritudinis donaverit, donatarius reſtituere non debet; eſt enim valida donatio, etiam in articulo mortis, ut profeſſio, & matrimonium, ut tenet ipſe Molina *dict. lib.* 2. *c.* 5. *num.* 27. Ergo ſi conſtat abſque fraude irrevocabiliter eſſe inſtitutum majoratum, validus erit etiam in ægritudine, ut etiam tenet alter Molina *d. diſp* 146. *num* 9. 14

Hæc verò controverſia fodienda eſt ex illa quæſtione, an quando Prælatus, ſeu Beneficiatus de jure communi, ſi eſt in ægritudine, aliquid immodicum donaverit irrevocabiliter, ſit ſuſtinendum, necne? de qua infra latè agemus. Interim tamen abſolutè loquendo dicendum, tales donationes non valere, quin potiùs eas tanquam fraudulentas rejicit textus *in dict. cap. Ad hæc* 8. *de teſtament.* ubi Gonzalez *num.* 3. nam faciliter defraudarentur Eccleſiæ, ſeu Camera Apoſtolica, ſi hæ donationes factæ in ægritudine ſuſtinerentur. Tum quia conſiderantur tanquam factæ in teſtamento, quando ſperatur fieri in ægritudine, *c. De his* 4. *de ſepult.* Covarr. *in c. Ad hæc*, *n.* 1. Sarmiento *de reddit.* 4. *p. quæſt.* 14. *num.* 16. Barboſa *dict allegat.* 114. *num.* 6. quamobrem annullantur, nec poſſunt ſuſtineri. 15

Unde ſequitur, majoratum factum in ægritudine, ſive à Prælato, ſeu à Beneficiato ex bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis, utpote fraudulentum, & in fraudem legis inſtitutum, minimè ſuſtineri poſſe, abſolutè loquendo; ſi tamen conſtet, nullam fraudem extitiſſe, tunc eſt reſolvendum prout infra latè explicabimus de donationibus irrevocabiliter factis in ægritudine. Gratianus *dict. c.* 854. *num.* 51. 16

In teſtamento verò, vel per aliam ultimam voluntatem nequit majoratus inſtitui, nec à Prælatis, nec à Beneficiatis. Limita, niſi ubi de conſuetudine teſtantur de redditibus, ut in Caſtella Clerici, & in aliis Regnis, de quibus poſteà erit ſermo; quia tunc rectè in teſtamento, aut in alia ultima voluntate majoratum inſtituent de redditibus, etiam ad uſus profanos: quod non ſolùm erit validum, ſed in probabili ſententia abſque peccato. Molina *dict. diſput.* 145. *nu.* 5. Si verò Prælatus, ſeu Beneficiatus indultum teſtandi habuerint à Summo Pontifice, verba indulti magnoperè ſunt conſideranda; ſi enim tantùm ſit ſimplex facultas teſtandi, minimè erit valida majoratus inſtitutio, quia tantùm data videtur ad pias cauſas, non verò ad primogenitum, nec ad alias cauſas profanas. Verùm ſi ad cauſas profanas detur indultum, poterit inſtitui majoratus, & validus erit in foro fori; ſecus autè in foro poli, niſi magna 17

fuerit cauſa ad id concedendum. Navarrus *in Man. cap.* 25. *num.* 129. Barbatia *de præſt. Cardin.* 1. *quæſt.* 4. *num.* 7. Molina *de Primog. d. cap.* 10. *num.* 30. & 31. Gratianus *d. cap.* 854. *nu.* 49.

18 Præterea eſt aliud dubium, an Prælatus, ſeu Beneficiatus poſſit ex redditibus expenſas ſtudii concedere nepoti habenti patrem divitem. Prima ſententia affirmat; nam pater quantumvis dives, non tenetur Studia, Collegia, ſeu Seminaria dare filio ſuo, ſed tantùm alimenta, & neceſſariam educationem: quare filius reſpectu harum expenſarum pauper eſt, cui benè Prælatus, ſeu Beneficiatus expenſas iſtas porrigere abſque culpa poterit. Garcia *in Summa, tract.* 1. *difficult.* 4. *dub.* 2. *num.* 9. Layman *in Summa, lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 3. *n* 5.

19 Secunda ſententia negat, quia filius habens patrem divitem, etiam dives dicitur, *l. In ſuis* 11. *ff. de lib. & poſthum.* ubi Scribentes, Greg. *in l.* 7. *tit.* 13. *part.* 6. Menochius *lib.* 4. *præſumpt.* 189. *num.* 32. Campanilus *in diverſ. rub.* 8. *cap.* 5. *num.* 3. Ergo Prælatus, ſeu Beneficiatus ex redditibus nequit dare expenſas iſtas nepoti habenti patrem divitem. Cæterùm pater dives non ſolùm tenetur educare filios neceſſaria educatione, ſed etiam ſtudiorum correſpondentium filiorum ſtatui. Ergo cùm habeat patrem divitem obligatum ad hæc dubia, nequit Prælatus, ſeu Beneficiatus ex redditibus has expenſas concedere nepoti. Aſt ſententia iſta affirmat, poſſe dare, ſi pater renuerit illas concedere. Navarrus *lib.* 3. *conſ.* 2. *de vit. & honeſt. Clericor.* Bonacina *d. punct.* 2. *propoſit.* 3. *num.* 13. de Lugo *dict. ſect.* 4. *n.* 18.

20 In hac difficultate illud eſt certum, Prælatum, ſeu Beneficiatum poſſe dare expenſas ſtudii pauperi nepoti; ex eo enim, quod pauper ſit, eſt opus pium: quare rectè ex redditibus has expenſas concedit. Sylveſter *verbo Clericus* 4. *quæſt.* 15. Sanchez *conſ. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *num.* 18. Belletus *diſquiſit. Cleric. tit. de bon. Cleric.* §. 11. *n.* 14.

21 Erit ergo difficultas, quando nepos habuerit patrem divitem; & in hoc caſu diſtinguenda ſunt ſtudia; aliqua enim ſunt minora, veluti legere, & ſcribere, linguam Latinam agnoſcere. Majora verò dicuntur Theologalis ſcientia, Legalis, ſeu Medica, vel altera ſimilis addiſcenda, Quoad prima dico, quod ſi nepos habuerit patrem divitem, minimè Prælatum, ſeu Beneficiatum poſſe ex redditibus has expenſas nepoti concedere. Et ratio eſt, quia pater tenetur ad erudiendum filium, *l. Qui filium* 3. *ff. ubi pupillus educari debeat*, *l. De bonis* 6. §. *Non ſolùm*, *ff. de Carbon. edict. l.* 16. *tit.* 16. *par.* 6. ubi communiter Interpretes explicant de minoribus ſtudiis. Bart. *in d. l. Non ſolum*, Jaſon *in l. Quidam cùm filium*, *ff. de verb. oblig. numer.* 33. Menochius *de Arbitr. caſu* 501. *num.* 10. Velaſco *de Privileg. pauper.* 1. *part. quæſt.* 4. *num.* 58. Tamburinus *Oper. Moral. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 3. §. 1. *num.* 2. Ergo cùm nepos habeat patrem obligatum ad expenſas minorum ſtudiorum, nequit Prælatus, ſeu Beneficiatus eas ei præſtare. Rurſus, quia id non eſſet donare nepoti, ſed patri diviti, quod eſt grave peccatum.

22 In ſtudiis majoribus eſt major difficultas; nam aliqui Doctorum negant patrem ad illa obligari: nam licèt pater teneatur filium erudire, juxta illud Eccleſiaſtici *cap.* 7. *verſ.* 25. *Filii tibi ſunt, erudi illos*: & *cap.* 4. *verſ.* 12. Navarrus *in Man. cap.* 12. *num.* 17. Giurba *ad conſuetud. Meſſan. cap.* 7. *gloſſ.* 12, id tamen ſufficit fieri per minora ſtudia. Verùm alteri inquiunt, quod ſi pater ita dives ſit, ut poſſit majora ſtudia filio concedere, ad id teneri, quia eſt in bonum Reipublicæ, & in honorem parentum. Garcia *de expenſis, cap.* 3. *num.* 45. Surdus *de Aliment. tit.* 6. *quæſt.* 19. & *tit.* 4. *quæſt.* 6. Menochius *conſ.* 501. *n.* 12. Gratianus *diſcept. for. cap.* 269. *nu.* 43. Eſcobar *de purit. ſanguin.* 1. *p. quæſt.* 1. *proœm.* §. 3. *n.* 31.

23 Unde ſequitur, quod ad ſtudia majora difficile eſt reſolvere, an Prælatus, ſeu Beneficiatus poſſit nepoti habenti patrem divitem concedere expenſas ſtudiorum majorum. In ſententia aſſerentium patrem teneri ad ſtudia majora, nequeunt illas præſtare; ſecus in ſententia negantium. Sed tamen dicendum eſt, poſſe dare has expenſas, abſolutè loquendo pater renuerit illas præſtare; nam cùm melior ſententia ſit pro patre, difficillimè, aut inutiliter ad eas præſtandas compelletur: quamobrem abſque culpa præſtari poterunt ex redditibus. Excipiendus tamen erit caſus, quando ſemel ex patris voluntate inceperit filius hæc majora ſtudia, recteque proficiat, nec adſit legitima cauſa, ut amoveatur; quia tunc pater dives poterit compelli, ut expenſas iſtas præſtet, ut benè notat Spino *de teſtament. gloſſ.* 18. *num.* 79. Et nec Prælatus, ſeu Beneficiatus ex redditibus poterit nepoti illas præſtare.

Illud verò antequam conſanguineos relinquamus obſerves, ut quando eleemoſynæ ſunt dandæ, præferendi ſint illi extraneis, dummodò in eis concurrant qualitates meriti, paupertatis, & virtutis; iſtud enim petit ratio naturalis ſanguinis, & charitatis, ut cum propriis benevolos nos oſtendamus, ut cum Toleto tenet Eſcobar *in Summa, dict. cap.* 4. *nu.* 60. de Lugo *diſput.* 4. *ſect.* 4. *num.* 70. Garcia *dict. difficult.* 4. *dub.* 2. *nu.* 9. Unde aſſerunt Doctores, Epiſcopum poſſe bona Eccleſiæ ſolita infeudari, vel in emphyteuſim concedi, potiùs conſanguineis, quàm extraneis concedere. Surdus *de Aliment. tit.* 8. *privileg.* 92. *num.* 1. Cardoſo *in Praxi, verbo Emphyteuſis, nu.* 11. Flaminius *de Reſign. lib.* 9. *quæſt.* 17. *n.* 124. 24

Rurſus diſquirendum, an Prælatus, ſeu alius Beneficiatus poſſit ex redditibus aliquid reſervare, ut aſcendat ad altiorem dignitatem Eccleſiaſticam. Qua in difficultate præmitto, poſſe aliquid ex ſuperfluis reſervare ad conſervandum ſuum ſtatum, vel ad aliquas neceſſitates proprias, veluti ad infirmitatem, litem, vel ad aliam neceſſitatem præciſam. In hac ergo vita, ubi tantæ ſunt ærumnæ, neceſſaria eſt aliqua providentia, nec faciliter deficiamus: quare rectè Prælatus, ſeu Beneficiatus ex ſuperfluis aliquid reſervat, quod arbitrio viri prudentis fuerit neceſſarium, niſi adſint extremæ, aut graves neceſſitates; tunc enim nihil eſt reſervandum, ut cum Navarro tenet Sanchez *dict. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *num.* 13. de Lugo *dict. ſect.* 4. *num.* 54. R. Moya *dict. tract.* 6. *diſput.* 6. §. 4. *nu.* 16. 25

Deinde præmitto, non poſſe Epiſcopum, ſeu Beneficiatum aliquid reſervare ultra reſata in numero antecedenti. 26

Erit ergo concertatio, an poſſit aliquid reſervare ex ſuperfluis redditibus ad aſcendendum ad altiorem ſtatum, & dignitatem? Et Diana, quem refert de Lugo *Reſp. Mor. lib.* 5. *dub.* 11. *num.* 1. aſſerit id poſſe fieri; nam ad congruam pertinet non ſolùm conſervatio ſtatus præſentis, ſed etiam ad meliorem acquirendum; quia aſcendere ad ſuperiorem, eſt neceſſitas ipſius præſentis ſtatus. 27

Sed contrarium tenent alteri, nam Prælati, ſeu Beneficiati nequeunt ſuperfluum redditum retinere ad alios fines. Navarrus *in Man. cap.* 24. *num.* 6. *verſ. dixi ſæcularem*. Ergo nec ex eis aliquid retinere ad mutandum ſtatum, ſeu dignitatem. Tum, ſi liceret ſuperfluum reſervare ad mutandum, & aſcendendum ad meliorem ſtatum, rarus erit caſus in quo darent eleemoſynas ex ſuperfluis; ſemper enim hac occaſione retinerentur, cùm ſemper adſit major ſtatus, & dignitas, ad quam Prælati, ſeu Beneficiati poſſunt aſcendere. Ergo nullo modo ad aſcendendum ad meliorem ſtatum, & dignitatem poſſunt ex ſuperfluis redditibus aliquid reſervare, ut cum Corduba notat Vaſquez *in Opuſcul. de Eleemoſyna, cap.* 4. *dub. ultim. numer.* 14. de Lugo *dict. lib.* 5. *dub.* 11. *à num.* 2. 28

In re dicendum, hanc doctrinam admittendam eſſe abſque dubio, quando Prælatus, ſeu Beneficiatus alium ſtatum profanum deſideraret, in quo quidem eſſet ſuperfluum expendere in uſus profanos, & conſequenter grave peccatum. 29

Si verò ſuperfluum retineat, ut ad ſtatum altiorem Eccleſiaſticum aſcendat, diſtinctio eſt facienda, ſcilicet quando ſtatus eſt mediatus, ſeu immediatus: ſi enim ſtatus eſt mediatus, minimè id erit licitum; nunquam enim Prælatus, aut Beneficiatus eleemoſynas erogaret, dum reſervaret ad ſtatum Cardinalatus; itaque ſemper reſervaret, quod non eſt admittendum, ut benè docet de Lugo *d. dub.* 11. *n.* 4. 30

Si eſt Immediatus, de Lugo *ubi proximè*, *num* 2. aſſerit adhuc aliquid reſervari non poſſe. Sed pace diſertiſſimi viri dicendum cenſeo, quod niſi adſint extremæ, aut graves neceſſitates, poſſe ex ſuperfluis aliquid reſervari; & probatur doctrina doctiſſimi Patris Vaſquez *dict. dub. ult. num.* 14. qui apertè loquitur quando adſunt graves neceſſitates. Ergo ſi non adſint, rectè poterit Prælatus, aut Beneficiatus aliquid ex redditibus reſervare ad aſcen- 31

den-

dendum ad immediatum ſtatum ; argumentum enim à contrario ſenſu validum eſt, *l.* 1. §. *Huius rei*, *ff. de offic. ejus*, *l. Si quis locuples* 57. *ff. de manum. teſtament. cap. Cùm Apoſtolica, de his quæ fiunt à major part. Capituli*, Thomaſſetus *Reg.* 39. Tuſchus *lit. A, concluſ.* 498 Farinacius *tom.* 4. *conſ.* 30. *num.* 159. Cæterùm id reſervare ad aſcendendam ad immediatum ſtatum Eccleſiaſticum, veluti ad alium immediatum Epiſcopatum, vel Beneficium, erit cauſa pia, & in utilitatem Eccleſiarum; melius enim regitur Eccleſia ab eo, qui jam aliam rexerat, & praxim habet in munere illo obeundo, quàm ſi ab alio noviter regeretur, ut diximus *lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 49. Ludovicus à Conceptione *in exam. Theolog. Mor. tract.* 2. *caſu* 41. *à numer.* 12. Quamobrem translationes Epiſcoporum hodie tam facilè diſpenſantur *ex c. Mutationes* 24. 7. *quæſt.* 1. Rebuffus *titul. de translat. Epiſcop. num.* 9. Lantmeter. *de vet. Cleric. vict. lib.* 2. *cap.* 98. Capponi *tom.* 2. *diſcept.* 105. *n.* 4. Fraſſo *de Patronat. Indiar.* 1. *p. c.* 23. *n.* 23. Ergo cùm mutatio ſtatus ad immediatam Eccleſiam, ſi ad utilitatem Eccleſiarum, inde eſt ut Epiſcopus, vel Beneficiatus poſſit aliquid reſervare ad aſcendendum ad immediatum ſtatum Eccleſiaſticum.

32 Rurſus id pertinet aliquo modo ad conſervationem, & utilitatem præſentis dignitatis, & Eccleſiæ; nam Epiſcopus, ſeu Beneficiatus, qui curat ſtatum majorem Eccleſiaſticum futurum, magnopere curat bonum regimen ſtatus præſentis, & ſe oſtendere rectum Chriſti Domini miniſtrum, ut dignior fiat aſcenſus ad immediatum Epiſcopatum, ſeu Beneficium. Ergo poterit retinere aliquid ex ſuperfluis redditibus ad ſtatum immediatum, cùm hoc deſiderium influat in bonum dignitatis, aut Eccleſiæ præſentis, & conſervationem illius recti regiminis.

33 Sed dices, rectè procedere: In ſtatu præſenti eſt obligatio neceſſaria Epiſcopi, ſeu Beneficiati: Ergo illud quod influit ad benè regendum, non eſt præſentis ſtatus, cùm ad id ex propria obligatione teneatur. Unde venerabilis Tapia, quando de Epiſcopatu Segovienſi translatus eſt ad Seguntinum, Bullas, & alias expenſas translationis pauperibus Segovienſibus reſtituit, ut refert Lorca *in ejus vita*, *lib.* 1. *cap.* 17. *verſ. Antes de ſalir.* nihil enim ex primo Epiſcopatu retinuit ad aſcenſum ſecundi. Ergo minimè Epiſcopatus, aut Beneficiatus poterunt aliquid reſervare ad aſcenſum immediatum ex redditibus, nec ex cauſa quod aſcenſus influat in bonum regimen Eccleſiæ præſentis.

34 Sed tamen reſpondendum, quod licèt Epiſcopus, ſeu Beneficiatus ex propria obligatione rectè procedere teneantur in adminiſtratione, ſeu Regimine ſuæ Eccleſiæ, *cap. Epiſcopus* 7. *diſt.* 41. *c. Proreverentia* 11. *diſt.* 44. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Reformat. cap.* 1. attamen illud quod influit, ut hæc rectiùs, & diligentiùs peragantur, etiam pertinet ad ſtatum præſentis Eccleſiæ; quapropter expenſæ illæ illius dici poſſunt. Exemplum enim venerabilis Tapiæ probat illud eſſe rectius, & ſanctius, ut ſæpe faciunt viri perfecti; non tamen condemnat contrarium, ſi probabiliter fiat: quamobrem ſi communes ſunt neceſſitates, poterunt Epiſcopus, ſeu Beneficiatus aliquid ex ſuperfluis redditibus reſervare ad immediatum ſtatum Eccleſiaſticum.

35 Denique in capite iſto tranſeamus ad donationes Religioſorum, an poſſint fieri à ſuis communitatibus, vel Religioſis ex Monaſteriorum redditibus. Et inre illud erit obſervandum, eſſe conſtitutionem Clementis VIII de largitione munerum, incipit *Religioſæ Congregationis*, quæ edita eſt 3. Kalend. Julii 1594. interdicentem quaslibet donationes faciendas à Prælatis, Conventionibus, ſeu Religioſis, ſive directè, ſive indirectè, ex redditibus Monaſteriorum, exceptis levibus eſculentis, & potulentis, & munuſculis pertinentibus ad devotionem; & adhuc iſta levia nomine Conventus largiantur, & ubi Superiori de conſenſu Conventus videbitur. Hoc enim interdictum dicunt DD. nihil aliud continere, niſi jus commune, in quo quidem ſimiles donationes prohibitæ ſunt, & alienationes rerum Eccleſiarum, & Monaſteriorum, *c. Nulli* 5. *c. Si quis* 6. *de Reb. Eccleſ. alien. vel non*, *cap. Monaſterium* 6. *de ſtat. Monach.* & ultra pœnas nihil aliud continere, niſi reformationem liberalium donationem ex redditibus Conventus, ad jus commune. Crux *de Stat. Relig. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 5. *nu.* 6. Diana 1. *p. tract.* 6. *reſol.* 2. Scortia *ad Conſtit. Apoſtol. Epitom.* 258. *theorem.* 395.

36 Hanc conſtitutionem nonnulli dicunt in Capitulis Mo-

naſteriorum neceſſariò exercendam, atque ſcribendam ut valde neceſſariam. Valerus *de different. utriuſq. for. verbo Munera*, *num.* 106. Sed tamen in praxi recepta non eſt, ut teſtatur Scortia *Epitom.* 159. *theorem.* 399. *in fin.* Peyrinis *tom.* 1. *cap.* 2. *quæſt.* 2. §. 6. Thomas Hurtado *de Congrua*, *lib.* 3. *reſolut.* 2. *ſubreſolut. unica*, *nu.* 63. Diana 1. *p. tract.* 6. *reſolut.* 1. Gratianus *tom.* 2. *diſcept. cap.* 202. *num.* 17. Unde non obligare plures Doctores admittunt; nam leges, ſeu Conſtitutiones, licèt promulgentur, obligant quando moribus utentium comprobantur, *cap. in iſtis*, §. *Leges*, *diſt.* 4. *l. De quibus* 32 *ff. de legib.* Felinus *in cap.* 1. *de tregu. & pac. num.* 12. Surdus *conſ.* 58. *num.* 9. Sed conſtitutio iſta recepta non eſt: Ergo nequit obligare, ut tenent Navarrus *in Man. cap.* 23. *num.* 41. Santarell. *de hæreſi*, *cap.* 13. *num.* 21. Leſſius *de Juſt. lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 13. *num.* 98. Beccanus *in Summa*, 2 *p. tract.* 3. *cap.* 6 *quæſt.* 8. *num.* 2. Bonacina *de legib. diſput.* 1. *q.* 1. *punct.* 84. *num* 27. quod tenent, licèt lex ſit Pontificia, vel habeat decretum irritans cum clauſulis ampliſſimis. Gratianus *d. cap.* 202. *num.* 18. Quare in hac ſententia Conſtitutio iſta, utpote non recepta, non obligat. Sed in aliorum ſententia contrarium tenente, nempe ex ſola promulgatione, abſque acceptatione obligare leges, quam defendunt Pontius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 2. Suarez *de legibus*, *lib.* 3 *cap.* 19. Diana 1. *part. tract.* 10. *reſolut.* 1. *in fin.* & alii relati à Bonacina *dict. punct.* 4. *num.* 27. obligabit: quod quidem probabile eſt, ſed contrarium probabilius. Unde Diana 1. *p. tract.* 6. *reſolut.* 1. *in fin.* ſcripſit ſe non damnaturum Religioſum ſequentem uſum ſuæ provinciæ circa munera largienda, non obſtante dicta Bulla.

Verùm in re, exceptis pœnis diſſidium iſtud facilè diſſol- 37
vitur; nam, ut diximus, hæc conſtitutio nihil continet niſi contentùm in jure communi, & reformationem abuſus in largendis muneribus ex redditibus Monaſterii: quare obſervanda eſt, licèt non per ſe, attamen quatenus continet jus commune prohibens largitionem liberalem, tam Prælatorum, quàm Religioſorum ex redditibus Monaſterii, ex his rationibus decidendi: nam Prælati non ſunt domini reddituum Monaſterii, ſed tantùm adminiſtratores: & Religioſi cæteri, nec domini, nec adminiſtratores ſunt, propter votum paupertatis. Ergo ex redditibus Monaſterii nequeunt, aliqua munera liberalia elargiri. Scortia *dict. theoremat.* 395. Tum quidquid acquirunt Prælati, ſeu Religioſi; acquirunt Monaſterio, nec ex rebus acquiſitis poſſunt aliquid concedere, niſi ad aliquas eleemoſynas, aut uſus pios, ut concludit Scortia nuperrimè allegatus.

Hoc verò interdictum non ita rigidè accipiendum eſt, ut 38
nihil largiri poſſint Prælati, ſeu Religioſi; modicæ enim donationes eis interdictæ non ſunt, quas poſſunt facere, vel ſuis, vel extraneis: Religioſi, ex conſenſu Superioris tacito, ſeu expreſſo: Prælati verò ex licentia per adminiſtrationem ſibi retributa. Verùm quæ quantitas ſit iſta modicæ donationis, certa non eſt. Aliqui dicunt, poſſe donare uſque ad quantitatem decem aureorum. Crux *de Stat. Relig. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 5. *num* 5. Corduba *in Summa*, *quæſt.* 54. Fagundez *in præcept. Decalog. tract.* 2. *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 12. Alteri extendunt uſque ad duodecimam partem. Azorius *quodlibet.* 8. *concluſ.* 2. dicit partem iſtam, quæ à Prælatis, ſeu Religioſis valet donari, taxatam eſſe in Religionibus, vel particulari ſtatuto, vel conſuetudine.

Sed ſi hoc taxatum non fuerit, nec per uſum, nec per 39
peculiare ſtatutum, committendum erit arbitrio prudentum, ut hæc quantitas terminatur prout petit cauſa, vel utilitas Monaſterii, & illius neceſſitates. Cenedo *de paupert. Religioſ. dub.* 26. *num.* 6. *concluſ.* 2. Molina *de Juſt. tract.* 2. *diſput.* 276. *num.* 2. Sanchez *lib.* 7. *Decalogi*, *cap.* 19. *num.* 42. Suarez *de relig. tom* 3. *lib* 8. *cap.* 15 *num.* 13 Diana 1. *p. tract.* 6. *reſol.* 4. Scortia *theorem.* 396. *verſ. Quærenti.*

Eſt verò dubium, an hæ modicæ donationes ſint tantùm 40
intelligendæ de levibus comeſtibilibus, prout in Bulla continentur, ita ut nequeant fieri de rebus alterius generis; Et affirmandum videtur: ratio eſt, nam hæc Bulla, exceptis pœnis, tantum continet jus commune, quod ibidem explicat. Sed Bulla tantùm concedit modicas donationes faciendas in rebus comeſtibilibus, quaſi id ſolùm conceſſum ſit à jure communi. Ergò hæ modicæ donationes ex cauſa neceſſaria, & utili non ſunt extendendæ ad res alterius generis. Cæterum hę donationes modicę ſunt ſtrictè interpretandæ, interdictæ enim ſunt Religioſis liberales donationes

ne redditus Monaſterii, & ejus bona detrimentum patiantur, quæ ſunt patrimonium Chriſti Domini, Scortia *theorem.396. verſ. Porrò*. Ergo nequit fieri extenſio ad res alterius generis, in quibus maximum detrimentum fieri valet in bonis Monaſterii. Et confirmatur, nam ut docent Molina *de Iuſt. tract.2. diſp.283. nu.8.* Rebellus *de oblig.2. part.lib.8. quæſt.9. nu.8.* cauſæ à jure expreſſæ ad revocandas donationes, ad alias ſimiles non extenduntur, quia ſtrictè ſunt interpretandæ. Ergo ſimiliter extenſio non eſt facienda in præſentia, quia lex iſta ſtricta eſt pœnalis.

41 Sed non obſtantibus his rationibus, contrarium eſt tenendum; nam quoties in aliqua lege aliqui caſus excipiuntur, etiam ſimiles excepti videntur, *cap.2. de coniug leproſ.* nam ipſi etiam comprehenſi videntur, quare ſimiles res, licèt alterius generis, etiam comprehenſæ videntur in illa exceptione: non enim majoris ſunt detrimenti in bonis Monaſterii, quàm eſculentia, & potulenta; nam, ut ſupponimus, debent eſſe modicæ. Cæterùm, nam licèt Conſtitutio illa loquatur cum dictione *Tantùm*, extenſio tamen facienda eſt ad caſus ſimiles; nam licèt ſit taxativa includens expreſſum, & reliqua excludens. Bart. *in l.1. ff. Si quis ius dicenti, num.1.* Jaſon *num.9.* Cenedus *ſingul.21. num.1.* Ricciolus *de iur. perſon.lib 2. cap. 15. num. 22.* Farinacius *4. p.conſ.76. num.13.* Attamen non ita reſtringit, ut excludat omnes caſus ſimiles, Cenedus *dict. ſingul. 21. num.2.* Paulus Montan. *de Tutelis, cap.37. num.6.* Phebus *deciſ.54. numer. 14.* Surdus *de Aliment. tit. 7. quæſt. 1. à num.5.* Fontanella *de pact. nupt. tom.1. clauſul.4.gloſs.28.à num.17.* Barboſa *dict. 401. num. 8.* quia comprehenſi cenſentur. Idcircò in præſentia modicæ donationis, licèt ſint alterius generis, tamen in exceptione illa comprehenduntur. Denique confirmatio adducta ex cauſis ingratitudinis, *in l.fin. Cod. de revocand. donat.* efficaciter non probat; ſunt enim plures DD. contrarium tenentes, nempe alias cauſas ſimiles ſufficere ad revocandas donationes. Gregorius *in l.10. tit.4. part. 5. verbo De palabras*, Clarus *lib. 4. verbo Donatio, quæſt.21.* Gomez *Variar. tom.2. cap 4. nu. 14.* Molina *de Primogen. lib.1. cap.9. nu. 32.* ubi etiam Lima *à num. 32.* Leſſius *de Iuſtit. lib.2. cap.8. dub.14. n.104.* Quapropter in præſentia aſſerendum, Religioſos non ſolùm facere poſſe has donationes modicas in rebus comeſtibilibus, ſed etiam in rebus alterius generis. Scortia *d. theorem. 396. verſ. Porrò.* Souſa *in expoſit. hujus Bull.fundament.5. à num. 38.* Diana *1. part. tract. 6. reſol. 7.* Ludovicus à Concept. *de poteſt. Regular. lib. 3. tit. 3. concluſ. 2. nu 8.*

42 Eſt dubium, uſque ad quam quantitatem eſculenti, & potulenti fieri poſſit largitio à Prælatis, ſeu Religioſis? Aliqui dixerunt, poſſe fieri has donationes in ea quantitate, quæ intra duos, aut tres dies conſumatur, *l.Plebiſcito 18. ff. de offic. Præſidis*. Bonacina *de largit.muner.diſput. 3. punct.1. num.9. verſ.Hinc ſequitur*, Souſa *in Hanc Bull. §.4. num.80.* Valerus *different. 1. num 59.* dicit probabilius Diana *d.tract.6. reſolut. 13.*

43 Alteri tamen DD. reſtringunt, nempe ad quantitatem, quæ furata non induceret peccatum mortale: quamobrem dicunt, non debere excedere valorem trium Juliorum, & apud noſtrates quinque, aut ſex Regalium. Fauſtus *in Theſauro Religioſor.lib.8.quæſt.218.* Berti *in expoſit.huius Bullæ, caſu 10. poſt 2. part. principal.*

44 Hæc ultima ſententia nimis eſt reſtricta, & ob eam rationem non admittenda: altera verò confuſa eſt; nam comeſtibilia vel potabilia, quæ ad duos, vel tres dies dari poſſunt, valet excedere ad gravem quantitatem, & in detrimentum Monaſterii procedere, quod quidem de jure communi, & in dicta Bulla prohibitum eſt. Textus verò *in d.l. Plebiſcito 18. ff. de offic. Præſidis*, difficultatem non tollit; ibi enim Conſultus docet, Præſides non poſſe aliqua dona recipere, prout in ſacris litteris etiam interdictum eſt, *Eccleſiaſt. cap.20.* ibi: *Xenia, & dona excæcant oculos judicum, & quaſi mutus avertit correptiones eorum.* Et *Exod. cap.18.* jubetur. *Provide autem de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas. & qui oderint avaritiam.* Et *lib. 1. Regum cap.8.* dicitur: *Et non ambulaverunt filii illius in vits eius, ſed declinaverunt poſt avaritiam, acceperuntque munera.* Et *cap. iudices 13. 1. q.1. c. Non licèt 71. cap. Quatuor 78. 11. quæſt. 3. cap. Ab omni 10. de vit. & honeſt. Clericor. l. Venales 7. C. quando provocar.non eſt neceſſ. l 6. tit.4. p.3. l. 52. tit.14. p.5.* Concilium Aurelianenſe II. *can.3.* Alvernenſe *cap. 25.* Arelatenſe IV. *c.73.* Cabilonenſe II. *can. 35.* Rhemenſe *can. 39.* Moguntinum II. *c.19.* Bernenſe *can.25.* Turonenſe II. *can. 35.* Morla *in Empor. tit.2. q.10.* Petrus Gregorius *de Republic. tit.1. cap.6.* Parladorius *lib.2. quot.1. p. cap. fin. §.1. à num.16.* Bobadilla *in Polit. lib.1.cap.23. à n.7.* & *lib.2. cap. 11.* Larrea *allegat.47.*

Proſequitur verò Conſultus, & excipit, *Niſi eſculentum, potulentumve, quod intra dies proximos prodigatur.* 45
Idque jure permittebatur, prout etiam judicibus delegatis permittitur de Jure Canonico, *cap. Statutum 10. §. Inſuper, de Reſcript. in 6. Niſi forſan eſculentum, vel potulentum mera liberalitate oblatum, quod paucis poſſit conſumi diebus;* ea ratione, quia credendum non eſt, tam modico obſequio judicem corrumpi, *cap. Et ſi quæſtiones 18. de ſim. cap. In præſentia 6. de renunt. l.2. Cod. de offic. iud. civ. l.5. tit. 17. p.1.* Sicut nec dolus præſumitur commiſſus pro modica re, *l. Si oleum 9. §. Meritò, iuncta l. 10. ff. de dolo.* Quapropter eſculentum, vel potulentum ad paucos dies permittebantur. Gregorius *in l. 6. tit. 4. p. 3. gloſſ. 3. ad medium*, Aviles *in cap. Prætorum, verbo Dadivas, nu. 10.* Bobadilla *in Polit. lib.2. cap. 11. num. 45.* Barboſa *in dict. cap.10. de vit. & honeſt. Clericor. num.7.* Gonzalez *ibidem, n. 16.*

Ex hac lege ſic explicata nihil certum capi valet ad deſignandam quantitatem eſculenti, aut potulenti, quam poſſunt Religioſi concedere; loquitur enim tantùm textus ille de xeniis non recipiendis à judicibus, niſi illis eſculentis, & potulentis, quorum major conſiderari valet quantitas, quàm in conceſſionibus Religioſorum, ex quorum donationibus minuitur patrimonium Chriſti Domini. De jure Digeſtorum dona aliqua recipere à judicibus non erat omninò interdictum, ad quod eſt optimus Ulpiani locus *in l. Solent 6. §. Non verò, ff. de offic. Proconſ.* ibi: *Non verò in totum xeniis abſtinere debet Proconſul. ſed modum adiicere: nec morosè in totum abſtineat, neque avarè modum xeniorum excedat. Quam rem Divus Severus, & Imperator Antoninus elegantiſſimè epiſtola ſua ſunt moderati, cuius epiſtola verba hæc ſunt. Quantum ad xenia pertinet, audi quid ſentimus. Vetus proverbium eſt, Nec omnia, nec quovis tempore, nec ab omnibus: nam valde inhumanum eſt à nemine accipere; ſed paſſim, viliſſimum eſt; omnia, avariſſimum.* Corraſius *in d. l. Plebiſcito, num.5.* Afflictus *ad Conſt. Neapolit. rubric. 41. de offic. Capit. num. 24.* Menochius *de Arbitr. lib. 2. cent.6. caſu 517. num. 5.* Avendañus *de exequend. mandat. lib.1. cap.2. à num.4.* Barboſa *in dict. cap. 10. numer. 7.* quorum comparatione majorem quantitatem poterant judices recipere, quàm Religioſi ex redditibus Monaſterii elargiri. Idcircò nequit ex juribus illis quid certum percipi ad hanc quantitatem deſignandam Tum etiam ratione dantis., qui ſi pauper eſt, quidquid dederit, magni eſt momenti; ſi verò dives ſit, aliter ſentiendum, ut benè conſiderat Menochius *dict. caſu 517. num. 22.* quod idem eſt obſervandum in redditibus Monaſterii, aut pauperis, aut locupletis, ut inde quid modicum, quid immodicum exiſtimetur: quare nequit aliquid certum depromi. 46

Hinc Menochius aſſerit id arbitrio prudentis relinquendum, ut relinquitur in judicibus recipientibus, in quo etiam conſiderantur largiens, recipiens, res donata, & aliæ circumſtantiæ, quæ rem modicam, aut majorem efficiant. Aviles *in cap. Prætorum, verbo Dadivas, n. 13.* Molina *de iuſt. tract.2. diſput. 84 num.2.* Itaque in præſentia totum arbitrio prudentis relinquendum qui ex prædictis circumſtantiis quid modicum, aut immodicum cenſeat. Scortia *dict. theorem. 396. verſ. Quærenti*, Crux *dict. cap.5. dub.5. nu.6. verſ. 2.* Ludovicus a Concept. *de poteſt. Regul. lib.6. tit.3. concluſ.3. n.9.* 47

Hæc doctrina admittenda eſt, ſed adhuc probabiliter defendi poteſt eſculentum, & potulentum dari poſſe, quando valeat conſumi à donatario intra duos, aut tres dies, ut dicunt DD. relati *nu. 42.* & in judicibus tenet Bobadilla *lib. 2. cap.11. à num.44.* Nam duobus modis hęc donatio valet conſiderari, nempe quando hæc comeſtibilia, aut potabilia non ſolùm darentur pro cibando donatario, ſed etiam pro aliis perſonis ſuæ familiæ illum comitantibus: quo quidem caſu immodica eſſet donatio dando eſculenta, & potulenta conſumptibilia ad duos, aut tres dies, nec poterit à Prelato, aut Religioſo fieri. Aliter verò quando harum 48

rerum

rerum donaretur portio decens pro ipſo tantùm donatario ad illos dies, non ut lautè bibat, & comedat, ſed ſecundùm decentiam religioſam, & tunc modica quantitas dicenda eſt, quæ poterit dari à Prælato, ſeu Religioſo de ipſius licentia ad dictos dies. Et confirmo diſcurſum doctrina Paſſerini *in cap. Statutum* 10. *§. Inſuper, de Reſcript. in quæſt.* 3. *art. unico, num.* 224. *in fin.* ubi agens de eſculentis, & potulentis judici delegato dandis ad modicam quantitatem, aſſerit ad duos, vel tres dies dari poſſe pro neceſſariis ipſi judici, non autem aliis, quia jam eſſet magna quantitas. Quod idem in ſpecie dicendum videtur, ſi non lautè, & oppiparè concedantur, ſed tantùm prout petit honeſtas, & parſimonia Religioſorum.

49 Ad devotionem aliqua dare poſſe Prælatum, vel Religioſum ex ipſius licentia, abſque juris impedimento, communiter aſſerunt DD. veluti imagines, libellos aliquos devotos, thecas quibus reliquiæ continentur, parvulas Sanctorum reliquias, Agnos Dei, & ſimilia: nam iſtæ res ad religionem pertinent, & ſunt parvi valoris, excitantque devotionem, quare in Bulla exceptæ ſunt. Scortia *thorem.* 396. *verſ. Porrò*. Bonacina *d. punct.* 1. *diſput.* 3. *propoſit.* 1. *num.* 9. *verſ.* 2. Si tamen fuerint magni valoris, id non eſt admittendum, ut tradunt relati.

50 Sed dubitatur, an quando moniali, ſeu Monacho dantur facienda corporalia magni valoris, ſeu picturæ, miniſtratis neceſſariis à petente, poſſit id facere gratis, licentia Superioris interveniente. Et negandum videtur, quia quod acquirit Monachus, ſeu Monialis ex ſua arte, acquirit Monaſterio. Ergo nequit donare illas operas picturæ, ſeu corporalium. Cæterùm, quia qui nequit donare, nec remittere poteſt. Ergo in præſentiarum nec operarum pretium remittere poterit.

51 Sed contrarium tenent Bonacina *dict. punct.* 1. *num.* 5. Valerus *dict. different.* 1. *num.* 66. Diana *dict. tract.* 6. *reſolut.* 6. Ducuntur, quia tunc donatio non fit rei acquiſitæ à Monaſterio, ſed acquirendæ, & in ea poteſt Prælatus præjudicare Monaſterio. Ergo rectè fieri valet hæc remiſſio auctoritate Prælati. Tum quia, antequam hæc efficiantur Monaſterii, nec Monaſterium habet jus in re, nec ad rem. Ergo authoritate Prælati fiet hæc remiſſio valida.

52 Hæc difficultas duobus modis eſt conficienda, aut quando operæ iſtæ fuerint parvi valoris, aut quando magni. In primo caſu admitto hanc ſententiam, quia in effectu eſt donatio modica, quæ interdicta non eſt Religioſis, & in hoc caſu loquitur Bonacina *ubi proximè, nu* 5. Quod idem dicendum quando Conventus dat monialibus quidquid ex ſuis manibus lucrentur; tunc enim poſſunt facere donationes prudentes de bonis ſuis manibus acquiſitis. Villalobos *in Summa*, 2. *part. tract.* 35. *difficult.* 32. *num.* 4. *verſ. De lo dicho*: idcircò & poterunt remittere quidquid ipſæ donare valent.

53 Erit ergo tota difficultas quando operæ iſtæ fuiſſent magni valoris, veluti in pictura, in qua totus valor eſt in operibus artificis, vel in efficiendis corporalibus cum magna ſtructura, quæ magni æſtimaretur. Quo quidem caſu diſſentio à Diana, & aliis Doctoribus, & aſſero hanc remiſſionem nec fieri poſſe à Prælato, nec à Moniali, vel Monacho de ejus licentia; nam Monaſterium habet jus in re in operis Monialis, vel Monachi, ſicut dominus in operis ſervorum, ita ut quidquid ſervus per operas ſuas acquirit, domino acquirat, *leg. Quemadmodum* 46. *ff. de jur. dot. leg. Placet* 78. *ff. de acquir. hæredit. l. Qui liberis* 8. *§. Hæc verba, ff. de vulg. §. Item vobis* 3. *Inſt. per quas perſon.* 7. *tit.* 11. *par.* 5. Sicut etiam liberti quando in manumiſſione jurejurando, vel ſtipulatione operas promiſerint, *l. Ut jurejurandi* 7. *ff. de oper. liber.* Veſembechius *in para. titl. ad illum titulum, n.* 4. Ergo remiſſio harum operarum jam eſt dare jus acquiſitum à Monaſterio, quod cùm ſit magni valoris, nequit remitti, aut donari à Prælato, ſeu Religioſo, ex ipſius licentia.

54 Cæterùm operæ, & mercedes illarum ſunt debita inſeparabilia; nam ſicut in emptione inſeparabile eſt pretium, ita in locatione operarum, *l. Locatio* 2. *l. Qui operas* 38. *ff. locati*. Gomez *Var. tom* 2. *cap.* 3. *num.* 1. Vela *diſſert.* 17. *à num.* 20. & *diſſert.* 35. *num.* 5. Molina *de juſt. tract.* 2. *diſput.* 187. Idcircò remittendo pretium, & operæ, donari videntur. Sed operæ Monachorum, ſeu Monialium factæ, vel faciendæ, ſunt propriæ Monaſterii. Ergo per hanc remiſſionem pretii datur res propria ipſius Monaſterii magni valoris, quæ nequit concedi nec à Prælato, nec à Religioſo, ſeu Religioſa ſine ipſius licentia.

Denique ſi Prælatus, aut Religioſus non remitteret pretium, neceſſariò erat acquirendum Monaſterio. Sed Prælatus, aut Religioſus nequit præjudicare Monaſterio in neceſſariò acquirendis, ut latè diximus *lib.* 1. *cap.* 12. *à num.* 41. Ergo nequeunt has operas, nec pretium earum donare. Hinc fundamenta contrarium dilabuntur, & aſſerendum, in hac ſpecie nequire Prælatum, ſeu Religioſum de ejus licentia remittere operas illas picturæ, ſeu corporalium magni valoris, etiam adminiſtratis neceſſariis à donatario. 55

Prætereà examinanda eſt doctrina aliquorum dicentium, poſſe Prælatum, ſeu Religioſum dicere volenti ſibi dare rem magni momenti, *Ea non indigeo, da eam meo conſanguineo, ſeu amico*. Rationem dant, quia tunc non concedunt rem acquiſitam Monaſterio, nec aliquid alienant, idcircò benè poſſunt rogare, ut alteri det. Bonacina *dict. punct.* 1. *propoſit.* 1. *num.* 4. Sanchez *de matrim. lib.* 6. *diſp.* 4. *num.* 7. Villalobos 2. *part. tract.* 35. *difficult.* 32. *num.* 6. Cenedo *de paupert Relig. dub.* 29. *num.* 4. Gratianus *diſcept. for. cap.* 202. *num.* 27. Souſa *in explic. hutus Bull. §.* 3. *num.* 73. Diana *d.* 1. *p. tract.* 6. *reſol.* 8. 56

In hac doctrina tria ſunt animadvertenda. Primum quando prælatus, ſeu Religioſus ſibi donanti dicit, *Nomine meo da conſanguineo meo, vel amico*; tunc enim, nequit id facere, nam per acceptationem fit res Monaſterii, quæ donabatur; ex eo enim quod dixit, *Da nomine meo*, verè acceptavit, *l.* 2. *ff. de calumniat* ibi: *Nec refert an ipſe pecuniam acceptarit, an aliis iuſſerit dari, l.* 1. *ff. de iureiur.* Albericus *in Diction. verbo Jubere*, Caldas *in l. Si curatorem, Cod. de integr. reſtit. num.* 117. *verſ.* 2. & ſit propria Monaſterii, quare nequit, ſi eſt magni valoris, dicere: *Alteri concedatur*. Scortia *dict. theorem.* 396. *verſ. Iam verò*. Bonacina *d. propoſit.* 1. *num.* 4. *verſ. Idem dicendum*. Diana *d reſol.* 8. *verſ. Ad ſecundum*. 57

Secundò conſiderandum, quando quis donat Religioſo, ſeu Prælato, verùm ipſe abſque aliqua acceptatione dicat, *Da nomine tuo amico, vel conſanguineo meo*. Et in hac ſpecie inquiunt DD. *nu.* 56. relati, rectè procedere Religioſum, prout tenet etiam Scortia *d. theorem.* 396. *verſ. Iam vero.* Sed contrarium cum Sorbo relato à Diana *dict. reſ.* 8. *in princip.* tenendum; nam, ut expreſſum eſt in dicta Bulla, Religioſis non ſolùm interdictæ ſunt donationes directè, ſed etiam indirectè; hæc enim donatio licèt non ſit directa, eſt indirecta, quapropter nequit ſuſtineri. 58

Sed dices: In præſenti indirecta donatio nihil aliud importat, niſi ut Religioſus non mutet cum animo non repetendi, ut explicat Crux *dict. dub.* 5. *num.* 6. *notab.* 2. vel quod Religioſus nullo modo donet, ita ut nec aliquo modo aſſenſum præſtet: quòd vulgò dicimus, *No os paſſe per el penſamiento*. Diana *d. reſolut.* 8. *verſ. Deinde*. Sed tamen hæc ſecunda interpretatio gratis data videtur ad exaggerationem. Admitto tamen primam præſtitam à Crux, qui non ſolùm ponit exemplum mutui, ſed quando Prælatus, ſeu Religioſus remitteret legitimam hæreditatem, aut alia debita Monaſterio. 59

Unde confirmo Sorbi ſententiam; nam quando aliquis donat Religioſo, & tradere vult, etiam abſque acceptatione perfecta eſt donatio, & res donanda eſt debita Monaſterio, *l. fin. Cod. de Sacroſ. Eccleſiis*, latè *lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 28. Ergo eſt indirecta donatio, quam nequit Prælatus, ſeu Religioſus facere. Ergo nec poterit dicere, *Da amico, ſeu conſanguineo meo*. 60

Denique in præſentia non ſolùm eſt indirecta donatio, ſed etiam directa; nam quando aliquis donat, ſeu legat Religioſo, Prælato, ſeu Monaſterio, abſque aliqua traditione tranſit dominium rei donatæ ad Monaſterium; ſufficit enim ſimplex illa voluntas donandi ex privilegio conceſſo cauſæ piæ. Tiraquellus *de cauſis piis, privileg.* 107. Gratianus *regul.* 467 *à n.* 1. Surdus *de Aliment. tit.* 8. *privileg.* 61. *n.* 9. Leoncillus *de privileg pauper.* 2. *part. privileg.* 86. *n.* 2. Barboſa *in d.l. fin. C. de Sacroſ. Eccleſiis, nu.* 7. Cùm ergo ex parte donantis ſit perfecta donatio, tranſit dominium ad Monaſterium. Ergo quando Prælatus, ſeu Religioſus dicit, *Da nomine tuo meo amico, ſeu conſanguineo*, directè donat rem jam acquiſitam Monaſterio, & conſequenter nequit ab eo dici, *Da nomine tuo*. 61

Tertia conſideratio facienda eſt quãdo aliquis promitte- 62

ret Prælato, ſeu Religioſo, ſibi, vel Monaſterio donaturum; an tunc rectè poſſit dicere, *Da nomine tuo amico, ſeu conſanguineo meo*. Et in hoc caſu incidimus in quæſtionem illam, an promiſſio de donando, ſit donatio? Prima ſententia negat, nam actus nequit interpretari ultra intentionem agentis, *l. Non omnis 19. ff. Si cert. petatur*. Ergo cùm promittens nihil aliud intendat, niſi poſteà donare, & obligari per talem donationem, ex ſola promiſſione ad donandum non erit donatio. Cæterùm qui promittit ſe donaturum, tantùm per promiſſionem ſe obligat ad factum donationis, *l. Conſilio 7. in fin. ff. de curat. fur.* & præſtando intereſſe liberatur, *l. Stipulationes 72. verſ. Celſus, ff. de verb. obligat. l. Si pœnam 68. ff. eod. tit.* Ergo non eſt donatio. Confirmatur ex deciſione textus *in l. Si quis 12. §. fin. ff. de verb. obligat* ubi ſi quis promiſit fidejubere, non eſt fidejuſſio, ſed ſolvendo intereſſe liberatur. Ergo idem eſt dicendum in promiſſione donandi. Denique, ſi quis promiſerit vendere, venditio non eſt, ſed quid diſtinctum, ut notant Scribentes *in l. Bonæ fidei, ff. de eo quod certo loco*. Et idem obſervatur in conductione, ceſſione, redhibitione, commodato, depoſito, mutuo, renovatione, ſolutione, & infeudatione, ut latè probat Tiraquellus *de retract. à num. 42*. Surdus *conſ. 51. num. 12*. Gratianus *diſcept. tom. 5. cap. 887. à num. 30*. D. Olea *de ceſſ. tit. 1. quæſt. 6 à num. 70*. Ergo idem eſt dicendum de dotatione. Ita tenent Baldus *lib. 2. cap. 397* Ananias *conſ. 63. ad medium*. Caſtrenſis *lib. 1. conſ. 138*. Tiraquellus *de retract. num. 48. ad fin.* Decianus *in l. Si pacto 14. C. de Pact. col. penult.* & alii relati ab Angulo *de meliorat. l. 6. gloſſ. 5. à nu. 1.* & à Gratiano *cap. 887. n. 29*.

63 Secunda ſententia tenet contrarium; nam in jure circuitus vitantur, *l. Cùm fundus 31. §. Servum tuum, ff. Si cert. petat. l. Dominus 55. ff. de conduct. indebit. l. fin. C. de integ. reſtit. Clement. Auditor. 3. de Reſcript*. Ergo quando quis promiſerit ſe donaturum, donatio eſt, ne aliàs circuitus admittantur, prout videre eſt quando quis promiſerit ſe obligaturum pro decem, ſtatim obligatus remanent, & ſtatim poſſunt peti. Boerius *deciſ. 183. nu. 7*. Mathienzo *in l. 6. tit. 6. lib. 5. Recopilat. gloſſ. 7. num. 3*. Caſtillo *lib. 2. controverſ. cap. 3. per tot*. Sicut etiam quando quis in inſtrumento promiſerit ſe obligaturum pro centum, die illo tranſacto, poterit conveniri, & exequi. Afflictus *deciſ. 61*. Parladorius *lib. 2. rer. quot. cap. fin. 1. p. §. 11. ampliat. 6*.

64 Cæterùm pactum de liberando parit liberationem, *l. Intra 41. ff. de Pact. l. Si creditores 17. Cod. de Fideicomm*. Parladorius *dict. ampliat. 6. numer. 27*. Mathienzo *in dict. l. 6. gloſſ. 7. num. 2*. Merlinus *cent. 1. cap. 4. nu. 4*. Ergo ſimiliter promiſſio donandi erit donatio: defendunt Gloſſa *in §. Perficiuntur, Inſtit. de donat. verbo Manifeſtaverit*. Ripa *lib. 2. Reſponſ. cap. 12*. Surdus *conſ. 457. num 24. & conſ. 535. num. 8*. Angulo *de meliorat. in dict. l. 6. gloſſ. 5. à num. 1*. Pinellus *in l. 2. C. de reſcind. 2. p. cap. 3. num. 30*. Gratianus *dict. cap. 887. à num. 20*. Barboſa *lib. 3. vot. 126 n. 307*.

65 In re tamen conſiderandum, promiſſionem duobus modis eſſe accipiendam, nempe quando per eam oſtenditur propoſitum, ſeu intentum donandi, vel ſe obligandi: aliter quando promiſſio fit cum obligatione in ordine ad factum, veluti cum obligatione donandi. Quoad primum modum promittens nullo modo obligatur, nec poteſt ad aliquid compelli, ut ex textu *in cap. Literaturam 3. de vot*. ubi propoſitum vovendi minimè obligat: nam qui tantùm habet propoſitum, non habet animum ſe obligandi, quare aliquo modo non obligatur. Covarr. *in cap. Quamvis, de pact. 2. p. §. 3. num. 12*. Azorius *Inſt. mor. 1. part. lib. 11. cap. 13. quæſt. 1*. Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 1. à num. 20. & de Matrim. lib. 9. diſput. 33. à nu. 19*.

Sed dices contrarium probare textum *in cap. Conſulti*
66 *20. de Regul*. Sed textus ille non eſt intelligendus de nudo propoſito, ſeu ſimul cum promiſſione animo ſe obligandi, ut benè explicat Sanchez *lib. 4. cap. 1. num. 20. in fine*. Unde in hac ſpecie quando donans manifeſtaverit Prælato, ſeu Religioſo propoſitum donandi, ſive ipſi, ſive Monaſterio, rectè poterit ab eo petere, ne procedat ad donationem, ſed det amico, ſeu ſuo conſanguineo. Ratio eſt, quia propoſitum illud minimè eſt donatio, nec aliquo modo remanet obligatus Monaſterio, nec inde habet jus in re, nec ad rem. Ergo rectè poterit id petere ab illo, qui tantùm habebat propoſitum donandi. Quo in ſenſu rectè procedunt DD. relati *nu. 56*.

Si verò promiſſio fit ſecundo modo cum animo ſe ob- 67
ligandi ad donationem faciendam, tunc diſtinguendum cenſeo, quando quis promiſit ſimpliciter donare, aut quando promiſit donare certam rem. Primo enim modo dico, minimè promiſſionem illam poſſe eſſe donationem, nec poſſe tranſire ad ejus naturam; nam promiſſio, & donatio inter ſe diſtinguuntur, & aliud eſt promiſſio de donando, & aliud donatio. Felinus *in cap. Non poteſt, de re judicat. num. 2. & 3*. Decius *in cap. Cùm venerabilis, de except. num. 37*. Cevallos *quæſt. 209. n. 1*. Ergo ſi ſit ſimplex promiſſio de donando, nequit eſſe donatio, nec tranſire ad ejus naturam: quin potiùs, ſi aliquo modo nequeat referri ad certam rem, aut quantitatem, vitiatur ex incertitudine promiſſio, §. *Incertis 27. Inſtit. de legatis, l. Duo ſunt Titii 30. ff. de teſtam. tut. l Triticum 94. ff. de verb. obligat*. Spino *de teſtam. gloſſ. 10. in princip. à num. 1*. Pinellus *in rub. C. de reſcind. vendit. 2. p. cap 1*. ſicut venditio nullo pretio deſignato, *l. Hæc venditio 71. §. 1. l. In venditionibus 9. leg. quod ſæpè 35. & fin ff. de contrab. empt*. Connanus *lib. 7. comment. cap. 6 num. 7*. Petrus Gregorius *3. p. Syntag. lib. 25. cap. 12*. niſi referatur ad aliquod ex quo certum reddatur, *d l. Hæc venditio, §. Hujuſmodi, l. Si pater, §. fin. ff. de Pact. inter emptorem*. Gomez *var. tom. 2. cap. 2. num. 9*. Petrus Gregorius *dict. lib. 25. cap. 13*. Amaya *obſervat. lib. 3. cap. 1. §. 4. num. 29*. Molina *de iuſt. tract. 2. diſput. 330. n. 13*. Unde cùm promiſſio de donando, ſimpliciter contineat hanc incertitudinem, nequit eſſe donatio, nec tranſire ad naturam illius, ſed relinquitur in puro eſſe promiſſionis de donando, donec in ipſa donatione demonſtret donans rem, vel quantitatem, quam volebat donare. Cæterùm alio diſcurſu probatur; nam qui promiſit donare rem non determinatam, ſeu quantitatem, ſolùm vult obligari in ſola ſpecie promiſſionis, & poſteà deliberare circa rem determinandam, ſeu quantitatem donandam, ut in ea conſtituatur donatio, & ideò in eſſe promiſſionis relinquitur promiſſio, abſque eo quod tranſeat ad donationem. Et confirmatur ex doctrina Marinis *lib. 1. reſolut. cap. 208. num. 4*. ubi dicit, quod ſi quis promittat vendere rem ſuam, nullo pretio deſignato, nequit promiſſio tranſire ad venditionem; repugnat enim talem promiſſionem tranſire ad venditionem, nullo pretio deſignato, nec aliud reſultabit, niſi actio perſonalis ad deſignandum pretium: quod in ſpecie dicendum, quando quis promittit donare cum animo ſe obligandi, quia non erit donatio, ſed tantùm poterit remanere actio perſonalis, ut deſignet rem, aut quantitatem donandam.

Sed dices: Quando quis promittit dotem, etiam cer- 60
tam quantitatem, aut rem non deſignaverit, eſt dos conſtituta. Marinis *dict. cap. 294. num. 3*. Cyriacus *controverſ. 429* Oſualdus *ad Donellum, lib. 14. cap. 4. lit. B*. Borrellus *tom. 5. deciſ tit. 4. de jur. dot. à num. 341*. Boſſius *de dot. cap. 2. §. 1. per tot*. Ergo ſimiliter dicendum quando quis promittit donare, nulla re, vel quantitate deſignata, ad affirmandum eſſe donationem. Sed reſpondetur, in promiſſione dotis ſemper quantitatem determinatam exiſtere, licèt non exprimatur, quia refertur ad illam, quæ dari debet ſecundùm qualitatem perſonæ, ex arbitrio recti judicis determinandam, *l. Cùm poſt 69. §. bon ff. de jur. dot. l. 3. C. de dot. promiſſ. l. 8. tit. 4. p. 5*. Gomez *in l. 50. Tauri, n. 19*. Baeza *de melior. filiab. rat. dot. cap. 1. n. 6*. Cevallos *q. 440*. Barboſa *in l. 1. ff. ſolut. matrim. 3. p. à nu. 45*. idcircò promiſſio illa valet tranſire ad dotem conſtituendam, licèt quantitas non deſignetur; non tamen in ſimplici promiſſione donandi, cùm quantitas, vel res nequit ex aliquo adminiculo aſſignari.

Inſtabis: Ergo tunc promiſſio nullius erit momenti, nec 69
promittens ex illa obligabitur. Probatur, nam, ut ſupponimus, nequit promiſſio iſta ſuſtineri propter incertitudinem, ut diximus *n. 66*. Ergo tunc promittens non obligabitur, nec ex aliqua actione perſonali tenebitur. Reſpondetur tamen quod *d. n. 66*. diximus, incertitudinem vitiare diſpoſitionem, quando non poteſt reduci, nec tranſit ad alia, quæ illam certam reddant. Gomez *tom. 2. cap. 2. n. 6*. Promiſſio de donando non eſt actus abſolutus, ſed tranſire debet ad ulteriora, nempe ad donationem efficiendam, in qua neceſſariò debet deſignari res, vel quantitas donanda; idcircò ex ſola promiſſione donandi remanet promittens obligatus.

In

70 In hac conſideratione ſic explicata, quando quis pomittat Prælato, ſeu Religioſo, dubitari poterit, an quilibet eorum rectè dicat, *Non indigeo, da nomine tuo amico, vel conſanguineo?* Et affirmandum videtur, quia tunc in promiſſione nulla conſtituitur donatio, nec ullum dominium eſt translatum ad Monaſterium. Ergo cùm nihil donetur de Monaſterio, rectè valet dicere, *Da nomine tuo amico, ſeu conſanguineo meo*. Verùm adhuc in hac ſpecie conſiderandum, an Promittens ſit perſona, de qua aliquid magni valoris ſperatur, veluti ſi ſit Princeps, aut alia perſona nobilis, cujus ingenita natura eſt ſe liberalem præbere, *cap. 1. de donat. cap. Grandi 2. de ſupplend. neglig. Prælat. in 6. l. 18. tit. 5. p. 2. l. 1. tit. 5. lib. 5. Recopilat.* Surdus *de Aliment. tit. 6 quæſt. 11. nu. 40.* Bobadilla *in Polit. lib. 1. cap. 4. num. 4. lit. C*, Ottalora *de nobilit. 5. p cap. fin. nu. 14.* quo quidem caſu ſperatur aliquid magni valoris, & ex promiſſione Monaſterium habet jus acquiſitum. Marinis *d. cap. 298. n. 4.* Ergo non poterit Prælatus dicere, *Da nomine tuo;* nec ſimiliter Religioſus: ſecus vero ſi ſit perſona, de qua parum, aut modicum poteſt percipere Monaſterium.

71 In altero membro diſtinctionis, quando promiſſor deſignat rem, aut quantitatem donandam, admitto ſententiam aſſerentem, per ſolam donationem promiſſionem fieri, non ſolùm ob rationem vitandi circuitus, quam communiter dant DD. ſed quia poſt conſtitutionem Juſtiniani *in l. Si quis argentum 35. §. fin. D. de don.* ſublatus eſt modus donandi per emancipationem, aut traditionem; ſed ex ſolo conſenſu perficitur, ſive per verba præſentis, aut futuri temporis, vel cum ſcripta, vel ſine ea, *d. § fin.* Ant. Pichardus *in §. Aliæ autem, Inſtit. de Donat. num. 3.* quapropter promiſſio de donando rem, aut certam quantitatem, aſt ipſa eſt donatio, & non eſt ampliùs quid agatur quãdo ex ſolo conſenſu perficitur, re, & quantitate certa aſſignata. Cevallos *quæſt. 209. n. 1. & 2* Caſanate *conſ. 10. n. 194.* Ferentillus *in Addit. ad Burat. deciſ. 719.* D. O. Olea *de ceſſ. tit. 1. quæſt. 6. à num. 4.* Barboſa *dict. vot. 126. num. 307.* Boſſius *de dot. cap. 2. §. 1 num. 19.* Sicut promiſſio vendendi rem certam, aſſignato pretio, facit venditionem. Marinis *dict. cap. 298. num. 5. verſ. verùm*: & idem in promiſſione donationis propter nuptias, ut cum aliquibus ait D. Olea *dict. q. 6. num. 6.* qui *num 8.* extendit ad promiſſionem inſtituendi majoratum: idque majori ratione admittendum de jure Regio, *ex l. 2. tit. 16. lib. 5. recopilat.* Cevallos *dict. qu. 209. num. 2.* & meliori ratione eſt textus *in l. 22. Tauri, l. 6. tit 6. lib. 5. Recopilat.* Barboſa *dict. vot. 226. num. 308.* D. Olea *dict. quæſt. 6. n. 7.*

72 In hac ergo ſpecie abſque dubio dicendum, quod licèt res tradita non ſit, minimè poſſe Prælatum, aut Religioſum dicere, *Da nomine tuo amico, vel conſanguineo*; jam enim eſt perfecta donatio, & dominium translatum ad monaſterium; quare eſſet donatio rei acquiſitæ, quæ ſi immodica ſit, nequit ſuſtineri.

Rurſus eſt dubium, an Prælatus, ſeu Religioſus ex illius licentia poſſit ex redditibus Monaſterii facere donationes remuneratorias? Et negandum videtur, nam inter alios fines illius interdicti, ille eſt potior, ne bona monaſterii dilapidentur, ut jam diximus. Diana *dict. 1. p. tract. 6. reſolut. 12.* ſi enim poſſent facere donationes remuneratorias, aperiretur via dilapidationi. Ergo non poſſunt facere donationes remuneratorias. Cæterùm qui prohibiti ſunt donare, etiam ſunt interdicti remuneratoriè donare, ut patet in donationibus inter virum, & uxorem: quæ prohibitio extenditur ad donationes remuneratorias Mathienzo *in l. 3. tit. 9. lib. 5. Recopilat. gloſſ. 6. nu. 3.* Pinellus *de bon. matern. lib. 1. 3. p. n. 61. & 62.* Ergo cum Prælati, ſeu Religioſi ſint interdicti donare de redditibus Monaſterii, ſimiliter remuneratoriè donare prohibentur.

73 Sed in contrarium eſt communis ſententia, quia Prælatis, & Religioſis tantùm interdicta eſt de redditibus Monaſterii liberalis donatio, non verò antidoralis. Tum remuneratoria donatio non eſt propria, ſed debitum naturale, *l. Attilius 27. ff. de donat.* ad quod naturaliter ſolvendum impellimur, nec ſub illo interdicto valet comprehendi. Denique prohibitus donare, non eſt interdictus remunerare, prout in terminis donationis inter virum, & uxorem tenet Sanchez *de matrim. lib. 6. diſput. 6. num. 11.* Cenedo *de paupert. Religioſ. dub. 27. num. 28.* quare donationes remuneratorias poſſunt facere Prælati, ſeu Religioſi de ejus licentia. Riccius *3. p. deciſ. 227. nu. 4.* Cenedo *dict. dub. 27. per tot.* Villalobos *dict. difficult. 32. num. 1.* Souſa *in expoſit. hujus Bull. §. 1. n. 65.* Gratianus *dict. cap. 202. à nu. 2.* Diana *1. part. tract. 6. reſolut. 15* Bonacina *de largit. diſp. 3. punct. 3. num. 2.* Thomas Hurtado *de congrua, lib. 3. reſolut. 2. ſub reſolut. unica, per tot.*

Hanc ſententiam admitto, & explico. Merita enim, & 74
obſequia duobus modis poſſunt fieri Prælato, ſeu Religioſo, aut tanquam perſonæ privatæ, in rebus non concernentibus ad utilitatem Monaſterii: aut ad commodum Religionis, aut Monaſterii. Quoad primum caſum nihil ex redditibus illius poſſunt Prælatus, aut Religioſus remunerare, quia monaſterium non tenetur ad remunerationem illarum rerum, & meritorum, quæ non redundant in ejus utilitatem, ſed tantùm quoad commodum privatum ipſius Prælati, aut Religioſi. Excipio tamen, quando aliqua bona, aut redditus Monaſterii darentur Prælato, ſeu Religioſo, ut illis contentus amplius non peteret, & ipſe parcè vivendo aliquid acquiſierit unde remuneret perſonam ſibi benemeritam; quia tunc ex licentia Prælati poteſt modicè remunerare: nam ſicut poteſt modicè donare ex illis, Villalobos *d. difficult. 32. n. 4.* ſimiliter poteſt modicè remunerare illa obſequia, ſeu merita ſibi facta ut particulari, non vero immodicè. Diana *d. tract. 6. reſolut. 28.*

Deinde excipio, ſi Religioſus ex indulto Pontificis bene- 75
ficium obtineat, aut Epiſcopus factus fuerit; tunc enim merita, & obſequia ſibi facta ut particulari poterit remunerare ex redditibus Beneficii, aut Epiſcopatus; id enim non eſt donare ex redditibus Monaſterii, Navarrus *comment. 2. de Regularibus. num. 6.* Sanchez *lib. 6. Decalog. cap. 6. à n. 13.* Layman *in Summa, lib. 4. tract. 2. cap. 3. à nu. 13.* Bonacina *de largit. muner. diſp. 3. punct 2. n. 3.*

Si verò ſit caſus ubi remuneratio ſit neceſſaria ad utilita- 76
tem Monaſterii, vel ad bonam adminiſtrationem illius, & merita, & obſequia ad id fuerint præſtita, tunc rectè fiunt ex redditibus donationes remuneratoriæ, quia eſt cauſa ſufficiens remunerandi, ut benè notat Villalobos *dict. difficult. 32. nu. 4. in fin.* & in hoc ſenſu intelligendi ſunt DD. relati *n. 73.*

Eſt tamen obſervandum, ad hoc ut Religioſus quomo- 77
dolibet donet, ſemper eſſe neceſſariam licentiam Prælati, ſive expreſſam, ſive tacitam; quia apud eum eſt libera adminiſtratio reddituum, & bonorum Monaſterii, idcircò eſt neceſſaria ejus licentia. Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 15. à num. 2.* Quam etiam concedere valet Abbatiſſa reſpectu monialium, cùm in ea ſit ſimiliter libera adminiſtratio. Cruz *de ſtat. Relig. lib. 1. cap. 3. dub. 5. concluſ. 1.* Sanchez *lib. 7. Decalog. cap. 19. num. 44.* prout etiam poteſt ad uſum concedere peculium. Diana *d. tract 6. reſol. 22. in fin.*

Inter ipſos Religioſos quando aliqua bona elargiuntur, 78
melior ſententia eſt, eſſe neceſſariam licentiam Prælati: ſed quando ex parte eorum non timeretur ambitio, probabiliter tenet contrarium Diana *d. tract. 6. reſol. 20.*

Illud verò obliviſcendum non eſt, accipientes donatio- 79
nes à Religioſis contra hoc interdictum, ad reſtitutionem teneri, quia nullo juſto titulo retinet, & ad id non eſt expectanda ſententia. Reſtitutio verò facienda eſt Monaſterio. Bonacina *dict. diſp. 3. punct. 4. per tot.* Scortia *Epitome 158. theorem. 398.*

CAPUT VIII.

De donationibus ex redditibus factis ab Epiſcopis, aut Beneficiatis in ægritudine Explicatur textus *in cap. Ad hæc 8. de teſtament.*

SUMMARIUM.

Olim fuit dubium de qua ægritudine, vel infirmitate erat intelligendum interdictum, nec donarent Clerici ex redditibus in ægritudine. Ponitur ratio dubitandi, num. 1.

Diffidium ortum eſt, quando infirmitas fuiſſet periculoſa, necne, Aliqui dixerunt febrem quamlibet eſſe periculoſam, n. 2. Niſi eſſet intermittens, n. 3.

Alteri dicebant periculoſam ægritudinem, ex qua mors ſequebatur. Et nonnulli aſſerebant, ad tunc effectum eſſe neceſſarium, ut donatio fieret tempore, quo deſperaretur de ſalute infirmi. Ac denique

quam-

quamplurimi relinquerunt id declarationibus Medicorum, nu.4.

Hodie ſopita eſt hæc difficultas ex regulis Cancellariæ, ita ut ſi infirmus moriatur poſt viginti dies à donatione, valida non ſit, ſive fiat in ægritudine, ſive non, n.5.

Epiſcopus, ſeu Beneficiatus nequit in ægritudine facere donationes, niſi modicas, intuitu tantùm eleemoſynæ, dummodo ſint compotes, n.6.

Interpretatur textus in cap. Ad hæc 8. de teſtament. *Aliqui dicunt intelligendum non eſſe de redditibus, ſed de bonis Eccleſiæ, numer. 7. Sed rejicit Barboſa, num.8.*

Alteri dicunt immodicas donationes ibidem non prohiberi, ſi fiant abſque fraude, ſed ſolùm fraudulentas, num. 9.

Noviter interpretatur textus in cap. Ad hæc 8.de teſtament. *& intelligitur de donationibus cauſa mortis: ponuntur rationes dubitandi. Filiusfamilias ex bonis Caſtrenſibus valet donare cauſa mortis, & idem de bonis integrè ſibi acquiſitis, n.10.*

Defenditur interpretatio. Qui prohibitus eſt teſtari, nequit donare cauſa mortis, n.11.

Reſpondetur rationibus dubitandi. Filiusfamilias valet donare cauſa mortis de caſtrenſibus, quia de eis valet teſtari; & idem de quaſi caſtrenſibus. Ex aliis bonis ex privilegio juris, cum conſenſu patris valet donare cauſa mortis, n.12.

Clericis ex redditibus, ubi non teſtantur, nequeunt donare cauſa mortis, & probatur n.13. & 14. Ubi excipitur de aliquibus modicis eleemoſynis.

An Epiſcopi, vel Beneficiati ex redditibus poſſint facere in ægritudine donationes validas, & irrevocabiles? Prima ſententia negat, num. 15. Secunda affirmat, num.16.

Examinatur dubium quando ſimiles donationes fiunt ad profana, vel cauſas pias. Quando fiunt ad profana, ſpeculativè loquendo poſſunt juſtineri, licèt donantes graviter peccent, n.17.

Sed in praxi difficile eſt obtinere, ſi res non ſit tradita, ob præſumptionem fraudis, num.18. Si res tradita ſit, ob alias fraudes animus ſolùm juramento probatur, nu. 19.

Si cauſa donandi fuerit manifeſta, ſuſtinetur, n.20.

Si fuerit donatio iſta facta ad cauſas pias irrevocabilis, ſimul cum traditione, ſuſtinetur, & ſit abſque ullo peccato, n.21.

Si Epiſcopus, ſeu Beneficiatus in ægritudine irrevocabiliter donaſſet conſanguineis cum rei traditione, an valeat donatio? Negandum videtur. Quando quis prohibitus teſtari morti proximus donat, cenſetur ultima voluntas. Affectio ſanguinis eſt validiſſima præſumptio, nu.22.

Sed contrarium tenet de Lugo. In dubio non præſumitur delictum. Interpretatio ſemper fit pro valore actus, nu.23.

Defenditur hæc ſententia in foro poli, n.14. Sed in foro exteriori id non admittitur, n.25.

Sed quid ſi conſanguinei ſint pauperes, ſimiliter aſſerendum videtur, num. 26. Sed contrarium ſuſtinetur, num.27.

1 POſtquam egimus de donationibus factis, ſeu faciendis ab Epiſcopis, aut Beneficiatis ex redditibus, quando ſani ſunt, neceſſariò debemus tranſire ad donationes, quæ ab ipſis fiunt in ægritudine. Fuit tamen olim dubium, de qua infirmitate ſit intelligendum interdictum hoc non donandi in ægritudine; ratio enim dubitandi erat, quia non quælibet infirmitas periculoſa eſt, quin potiùs infirmus magis proximus ſanitati cenſetur; & ideo donationes iſtæ non ſunt cenſendæ factæ in infirmitate, ſed in ſanitates ſecus ſi periculoſa ſit ægritudo, quia exiſtimarentur donationes factæ per ultimam voluntatem, in præjudicium eccleſiarum, aut Cameræ Apoſtolicæ.

2 Quamobrem ad cognoſcendum quando infirmitas eſſet periculoſa, & infirmus morti proximus, diſſidium ortum eſt. Aliqui dixerunt quamlibet infirmitatem periculoſam eſſe, *ex l. Mortis cauſa 12. cum tribus ſequent. ff. de Donat. cauſa mort.* eo quòd ſortis, quantumvis minima, ſemper eſt periculoſa, ſi continua ſit, & acuta, prout explicuit Hippocrates *2. epidem. text. 3.* ibi: *Sunt autem acutiſſimi, maximè graviſſimi morbi, ac præcipuè lethales in continua febre.* Galenus *comment. 4. aphoriſm. 37.* Vel ſaltem illa, ex qua mors ſequitur; nam ſucceſſu ipſo oſtenditur, magnam, & periculoſam fuiſſe, ut ſcripſit Zachias *quæſt. medicol. lib. 4. tit. 1. quæſt. 8. n. 55.*

Si tamen febricula ſit, ſive intermittens, prout tertiana, ſeu quartana, non eſt dicenda periculoſa, ſed ſufficit ut quis dicatur conſtitutus in infirmitate. Rebuffus *in praxi Benefic. in Regul. de infirmis, num.5.* Noguerol *alleg. 26. n.237.* 4

Alteri dixerunt, infirmitatem periculoſiſſimam, & infirmum morti proximum ex quolibet morbo, unde mors ſequuta fuerit. Baldus *in cap.2. de Pact. num. 11.* Georgius *alleg.22. num.18.* Giurba *ad Conſuet. Meſſan. cap. 2. gloſſ. 4. num.3.* Aliqui verò relati à Giurba *dict. gloſſ.4. num.5.* aſſeruerunt ad hunc effectum revocandi donationes factas ab Epiſcopis, aut Beneficiatis, eſſe neceſſarium, ut in tali ſtatu eſſe infirmus, ut ſemper de ſalute ejus deſperaretur. Ac denique complures id totum Medicorum diſpoſitionibus relinquerunt, ut dicant quænam infirmitas fuerunt periculoſa, necne, & quando donatio facta fuit, an magis fuerint æger proximus morti, quàm ſaluti, quibus ut peritis eſt credendum, *l. Semel, Cod. de re milit. lib. 12.* Ripa *de act. in art. mort. cap.61. num.61.* Georgius *d. allegat.22. n.19.* Rota apud Zachiam *in quæſt. medicolegal. dec.18. n.5.* 4

Sed hæc diverſitas ſententiarum ſopita eſt ex regula Cancellariæ *de viginti*, vel *de infirmis reſignantibus*, ubi diſpoſitum eſt, quamlibet reſignationem, ſeu actum factum ab infirmo nullum eſſe, ſi Epiſcopus, aut Beneficiatus decedat intra viginti dies poſt actus celebrationem, nam intelligitur ad actum eſſe per ultima voluntatem, utpote factum in articulo mortis. Quod eſt ampliatum ex modernis regulis, etiamſi valetudinarii eas feciſſent, dummodò intra viginti dies moriantur. Tapia *in Auth. Ingreſſi, Cod. de Sacroſ. Eccleſiis, cap.3. num.39.* Filliucius *tract. 43. de ſtat. Cler. cap. 8. à num.9.* Capponi *tom.3. diſcept.138. num. 39.* Noguerol *dict. alleg.26. num. 290.* Solorzano *de iur. ind. lib. 3. cap. 11. n.49. tom.2.* 5

In his igitur donationibus ex redditibus, quando Epiſcopus, vel Beneficiatus eſt in ægritudine, eſt textus *in cap. Ad hæc 7. de teſtament.* ubi Beneficiatus de redditibus teſtari prohibetur, & aliquas donationes facere in ægritudine, niſi modicæ fuerint, non intuitu teſtamenti, ſed eleemoſynæ, dummodò compotes ſint: quem textum elucidat noſter Alfonſus *in leg. ult. tit. 21. part. 1.* hiſce verbis: *Mas ſi huvieſſen algun mueble adelantado de ſus Beneficios, aunque teſtamento no deban facer, bien pueden darlo, ò partirlo à pobres, è à Ordenes, è à otros lugares, que ſean de merced, è à parientes, è amigos, è à los que lo ſirven en ſu vida, quier ſean de ſu linage, ò non: è eſto no por razon de teſtamento, mas como per limoſna, ò per galardon de el ſervicio, que les fizieron. Eſto pueden facer ſiendo ſanos, ò enfermos à hora de muerte, tanto que ſean en ſu ſeſſo.* Solorzanus *de iur. Ind. to. 2. lib.3. cap.10. à n.81.* 6

Textus verò *in dict. cap. Ad hæc*, variè interpretatur. Plures aſſerunt non agere de redditibus Eccleſiarum, ſed de bonis Eccleſiæ, in quibus nequeunt Beneficiati, ſeu Prælati facere donationes, ſed tantùm aliquas largitiones modicas per modum eleemoſynæ, *cap. Cæterum 3. de donat.* quod quidem permittit Pontifex in ægritudine faciendum. Cæterùm probatur ratione; nam Beneficiati ex redditibus poſſunt facere eleemoſynas modicas, vel immodicas, quando ſani ſunt, vel alia opera pia. Quod idem eſt dicendum in ægritudine ad bonum ſuarum animarum: Ergo textus iſte trahendus eſt ad caſum, in quo de jure nihil erat diſpoſitum, nempe ad donationes modicas per modum eleemoſynæ de bonis Eccleſiæ, in quo nihil erat decretum. Abbas *in dict. cap. Ad hæc, num. 2.* Barbatia *ibid. not.1.* Sarmiento *de redditibus, 2. par. cap.7. num 3.* nec diſſentiunt Navarrus *in cap. fin.16. quæſt.1. quæſt. principal. n. 86.* Molina *de primog. lib.2. cap.10. n.41. verſ. Qua ratione.* Filliucius *de Stat. Cleric. tract 43. cap.4. à nu.11.* Antonellus *de Regim. Eccleſ. lib.3. cap. 17. n.9.* 7

Sed Barboſa *in dict. cap. Ad hæc, nu.4.* hunc intellectum non admittit, ſed aſſerit intelligendum de redditibus Eccleſiaſticis, & de aliis bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis; nam Beneficiatus, ſeu Epiſcopus in ægritudines conſtitutus 8

uſua-

uſurario comparatur reſpectu reddituum. Surdus *lib.3.conſilio* 333. *numer.*9. Puteus *lib.2. deciſ.*317. Rota 1. *part. diverſ.deciſ.*761. Rota apud Seraphinum *deciſ.* 594. *num.* 7. quos nequit aliquo modo alienare, ſeu donare. Verùm textus ille licentiam concedit,ut poſſit ex redditibus Eccleſiaſticis modicas donationes per modum eleemoſynæ, aut gratitudinis conferre, ea ratione, quia cui data facultas eleemoſynandi in vita ex redditibus, in ægritudine tali poteſtate non privatur, quando eleemoſynæ ſunt magis neceſſariæ. Abbas, Ancharanus, Covarruv.& alii. *in dict. cap. Ad hæc*, Boetius Epo *ibid. num.*5 Rota 2. *par.Recent. deciſ.*241. *num.*11. Farinacius *in Repert. ult. voluntatum*, *quæſt.*54. *num.*13. Barboſa *de offic. Epiſcop.*3. *part. allegat.* 114. *n.*35. qui animadvertunt, ad hoc ut in præſentiarum dicatur immodica donatio, debere attendi facultates donantis, & merita donatarii. Belletus *diſquiſit.Cleric.tit.de Cleric.debit. §.*5. *n.*7.

9 Alia etiam ſententia eſt aſſerens textum illum non prohibere donationes immodicas factas à Prælato, ſeu Beneficiato in ægritudine, ſed tantùm ſtatuere, ut fraudulentas minimè eſſe admittendas; nam cùm eorum teſtamentum ibidem interdicatur, ſi modò immodicè donet, illud interdictum illuderetur: quapropter niſi modicæ donationes, aut eleemoſynæ non permittuntur Epiſcopis, aut Beneficiatis in ægritudine conſtitutis, prout alii actus irritantur facti in fraudem legis, *l. Filiæ* 9. *ff. ſolut. matrim. l. Si filiæ* 6.*ff. de divort.cap. De his de ſepult.*& jam tetigimus ſuprà cum aliquibus, quibus addendi Sarmiento *de Reddit.* 4. *part. cap.*4. *num.*6. Covarruv. *in dict. cap. Ad hæc*, *num.* 2. Graña *in cap.*1. *de teſtament. n.*6. Solorzano *d.tom.*2. *lib.* 3. *cap.*10. *à n.*89.

10 Verùm, pace tantorum virorum, in hujus textus explicatione aſſero, in eo non agi de donationibus inter vivos irrevocabilibus, ſive quando Clerici ſani, aut in ægritudine fuerint; ſed tantùm de donationibus cauſa mortis, & de his, quæ effectum poſt mortem erant ſortiendæ: & probo; nam in capite antecedenti, ex Concilio Lateranenſi, *cap. Cùm in officiis* 7. *de teſtament.* erat decretum, minimè Clericos teſtari poſſe de bonis per Eccleſiam acquiſitis: quod explicat Innocentius III *in dict. cap. Ad hæc*, nempe extendendum ad bona mobilia, ita ut non ſolùm de bonis immobilibus intelligatur, ſed de mobilibus, ut ibidem notat Gloſſa, Alagona *in Compend. iur.can. lib.*3.*tit.* 6.*cap.*8. & noſter Alfonſus *in dict. l. ultim. tit.* 21. *part.* 1. Sed tamen adhuc reſtabat dubium, an ſicut nec teſtari poterant de his bonis, ſaltem donare poſſint cauſa mortis. Ratio dubitandi erat; nam bona, quæ acquirunt Clerici intuitu Eccleſiæ, ſunt bona quaſi caſtrenſia, quia in militia Eccleſiaſtica acquiruntur,de quibus valet fieri donatio cauſa mortis, licèt perſona acquirens nequeat teſtari, ut videre eſt in filiofamilias, qui licèt interdictus eſt teſtari, ex bonis caſtrenſibus poteſt donare cauſa mortis, *l. Filiusfamilias* 3. *§. fin. de donat.* Ergo licèt Clerici de his bonis non poſſint teſtari, verùm cùm quaſi caſtrenſia ſint, poterunt donare cauſa mortis. Rurſus erat alia ratio dubitandi,nam filiusfamilias eſt teſtari interdictus,verùm ſi habeat aliqua bona à patre independentia, veluti quando non ſolùm haberet proprietatem, ſed etiam uſumfructum, tunc liberè poteſt donare cauſa mortis, licèt teſtari non valeat. Bart. *in Novell.* 117. *cap.*1. *§.*1. *num.*7. Caſtrenſis *in l.*25 *§.* 1. *ff. de mort. cauſ. donat.* Benedictus *in cap. Raynutius*, *de teſtament. verbo Matrem*, *n.*43. Fachineus *lib.*3. *controverſ. cap.*25. Hunnius *lib.*2. *tract.*4. *quæſt.*5. Cùm ergo bona acquiſita intuitu Eccleſiæ pleno jure pertineat ad Epiſcopum, ſeu Beneficiatum, inde eſt, ut ſi non poſſint teſtari, poſſint donare cauſa mortis.

11 Sed tamen contrarium decidit Pontifex; nam donationes cauſa mortis ultimis voluntatibus comparantur, *l. ult. Cod. de donat. cauſ. mortis*, ita ut qui nequit teſtari, nequeat cauſa mortis donare, *l. Tamis* 25. *§.*1. *ff. de donat. cauſ. mort. l.*1. *§.*1. *ff. de tut. & cur. dat.* Ergo cùm Clerici nequeant teſtari de bonis per beneficia acquiſitis, ſimiliter nec donare cauſa mortis. Cæterùm ſi donare poſſent cauſa mortis,illud interdictum illuderetur in grave Eccleſiarum, & Camerę Apoſtolicæ præjudicium;unde Pontifex aſſerit, donare non poſſe cauſa mortis Clericos ex bonis acquiſitis intuitu Eccleſiæ.

12 Rationes dubitandi facilè ſolvuntnr; nam Filiusfamilias valet donare cauſa mortis de bonis caſtrenſibus, quia de eis valet teſtari, *§. Illis autem*, *Inſtit. de milit.teſtament, l. fin. C. de inoffic. teſtament. l.* 13. *tit.* 1. *p.*9. quod idem eſt dicendum de quaſi caſtrenſibus, *l. penult. C. qui teſtamenta facere poſſ.§. fin. Inſtit. de milit. teſtament.* Pich. *in princip. Inſtit. quibus non eſt permiſs. à nu.* 70. Unde benè poteſt donare cauſa mortis. Alterum fundamentum ſimiliter diſſolvitur negando illam ſententiam; nam ex privilegio juris poſſunt filiifamilias donare cauſa mortis ex conſenſu patrum, *dict.l. Tamis* 25. *§.*2. *l. Filiusfamilias* 7. *§. Pari* 4. *cum ſequent. ff. de donat.* latè Mathias Berlichius *pract. concluſ.* 3. *p.concluſ.*1. *num.*6. Thaddæus Piſo *lib.* 4. *Var. cap.* 4. *à nu.* 3. quod quidem eſt obſervandum, etiamſi bona plenè ad filiumfamilias pertineant; nam conſenſus patris ex duabus cauſis eſt neceſſarius.Primò ad habilitandum filium,ut poſſit donare cauſa mortis, cum per ſe non poſſit. Secundò, ne præjudicium inferat patri abſque ejus conſenſu. Covarr. *in rub. de teſtam.* 3 *p. num.*8. *&* 9. Clarus *lib.*4. *§. Donatio*, *quæſt.*6. *num* 3. Rubeus *conſ.*127. Piſo *dict. cap.* 4. *n.* 5. Idcircò in præſenti non urget illud fundamentum, cum verè per ſe, independenter à patre nequeat filiusfamilias donare cauſa mortis. Diana 8. *p.tract.* 9. *reſolut.* 68. Quod quidem de jure communi procedere intelligas, quia de jure noſtro Regio aliter ſe habet. Filius enim familias valet per ſe teſtari, *l.* 5. *Tauri*, *l.*4. *tit.*4. *lib.*5. *Recopilat.* & conſequenter donare cauſa mortis. Mathienzo *in l.*7. *tit.*10. *lib.* 5. *gloſs.* 2. *numer.*27. Pichardus *in princip. inſtit. de Donat. numer.* 12.

Unde conſequitur, Clericos ex acquiſitis intuitu Eccle- 13
ſiæ donare non poſſe cauſa mortis. Excipit tamen Pontifex aliquas modicas donationes, quæ ab eis fieri poſſunt, non ratione teſtamenti, ſed gratitudinis, aut eleemoſynæ. Hæc enim excepto, ſi intelligatur de donationibus irrevocabilibus inter vivos, conſequenter non loqueretur Pontifex, quia diſceptatio non erat niſi de ultimis voluntatibus Clericorum, explicando Concilium Lateranenſe, ut benè animadvertit Grana *in cap.*1. *de teſtam. num.*9. Ergo neceſſariò intelligendus eſt textus *in cap. Ad hæc*, de donationibus cauſa mortis, in quo etiam caſu loquitur noſter Alfonſus *in d. l. ult.*

Idque ratione confirmo; nam Jus Canonicum omnia, 14
ſumma æquitate diſponit,*cap.*1. *& cap. Qualiter* 3.*de pact.* ubi Scribentes: quapropter diſpoſuit, ut quemadmodum Epiſcopus,aut Beneficiatus per vitæ ſuæ curriculum potuit eleemoſynare, & ſe gratum præbere ex redditibus, ſimiliter poſt mortem ad ſuæ animæ bonum, idcircò textus ille eſt intelligendus de donationibus cauſa mortis, quæ effectum poſt mortem ſunt ſortiendæ.

Hinc examinanda eſt quæſtio, an Epiſcopus, ſeu Bene- 15
ficiatus poſitus in ægritudine, poſſit facere donationes immodicas irrevocabiles inter vivos. Prima ſententia negat, *ex dict. cap. Ad hæc*. Sed ut ſcripſimus, textus iſte non loquitur de donationibus irrevocabilibus inter vivos, ſed de donationibus cauſa mortis, itaque ad hoc nihil probat. Tum quia admittit alia interpretamenta ſuprà relata. Aſt ſententia iſta ratione probatur; nam quælibet donatio immodica facta ab Epiſcopo,ſeu Beneficiato in ægritudine, præſumitur facta in fraudem legis, eo quòd prohibiti ſunt teſtari: Sed donationes in fraudem non ſuſtinentur, ut diximus *cap.*2. *de Renunt. in* 6. Ergo nequeunt ſimiles donationes ſuſtineri. Denique licèt Epiſcopi, ſeu Beneficiati ſint domini reddituum Eccleſiaſticorum, id tantum intelligendum quando ſunt ſani, non verò in ægritudine. Gloſſa *in cap. in præſenti*, *de offic. Ordin. in* 6. *verbo Reſervare*. Fagnanus *in cap.* 1. *de pecul. cleric. numer.* 3. Capponi *diſcept.* 138. *numer.* 5. quare nequeunt in ægritudine facere donationes immodicas irrevocabiles. Abbas *in dict. cap. Ad hæc*, *num.*3. Roſella *verbo Clericus* 4 *num.* 1. Covarr. *in dict. cap. Ad hæc*,*n.*5. Sarmiento *de Reddit.*5.*p.cap.* 4. *à num.*7.

Secunda ſententia contrarium tenet, nam donatio inter 16
vivos poteſt fieri irrevocabiliter ab eo qui eſt morti proximus, ut ſuprà diximus. Gratianus *diſcept.for. tom.*3.*cap.* 854. *nu.*1. Ergo cùm Epiſcopus, ſeu Beneficiatus poſſint inter vivos donare validè, & irrevocabiliter ex redditibus, ſimiliter in ægritudine. Cæterùm ſunt domini reddituum uſque ad vitæ ultimum ſpiritum; quapropter ſicut valent donationes etiam immodicæ, quando ſunt ſani ob acquiſitum dominium, ſimiliter in ægritudine. Navarrus *in Man. cap.*25 *num.*139. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 10. *à nu.* 40.

mum. 40. Alter Molina *de Iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 148. *concluſ.* 4. Villalobos *in Summa*, 2. *p. tract.* 30. *difficult.* 11. *n.* 9. Sanchez *lib.* 6. *Decalog. cap.* 6. *nu.* 12. *ad fin. & lib.* 2. *conſ. cap.* 2. *dub.* 53. *n.* 6. Leoncillus *de privileg. paup.* 2. *p. privileg.* 118. *numer.* 6.

17 Hæc difficultas duobus modis examinanda eſt. Primò quando donationes iſtæ fiunt ad cauſas profanas: ſecundò verò quando fiunt ad pias. Quoad primum dicendum, quod ſi hæ donationes fierent inter vivos irrevocabiliter abſque aliqua fraude, graviter peccare donantes, ſed ſpeculativè loquendo ſuſtineri poſſe. Ratio fundamentalis eſt quia dominium & jus donandi validè, licèt illicitè, non auferetur Epiſcopis, ſeu Beneficiatis ex redditibus, propter aliquam ſupervenientem infirmitatem, aut mortis periculum. Ergo licèt ſint infirmi, ſi modò non adſit fraus, validè donant ex redditibus, licèt illicitè, etiamſi aliquo morbo periclitentur.

18 In praxi verò Molina *dict. cap.* 10. *num.* 41. inquit ſæpiùs judicatum, validas eſſe ſimiles donationes profanas: ſed adhuc cum maxima difficultate id amittendum; nam aut res donata tradita non eſt, & in hac ſpecie fraus præſumitur, & ita donatio non ſuſtinetur, quia intelligitur facta poſt mortem, *l.* 2. *§. Si pecuniam, ff. de Donat.* Portius *conſ.* 104. Gratianus *dict. cap.* 854. *num.* 53. Barboſa *de offic. Epiſcopi*, 3. *p. allegat.* 114. *à num.* 32. Sanchez *dict. dub.* 53. *num.* 9.

19 Si verò res tradita non eſt, licèt verba donationis ſint ampliſſima, adhuc latet pactum revocationis. Tum quia ut intelligatur fraus, non requiritur quod res tradita ſit, vel non, ſed quod præjudicium fiat Eccleſiæ, ſeu Camerę Apoſtolicæ tempore quo erat inteſtabilis epiſcopus, ſeu Beneficiatus: quare in praxi ſimiles donationes difficillimè ſuſtinentur. Denique animus Epiſcopi, ſeu Beneficiati donantis ad profana, an feciſſet in fraudem legis, an potiùs utendi jure ſuo, perdifficilè diſcernitur, quia animus ſolùm probatur per donantis juramentum. Gloſſa *in cap. Quia divinis* 24 12. *quæſt.* 2. *verbo Ignorare* Maſcardus *de probat. concluſione* 881. *per tot.* Coſta *de fact. ignorant. inſpect.* 84. *per tot.* Seraphinus *de privileg. juram* 4. Ozaſchus *dec.* 71. *à n.* 28. cujus juramentum ſi deceſſit, redditur impoſſibile; ſi autem adhuc vivit, ſuſpectum eſt: nam qui tam graviter peccavit donando, quando erat in ægritudine, cum tanto periculo ſuæ animæ, ejus juramentum ſuſpectiſſimum redditur, quare in praxi ſimiles donationes profanæ maxima difficultate ſuſtinentur. Unde ipſe Molina *nu.* 41. *verſ. Quod optima*, agnoſcit litigantes in his cauſis ſæpiùs ad concordiam cum Camera Apoſtolica venire, utpote in cauſa difficilis expeditionis, quàm totam commendat arbitrio indicantis Solorzano *dict. lib.* 3. *cap.* 10. *à* 132.

20 Tempero tamen hoc aſſertum, ſi cauſa donandi, etiam in ægritudine, eſſet manifeſta, & abſque aliqua fraude; tunc enim fraudulenta non cenſebitur, & poterit ſuſtineri, maximè ſi juramento firmetur. Solorzano *dict. cap.* 10. *à num.* 10. Balmaſeda *de Collect. quæſt.* 21. *n.* 3. Noguer. *alleg.* 26. *n.* 259. Diana 8. *p. tract.* 6. *reſol.* 88.

21 Secundo modo examinanda eſt hæc difficultas, ſcilicet quando donatio irrevocabilis facta fuerit in ægritudine ad cauſas pias, ſimul cum traditione, aut ſine ea, ita ut nulla fraus ex alio adminiculo ſuſpicaretur. Et in hac ſpecie dico donantem nullo modo peccare, & valere donationem, factam in ægritudine, ut benè advertit Sarmiento *dict.* 4 *part. cap.* 4. *nu.* 7. nam in his cauſis piis nulla fraus præſumitur, quia fraus procedit à diverſo fonte, prout deſcendit pietas; vera enim pietas nihil agit perperam, & oppoſita eſt fraudi: fraus verò procedit ex invidia, & odio ſucceſſoris; itaque cùm donatio iſta nullam contineat fraudem, ſuſtinetur. Exemplis confirmatur, nam D. Laurentius morti proximus theſauros Eccleſiæ erogarit: & D. Thomas Villanovanos Archiepiſcopus Valentiæ omnia ſua bona ex redditibus in articulo mortis pauperibus largitus eſt uſque ad lectum. Quevedo *in ejus Vit. cap.* 4. ob quas quidem largiſſimas donationes Viri iſti Sanctiſſimi maximis laudibus extolluntur. Quare abſque dubio ſimiles donationes ſunt ſuſtinendæ. Sanchez *conſ. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 53. *à num.* 6.

22 Erit ergo dubium quando Epiſcopus, ſeu Beneficiatus, ubi Clerici non teſtantur, in ægritudine aliquas donationes immodicas feciſſent cum traditione, conſanguineis vel aliis ad cauſas profanas, an ſint ſuſtinendæ, necne Et negandum videtur, nam plures DD. aſſerunt, actus factos in periculoſa infirmitate, quando quis eſt morti proximus, jure ultimas voluntates cenſeri, *l. Si mulier* 21. *ff. Rer. amot. l. Sulpitius* 46. *ff. de donat. inter.* Baldus *in Authent. Si rogati, Cod. ad Trebell.* & alii congeſti à Sarmiento *d. cap.* 4. *nu.* 6. Hanc ob rem etiamſi donatio fiat cum traditione, quaſi per ultimam voluntatem donari videtur, nec poterit ſuſtineri talis ratio. Confirmatur, nam ſi donatio fiat conſanguineis, vel amicis, inde ex affectione fraus præſumitur, quia eſt validiſſima præſumptio alias excludens. Gomez *Var. tom.* 1. *cap.* 10. *nu.* 36. *in fin.* Mantica *de Conject. lib.* 12. *tit.* 17. *nu.* 29. Menochius *de Arbitr. cauſ.* 472. *à num.* 20. Caſtillo *controverſ. lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 25. Ergo ob fraudem, etiamſi traditio fiat, non ſuſtinebitur talis donatio.

Sed contrarium tenet de Lugo *Reſponſ. Moral. lib.* 5. *dub.* 1. *à num.* 8. ducitur, nam in dubio delicta non præſumuntur, quare nec præſumendum, Epiſcopum, ſeu Beneficiatum ex redditibus donaſſe in fraudem legis, ſed irrevocabiliter inter vivos. Filliucius *in Appendice de ſpoliis, tract.* 43. *cap.* 8. *num.* 15. Ergo ſuſtinebitur talis donatio. Cæterùm quia interpretatio debet fieri pro valore actus, etiam in donationibus. Naldus *in Summa, verbo Donatio, num.* 7. Menochius *de Præſumpt. lib.* 6. *præſump.* 4. *n.* 22. itaque credendum, Epiſcopum, ſeu Beneficiatum potius voluiſſe donare inter vivos irrevocabiliter, quàm cauſa mortis, quod irritum, & nullum eſt. Ergo talis donatio valida eſt, maximè ſi res eſt tradita, quæ excludit fraudem. Tenet etiam Enrriquez *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 30. *num.* 7. *lit. N.* 23

In hac difficultate dico, quod ſi donatariis conſtet, nullam fraudem extitiſſe in donatione illa, nec animum fraudandi habuiſſe donantem in foro conſcientiæ, rectè retinere res donatas, & validam eſſe donationem illam, ut cum multis docet Enrriquez *dict. lit. N*, de Lugo *dict. dub.* 1. *n.* 8. prout etiam retinere valent, licèt fuerit facta intra viginti dies; in foro enim conſcientiæ, ſi abſit fraus, regulæ illi non eſt ſtandum. Valerus *verbo Donatio, different.* 6. *n.* 2. Diana 1. *part. tract.* 10. *reſolut.* 42. Hanc ob rem donatarii rectè in foro conſcientiæ res donatas retinebunt, quamvis in ægritudine donentur, & tradantur, dum fit irrevocabiliter inter vivos, & abſque fraude. 24

In foro verò exteriori, ut bene conſiderat Diana *reſolut.* 43. Collectores Cameræ Apoſtolicæ id non admittent, ex rationibus perpenſis *à nu.* 18. quibus & addendæ ſunt poſitæ pro ratione dubitandi, *num.* 22. 25

Sed reſtat dubium, an ſit ſuſtinenda talis donatio, ſi fiat conſanguineis pauperibus? Et negandum videtur; nam ut tenent plures, quos retulimus *lib.* 1. *cap.* 1. *nu.* 20. quod relinquitur pauperi conſanguineo, pium non eſt, quia ex affectione ſanguinis relictum, pium non eſt, etiamſi conſanguineus pauper ſit, nec ex charitate procedit; idcircò cùm ſit profanum, ex fraudis præſumptione eliditur donatio, aut difficillimè ſuſtinebitur. 26

Sed in noſtra ſententia aſſerente pium eſſe legatum, ſeu donationem, de quo plures videndi *à num.* 21. aliter eſt quæſtio iſta reſolvenda: & aſſerendum, ſuſtinendam eſſe donationem; nam cùm pia ſit, à ſuſpicione fraudis liberatur, & ita ſi irrevocabilis ſit, & inter vivos, etiamſi in ægritudine fiat, ſuſtinebitur. Sarmiento *d. cap.* 4. *n.* 8. 27

CAPUT IX.

De teſtamentis Epiſcoporum, & Beficiatorum Elucidatur textus *in cap.* 1. *de pecul. Clericorum.*

SUMMARIUM.

Epiſcopi, vel Beneficati poſſunt teſtari de ſuis bonis patrimonialibus, vel quæ ſucceſſione, artificio, vel amicorum donatione, abſque Eccleſiæ contemplatione acquiſierunt, num. 1. *Et extenditur etiam ad alios inferiores, num.* 2.

Idem eſt dicendum de eis, quæ acquiſierunt ex aliquo officio ſæculari, vel ratione ordinis, & ratione ſalarii, ſeu ſtipendii, n. 3.

Explicatur textus in cap. Epiſcopus, qui filium 34. 12. quæſt.

quæſt. 2. n. 2. *Intelligitur de bonis patrimonialibus: datur vera interpretatio, nu. 5.*

Explicatur textus in cap. Si quis Epiſcopus 5. de hæreticis. *Epiſcopus ex bonis patrimonialibus nequit hæreticum hæredem inſtituere, ſive conſanguineum, ſive extraneum, nu. 6.*

Clerici rectè teſtantur de bonis patrimonialibus, de quibus fecerunt patrimonium ad Ordines ſuſcipiendos, num. 7.

An poſſint teſtari de bonis acquiſitis ex redditibus parcè vivendo? Aliqui negant, num. 8. Alteri diſtinguunt quando adeſt conſuetudo, num. 9. Communis ſententia affirmat, num. 10. Admittitur hæc ſententia, & explicatur, num. 11.

Epiſcopus, ſeu Beneficiatus poteſt teſtari de aliqua parte reddituum, quando tantumdem ex patrimonialibus inſumpſerit pro redditibus, aut aliquam partem dederit Eccleſiæ animo compenſandi, n. 12.

Epiſcopus, ſeu Beneficiatus de jure communi nequeunt teſtari de redditibus, num. 13. Datur ratio decidendi, n. 14.

Aliqui tenent contrarium: explicantur verba legis XII. *Tab.* Uti quiſque legaſſit rei ſuæ, ita jus eſto, *num. 15. Sed refelluntur. Epiſcopi, ſeu Beneficiati ſolùm habent adminiſtrationem bonorum Eccleſiæ, num. 15.*

Reſpondetur legi XII. *Tab. Plures ſunt domini rerum ſuarum, ſed non teſtantur, n. 17.*

An Beneficium ſimplex habens poſſit de redditibus teſtari? Prima ſententia affirmat, & explicatur caput Requiſiſti 15. in fin. de teſt. *n. 18.*

Secunda ſententia negat, num. 19. In Beneficiis ſimplicibus ab Eccleſia inſtitutis admittitur hæc ſententia, numer. 20.

In aliis Cappellaniis, ſeu Beneficiis ſimplicibus à fundatoribus inſtitutis, ſi fructus ſunt ſalarium Miſſarum, vel aliarum functionum Eccleſiaſticarum, rectè de eis ſimplices Beneficiati teſtantur, n. 21.

An Canonici, vel alii poſſint teſtari de diſtributionibus quotidianis? Alii affirmant, alii negant. Reſolvitur affirmativè, ſi diſtributiones ſint ſeparatæ à maſſa Præbendarum, num. 22.

De bonis acquiſitis ab Epiſcopo, ſeu Beneficiato ante Clericatum rectè teſtantur Epiſcopi, ſeu Beneficiati, numer. 23.

Rectè introducta eſt in Hiſpania, ubi Epiſcopi non teſtantur, ut inventarium faciant de bonis acquiſitis ante Epiſcopatum aſſumptum, num. 24. Si inventarium factum non fuerit, præſumitur omnia bona eſſe acquiſita intuitu Eccleſiæ, ib.

Ubi Clerici non teſtantur, ſimilis praxis eſt valde neceſſaria, num. 25.

Eſt dubium, an inventarium hoc ſit utile quando Regulares Epiſcopi creantur? Et inutile videtur. Bona acquiſita à Religioſo acquiruntur Monaſterio, numer. 26.

Pareja tenet utiliſſimum eſſe, quia ſimilia bona frequenter eis donantur à Monaſteriis. Quando Regularis adipiſcitur facultatem teſtandi, ſi eſt Epiſcopus, tenetur narrare ſe teſtari de redditibus; ſi verò teſtetur de bonis patrimonialibus, tantùm tenetur dicere ſe eſſe Religioſum, num. 27.

Reſolvitur, & explicatur doctrina Parejæ, num. 28. & 29. Et varii caſus componuntur, n. 30. Fit inſtantia, eique reſpondetur, n. 31.

An Epiſcopi, ſeu Beneficiati poſſint teſtari de bonis emptis pecuniis Eccleſiæ? Affirmandum videtur. Res empta pecuniis Eccleſiæ, ad ipſam pertinet, n. 22. Sed negandum melius videtur. Rem emptam pecunia Eccleſiæ, ſive adminiſtratorio nomine, ſive non, pertinere ad eccleſiam dicunt multi, n. 33.

Reſolutio pendet, an res empta ex pecunia eccleſiæ ſtatim ſua ſit, an relinquatur in patrimonio ementis. Si ematur adminiſtratorio nomine ab epiſcopo, ſeu Beneficiato, ſtatim fit eccleſiæ, n 34.

Si non adminiſtratorio nomine, ſed extranei, aliqui dicunt etiam ad eccleſiam tranſire. Explicantur lex Si ut proponis 8. Cod. de rei vindicat. *& lex* 49. tit. 5. part. 5. *numer. 35. & 36. Sed contrarium reſolvitur, & ex his bonis quaſi de patrimonialibus teſtari poſſe Epiſcopum, ſeu Beneficiatum, cum obligatione reddendi pecuniam. Argumentum de minore ad Eccleſiam validum eſt. Emens ex pecunia minoris, fit empta rei dominus, ſicut maritus emens ex pecunia uxoris, nu. 37.*

Reſolvitur quod ſi Epiſcopus, aut Beneficiatus *ſatisfaciat Eccleſiæ ex re propria, poſſe de his bonis teſtari. In dubio præſumitur adminiſtratorio domino emiſſe, nu. 38.*

An Prælatus, ſeu Beneficiatus poſſint teſtari de rebus emptis ex pecuniis reddituum: ponuntur rationes dubitandi nu. 39.

Ad reſolutionem dubitatur, an res empta ex pecuniis reddituum fiat ſtatim Eccleſiæ? Prima ſententia affirmat, num. 40. Secunda dicit eſſe propriam Prælati, ſeu Beneficiati ementis, n. 41. Tertia diſtinguit inter immobilia, & mobilia, n 42.

Reſolvitur, quod ſi emptio fiat nomine Eccleſiæ, fiat ipſius. Explicatur caput Sacerdotes 1. 12. quæſt. 4. *caput* Fixum 4. 12. quæſt. 5. *Si verò emptio fiat nomine ementis, ſit res empta propria ementis, donec vivit, nu 43.*

Opponitur textus in cap. Inquirendum 4. de pecul. clericor. *& explicatur, n. 44. Nec de iſtis bonis poſſunt teſtari, n. 45.*

Si Epiſcopus, & beneficiatus teſtatus fuerit de bonis patrimonialibus, & dubitatur an ſint ex redditibus, an cenſenda ſint patrimonialia, necne? Et cenſenda eſſe ex redditibus, probant aliqua jura Clerici nequeunt eſſe negotiatores, n. 46.

Explicatur caput Nulli 1. 12. quæſt. 5. *& expenditur, nu. 45. Referuntur interpretamenta, nu. 48. Datur explicatio, num. 49. Et aſſeritur bona eſſe exiſtimanda ex redditibus, quoties Epiſcopus, vel beneficiatus tempore promotionis non habuerit bona patrimonialia, ibid.*

Elucidatur caput 1. de pecul. Cleric. *bona tempore mortis inventa cenſentur de jure Regio lucrata conſtante matrimonio. Res à beneficiato empta præſumitur ex reddi. tibus empta, niſi contrarium ab hærede, aut legatario probetur, n. 50.*

Contra hanc præſumptionem admittitur probatio in contrarium, nu. 51. Itaque ſemper eſt bonum inventarium, ibid.

Si certum fuerit, epiſcopum, ſeu beneficiatum poſt promotionem bona quaſi patrimonialia acquiſiiſſe, ceſſat præſumptio, n. 52.

An quando bona patrimonialia, & ex redditibus ſunt confuſa, ſufficiat dividere pro medietate? Aſſerunt aliqui, n. 53. Sed explicantur, n. 54.

Quando eſt dubium, an epiſcopus, ſeu beneficiatus habuerit bona patrimonialia, vel quaſi, præſumptio ſtat pro eccleſia, & facienda eſt probatio in contrarium, nu. 55.

Ceſſat præſumptio, quando conſtat de tenuitate epiſcopatus vel beneficii. Pius V. decrevit ne ſpolia admitterentur in beneficiis non excedentibus ſummam triginta aureorum de Camera. Similiter ceſſat præſumptio quoties eccleſiæ apud infideles, n. 56.

CUm egerimus de obligatione Epiſcoporum, & Beneficiatorum circa diſpoſitionem reddituum Eccleſiaſticorum, quando ſani ſunt, & in vita; agamus nunc de ultimis eorum voluntatibus, & conſequenter de teſtamentis. Qua in re illud eſt certum, poſſe teſtari de ſuis rebus patrimonialibus, quæ ſucceſſione, artificio, vel amicorum donatione, abſque Eccleſiæ contemplatione acquiſierunt. Ratio eſt, nam in his bonis habent plenum dominium, cum facultate liberè de eis diſponendi, prout eis placuerit; idcircò poterunt de eis liberè teſtari, ut in Epiſcopis eſt textus *in cap. Epiſcopi* 17. 12. *q.* 1. *cap.* 1. *de teſtament.* Baldus *lib.* 5. *conſ.* 80 Jaſon *lib.* 3. *conſ.* 75. *num.* 8. Molina *de Primog. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 27. Caniſius *in Summa Iuris Canonici, lib.* 3. *tit.* 11. §. 12. Barboſa *de univ. jur. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 50. Sanchez *conſ. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 50. *n.* 3. 1

Et in aliis Beneficiatis & Clericis inferioribus eſt deciſum *in cap. Fixum* 4. 12. *q.* 5. *cap. Quicumque* 2. 12. *quæſt.* 3. *c. Quia nos* 9. *de teſtam. l.* 3. *tit.* 21. *p.* 1. Concilium Francofor- 2

fordienſe *can.*41. Gregorius *lib.*9. *epiſt.* 9. Covarruv. *in cap.* 1. *de teſtament. num.* 5. & 6. Fagnanus *ibid. num.* 8. Barboſa *in l. Divortio, ff. ſolut. matr. part.*2. *num.* 67. Velaſco *de part. cap.*35. *num.*3. Cenedo *collect.*143. *num.*1. Bellet. *de bon. Cleric. §.*6. *num.*9. Bonacina *de obligat. Clericor. diſp.* 4. *punct.*3. *propoſit.*2. *n.*4. Molina *de juſt. tract.* 2. *diſp.*147. *n.*1.

3 Idem eſt dicendum de bonis, quæ acquiſierunt Epiſcopi, ſeu Beneficiati ex aliquo officio ſeculari, vel ratione ordinis, dummodo non ſint ex titulo Epiſcopatus, ſeu Beneficii, ſed acquiſita ratione ſalarii, aut ſtipendii; de his enim rectè teſtantur, cùm in eis habeant plenum dominium cum libera facultate diſponendi, & teſtandi. Valenſis *in parat. ad tit. de teſtament.§.*5. *num.*5. Vaſquez *de reddit. cap.*1.*§.*8. *dub.*3. Farinacius *in Repert. ult. volunt. quæſt.*54. *num.*3. Antonellus *de Regim. Eccleſiæ, lib.*3. *cap.*17. *n.*13.

4 Sed in contrarium ſunt duo jura neceſſariò explicanda. In primis textus *in c. Epiſcopus qui filios* 34. 12. *quæſt.* 2. ubi in Concilio Agathenſi decretum eſt, Epiſcopum non habentem filios, aut nepotes, hæredem relinquere non poſſe, niſi Eccleſiam. Ergo Epiſcopis, aut Beneficiatis non licèt de patrimonialibus liberè teſtamentum condere. Hunc textum ex Polycarpo emendat Graña *in cap.*1. *de teſtament. n* 12. ut difficultatem diſſolvat. Alteri eum intelligunt de bonis acquiſitis intuitu Eccleſiæ, ut refert Gonzalez *in d. cap.*1. *de teſtament. n.*14.

5 Sed neceſſario intelligendus eſt de bonis patrimonialibus in quibus valet Epiſcopus filios ſuos, ſeu nepotes hæredes inſtituere, quod nequit facere in bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis: quapropter in hac ſpecie quærenda eſt ſolutio. In ea tamen aliqui dicunt, textum illum tantùm eſſe de conſilio, non verò de præcepto. Covarr. *in dict. cap.* 1. *nu.* 5. Clarus *verbo Teſtamentum, quæſt.*17. *num.*2. Sed rectè cognoſcatur animadvertendum, tempore Concilii Agathenſis permiſſum fuiſſe Epiſcopis bona Eccleſiarum alienare, dum ex proprio patrimonio tantumdem refunderent, ut conſtat *ex can.*79. ejuſdem Concilii, *cap. Si quis quælibet* 36. *cap. Si quis* 57.12. *quæſt.*2. & in Ancyrana Synodo idem deſumitur *in cap. Si quæ* 42. 12. *quæſt* 2. notat Graña *in dict. cap.* 1. *n.* 13. In ſpecie hujus textus Epiſcopus alienaverat aliqua bona Eccleſiæ, & habebat patrimonium unde tantumdem poterit reſtituere: quærebatur, an Eccleſia procedere poſſet adversùs poſſidentem res alienatas, reſcindendo alienationem. Et ſub diſtinctione reſpondetur; ſi enim Epiſcopus vult ut ſuſtineatur alienatio poſt ejus mortem, tenetur Eccleſiam hæredem inſtituere, tunc namque Eccleſia nequit venire contra alienationem; nam hæres nequit venire contra factum teſtatoris, *l. Si ab eo* 7. *C. de negot. geſt. reg. Ex qua perſona* 139. *ff. de Regul. jur.* Surdus *conſ* 222. *n.* 13. Fuſarius *de ſubſtit. quæſt.* 557 *à num.*1. Si verò filios habuerit, aut nepotes neceſſarios hæredes, ſuſtinebitur alienatio, dum tamen ipſi Eccleſiam indemnem præſtent. Ergo ex hoc textu ſic explicato nullum eſt argumentum contra nos. Barboſa *in Collect. ad illum textum, num.* 3. Gonzalez *in cap.*1. *de teſtament. n.*14.

6 Secundò adeſt textus *in cap. Si quis Epiſcopus* 5. *de hæreticis*, ne Epiſcopis interdicitur ne hæreticos hæredes inſtituant, ſive extraneos, ſive conſanguineos ex bonis patrimonialibus, quod antea erat decretum in Concilio Carthaginenſi 3. *can.* 13. Ergo Epiſcopi nequeunt liberè de bonis patrimonialibus teſtari. Sed textus iſte facilè reſponſum percipit: nam juſtiſſimè ſtatutum eſt, ne ex patrimonialibus Epiſcopi hæreticos inſtituant, aliàs anathemate percutiuntur; nam ut advertit Carrerius *de hæreticis, cap.*2. *num.*69. Menochius *lib.*5. *præſumpt.* 6. *num.* 33. Epiſcopus hujuſcemodi ſit ſuſpectus de hæreſi, itaque rectè prohibetur, ne hæreticum hæredem inſtituat. Covarr. *in cap.* 1. *de teſtament. n.*5. Sanctarellus *de hæret. cap.* 25. *dub.*3. *n.*8. Farinacius *de hæret. quæſt.*190. *à n.*105.

7 Cæterùm Clerici poſſunt teſtari de bonis patrimonialibus, de quibus patrimonium fecerunt ad Ordines ſacros ſuſcipiendos: in eis enim nullum eſt interdictum, niſi quod non alienent donec vivant, ut decenter ſuſtententur, ne mendicare cogantur. Tridentinum *ſeſſ* 21. *de reformat. cap.*2. Cevallos *quæſt.* 527. Valenzuela *conſ.*32. *à n* 1. Garcia *de benefic.*2. *p. cap.*5. *num.* 181. Gratianus *diſcept. cap.* 159. *num.*2. nec aliquo modo de eis interdicuntur teſtari, ſed liberè de eis poſſunt diſponere, ſive ex teſtamento, vel alio quodlibet modo. Garcia *in Summa, tract.*1. *difficultat.* 4. *dub.*3. *n.*9.

Eſt verò dubium, an Epiſcopi, ſeu Beneficiati poſſint teſtari de bonis acquiſitis parcè vivendo ex redditibus Eccleſiaſticis. In hac quæſtione ſupponimus, in vita de his bonis rectè ad libitum diſponere poſſe, ut ſuprà diximus: agimus nunc de ultima voluntate, an poſſint eodem modo in ea diſponere? Et aliqui dixerunt, minimè de eis teſtari poſſe; nam hæc bona ſunt acquiſita ex titulo beneficii, aut Epiſcopatus, prout alia, de quibus teſtari non poſſunt. Ergo nec de iſtis acquiſitis parcè vivendo. Confirmatur, nam jura interdicentia Eccleſiaſticis teſtari de redditibus, loquuntur abſque aliqua diſtinctione de ſuperſtantibus relictis tempore mortis, *cap.* 1. 12. *quæſt.* 4. *cap.* 1. *cum ſequentibus*, 12. *quæſt.* 5. *cap.*1. *de teſtament.* lege enim non diſtinguente, nec nos diſtinguere debemus. Eſcobar *de ratiocin. cap.* 18. *num.* 42. Ergo Epiſcopus, ſeu Beneficiatus nequit de bonis acquiſitis parcè vivendo teſtari, cùm reverà tempore mortis. Azorius *Inſtit. Mor.* 2. *par. lib.* 7. *cap.* 9. *quæſt.*5. Rubeus *pract reſolut. cap.* 4. *num.* 344. Garcia *de Benefic.* 2. *p. cap.*1. *num.*7. Boetius Epo *in cap.* 12. *de teſtam. à n.*46. 8

Alteri diſtinguunt, nempe Epiſcopum, ſeu Beneficiatum de his bonis parcè vivendo acquiſitis, ex redditibus poſſe teſtari, ubi adeſſet talis conſuetudo, ſecus ubi non adeſt Bonacina *dict. punct.*3. *n.*4. 9

Tertia ſententia abſolutè aſſerit, poſſe de his bonis parcè vivendo acquiſitis teſtamentum condere, ſive Epiſcopum, ſive Beneficiatum: & probatur, nam hæc bona ad congruam dantur, & ita tranſeunt ad Epiſcopum, ſeu Beneficiatum, ut poſſint liberè de eis diſponere. Leſſius *de Juſtit. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *nu.* 39. Quapropter ſi aliquid parcè vivendo acquirant, poterunt de eis liberè teſtari. Cæterùm fundamentum contrariorum dilabitur; nam licèt jura diſponant, ut nequeant Epiſcopi, ſeu Beneficiati teſtari de redditibus, id non eſt intelligendum de bonis acquiſitis parcè vivendo; hæc enim dantur pro congrua, & pro mercede laboris, quibus ſi privarentur tempore mortis, defraudarentur à mercede propria, quod Eccleſia non intendit. Ergo de eis poterunt teſtari. Navarrus *de Reddit. q.*1. *monit.* 30. *nu.*2. Molina *tract.* 2. *diſp.* 147. *nu.* 3. Alter Molina *de primog. lib.* 2. *cap.*10. *nu.*50. Bellet. *tit. de bon. cleric. §.*6 *n.*1. Fagnanus *in cap.* 1. *de pecul. num.* 23. Lælius Zecch. *de Republ. Eccleſiaſt. tit. de Beneficiis* 7. *num.* 10. & 12. Diana 4. *p. tract.*4. *reſolut.*171. Villalobos *in Summa*, 2. *p. tract.*30. *difficult.*11. *n.*1. 10

Hæc ſententia admittenda eſt, facilè practicari valet in foro conſcientiæ, dum Beneficiato facilè conſtare poſſet, quæ bona acquiſivit parcè vivendo. In foro verò exteriori in beneficiis tenuibus, non habentibus niſi congruam decentem, ſimiliter poterit practicari, dum conſtet quidquid acquiſierit Epiſcopus, ſeu Beneficiatus parcè vivendo, ex genio acquiſiviſſe. Si tamen Epiſcopatus, aut Beneficium pingue fuerit, difficillimè teſtator obtinebit, dum difficillimè probari poterit, an ex congrua parcè vivendo acquiſierit, an ex reliquis redditibus, ut benè animadvertit Molina *d. diſp.*147. *n.*3. *in fin.* Solorzano *d. lib.*3. *c.*10 *n.*74. 11

Rurſus Epiſcopus, ſeu Beneficiatus poterit teſtari de redditibus, quando aliquam partem bonorum ſui patrimonii inſumpſerit in expenſis faciendis in redditibus, ſi habuerit animum compenſandi. Quod idem eſt dicendum, ſi aliquam partem ſuorum bonorum dederit Eccleſiæ; quia tunc animo compenſandi dediſſe videtur, aut conſumpſiſſe: quare poterit in portione illa teſtari de redditibus, *cap. Si quis quælibet.* 56.12. *quæſt.*2. *cap. Si Epiſcopus* 5.12. *quæſt.*1. Navarrus *in Apologet. quæſt.* 3. *monit.*4. *num.*3. Belletus *tit. de bon. Clericor. §.* 5. *num.* 3. Molina *dict. diſput.* 147. *numero.*5. Farinacius *in Repert. ult. volunt. quæſt.* 54. *num.* 19. Sanchez *dict. dub* 50. *num.*5. Solorzano *tom.*2. *lib.*3. *cap.*10. *numer.* 2. Antonellus *de Regim. Eccleſiæ, lib.* 3. *cap.* 17. *nu.* 17. 12

His ergo ſuppoſitis concluſio ſit: Epiſcopus, ſeu Beneficiatus ex redditibus nequeunt de jure communi teſtamentum condere, *cap.*1. *cap. In officiis* 7. *cap. Ad hæc* 8. *de teſtament. cap. Unuſquiſque* 3. *de pecul. Clericor cap.* 1. *de ſucceſſ. ab inteſt. l. fin tit.* 21. *part.* 1. Concilium Pariſienſe ſub Ludovico *lib.*1. *cap.*16. Carthaginenſe III. *can.*3. Agathenſe *can.*33. Hiſpalenſe *can.*1. & 5. Toletanum IX. *can.* 7. & 10. Rationes verò hujus concluſionis plures adducit Spino *in ſpecul. teſtament. gloſſ.* 14. *à num.* 2. quarum aliquæ admittendæ non ſunt, quia ſupponunt Clericos non habere 13

do-

dominium redditumm Eccleſiaſticorum. D. Gonzalez *in cap 1. de teſtamentis, num.* 12. ſcripſit eam eſſe rationem; nam teſtamenti factio activa eſt de genere permiſſorum, quare nequeunt facere teſtamentum, qui ſpeciali jure ſunt interdicti, *l.* 4. *ff. qui teſtament. facere poſſunt, l.* 13. *tit.* 6. *par.* 1. Duarenus *ad tit. qui teſtamenta facere poſſunt, cap.* 2. Petrus Gregorius *part. lib.* 3. *tit.* 22. *c.* 4. Valenſis *in parat. ad tit. de teſtament. §.* 5. *num.* 1. D. Retes *lib.* 1. *Opuſcul. c.* 22. Cùm ergo Clerici ex redditibus ſint interdicti teſtari, inde eſt ut nequeant condere teſtamentum.

14 Rationem verò hujus rationis præſtitit textus *in c. Cùm in officiis* 7. *de teſtament.* ibi: *Cùm in officiis charitatis primo loco illis teneamur obnoxii, à quibus beneficium nos agnoſcimus accepiſſe*: id eſt, quod ſicut Clerici magna percepe-runt Beneficia ex ſuis Eccleſiis, poſt mortem ſe debent gratos exhibere, relinquendo ſua bona ipſis Eccleſiis, vel Cameræ Apoſtolicæ, loco earum; cùm ad id adſit quædam obligatio antidotalis nos impellens ad remunerandum Beneficia ſuſcepta, *l. Sed etſi* 25. *§. Conſuluit, ff. de petit. hæreditat.* Donellus *de pet. hæreditat. cap.* 2. explicat D. Gonza-lez *in dict. cap.* 7. *num.* 3. Cæterùm alia ratione probatur, nam cùm avaritia in Eccleſiaſticis res deteſtabilis ſit, *cap. Quia in tantùm* 5. *de Præbend. c. Avaritiæ* 5. *de elect. in* 6. D. Ambroſius *in Luc. c.* 4. D. Bernardus *in Pſ.* 90. *ſerm.* 6. ſit Clerici de redditibus teſtarentur, avarè retinerent reddi-tus, nec pauperibus erogarent; quapropter rectè ſtatutum eſt, ne de redditibus teſtarentur. Valenſis *in rub. de teſta-ment. §* 5. *num.* 7. Cujacius *in poſthum. in c.* 1. *de pecul. Cleri-cor.* Durantes *de Sacris Eccleſiæ miniſt. lib.* 2. *cap.* 1. Ca-niſius *in Summa, lib.* 3. *tit.* 11. §. 11. Mareſcotus *var. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 28. Barboſa, 3. *part. allegat.* 114. *n.* 8. Ferro Manr-riquez *in different. utriuſque for. quæſt.* 93. Rubeus *Pact. cap.* 4 *num.* 343. Antonellus *dict. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 1. Sanchez *dict. dub.* 50. *n.* 6. Garcia *in Summa, tract.* 1. *diffic.* 4. *dub.* 3. *à num.* 1.

15 Aliqui tamen adversùs tam expreſſa jura contrarium te-nent, dicentes jura illa intelligenda eſſe de bonis Eccleſia-rum, de quibus Epiſcopi, & Beneficiati nequeunt teſtari. Ergo de redditibus teſtari poſſunt. Ratione probatur, nam ut dictum eſt, Epiſcopi, & Beneficiati ſunt domini reddi-tuum Beneficiorum, & Epiſcopatuum, idcircò poterunt de illis teſtamentum condere ex facultate legis duodecim Tabularum, ibi: *Uti quiſque legaſſit rei ſuæ, ita jus eſto.* Quæ verba eleganter explicat Pomponius *in l. Verbis legis* 120. *ff. de verb. ſignificat* & extendit ad hæredis inſtitutio-nem, legata, fideicommiſſa, tutelas, & alia. Donellus *lib.* 8. *comment. c.* 1. Petrus Faber *Semeſtrium lib.* 3. *cap.* 14. Sigonius *de jur. antiq. Rom. lib.* 1 *c.* 12. Ergo cùm Epiſco-pi, & Beneficiati ſint domini redituum, rectè de eis pote-runt teſtari. Cardinalis *in cap. fin. de offic. Ordin. in* 6. *col.* 4. Paludanus *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 6. *concluſ.* 5. Rubeus ſibi contrarius *Pract. cap.* 90. *à n.* 214.

16 Sed horum Doctorum ſententia admittenda non eſt; nam licèt verum ſit, Epiſcopum, aut Beneficiatum non poſſe teſtari de bonis Eccleſiæ, quia in eis non habent do-minium, ſed tantùm puram adminiſtrationem, *cap. Rela-tum.* 12. *de teſtament.* Sanchez *dict. dub.* 50. *num.* 2. Garcia *in Summa, d. dub.* 3. *n.* 1. Barboſa *in l. Divortio* 8. *in prin-cip.* 2. *part. num.* 62. *ff. ſolut. matrim.* Farinacius *dict. queſt.* 54 *n.* 8. non tamen inde ſequitur, interdictum illud intel-ligendum tantùm de bonis Eccleſiæ, quia expenſiſſimis verbis id eſt protractum ad redditus Epiſcopatuum, & Be-neficiorum, ut eſt aptiſſimus textus *in cap.* 1. *de teſtam.* ibi: *Quidquid verò Eccleſiæ ante ipſius conſecrationem fuiſ-ſe cognoveris, vel in Epiſcopatus ordine prædictum Epiſco-pum acquiſiviſſe, in ejuſdem Eccleſiæ dominio conſervetur.* Et *cap. Ut quiſque* 3. *de pecul. Cleric.* Concilium Toletanum IX. *can.* 7. Idcircò nec teſtari poterunt de redditibus, ſed ſunt bona illa relinquenda Eccleſiæ, vel Cameræ Apoſto-licæ, prout in uſu fuerit. Filliucius *de Stat. Clericor. tract.* 41. *cap.* 7. *n.* 24.

17 Ad alteram rationem deductam ex lege duodecim Tabu-larum, reſpondetur non ſequi: Dominium habent: Ergo poſſunt teſtari; quia ſunt plures habentes rerum ſuarum dominium, quibus teſtari interdictum eſt, ut patet in pro-digo, pupillo, & aliis, de quibus *Inſt. quibus non eſt per-miſſum facere teſtamentum.* Gonzalez *in d. cap.* 1. *de teſta-ment. numer.* 12. ubi plura cumulat. Tum quia in Edicto permiſſorio omnes comprehenduntur, exceptis his, quibus ſpecialiter interdicitur, ut de jure civili fuerunt leges teſta-menta interdicentes, & coangustiantes, utpote Voconia, Ælia Sencia, Furia, Falcidia, & aliæ ſimiles, de quibus Ul-pianus *in fragment. tit.* 1. *&* 18. Connanus *comment. lib.* 2. *cap.* 5. Amaya *obſervat. lib.* 3 *cap.* 6. *nu.* 2. ſicut de Jure Ca-nonico interdictum eſt Eccleſiaſticis de redditibus teſtari, licèt in eis habeant dominium; quare non benè loquitur: Habent dominium Clerici in redditibus: Ergo valent te-ſtari; quin ex interdicto contrarium eſt dicendum. Vaſ-quez *de Reddit. cap.* 1. §. 3. *dub.* 4. Filliucius *d. tract.* 43. *cap.* 4. *nu.* 1. Sanchez *d. dub.* 50 *n.* 6. Garcia *in Summa, d. dub.* 3. *n.* 2. D. Gonzalez *in d. cap.* 1. *n.* 13. & 14.

Eſt deinde dubium exarandum, an hoc interdictum com- 18
prehendat Eccleſiaſticos habentes ſimplicia Beneficia? Pri-ma ſententia affirmat, *ex c. Requiſiſti* 15 *in fin. de teſtament.* ubi quod Canonico relinquitur, ſibi acquirit, & de eo li-berè diſponit: Canonicatus verò eſt Beneficium ſimplex: Ergo Beneficiatus ſimplex valet teſtari de redditibus. Sed textus iſte aſſumptum non probat, quia loquitur quando aliquid legatur Canonico ſimpliciter, quo quidem caſu in-telligitur relictum contemplatione perſonæ, non Eccleſiæ, idcircò ut de re patrimonii proprii poterit teſtari. Vivius *tom.* 2. *commun. opin. lib.* 6. *tit.* 26. *num.* 131. Menochius *lib.* 4. *præſumpt* 112. *num.* 3. Farinacius *dict. quæſt.* 54. *nu.* 15. Cæterùm probatur hæc ſententia; nam jura interdicentia Eccleſiaſticis teſtamenti factionem activam de redditibus, ſunt intelligenda de habentibus adminiſtrationem, ut jura ipſa loquuntur; non autem de ſimplici Beneficiato illam non habente. Ergo ſimplex Beneficiatus rectè poterit de redditibus teſtari. Gloſſa *in cap. Præſenti, de offic. Ordin. in* 6. Hoſtienſis *in cap. fin. de pecul. Clericor.* cujus doctrinam aſſerunt praxi receptam Anton. & Imola *ibid.* Farinacius *d. quæſt.* 54. *n.* 14.

Secunda ſententia tenet contrarium ex *cap. Epiſcopus* 1. 19
14. *quæſt.* 1. ubi Gratianus animadvertit, Canonicos uti de-bere redditibus ſuorum Canonicatuum, prout alteros Be-neficiatos. Unde ſequit ur, ſimplices Beneficiatos teneri ad eleemoſynandum, neutiquam poſſe de redditibus te-ſtari, ut alii Beneficiati cum adminiſtratione. Idque cer-tiùs probatur *in cap. Relatum* 12. *de teſtament.* ubi licèt Ca-nonici habeant beneficia ſimplicia, tamen ſub hoc interdi-cto comprehenduntur. Ergo ſimplices Beneficiati nequeunt de redditibus teſtari. Covarr. *in cap. Cùm in officiis* 7. *de te-ſtam. n.* 18. Molina *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 147. *nu.* 5. Vaſquez *de redditibus, cap.* 1. §. 3. *dub.* 5. Sanchez *dict. dub.* 50. *nu.* 6. Garcia *dict. dub.* 3. *n.* 2.

Ad reſolutionem hujus difficultatis recolenda ſunt quæ 20
ſcripſimus ſuprà, *cap.* 2. *à num.* 5. ubi egimus an Capellanus teneatur de redditibus Capellaniæ dare eleemoſynam, quando ſimplex eſt capellania, nec habet adminiſtrationem, ut loquimur in præſenti. Quapropter dico, quod hæc dif-ficultas nequit currere in Beneficiis ſimplicibus ab Eccleſia inſtitutis, utpote in Canonicatibus, portionibus, præſti-moniis. In his igitur proculdubio admittenda eſt hæc ſe-cunda ſententia, ut probant jura pro ea adducta. Tum licèt hæc Beneficia non habeant adminiſtrationem, negandum non eſt eſſe redditus ex titulo Beneficii perceptos, de quibus interdictum eſt teſtari; itaque ſimplices Beneficiati nequeunt de illis concedere teſtamentum.

Erit ergo concertatio in Beneficiis ſimplicibus ab aliquo 21
fundatore inſtitutis, veluti in Capellanis Eccleſiaſticis. Qua in re breviter reſolvendum, quod ſi redditus tantùm ſint ſalaria, aut ſtipendia pro onere Miſſarum, vel alterius muneris Eccleſiaſtici, rectè Beneficiati, ſeu Sacellani de illis poterunt teſtari, ſecus ſi percipiant ut fructus, ſicut explicatum eſt *in d cap.* 2. *a n.* 8.

Cæterùm ex iis quæ diximus *d. cap.* 2. *num.* 11. reſolven- 22
da eſt alia difficultas, an ex diſtributionibus quotidianis poſ-ſint Eccleſiaſtici teſtari, de qua pallantes ſunt DD. alii affir-mantes, alii negantes. Clarus *verbo teſtamentum, quæſt.* 27. *nu.* 10. Ancharranus *quæſt.* 10. *n.* 4. Cardinalis Albanus *conſ.* 25. *per tot.* Covarr. *in cap Cùm in officis, num.* 14. Fa-rinacius *dict. quæſt.* 54. *nu.* 21. Sed expedienda eſt prout ex-penditur *à nu.* 13. ut ſolùm poſſint teſtari ſuſcipientes has diſtributiones, quando ſunt ſeparatæ à groſſa præbendæ, & ſuſcipiuntur pro ſtipendio intereſſentiæ, aliàs nequeunt Præbendati de eis teſtari; quo etiam modo reſolvendum eſt, ſi agatur de fructibus penſionis, ut dictum eſt *d. cap.* 1. *à nu.* 21.

Cæte-

23 Cæterùm de bonis quæſitis ab Epiſcopo, ſeu Beneficiato ante Clericatum, ſeu Epiſcopatum rectè teſtantur; nam bona illa ſunt propria illorum cum pleno dominio, nec ex titulo beneficiali acquiſita; idcircò de eis rectè teſtantur, *cap. Epiſcopi*, 19. 12. *quæſt.* 1. Clarus *verbo Teſtamentum*, *quæſt.* 27. *nu.* 2. Farinacius *dict. quæſt.* 54. *num.* 1. Pareja *de edit. inſtrument. tit.* 5. *reſolut.* 5. *nu.* 3. Solorzano *de jur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 1. & 2. Molina *dict. diſput.* 147. *n.* 1.

24 Unde rectiſſimè praxis introducta eſt in Hiſpania, ubi Epiſcopi nequeunt teſtari, ut ipſi inventarium faciant de bonis ante Epiſcopatum acquiſitis, vel ex patrimonio, aut alio titulo, quod coram Illuſtriſſimo Nuntio producunt, ut tollatur confuſio inter bona quæ antea habebant, & ea quæ ſunt redditibus epiſcopatus. Hanc praxim probat textus *in cap. Syracuſana* 28. *diſt. cap.* 3. *de pecul. Clericor.* Mieres *de maiorat.* 1. *par. quæſt.* 1. *nu.* 19. Azevedus *in l.* 6. *tit.* 2. *lib.* 6. *Recopilat. num.* 6. Barboſa *de offic. Epiſcopi*, 2. *p. Allegat.* 114. *nu.* 15. Pareja *d. tit.* 5. *nu.* 5. Solorzano *dict. cap* 10. *num.* 3. Fraſſo *de Patronat. Indiar.* 1. *p. cap.* 22. *num.* 32. Villaroel. *Goviern. Eccleſiaſt.* 1. *p. q.* 3. *art.* 4. *num.* 3. Quod ita eſt neceſsarium, ut ſi inventarium factum non fuerit, præſumatur contra Epiſcopum omnia bona inventa in ejus morte, eſſe acquiſita intuitu Eccleſiæ ex redditibus, prout præſumitur contra hæredem inventarium non conficientem, *in Auth. De hæredibus & Falcidia*, *§. Sancimus*, *col. lat.* 1. tenet Alzedo *de præcellent. Epiſcop.* 1. *p. cap* 24. *n.* 14. Capponi *tom.* 3. *diſcept.* 140. *nu.* 6. Barboſa *in cap.* 3. *de pecul. Clericor. n.* 2. Fraſso *d. cap.* 21. *n.* 34.

25 Hæc quidem praxis, ubi etiam alii Beneficiati non teſtantur, ſimiliter eſt neceſsaria, ut confuſio bonorum evitetur. Verùm in Hiſpania id ſupervacaneum eſt, dum Clerici non ſolùm de patrimonialibus, vel quaſi teſtantur, ſed & de redditibus Beneficiorum: de quo infrà. Quamobrem inventarium iſtud non eſt neceſsarium. Pareja *dict. tit.* 5. *n.* 20. Barboſa *de univerſ. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 53.

26 Eſt verò dubium, an inventarium utile ſit, ut fiat à Regulari Epiſcopo creato? Et videtur dicendum inutile eſse; nam quælibet bona acquiſita ante Epiſcopatum, Monaſterio acquiruntur, & ſunt propria illius. *Authent. Ingreſſi*, *C. de Sacroſanct. eccleſiis*, *cap. In præſentia* 8. *de Probat.* ubi DD. Alia verò poſt Epiſcopatum adepta pertinent ad ſpolium Cameræ Apoſtolicæ, tanquam redditus Epiſcopatus. Ergo inventarium illud eſt ſuperfluum, & inutile.

27 Sed tamen Pareja *dict. tit.* 5. *num.* 13. utiliſſimum eſſe probat; nam Monaſteria bona ante Epiſcopatum acquiſita ſolent donare Religioſo Epiſcopo creato, ut commodiùs vivat, & intret ad regimen Eccleſiæ; itaque utiliſſimum erit inventarium, ne Monaſterium bonis illis fraudetur. Cæterùm quando Regularis factus Epiſcopus vult conſequi à Summo Pontifice facultatem teſtandi, etiam ad pia, duplex impedimentum exprimere tenetur in ſupplicatione hac adhibita differentia, ut ſi vellet teſtari de redditibus, debeat declarare ſe eſſe Epiſcopum, & Religioſum; ſi autem de patrimonialibus velit teſtari, ſufficit exprimere eſſe Religioſum, Covarr. *in d. c. Cum in officiis*, *nu.* 8. Barboſa 3. *par. allegat.* 112. *num.* 24. Alzedo *dict. cap.* 14. *num.* 25. Sanchez *lib.* 6. *Decalog. cap.* 6. *num.* 11. quia ad hoc tantùm obſtat impedimentum fraudandi Monaſterium, quamobrem utiliſſimum erit inventarium de his bonis facere, ut inope diſcernantur, quæ ad Monaſterium pertinet, quæve ad ſpolium.

28 In reſolutione hujus doctrinæ recolenda ſunt quæ ſcripſimus *cap.* 3. *nu.* 31. iſta verò ſententia Parejæ totum fundamentum ſumit ab illa ſententia aſſerente Epiſcopum Regularem minimè liberari à voto paupertatis, nec in qualibet re habere dominium. Non in patrimonialibus, quia ſibi non acquirit, ſed Monaſterio: nec in redditibus, in quibus ſolùm habet adminiſtrationem, ut congrua ſuſcepta, reliquum pauperibus eroget: & ſi quæ bona inveniantur tempore mortis ex redditibus, ad ſpolium pertineant. Unde neceſſariiſſimum erit inventarium, ut hæc bona diſtinguantur, ut ſciatur quæ ad Monaſterium, quæ ad ſpolium pertineant.

29 Sed tamen in alia ſententia aſſerente Regularem factum Epiſcopum à voto paupertatis liberari, & acquirere dominium, tam reddituum, quàm aliorum bonorum patrimonialium, ut tenet plures relati *dict. cap.* 3. *num.* 37. Antonellus *de Regim. eccleſiæ*, *lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 12. & in noſtra ſententia aſſerente acquirere dominium, ſed non liberari à voto paupertatis, *à num.* 38. expeditiùs difficultas iſta eſt reſolvenda.

Quapropter dico, quod ſi Monaſterium Regulari Epiſcopo nihil dederit, reſpectu illius non eſt neceſſarium inventarium, cùm ad eum nihil eſt redeundum: ſi verò aliquid dederit ad neceſsaria Epiſcopi Religioſi, jam Epiſcopus acquiſivit dominium, & bona illa ſunt alienata à Monaſterio: quare illius cauſa non eſt neceſsarium inventarium, cùm bona illa jam alienata, & dominium translatum ad epiſcopum, ad Monaſterium redire non poſſint de neceſſitate. Verùm erit neceſsarium reſpectu Regularis epiſcopi, quia relinquuntur bona patrimonialia illius. Idem eſt dicendum, ſi aliquis ei dederit aliqua bona, vel ex aliqua hæreditate capiat, poſtquam jam factus eſt epiſcopus. Ratio enim eſt, quia hæc bona non ſunt ex redditibus, ſed relinquuntur bona patrimonialia illius: quare erit neceſsarium inventarium bonorum iſtorum ad diſcrimen habendum cum bonis ex redditibus acquiſitis, etiamſi illa ante, vel poſt epiſcopatum validè acquiſierint, ne aliàs omnia bona ex redditibus præſumantur, ut diximus ſuprà. 30

Sed dices: In ſententia noſtra Regularis factus Epiſcopus adhuc non liberatur à voto paupertatis; ſed licèt habeat dominium, nequit teſtamentum concedere, nec de redditibus, nec de bonis patrimonialibus; nam licèt habeat dominium, non tamen teſtamenti factionem activam. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 8. *ad* 3. Joan. Andreas *in cap.* 1. *de teſtament. num.* 6. Butrius *ibid. num.* 9. Alzedo *dict. cap.* 14. *num.* 7. Stunica *de vera Religione*, *lib.* 2. *cap.* 27. Sanchez *dict. lib.* 6 *cap.* 6. *num.* 10. Ergo cùm hæc bona debeant pertinere ad ſpolium, neceſsarium non eſt inventarium. Sed tamen reſpondendum negando Regularem epiſcopum non habere ex patrimonialibus, vel quaſi teſtamenti factionem activam, ut dicendum eſt infrà, quando de teſtamento Monachorum agetur. 31

Cæterùm examinandum, an epiſcopus, ſeu Beneficiatus poſſint teſtari de bonis emptis nomine epiſcopi, ſeu Beneficiati ex eccleſiæ pecunia. Et affirmandum videtur; nam licèt eccleſia habeat actionem ad petendam pecuniam, ſeu rem ipſam emptam, adhuc remanet in patrimonio epiſcopi, ſeu Beneficiati, donec petatur, aut repetatur in ſubſidium pecuniæ. Ergo epiſcopus, ſeu Beneficiatus poterit de illa re teſtari, tanquam de patrimoniali. Confirmatur Doctrina Covarruv. *in cap.* 1. *de teſtament. num.* 7. ubi ſcripſit quod licèt res empta pecunia eccleſiæ, nomine epiſcopi, ſeu Beneficiati, ad eccleſiam pertineat, *cap. Fixum* 4. 12. *quæſt.* 5. *cap.* 1. *cap. Inquirendum* 4. *de pecul. Cleric.* & aliis relatis à Sarmiento 3. *parte de redditibus*, *cap.* 2. *num.* 2. attamen non ipſo jure tranſit dominium ad eccleſiam, ſed remanet penes Prælatum, ſeu Beneficiatum ementem. Ergo ut de re patrimoniali, & propria poterunt teſtari, ſolùm remanente actione, ut eccleſia repetat, aut rem in illius ſubſidium. 32

Sed hæc fundamenta ſatis firma non videntur; nam plures DD. quorum aliquos refert ibidem Covarruv. aſſerunt id eſſe ſpeciale, ut quoties ex pecunia Eccleſiæ aliquid emitur, ſemper ipſo jure dominium tranſeat ad Eccleſiam: quod probant jura recenſita *num.* 32. quatenus dicunt illa pertinere ad Eccleſiam. Tenentque plures, quando res eſt empta ab adminiſtratore. Tiraquellus *de privileg. cauſ. piar. privileg.* 520. Genuenſis *in Praxi*, *quæſt.* 283. Medicis *opuſcul.* 4. *num.* 16. & etiamſi nomine alieno ematur, prout loquitur in ſpecie Sarmiento *de Reddit.* 3. *part. cap.* 2. *per tot.* Vaſquez *de Reddit. cap.* 1. *§.* 3. *dub.* 1. *num.* 60. quapropter Epiſcopus, ſeu Beneficiatus de bonis emptis pecunia Eccleſiæ, etiam nomine ſuo nequeunt teſtari; ſunt enim propria Eccleſia, ut dicunt relati. Joſephus Ludoviſius *deciſ.* 33. *num.* 4. Cavalcanus *deciſ.* 44. *num.* 178. Capponi *diſcept. cap.* 128. *num.* 29. Itaque ut de re aliena nequeunt teſtari. 33

Reſolutio hujus difficultatis tota pendet ab inquiſitione, an res empta ex pecunia Eccleſiæ ſtatim ſua ſit, an relinquatur in patrimonio ementis. Qua in re dico in primis, rem emptam ex pecunia Eccleſiæ nomine ipſius Eccleſiæ, ſive id fiat à Prælato, ſeu à Beneficiato adminiſtratorio nomine, ſtatim fieri ipſius, ut probant jura recenſita à Sarmiento *dict. cap.* 2. *num.* 1. & indubitatum eſt. Gomez *in l.* 53. *Tauri*, *num.* 36. Suarez *allegat.* 28. *n.* 25. Tuſchus *lit. E*, *concluſ.* 139. *à n.* 1. Larrea *dec.*

Grana-

Granatenſi 92.*n.*11. D.Gonzalez *in cap.*1. *de peculio Cleric. nu.*3. Azorius *Inſt.Moral.*2.*p.lib.*7.*c.*10.*q.*1.

35 Si verò non adminiſtratorio nomine, ſed Prælatus, ſeu Beneficiatus ex pecunia Eccleſiæ aliquam rem emerit animo ſibi acquirendi, incidimus in quæſtionem illam, an extraneus, & qui non habet adminiſtrationem, ſi ex pecunia Eccleſiæ aliquid emerit, ſibi acquirat cum obligatione reddendi pecuniam Eccleſiæ, aut in ſubſidium rem. Sarmiento,& Vaſquez recenſitis *n.*33. rem illam ſtatim ad dominium Eccleſiæ tranſire aſſerunt, per textum *in l. Si ut proponis* 8. *C.de rei vendicat.l.*49. *tit.*5. *p.*5. ubi hoc privilegium militi conceditur, ut quando fuerit in procinctu, quidquid ex pecunia ſua ab alio ematur, ſit proprium ipſius militis. Ergo ſimiliter Eccleſiæ.

36 Sed hoc fundamentum ſolidum non eſt; nam ut refert Gregorius *in l.*49.*gloſſ.*2. *tit.*5. *p.*5. plures DD. jura illa intelligunt quando quis extraneus ex pecunia militis rem emerit habens illius mandatum; ſecus nomine ſuo quiſque emerit; vel quando quis promiſerit militi ex ſua pecunia rem emere. Quibus in caſibus res ſtatim fit militis, & in eiſdem fiet Eccleſiæ, ut tenet Barboſa *in d. l. Si ut proponis* 8.*n* 7.*& in l.*6.*C.de rei vendicat. n.*5.

37 Hanc ob rem aſſerendum, ex pecunia Eccleſiæ emptum,non fieri illius,quando non adminiſtratorio nomine, ſed ſuo Prælatus,ſeu Beneficiatus emerint. Et probatur ex regula generali, nempè quod ſi quis emat rem ex aliena pecunia ſuo nomine,non fit domini pecuniæ, ſed ementis, *l.Ex pecunia* 6.*C.de rei vendicat.l.*1.*C. Si quis alteri, vel ſibi, l.Si patruus* 4.*C.commun.utriuſque judic.l.* 49. *tit.* 5.*p.*5. Et in dubio præſumendum,ementem ſibi emiſſe, Mathienzo *in l.*2.*tit.*9.*lib.*5.*Recopilat.gloſſ.*1.*num.*15.*&* 38. Eſcobar *de ratiociniis, cap.*14.*num.*3. Valenzuela *conſ.*2.*nu.*26. Unde quoties quis emerit ex pecunia Eccleſiæ nomine ſuo, res non erit Eccleſiæ, ſed ementis. Cæterùm licèt Eccleſia ex ſolo contractu, abſque traditione acquirat dominium, *ex l.fin.C.de Sacroſ.Eccleſiis*, ubi Scribentes; tamen id intelligendum, quando nomine ejus, aut adminiſtratorio, ejus Prælatus, aut Procurator emerit cum illius pecunia, Barboſa *in d. l. fin. num.* 7. aliàs ſi adminiſtrator non eſt, ſeu procurator, dominium remanet penes emptorem, nec ad Eccleſiam tranſit, Molina *de Primogen.lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 35. Menochius *lib.* 3. *præſumpt.* 51. *num.* 43. Ergo quando Prælatus, vel Beneficiatus ex pecunia Eccleſiæ aliquid emerit, dominium penes emptorem remanet, nec ad illam tranſit. Cæterùm argumentum de minore ad Eccleſiam validum eſt, Everardus *in Topic. legal. loco* 31. Genuenſis *in Praxi, q.*276. *num.*2. Marius Antoninus *var. lib.*1.*reſolut.fin caſu* 44. Si tamen aliquis nomine ſuo ex pecunia minoris rem emerit, dominium tranſit ad ementem, non ad minorem, *l. Uxor marito* 55. *ff. de donat. inter.* Gomez *in l.*53. *Tauri*, *num.* 36. Guttierrez *de Tutel.* 3. *part. cap.*1. *num.*85. Quod quidem obſervandum eſt in marito, qui ſi rem emat ex pecunia uxoris, niſi ad emptionem adſit conſenſus mulieris, dominium recta via tranſit ad maritum, *l. Ex pecunia* 6. *Cod. de jur. dot. l. Res quæ* 55. *ff. eodem tit. l.* 49. *tit.* 5. *part.* 5. Gomez *in d.l.* 53. *num.* 36. Barboſa *in d. l. Si ut proponis*, *num.* 8. & 9. Ergo idem eſt dicendum, quando expreſſim nomine ſuo Prælatus, ſeu Beneficiatus rem emerit ex pecunia Eccleſiæ; dominium enim penes ementem remanet, licet Eccleſia habeat actionem ad pecuniam petendam, vel in ſubſidium ipſam rem.

38 Ex hac igitur hypotheſi dicendum, Prælatum, ſeu Beneficiatum poſſe teſtari de rebus ſimiliter emptis, ſicut de alia re patrimoniali ex contractu emptionis comparata, dummodo det ſatisfactionem Eccleſiæ illius pecuniæ in emptione conſumptæ ex re ſua propria, vel aliter acquiſita, non ex redditibus. Illud breviter adnotandum, quod in dubio, quando non conſtat an pecunia ſit ipſius Prælati, vel Beneficiati, vel Eccleſiæ, præſumendum ſit Eccleſiæ fuiſſe, Socinus *regul.* 343. *fallent.* 2. Maſcardus *de Probat. concl.*1159. aliàs 1164. *n.*9. Mantica *de tacit.lib.*4.*tit.*22.*n.* 21. quare Prælati, ſeu Beneficiati teſtamentum de hac re in dubio ſic exempta non ſuſtinebitur.

39 Hinc diſſolvenda alia difficultas, an res empta ex redditibus Beneficii, pertineat ad Eccleſiam, ſeu Cameram Apoſtolicam ſtatim poſt emptionem,itaut nequeat Epiſcopus, ſeu Beneficiatus emens de illa teſtari. Tota difficultas ex dictis pendet; nam licet Prælatus, ſeu Beneficiatus non haberet dominium in redditibus, ut aliqui volunt; tamen res empta ex pecunia aliena transfertur ad dominium ementis, & ſolùm obligatur ad refundendam pecuniam,ut dictum eſt, ſitque de patrimonio illius. Ergo rectè de ea poterunt teſtari. Cæterùm majori ratione probatur in alia ſententia probabiliori, aſſerente Epiſcopos,& Beneficiatos habere dominium in redditibus; nam neceſſariò debent acquirere dominium rei emptæ, ſicut alii comparantes ex pecunia propria; & conſequenter poterunt de eis teſtari.

Ad reſolutionem notandum, quæſtionem eſſe, an res 40
emptæ ex redditibus Beneficii, fiat ſtatim Eccleſiæ? Prima ſententia aſſerit, quælibet bona, ſive mobilia,ſive immobilia, ex redditibus Beneficii empta, ſtatim pertinere ad Eccleſiam. Probatur ex aliquibus juribus, præſertim *ex cap. Inquirendum* 4. *de Peculio*, ubi id apertè deciſum videtur, etiamſi emptio nomine proprio, ſeu alieno fiat. Et ratione probatur, nam bona ſimiliter empta præcisè pertinent ad ſpolium, Filliucius *dict.tract.*43.*cap* 4.*num.*2. Ergo ſtatim pertinent ad Eccleſiam, Barboſa *in l. Divortio* 8. *in principio ff. ſolut.matrim.* 2.*p.n.* 62. Rota apud Seraphinum *dec.*594.*n.*7. Mareſcotus *Var.lib.*2.*cap.*2.*nu.* 13. Barboſa *de univ.jur.lib.*3.*cap.*17.*num.*28. Bonacina *de Obligat.Benefic. diſp.*4.*punct.*2.*propoſit.*3.*n.*21. Bellet. *diſquiſit. Clerical.* 1.*p. tit.de bonis Clericor.*§.2.*n.*3.

Secunda ſententia eſt Navarri *de Redditibus*, *q.*1.*monit.* 41
42. quem refert Azorius 2.*p.Inſt. Mor.lib.*7. *cap.*10. *q.* 1. dicentis rem emptam ex redditibus, non fieri Eccleſiæ, ſed propriam ipſius Beneficiati mentis; nam ſi fieret Eccleſiæ,non pertineret ad ſpolium. Sed ad illud pertinet: Ergo non fit Eccleſiæ.

Tertia ſententia, quam etiam refert Azorius *d.cap.*10. 42
qu. 1. diſtinguit inter bona mobilia, vel immobilia. Bona enim immobilia inquit hæc ſententia pertinere ſtatim ad Eccleſiam, ſi emanatur ex redditibus, abſque aliqua traditione, Tiraquellus *de cauſis piis*, *privileg.*107.Surdus *de Aliment tit.*8. *privil.*61.*nu.*9. Maſcardus *de Probat.concl.* 583. *nu.* 7. Mobilia verò ad Beneficiatum, ſeu Prælatum emptorem.

In re verò dicendum,quod ſi Epiſcopus,ſeu Beneficiatus 43
ex redditibus aliquam rem emerit nomine ſuæ Eccleſiæ, ſtatim ad illam pertinere, quo in ſenſu loquuntur textus *in cap.Sacerdotes* 1.12.*qu.*4.*cap. Fixum* 4.12 *qu.* 5. nam ex eo quod Prælatus, ſeu Beneficiatus rem emerit nomine Eccleſiæ, & non ſuo nomine, patet voluiſſe illam ad Eccleſiam pertinere, & emiſſe adminiſtratorio nomine. Si verò ſuo nomine ex redditibus emerit,non ad Eccleſiam, ſed ad ipſum pertinet; & erit propria illius; quia ex eo quod propria pecunia comparat, & ſuo nomine, plenè res fit illius *leg.Si quis alienam* 46. *ff.de act. empt. leg. Si traditio* 4. *leg. Si pater* 8.*Cod.eodem tit.leg. Qui tibi* 6.*Cod.de hæredit.vendit.* Idque de jure communi, donec durat vita Prælati, ſeu Beneficiati; ſi tamen exiſtat tempore mortis, ad ſpolium pertinebit, Azorius *d.q.*1.*verſ.Cæterùm dicendum*, Fill. *d.c.*4. *n.*2.Farinacius *in Repert.ult.vol.q.*54.*n.*4.

Sed contrà adeſt textus *in dict.cap. Inquirendum* 4. *de pe-* 44
cul.Cleric. ubi aſſeritur rem emptam ex redditibus, eſſe propriam Eccleſiæ: & affirmant Barbatia *volum.* 4. *conſ.* 39. *num.*6. Redoanus *de ſpoliis*, *q.*3. §. *Verùm*, *à num.*28.Barboſa *ibidem num.* 2. Sed cenſeo hos & alios Doctores non rectè hunc textum intellexiſſe; non enim loquitur de redditibus Beneficii pertinentibus ad Prælatum, ſeu Beneficiatum; ſed de redditibus, oblationibus, & votis ad ipſam Eccleſiam pertinentibus, ut patet ibi: *Inquirendum eſt, ſi quis Presbyterorum de redditibus Eccleſiæ, vel oblationibus, vel votis Fidelium alieno nomine comparavit.* Non ergo ibidem eſt ſermo de redditibus Beneficiorum, ſed Eccleſiæ, quod longè diverſum eſt. Textus ille deſumptus eſt ex Capitulis Hincmari Rhemenſis, ut animadvertit D.Gonzalez *ibid nu.* 1. integram referens. Unde deſumitur, decretum illud factum fuiſſe adversùs aliquos Preſbyteros,qui ex redditibus Eccleſiarum,oblationibus,& votis, ſuo nomine, & alieno fabricas emebant, ut haberent mulieres ad lanificium, & hoc modo fraudabant Eccleſias, & inſimul mercimonium exercebant:qua in re duplici delicto implicabantur,nempè Eccleſias ex ſuis redditibus,oblationibus, & votis defraudantes: tum ad negotiationem declinantes, contra infinita decreta id interdicentia, *c. Parſimoniam* 5.*c.Clericus* 8.*diſt.*41.*c. Quicunq;*6.23.*q.*8.Conciliũ Matiſconenſe I.*can* 15.Mogont.*can.*24. Triburienſe *can.*27.

Bracharenſe I. *can.*11. D. Baſilius *hom.*24. D.Hieronymus *epiſt. 2. ad Nepotianum*, *cap.* 11. Rouſſel *lib. 8. Hſt. Pontific. cap.fin.* Lantmeter *de vet. Cleric. vitâ.1.p.lib.1.c.*19. & *cap.*21.

45 Unde nequit deſumi concluſio, quam DD. ex hoc textu deſumunt; non enim loquitur de redditibus Beneficiorum, ſed de redditibus, oblationibus, & votis factis Eccleſiis, ex quarum bonis ſi aliquid ematur, ſive nomine proprio Beneficiati, ſive alieno, animo illas fraudandi, pertinet ad ipſas, ex deciſione illius textus. Si tamen ex redditibus Beneficiorum aliquid emerint, ad ipſos pertinet, quia ſubrogatur loco reddituum, ex quibus comparata ſunt, & ſapiunt eorum naturam, & conditionem, *l.Cum §. Injuriarum*, *ff. Si quis caut. cap. Eccleſia* 3. *ut lit. pendent. Clement.1.de ſupp'end. negligent. Prælat.* Guttierrez *Pract. lib. 1.q.*34.*nu.*2. Addent es ad Molinam *de Primogen. lib.*4 *cap.* 4.*nu.*36. Salgado *de Reg.Protect.2.p.c.*7. *num.*113. Riccius 6.*p. collect.* 2484. quapropter de h's bonis poterunt teſtari,ſi tantumdem ex patrimonio, vel quaſi reddant, aliàs non,ut ſupra diximus.

46 Denique in calce hujus capitis diſquiramus, an quando Epiſcopus, ſeu Beneficiatus teſtamentum fecerit de bonis patrimonialibus, verùm tantùm inveniuntur tempore mortis aliqua bona, & non conſtat an ſint bona patrimonialia, aut ex redditibus acquiſita, ſuſtineatur teſtamentum, necne? Et in re illa eſt cognita concluſio, ut quoties in dubio ſumus, an bona ſint patrimonialia, cenſenda ſint acquiſita ex redditibus, *cap.* 1. *de Clericor. cap.* 1. *de teſtament. Auth. Licentiam*, *C. de Epiſcopis*, *& Clericis*, *Authent. de Eccleſiaſticis tit. §. Interdicimus*, *collat.* 9. Ratio hujus aſſerti eſt, nam cùm Epiſcopus, ſeu Beneficiatus haberent redditus & adminiſtrationem eorum, nec potuerint aliquo modo habere negotiationem, unde acquirantur bona illa, quia eis eſt interdicta, ut ultra jura adlegata adſunt Concilium Turonenſe *can.*13.Rhemenſe,*can.*32.Arelatenſe I. *can.*12. Nicænum I. *can.* 17. Chalcedonenſe *can.* 3. Cabilonenſe II. *can.*12. & 44. Carthaginenſe I. *can.*6. & 9. Carthaginenſe IV. *can.*67. Laodicenum *can.*4. inde eſt, ut bona illa ex redditibus acquiſita exiſtimentur. Et confirmatur, nam bona acquiſita conſtante matrimonio à marito, rectè ab eo lucrata cenſentur, non ex uxoris adulterio, *l.Quintus* 51 *ff.de Donat.inter*, *l. Etiam* 6. *C. eodem tit. l.*2.*tit* 14.*p.*2. Ergo ſimiliter eſt dicendum de bonis acquiſitis à Prælato, ſeu Beneficiato, ut intelligantur acquiſita ex redditibus, non verò ex culpa gravi negotiationis, Abbas *in cap.*1.*de peculio Cleric.num.*5. Covarr. *in cap.* 1. *de teſtament.num.*8. Clarus *verbo Teſtamentum*, *quæſt.* 27. *verſ. Sed quid*, Menochius *lib.* 3. *præſumpt.* 51. *num.* 3. Flaminius *de reſignat. lib.*14.*q* 7.*à num.*48. Mareſcotus *var. lib.*2. *cap.*2.*nu* 12. Noguerol *allegat.*26.*nu.*13. Filliucius *d. tract.* 45.*cap.*5. *n.*2.

47 Sed contra hanc communem opinionem refragatur textus *in cap.Nulli* 1.12 *q.* 5. ubi Conſtantinus Epiſcopus, Luminoſæ filiæ ſuæ legatum reliquit, verùm ejus ſucceſſor in Epiſcopatu quæſtionem commovebat: & aſſerit textus,minimè Luminoſam moleſtandam, ſed cum legato relinquendam. Ergo in dubio quando non conſtat rem eſſe patrimonialem, de redditibus acquiſitam non eſſe cenſendam,affirmandum videtur.

48 Iſte textus varia ſuſcipit interpretamenta, Goffredus *in Summa*, *tit. de ſucceſſ. ab inteſtat.* ſcripſit diſtinctionem faciendam, quando quis jam poſſidet rem relictam in teſtamento Epiſcopi, aut Beneficiati; & quando non poſſidet: ſi enim poſſidet, præſumptio eſt,eſſe patrimonialem,prout in ſpecie decidit textus *in d. cap. Nulli*, ubi Luminoſa jam poſſidebat rem legatam à Conſtantino Epiſcopo patre ſuo: ſecus verò ſi nulla adeſſet poſſeſſio, quia tunc præſumitur eſſe Eccleſiæ, & ex redditibus acquiſitam: admittit Spino *in ſpecul.teſtament. gloſſ.*14. *n.* 22. & ante eos tenuit Abbas *in cap.*3.*de pecul.Clericor.in fin.* Sed hoc interpretamentum ſolidum non eſt;nam ut docent plures Doctores, quos refert Menochius *lib.* 3 *præſumpt.*53. *num.* 10. ex ſola poſſeſſione non naſcitur præſumptio contra Eccleſiam, quin potiùs cùm præſumptio ſit pro ea, hæres aut legatarius poſſidens tenetur probare rem ſibi legatam, & ab eo poſſeſſam fuiſſe de patrimonio Epiſcopi, aut Beneficiati, aliàs Eccleſia repetet.

49 Hanc ob rem textus ille eſt interpretandus quando Epiſcopus, ſeu Beneficiatus tempore promotionis habuerit patrimonialia, aut alia bona ex induſtria quæſita, ut tenet Covarr. *in cap.*1.*de teſtament. nu.*11. & 12. Menchaca *controverſ.*1.*p.lib.*3 *cap.*105. *num.* 12. nam cum Epiſcopus ille haberet bona patrimonialia, & inſimul ex redditibus acquiſita, ceſſat præſumptio pro Eccleſia, quæ quidem præciſè formatur in eo, quod tempore promotionis non habuerit alia bona patrimonialia, vel quaſi, *cap.*1.*12.q.*3.*cap.* 1. *de pecul.Clericor.* ubi Cujacius, & Barboſa, *cap.* 1.12. *q.*4. Concilium Aquiſgranenſe ſub Stephano V. *can.* 98. Scipio Gentilis *de donat.lib.*2.*cap.fin.* Acoſta *de privileg.credit.Regula* 1.*ampliat* 8. Ergo cùm Luminoſa eſſet in poſſeſſione, & inſimul Conſtantinus Epiſcopus haberet bona patrimonialia, minimè inquietari debere præcipitur; eſt enim in hoc caſu neceſſarium, ut probetur rem legatam acquiſitam fuiſſe ex redditibus,& donec probetur,in poſſeſſione manutenetur legatarius, aut hæres, Maſcardus *de Probat. concl.* 202.*nu.*1. Menochius *lib.*3.*præſumpt.*53.*nu.*9. Farinacius *dict.q.*54.*cap.*2.*num.*9.& 10. Noguerol *allegat.*26. *num.* 16. Filliucius *d.tract.*43.*cap.*5. *nu.*3. Barboſa 3.*p. allegat.* 104. *num.*11.

Unde ut elucidemus textum *in d.cap.*1.*de pecul. Clericor.* 50
aliqua ſunt afferenda. Concluſio quæ ex eo deducitur, intelligenda eſt non ut aliqui depromunt, *Mortuo Epiſcopo*, *ſeu Beneficiato*, *omnia bona intelliguntur lucrata ex redditibus*, prout de jure noſtro Regio tempore mortis omnia bona inter virum & uxorem intelliguntur lucrata conſtante matrimonio, *l.*1.*tit.*9. *lib.*5. *recopilat.* Garcia *de conjugal. acquæſtu*,*n.*158. Gregorius *in l.*55.*tit.*5.*p.*5.*in gloſſ. magna*, Gomez *in l.*53.*Tauri*, *n.*70. Mathienzo *in d.l.*1 *gloſſ.*2.*à n.*1. hæc enim doctrina ſic abſolutè admittenda non eſt, ſed tantùm quando Epiſcopus, ſeu Beneficiatus alia bona non habuerit tempore promotionis,nec poſteà aliqua patrimonialia acquirat,ſive ex donatione,vel ex aliis officiis, ut apertè deciſum eſt *in d.cap.*1.*de peculio*, ubi multis exornat D. Gonzalez *à nu.* 1. aut quando dubium fuerit in particulari, an res empta fuerit, aut alio modo acquiſita ex redditibus; tunc enim favore Eccleſiæ præſumitur ex redditibus acquiſita,donec hæres, aut legatarius non probet contrarium; nam ut docet Abbas *in cap.* 1. *de peculio*, *n.*5. hæc præſumptio non eſt juris, & de jure, quapropter probatio in contrarium admittitur, interimque præſumitur favore Eccleſiæ, aut Cameræ Apoſtolicæ, Matthienzo *in l.*1.*tit.*9. *lib.* 5.*Recopilat gloſſ.*1.*à n.*1. Maurus *allegat.*15. Capponi *tom.*3. *diſcept.*138. *n.*14.

Si verò conſtet, alia bona habuiſſe Epiſcopum, ſeu Be- 51
neficiatum ante, vel poſt promotionem, hæc ad ſpolium non pertinent, ſed liberè de eis poterunt teſtari,ſive patrimonialia, vel quaſi ſint, *cap. Quia ingredientibus* 11. *q.*3. Rota *diverſ.*2.*p.deciſ.*16. Capponi *diſcept.*138.*nu.*12.nam quando id conſtat, ceſſat præſumptio, Menochius *d præſumpt.*53. *nu.* 2. Hinc in his caſibus, quoties ſimilia bona acquiruntur, valdè erit utile, & neceſſarium inventarium, ne ex confuſione naſcatur præſumptio illa; nam cùm in bonis Epiſcopi, ſeu Beneficiati tempore mortis inventis habeat Eccleſia, ſeu Camera Apoſtolica fundatam ſuam intentionem, Maurus *d. allegat.* 15. Barboſa *de offic. Epiſcopi*, 2.*p.cap.* 11. Solorzano *de jur. Indiar. tom.*2. *lib.*3. *cap.*10.*num.*5. inde eſt, ut ſi per inventarium non conſtet, ſemper oriantur lites ex illa præſumptione, ut bona intelligantur acquiſita de redditibus, ut cum Baldo tenet Mencacha *d. cap.*105. *num.*15. Noguerol *d. allegat.*26. *num.*18. Barboſa 3 *p.alleg.*114. *n.*13.

Si verò conſtet poſt promotionem aliqua exercuiſſe offi- 52
cia, vel ex induſtria, docendo, prædicando, aut aliter bona acquiſiviſſe, ſimiliter ceſſat hæc præſumptio, ut ſint omnia Eccleſiæ, & ex redditibus acquiſita, quia jam conſtat, non omnia eſſe Eccleſiæ, dum ex aliis titulis fuerint ſuperlucrata. Erit tamen neceſſarium ea diſcernere per veras probationes, & diſtinctas, ne alias ex dubio præſumptio pro Eccleſia naſcatur, Clarus *verbo Teſtamentum*, *q.*27.*nu.*3. Spino *d.g.oſſ.*14. *nu.* 13. Farinacius *d.quæſt.* 54.*cap.*2.*num.*5. Menochius *d. præſumpt.* 53. *num.* 7. Si tamen fuerint ſegregata bona iſta, in eis ſuſtinebitur teſtamentum, quia de eis valent Prælati, ſeu Beneficiati teſtari, Valenſis *in rub.de teſtament.§.*5 *num.*5. Capponi *dict. diſcept.*158.*n.*13.

Aſſerunt verò aliqui Doctores in ſpecie de qua loqui- 53
mur, quando adſunt bona tam patrimonialia,quàm ex redditibus,pro dimidietate bona illa eſſe dividēda,itaut hęredes

dimi-

dimidium percipiant, & Ecclesia, vel Camera Apostolica alterum dimidium; nam cùm ex his duabus causis bona illa potuerint provenire, præsumptio est dimidium esse acquisitum ex redditibus, & alterum ex officiis illis. Ergo tunc rectè dimidium ad hæredes pertinebit, & dimidium ad Ecclesiam, aut Cameram Apostolicam, Baldus *in Auth. Licentiam, C. de Sacros. Ecclesiis, n.* 3. Zabarella *cons.* 79. *col. ult.* Anchar. *q.* 10. *n.* 9. & 12. Cephalus *vol.* 7. *cons.* 162. *num.* 14. Menochius *de Arbitr. casu* 195. *n.* 7.

54 Hæc verò doctrina quoad præsumptionem, & divisionem erit admittenda quoties ex officiis, vel ex bonis patrimonii tantumdem redderent, excepta congrua, & permixtim tam de redditibus Episcopatus, seu Beneficii, quàm patrimonialium, seu officiorum acquirerentur. Tum quia bona difficillimè segregarentur, nec constare valet, quæ sint acquisita ex redditibus, quæ ex patrimonialibus, vel officiis, ad divisionem pro medietate faciendam. Verùm si pinguiores fuerint fructus Episcopatus, vel Beneficii, aut econtrà, hæc divisio pro medietate non erit admittenda, sed discretus judex pro eorum qualitate divisionem faciet, aliàs grave præjudicium, aut Ecclesiæ, & Cameræ Apostolicæ, aut hæredibus fieret, ut posteà ipse Menoch. explicat *dict. casu* 195. *num.* 8. Farinacius *dict. quæst.* 54. *cap.* 2. *num.* 7.

55 Si verò dubium fuerint, an Episcopus, seu Beneficiatus habuerint aliqua officia, aut bona patrimonialia, vel quasi, tunc præsumendum est, omnia illa bona acquisita fuisse ex redditibus Episcopatus, aut Beneficii; nam cum isti redditus sint certi, & patrimonium incertum, sicut & officia, præsumptio stat, acquisita esse ex redditibus, Abbas *in cap. Cùm esses, de testament. num.* 24. Menochius *d. casu* 195. *num.* 9. qui asserit hoc fallere, si hæres, aut legatarius sit in possessione; sed non rectè, ex his quæ supra scripsimus. Possessor enim tantùm in possessione tuetur quando constat, Episcopum, seu Beneficiatum habuisse bona patrimonialia, vel quasi: si verò dubitetur, stat præsumptio pro Ecclesia, vel Camera Apostolica; & ideò possessor debet probare, testatorem illa patrimonialia habuisse, aliàs non suffragabitur, Menchaca *d. cap.* 105. *n.* 35, Marta *in Summa succes. legal. tom.* 1. *part.* 3. *q.* 13. *art.* 5. *à nu* 19. Solorzanus *d. lib.* 3. *cap.* 10. *nu.* 6. Barbosa *d. allegat.* 114. *à. num.* 11.

56 Denique hæc præsumptio cessat quando constat de tenuitate Beneficii, seu Episcopatus, itaut neque ex eis potuerit bona illa acquirere Episcopus, seu Beneficiatus. Quapropter Pius V. in sua Constitutione data 3. Kalendas Septembris 1567. decrevit ne spolia admitterentur in Beneficiis, quorum redditus summam triginta aureorum de Camera non excederent. Refert Navarrus *de spoliis*, §. 8. nam intelliguntur redditus isti in sustentatione Beneficiati consumpti, unde alia bona præsumuntur acquisita industria, vel ex aliis titulis, & consequenter in eis sustinebitur testamentum, Abbas *in cap.* 3. *de pecul. Cleric. n.* 3. Covarr. *in cap.* 2. *de testament. n.* 10. Menochius *de præsumpt.* 53. *n.* 4. Rota *diverse.* 3. *p. decis.* 582. *n.* 7. & 10. Farinacius *d. q.* 54. *cap.* 2. *n.* 3. Barbosa *d. allegat.* 114. *nu.* 14. qui *n.* 15. idem asserit de Episcopis titularibus, qui cùm habeant Ecclesias apud infideles, redditus non habent, Pareja *de edit instr.* 1. *p. tit.* 5. *res.* 5. *n.* 19.

CAPUT X.

Quando permissum est Episcopis, seu Beneficiatis de redditibus testamentum condere.

SUMMARIUM.

In hoc capite est sermo de redditibus Beneficiorum, non de bonis patrimonialibus, n. 1.

Episcopi, & Beneficiati, ubi consuetudo immemorialis, de redditibus testantur, n. 2.

Est gravissimum dubium, an consuetudo ista sit tuta, & valida in foro conscientiæ ad usus profanos, n. 3.

Prima sententia negat tutam, & validam esse in conscientia. Consuetudo culpabilis, nec per immemorialem tuetur Consuetudo non sustinet testamentum, de re aliena, nu. 4.

Secunda sententia admittit hanc consuetudinem ut tutam ad causas pias, non verò ad profanas, n. 5.

Tertia absolutè tenet validam, & tutam esse talem consuetudinem, sive ad pias, sive ad profanas causas. Pontifex quotidiè dispensat ad testandum de redditibus ad causas profanas. Quod fit per dispensationem, potest etiam fieri per consuetudinem, n. 6.

Explicatur caput Relatum 12. de testament. *num.* 7. *Explicantur sententiæ, & à quibus principiis dependeant, n.* 8.

Admittitur sententia ultima affirmativa. Jus eliditur per contrariam consuetudinem. Consuetudo tolerata à Pontificibus habet vim privilegii, n. 9.

In Hispania consuetudo ista ex magna causa sustinetur: datur causa, & comprobatur, n. 10.

Nostri Clerici contra Mauros laudabiliter pugnarunt, nu. 11. *Et datur ratio decisionis, n.* 12.

In Hispania Episcopi non testantur de redditibus, sed tantùm Clerici, itaque bona eorum ad Cameram Apostolicam pertinent, n. 13.

An per consuetudinem legitimè præscriptam Episcopi possint testari ad profana, singulariter explicatur. Prima sententia negat, num. 14. *Secunda affirmat, num.* 15. *Explicantur caput* Quia sæpè 4. de elect. in 6. *& Clementina* Statuimus 7. eodem tit. *An valeat consuetudo adversus legem illam reprobantem, numer.* 16.

Lex duobus modis potest reprobare consuetudinem, scilicet quando declarat illam esse iniquam, & corruptam, & tunc nequit prævalere adversus legem, num. 17.

Secundo modo quando reprobat ex aliqua causa subsistente. Ex aliqua nova causa subsistit consuetudo adversus legem, n. 18.

Consuetudo ut Episcopi testentur de redditibus ad profana sustinetur, maximè si est immemorialis, numer. 19. *Et majori ratione sustinebitur, si sit ad pias causas, num.* 20.

Temperant aliqui Doctores hanc consuetudinem, dummodo Ecclesiæ, aut pauperibus aliquam partem relinquant testantes. Explicatur hæc doctrina, numer. 21.

Graviter tamen peccabunt sic testantes, ratione scandali, relinquendo omnia sua bona ad causas profanas: & comprobatur, num. 22.

Temperanda est consuetudo ista, si maximè sit onerosa Ecclesiis, veluti si Ecclesia indigeat reparatione. Hæredes Beneficiatorum coguntur contribuere ad necessitates, & reparationem Ecclesiæ, prout defunctus tenebatur, nu. 23.

Episcopus, seu Beneficiatus possunt testari de redditibus ex indulto Pontificis, n. 24.

An Pontifex valeat hanc facultatem concedere ex redditibus ad testandum in causas profanas. Prima sententia tantùm ex magna causa id concedit Pontifici ad causas pias, n. 25.

Secunda sententia concedit etiam ad causas profanas, ut de facto plures Pontifices concesserunt, n. 26.

Cum causa admittitur hæc sententia: & sine causa erit valida facultas, sed peccabit concedens venialiter, n. 27. *Resolvitur in specie cum causa, n.* 28.

Sine causa discutitur quæstio, an Princeps absque causa possit validè dispensare in lege propria? Negant aliqui, num. 29. *Alteri affirmant, num.* 30. *Aliqui dicunt semper cum causa dispensare Principem, nempè propter liberalitatem, & semper erit valida dispensatio, n.* 31.

Causa est necessaria ut fiat dispensatio absque peccato, aliàs aliqui dicunt esse peccatum mortale, & admittendi, si ex dispensatione graviter læderetur justitia, aut gravis injuria inferretur tertio, aliàs erit tantùm veniale, n. 32.

Unde resolvitur valere hanc facultatem absque causa, licèt concedens peccet venialiter, n. 33.

Quando similes facultates simpliciter conceduntur Episcopis, seù Beneficiatis, ubi non testantur, intelligitur tantùm ad causas pias: & id intelligendum, etiamsi facultas dicat, In quoscumque usus, *numer.* 34.

An hęc facultas intelligatur pro prima vice? Prima sententia affirmat. Qui dotem promisit, intelligitur pro primis nuptiis. Qui habet facultatem habendi duo Beneficia, de primis intelligitur, n.35.

Secunda sententia tenet contrarium. Ultima voluntas est deambulatoria, n.36.

Admittitur hæc sententia. Testamentum de facultate Principis factum, est variabile, & etiam ab eo confirmatum. Facultas interpretatur ex natura actus, num.37.

An hæc facultas testandi exspiret morte concedentis? Affirmant plures, num.38. Alteri negant. Gratia facta non expirat morte concedentis. In privilegiis non requiritur ut privilegiatus illis utatur vivente concedente, n.39. Hæc ultima sententia tenenda: & gratia, nisi restringatur, semper est valida. Restringitur si dicat, Concedo ad meam vitam; *vel*, Ad meam voluntatem, *num.40. Explicantur caput* Relatum 19. *caput* Gratum 20. de offic. & potestat. judicis delegat. *ibid.*

An facultas testandi concessa personis testari interdictis, debeat præcedere testamentum. Prima sententia affirmat. In testamentis duo tempora sunt prospicienda, tempus confectionis, & tempus mortis, n.41.

Secunda sententia negat. In actu producendo sufficit habilitas superveniens, & actus testandi est pendens, n.42.

Licentia, seu facultas duobus modis est necessaria quando petitur pro forma substantiali, ut in majoratibus, & tunc debet præcedere: vel quando est necessaria ad valorem actus, & tunc aliqui dicunt debere præcedere, numero 43.

Sed contrarium defenditur, & explicatur, nu.44. In majoratu instituendo sufficit tacita, & præsumpta licentia Regis, nu.45.

In dubio quando non constat, an licentia præcesserit, præsumitur præcessisse, n.46.

Si Episcopus, seu Beneficiatus habuerint hanc facultatem impetratam, verum testamentum non condant, succedit Ecclesia, seu Camera Apostolica, prout fuerit in consuetudine. Nisi facultas dicat, Succedant consanguinei ab intestato, *n.47.*

1 IN hoc capite sermo non est de bonis patrimonialibus vel ex industria à Clericis acquisitis, de quibus Episcopos, & Beneficiatos testari posse absque dubio asserendum, ut dictum est suprà, & tenet Barbosa 3. *part. allegat.* 114. *n.* 10. Sed tantùm agendum, in quibus casibus de
2 redditibus possint testari.

Et in primis asserendum, posse testamentum facere, quando adsit consuetudo immemorialis in aliquo Regno, seu Provincia, sine contradictione recepta; tunc enim validè à Beneficiatis conditur testamentum ex redditibus, prout in Gallia recepta est, & in Castella similiter omnibus Clericis, nisi fuerint Episcopi, talis facultas concessa est, *l. fin. tit. 8. lib. 5. Recopilat.* Idque non solum ad opera pia, verùm ad causas profanas, instituendo hæredes quos voluerint, & similiter consanguinei eis ab intestato succedunt absque aliqua controversia: latè Covarr. *in cap. Cùm in officiis, de testament. n.* 23. Sarmiento *de reddit. 2. p.c* 6. *per tot.* Cevallos *q.* 388. Guttierrez *pract. lib. 2. q.* 114. *nu.* 6. Farinacius *d. q.* 54. *n.* 17. Jul. Capponi *discept.* 138. *n.* 26. D. Salzedo *de leg. Polit. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 16. Filliucius *de stat. Clericor. tr.* 43.
3 *cap.* 7. *nu.* 9.

Est verò gravissimum dubium, an hæc consuetudo valida sit, & tuta in foro conscientiæ, quando testamentum sit ad causas profanas: sunt enim aliquæ consuetudines tantùm deservientes ad forum exterius, ut jurgia, & lites sopiantur, & ideò tolerantur: attamen in foro interiori securæ non sunt, prout sunt hæ consuetudines testandi de redditibus, ut observat Azevedus *in d. l. fin. tit. 8. lib. 5. Recopilat. num.* 3. quapropter disquirendum, an hæc consuetudo testandi de redditibus ad profana, valida, & secura sit in conscientia.

4 Prima sententia asserit, similem consuetudinem, quantumvis immemorialem, non esse validam in foro conscientiæ, quin potiùs graviter peccare testantem ad usus profanos ex redditibus; nam similis consuetudo continet peccatum, nempè divertendo patrimonium Christi Domini ad usus profanos. Ergo nequit valere in foro conscientiæ. Et confirmatur, nam licet sit immemorialis, non ideò purgat culpam, quin potiùs eo est detestabilior, quia diutiùs infelicem animam tenuit allegatam, *cap. fin. de consuetudin.* nec per immemorialem præscriptionem tuetur, Covarr. *in Regul. possessor, 2. p. §. 8. num.* 4. Molina *de primog. lib. 2. cap. 6. num.* 67. Valasco *consult. 8. num.* 25. Cevallos *q.* 388. *nu.* 23. Ergo minimè in foro poli valet sustineri. Cæterùm, nam Beneficiatus in redditibus non est propriè dominus, quin potiùs respectu ultimæ voluntatis nequit aliquid de redditibus disponere, sed transeunt vel ad Ecclesiam, vel ad Cameram Apostolicam. Ergo nequeunt per consuetudinem istam applicari causis profanis, & auferri Ecclesiis, aut Cameræ Apostolicæ, absque gravissimo crimine. Denique consuetudo nequit sustinere testamentum de re aliena conditum, *Auth. Ingressi, C. de sacros. Ecclesiis.* Cùm ergo Beneficiati non sint propriè domini redditum, sed Ecclesia, aut Camera Apostolica, Mathienzo *in l. fin. tit. 8. lib. 5. Recopilat. gloss. 1. nu. 2.* inde est, ut consuetudo ista nequeat sustineri in foro conscientiæ, licet in foro exteriori ad exhauriendas lites permittatur, Angelus *verbo Clericus 2. §. 13.* Sylvester *verbo Clericus 4. nu. 4.* Alvarus Pelagius *de Planct. Eccles. 2. p. art. 28. col.* 3. Navarrus *de redditibus, in Apolog. q. 1. monit.* 48. Gregorius Lopez *in l. 6. tit. 53. par. 1. gloss. 1.* Boetius Epo *in cap. 12. de testament. à nu.* 48. Molina *de just. tract. 2. disp.* 147. *n.* 7. & 8. Layman *in Summa, lib. 4. tr. 2. cap. 3. nu.* 7.

Secunda sententia asserit, valere similem consuetudi- 5
nem in utroque foro, ut Beneficiati testentur ad causas pias, non verò ad profanas, ut probatur *in cap. Relatum 12. de testam.* ubi consuetudo testandi de redditibus ad causas pias sustinetur, non verò ad profanas. Deinde prohibitio testandi imposita Beneficiatis ex redditibus, est tantùm de jure humano, quia redditus de sua natura sunt destinati ad causas pias; idcircò valet consuetudo testandi ad causas pias, quia est conformis naturæ ipsorum reddituum, & ne patrimonium Christi Domini ad causas profanas divertatur. Itaque consuetudo ista erit valida in utroque foro, Molina *de Primogen lib. 2 cap. 10 à num. 55.* Avendanus *respons. 19. num.* 15. Boetius Epo *in d. cap. 12. num.* 43. Vasquez *de reddit. 1. p. §. 3. dub.* 10. Sanchez *cons. lib. 2. cap. 2. dub.* 50. *à num.* 7. Lantmeter. *de veter. Cleric. vict. 2. p. cap.* 56. *vers. Ex his.*

Tertia sententia absolutè tenet hanc consuetudinem te- 6
standi de redditibus ad usus profanos, prout ab omnibus Clericis practicatur, validam, & securam esse in utroque foro, *cap. Præsenti 9. de offic. Ordin. in 6. cap. Cùm tibi 18. de verb. significat. Extravagant. Suscipientes, de elect.* ubi probatur validam esse consuetudinem, ut redditus isti non perveniant ad Ecclesiam, seu Cameram Apostolicam. Ergo etiam erit valida consuetudo ut per testamentum possit Beneficiatus ad alias personas, licet profanas, redditus illos transferre. Deinde Pontifex multoties dispensat, ut testentur de redditibus ad causam profanam, *cap. 1. de testament.* ubi Scribentes, & similiter cum aliquibus Clericis in Curia degentibus, ex Constitutione Julii III. *Extravagant. Cupientes, de elect.* Quod enim fit per dispensationem fori, valet per consuetudinem, *l. 2. C. quæ sit long. consuetud. l. De quibus 32. ff. de legib.* & utrobique Scribentes. Ergo per consuetudinem in utrobique foro rectè testantur Clerici de redditibus. Deinde in Castella lex Regia non solùm loquitur permissivè, sed consuetudinem approbat. Ergo talis consuetudo secura est in utroque foro; nam ut benè scripsit Solorzanus *d. lib. 3. cap. 10. num* 82. lex nunquam debet aliquid docere, nec statuere cum peccato. Ac denique temerarium est dicere, quamplures Ecclesiasticos viros probos, testantes ex redditibus ad profana, damnatos esse, ut benè scripsit Valenzuela *cons* 98. *num.* 22. Ergo asserendum, consuetudinem istam testandi ex redditibus ad profana, validam, & securam esse in utroque foro, Guttierrez *lib 2. pract. qu.* 114 Cevallos *qu.* 388. Covarr. *in cap. 1. de testament. num.* 9. Pareja *de edit. instrument. 1. part. tit. 5. resolut 5. numer.* 20. Garcia *de Beneficiis 2. part. cap. 1. num.* 16. Salcedo *ad Bernardum, cap* 132. aliàs 135. *lit. A*, Barbosa *de univers. jur. lib. 3. cap.* 17. *num.* 67. Castillo *controv. lib. 2. cap. 97. nu.* 7. *in fin.* Antonellus *de Regim. Ecclesiæ, lib. 3. cap. 17. n. 7.* D. Gonzalez *in c. Relatum 12. de testament.* Azorius *Inst. Mor. 2. p. lib. 7. c. 9. q. 2.* Bonacina *de oblig. Benef. disp. 4. punct. 3. proposit. 2. nu. 2.* Filliucius *d. tr. 45. cap. 7. à n.* 11.

In

7 In hac difficultate in primis animadvertendum, nullum eſſe textum canonicum hanc difficultatem decidentem; nam textus *in cap. Relatum 12. de teſtam.* licet affirmet valere conſuetudinem teſtandi de redditibus ad cauſas pias, non tamen negat valere conſuetudinem ad profanas, nec aliquo modo ex illo textu valet fieri illatio concludens ad illam validam, ut benè animadvertit Covarr. *d. n.* Mathienzo *in l. fin. tit 8. lib. 5. Recopilat. gl. 4. num. 3.* Barboſa *d. cap. 27. num. 67.* Filliucius *tract. 43. cap. 7. num. 11.* Idcircò reſolutio iſta tota eſt capienda ex textu Regio *in d. l. fin.* & ex DD. authoritate.

8 Secundò præmittendum, has diverſas ſententias ex diverſis principiis pendere. Prima negans hanc conſuetudinem valere poſſe, ſuſcipit fundamentum, quia tenet Beneficiatum non niſi in congrua habere dominium, reliquum verò pertinere ad pauperes, ſeu ad opera pia: unde infert, non valere hanc conſuetudinem teſtandi ad profana, quia eſt de rebus alienis. Secunda ſententia dicens, valere in foro exteriori, non in interiori, quam etiam tenent Garcia *in Summa, tract. 1. difficult. 4. dub. 3. num. 6.* Villalobos *2. p. tract. 3. difficult. 11. à num 9.* defendit hanc obligationem erogandi redditus ad eleemoſynas, & alia opera pia, eſſe de jure Divino, & naturali, quamobrem licet in foro exteriori ſuſtineatur talis conſuetudo ad pacem Reipublicæ, & lites dirimendas, nequit ſuſtineri in foro conſcientiæ. Tertia ſententia aliter ratiocinatur, nempè Clericos non poſſe facere teſtamentum tantùm ex interdicto poſitivo canonico ex redditibus, unde per contrariam conſuetudinem poteſt tolli, & validè in utroque foro teſtantur, Barboſa *dict. cap. 17. nu. 43.* Filliucius *d. cap. 7. nu. 3.*

9 Inter has tamen ſententias, uti probabiliorem, & magis praxi receptam tertiam admitto; nam ut ſupra ſcripſimus, Beneficiati ſunt domini reddituum uſque ad ſupremum vitæ exitum, & interdictum hoc eſt tantùm de jure poſitivo canonico, & rectè per contrariam conſuetudinem legitimè præſcriptam tollitur, *cap. fin. de conſuetudin.* ubi Saagun *num. 30.* Barboſa *num. 10 l. De quibus 32. ff. de legib. l. 6. tit. 2. part. 1.* latè Suarez *de legibus, lib. 12. cap. 18. per tot.* Ergo in utroque foro conſuetudo iſta rectè ſuſtinetur. Cæterùm probatur; nam hæc conſuetudo teſtandi ex redditibus in Hiſpania ſcienter eſt tolerata à Pontificibus, & nunquam eam interdixerunt, quare habet vim privilegii, *cap. Ad Apoſtolicæ 20. cap. Cùm non ſit 23. de Decimis:* & in terminis Mathienzo *in d. l. fin. gloſſ. 4. num. 4.* Valenzuela *conſ. 98. num. 31.* Ergo rectè ſuſtinetur conſuetudo iſta in utroque foro.

10 Deinde in Hiſpania conſuetudo iſta ex magna cauſa ſuſtinetur, idcircò rationabilis eſt, & ſecura in utroque foro: & eſt ratio, nam ut inquit Spino *de teſtament. gloſſ. 14. num. 16.* in hac conſuetudine immemoriali teſtandi de redditibus in Hiſpania, præſumendum eſt, à principio extitiſſe cauſam ſufficientem, quare in utroque foro eſt ſecura. Sed quæ cauſa fuerit iſta, in re tam antiqua, nihil certum percipi valet, & divinare ſufficiet. Hiſpania enim à Mauris occupata, Dei Optimi Maximi ſub auſpicio recuperata eſt, non ſolùm ſæcularium armis, & ſubſidiis, ſed quantoperè Eccleſiaſticorum. Ii enim non ſolùm ex redditibus ſubſidia præſtabant, ſed ipſi perſonaliter ſtrenuè dimicabant ad Mauros expellendos, propagandam Fidem, ædificandas Eccleſias, & Monaſteria, & ad defendendam Rempublicam Chriſtianam, ne omninò Fides in Hiſpania extingueretur. Eſt textus *in l. 52. tit. 6. p. 1.* Bobadilla *in Polit. lib. 2. cap. 17. nu. 9.* Alvarus Pelagius *de planct. Eccleſiæ, lib. 1. art. 28.* ubi de Clericis Hiſpanis ſic loquitur: *Qui contra Sarracenos nedum faciunt bellum cum gentibus ſuis, & hortantur generaliter Chriſtianos ad pugnam contra eos; ſed ipſi in bellis exiſtunt, & ſpecialiter ad pugnandum, & feriendum hortantur alios: ſed & ipſi pugnant, ſicut alii ſæculares, viriliter contra eos feriunt, & occidunt*, Mariana *lib. 14. Hiſt. cap 1.*

11 Quod quidem laudabiliter, & meritoriè à noſtris Clericis factum cenſeo; ob id enim laudantur Levitæ contra idololatras pugnantes, *Exod. cap. 23. verſ. 27.* Tum ratione probatur, quia quando ex conſequutione victoriæ pendet ſalus Eccleſiæ, & Reipublicæ, prout tunc pendebat Eccleſia, & Regnum Hiſpanicum, etiam propriis manibus licitè pugnabant Clerici, Villalobos *in Summa, 2. p. tract. 5. diffic. 8. n. 3.* Palao *tom. 1. Oper. Moral. tract. 6. diſp. 5. punct. 6.* Layman *in Summa, lib. 3. tract. 3. cap. 12. num. 19.* Ergo laudabiliter, & meritoriè noſtri Clerici pugnabant adversùs Mauros, quidquid aliqui non benè reſiſtant apud Bobadilla *d. cap. 17. num. 19.*

Hæc enim ſervitia non ſolùm doctrina, & miniſterio Fidem conſervantia, ſed propriis manibus Fidem; Eccleſias, & Monaſteria propugnantia, cauſa graviſſima fuere, ut permitteretur facultas teſtandi de redditibus, etiam ad cauſas profanas, & inſimul ut conſuetudo, utpotè tam rationabilis, ſuſtineretur in utroque foro. Et ratio eſt, nam quando adeſt cauſa, maximè tam magna, ipſa facit ut uſus profani illi, tanquam pii, liciti cenſeantur, ut optimè confiderat Vaſquez *de Redditibus, 1. p. §. 3. dub. 7. n. 73.* quamobrem perinde eſt ac ſi ad uſus pios teſtamenta condant. Ergo conſuetudo iſta immemorialis teſtandi de redditibus ad uſus etiam profanos, rectè in utroque foro ſuſtinetur, Valenz. *d. conſ. 68. n. 3.* Solorzanus *d. cap. 10. n. 11.* 12

Verùm licet conſuetudo iſta hanc facultatem dederit Clericis Hiſpaniæ, non tamen Epiſcopis; ipſi enim ut obſervantiores Sacrorum Canonum, nunquam eam admiſerunt. Tum quia id erat obſervatum, ut Epiſcoporum bona ex redditibus acquiſita ad ſucceſſorem pertinerent, *cap. Quia ſæpè 4. de elect. in 6. Clement. Statuimus 7. eod. tit.* Garcia *de Beneficiis, 2. p. cap. 1. num. 89.* Noguerol *a. legat. 26. nu. 9.* & ipſi hanc conſuetudinem acriter impugnarunt. Aſt hodie in Caſtella hæc bona Epiſcoporum ad Cameram Apoſtolicam pertinent, Garcia *d. 2. p. cap 2. num. 91.* Nec eſt aliqua conſuetudo, ut de eis teſtentur, quare nec de redditibus poſſunt teſtari, ut cum Covarruv. tenet Spino *d. gloſſ. 14. nu 24.* Molina *de Primogen. lib. 2. cap. 10. num. 27.* Cevallos *q. 388. num. 63.* Cardoſo *in Praxi, verbo Epiſcopus, nu. 55.* Barboſa *3. p. allegat. 114. num. 9.* Sanchez *conſ. lib. 2. cap. 2. dub. 51. nu. 2.* 13

Hinc enim diſcutiendum, an per conſuetudinem legitimè præſcriptam poſſint Epiſcopi teſtari de redditibus ad uſus profanos? Prima ſententia affirmat non poſſe, etiam ad cauſas pias, *ex cap. Quia ſæpè 4. de elect. d. Clement. 7.* ubi diſpoſitum eſt, hæc bona Epiſcoporum ex redditibus pertinere ad ſucceſſorem, prout in Luſitania adhuc obſervari teſtatur Molina *de juſtit. diſp. 147. num. 15. tract. 2.* idque non obſtante qualibet conſuetudine. Cùm ergo jus ipſum deroget conſuetudini, nequit ex ipſa Epiſcopus de redditibus teſtari. Cæterùm, nam redditus iſti, vel ad ſucceſſorem pertinent, vel ad Eccleſiam, vel ad Cameram Apoſtolicam, Garcia *dict. 2. part. cap. 1. num. 89.* idcircò ſi aliàs diverterentur, fuiſſet in grave incommodum Eccleſiarum, aut Eccleſiæ Romanæ, quo exiſtente nequit conſuetudo ſuſtineri, *cap. 1. de conſuetud.* Azorius *tom. 1. Inſtitut. Moral. 1. part. lib. 5. cap. 19. in principio*, Borrell. *in Summa, tit. 14. num. 43.* Ergo nequeunt Epiſcopi teſtari de redditibus, etiam extante conſuetudine, ſive ad pios, ſive ad profanos uſus, ut cum aliquibus docet Solorzanus *de jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 10. nu. 12.* Antonellus *de Regim. Eccleſiæ, lib. 3. cap. 17 n. 8.* 14

Secunda ſententia tenet contrarium; nam conſuetudo legitimè præſcripta derogat legi interdicenti Epiſcopis teſtamenti factionem activam. Tum quia hæc conſuetudo dat hanc facultatem Beneficiatis. Ergo ſimiliter Epiſcopis valet dare, Villal. *in Summa d. tract. 30. difficult. 11. nu. 3.* 15

Hæc difficultas tota conſiſtit in explicatione textus *in d. cap. Quia ſæpè*, ubi aſſeritur, bona Epiſcopi ex redditibus pertinere ad ſucceſſorem, non obſtante qualibet conſuetudine in contrarium. Unde quælibet conſuetudo teſtandi, & diſponendi de his bonis omninò improbatur. Quamobrem incidimus in quæſtionem illam, non valeat conſuetudo adverſus legem ipſam reprobantem, de qua Abbas *in cap. fin. de conſuetud. num. 23.* Decius *in cap. 2. de Præbend. nu. 2.* Covarr. *var. lib. 3. cap. 23 nu. 4.* Barboſa *clauſ. 87. à nu. 12.* Cevallos *q. 704.* Suarez *de legibus, lib. 17. cap. 7. per tot.* Diana *6. p. tract. 5. reſol. 23.* 16

Quia in re dicendum, duobus modis poſſe legem reprobare conſuetudinem. Primò quando illam verbis expreſſis declarat irrationabilem, & iniquam, prout ſæpiùs faciunt ſacri Canones, vocando corruptelam, *cap. fin. de conſuetud. cap. Quanquam, verſ. Volentes, de cenſib. in 6. Clement. 1. de pœnis*, ibi: *Quam reputamus corruptelam.* Tunc enim conſuetudo reprobata ita manet, ut nec præterita, nec futura ſubſiſtere poſſit, ſed pro omni tempore remanet reprobata, Tiraquellus *de retract. in præfat. num. 18.* Anguianus *de legibus, lib. 2. controverſ. 20. num. 22.* Suarez *d. lib. 7. cap. 7. nu. 6.* Quapropter ſi contra hanc legem aliqua 17

conſuetudo introducatur, tanquam iniqua nullam vim habebit, & ut intrinſecè mala, nequit ex aliqua cauſa cohonestari, ut exprimunt nuperrimè allegati.

18 Secundo modo poteſt lex prohibere conſuetudinem, non quia intrinſecè eſt iniqua, ſed ex aliqua cauſa ſubſiſtente, ut rationabilis non fiat. Et contra hanc legem rectè ex nova cauſa poteſt introduci conſuetudo futura, itaut prævaleat adverſus illam; Et eſt ratio, quia nova exiſtente cauſa, ceſſat cauſa illa, quæ conſuetudinem faciebat irrationabilem; quapropter rectè præſcripta legi interdicenti derogat, Abbas *in d.cap.fin.num.*23. Sanchez *de Matrim. lib.*7. *diſput.*4. *num.* 14. Azevedus *in l* 3.*tit.* 1. *lib.* 2. *Recopilat. à num.* 18. Diana 6.*p. tract.* 5.*reſolut.* 23. Villalobos 1.*p tract.*2. *diffic.* 39.*nu.*8.

19 Hoc ergo ſuppoſito, dico jura reprobantia conſuetudinem, ne veniant bona Epiſcopi ex redditibus, niſi ad ſucceſſorem, vel Eccleſiam, vel Cameram Apoſtolicam, non illam reprobare ut iniquam, & corruptelam contra jus divinum, aut naturale, & intrinſecè malum, ſed tanquam oppoſitam juri communi diſcernenti adminiſtrationem rerum ex redditibus Epiſcoporum acquiſitarum: quare ex nova cauſa poterit introduci conſuetudo, qua legitimè præſcripta, poſſit Epiſcopus teſtamentum condere ad uſus profanos. Idque majori ratione, ſi conſuetudo immemorialis ſit; nam in meliori ſententia, nunquam à lege reprobata cenſetur, niſi de ea fiat ſpecialis mentio, Cevallos *d.q.*704. *nu.*24. Myſingerus *conſ.*10.*n.*88. Mareſcotus *var-lib.*2.*cap.* 102.*à n.*1. Palao *tom.*1. *Oper.Moral.tr.*1. *diſp.*3. *punct.*4.§.1. *nu.*10. Diana 6.*p.tract.*5.*reſol.*32. quare illa exiſtente, poterit ſecurè Epiſcopus teſtamentum condere, etiam ad cauſas profanas.

20 Hinc majori ratione admittenda eſt conſuetudo iſta, ſi præſcripta ſit, ut Epiſcopi teſtentur de redditibus ad pias cauſas; nam licet Epiſcopis, & Clericis interdictum ſit ex redditibus teſtari, etiam ad pias cauſas, *cap. Quicunque* 12.*q.*1.*cap. Quia nos* 9. *de teſtament. Authent. Licentiam, C. de Epiſc. & Cler.* Cardoſo *in Praxi, verbo Epiſcopus nu.* 55. Barb. *alleg.*114. *nu.* 9. cùm tamen conſtet hanc conſuetudinem rationabilem eſſe, proculdubio ſuſtinebitur, ut in Clericis habet deciſum textus *in cap.Relatum* 12.*de teſtam.* Sanchez *d.lib.*2.*cap* 2.*dub.*51.*n.*3.

21 Hanc tamen conſuetudinem temperant aliqui Doctores, tam in Epiſcopis, quàm in Clericis, ut quando ad cauſas profanas teſtantur de redditibus, aliquam partem Eccleſiæ, aut pauperibus relinquant; non enim eam ut licitam admittunt, ſi univerſaliter bona omnia profanè relinquantur, Guttierrez *lib.*2.*Pract.q.*114.*n.*17. Avendanus *d.reſponſ.* 19.*n.*8. Mena *ad Gammam deciſ.*305. Verùm hæc doctrina ſic ſimpliciter admittenda non eſt, ſed quando conſuetudo hujuſcemodi fuiſſet præſcripta, ut aliqua pars Eccleſiæ, aut pauperibus relinqueretur, vel aliis cauſis piis; non verò ſi abſoluta ſit conſuetudo diſponendi de omnibus bonis ad profana, ut benè obſervat Avendanus *dict. Reſponſ.*19.*verſ. tertiò temperanda*. Quare niſi in hac ſpecie admittenda non eſt hæc doctrina, ſed liberè Epiſcopus, ſeu Beneficiatus poterit teſtari de redditibus, nulla excepta parte, Garcia *de Beneficiis*, 2.*p.cap.*1.*n.*21.

22 Sed ex alio capite erit ſuſtinenda doctrina iſta, nempè ratione ſcandali; ſi enim Epiſcopus, aut Clericus ex redditibus Beneficiorum factus eſt ditior, & in uſus profanos de omnibus univerſaliter teſtaretur, ſuæ ſalutis immemor videretur; nam cùm ſanus teneatur de eis eleemoſynas dare, & in aliis piis operibus impendere, graviſſimum eſſet ſcandalum in ultimo agone, rejecta pietate, ſolum attendere ad cauſas profanas ditandi conſanguineos, aut alios extraneos, ſolùm deſerviendo carni, & ſanguini, ſua anima oblita. Itaque omnes Clerici timorati, quando ex hac conſuetudine teſtantur, in primis de ſua ſalute curant, multis Miſſis, ſuffragiis, ac eleemoſynis relictis, & aliis operibus piis, & ex reliquo, quos volunt hæredes inſtituunt, & legata relinquunt. Si tamen aliqui contrarium fecerint (quod abſit) & omnia bona in profanos uſus expendat, parum de ſua anima curantes, de eis ignominioſè loquendum erit, & ut Clerici ſcandaloſi reputandi. Quod ſi ex malitia fecerint, eorum ſalus graviter eſt timenda. Hanc obrem maximè ab omnibus Eccleſiaſticis & magnoperè curandum, ut majorem partem horum bonorum ad opera pia convertant.

23 Denique hæc conſuetudo temperanda eſt, ſi maximè fuerit Eccleſiis oneroſa; *cap.*1.*de conſuetudin.* Cardoſo *verbo Conſuetudo, nu.*14. Valenzuela *conſ.*34.*num.* 43. Id accidere valet, ſi Eccleſia indigeret reparatione ornamentis, aut aliis neceſſariis, aut eam aliqua gravis neceſſitas urgeret. Tunc enim hæc conſuetudo teſtandi ad profana ſecura non eſt, niſi Epiſcopus, aut Beneficiatus Eccleſiæ neceſſitati provideret. In praxi verò ſi id non egerit, hæredes coguntur contribuere ad illas neceſſitates, prout ipſe Epiſcopus, ſeu Beneficiatus erat obligatus, tanquam onus illorum reddituum, Hoſtienſis *in cap. fin. de pecul. Clericor.* Ripa *Reſponſ.tit. de conſuetudin. cap.* 14.*numer.* 33. Avendanus *Reſponſ.*19 *num.* 8.*verſ. Et quando*, Mathienzo *in l.*13.*tit.*8.*lib.*5.*Recopilat.gloſ.*1.*nu.* 2. Guttierrez *d. qu.* 114. *num.*18.

Prorſus alio modo præter conſuetudinem poterit Epiſcopus, vel Beneficiatus, ubi non eſt conſuetudo, de redditibus teſtari, ſcilicet ex indulto Summi Præſulis, ut communiter tenent DD. *in cap.*1.*de teſtament.* nam cùm interdictum hoc ſit de jure poſitivo, inde eſt ut in eo poſſit Pontifex diſpenſare, & cùm ejus facultate poterunt Epiſcopi, & Clerici teſtari, Redoanus *de ſpoliis, q.*7. Spino *de teſtament.gloſſ.*14.*num.*24. Cevallos *q.*388. *num.* 63. Farinacius *in Repert.ult.volunt q.*54 *num.*18. Solorzanus *d.lib.*3.*cap.*10. *num.*14. Leoncillus *de privileg.paup.*2.*p.privileg.* 118. *n.* 7. Barboſa *d.allegat.*114.*n.*23 Garcia *in Summa, tract.*1.*difficult.*4.*dub.*3.*n.*3. 24

Sed eſt quæſtio, an Pontifex poſſit hanc facultatem concedere ad teſtandum de redditibus ad cauſas profanas. Prima ſententia aſſerit poſſe tantùm Summum Pontificem hanc concedere facultatem ex magna cauſa ad teſtandum ad pias cauſas, non verò ad profanas. Ratio eſt, nam Pontifex adminiſtrator rerum Eccleſiæ, non dominus abſolutus; quare nequit dare licentiam teſtandi ex redditibus, niſi ad cauſas pias, ad quas fructus iſti ſunt deſtinati, non verò ad profanas, quia jam eſſet mala adminiſtratio, Abbas *in cap. Cum eſſes, de teſtament.num.*30. Barbatia *in cap. Cùm in officiis, de teſtam.nu.*5.*& de præſtan.Cardinal.*1.*p.q.*4. Navarrus *de reddit. quæſt.* 1. *monit.*52. *numero* 1. *&* 2. 25

Secunda ſententia tenet contrarium, ſcilicet poſſe Summum Pontificem hanc facultatem dare non ſolùm ad cauſas pias, verùm ad profanas, prout fecerunt Julius III. & Paulus V. in ſua Conſtitutione incipiente, *In eminenti*, 8. Aprilis 1606. Fagnanus *in cap.* 1.*de pecul. cleric. nu.* 24. & in parte aſſiſtentes Capellæ Romani Pontificis poſſunt teſtari in ſumma duorum millium ducatorum, ex facultate Julii III. Zerola *in Praxi, verbo Aſſiſtentes Capellæ* R.P. Capponi *diſcept.*140. *num.* 15. Quæ quidem conſtitutiones non ſolùm intelliguntur in cauſis piis, verùm in profanis. Eſt etiam conſtitutio Pii IV. quarum omnium meminit Navarrus *de ſpoliis*, §.6.& 7. quod credendum factum fuiſſe ab iis Pontificibus licitè, & ſanctè, prout omnia faciunt, ut tenet Covarr. *in cap.* 7.*de teſtam. num.* 20. Clarus *verbo Teſtamentum*, *q.*27. *n.*5. Valenzuela *conſ* 63. *num.*9. Azorius *Inſtit.Moral.*2.*p.lib.*7 *cap.*9. *qu.* 2. Bonacina *de obligat.Benefic.diſp.*4. *punct.*3. *propoſit.*2. *nu.*2. Filliucius *d.tr.*43.*cap.*7.*n.*3. 26

In hoc dubio animadvertendum, ad hoc ut Pontifex concedat hanc facultatem teſtandi Epiſcopis, ſeu Beneficiatis redditibus, cauſam eſſe neceſſariam; hæc enim poterit eſſe quando utilitas Eccleſiæ interveniat, aut quando vir nobilis eſt, qui plura ſervitia præſtitit Eccleſiæ, ſitque benemeritis illius, & iſtud, aut aliud beneficium mereatur; tunc enim rectè hæc facultas conceditur non ſolùm ad cauſas pias, ſed ad profanas. Si verò abſque cauſa Romanus Pontifex hanc dederit facultatem, validum erit teſtamentum, quia ex placito Pontificis Jus Canonicum poſitivum derogatur? attamen peccavit Pontifex, dum jus rectè ſtatutum abſque cauſa dirimeret, Covarr. *in d. cap.* 7. *n.*20. Corduba *lib.*1.*q.*18.*ad* 1.*&* 2. Molina *de primog. lib.*2. *cap.*10.*nu.*30. Sanchez *conſ.lib.*2.*cap.*2. *dub.*50. *num.*9. quod peccatum non lethale, ſed veniale tantùm ab aliquibus cenſeatur Sanch. *lib.*8.*de matrim.diſp.*18 *n.*3. R. Moya *to.* 1.*ſelect.tr.*6.*diſp.*2.*q.*1.§.*unic n* 8. 27

Hoc ergo ſuppoſito, dico cauſa exiſtente, poſſe Summum Pontificem rectè hanc facultatem concedere ad teſtandum de redditibus, non ſolùm ad cauſas pias, ſed etiam ad profanas, licet ad has major cauſa ſit neceſſaria: ratio enim eſt, nam cùm de jure poſitivo bona iſta pertineant ad Eccleſiã, 28

ſeu

ſeu ad Cameram Apoſtolicam, quæ ſunt piæ cauſæ; attamen cauſa exiſtente, cauſa illa pia cenſetur, ut ſupra diximus cum Vaſquez: quapropter licèt detur licentia ad teſtandum ex redditibus ad profana, perinde eſt ac ſi daretur pro piis cauſis; idcircò cum cauſa rectè abſque peccato conceditur.

29 Erit ergo difficultas, quando nulla extaret cauſa, an facultas iſta fuiſſet ſufficiens ad teſtandum, non ſolùm ad pia, ſed etiam ad profana? Qua in re, ſuppono hoc interdictum, ne Epiſcopi, aut Beneficiati teſtentur de redditibus, eſſe tantùm de jure poſitivo, ut jam diximus, & tenet Trullench *lib.7. Decalogi, cap.18. dub. 5. num.7.* quare devenimus ad quæſtionem illam, an Princeps poſſit validè diſpenſare in lege propria, abſque aliqua cauſa? Et negarunt aliqui, quia poteſtas Principis ſub certis regulis continetur, non verò pendet ex ſuo arbitrio: quapropter D. Paulus *2. ad Corinth. cap.* 10. nos docuit hanc poteſtatem non eſſe datam ad deſtructionem, ſed adædificationem; idcircò abſque cauſa nequit ſuas proprias leges diſpenſare, & quidquid in contrarium egerit, nullius erit momenti, Fortunius Garcia *in l. Gallus, §. Et quid ſi tantum, ff. de lib. & poſthum. à num.* 196 Menchaca *Illuſtr. lib.1. cap.25. num.16.* Mendoza *de pact. lib.1. q.2. nu.25.* Vaſquez *in 2. par. tom.2. diſp.178. cap.4.*

30 Contrarium tamen tenent DD. communiter; nam lex eſt propria ipſius Principis, & ex placito ſuo pendet eam mutare: quare poterit cum aliquo validè diſpenſare abſque aliqua cauſa, prout univerſaliter poterat illi derogare. Et confirmatur exemplo prodigi, qui ſi alienat res ſuas, dominium ad alium transfert, licet prodigendo delinquat: itaque ſimiliter Princeps, ſi aliquando diſpenſet, valida erit diſpenſatio, licet peccet, Navarrus *in cap. fin. de ſimonia, num.4.* Covarr. *in cap. Alma mater, 1. p. §.1. nu.7.* Villalobos *in ſuis communib. litt. D, num.86.* Alter Villalobos *in Summa, 1. part. tract. 2. dub. 41. num. 5.* Pontius *de matrim. lib.8. cap.14 num.7.* Sanchez *eodem tract. lib.8. diſp. 17. numer. 24.* Diana *1. part. tract. 10. reſolut. 32.* Bonacina *de legib. diſput.1. quæſt.2 punct.3. nu.1.* Suarez *de legib. lib.6. diſp.19.*

31 In re tamen dicunt aliqui Doctorum, ſemper diſpenſationem fieri cum cauſa: & ratio eſt, nam ipſa liberalitas Principis, quam erga ſubditos concedere debet, eſt cauſa ſufficiens ad diſpenſandum. Quo in ſenſu ipſimet DD. dixerunt, Principem rectè diſpenſare poſſe abſque aliqua cauſa, quorum plures refert Suarez *de legib. lib.6. cap.18. nu.3.* Sed tamen valorem diſpenſationis ſimilem querere cauſam neceſſarium non eſt, cùm reſpectu legum placitum Principis ſimilem habet vim, ut ipſa lex, *§. Quid Principi, Inſtit de jur. nat. gent. & civili, l.2. §. Noviſſimè, & §. Cùm placuiſſet ff. de orig. jur. l. unica, ff. de offic. Præfecti Prætor.* quamobrem valida erit diſpenſatio facta à Principe abſque cauſa, nec vera, nec præſumpta, ut dicunt DD. ſecundæ ſententiæ.

32 Erit tamen neceſſaria cauſa ut fiat diſpenſatio abſque peccato, *c. Neceſſaria 6. c. Quod pro remedio 7. 1. q.7.* Quo quidem caſu aliqui dicunt, peccatum eſſe mortale diſpenſare abſque cauſa in lege propria, ut latè defendit Suarez *d. cap.18. à num.8.* Valentia *tom.2. diſp.7. q.5. punct.9.* & alii apud Sanchez *de matrim. lib.8. diſp.18. nu.6.* quorum ſententia in aliquibus caſibus erit admittenda, nempè ſi aliis gravis injuria ex diſpenſatione inferretur, aut læderetur graviter iuſtitia, vel adeſſet ſcandalum. Si tamen hæc deficiant, erit tantùm peccatum veniale, quia eſt tantùm aliquem ab obligatione legis eximere, Sanch. *d. diſp.18. n.7.* Paulus Layman *in Summa, lib.1. tr.4. cap.22. nu.13.* Diana *1. p. tract.10 reſol.32. verſ. Nota tamen.*

33 Ex his capitur reſolutio difficultatis noſtræ, nam licet Pontifex det hanc facultatem teſtandi abſque cauſa aliquibus Epiſcopis, ſeu Beneficiatis, ubi non teſtantur de redditibus, diſpenſatio illa valida erit. Verùm peccabit Pontifex regulariter peccato veniali, niſi gravis ſit neceſſitas Eccleſiæ, aut Cameræ Apoſtolicæ, aut adeſſet ſcandalum; quia tunc peccabit graviter, ſicut & teſtans, quatenus cooperatur ad culpam concedentis.

34 Illud verò magnoperè in his facultatibus inſpiciendum, ut quoties conceduntur Epiſcopis, aut Beneficiatis ſimpliciter, tantùm eſſe intelligendas ad cauſas pias: quod in dubio ſimiliter eſt obſervandum, quia id eſt conforme juri communi, *cap. Relatum 12. de teſtam.* & ſimiliter naturæ ipſorum redditum, qui cùm ſint Deo ſacrati, debent ad pias cauſas, & non ad profanas diverti, Navarrus *de redditibus, q.3. num.26.* Molina *de primogenitis, lib.2. cap.10. num.3.* Barboſa *3. p. alleg.14. num.23* Sanchez *d. lib.2. cap.2. dub.51. num.6.* Leſſius *de juſt. lib.2. cap.29. dub.4. num.25.* Quod quidem extendendum, etiamſi facultas dicat, *In quoſcumque uſus*, Barboſa *d. num.23.* cujus doctrinam admitto, niſi adſit cauſa exiſtimandi facultatem datam eſſe etiam ad uſus profanos, Molin. *de juſtit. tract. 2. diſput 147. num.14.* Vaſquez *d. cap. 1. dub. 7. num. 74.* Villalobos *in Summa 2. part. tract.30. difficult.11. num.7.* Trullench *lib. 7. Decalogi, cap.18. dub.5. num.7.* Solorzanus *d. lib.3. cap. 10. nu.15.*

Deinde eſt dubium, an quando facultas teſtandi data 35
eſt Epiſcopis, aut Beneficiatis, ubi non teſtantur, intelligatur pro prima vice, itaut ſi teſtamentum condant, illud revocare nequeant ad aliud faciendum virtute illius facultatis? Prima ſententia aſſerit, intelligendam eſſe hanc facultatem pro prima vice; nam quælibet diſpoſitio intelligenda eſt pro primo actu, *l. Boves 85. §. Hoc ſermone, ff. de verb. ſignificat, l. Cum pater 79 §. Pater 1. ff. de legat. 2.* Velaſco *de privileg paup. 1. q. 16. à num. 1.* quæ quidem regula à fortiori admittenda eſt in præſentiarum, cùm facultas iſta ſit odioſa, præcipuè ad profanos uſus. Idque exemplis demonſtratur; nam qui dotem promiſit, de primis nuptiis tantùm intelligitur, *l. Dotis promiſſio 69. ff. de jur. dot.* Et qui facultatem obtinuit, ut habere poſſit duo Beneficia incompatibilia, de primis intelligitur, *cap. Non poteſt 21. de Præbend. in 6.* Tum quando relegato datur facultas veniendi ad populum, intelligitur pro primo actu, Bart. *in l. 1. ff. ad leg. Jul. de adult.* Abbas *in cap 2. de treug. & pace.* Unde quoties hæc facultas conceditur Epiſcopis, aut Beneficiatis, intelligenda eſt de primo actu teſtandi, itaut poſteà nequeat teſtamentum revocare, & alterum conficere: tenent Decius, Socinus, & alii ſequuti à Covarr. *in cap 7. de teſtament. nu.21.* Tiraq. *in d. l. 85. §. Hoc ſermone, nu. 126.* Burſatus *conſ.30. n.56.* Redoanus *de ſpoliis, q.7. nu. 18.* Greg. *in l. 32. tit.9. p.6. verbo non valdra.*

Secunda ſententia tenet contrarium; nam quælibet fa- 36
cultas intelligitur ſecundùm ſubjectam materiam, *l. Si uno, ff. locat. l. In contractibus, §. fin. C. de non numerat. pecun.* Aſt materia teſtandi, non ſolum de ſua natura eſt pro primo actu, ſed deambulatoria eſt uſque ad ſupremum vitæ exitum, *l.4. in fin. ff. de adimend. legat. l.3. C. de codicill. cap. Cùm Marthæ 6. de celebrat. Miſſar.* nam, ut benè conſiderat Valenzuela *conſ.138. num.4.* primum teſtamentum habet in ſe tacitam conditionem, *Si aliud non fiat:* quamobrem facultas iſta non ſolùm intelligenda eſt de primo actu, ſed etiam ad alia teſtamenta ſubſequentia extenditur. Deinde hæc facultas intelligitur donec effectuetur, *c. Relatum 4 verſ. Cùm igitur, de Cleric. non reſident.* per primum verò teſtamentum non effectuantur, quin potiùs ſi teſtator aliud conficiat, revocatur primum, & non ſuſtinetur, *§. Poſteriore 1. Inſtit. quib. mod. teſtam infirment. l.1. & 2. l. Si binæ tabulæ 11. leg. Cum ſecundo 16. ff. de injuſt. rupt. l. Pater filio 54. ff. de hæredib. inſtituend l. Si quis priore 29. ff. ad Trebell. l. Si quis 6. C. qui teſtament facere poſſ. l.8. l.21. l. 22. & 23. p. 6.* Gomez *in l. Tauri, à nu.92.* ubi etiam Paz *n. 223.* Cancerius *1. par. Var. cap.4. à n.9.* Eſcanno *de teſtament. cap.4. n.7.* Guttierrez *lib. 2. Pract. à quæſt.30.* itaque per primum teſtamentum adhuc actus teſtandi effectuatus non eſt, & conſequenter nec extincta facultas. Denique exemplis comprobatur; nam privilegium datum patrono, ut præſentet ad beneficium, non intelligitur pro prima vice, nec privilegium datum civitati, ut ſtatuta conficiat. Ergo ſimiliter eſt dicendum in noſtra ſpecie. Sic tenent Fernandez *in l.4. Tauri, nu.6* Molina *de Primog. lib.2. c.10. n.45* Gratian. *diſcept. c.854. n.17.* Fachineus *controv. lib.5. controverſ.99.* Sarmiento *de Reddit. 4. p. c.3. n.3.* Capponi *diſcept.140. n.9.* Bellet *tit. de bon Clericor. §.15. n.15.* Barboſa *d. alleg.114. n.26.* Azorius *Inſtit. Mor. 2. p. lib.17. cap.9. q.3.* Sanchez *d. cap.2. dub.52.* Vaſquez *d. §. 3. dub.9.*

Hæc ſententia admittenda eſt, nam teſtamentum quod 37
fit ex facultate Principis, adhuc eſt variabile, & poteſt revocari, prout etiam ſi ab ipſo fuerit confirmatum, *l. Omnium 19. C. de teſtam.* quare ſi confirmatum quod eſt, magis revocatur, multò meliùs ejus facultate conditum, & conſequenter ex illa poterit teſtator tranſire ad aliud conficiendum, ut benè expendit Sarmiento *d. cap. 4. num. 3.*

Unde facultas Epiſcopo, ſeu Beneficiato ad teſtandum ex redditibus, non pro primo actu, ſed etiam pro ſequentibus eſt intelligenda. Tandem licet hæc facultas ſit odioſa, & ſtrictè interpretanda, dum tamen conſtare poterit de voluntate concedentis, non reſtringitur, Giurba *conſ.* 99. *n.* 15. Aſt nullo modo cognoſcitur meliùs voluntas Pontificis concedentis, niſi per naturam actus, ad quem conceditur, *l. Si finita*, §. *fin. ff. de uſufruct. l. Divortio* 8. §. *Si vir*, *ff. ſolut. matr.* Barboſa *in d.l. Divortio*, §. *Quod in anno*, *num.* 11. Lara *de Anniverſ. lib.* 1. *cap.* 3. *nu.* 18. Barboſa *de Appellativ. appellat.* 6. *num.* 2. Cùm ergo actus teſtandi de ſua natura ſit revocabilis, & deambulatorius uſque ad vitæ exitum, inde eſt, ut voluntas Pontificis concedentis hanc facultatem intelligatur non ſolùm de primo actu, ſed etiam de aliis ſubſequentibus, etiamſi materia ſit odioſa, Mandoſius *ſuper regul.* 23. *q.* 4. *nu.* 50. Ex quibus faciliter reſpondetur contrariis fundamentis.

38 Eſt ſimiliter alia quæſtio, an facultas Epiſcopis, aut Beneficiatis conceſſa ad teſtandum de redditibus, re integra, exſpiret morte concedentis? Et plures affirmant, nam privilegia iſta, ſeu facultates odioſæ ſunt, quatenus ſunt in damnum Eccleſiarum, aut Cameræ Apoſtolicæ: quapropter maximè ſunt reſtringendæ, *cap. Ex tuarum* 5. *de authorit. & uſu pallii*, *cap. fin. de traslat. Epiſcop.* Socinus *vol.* 2. *conſ.* 266. *nu.* 56. Gironda *de Privilegiis*, *nu.* 193. Ergo non ſunt extendendæ, ut re integra, ſi concedens moriatur, adhuc valeant. Cæterùm re integra, mortuo delegante exſpirat mandatum, *cap. Relatum* 19. *cap. Gratum* 20. *de offic. delegat.* Ergo ſimiliter in ſpecie re integra morte concedentis extinguentur ſimiles facultates, Socinus *vol.* 1. *conſ.* 89. Covarruv. *in cap.* 7. *de teſtament. n.* 22. Toletus *in Summa*, *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 18. Navarrus *de Spoliis*, §. 7. *num* 6. Zechius *de Republica Eccleſiaſt. tit.* 3. *de Cardinalibus*, *nu.* 9. *privil.* 8. Solorzanus *d. lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 14.

39 Alteri verò contrarium tenent, quia facultas iſta eſt gratia facta, quæ non exſpirat morte mandantis, ſeu concedentis, *cap. Super gratia* 9. *de offic. delegat. in* 6. *cap. Si cui nulla* 36. *de Præbend. in* 6. Guttierrez *Can. lib.* 1. *q.* 15. *nu.* 24. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 28. *num.* 69. Et eſt ratio, nam gratia ſtatim ut conceditur, perfecta eſt. Ergo nequit exſpirare morte concedentis. Cæterùm nam ut ſcripſit Felinus *in cap. Licet undique*, *de offic. delegat. num.* 1. *verſ.* 1. in privilegiis non requiritur ut privilegiatus illis utatur ante mortem concedentis; ipſa enim ſtatim ut conceduntur, perfecta ſunt, quod etiam dicendum eſt in ſpecie, quia facultas iſta privilegium eſt, Azorius *dict. cap.* 9. *quæſt.* 4. Riccius *in Praxi Aurea*, 1. *part. reſolut.* 386. ubi aſſerit, ſic tenuiſſe Rotam, Gonzalez *ad Regul.* 8. *gloſ.* 12. *in princip. num.* 33. Sarmiento *dict. cap.* 4. *num.* 2. Barboſa *d. allegat.* 114. *num.* 25. Fachineus *lib.* 5. *controverſ.* 100. Capponi *diſcept.* 140. *num.* 13. Antonellus *de Regim. Eccleſiæ*, *lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 19.

40 Hæc ſententia admittenda eſt ex ſolidiſſimo ejus fundamento, nempè hanc facultatem eſſe gratiam perfectam ſtatim ut eſt conceſſa, quæ nequit expirare morte concedentis, prout videre eſt in facultate ad fundandum majoratum, non exſpirante morte Regis concedentis, etiam re integra, *ut in l.* 33. *Tauri*, tenet Gomez, Guttierrez *l.* 2. *Fract. q* 74. & 75. Mieres *de Majorat.* 4. *part. q.* 10. *à num.* 1. Molina *de Primogen. lib.* 2 *cap.* 7. *num.* 64. Azevedus *in l.* 2. *tit.* 7. *lib.* 5. *Recopilat.* idque de natura ipſius gratiæ eſt, niſi expreſsè à concedente reſtringatur, veluti quando dicat, *Ad meam vitam;* vel, *Ad meam voluntatem;* quia tunc omninò perfecta non eſt, Gomez *in d. leg.* 43. latè Garcia *de Beneficiis*, 6. *part. cap.* 2. *per tot.* Quamobrem in præſentiarum dicendum, facultatem Epiſcopis, aut Beneficiatis datam ad teſtandum de redditibus, re integra, etiam poſt mortem concedentis, validam eſſe. Denique fundamentum contrariorum dilabitur; nam ut docet Sanchez *d. diſp.* 28. *n.* 82. quælibet diſpenſatio odioſa eſt: aſt poſtquam abſoluta, & perfecta eſt, morte concedentis non extinguitur, ut videre eſt in facultatibus conceſſis Religioſis ad audiendas confeſſiones, & in dimiſſoriis ad ſuſcipiendos Ordines, & in licentiis olim conceſſis Parochis ad ſtudium, quæ non exſpirant re integra morte concedentis, ut recenſet Azorius *d. q.* 4. *verſ. Nihilominus*. Quod idem eſt dicendum in noſtra ſpecie, licet facultas iſta ſit odioſa. Confirmatio verò adducta *ex cap. Relatum*, *& ex cap. Gratum*, ad rem non eſt; nam delegatio juriſdictionis tota pendet à voluntate delegantis, *l.* 1. §. *Mandatum*, *l. fin. ff. de offic. ejus*, *cap. Præterea* 5. *cap. Sanè* 11. *de offic. delegat.* voluntas enim morte finitur, *l.* 4. *ff. locat. l. Lucius*, *ff. de donat. cap. Gratioſa* 9. *de reſcript. in* 6. Decius *in l.* 3. *ff. de Regul. jur. nu. fin.* Medicis *in tract. Mors omnia ſolvit*, 1. *part. num.* 260. Idcircò ſi re integra moriatur delegans, & juriſdictio non ſit radicata, exſpirat morte delegantis, *cap. ult. de offic. delegat. cap.* 6. 7. & 8. *de for. compet.* Verallus 2. *p. deciſ.* 188. & 189. Donellus *lib.* 23. *Comment. cap.* 23. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 28. *per tot.* Quod quidem diverſum eſt in noſtro caſu, quia facultas iſta ſtatim ut conceditur, perfecta eſt, & radicata; quare non exſpirat morte concedentis, ut tenet etiam Diana 5. *p tract.* 2. *reſ.* 54.

Eſt dubium, an hæc facultas teſtandi conceſſa Epiſcopis, aut Beneficiatis ubi non teſtantur, præcedere debeat, ut valeat teſtamentum, aut ſufficiat poſteà eam conſequi, ut validum remaneat? Prima ſententia inquit præcedere debere; nam ad valorem teſtamenti duo tempora ſunt inſpicienda, tempus quo conficitur, & tempus mortis; *l. Qui ex liberis* 11. §. *Teſtamento*, *ff. de bonor. poſſeſſ. ſecund. tabulas*, *leg.* 1. §. *Exigit.* 28. *ff. eod. tit.* Ergo cùm tempore facti teſtamenti licentia ad teſtandum non exiſtat, nequit illa ſuperveniente convaleſcere teſtamentum, ob ſcitam regulam, *Quod ab initio vitioſum eſt*, *ullo tractu temporis non convaleſcit.* Ita *l. Quod ab initio*, *ff. de reg. jur.* Quapropter teſtamentum Epiſcopi, aut Beneficiati, factum abſque licentia, ſeu facultate Pontificis præcedente, erit nullum: & licet poſteà ſuperveniat, nequit convaleſcere, ſed ſemper erit neceſſarium, ut antecedat, Jaſon. *in l. Ut militibus*, *C. de teſtam. milit. n.* 2. Petris *de interpret. at. ultim. volunt. lib.* 2. *interpret.* 1. *dub.* 1. *ſolut* 4. *n.* 51. Caputaq. 3 *p. deciſ.* 258. *num.* 1. Capponi *diſcept.* 140. *n.* 8. 41

Secunda ſententia tenet contrarium, nam licentia, ſeu facultas iſta extenditur ad teſtamentum factum, quia habilitas ſuperveniens reſpectu alicujus actus producendi, ita operatur cum ſupervenit, ac ſi à principio adfuiſſet, *c. Non firmatur* 18. *de regul. jur. cap. Dudum* 50. *de elect. l. Quod id* 35. *ff. de don.* Ergo ſi ſupervenit facultas teſtandi, perinde eſt ac ſi fuiſſet à principio, & conſequenter teſtamentum valet, ut apparet in aliquo teſtatore inhabili, cujus inhabilitate à Principe poſteà ſublata, tenet teſtamentum, ut ſcripſit Gomez *in l.* 42. *Tauri*, *nu.* 2. ad id non rectè allegans textum *in l. Si quis* 6. §. *Irritum*, *verſ. Qua ratione*, *ff. de injuſt. rupt.* ut proſpicienti patebit. Cæterùm, nam actus teſtandi eſt ſucceſſivus, & pendens uſque ad vitæ exitum; Idcircò facultas illa ex voluntate concedentis non ſolùm ſe extendit ad teſtamentum faciendum, ſed etiam ad jam factum; non enim eſt teſtamentum illud completum, ſed pendens à voluntate teſtantis. Ergo debet valere teſtamentum jam factum ex facultate ſuperveniente, Gomez *in d. l.* 42. *nu.* 2. Tapia *in Auth. Ingreſſi*, *verbo Ideò*, *cap.* 1. *nu.* 25. Mathienzo *in l.* 3. *tit.* 4. *lib.* 5 *gloſ.* 3. *n.* 4. Azevedus *in l.* 3. *tit.* 7. *lib.* 5. *nu.* 7. Barboſa *in cap.* 2. *de teſtament. n.* 15. & *de univerſ. lib.* 1 *c.* 4. *n.* 217. Antonellus *de Regimin. Eccleſiæ*, *lib* 3. *cap.* 7. *n.* 26. Molina *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 141. *in fin.* Sanchez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 8. *n.* 60. 42

In re dicendum, duobus modis poſſe eſſe neceſſariam licentiam, ſeu facultatem ad aliquem actum validè conficiendum. Primo, quando hæc licentia, ſeu facultas petitur à jure pro forma ſubſtantiali, it aut actus, niſi fiat præcedente licentia, ſeu facultate, minimè valeat, ut videre eſt de jure noſtro Regio in majoratibus, ubi majoratus jam inſtitutus non ſuſtinetur, niſi facultas Regia præcedat, *l.* 42. *Tauri*, *l.* 3 *tit.* 7. *lib.* 5. *Recopilat.* Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 7. *à num.* 2. Gonzalez *ad Regul.* 8. *gloſſ.* 47 *num.* 47. Secundus modus eſt, quando facultas, aut licentia non petitur cum hac firmitate, ſed tantùm eſt neceſſaria ſimpliciter ad valorem actus; & tunc Gonzalez nuperrimè adlegatus, *num.* 49. aſſerit actum valere non poſſe, niſi præcedat licentia, ſeu facultas. Unde Rota reſolvit teſtamentum cujuſdam Cardinalis anteà factum convaleſcere non potuiſſe ſuperveniente Pontificis licentiam. Et ratione probari poterit, quia quando requiritur licentia, ſeu facultas, ſemper debet præcedere; nam major eſt formalitas, quam ſi conſenſus fuerit neceſſarius, quo quidem ſuperveniente, validatur actus à principio nullus, *cap. Suggeſtum* 9. *de decimis*, ubi Scribentes. Ergo quando ſimpliciter petitur licentia, ſeu facultas, ſemper debet præcedere; aliàs actus erit nullus. 43

Sed

44 Sed contrarium teneo cum Flaminio *de reſignat. lib. 11. q. 7. nu. 90.* nam fundamenta iſta probant eſſe neceſſarium præcedere licentiam, ſeu facultatem ad actum per ſe ipſum jam completum, & qui non eſt pendens, prout eſt teſtamentum per ſe revocabile, non confirmandum niſi per mortem teſtatoris: quapropter facultas ſuperveniens confirmat teſtamentum non completum, ſed pendens, quod fieri valet per ſupervenientem facultatem, ſeu licentiam.

45 Unde admitto ſecundam ſententiam; nam de jure ſimpliciter requiritur facultas iſta, abſque ulla formalitate præcedentiæ. Tum quia ex voluntate concedentis faciliter extenditur facultas iſta ad teſtamentum jam factum: & eſt ratio, nam ut conſiderat Caſtrenſis *in leg. Si quis 6. §. Iritum, ff. de injuſt. rupt. num. 5.* in his facultatibus, licèt trahantur ad teſtamenta facta, nullum præjudicium fit concedenti, aut confirmando teſtamentum factum, aut faciendum: quare cùm eadem ſit cauſa, faciliter extenditur facultas iſta ad teſtamentum factum ex ipſa voluntate concedentis. Et confirmatur diſcurſus; nam ad convalidandum teſtamentum jam factum, non requiritur voluntas expreſſa facultatem concedentis, ſed ſufficit præſumpta, & tacita, ut patet in majoratibus, ubi ſi Princeps ſciverit, majoratum eſſe inſtitutum, ſufficiet ſimplex facultas ad illum inſtituendum, quia ad hanc ratificationem ſufficit tacita, ſeu præſumpta Regis licentia, ſeu voluntas, Molina *d. lib. 2. cap. 7. num. 6.* Azevedus *in l. 3. tit. 7. lib. 5. Recopilat. num. 8.* Cùm ergo in præſentia nullum præjudicium fiat concedenti, & eadem ſit cauſa, adeſt præſumpta, & tacita licentia Pontificis ratificans teſtamentum antecedens, & conſequenter validum. Denique fundamentum, quod pro Gonzalez adduximus, non obſtat, quia procedit quando licentia, ſeu facultas requiritur pro formalitate, ut procedat, aut quando actus jam eſt completus, & independens: quod omne deficit in præſentiarum, & ideò remanet validum teſtamentum licentia, ſeu facultate ſuperveniente, ut etiam tenet Diana 8. *part. tract. 3. reſolut 99.*

46 In dubio verò, quando non conſtaret, an facultas præceſſerit, necne, ve luti quando facultas, & teſtamentum fuiſſent ejuſdem diei, præſumitur præceſſiſſe; quia ſemper præſumitur præceſſiſſe, quod eſt neceſſarium ad actum ſubſequentem, *leg. 2. §. Prius, verſ. Sed ſi quis, ff. de vulg. ſubſtitut. l. Cùm in teſtamento 37. §. Hæc verba, ff. de hæredib. inſtit.* ut in terminis majoratus, & donationes inter virum uxorem tenet Gomez *in l. 42. Tauri, nu. 3.* & in alienatione rerum Eccleſiæ, Riccius *in Praxi fori, reſol. 27.* & cum aliis D. Olea *de ceſſ. tit. 8. q. 3. n. 15.*

47 Denique contra aliquos obſerves, quod ſi aliquis Epiſcopus, ſeu Beneficiatus de jure communi hanc habeat facultatem impetratam à Summo Pontifice, & ea non utatur, & conſanguinei ab inteſtato non ſuccedent in bonis acquiſitis ex redditibus; nam aut potuit teſtari, & noluit: & tunc facultati renunciavit: vel non potuit, & tunc quia facultas iſta non fuit effectuata, nullum ſortitur effectum. Aſt in caſu aliquo contrarium erit tenendum, nempè quando ipſa facultas haberet clauſulam, ut ejus cognati ab inteſtatu ſuccedant, Navarrus *de ſpoliis, §. 7. n. 7.* Solorzanus *d. lib. 3. cap. 10. à n. 13.*

CAPUT XI.

Quid poſſint diſponere Clerici circa ſuos filios naturales, vel ſpurios, ex redditibus, aut aliis bonis, tam inter vivos, quàm in ultima voluntate.

SUMMARIUM.

Clerici (quod abſit) poſſunt habere de facto, & culpa gravi filios naturales, & ſpurios, n. 1. Qui ſint naturales, & quid eis relinquere poſſunt, n. 2.

Clerici debent alimenta ſuis filiis ſpuriis, num. 3. Explicatur caput cùm haberet 5. de eo qui duxit in matrim. num. 4.

Filii ſpurii Clericorum poſſunt petere hæc alimenta judice Eccleſiaſtico, contra patres: ſi verò contra hæredes, aut alios, poſſunt petere vel coram Eccleſiaſtico judice, aut ſæculari, num. 5. Et eis debentur, etiamſi fuerint adulti, dummodo indigeant, contra Vaſquez, num. 6.

Clerici, ſi non habeant alia bona, tenentur ex redditibus hæc alimenta præſtare, n. 7.

An præſtare teneantur hæc alimenta ex redditibus, aut ex aliis bonis, ſi filii habeant unde alimenta percipiant? Aliqui affirmant, & alii negant, n. 8.

Sed abſolutè negatur teneri? Expenduntur verba dicti capitis Cùm haberet, n. 9.

Filii Clericorum poſſunt petere alimẽta adversùs donatarium bonorum, vel Monaſterium bona clerici habentem, nu. 10. Idem adversùs Fiſcum, n. 11.

Religioſi tenentur ſuos filios ſpurios alere: Et ſi Prælatus negaverit licentiam, occultè valent alimenta præſtare, nu. 12.

An hæc alimenta debeant eſſe ſecundùm naturam, aut ſecundùm ſtatum. Prima ſententia dicit, tantùm eſſe debere ſecundùm naturam, n. 13.

Secunda verò dicit ſecundùm ſtatum. Obligatio alimentorum ſemper intelligitur ſecundùm ſtatum, n. 14. Quin intelligendum non ſolum ex parte patris, ſed etiam ex parte filii, & mulieris, quæ ab eo ducitur, n. 15.

In praxi hæc ſententia recepta eſt, aſt debet Clericus miniſtrare alimenta iſta, quæ minora ſunt in perſonis illius ſtatus, n. 16.

Quantitas horum alimentorum arbitrio prudentis relinquenda. De jure Regio quintum bonorum eſt deſignatum, num. 17.

Explicatur lex 10. Tauri, lex 8. tit. 8. lib. 5. Recopilat. num. 18.

An Clericus, vel alius pater ſpurius poſſit totum quintum concedere filiis ſpuriis, etiamſi alimenta excedat? Prima ſententia affirmat, num. 19. Secunda negat, num. 20.

Iterum explicantur lex 10. Tauri, lex 8. tit. 8. lib. 5. Recopilæ. Referuntur interpretamenta, nu. 21. Datur verum. Lex poteſt taxare alimenta ſecundum ſtatum, nu. 22. Reſolvitur quæſtio, n. 23.

An quando quintum non ſufficit ad alimenta ſpuriorum, pater poſſit aliquid amplius relinquere? Negarunt aliqui, n. 24. Affirmatur, ſi non adſint legitimi, nu. 25 Si verò adſint, cum diſtinctione reſpondetur, n. 26.

Si Clericus, vel pater ſpurius habuerit filios legitimos plus quam quinque, an poſſit totum quintum ſpurio relinquere? Negant plures. Sed contrarium tenet de Lugo, nu. 17.

Reſolvitur cum diſtinctione: ſi hæreditas eſt ampla, admittitur de Lugo, n. 28. Secus ſi non ſit ampla. Urgente neceſſitate legitimorum, tenuis eſt obligatio alendi ſpurios, nu. 29. & 30.

Bona quæ ſpuriis conceduntur ad alimenta, integro jure ad illos tranſeunt, n. 31. Et an tranſmittantur ad hæredes, remiſſivè diſquiritur, ibid.

An Clericus, vel pater ſpurius poſſit in his bonis gravamen imponere, remiſſivè. Quando quintum conceditur ſpuriis, & alia pia præcipiuntur, priùs ſunt deducenda alimenta, n. 32.

Clericus ex redditibus, vel ex patrimonialibus valet filiis ſpuriis aliquid legare, vel donare ad religionem ingrediendam, n. 33.

Sed an Clericus, vel alter pater ſpurius poſſit ex conſenſu legitimorum ultra alimenta aliquid ſpuriis relinquere? Ponitur ratio dubitandi & negativè reſpondetur, nu. 34. Intelligitur vivo patre, ſecus eo defuncto, niſi de jure Caſtellæ, in filiis clericorum, ibid.

Clericus, ſeu alter pater ſpurius poſſunt filiis ſpuriis remuneratoriè donare. Sed dubitatur, an fieri id poſſit titulo oneroſo. Negarunt aliqui, n. 35. Sed alteri affirmant. Inter virum, & uxorem titulo oneroſo valet conceſſio bonorum, n. 36.

Explicantur lex 1. Cod. de natura liberis, lex 20. tit. 13. p. 6. num. 37.

Quando inter patrem ſpurium eſt contractus oneroſus, & inſimul inter filium, cum numeratione, & traditione rei, ſuſtinetur contractus. In his contractibus oritur præſumptio fraudis ex conjunctione perſonæ, & ſemper eſt neceſſaria probatio, n. 39.

De jure noſtro Regio major eſt difficultas. Prima ſententia negat valere oneroſos contractus inter patrem, & filium ſpu-

ſpurium, n.40. Secunda affirmat, ſi non adſit fraus, num. 41. Tertia tantum affirmat in filiis Clericorum, num. 42.

Explicatur lex 6.tit.8. lib.5. Recopilat. Verba legis debent intelligi ſecundum mentem legislatoris, non ſecundùm verba, n.43.

Clericum, vel alter patrem ſpurium vendentem ſua bona filiis ſpuriis abſque fraude, cum reali numeratione, & traditione, tutos eſſe in foro conſcientiæ, n.44. In foro fori aliqui negant ſed ſi probetur nullam fraudem extitiſſe, venditio ſuſtinetur, n.45.

Ad hanc probationem non ſufficiet confeſſio patris, ſed eſt neceſſaria plena probatio, niſi cum confeſſione patris ſint alia indicia, vel ſemiplena probatio, n.46.

1 IN hoc capite agendum eſt nobis de obligatione Clericorum alendi, & nutriendi ſuos filios illegitimos, vel ſpurios, & quid eis relinquere poſſint in ultima voluntate ex redditibus, & bonis patrimonialibus, ubi eſt conſuetudo teſtandi: res quidem in utroque foro neceſſariiſſimæ inveſtigationis.

2 Beneficiati, & alii Clerici aliquando habent filios naturales, utpotè quando ſunt merè ſæculares, aut minoribus Ordinibus initiati, licèt Beneficium habuerint, aliquos, vel aliquem procreaverint ex aliqua muliere ſoluta, quos ex redditibus alere, & nutrire tenentur, tanquam debitum ipſius patris, ſi alia bona non habeant: deinde eis interdictum non eſt in teſtamentis alimenta relinquere, ſed aliquid amplius, ſicut aliis extraneis, aut conſanguineis, quia iſti filii naturales Clericorum etiam minorum Ordinum, & cum Beneficio, interdicti non ſunt capere ex teſtamento patris, nec aliis ſpuriis comparantur, quos habuerint, dum Sacris Ordinibus fuerint initiati, ut cum Perez tenet Azevedus *in l.6. tit.8. lib.5. Recopilat. num.3.* & 4. Mathienzo *in d.l.6. gloſ.12. n.2.* Pichardus *Inſtit. de hæred. quæ ab inteſt. deferunt. §.9. n.18.*

3 Alteri autem ſunt filii Clericorum, quos procrearunt jam ſacris Ordinibus condecorati, & quando matrimonium contrahere non poterant; ii enim ſpurii dicuntur, *l. Si adulterium cum inceſtu 38.ff.ad l.Iul.de adult. Auth.Incestas,Auth.Ex complexu,C.de inceſt.nupt.*Gomez *in l.9.Tauri n.13.* Covarruv. *de ſponſalibus,2.p.c.8.§.5. nu.1.* Molina *de Iuſt. tract.2. diſput.167. nu.17.* Angelus Boſſius *de Aliment. obligat. c.6. num.167.* Iſti enim filii Clericorum, licèt quoad alimenta habeant jus certum adversùs patrem Clericum, attamen nihil niſi alimenta ex eorum teſtamentis capere poſſunt, nec ex donatione cauſa mortis, *l.1. Auth. Dicet, C. de naturalib. liberis,l.10 Tauri,l.6. tit.8. lib.5. Recopilat.* decretum eſt, non ſolùm in ultima voluntate aliquid à patre Clerico conſequi non poſſe, verùm nec per contractus inter vivos. Deinde decretum eſt noſtris legibus, non ſolùm à patribus Clericis aliquid conſequi valere, ſed nec à conſanguineis ex parte patris. Similem legem apud Aragones adeſſe teſtantur Garcia *in Summa, tract.1. difficult. 4. dub.3. numer.14.* Azevedus *in dict. leg.6. n.6.* Mathienzo *ibidem gloſſ.12. numer.1.* Larrea *deciſ. Granatenſi 96. à num.1.*

4 Iſtis enim Clericis, vel aliis patribus ſpuriis jus civile non permittebat filios alere, nec ad id cogi poſſe decrevit, *Auth. Ex complexu,Cod.de inceſt. nupt.* Boſſius *d.c.6. n.179.* Attamen Jus Canonicum contrarium decernit *in cap. Cùm haberet 5.de eo qui duxit in matrim.*quem textum licèt aliqui intelligant, non de ſpuriis, ſed de procreatis poſt mortem uxoris,ut ſcripſerunt Madera *animadv. c.32.*Garcia *de Expenſ.c.3.n.25.*Paleotus *de Noth.c.46.n.2.*Attamen in meliori intellectu loquitur de ſpuriis in adulterio procreatis, ut patet ex litera, & rectè vindicat Boſſius *d. c.6. à n.184.* D. Gonzalez *ibid. n.9.* Idque à Jure Canonico rectè decretum, prout naturalis ratio petit jubens patres ſpurios alere, & nutrire teneri filios illos, ne ex defectu alimentorum pereant, *l. Si quis 6. ff. de liber. agnoſcend. l. Si competenti 3.l. penult. & ult. C. de alend. liber. l.2. tit.19. p.4.* quamobrem rectiſſimè Jus Canonicum Juris Civilis rigorem abſtulit decernens filios quantumvis ſpurios à patribus eſſe alendos,& ad id cogi poſſe, ut dictat naturalis ratio, Barboſa *in d.c.5. n.2.* Gomez *in l.9. Tauri, n.37.* Benedictus *in c. Raynutius, verbo Et uxorem nomine Adelaſiam, deciſ.5. n.122.* Duenas *regula 368.* Spino *in ſpeculo teſtament.gloſſ.16. à n.9.*Gratianus *diſcept.tom.1.c.60. n.31.* Valenzuela *conſ.12.à num.28.* Vaſquez *in opuſcul. de teſtam.§.7. dub.8.* Boſſius dans plures *d.cap.6. num.186.*

Hinc plures Doctores admittendi non ſunt, quos recenſet Boſſius *d.c.6. §.6. n.194.* aſſerentes deciſionem textus *in d.c. Cum haberet*, non eſſe admittendam, niſi in terris Eccleſiæ. Sed eſt certa concluſio, hanc deciſionem eſſe admittendam tam in ſæcularibus, quàm Eccleſiaſticis tribunalibus, & ſimiliter in foro conſcientiæ, non ſolùm in terris Eccleſiæ, ſed in qualibet parte; quia decretum hoc fundatur in ratione naturali, quæ in qualibet parte debet vigere, & obſervatum vidimus ab Abrahamo Patriarcha, qui poſtquam omnia Iſaac filio legitimo reliquit, alii alimenta legavit. *Geneſ. c.25.* & ita teſtantur Paleotus *de Noth. c.47. à n.1.* Mareſcotus *Var. lib.2.c.83.n.33.*Gratianus *c.60.n.30.* Boſſius *d.§.6. n.1650.* Unde filii ſpurii poſſunt petere hæc alimenta, ſi pater eſt Clericus, coram Eccleſiaſtico Judice: ſi verò ſæcularis, idem poſſunt coram Judice Eccleſiaſtico, ſive ſæculari; nam alimenta pauperi ſpurio debita ſunt pia, Spino *de teſtam. gloſſ.17. n.161.* quare ſive Eccleſiaſticus, ſive ſæcularis eſt judex competens, ut de eis cognoſcat: quare erit in electione ſpurii, quem maluerit eligere, Merlinus *tom.2. controv.93 per tot.* Molina *de Primogen. l.2. c.15.n.76.* Santarellus *Var.1.p.q.34.n.2.* Theſaurus *deciſ.211. n.4.* licèt diſſentiat Cevallos *de cognit. per viam violent.q.53.* ſed non rectè;nam pauperi ſpurio quando dantur alimenta, ſemper eſt pia cauſa mixti fori, pertinens non ſolùm ad judicem ſæcularem, ſed etiam ad Eccleſiaſticum, Delbene *de Immunit.2. p.c.10. dub.6. ſect.5. n.1.*

Deinde eſt adnotandus Pater Vaſquez *d.§.7. dub.8. n.126.* 6
ſcribens patrem ſpurium non teneri filios alere, niſi in puericia. Aſt poſtea, ſi adulti fuerint, neutiquam tenetur, niſi eis ſuccurrere, ut aliis pauperibus extraneis. Sed Delugo *de Iuſt.diſp.4.ſect.7.n.120.*eum reprobat;nam licèt animantia id obſervent, ut tantùm pullos nutriant, & poſteà deſerant, diverſum in rationalibus eſt, qui ex obligatione conjunctionis ſanguinis tenentur pro totius vitæ curriculo filios indigentes alere, quantumvis ſpurios; durat enim cauſa obligationis. Quod adeò certum eſt, ut ſi pater dederit filio ſpurio alimenta, & ipſe illa conſumpſerit, & ad egeſtatem perveniat, iterum dare tenetur, ex hac ſubſiſtentia obligatione, Spino *d. gloſſ.16. num.121.* Filliucius *de Stat. Clericor. tract 43. c.4. n.36.*

Hæc enim obligatio adeò adſtringit patres ſpurios, ut li- 7
cèt Clerici ſint, & non habeant alios redditus, niſi beneficiorum, ex eis eos alere teneantur, idque rectè fieri poſſe probatur; nam, ut diximus, alere pauperes filios ſpurios cauſa pia eſt. Tum ex parte patris, qui ſua debita (quando alia bona non habet) poteſt ſolvere ex redditibus. Cùm ergo hæc alimenta ſint debita naturalia patris Clerici, inde eſt, ut licitè hæc alimenta præſtet ex redditibus, ſi alia bona non habeat, etiam in Provinciis, ubi viget Conſtitutio S. Pii V. ut cum Navarro tenet Delugo *diſp.4.ſect.7.n.120. verſ. Quidquid autem ſit*, Garcia *in Summa,tract.1. difficult. 4. dub.3. n.2* Lara *de Capell. lib.1.c.21. n.30.* Maſtrill. *dec. 144. n.21.* Marta *de juriſdict.2. p. caſu 20. n.18.* Belletus *diſquiſit. tit. de bonis Cleric. §.11. n.40.*

Eſt dubium, an Clericus teneatur ex redditibus, aut ex 8
aliis bonis alere filios ſpurios, ſi ipſi habent unde alimenta percipiant? Affirmarunt Gregor. *in l.10. tit.13.p.6.gloſſ.fin.* Covarruv. *de ſponſal.2. p.c.8.§.6.n.10.* nam hoc eſt debitum naturale, à quo patres non liberantur, etiamſi filii ſpurii habeant unde alimenta percipiant, Guttierrez verò *lib.2. Pract. c.110. n.4.* negat id in patribus, concedit tamen in matribus, quæ poſſunt filiis ſpuriis alimenta relinquere, etiamſi divites fuerint, *ex l.9. Tauri*; quia ad legandum filiis ſpuriis matres magis liberæ ſunt quàm patres.

Sed abſolutè dicendum, Clericos filiis ſpuriis non poſſe 9
alimenta relinquere, ſi ipſi divites fuerint, aut aliunde alimenta percipiant, ſicut & cæteros patres ſpurios, ut probat textus *in d.c. Cùm haberet*, ibi: *Tantum neceſſaria ſpuriis miniſtrari conceditur.* Unde conſtat tantùm ſpuriis alimenta eſſe præſtanda, quando ſunt neceſſaria ad eorum alimoniam: non verò ſi divites fuerint, aut aliunde ea habuerint; quia tunc neceſſaria non ſunt. Quod pondus fieri valet *in l.10. Tauri,l.8.tit.8.lib.5 Recopilat.* ubi ſolùm hæc alimenta conceduntur ſpuriis propter indigentiam, ne pereant. Deinde ſi hæc alimenta danda ſunt ex redditibus, majori ratione probatur, quia tunc non expenderentur ad uſus pios, ſed ad profanos, quod eſt interdictum. Et denique

nique cessat ratio naturalis debiti ex parte patris Clerici, quare nequit ex redditibus hæc alimenta præstare, nisi spurius pauper fuerit, & eis indigeat, Guttierrez *d.qu.*110.*n.*4. Tellus *in l.*10. *Tauri,n.*6. & 7. Molina *de Primogen. lib.*2. *c.*15. *n.*54. Barbosa *in d. c. Cùm haberet, n.*11. Castillo *lib.*8. *controv. cap.*66. *num.*48. Vasquez *dict. §.*7. *dub.*9. *num.*134. Delugo *dict. sect.*7. *num.*122. Azevedus *in dict. leg.*8. *tit.*8. *lib.*5. *num.*10.

10 Unde si filius spurius Clerici indigeat, poterit adversùs eum alimenta petere, & adversùs quemlibet habentem illius bona. Quare poterit exigere adversùs donatarium omnium bonorum, Tamburinus *Oper. Moral. lib.* 5. *in Decalog. cap.*3. *§.*1. *numer.*6. Quod idem est dicendum, si Clericus Religionem ingrediatur, & per professionem omnia sua bona ad Monasterium transferat; tunc enim adversùs Monasterium alimenta poterit petere, & præstare tenetur, Surdus *de Aliment. tit.*1. *q.*29. *per tot.* Lucidorus *de Illegit. Clericorum, c.*16. Paschalis *de virib. patriæ potest.*2. *p. c.*3. *n.*26. Sanchez *lib.*7. *Decalog. c.*10. *n.*8. Bossius *de Aliment. obligat. c.*7. *§.*26. *n.*403. Covarruv. *de sponsal.*2. *part. cap.*8. *§.*6. *num.*14.

11 Idem dicendum si bona Clerici, vel alterius patris spurii confiscentur: ratio est, nam fiscus in his bonis quasi hæres censetur, Surdus *de Aliment. tit.*8. *privil.*59. *n.*1. Merlinus *de legitima, lib.*3. *tit.* 1. *q.*28. *à n.*3. quamobrem tenetur ad debita delinquentis, utpotè onera illorum bonorum, & ita tenetur ad legitimas, & ad alimenta spuriorum, ut latè prosequuntur Pena *tom.*1. *decis.*419 Molina *de Primog. l.*2. *c.*15. *n.*16. & ibi Addent. Farinac. *in Repert. posthum. de contractibus, q* 47. Grotius *de jur. bell. lib.*3. *c.*7. §. 4. Bossius latissimè *d. c.*7. *à §.*29.

12 Quod dictum est de Clericis, idem est dicendum de Religiosis, si fortè habuerint aliquem filium spurium; nam illum alere tenentur ex peculio, si fortè ad usum licitum eis fuerit concessum, aut si aliquid lucrarentur legendo, concionando, scribendo, &c. nam hæc obligatio est naturalis, & causa pia, quare ad illam tenentur, Sanchez *lib.*4. *cons. c.*3. *dub.*7. Thomas Hurtado *var. resolut. tom.*2. *tract.*8. *c.*8. *resol.*917. Bossius *de Aliment c.*23. *n.*314. Quæ quidem obligatio ita est premens, ut si Prælatus ad id licentiam non dederit, occultè Religiosus valet hæc alimenta præstare, ut arguendo de alimentis parentum ad filios, tenet Iranzo *de Protest. c.*23. *à n.*62.

13 Est quæstio non prætereunda, an Clericus, seu alter pater spurius debeat dare hæc alimenta pauperi spurio secundùm naturam, aut secundùm statum? Prima sententia asserit, secundùm naturam tantùm esse danda: ducitur, nam textus *in d. cap. Cùm haberet*, tantùm decernit alimenta spuriis necessaria esse præstanda, quod quidem intelligendum de alimentis præcisis, & necessariis secundùm naturam, & exemplo confirmatur Philippi Secundi Hispaniarum Regis, qui cùm à Clerico quodam peteretur, ut filium spurium legitimaret in septingentis ducatis, responsum præbuit, ad spurium centum ducata sufficere; respexit enim Princeps ille tantùm ei deberi alimenta necessaria secundùm naturam. Ratione probatur, nam hæc obligatio alendi filios spurios procedit à jure naturali, & ab ejus ratione, ad quam nos impellit natura ipsa. Ergo sufficiet spuriis præstare alimenta secundùm naturam, non verò secundum statum, ut cum Palacios, & Baeza tenet Sanchez *consil. lib.*4. *c.*3. *dub.*34. *n.*1. Gamma *decis.*101. *n.*4. Barbosa *in l.*1. *ff. solut. matrim.*4. *p. num.*65. *vers. Sed quia*, Larrea *decis. Granat* 96. *n.*9.

14 Secunda sententia asserit, hæc alimenta spurii deberi secundùm statum, habita consideratione ad dignitatem patris, nobilitatem, & facultates, ita ut filius decenter sustentetur; nam ut jura interpretantur, hæc obligatio parentum alendi filios ex naturali ipsa ratione, non solùm intelligitur de necessariis secundùm naturam, sed secundùm statum, *l. Si quis à liberis* 5. *§. Sed si filius, ff. de lib. agnoscend. l. Sed si quid, §. Sufficienter, ff. de usufruct.* & aliis congestis à Larrea *d. decis.*96. *num.*6. Ergo debent præstari secundùm statum. Aliter verò si fieret, ignominia esset parentum, & in dedecus illorum cederet, dum filius nobilissimi Ecclesiastici, aut alterius Magnatis, tantùm præstitis necessariis, ut alii vilissimi homines tractaretur; quare sunt danda alimenta secundùm statum, Covarruv. *d. cap.*8. §. 6. *num.*7. Molina *de primog. lib.*2. *cap.*15. *n.*55. Methienzo *in l.*8. *tit.*8. *lib.*5. *glos.*1. *n.*10. Sanctarellus *var. lib.*1. *q.*31. *n.*19. Castillo *lib.*5. *controvers. cap.*62. *num.*97. Molina *de just. tract.*2. *disput.*168. *n.*8. Palao *Oper. Moral. tom.*1. *tract.*6. *disput.*2. *punct.*5. *nu.*9. Delbene *de Immunitat. cap.* 10. *dub.* 6. *sect.*5. *à num.*6.

Unde Doctores isti asserunt, attendendum statum, 15
non solùm ex parte patris, sed etiam filii, & mulieris, quam duxerit, & servitium necessarium; nec spurium cogendum mendicare, vel aliam artem exercere indecentem suæ personæ; aut suo labore vivere, si ei non deceat; nec etiam in Collegio orphanorum debet recludi, si id in dedecus illius verteretur, Sanchez *d. lib.*4. *c.*3. *dub.*34. *à n.*2. de Lugo *d. sect.*7. *n.*123. Vasquez *d. §.* 7. Diana 1. *p. tract.*2. *resolut.*85.

Hæc sententia in praxi recepta est, & quidquid sit de aliis 16
patribus sæcularibus spuriis, & de Ecclesiasticis hæc alimenta præstantibus, licèt illa dent secundùm statum; attamen quia excedere est magni scrupuli, & periculi, consideret pater, ut tractet filios suos spurios secundùm minores sumptus, quos fecerint pauperes illius status, ita ut si sint in illo statu personæ decenter viventes sine magnis sumptibus, & expensis, secundùm eas debet alimenta præstare, non prout divites illius status expendunt. Semper enim curandum, ut ex redditibus destinatis ad pia quominus expendatur cum spuriis, præcipuè cùm de jure sint odiosi, Pichardus *Institut. de hæredit. quæ ab intestat. defer. §.*7. *à num.*1. Joseph. Ludovisius *decis.*18. *num.*6. Larrea *decis.*96. *n.*8.

Sed quæ quantitas debeat expendi in his alimentis, de 17
jure communi incertum est, totum enim relinquendum est arbitrio boni viri, ut diligens paterfamilias, cujus nihil interest, quantitatem declaret secundùm statum spurii, *l. quod interest, ff. de oper. libert. l. Quod nisi* 10. *ff. eod. tit.* Spino *de testament. gloss.*16. *num.*102. De jure nostro Regio quintum bonorum designatum est, ita ut possit pater expendere pro alimentis spuriorum illum partem, *ex leg.*10. *Tauri, leg.*8. *tit.*8. *lib.*5. *Recopilat.* Quod quidem non solùm inter vivos facere valet pater spurius, sed etiam in ultima voluntate, ad quam partem suscipiendam lex ipsa spurios capaces facit.

Hæc Regia decisio ab aliquibus intelligitur, etiamsi 18
pater spurius filios legitimos non habuerit, ita ut ampliùs nequeat dare pro alimentis spurii: sed tamen in hoc casu non sunt intelligendæ leges illæ, sed quando pater habuerit alios filios legitimos, voluerunt tantùm leges Regiæ providere, quo minus legitimæ filiorum legitimorum detrimentum paterentur ex alimentis spuriorum, aut illegitimorum. Unde sunt intelligendæ, quando adsunt filii legitimi, quos etiam Clericus ex anteacto matrimonio valet habere, Spino *de testam. gloss.*15. *num.*122. Guttierrez *Pract. lib.*2. *quæst.*109. *nu.*2. *vers. Secundus casus*, Sanchez *cons. d. cap.*3. *dub.*33. *num.*4. Mathienzo *in l.*8. *tit.*8. *lib.*5. *gloss.*1. *num.*5.

Hinc discutiendum, an Clericus, vel alter pater spurius 19
possit totum quintum concedere filiis spuriis, etiamsi excedat alimenta eorum? Prima sententia affirmat; nam per has leges spurii capaces sunt recipiendi totum, & integrum quintum: tum & patribus conceditur facultas illud relinquendi. Ergo totum quintum poterit pater concedere filio spurio, etiamsi excedat alimenta, Covarruv. *d.*2. *p. c.*8. *§.*6. *n.*8. Boeza *de melior. filiab. cap.*8. *nu.*8. Vasquez *d. §.*9. *dub.*11. *n.*141. Valenzuela *cons.*12. *n.*26. dicit veriorem Spino *de testam. gloss.*16. *n.*104. Mathienzo *in d. leg.*8 *glos.*1. *n.*8.

Secunda sententia tenet contrarium, & asserit totum 20
quintum relinquere non posse patrem spurium. Ratio est, nam quintum relinquitur spurio ratione alimentorum, & non alia ex causa. Ergo nequit integrum relinqui, si alimenta excesserit. Cæterùm capacitas spurii non extenditur ultra alimenta sibi debita jure naturali, Mathienzo *in d. l.*8. *glos.*1. *n.*8. Menchaca *lib.*2. *de succes. creat. §.*20. *n.*1 & 310. Ergo totum quintum nequit à patre spurio relinqui, sed est reducendum solùm ad alimenta, Guttierrez *d. lib.*2. *q.*100. *n.*7. Capicius *decis.*191. *num.*1. Azevedus *in d. leg.*8. *tit.*8. *lib.*5. *num.*6. Mathienzo parum certus *d. glos.*1. *nu.*13. Sanchez *d. cap.*3. *dub.*32. *n.*2. Palao *de just. disp.*9. *punct.*7. *num.*8.

In hoc dubio animadvertendum, textum *in d. l.*10. *Tau-* 21
*ri, leg.*8. *tit.*8. *lib.*5. *Recopilat.* recipere interpretamenta. Nonnulli inquiunt leges illas dare omnimodam facultatem

spurio

ſpurio patri, ut poſſit concedere totum quintum, & ad illud feciſſe capaces ſpurios. Quod non ita abſolutè ſuſcipiunt alteri, ſed tantùm quando pater voluerit totum relinquere quintum, non verò quodad id cogi poſſit ab ſpuriis, quando alimenta exceſſerit; quia pater tantùm eſt obligatus ad alimenta, quibus conceſſis, nequit cogi ad totum quintum relinquendum, ut explicat Angulo *de meliorat. in l.12. gloſ.1. à n.31.*

22 Sed revera jura illa ſunt intelligenda in ſingulari ſpecie, nempè quando pater ſpurius, ſive ſit Clericus, ſive ſæcularis, habuerit alios filios legitimos, ut diximus ſuprà. Quo quidem caſu legitima eorum grave præjudicium perciperet, ſi alimenta ultra quintum excederent, idque potuit lex taxare; nam licèt alimenta neceſſaria, & ſecundùm naturam nequeat taxare, bene tamen quæ conceduntur ſecundùm ſtatum, D. Gonzalez *in d. cap. Cùm haberet, n.4. ad medium*. Verùm non eo animo, ut totum quintum concedere poſſet, ſi excederet alimenta ſecundùm ſtatum, ſed ne quando deficerent, excederet: quod eſt diverſum, ut ſtatim dicam; voluit enim lex legitimorum legitimis conſulere, non verò ſe extendere ad alios caſus.

23 Quapropter in noſtra ſpecie ſi Clericus, aut alter pater ſpurius filios legitimos non habuerit, ad hunc quintum non obligatur, ſed debet ſecundùm ſtatum dare alimenta filiis ſpuriis, ſive excedant, ſive non, Mathienzo *in d. leg.8. gloſ.1. num.8.* Valenzuela *conſ.10. num.24.* Si verò Clericus, aut alter pater ſpurius habuerit filios legitimos, ſi alimenta excedant quintum, ad illum reducentur, nec amplius poterit de jure Regio ſubſiſtere; mens enim legis fuit, ut quintum non excedant in damnum legitimarum, etiam ſi tantùm relinquantur neceſſaria alimenta ſecundùm naturam.

24 Ex his diſquirenda eſt alia quæſtio, an quando quintum non ſufficit ad alimenta ſpuriorum; poſſit pater ſpurius aliquid ultra quintum excedere ad filiorum Alimenta. Aliqui negarunt, quia ſic lex diſpoſuit. Tellus *in l.10. Tauri, n.3. & 4.* Rojas *de ſucceſſ. qu.21. à n.17.* Vaſquez *d.§.7. dub. 10. n.39.* Sed contrarium tenent alteri, Gregorius *in l.8. tit.13. p.6. gloſ. Meneſter*, Covarruv. *d.c.8. §.6. n.6.* Perez *in l.22. tit.3. lib.1. Ordinament. verſ. Verſatur etiam*, Garcia *de expenſ. c.3. num.28.*

25 In re tamen dicendum, quod ſi pater Clericus, aut alter non habeat filios legitimos, ſed tantùm ſpurios, poterit uſque ad quantitatem neceſſariam alimentorum excedere; quia nulla eſt legitima, cui præjudicium inferatur, Mathienzo *in d.leg.8. gloſſ.1. numer.6.* Angulo *in dict. leg. 13. de las mejoras, gloſſ.1. num.33.* Sanchez *d. cap.3. dub. 33. num.7.*

26 Si verò filios legitimos habuerit, diſtinguenda ſunt alimenta; nam ſi quintum excedant ad alimenta ſecundùm ſtatum, minimè exceſſus iſte eſt admittendus, ut ſunt jura expenſiſſima *in d.l.10. Tauri, & in d.l.8.* ibi: *Que per virde la tal obligation no pueda mandar lo mas de la quinta parte de ſus bienes, de loqual podia diſponer por ſu alma*. Si verò tantùm agatur de præſtandis alimentis filiis ſpuriis, ſecundùm naturam poterit pater Clericus, vel alius ſpurius excedere quintum; quia lex nequit taxare hæc alimenta, cùm ſint de jure naturæ, Baeza *de melior. filiab. c.8. à n 28.* Ergo tunc poterit pro relinquendis his alimentis, non obſtante lege, ex cede quintum, etiamſi habeat alios filios legitimos, Velaſquez *in l.10. Tauri, gloſ.2. n.10.* Molina *de primog. lib.2. c.15. à n.53.* Mathienzo *in d.l.8. gloſ.1. n.8.* Gutierrez *lib.2. pract. q.109. à n.3.* Angulo *in l.13. gloſ.1. n.33.* Sanchez *d.c.3. dub.33. n.8.* de Lugo *d. ſect.7. n.130.* Palao *d. diſp.9. punct. 7. num.9.*

27 Quid verò dicendum, ſi Pater Clericus, aut alter ſpurius, plus quàm quinque filios legitimos habuerit, an poſſit totum quintum filio ſpurio relinquere. Plures dicunt, integrum quintum relinquere non poſſe. Ratio eſt, nam tunc ſpurius perciperet majorem partem bonorum patris, quàm legitimi, quod inhoneſtum eſt, & indecens: quapropter totum quintum non poteſt relinquere ſpurio, ſed ad æqualitatem omnes ſunt reducendi, Tellus *in d. leg. 10. Tauri, num.3.* Garcia *de Expenſis, cap.3. n.9.* Molina *d. lib.2. cap.15. num.51.* Angulo *in leg.12. de meliorat. num. 28.* Vaſquez *d. §.7. nu.143.* Sed contrarium tenet de Lugo *d. ſect.7. num.132.* nam lex permittit totum & integrum quintum Patri expendere, prout ſibi placuerit, etiamſi plures, quàm quinque filios legitimos habuerit. Ergo etiam poterit relinquere filio ſpurio, cui majori vinculo ſanguinis unitur, quàm aliis extraneis.

Hæc difficultas dupliciter eſt concipienda. Primò, quando hæreditas eſſet ampla, ita ut omnes filii alimenta perciperent ſecundùm ſuam dignitatem, & ſtatum, ex legitimis ſibi competentibus; tunc enim integrum quintum ſpurius percipiet, etiamſi major pars ſit quàm legitimorum; quia nullum præjudicium eis infertur, & pater utitur jure ſuo quintum relinquendo. Ergo rectè ſpurius illud percipiet. Idque intelligendum ſi graviter non excedat alimenta ſpurii ſecundùm ſtatum; quia ex hoc capite reduceretur, nec integrum perciperet. 28

Secundò, ſi hæreditas ampla non eſt, verùm ex eo quod ſpurius integrum quintum percipiat, legitimi in alimentis neceſſariis ſecundùm ſtatum damnum percipiunt, tum integrè ſpurius quintum nequit percipere; quia ratio ipſa demonſtrat, in alimentis ſpurium non debere eſſe melioris conditionis, quàm legitimos, ut optimè conſiderat Molina *d.c.13. n.53. verſ. In ſecundo.* Quare ad æqualitatem ſunt reducendi, nec integrè ſpurius quintum percipere. Cæterùm quando urget neceſſitas legitimorum, tenuis eſt obligatio alendi ſpurios, Delugo *d. ſect.7. n.131.* idcircò integrum quintum non percipiet, cùm tanta non ſit obligatio patris, ſed ad æqualitatem ſufficiet reducere, & quod eandem fortunam ſequatur cum legitimis. 29

Unde in his terminis, quando legitimi integra alimenta non percipiunt ſecundùm ſuam decentiam, exiſtimo patrem liberè de quinto diſponere non poſſe, dando ſpuriis, ſeu extraneis. Idque benigna interpretatione noſtrarum legum; non enim leges noſtras à Principibus piiſſimis conditas credendum eſt voluiſſe patrem cum ſpuriis, & extraneis ſe liberalem gerere, relicta obligatione juſtitiæ ſolvendi legitimas filiorum, relinquendo integrum quintum; ſed omnia ad æqualitatem reducendo, ut ſupra diximus. 30

Hæc enim bona data ad alimenta filiis ſpuriis integro jure ad illos tranſeunt, ac de eis rectè diſponunt, tam in vita, quàm in morte, *d.l.10. Tauri, l.8. tit.8. lib.5. recopilat.* Unde aliqua exoriuntur dubia. Primum, an tranſmittantur ad hæredes, de quo ſuprà, *c.6. à n.32.* Covarruv. *2. p. de ſponſalib. c.8. §.6. n.15.* Tellus *in l.10. Tauri, n.5.* Spino *de teſtament. gloſſ.16. n.106.* Valenzuela *conſ.10. n.36.* Salgado *in Labyrinth.1. p. cap.24. n.75.* Boſſius *de Aliment. obligat. c.6. §.3. à num.234.* 31

Similiter ſecundò dubitatur, an pater in his bonis poſſit gravamen imponere, de quo *d. c.6. à n.45.* Illud verò prætermittendum non eſt, ut ſi pater Clericus, ſeu alter ſpurius alimenta ſpuriis reliquerit in quinto, & ſimiliter alia pia legata, ſi non ſufficiat, priùs deducenda ſunt alimenta; quia debita ſunt talia contra quæ nequit pater ſpurius aliquid quantumvis pium decernere, Gomez *in l.9. Tauri, n.41. in fin.* Vaſquez *d.§.7. dub.11. n.142.* Sanchez *d.c.3. dub.37. per tot.* 32

Cæterùm pater Clericus ex redditibus, vel ex patrimonialibus bonis poterit aliquid donare, vel legare; ut filius, aut filia religionem ingrediatur, Baldus *in l.1. C. de ſacroſ. Eccleſ. n.3. verſ. Iuxta hoc quæro.* Et rationem dat, nam ſicut per oblationem Curiæ filii legitimantur, *Auth. quibus mod. efficiantur ſui, §. Si quis igitur, collat.7.* ita per oblationem Monaſterio factam: quapropter poterit filio ſpurio, vel filiæ ad id aliquid donare, vel legare. Sed tamen ex alia ratione id melius ſuſtinetur, quia iſta eſt cauſa pia, ad quam Clericus, vel alter pater ſpurius interdictus non eſt donare, vel legare filiis ſpuriis, Hippolytus *ſingul.273.* Ciſuentes *in l.10. Tauri, n.15.* Aliquo enim modo inter vivos, aut in teſtamento poterit aliquid relinquere pro anima ſpurii, cùm ſit pium. Tum quia ſi pater ſpurius tenetur pro corpore alimenta præſtare ſpurio, multò magis pro anima, Benedictus *in c. Raynutius, verbo Et uxorem nomine, deciſ.4. n.125.* Duenas *regul.366. ampliat.6.* 33

Sed quid, an Clericus, vel alter pater ſpurius habens filios legitimos, poſſit ex eorum conſenſu aliquid ultra alimenta relinquere? Et affirmandum videtur; nam quando dat ex conſenſu filiorum, ab illis percipit ſpurius, non à patre. Ergo rectè ſuſtinebitur donatio, ſeu legatum. Sed tamen contrarium eſt tenendum, quia interdictum hoc, ne filii ſpurii à patribus percipiant, factum eſt in odium illorum, ut inde patrum incontinentia compeſceretur; quare licèt alii filii legitimi conſentiant, non fiunt capaces acquirendi bona patris. Cæterùm bona patris ſua 34

ſunt,

ſunt, donec vivit, nec in eis habent filii legitimi niſi ſpem ſuccedendi, *leg. In ſuis 11. ff. de liber. & poſt hum.* ubi Doctores. Quamobrem licèt legitimi conſentiant, donatio fit ex propriis bonis ipſius patris, quam nequeunt ſpurii recipere, Benedictus *d. deciſ. 5. num. 122.* Verùm id intelligendum vivo patre; mortuo tamen eo, & bonis ad filios tranſmiſſis, benè de jure communi poterunt legitimi quidquid voluerint dare fratribus ſpuriis, tanquam de patrimonio proprio. Quod excipiendum de jure Regio in filiis Clericorum, cùm interdictum ſit aliquid recipere à conſanguineis patris, Tellus *in d. l. 10. n. 8.* Mathienzo *in l. 9. tit. 8. lib. 5. gloſ. 1. n. 7.* Sanchez *d. c. 3. dub. 30. n. 3.* de Lugo *de Iuſtit. diſput. 24. ſect. 6. n. 110.*

35 Deinde Clericus, ſeu alter pater ſpurius, poteſt donare remuneratoriè filio ſuo ſpurio; quia hoc eſt debitum, nec continetur donatio iſta ſub interdicto donationes reſpuente, Sanchez *d. c. 3. dub. 38.* Sed eſt dubium, an titulo oneroſo poſſit Clericus aliquid filio ſuo ſpurio concedere? Negarunt aliqui *ex l. 1. C. de nat. liber. l. 10. tit. 13. p. 6.* ubi titulo emptionis prohibetur aliquid à patribus ſpuriis filiis concedere. Tum ratione probatur; nam ſi titulus iſte fuiſſet ſufficiens, ut Clerici, aut patres ſpurii alienarent bona ſua in ſpurios, aperiretur via ad fraudandam legem, falſis ſuppoſitis emptionibus, aut aliis titulis oneroſis. Ergo ex titulo emptionis, aut alterius tituli oneroſi nequeunt ſua bona ad filios ſuos ſpurios alienare, Duenas *regul. 366. ampliat. 11.* Rojas *de ſucceſſ. cap. 20. n. 59.* Plaza *de delict. lib. 1. cap. 41. num. 5.*

36 Sed contrarium tenent alteri *ex l. Qui teſtamentum 27. ff. de Probat.* ubi ſi pater confiteatur ſe debere aliquam quantitatem ſpurio, vel filio incapaci, non valet talis confeſſio, quia præſumitur ſimulata, niſi liquidò probaretur debitum, & cauſa per patrem confeſſa. Unde cognoſcitur, quod ſi titulus oneroſus adſit inter patrem, & filium ſpurium, rectè valeat. Idem probari poterit *ex l. Si ſervum meum 50. ff. de hæredib. inſtituend.* ubi venditio facta ei, qui inſtitui non poterat, ſuſtinetur. Et exemplo confirmatur, nam licèt inter virum, & uxorem non valeat donatio, attamen valet contractus oneroſus, *l. Si ſponſam 5. §. Circa venditionem, ff. de donat. inter, l. Si quis donationis 38. ff. de contrah. empt.* Quod idem dicendum eſt in ſpecie. Ratione corroboratur; nam prohibitio iſta tendit, ne ſpurius lucrum percipiat ex bonis patris, quod quidem ceſſat in contractibus oneroſis, in quibus res, aut pecunia traditur pro alia re. Ergo quoties adſit contractus oneroſus inter patrem, & filium ſpurium, validus erit, Gomez *in l. 9. Tauri, à n. 35.* Mathienzo *in l. 6. tit. 8. lib. 5. gloſſ. 7. n. 3.* Sanchez *d. c. 3. dub. 40. num. 2.* de Lugo *diſp. 24 ſect. 6. n. 113.*

37 In hoc dubio animadvertendum, jura adducta pro prima ſententia aſſumptum non probare; nam textus *in leg. 1. Cod. de natur. liber.* varia recipit interpretamenta. Nonnulli dixerunt, eam in ſpeciali caſu intelligendum, nempè quando Senatores, Præfecti, vel alii in dignitate conſtituti filios habuerint ex viliſſimis fœminis, prout ibidem annumerantur, & notat Tiraquellus *de Nobilit. cap. 19. num. 36.* Bertrandus *lib. 4. conſ. 395. num. 10.* quæ quidem deciſio ut exorbitans, nequit ad alios caſus extendi, Fachineus *controverſ. lib. 3. cap. 53.* Surdus *deciſ. 249. numer. 26.* Bocerus *diſput. univerſ. Iur. tom. 1. deciſ. 1. diſput. 6. nu. 13.* & alii recenſiti à Gomez *in dict. l. 9. nu. 35. verſ. Tertiò, ad fin.*

38 Sed ad alias perſonas extendendam, & hodie verificari in filiis ſpuriis, ſcripſit Petrus Barboſa *in l. 1. ff. ſolut. matrim. 4. part. num. 63.* & Auguſtinus Barboſa *in d. l. 1. nu. 3. in fin.* Idcircò admittenda interpretatio Antonii Gomez *in d. leg. 9. num. 35. verſ. Vel aliter*, ubi aſſerit textum illum non irritare contractus oneroſos celebratos inter patrem, & filium ſpurium; ſed tantùm illas venditiones, quæ fiunt in fraudem legis, ſcilicet quando pater emerit nomine filii, ut filio acquirat, aut per alias interpoſitas perſonas: Et ratio eſt, quia tunc licèt emptio ſit reſpectu vendentis, attamen reſpectu patris, & filii ſpurii eſt donatio, quæ de jure eſt interdicta, quare contractus ille oneroſus non ſuſtinetur. Tum quia eſt in fraudem perſonarum ab inteſtato venientium, vel illis deficientibus, in fraudem Fiſci: quapropter nequit ſuſtineri, ut latè probat Farinacius *de Falſitate, quæſt. 164. per tot.* Unde ſequitur, textum iſtum non probare primam ſententiam, prout textus *in l. 10. tit. 13. part. 6.* qui tantùm loquitur de donationibus factis inter patrem, & filium ſpurium; non verò de aliquibus contractibus oneroſis.

Hanc ob rem in hac difficultate dicendum, contractum 39
oneroſum inter patrem, & filium ſpurium, verum, & perfectum eſſe, & cum reali traditione pecuniæ, & rei; aut vera, & reali traditione rectè ſuſtineri, ut tenet ſecunda ſententia; & id quidem ſemper probandum, aliàs ſemper præſumitur fraudem interveniſſe. Ratio eſt, nam cùm pater interdictus ſit aliquid relinquere ultra alimenta filiis ſpuriis, niſi probetur titulus oneroſus cum reali, & vera traditione, ſemper fraus præſumitur *ex d. l. 1. Cod. de natur. liber.* Menocibus *lib. 4. præſumpt. 96 nu. 28.* Cæterùm fraudis præſumptio in iis contractibus exoritur ex conjunctione perſonæ, cui prohibitum eſt donare, Menoch. *lib. 3. præſumpt. 124. n. 6.* Peregr. *de jur. Fiſci, lib. 5. tit. 1. n. 159.* Farinac. *de falſitate, q. 164. n. 142.* Ergo ſi verè non probetur contractus oneroſus, & realiter interveniſſe traditionem, & numerationem pecuniæ, vel rei, ex fraudis præſumptione contractus erit nullus, Gomez *in d. l. 9. à n. 21.* Paleotus *de Noth. c. 44. à n. 3.* Surdus *de Aliment. tit. 1. q. 31. n. 33.* Spino *de teſtament. gloſſ. 16. in princip. n 48.* Petrus Gregorius *Syntagm. lib. 42. cap. 35. n. 11.* Mathienzo *in l. 6. tit. 8. lib. 5. Recopil. gloſſ. 5. num. 2.*

De jure tamen Regio eſt graviſſima difficultas, an con- 40
tractus oneroſus, veluti emptionis, inter patrem, & filium ſpurium ſuſtineatur? Prima ſententia aſſerit, nullum eſſe contractum oneroſum inter ipſos, *ex l. 6. tit. 8. l. 5. Recopilat.* ubi ſic decretum eſt: *Ordinamos y mandamos que los tales hujus de Clerigos no ayan, ni hæreden, ni puedan aver, ni heredar los bienes de ſus padres Clerigos, ni de otros parientes del padre; ni ayan, ni puedan gozar de qualquiera manda, ò donacion, ò vendida que les fue echa por los ſuſodichos, agora, ni de aqui adelante.* Quæ verba apertè improbant quamlibet venditionem, & conſequenter alium oneroſum contractum inter patrem ſpurium, & filium, prout decernunt in filio Clerici, etiamſi vera adſit numeratio, & rei traditio. Cæterùm probatur, nam lex Regia prorſus eliminare voluit omnes fraudes, quæ communiter occurrunt in ſimilibus alienationibus. Ergo voluit irritare contractus oneroſos inter patrem, & filium ſpurium, ne inde tantæ fraudes perpetrarentur, Gom. *in d. l. 9. Tauri, n. 36. ad fin.* Segura *in repet. ad text. in l. 3. §. fin. ff. de lib. & poſthum fol. 10. in princ.* Spino *de teſtam. gloſſ. 16. n. 55.*

Secunda ſententia aſſerit, etiam de jure Regio valere 41
inter eos contractum oneroſum, ſi verè non adſit fraus, & interveniat realis numeratio, & traditio: & probatur, nam jura Regia tantùm ſunt intelligenda in dubio, quando per probationem non appareret de ipſo contractu oneroſo, numeratione, & traditione; nam tunc præſumitur fraus, & conſequenter non ſuſtinebitur contractus; ſecus verò ſi de contrario conſtet per probationem, recipit enim tunc ſpurius, non ut filius, ſed ut extraneus, & neceſſariò de jure Regio erit validus contractus, Mathienzo *in d. l. 6. gloſ. 7. n. 14.* Azevedus *ibid. n. 17* Gregorius Lopez *in l. 10. tit. 13. p. 6. verbo La donacion.*

Tertia ſententia dicit, dictam legem *6. tit. 8. lib. 5. Recopil.* 42
eſſe intelligendam de filiis Clericorum, non verò de aliis filiis ſpuriis, ita ut nec per contractum oneroſum poſſint à Patribus aliquid accipere, nec à ſuis conſanguineis; idque in odium eorum, quia cùm Sacerdotes puriores eſſe debeant, & ſanctiores, *c. Tales, diſt 23. c. Omnia Sacramenta 78. c. Per Iſaiam 98. 1. q. 1.* & in eis quælibet incontinentia execrabilior ſit, ut *per tot. tit. de cohabit. Clericor. can 24. & 25. Apoſtol. c. Preſbyter 8 diſt. 27. c. 2. c. Presbyter 8. diſt. 28. c. ult. 81. diſt. c. Si quis 6. 27 q. 1.* Concilium Illiberit. *can. 3. & 18.* Vormatienſe *can. 11.* Illerdenſe *can. 5.* Aurelianenſe III. *can. 4.* Claudius Eſpenceus *lib 6. de contin. c. 19* Mendoza *ad Concil. Illiberit. cap. 19.* Pontius *de matrim. lib. 7. c. 33.* Barboſa *de univerſ. lib. 1. c. 40. n. 43.* quamobrem non ſolùm de jure Regio eorum filiis interdicitur aliquid à Patribus accipere titulo lucrativo, verùm etiam titulo oneroſo, quòd cùm ſpeciale ſit, nequit ad alios ſpurios trahi, ut legem illam intelligunt Mathienzo, & Azevedus relati *num. antecedenti.*

In hoc dubio obſervandum, dictam legem 6. ibi: *O ven-* 43
dida, non clarè oſtendere ſuam eſſe mentem, ut emptio facta à Clerico ſuo filio ſpurio irrita ſit, ſi abſque fraude, & cum reali numeratione, & traditione fiat; nam verbum illud, *ò vendida*, poteſt intelligi de venditione ſimulata,

prout

prout de ea loquitur textus *in l. 1. C. de nat. liber.* quare non inde ſequitur neceſſariò, veram venditionem inter Clericum, & filium, cum numeratione pecuniæ, & rei traditione, eſſe nullam. Unde textus ille interpretatur ita, ut ſenſus ſit, Filius Clerici nequit à patre capere, nec per donationem, nec per venditionem ſimulatam, quod quidem juri conſonum eſt, & menti legislatoris conforme, & neceſſariò admittendum; nam verba legis non ſunt capienda ut ſonant, ſed ſecundùm mentem, & intentionem proferentis, *l. 3. §. Si quis hoc interdictum, ff. de itiner. actuque privat. l. Scire oportet, §. Aliud, ff. de excuſat tut. c. Intelligentia 6. de verbor. ſignificat.* Navarrus *in Man. c. 23. nu. 38.* Molino *de rit nupt. lib. 3. quæſt. 83. n. 50.* Gonzal. *ad Regul. 8. gloſſ. 48. n. 55.*

44 Hoc ergo ſuppoſito, dico filium ſpurium ementem à patre Clerico, ſeu ſæculari aliquam rem abſque, fraude, cum reali numeratione, & traditione, in foro conſcientiæ eſſe tutum; nam leges contrarium interdicentes præſumptione fraudis nituntur, qua deficiente in conſcientia ementes, & vendentes ſecuri redduntur, ut valdè probabiliter tenent Valerus *in different. utriuſque for. verbo Lex, different. 12. n. 1.* Layman *in Summa, lib. 1. tract. 4. cap. 21. n. 4.* Fernandez *in Examin. Theolog. Mor. 2. p. c. 4. §. 3. n. 4.* Abbas *in c. Quia plerique, de immunit. Eccleſ. n. 18* Covarr. *in c. Cùm eſſes, de teſtament. num. 9.* Gomez *in leg. 1. Tauri, n. 3.* Diana *1. part. tract. 10. reſolution. 27.* Unde Clericus, vel alter pater ſpurius, & eorum filii ſecuri erunt in conſcientia, ſi abſque fraude in his emptionibus, aut contractibus oneroſis procedant.

45 In externo autem foro aliqui dicunt talem emptionem irritam eſſe, ut latè demonſtrat Azevedus *in d. l. 6. à n. 17.* Sed tamen tenendum eſt contrarium, dum tamen conſtet, abſque fraude ulla factam fuiſſe emptionem, vel alium contractum oneroſum, cum reali traditione, & numeratione; nam leges Regiæ recipiunt interpretamentum, de quo *ſuprà, n. 43.* quare non irritant emptiones, aut alios contractus oneroſos inter Clericum, & filios; unde ſi conſtet fraudem ceſſaſſe, nec in contractu interveniſſe, ſemper ſuſtinebitur.

46 Ad hanc tamen probationem liquidò teſtes deponere debent, ut ſcripſit Gomez *in l. 9. Tauri, n. 36.* Nec enim ſufficiet confeſſio ipſius patris; nam quoties adeſt ſuſpicio fraudis, patris confeſſio non probat, quia non elidit ſuſpicionem, *l. Ab Anaſtaſio 23. l. Per diverſas 22. C. Mandat.* Avendanus *de exeq. 2. p. c. 29 n. 12.* Ludoviſius *deciſ. 66 n. 1.* Noguerol *allegat. 40. n. 9.* Salgado *in Labyrinth. 3. p. c. 13. à num 21.* Itaque cùm in præſentia ſit ſuſpicio fraudis, confeſſio patris Clerici non relevat, ut in terminis tenet Gomez *in l. 9. Tauri, num. 36.* Mathienzo *in d. l. 6. gloſ. 7. à num. 7.* Azevedus *d. n. 17.* Limitant tamen, ſi ſimul cum Patris confeſſione aliqua indicia concurrant, vel ſemiplena probatio unius teſtis; quia purgatur ſuſpicio fraudis, Ludoviſius *d. deciſ 66. n. 22.* Noguerol *allegat. 32. à n. 23.* Caſtillo *lib. 5. controv. c. 11. à n. 10.*

CAPUT XII.

Proſequitur materia antecedens de diſpoſitione in ultimis voluntatibus facta à Clericis, vel ab aliis patribus ſpuriis.

SUMMARIUM.

Clerici nequeunt filiis ſuis ſpuriis aliquid relinquere per inſtitutionem, legatum, aut per aliam ultimam voluntatem, numer. 1. & 2. Non ſolùm ex bonis reddituum. ſed nec ex patrimonialibus, vel quaſi, nec ab inteſtato, num. 3.

Si palam filius Clerici à patre inſtituitur hæres, hæreditas ad cohæredem, vel ad conſanguineos ab inteſtato defertur, n. 4. Si tamen hæreditas ſpurio per tacitum fideicommiſſum relinquatur, ad Fiſcum pertinet, n. 5.

Si hæres accommodans fidem eſt Eccleſiaſticus, ad Fiſcum Eccleſiaſticum pertinet, ſi ſæcularis, ad ſæcularem, num. 6.

Clericus nequit filio ſpurio relinquere hæreditatem per ſubſtitutionem vulgarem, nec per tacitam vulgarem contentam in pupillari, n. 7.

Clericus, vel alter pater ſpurius inſtituendo filium legitimum impuberem, an poſſit ſubſtinere filium ſpurium? Si filius legitimus habuerit propria bona, poterit in his ſubſtituere pupillariter, n. 8.

Sed intrat difficultas, an valida ſit ſubſtitutio iſta pupillaris in bonis, quæ à patre percipit legitimus? Prima ſententia negat, n. 9. Secunda affirmat, n. 10.

In hoc dubio in primis explicatur textus in l. Si quis 6. ff. de vulgar. à n. 11. uſque ad 13. Vbi diſtinguitur, quando ſubſtituitur ſpurius in bonis legitimæ, aut in aliis relictis ex liberalitate patris.

In bonis legitimæ aliqui dicunt, ſpurium pupillariter ſubſtitui poſſe, ſed reiiciuntur, n. 14. Obiicitur, & explicatur textus in l. cohæredi 41. §. Cùm filiæ, ff. de vulgar. n. 15. Reſpondetur contrariis, n. 16.

Spurius nec mediatè, nec immediatè poteſt à patre capere, n. 17. In vita Patris non eſt filius dominus legitimæ, n. 28. Explicatur textus in l. Ita fidei 40. §. Patronus, ff. de jur. Fiſci, n. 19. & 20.

In aliis bonis relictis à Patre filio legitimo, Coſta aſſerit, rectè ſpurium pupillariter ſubſtitui, ſed non admittitur, num. 21.

De jure Regio in meliorationibus de tertio, & quinto, an poſſit pater ſubſtituere ſpurium? Reſpondetur negativè, n. 22. & quid in filiis Clericorum, dato quod poſſet? Negatur de jure noſtro Regio, n 23.

Filius Clerici nequit hæreditatem capere per patris fideicommiſſum, n. 24.

An hæres rogatus reſtituere hæreditatem ſpurio, poſſit eam retinere in conſcientia. Prima ſententia negat, ſed in conſcientia reſtituendam eſſe ſpurio, n. 29 Secunda aſſerit, nec hæredem, nec ſpurium eam retinere poſſe, ſed Fiſco reſtituendam eſſe, n. 26 Tertia affirmat, in conſcientia rectè poſſe hæredem illam retinere, n. 27. Quarta dicit, reſtituendam eſſe hæredibus ab inteſtato, n. 28.

In hoc dubio hæres inſtitutus, ſi minimè fidem accommodaverit, rectè valet ſpurio reſtituere, nu. 29. Non admittitur Richardus, nu. 30. Si verò fidem dederit, tenetur reſtituere hæredibus ab inteſtato. Explicatur textus in leg. Prædonis 46. ff. de hæredit. petit. à n. 31. uſque ad 34. Exprimitur textus in l. Cùm quis 18. ff. de his quibus ut indign. n. 35 & latè defenditur, reſtitutionem in conſcientia faciendam eſſe hæredibus ab inteſtato, à n. 36. uſque ad 39.

In foro exteriori, ſi hæreditas non applicatur fiſco, quando adeſt tacitum fideicommiſſum, perveniet ad hæredes ab inteſtato, n. 39.

Quibus modis probatum tacitum fideicommiſſum - n. 40. Et an hæres tacitè fidem accommodans, & ſpurius, ſi apertè interrogentur à judice, teneantur reſpondere? Aliqui affirmant, n. 41. Sed explicantur, n. 42.

An tacitum fideicommiſſum ſufficiat probare præſumptionibus? Prima ſententia affirmat, n. 43 Secunda dicit manifeſtiſſimis probationibus debere probari, num. 54. Explicatur textus in l. Non intelligitur 3. §. 3. ff. de jur. Fiſci, n. 45.

Referuntur præſumptiones taciti fideicommiſſi, n. 46.

Delicta probantur non ſolùm teſtibus, & inſtrumentis, ſed per conjecturas, & præſumptiones, n. 47. Ex ſola probatione taciti fideicommiſſi per conjecturas hæreditas non applicatur Fiſco, n. 48. & 49.

Clericus, ſe alter pater ſpurius poteſt relinquere hæreditatem, ſeu legatum ſpurio, ſub conditione, ſi à Principe legitimetur, n. 50 Sed negat Baldus. Explicatur lex Si alienum 49. §. In extraneis, ff. de hæredibus inſtituend. num. 51. Reſolvitur contra Baldum, num. 52.

An filius Clerici, vel alterius patris ſpurii, interim quod legitimatur, poſſit petere bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas. Prima ſententia affirmat, n. 53. Secunda negat, n 54. Defenditur prima, n. 55.

Clericus, vel alter pater ſpurius benè relinquit hæreditatem uxori filii ſui, vel marito filiæ ſpuriæ, num. 56. Aliqui tenent contrarium, nu. 57. Non admittuntur, ſed defenditur prima ſententia, num. 58. & 59. Limita, niſi id fraude fieret, num. 60. Non admittitur Pichardus, n. 61.

Clericus, ſeu pater ſpurius valet ex ſpurio nepotem inſtituere, nu. 62. Explicatur, num. 64. Limitant aliqui, ſi uſus-

usus fructus hæreditatis lucretur à patre spurio, nu.65. Sed respondetur, num.66. De jure Regio pater spurius non percipiet usumfructum, si avus fuerit Clericus, numer.67.

Explicatur constitutio S. Pii Quinti, num.68. Si duo Clerici paciscantur, ut unus alterius filium hæredem instituat, & contrà, non valent institutiones, num.69. Possunt tamen Clerici spuriis in testamentis alimenta præbere, ibid.

1 CUm jam dixerimus de his quæ possunt fieri à Clericis circa suos filios, sive inter vivos, sive per donationes, sive per contractum; transeamus nunc ad alias dispositiones, quæ possunt fieri à Clericis de ultima voluntate circa eosdem filios. Sermo enim erit de his Provinciis, ubi de redditibus testantur, aut quando de patrimonialibus, vel quasi testamenta condunt. Illa est conclusio, minimè posse Clericos, vel patres spurios aliquid ultra alimenta relinquere, sive per institutionem, legatum, seu fideicommissum, vel donationem causa mortis, *l.1. Auth. Licèt, Cod. de natur. liber. l. Si quis incesti 6. Cod. de incest. nupt. leg. 10. tit.13 part.6. leg.10. Tauri, leg.6. tit.8. l.5. Recopilat.* quod non solùm jura ista Regia decernunt in patribus Clericis, sed etiam in consanguineis ex parte patris: rationem decidendi præstitit Concilium Tolet. X. apud Gratianum *in c. Cùm multæ 3.15. quæst.8.* nempè ut Clerici corripiantur, & ne ad illecebras carnis perveniant, quando non solùm in persona eorum puniuntur, verùm & jus ultionem ex eorum prole suscipit, decernendo ne sui filii spurii aliquid ex sua hæreditate percipiant. Idque eo tempore ita execrabilius visum est, ut filii Clericorum servituti Ecclesiæ manciparentur ex decreto illius Concilii. Quod noster Alfonsus expressius constituit *in l.12. tit.6 part.1.* quando Clericus matrimonium contraxit cum muliere conscia esse Clericum, de quo Joan: Faber *in §. Servitus, Instit. de jur. person. num.5.* Navarrus *in cap. Ita quorundam, de Iudæis, not.11. glos. penult. n.17.* Azorius *Instit. Moral.2. par. lib.2. cap 6. q.5.* Pichardus *in rub. Instit. de hæredib. quæ ab intest. deferuntur à num.5.*

2 Cæterùm, nam si Clerici filios suos successores haberent, avidiores fierent ad coacervandas pecunias, & bona temporalia: quare multis negotiis sese implicarent, contra mandatum Apostoli 1. *ad Corinth. cap.2.* dicentis: *Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus.* Unde à sacris avocarentur, & redderentur viles, ut expendit D. Gregorius *in cap. Perlatum 4. dist.88.* idcircò eis interdictum est, ne aliquid suis filiis in testamento relinquant, nec per hæredis institutionem, legatum, aut alium modum, *leg.3. tit.21. part.4.* Crassus *de succes. ab intestat. quæst.20.* Spino *in specul. testament. gloss.16. à num.9.* Covarruv. *de sponsalibus 2. part. cap.8. §.5. num.3.* Mathienzo *in l.6. tit.8. lib.5. glos.3. num.3.* Larrea *decis. Granat.96. n.1.* Sanchez *cons. lib.4. cap.3. dub.19.* Villalobos *in Summa, 2. part. tract.30. difficult.13. à n.29.* Garcia *in Summa, tract. 1. diffic. 4. dub.3. n.14.*

3 Quod non solùm intelligas in bonis ex redditibus acquisitis, sed etiam de patrimonialibus, vel quasi; in nullis enim bonis filius spurius Clerici valet patri succedere. Ratio est, nam in dictis juribus absolutè interdictum est ne patribus in quibuscumque bonis succedant. Ergo non solùm intelligendum est illud interdictum de bonis ex redditibus acquisitis, sed de patrimonialibus, vel quasi; & non solùm ex testamento, sed etiam ab intestato, *Auth. Licèt, C. de natur. lib.* Clarius *verbo Testamentum, q.31 n.2.* Covarr. *d. §.5. n.5.* Lessius *de Iust. lib.2. c.19. dub.6. n.58.* Villalobos *d. difficult.50 n.15.* Unde filii isti nequeunt impugnare testamentum parentum, nec legitimam intendere, ut cum Vasquez docet Bellet. *disquisit. clerical. tit. de bonis Clericor. §.13. num.5.* R. Moya *2. part. Select. tract.3. quæst.2. §.2. num.12.*

4 Verùm si pater Clericus, aut alter spurius hæreditatem, legatum, aut donationem causa mortis reliquerit palam & expressè, validum non erit, ob juris interdictum; sed si alterum cohæredem instituat, illi accrescit, ut per Bart. & Salicetum *in l.1. C. de natur. liber.* Spino *d. gloss.16. n.56.* Cancerius *var.3. p.c.22. à n.125.* Si tamen filius Clerici, aut alterius patris spurii cohæredem non habeat, ad proximos consanguineos ab intestato venientes hæreditas defertur, nec Fiscos vindicabit, nisi intra duos mtenses, si consanguinei nec petierint, nec reclamaverint. Ratio est, quia in ista specie hæreditas, seu legatum aufertur spurio, tanquam incapaci, non verò tanquam indigno: quamobrem vel ad alium cohæredem hæreditas, seu legatum pertinebit, aut illo deficiente, ad consanguineos ab intestato, non verò ad Fiscum, *l.1. de natur. liber. l.10. tit.13. par.6.* Gomez *in l.9. Tauri, nu.33.* Clarus *d. quæst.31. n.3.* Azevedus *in l.6. tit.8. lib.5. Recopilat. num.5.* Covarruv. *dict. §.5. num.10.* Farinacius *in fragment. criminal. lit. F, num.97.* Vasquez *in opusc. de testam. cap. 5. §.7. dub.4.* Larrea *decis.96. numer.10.*

Si verò pater Clericus, aut alius pater spurius filium non 5
palam hæredem instituat, sed tacitè hæres alter scriptus fidem eis accommodaverit, ut hæreditatem filio restituat, aut legatum, tunc Fiscus illa percipiet, non verò alter cohæres, aut succedentes ab intestato; quia capitur hæreditas, aut legatum ab hærede tacitè fidem accommodante, utpotè ab indigno: quare cæteris exclusis, ad Fiscum pertinet, *l.1. leg. Non intelligitur 3. l. Edicto 13. ff. de jure Fisci, l.13. tit.7. par. 6.* Clarus *d. q.31. n.3. & lib.5. §. fin. qu.79. n.7.* Gomez *var. tom.1. c.10. n.30. vers. Tertio in foro,* Farinacius *d. lit. F, n. 75.* Manlius *de Fideicomm. tit.5. n.2.* Antunez *de donat.3. part. cap.36. num.1. & 2.*

Dubitari tamen poterit, cui Fisco in hoc casu sint bona 6
applicanda, an Ecclesiæ, vel Principis sæcularis; Sed jam res expedita est, quod si hæres fuerit Ecclesiasticus, pertineant ad Fiscum Ecclesiæ; si verò sæcularis, ad Principem sæcularem, ob eandem rationem, Diez *in praxi, cap.64. num.4* Covarruv. *dict. §.5. num.5.* Vasquez *d. cap 5. §.7. dub. 5.* Sanchez *dict. cap.3. dub.22.* Antunez *de donat.3. part. cap. 36. num.10.*

Hoc interdictum non solùm intelligas in institutione, 7
sed in substitutione vulgari, scilicet quando Clèricus, vel alius pater spurius substituat vulgariter filium spurium; nam substitutio est propriè institutio, *princip. instit. de vulgar substitut.* & filius succedit immediatè patri substituenti. Ergo filius nequit à patre Clerico, seu alio spurio institui. Quod idem est dicendum de substitututione tacita vulgari, contenta in pupillari, ob eandem rationem, Mathienzo *in d.l.6. glos.3. n.5. & 6.* Covarruv. *d. §. 5 n.4.* Plaza *de delict. lib.1. c.41. n.13.* de Lugo *de just. disput.24. sect.6. n.93.* Sanchez *d. cap.3. dub.24. n.2.* Garcia *in Summa, tract.1. diffic.4. dub.3. num.21.*

Sed quid dicendum de pupillari substitutione, puta si 8
Clericus, vel alius pater spurius habeat filium legitimum, eique pupillariter substituat filium spurium, si intra pupillarem ætatem decedat, an tunc substitutio valida sit? Qua in re, ut clarè procedamus, animadverto filium legitimum posse habere bona quæsita aliunde, quàm à patre, & in his per substitutionem spurius rectè succedit, ut est textus clarus *in leg. Si is qui 6. ff. de vulgar. & pupill. substit.* Ratio est, nam hæc bona non sunt ipsius patris, sed filii legitimi, in quibus licèt spurius succedat per ordinationem, aut dispositionem patris, res suas non capit. Ergo rectè in eis succedit per substitutionem pupillarem. Cæterùm sic succedere non est succedere in bonis patris, sed filiis legitimi, ut dictum est. Sed talis successio non est à jure interdicta. Ergo rectè in his bonis succedet per pupillarem substitutionem, Duenas *regul.366. limit.2. n.12.* Gomez *in leg.9. Tauri, n.20.* Rojas *de succes. c.20. à n.50.* Pinellus *in l.3. C. de bon. matern. n.21.* Mieres *de majorat.2. part. q.2. n.8.* Mathienzo *in d. l.6. glos.3. n.5.* Manlius *d. tit.5. n.6.* Sanchez *d. dub 24. num.8.*

Erit ergo dubium in his bonis, quæ à patre legitimus fi- 9
lius perceperit: & in hoc casu prima sententia asserit, minimè spurium aliquid percipere valere per pupillarem substitutionem: ut eleganter distinguit Consultus *in d. l. Si is qui*, ibi: *Vt ex bonis quæ testatoris fuerant, amplius capere non possit. Quod si pupillo aliquid prætereà acquisitum esset, non impediri eum capere, quasi à pupillo capiat.* Deinde probatur ratione, nam cùm spurii interdicti sint capere à bonis patris, similiter est interdictum, ut capiant per pupillarem substitutionem, ne alio modo aperiretur via ad capiendum ex bonis patris, quando jus tam enixè id prohibet, ut nec mediatè, nec immediatè spurius sua bona percipiat, *leg. Quod conditioni 4. Cod. de donat. caus. mort. l. Hac edictali 6. circa medium, Cod. de secund. nupt. leg. Nec per se 10. Cod. de hæred. instit.* Ergo in his bonis à patre provenientibus, nequit spurius aliquid per pupillarem substitutionem acquirere,

rere, Bart. *in d. l. Si is qui*, *num.*12. Jason *ibid. nu.*1. & 8. Duenas *d. reg.*366. *ampliat.*13. Benedictus *in c. Raynutius*, *verbo Et uxorem nomine*, *decis.*5. *num.*128. Gomez *in d.leg.* 9. *n.*20. Menchaca *Illustr. lib.*3. *cap.*102. *n.*9. Guttierrez *Pract. lib.*3. *q.*56. *per tot.*

10 Secunda sententia tenet contrarium, scilicet posse spurium succedere filio legitimo per pupillarem substitutionem, etiam in bonis à patre acquisitis. Ducitur, nam postquam pater decessit; non solùm bona à filio legitimo aliunde acquisita sunt propria, sed etiam à suo patre provenientia, *l. Cohæredi* 41. §. *Quod si hæredem*, *vers. Nec fideicommisso*, *ff. de vulgar. & pupill. substitut. Auth. de hæredibus*, *& Falcidia*, §. *Si quis verò*, *collat.*1. ubi Glossa: quapropter per pupillarem substitutionem non capit à patre, sed à fratre, cujus sunt propria bona. Ergo rectè per pupillarem substitutionem spurius succedit etiam in bonis patris. Cæterùm substitutio pupillaris sortitur effectum post mortem patris. Ergo nunquam succedit patri, sed fratri. Nec obstat succedere per dispositionem patris; nam dispositio illa fit nomine filii, quasi ipse testaretur: Ergo nullum est impedimentum, ut spurius hæc bona capiat per pupillarem substitutionem, Acosta *in c. Si pater*, *de testam. in* 6. 1. *part.* §. *Bona omnia*, *à n.*7. *usque ad* 13. Spino *in specul. testament. glos.*16. *à n.*36. de Lugo *de Iust. disp.*24. *sect.*6. *n.*98. dicit probabile Sanchez *d. cap.*3. *dub.*25. *in fin.*

11 In hoc dubio præmittendum, textum dantem ansam huic disputationi *in l. Si is qui* 6. *ff. de vulgar.* assumptum non probare efficaciter; recipit enim duo interpretamenta. Primum quando affert illam distinctionem de bonis aliunde acquisitis, quàm à patre, quod spurius succedat per pupillarem substitutionem, non est sententia Terentii illius legis authoris, sed Juliani, quam Terentius refert, nec illam distinctionem approbat, nec reprobat, ut animadvertit de Lugo *d.n.*98. *in fin.* Quin potiùs si attentè legatur textus ille, in principio contrarium decidit Terentius, unde ad rem efficaciter non probat.

12 Secundum interpretamentum præstitit Acosta ubi suprà relatus, *n.*10. dicens, quod tempore Jurisconsultorum nondum legitima existimabatur ut patrimonium, & bona filiorum, quin potiùs in ea poterant patres gravamen imponere, sive legati, sive fideicommissi, usque ad tempora Justiniani *in l. Quoniam in prioribus* 32. *C. de inoffic. testam.* quo tempore similis potestas ablata, & legitima filiorum quasi propria bona illorum relicta est: quapropter distinctio illa potuit valere tempore Jurisconsultorum, non verò post constitutionem Justiniani. Deinde, nam hodie legitima filiorum non consideratur ut proveniens à dispositione patris, sed tanquam debitum legale. Ergo in his bonis post Justinianum rectè spurius succedet per substitutionem pupillarem, relicta distinctione illius legis.

13 Quare ex decisione illius legis nulla resolutio certa capi valet, sed ad alia juris fundamenta est recurrendum. Idcircò distinctio facienda est, quando pater solùm legitimam suo filio reliquerit, aut quando ultra partem de jure assignatam, alia bona reliquerit ex sua liberalitate.

14 Quoad primum, in bonis legitimæ Doctores secundæ sententiæ admittunt spurium per substitutionem pupillarem ad successionem: sed in re admitto primam, quam etiam tenent Molina *de just. tract.*2. *disput.*167. *n.*16. Vasquez *in opusc. de testament. cap.*5. §.7. *dub.*6. *à n.*121. Ratio est, nam substitutio pupillaris licèt sortiatur effectum post mortem patris, attamen tota illa pendet à dispositione illius, considerato tempore, quo illam disposuit, & potiùs videtur capere substitutum à patre, quàm à pupillo decedente. Et probatur, nam ex eo potissimè substitit de jure substitutio pupillaris, quia filius in potestate patris constitutus, una, & eadem persona censetur cum patre, *l. fi. C. de impub.* unum patrimonium, & una & eadem familia, *l Pronuntiatio* 195. §. *Familiæ*, *ff. de verb. signific.* una, & eadem vox, §. *Ei verò*, *Inst. de inutil. stipul. l.*3. *ff. de jur. & fact. ignor. l. Cùm simus*, *an fin. de Agricol. & censit.* & consequenter unum, & idem testamentum, §. *Igitur*, *S. Liberis Inst. de pupill. subst. l. Patris & fili* 20. *ff. de vulgar.* unde colligunt DD. patrem non tam filio, quàm sibi dare substitutum, quando pupillariter substituit; & non tam alienam, quàm propriam familiam, & substantiam sic substituendo relinquere, ut explicant Ripa *in l.*2. *ff. de vulgat.* Alciatus *in rub. de vulgari*, *n.*11. Viglius *in rub. Inst. de pupillat. substit. nu.*4. Pichardus *ibid. à num.*13. Spino *de testament. glos.*23. *num.*4. Fusarius *de substit.* 1. *part. quæst.*88. quapropter cùm tota substantia pupillaris substitutionis pendeat à patris dispositione, potiùs à patre capere videtur filius spurius, quàm à fratre legitimo hærede instituto. Unde nequit in bonis patris spurius aliquid acquirere per pupillarem substitutionem. Comprobatur, nam in pupillari substitutione, ne filius absque hærede decedat, tempus dispositionis patris principaliter est inspiciendum, de quo bona erant sua, ut disponat de propriis, ut benè notat Pichardus *in princip. Inst. de pupill. substit. num.*17 aliàs si prospiceretur tantùm tempus mortis pupilli, non disponeret de propriis, sed de alienis, de quibus testari non poterat, *l. Verbis legis* 120. *ff. de verbb. significat. l. Conficiuntur* 8. §. *Si post factum*, *ff. de jur. codicill. Auth. Ingressi*, *Cod. de sacrof. Ecclesiis*, *cap. Placuit* 13. *quæst.*2. Cùm ergo mortuo pupillo solùm inspiciendum sit tempus dispositionis patris, perinde est, ac si substitutus spurius ab ipso patre caperet bona sua, quod est jure interdictum. Ergo minimè poterit aliquid recipere per pupillarem substitutionem, ex bonis quæ pupillus acquisivit à patre.

Sed dices, substitutum pupillarem non capere à patre, 15
sed à filio, eique præcisè succedere, *l. Cohæredi* 42. §. *Cùm filiæ*, *ff. de vulg. substitut.* plures quos sequitur Fusarius *d. quæst.*88. *num.*5. Ergo non benè dicimus, capere à patre. Sed textus *in d.* §. *Cùm filiæ*, assumptum non probat; nam Consultus agit, quando debeat esse impubes filius in patria potestate ad valorem pupillaris substitutionis? Et inquit debere puberem esse tempore facti testamenti, & tempore mortis, prout exemplis exornat Spino *de testament. glos.* 23. *num.*6. Trentacinquius *de substit.*2. *part. cap.*9. Deinde progreditur, & differit, à quo restituenda sit hæreditas, quando substitutus pupillaris rogatus est illam alteri restituere, si irrita fiat substitutio, quia filius ante mortem patris à patria potestate exierit? Et inquit tunc legitimum hæredem eam capere, cum obligatione tamen restituendi, deducta Trebellianica. Unde ex hoc textu non probatur, substitutum pupillarem succedere, & capere à pupillo, cùm non agatur de successione illius, sed de legitimo hærede, quia substitutio pupillaris cassa relicta fuit.

Nec doctrina Doctorum, quos sequitur Fusarius, ali- 16
quid contra nos probat; nam respondetur, capere substitutum pupillarem à pupillo materialiter, quatenus ex eo transit hæreditas ad substitutum, concedo; formaliter, nego. Nam capit à dispositione patris illum pupillariter substituentis, & in bonis propriis, quatenus lex respicit tempus dispositionis, & mortem patris; quo quidem tempore relicta est perfecta pupillaris substitutio, Spino *d. glos.*23. *n.* 16. *in fin.* Unde filius spurius per hanc substitutionem nequit aliquid percipere ex bonis, quæ per patrem ad filium impuberem perveneruut.

Rursus probatur hæc sententia, nam interdictum hoc, 17
ne spurius capiat ex bonis patris, non solùm intelligitur immediatè, sed etiam mediatè, ut ex aliquibus juribus probat Guttierrez *lib.*3. *Pract. q.*56. *à n.*24. Molina *de Primogeniis*, *lib.*2. *c.*11. *n.*29. Quando enim capit per substitutionem pupillarem, capit mediatè per filium institutum; attamen tota ratio acquirendi est patris substituentis dispositio. Ergo minimè poterit acquirere aliquid per substitutionem pupillarem.

Denique bona legitimæ, licèt propria dicantur ipsius 18
filii impuberis, & insimul sit debitum legale independens à voluntate patris, *Auth. Novissima*, *Cod. de inoffic. testament. l. Vnum ex familia* 67. *S. Si de Falcidia*, *ff. de legat.* 2. non tamen est vera hæc propositio in vita ipsius patris, sed post ejus mortem. Ast substitutio pupillaris efficitur in ejus vita, & perficitur ejus morte, ut latè probat Guttierrez *d. qu.*56. *à num.*30. quapropter parum est curandum, an legitima sit propria pupilli, aut debitum legale; quia revera spurius capit mediatè per legitimum illa bona, quæ erant patris, quando efficitur, & perficitur pupillaris substitutio.

Sed contra hoc ultimum fundamentum obstat textus *in* 19
l. Ita fidei 40. §. *Patronus*, *ff. de jur. Fisci*, ubi si à patrono libertus rogaverit ut incapaci aliquid det ex portione sibi debita, nullam fraudem committit. Ergo similiter si spurius substituatur filio impuberi ex sua propria portione, rectè percipiet de legitima filii, sicut de portione patroni, Guttierrez tamen *d. quæst.*56. *n.*32. *in fin.* asserit textum illum

loqui

loqui de portione debita patrono, in qua eſt diverſum à legitima filii, ut in bonis provenientibus à patre nequit ſpurius aliquid percipere. Verùm hæc reſponſio ſolida non eſt (nam ut ſupponit textus ille) perſona cui patronus erat præſtiturus de ſua portione, non erat capax acquirendi ex bonis liberti; & tamen fraus non committitur. Ergo ſimiliter in noſtra ſpecie.

20 Dicendum eſt enim ibidem, libertum nullam neceſſitatem impoſuiſſe patrono, imponere poterat aliquod gravamen in ſua portione, ut præſtaret incapaci, *l. Cùm patronus 28 ff. de legat. 2. l. Qui autem 6. §. Si patronus 8 ff Si quis omiſſ. cauſ. teſt.* Sed tantùm rogavit, ut præſtaret liberè incapaci de ſua portione, & tunc præſtatio illa rectè procedit; nam ut inquit Conſultus, patronus de ſuo præſtat, non verò de bonis liberti. Aſt in noſtra ſpecie filius impubes non eſt rogatus à patre, ut liberè det de ſuis bonis ſpurio, ſed pater diſponit, ut propria bona perveniant ad filium incapacem, mediante pupillo, quod jure interdictum eſt.

21 In aliis verò bonis, quæ pater concedit ultra legitimam filio legitimo, Coſta *ubi ſuprà*, affirmat rectè ad ſpurium pervenire per ſubſtitutionem pupillarem; quia fiunt propria ipſius impuberis, itaque rectè percipit à pupillo. Sed tamen communiter reprobatur à Doctoribus. Mieres *de majorat. 2. p. quæſt. 2. num. 8.* Spino *de teſtament. gloſſ 16. nu. 42.* Guttierrez *lib. 3. pract. quæſt. 56. à nu. 33.* Quod eſt tenendum, licèt Coſta loquatur de jure communi, quando pater ultra quatuor uncias reliquum liberè filiis relinquebat; nam ſi ſpurius nequit per pupillarem ſubſtitutionem bona legitimæ percipere, multò minùs alia bona relicta ex liberalitate parentis, dirigendo per mediatam diſpoſitionem, ut ad ſpurium incapacem perveniant.

22 Idem dicendum quando pater filium legitimum melioraverit in aliquibus bonis tertii, vel quinti, *ex l. 27. Tauri, l. 11. tit. 1. lib. 5. recopilat.* & ſpurium ſubſtituat: & id ex duabus rationibus. Prima, nam quælibet melioratio, quæ fit à patre, procedit ab ejus liberalitate, ut dicunt leges ibi, *Que queſierem.* Ergo ut dicebamus, de aliis bonis liberaliter relictis nequeunt per ſubſtitutionem pupillarem pervenire ad ſpurium. Secundò, quia jura illa tantùm ſubſtitutionem admittunt inter filios legitimos, aut in defectu illorum inter naturales; non autem de jure Regio valent ſpurii admittendi ad has ſubſtitutiones, ut ſunt expenſiſſima verba: *Con tanto que lo agan entre ſus deſcendientes legitimos, y à falta de ellos, que lo pueden hazer entre ſus deſcendientes illegitimos, que ayan derecho de los poder heredar.* Et infrà: *Y de otra manera no puedan poder gravamen alguno, ni condicion dicho tertio.* Unde ad has ſubſtitutiones poſſunt admitti legitimi, vel illegitimi naturales, non verò ſpurii, quibus ultra quintum nihil relinqui valet, ut explicat Guttierrez *d. q. 56. à nu. 34.*

23 Illud verò, antequam hinc abeamus, animadvertendum, quod ſi aliquando velis admittere ſententiam Coſtæ, de jure Regio nullatenus eam admittere poteris in filiis Clericorum; nam ſi ſubſtituantur pupillariter filio legitimo, nequeunt etiam ab eo percipere, quia eodem jure non ſolùm ſunt incapaces à patre percipiendi, verùm etiam à ſuis filiis, & conſanguineis ex parte illius. Ergo nec per hanc pupillarem ſubſtitutionem. Mathienzo *in l. 8. tit. 8. lib. 5. recopilat gloſſ. 3. nu. 7.* Sanchez *conſ. lib. 4. cap. 3. dub. 24. num. 9.* Vaſquez *de teſtament. cap. 5. §. 7. dub. 6. num. 121.* de Lugo *diſp. 24. de juſtit. ſect. 6. num. 98.* Garcia *in Summa, d. dub. 3. nu. 23.*

24 Si verò Clericus, aut alius pater ſpurius fideicommiſſum reliquerit ſpurio, utpotè quando hæredem inſtituat, palamque rogaverit, ut hæreditatem filio ſuo ſpurio reſtituat, aut legatum hoc modo fidei illius committat, tunc fideicommiſſum non valet; ſed pro non ſcripto habetur, quia ſpurius accipit hæreditatem, ſeu legatum ab ipſo patre, & per ejus diſpoſitionem venit ad filium, unde minimè valet ſuſtineri, ob legis interdictum. Azevedus *in d. l. 6. tit. 8. lib. 5. recopilat. nu. 15.* Mathienzo *ibid. gloſſ. 3. num. 5.* Maulius *de Fideicommiſſ. tit. 5. à nu. 1.* Farinacius *in Repert. crimin. lit. F, nu 98. & 100.* Sanchez *d. cap. 3. dub. 24. num. 5.* Antunez *3. part. cap. 36. nu. 18.*

25 Eſt verò dubium grave, an quando hæres inſtitutus tacitè fidem accommodaverit de hæreditate, vel legato filio ſpurio reſtituenda, vel reſtituendo, ad id teneatur in foro conſcientiæ. Prima ſententia aſſerit, teneri hæredem inſtitutum reſtituere ſpurio, ex vi pacti, ſeu promiſſionis, quam dedit teſtatori; nec enim rectè illam retinebit contra illius voluntatem. Sic Victoria, & Ledeſma, quos refert Sanchez *d. cap. 3. dub. 24. n. 3.*

Secunda ſententia ſcripſit, nec hæredem inſtitutum poſſe hæreditatem retinere, nec ſpurium, ſi fortè jam ſibi eſt reſtituta; ſed Fiſco erit reſtituenda, cui de jure competit, *ex l. Prædonis 46 ff. de hæredit. petit.* ubi dicitur, prædonem eſſe accommodantem fidem, ne capienti reſtituatur hæreditas. Unde colligitur, hanc tacitam fidem accommodantem non poſſe hæreditatem retinere, ſed neceſſariò Fiſco eſſe reſtituendam, cui competit de jure ex pœna. Ratione probatur; nam nec hæres fidem tacitè accommodans, nec ſpurius habent titulum eam retinendi: non hæres, quia ex voluntate teſtatoris conſtat, nolle apud eum remanere: non ſpurius, quia non eſt capax. Ergo reſtitutio neceſſariò facienda eſt fiſco, cui de jure competit. Diez *in praxi, cap. 64. à num. 4.* Gomez *in l. 9. Tauri, n. 28.* Gomez Arias *in l. 7. Tauri, à num. 77.* Albanus *lib. 1. conſ. 42. in fin.* Mantica *de conject. lib. 10. tit. 4. num. 15.* Menchaca *Illuſtrium lib. 3. cap. 102. num. 23.* Molina *de juſtit. tract. 2. diſp. 169. nu. 10.* 26

Tertia ſententia dicit, hæredem tacitè fidem accommodantem in foro conſcientiæ rectè retinere poſſe hæreditatem: nam licèt fiat indignus ob tacitè fidem accommodatam, iſta tamen eſt pœna, ad quam non obligatur in foro conſcientiæ, niſi poſt latam ſententiam privationis hæreditatis, & applicationis ad Fiſcum. S. Thomas 2. 2 *q. 62. art. 7.* Gloſſa *in cap. Fraternitatis 12. quæſt. 2. & in cap. 1. de conſtit.* Gomez *in l 1. Tauri, num. 4.* Covarr. *in 4. 2. p. cap. 6. §. 8. nu. 10.* Leſſius *de Juſt. lib 2. cap. 33. dub. 8. nu. 59.* Diana *1. p. tract 10. à reſolut. 17.* Idcircò rectè retinebit in foro conſcientiæ hæreditatem, donec per ſententiam ea privetur. Perez *in l. 22. tit. 3 lib. 1. Ordinament. & in l. 2. tit. 5. lib. 8. Ordinament. fol. 367.* Mathienzo *in d. l. 6. gloſſ. 8. à num. 6.* Farinacius *d. lit. F, num. 108.* Amaya *in l. 1. C de delat. lib. 10. n. 49.* Covarr. *2. p. de ſponſalib. cap. 8 §. 5. num. 13.* Leſſius *de juſt. lib. 2. cap. 19. dub. 6. num. 60.* de Lugo *d. diſput. 24. ſect. 6. num. 95.* Vaſquez *dict. §. 7. num. 106.* Diana 4. *part. tract. 3. reſolut. 121.* 27

Quarta ſententia ſcripſit, hæredem tacitè fidem accommodantem, debere hæreditatem reſtituere hæredibus ab inteſtato, non verò Fiſco; nam Fiſcus nullum habet jus ad hæreditatem, niſi poſt ſententiam. Ergo neceſſariò reſtitutio facienda eſt hæredibus ab inteſtato, cùm hæres, nec ſpurius titulum habeant retinendi. Ita tenent Sotus, & alii, quos referunt Vaſquez *dict. §. 7. dub. 3.* Sanchez *dict. cap. 3. dub. 21. num. 3.* Spino *de teſtament. gloſſ. 27. nu. 34.* Caſtro *de leg. pœnal. lib. 2. cap. 10.* 28

In hoc dubio dico, duobus modis concipiendam hanc difficultatem. Primò, quando Clericus, vel alter pater ſpurius hæredem inſtituat, eique rogaverit, nullo pacto adjecto, ſeu obligatione, ut det hæreditatem ſpurio pro ſua liberalitate; tunc enim hæres rectè hæreditatem reſtituit, ſi voluerit, & ſpurius rectè retinet; quia non percipit à patre, ſed ab hærede, qui revera erat dominus illius, eamque ex ſua liberalitate reſtituit abſque aliqua obligatione, vel neceſſaria diſpoſitione patris clerici, ſeu ſpurii. Unde ſpurius filius rectè retinet, *l. Quia teſtamentum 7. ff. de his quib. ut indign.* Confirmatur, nam quando recipit ſpurius hoc modo hæreditatem, ab hærede inſtituto recipit, tamquam ab extraneo, à quo non eſt incapax recipiendi hæreditatem; quapropter rectè recipit, & retinet. Illud verò obſervandum, quod ſi pater Clericus inſtituat hæredem conſanguineum de jure Regio, non rectè ab eo ſpurius hæreditatem percipiet, etiamſi tantùm fuerit rogatus, cùm adhuc reſpectu illius ſit incapax capiendi, aliàs erit tutus in utroque foro. Covarr. *d. cap. 8. §. 5. nu. 16.* Gomez *in l. 9. Tauri, n. 18.* Mathienzo *in dict. l. 6. tit. 8. lib. 5. gl. 8. nu. 6.* Mantica *de conject. lib. 10. tit. 4. n. 8.* Farinacius *d. lit. F. nu. 103.* Vaſquez *d. §. 7. dub. 2. in principio*, de Lugo *d. diſp. 24. ſect. 6. num. 95.* Villalobos *in Summa, 2. part. tract. 30. difficul. 30. num. 15.* Moya *d. tract. 3. diſp. 2. quæſt. 2. §. 3. num. 16.* 29

Unde non eſt admittendus Ant. Pichardus *in rub. inſt. de hæredit. quæ ab inteſt. deferunt. §. 7. nu. 22.* dicens hanc doctrinam non eſſe tutam in utroque foro, cùm adſit periculum, ne fraus legis præſumatur. Verùm in foro conſcientiæ ubi ſemper ſtatur veritati, nullum eſt periculum. Nec in 30

foro exteriori, ſi probetur id totum abſque aliquo pacto, ſeu obligatione relictum fuiſſe libertati, & ſpontaneæ voluntati heredis inſtituti, ut benè notat Leſſius *d.cap.19.dub.6.n.62.* Antunez *3.p.cap.36.n.5*

31 Secundo modo concipienda eſt hæc difficultas, prout quando hæres inſtitutus fidem accommodaverit ad reſtituendam hæreditatem, ſeu legatum ſpurio, animo ſe obligandi ex pacto ad illam reſtitutionem. Et in hoc caſu admitto uti probabiliorem quartam ſententiam, ſcilicet teneri hæredem inſtitutum hæreditatem reſtituere hæredibus ab inteſtato, nec ipſum poſſe illam retinere, *ex d.l. Prædonis 46. ff.de petit.hæredit.* ubi apertè dicitur, prædonem eſſe, & in mala fide, tacitè accommodantem fidem de reſtituenda hæreditate incapaci: quod non ſolùm intelligas, qua parte obligatur ad reſtitutionem, ſed ex parte retentionis hæreditatis; nam ei conſtat de voluntate teſtatoris fuiſſe, ne apud eum remaneret hæreditas, ſed ut alteri reſtitueret: quapropter eſt in mala fide non ſolùm ex parte reſtitutionis incapaci faciendæ, ſed ex parte retentionis. Ergo non poterit retinere, & tenebitur reſtituere hæredibus ab inteſtato, cùm ſpurio incapaci nequeat reſtituere.

32 Sed dices, textum *in d.l. Prædonis*, non dicere tacitè fidem accommodantem eſſe prædonem, ſed loco prædonis, ut animadvertit, Valenzuela *in d.l.1.Cod.de delator. nu.22.* quod eſt diverſum; nam prædo ſemper eſt in mala fide; quaſi autem prædo, vel qui habetur ejus loco, non eſt in mala fide, niſi à litis conteſtatione. Verùm quoad effectum reſtitutionis, quia ambo cum emolumentis reſtituere compelluntur, *l.Cum quidam 17.§. In tacito, ff.de uſur.* quaſi prædo dicitur, & conſideratur; interim tamen accommodans fidem tacitam, eſt verus hæres, & retinere poterit hæreditatem, ut explicat Amaya *in d.l.1.Cod.de delat.n.54.& lib.3. obſervat.cap.2.à nu.41.*

33 Sed ex ipſo interpretamento illius legis capitur reſponſio; nam ſi tacitè fidem accommodans compellitur rem cum fructibus reſtituere quaſi prædo, ſequitur ante litis conteſtationem fuiſſe in mala fide, aliàs non tamquam prædo, ſed tamquam poſſeſſor bonæ fidei haberetur, & lucraretur fructus, *l. Bonæ fidei 48. ff.de acqu hæred.* Ergo ſemper erit habendus loco prædonis, qui nec rem, nec fructus retinere poterit. Sed adhuc inſtabis cum de Lugo *ſect. 6.n. 95.verſ.Obiicitur*, dicente hæredem tacitè fidem accommodantem non eſſe prædonem in foro conſcientiæ, ſed loco prædonis haberi quoad effectum ut Fiſcus poſſit ab eo auferre hæreditatem cum fructibus; quæ cùm ſit pœna delicti, non obligat in conſcientia ante latam ſententiam. Ergo interim rectè retinebit, *l. Ejus qui 29.ff.de jur.Fiſci, cap.Cum ſecundum 19. de hæretic.lib.6.* Morla *in Emptorio, tit.1.q.8. & 9.* Cevallos *quæſt.687.* Garcia *de Benefic.part.11.cap.10. à nu.7.*

34 Reſpondetur tamen ibidem Conſultum non tantùm reſpexiſſe tacitè fidem accommodantem, ut prædonem, quoad effectum tantùm reſtitutionis, ſed quoad effectum retentionis, ob rationem traditam *nu.31.* Quapropter nullo modo poterit retinere. Et corroboratur, nam cùm ſecundùm jus naturale obligans in foro conſcientiæ, rem alterius nequeat quis retinere abſque domini voluntate, *l.1.d quod noſtrum, ff.de reg.jur.* Thomaſſetus *regul.153.* Menochius *lib.5. præſumpt.47. nu.14.* in præſentiarum non eſt voluntas teſtatoris ut hæreditas remaneat penes hæredem fidem accommodantem; nec ipſius acceptantis, quia ſe obligavit alteri reſtituere, quin ſi retinere præſumpſerit, quaſi prædo cenſetur etiam de jure naturali obligante in conſcientia. Ergo tenebitur reſtituere hæredibus ab inteſtato in eodem foro.

35 Cæterùm probatur hæc ſententia ex deciſione textus *in l.Eum qui 18.ff.de his quib.ut indig.* ubi dicitur poſſeſſor malæ fidei accommodans fidem de reſtituenda hæreditate incapaci: Ergo ut poſſeſſor malæ fidei nequit hæreditatem retinere, *cap.Vigilanti 5.cap.fin.de præſcript.* quod non intelligas per litem motam à litis conteſtatione, ut voluit Amaya *in dict.l.1.Cod.de delatorib.n.53.* ſed anteà, quia revera ſcienter retinet hæreditatem contra voluntatem teſtatoris, ut benè docet Garcia *de tacit.Fideicommiſſ nu.39.*

36 Deinde quod reſtitutio facienda ſit hæredibus ab inteſtato probatur, quia nequit fieri ſpurio, etiam ante latam ſententiam. Ergo neceſſariò facienda eſt hæredibus ab inteſtato. Quod nequeat fieri ſpurio ante latam ſententiam, ſimiliter probatur; nam ſpurius ipſo jure eſt incapax aliquid capiendi ex bonis patris abſque aliqua ſententia, ſeu declaratione, quia ſic à lege eſt diſpoſitum. Salcedo *ad Bernardum, cap.64.lit.B*, Mathienzo *in d.l.6.gloſſ.8.n.5.* Larrea *alleg. 62. n.37.* prout etiam diſpoſitum eſt in ſimoniaco, cui interdictum eſt ne dominium acquirat rei ſpiritualis, aut annexæ ſpirituali, pecunia emptæ, *cap.Dilectus 28.c. Licèt 39.de ſimonia.* Salcedo *d. lit. B.* Ergo reſtitutio nequit fieri ſpurio. Ergo neceſſariò facienda eſt hæredibus ab inteſtato in foro conſcientiæ. Garcia *de tacit. Fideicom. à num. 38.* dicit verſus Sanchez *d.cap.3.dub.21.nu.3.*

Adhuc tamen dices, in tuto repoſitam non eſſe hanc ſen- 37
tentiam; nam quando inſtitutio continet aliquam conditionem, aut modum contra legem, tunc rejecto modo, ſeu conditione, pura relinquitur, *l. Si ſtipularer 33.ff de verb. obligat.l.Conditiones 9.ff.de condit.inſtit.cap. fin. de condit.appoſit.l.32.tit.9.par.6.* Ergo in præſentia, rejecto modo & conditione reſtituendi ſpurio, remanet pura inſtitutio, tamquam ſi purè eſſet inſtitutus. Ergo rectè hæres retinebit hæreditatem, nec tenebitur reſtituere hæredibus ab inteſtato, ut ex hoc argumento concludunt Spino *de teſtament. gloſſ.16.nu.44.* Maulius *de Fideicommiſſ.tit.3.n.6. verſ. Sed contrarium*, de Lugo *d.ſect.6.nu.96.*

Hoc argumentum duobus modis conſiderandum eſt. Pri- 38
mò quoad forum poli, de quo loquimur, & in eo parum urget; quia in illo foro, ſi conſtet voluntatem eſſe teſtatoris, ut adimpleantur obligationes, modi & conditiones appoſitæ ab ipſo teſtatore, etiamſi ſint contra jus, vel alio modo, minimè inſtitutio relinquitur pura, ſed irrita, & invalida; quia in non adimpletis deficit voluntas teſtatoris, aut contrahentis. Medina *de reſtit.quæſt.23.* Molina *de juſtit.tract.2.diſput.106.* Pontius *de Matrimon. lib.3.cap. 3.num.2.* & ad Gratianum *cap 17. §.1. verſ. Deinde certum eſt.* Cùm ergo in ſpecie conſtet fuiſſe voluntatem teſtatoris, ne hæres accommodans tacitè fidem hæreditatem retineat, ſed alteri reſtituat, nempè ſpurio, non ſervata conditione, & modo, quia de jure eſt impoſſibilis, eam non poterit retinere in conſcientia, ſed debet reſtituere hæredibus ab inteſtato. Sed inſtabis, mentem teſtatoris eam eſſe, ut hæres inſtitutus dominium acquirat, etiamſi fuerit obligatus reſtituere, *l. Ex facto 43. §. Julius, ff. de vulgar.§.Reſtituta, Inſt. de fideicom.hæredit.* Ergo rejecto modo, conditione, ſeu obligatione, rectè dominium acquiſitum retinebit, ut ratiocinatur Amaya *in d.l.1.Cod. de delat. à nu.50.* Reſpondeo voluntatem teſtatoris eſſe, ut acquirat dominium hæreditatis, ut ſtatim reſtituat, concedo; ut retineat, nego. Quapropter in foro conſcientiæ retinere non poterit, quia ageret contra ejus voluntatem, ut optimè advertit Garcia *d.n.39.*

Quoad forum externum tota illa inſtitutio irritatur, & 39
hæreditas ad Fiſcum applicatur, ut jam diximus. Verùm ſi ad Fiſcum non pertineret ob fraudem commiſſam ab hærede, adhuc inſtitutio non ſuſtineretur; nam illæ conditiones, aut modi contra legem pro ſcriptis non habentur, quia præſumitur teſtatorem per errorem illas appoſuiſſe, nec hæres cooperatur ad illas imponendas. Pichard. *in §. Impoſſibiles, Inſt.de hæred. inſtit.num.14.* Aſt in noſtra ſpecie error talis nequit præſumi, quia conſultò teſtator, & hæres in fraudem legis voluerunt transferre hæreditatem ad ſpurium, accommodando tacitam fidem reſtituendi. Ergo minimè conditiones illæ, aut modi pro ſcriptis non ſunt habendæ. Et confirmatur; nam lex non auxiliatur eis, qui faciunt in fraudem legis, *l.Auxilium 37.§.In delictis, ff.de Minorib. l.iſti quidem, ff.quod met.cauſ.cap. ult. de immunit. Eccleſ. cap. Contingit 25. de ſent.excommun.* Tuſchus *lit. C, concluſ.954.* Bellet. *diſquiſit. Clerical.1. p tit. de diſciplin. Cler.§.16 .nu.9.* Novarrius *in praxi elect.quæſt.33. n.12.* Ergo minimè aſſerendum, illas conditiones, & modos reſtituendi hæreditatem ſpurio à lege pro ſcriptis non haberi, ut ipſe fraudans legem accommodando fidem tacitam reſtituendi commodum hæreditatis retineret; idcircò ſemper eſt reſtituenda hæredibus ab inteſtato, utpotè tacitè vocatis, ſi jam lex Fiſco non applicaſſet.

Hæc tacita fideicommiſſa ad deferendam hæreditatem 40
ſpuriis frequentia ſunt, & circa ea plures lites quotidie naſcuntur. Quamobrem ſolet eſſe gravis difficultas ad eorum probationem. Illud verò admiſſum, ut Fideicommiſſum tacitum probetur, quando inſtrumentum privatum invenitur, in quo hæres tacitam fidem accommodavit de hæreditate ſpurio reſtituenda, *l.3.verſ. Et ſi fortè, ff.*

de

de jur. Fiſci, & §. *Tacitè*, *ff. de jur. Fiſci*, *l. In tacitis* 103 *ff. de legat. 1. l. In fraudem* 10. *ff. de his quib. ut indign.* Aliter etiam probatur per teſtes, ſi per eos conſtiterit pactum, ſeu ſtipulationem factam fuiſſe de reſtituenda hæreditate ſpurio, *d. l. in fraudem* 10. Tum & alio modo probabitur tacitum fideicommiſſum, ſi teſtamentum, ſeu inſtrumentum fiat coram Notario amico teſtatoris, & teſtibus domeſticis; nam licèt inſtrumentum ſit publicum, ſi tamen fiat occultè, & eo modo, ut non perveniat ad notitiam adverſarii, clam factum cenſetur, & de fide ſuſpectum, *l. Clam poſſidere 6. ff. de acquir. poſſeſſ. l. Prohibere* 3. §. *fin. ff. Quod vi, aut clam.* Cæterùm probari poterit per confeſſionem partis, ſcilicet illius qui fidem accommodavit, vel ſpurii, cui hæreditas eſt reſtituenda, qui tenentur interrogatis reſpondere, *l. Marcellus*, §. 1 *ff. Rerum amot.* explicant hos modos probandi Gomez *in l. 9. Tauri*, *n. 24.* Mantica *de conject. lib. 10. tit. 4. à num. 5.* Garcia *de tacit. fideicommiſſ. à num. 8.* Farinacius *in fragment. crim. lit. F*, *à nu. 84.* Peregrinus *de jur. Fiſci*, *lib. 3. tit. ult. rub. de Relict. palam*, *à n. 4.* & alii quamplurimi recenſiti à Caſtillo *lib. 6. controverſ. cap. 41. à num. 256.* Antunez *d. cap. 36. nu. 3.*

41 Unde breviter diſquirendum, an tacitè fidem accommodans, vel ſpurius, teneantur apertè reſpondere interrogatis circa tacitum fideicommiſſum? Et abſolutè affirmarunt Bart. *in l. fin. ff. de his, quibus ut indign. num.* 10. Cardinalis *conſ. 35.* Navarrus *in cap. Inter verba 11. quæſt. 3. 3. part. corol. 65.* Gomez *in d. l. 9. Tauri*, *nu 24.* Ratio eſt, nam modus probandi tacitum fideicommiſſum per partium confeſſionem legitimus eſt. Tuſchus *lit. F*, *conſ. 393. n. 18.* Ergo cùm rectè interrogaſſet judex, hæres, & ſpurius tenentur veritatem dicere, & reſpondere interrogatis. Cæterùm tacere tunc fuiſſet in damnum Fiſci, cui hæreditas competit. Ergo tenentur apertè interrogatis reſpondere.

42 Sed tamen hæc ſententia abſolutè non eſt tenenda, prout docent iſti DD. ſed quando infamia præceſſerit, aut ſaltem ſemiplenè de tacito fideicommiſſo conſtiterit. Ratio eſt, nam hæc applicatio quæ fit Fiſco eſt per modum pœnæ, non verò alicujus ſucceſſionis, in qua non adſtringitur reus reſpondere, niſi infamia præcedat, aut ſemiplena probatio ei intimetur, ut ſibi conſtet. Gregorius *in l. 4. tit. 29. part. 7. verbo Jurar.* Diez *in Praxi*, *cap. 128.* Villalobos *in Summa*, *2. p. tract. 16. difficult. 1. num. 2.* Ergo niſi hæc præcedant, minimè apertè tenentur reſpondere. Deinde ante condemnationem nullum jus Fiſci læditur; nam ut ſuprà dictum eſt, niſi lata ſententia ab indigno non aufertur hæreditas. Spino *d. gloſſ. 27. num. 34.* Amaya *in d. l. 1. Cod. de delat. num. 25.* quamobrem ſi taceant, nullum jus Fiſci læditur. Ergo nec apertè reſpondere tenentur. Sanchez *conſ. lib. 4. cap. 3. dub. 23.* Mathienzo *in d. l. 6. gloſſ. 3. nu. 13* de Lugo *de juſt. diſp. 24. ſect. 6. num. 97.* Quod extenditur etiamſi monitoriales legantur, quia nec ex vi earum obligantur apertè reſpondere, niſi infamia, aut ſemiplena probatio præcedat. Covaruv. *d. 2. p. cap. 8. §. 5. nu. 14.* Molina *tract. 2. diſp. 169. nu. 14.* Mathienzo *ubi proximè*.

43 Sed an ſufficiat probare tacitum fideicommiſſum præſumptionibus, vel conjecturis, ſub lite eſt. Prima ſententia aſſerit, ſufficere probare præſumptionibus, vel conjecturis. Ducitur, nam eſt tacitum, & occultum delictum, continens dolum, qui præſumptionibus, & conjecturis probatur, *l. Dolum 6. Cod. de dolo*, *l. Non omnes 5. §. A Barbaris*, *ff. de re milit.* ibi: *Sed licet hoc conſtare non poſſit, argumentis tamen cognoſcendum eſt.* Et *l. Qui autem 6. §. Non ſimpliciter*, *ff. Si quis omnes cauſ. teſtament.* Ergo tacitum fideicommiſſum conjecturis, & præſumptionibus poterit probare. Gomez *in d. l. 9. Tauri*, *num. 25.* Mathienzo *in dict. l. 6. gloſſ. 3. num. 14.* Menochius *de Arbitrariis*, *lib. 2. caſ. 89.* Cyriacus *controverſ. 114. nu. 76.* Staibanus *cent. 2. reſolut. 156. à. n. 84.* Mantica *de conject. lib. 10. tit. 4. num. 9.* Clarus *verbo Teſtamentum*, *quæſt. 31. n. 5.* & alii relati à Garcia *de tacit. Fideicom. n. 24.* Antunez *cap. 36. nu. 6.*

44 Secunda ſententia tenet, probandum eſſe manifeſtiſſimis probationibus, veluti per inſtrumentum, pactum, ſeu partium confeſſionem, vel per teſtes claros. Textus *in l. Non intelligitur* 3. §. *Tacita* 3 *ff. de jur. Fiſci*, ibi: *Aliis manifeſtiſſimis probationibus.* Quæ verba excludunt probationes per conjecturas, præſumptiones, & etiam obſcuras, quæ manifeſtiſſimæ non ſunt. Cæterùm probatio per conjecturas, & præſumptiones admittitur, quando non adſunt, nec poſſunt adeſſe aliæ probationes, & quaſi in ſubſidium, *l. Filium eum diffinimus 6. ff. de his qui ſunt. ſui l. Lucius 83. ff. de condit. & demonſtrat. l. Si quis adulteri* 34. *C. ad l. Jul. de adult.* In ſpecie verò ſunt aliæ probationes per inſtrumentum, confeſſiones partium, & teſtes. Ergo nequit fieri probatio per conjecturas, & probationes. Denique delicta ſunt probanda probationibus luce meridiana clarioribus, *l. Sciant cuncti*, *Cod. de probat.* Ergo in præſentiarum cùm agatur de probando delicto, ut hæreditas auferatur ab hærede, & Fiſco applicetur, non debent eſſe probationes obſcuræ per conjecturas, & præſumptiones, ſed manifeſtæ. Garcia *de tacit. Fideicommiſſ. n. 25.* Cabedo *2. part. deciſ. 81. n. 3.* Phebus *dec. 40. nu. 4.* Peregrinus *de jur. Fiſci*, *lib 3. tit. 19. per tot.* Larrea *dec. 95. n. 4.*

In hoc dubio obſervandum, textum *in l. Non intelligitur* 45
3. §. *5. de jur. Fiſci*, in illis verbis, *aliis probationibus manifeſtiſſimis*, non probare hanc ſecundam ſententiam; nam illud verbum, *manifeſtiſſimis*, in quibuſdam codicibus non legitur ſed tantùm ſimpliciter *probationibus*, ut ſcripſit Mantica *d. tit. 4. num. 9.* unde efficaciter non probat illam ſententiam. Cæterùm licèt verbum eſſet, quod omnia illa verba fuiſſent Conſulti, adhuc aliæ probationes per conjecturas, & præſumptiones non excluduntur; nam ut aſſerit Gomez *in l. 9. n. 25.* ſunt multi modi probandi, etiam liquidiſſimè, in quibus intrat modus comprobandi per conjecturas, & præſumptiones, quæ ſi adeò graves ſint, & vehementes, liquidiſſimam probationem concludunt, *c. Afferte 2. c. Litteris 12. c. Literas 14. de præſumpt. l qui adulteri 11. C. ad l. jul de adult.* Farinac. *in praxi crim. 3. p. tit. 13. q. 86. n. 52.* Oſuald. *ad Donell. lib. 23. c. 3. lit. A*, Clarus *lib. 5. recept. qu. 20. n. 8.* quapropter condemnatio ſequi poterit, prout ſi adeſſent liquidiſſimæ probationes. Unde hæc interpretamenta ſuſcipit textus *in l. 3. §. 3. de jur. Fiſci*, nec ita probat ut primam ſententiam elidat.

Hinc DD. primæ ſententiæ ad rem aliquas adducunt 46
conjecturas, & præſumptiones, unde tacitum fideicommiſſum probetur. Primò, quando bona Clerici, aut alterius patris ſpurii ſtatim, aut ex intervallo ſunt tradita filio ſpurio, quod non ſolùm per ſe ſufficit, ſed quando in teſtamento ſunt aliqua verba obſcura, ut ſi teſtator dicat: *Facias de mea hæreditate*, *quod tu ſcis*. Ex reſtitutione enim hæreditatis, & inſimul verbis illis oſcuris, præſumptio taciti fideicommiſſi exoritur, *l. Cùm tacitam 3. de probat.* cum gloſſa. Secundò, quando teſtator ad aurem hæredis alloqueretur, & poſt mortem hæres ſpurio ſtatim hæreditatem reſtituat, *l. Lucius Titius 113. §. in teſtamento*, *ff. de legat. 1.* Tertiò, quando Clericus, vel alius pater ſpurius inſtituiſſet hæredem capacem, & ſpurius inveniretur in poſſeſſione hereditatis, *l. Sicut 8. §. Supervacaneum*, *ff. quib. mod. pign. vel hypotheca ſolvitur.* Quartò, ſi hæres viliſſimo pretio hæreditatem ſpurio vendiderit, quia nemo præſumitur rem ſuam donare, nec jactare, *l. Cum de indebito 25. de probat.* Quintò quando pater Clericus, ſeu ſpurius in teſtamento alimenta ſpuriis non reliquerit, cùm eis indigerent, & hæreditas eiſdem reſtituitur, unde præſumitur fiducia reſtitutionis ea non reliquiſſe. Congeſſerunt Gomez *in d. l. 9. à num. 26.* Mathienzo *in d. l. 6. gloſſ 8. nu. 15.* Clarus *verbo Teſtamentum*, *q. 31. n. 5.* Mantica *d. lib. 10. tit. 4. à n 9.* Farinac. *d. lit. F*, *n. 84.*

Hoc ergo ſuppoſito, ad reſolutionem dico, in re non eſſe 47
textum clarum, qui difficultatem decidat; ſed ex rationibus, & doctrinis difficultatem hanc eſſe diſcutiendam: quamobrem dicendum, nullum eſſe dubium, quin delicta variis probationibus comprobentur, & aliquoties quando aliæ deficiunt, per indicia, conjecturas, & præſumptiones probantur. Unde Cicero *in Verrem*, benè ſcripſit: *Bonus judex eſſe non poteſt*, *qui certa ſuſpicione non movetur.* Farinacius *de indiciis*, *lib. 2. tit. 5. q. 86.* Quare tacitum fideicommiſſum, quando aliter probari non poterit, recurrendum eſt ad indicia, conjecturas, & præſumptiones, modus eſt quippe probandi à jure admiſsus, ut latè oſtendit D. Gonzalez *in d. cap. Afferte*, *à n. 10.* Lucerna Inquiſit. *2. p. tom. 1. n. 2.* Monte *de fin. regund. 2. p. tom. 3. c. 54. n. 30.* Menochius *de præſumpt. in præſat. à q. 1.* Larrea *alleg. 66. num. 3.*

Erit ergo in præſentia difficultas, an quando probatur 48
tacitum Fideicommiſſum per ſolas præſumptiones, & conjecturas, vel indicia, poſſit hæreditas auferri hæredi fidem tacitam accommodandi, & applicari Fiſco. Res quidem difficilis ob illam quæſtionem, an quando delicti ſit pro-

probatio per ſola indicia, ſuſpiciones, & præſumptiones, ordinaria pœna ſit imponenda, de qua differunt Morla *in Emporio, tit. de variis quæſt. quæſt.* 1. Clarus *lib* 5. *ſent. quæſt.* 20. *à num.* 8. Farinacius *in praxi crim. quæſt.* 50. *à nu.* 37. Sarmiento *ſelect. lib.* 1. *cap.* 1. Eſcobar *de purit. ſanguinis, quæſt.* 8. §. 1 *à num.* 5. Menochius *de Arbitr. caſu* 279. Verumtamen in re dicendum, aliquas eſſe conjecturas, & præſumptiones, quæ ab ipſa lege probantur, & juris dicuntur: & ex eis, ſi reſultat violenta præſumptio, poteſt imponi pœna ordinaria, ut probant jura adducta à Morla *d. quæſt.* 1. *à n.* 3. Secus tamen ſi ſint hominis conjecturæ, & præſumptiones, quæ capiuntur ex diſcreto judicis arbitrio, naſcentes ex ipſo delicto perpetrato. Ratio eſt, nam ſimiles hominis præſumptiones, & conjecturæ poſſunt eſſe fallaces, *l. Abſentem* 5. *ff. de pœn.* Unde ex eis non eſt procedendum ad imponendam pœnam ordinariam, ut benè diſtinguit Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 12. *num.* 25. Noguerol. *allegat.* 12. *nu.* 68. Morla *d. quæſt.* 1. *num.* 14. *verſ. In qua ingenti*. Cevallos *quæſt.* 337. Giurba *conſ.* 43. *num.* 22. Sanchez *conſ. lib.* 3. *cap. unic. dub.* 12. *num.* 12.

49 Hinc ad rem diſcutiendum, an quando tacitum fideicommiſſum per ſolas præſumptiones, & conjecturas probatur, hæreditas auferenda ſit ab hærede inſtituto, & applicanda Fiſco? Et aſſero, non eſſe auferenda. Ducor, nam in ſpecie nullæ ſunt præſumptiones, & conjecturæ expreſsè à jure probatæ; ſed ſunt tantùm hominis, ut patet ex adductis *n.* 46. Sed quando probatur delictum per ſolas hominis præſumptiones, & conjecturas, non imponitur pœna ordinaria, ut dicunt relati *num.* 48. *in fine*, Farinacius *in praxi, tom.* 3. *quæſt.* 86. *num.* 89. Ergo per hanc ſolam probationem non eſt auferenda hæreditas ab hærede, & applicanda fiſco; eſt enim pœna iſta ordinaria. Cæterùm licèt illę præſumptiones fuiſſent de jure approbatæ, & quoquo modo violenter probarent, adhuc hæreditas non auferretur ab hærede tacitè fideicommiſſario; nam in hoc delicto in dubio non præſumitur tacitum fideicommiſſum. Baldus *lib.* 2. *conſ.* 140. Tuſcus *lit. F, conſ.* 394. *num.* 19. quapropter aliæ præſumptiones, & conjecturæ etiamſi à jure fuerint approbatæ, debent eſſe graviſſimæ, ut iſtam elidant, quæ ſtat ne præſumatur delictum, & pro valore actus, quæ ſunt potentiores. Menochius *de præſumpt. in præfat. quæſt.* 29. *à nu.* 3. *& lib.* 6. *præſumpt.* 2. Ergo nequeunt eſſe tanti valoris præſumptiones, & conjecturæ, ut adhuc gravis difficultas non remaneat in probatione, ita ut gravis eſſet injuſtitia ab hærede hæreditatem auferre, & applicare Fiſco. Denique quoties non eſt liquidiſſima probatio, contra Fiſcum calculus eſt ferendus, *l. Non puto* 10 *ff. de jur. Fiſci*, Covarr. *lib.* 1. *var. cap.* 16. *nu.* 1. Menochius *lib* 2. *præſumpt.* 72. *per tot.* Farinac. *in fragment. lit. F, à nu.* 188. Parladorius *lib.* 1 *rer. quot.* §. 2. *nu.* 36. Cùm ergo probatio in ſpecie fit per præſumptiones, & conjecturas, cum his pugnant alteræ, & res ſemper dubia permanet, & ita nequit Fiſcus auferre hæreditatem ab hærede inſtituto, ſed tantùm alia pœna extraordinaria punietur.

50 Prorſus ſunt aliqui modi excogitati à Doctoribus, in quibus Clericus, aut alius pater ſpurius valent ſua bona relinquere ſpuriis. Primò quando ita hæreditatem, aut legatum reliquerit ſub conditione, ſi à Principe legitimetur, *l. in tempus* 62. *ff. de hæredibus inſtituend.* ubi aſſeritur quemque hæredem inſtitui poſſe in tempus, quo capax efficiatur hæreditatis, *l. Si cui* 3. ubi Gloſſa, *ff. quib. mod. uſusfruct. amitt.* Ratio eſt, nam tunc ſuſpenditur actus, donec Princeps legitimet ſpurium, cùm ſit quidem poſſibilis conditio, & de facto ſpurii quotidie legitimentur, ut loquitur Conſultus *in d.l. in tempus*, Coſta *in l. Gallus*, §. *Et ſi quidem, ff. de lib. & poſthum.* 2. *part. nu.* 172. *& lib.* 1. *Select. cap.* 8. *num.* 14. Clarus *verbo Teſtamentum, queſt.* 31. *num.* 7. Maulius *de Fideicom. tit.* 5. *nu.* 9. Vaſquez *de teſtament. cap.* 5. §. 7. *dub.* 6. *in princip.* Sanchez *d. lib.* 4 *cap.* 3. *dub.* 28. *nu.* 2. Molina *de primog. lib* 2. *cap.* 7. *à nu.* 40.

51 Sed modus iſte non admittitur à Baldo *in l. Eam quam, Cod. de Fideicommiſſis*, *num.* 28. ex deciſione textus *in l. Si alienum* 49. §. *Si extraneis, ff. de hæredibus inſtituendis*, ubi capacitas hæredis inſpicienda eſt tempore mortis, & aditæ hæreditatis, quibus quidem temporibus, ſi hæres capax non eſt, neutiquam poteſt capere hæreditatem. Ergo per conditionem, ſi à Principe legitimetur, nequit filius Clerici, aut alterius patris ſpurii hæreditatem capere. Sed tamen textus ille non probat Baldi ſententiam; intelligitur enim quando incapacitas provenit ab aliqua conditione extrinſeca, quæ inſtitutionem reddit puram, & abſolutam, & ſtatim exequendam; tunc enim in his temporibus inſtitutus debet eſſe capax, non tamen quando eſt conditio intrinſeca, & à jure intellecta, veluti ſi Princeps legitimaverit; tunc enim ſuſpenditur inſtitutio, ſeu legatum uſque ad tempus, quo ſpurius fiat capax per legitimationem. Pichardus *Inſt. de hæredit. quæ ab inteſtat. deferunt*, §. 7. *n.* 2. Delugo *d. diſput.* 24. *ſect.* 6. *num.* 113. Vel aliter ſpondere poteris, opinionem Baldi de mero jure procedere. Aſt aliorum Doctorum opinio procedit ex benignitate, & æquitate, ut apertè demonſtrat Conſultus *in d.l. In tempus*, Maulius *d. tit.* 5 *n.* 9.

Rurſus probat Baldus ſuam ſententiam, ſcilicet regu- 52
lam *in d.l. In tempus*, eſse intelligendam quando incapacitas eſt ex parte hæredis, non verò ſi etiam ſit ex parte teſtatoris, ut in præſentia; nam filius eſt incapax, quia ſpurius; & inſimul pater incapax relinquendi, propter incontinentiam. Ergo nequibit inſtitui ſub conditione, ſi Filius legitimetur à Principe. Verùm reſpondetur, incapacitatem non eſse ex parte ſpurii, qui rectè valet hæredem inſtituere; ſed tantùm ex parte filii ſpurii, in quo punitur incontinentia patris, ut demonſtrat textus Regius *in l.* 6. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recopilat.* ibi: *Ordenamos, y mandamos, que los tales hijos de Clerigos no puedan aver, ni heredar los bienes de ſus padres*. Ex quibus verbis clarè oſtenditur, ſolos ipſos filios eſse incapaces capiendi hæreditatem patris, non verò eſse aliquam incapacitatem ex parte patris relinquendi hæreditatem, ut etiam patet ſi legitimentur à Principe; nam per legitimationem ſublata filii incapacitate, benè pater ſua bona relinquit filio legitimato, *Auth. Prætereà, Cod. de nat. liber. Auth. quibus mod nat. efficiantur ſui, collat.* 7. §. *Quibus* 2. *Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt. deferunt. l.* 12. *Tauri, l.* 10. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recopilat.* Gomez *in l.* 9. *Tauri, nu.* 66. Rojas *in Epitom. ſucceſſ. cap.* 23. Duenas *regul.* 197. Steph. Gratianus *diſcept. for. cap.* 138. *n.* 42. Ergo ex patre patris nulla eſt incapacitas relinquendi hæreditatem filio ſpurio. Cæterùm licèt incapacitas aliqua fuiſset ex patre patris, non eſt ratio ut non ſuſpendatur inſtitutio, donec Princeps filium ſpurium legitimet: nam legitimatio non ſolùm tollet incapacitatem filii, ſed etiam patris, ſi aliqua adeſset incapacitas ex parte illius; quamobrem ſuſtinebitur inſtitutio ſpurii facta ſub conditione, ſi à Principe legitimetur, quod tenent etiam Coſta *in d.l. Gallus*, 2. *part. num.* 172. Molina *de juſt. tract.* 2. *diſput.* 169. *num.* 20. de Lugo *d. ſect.* 6. *num.* 113.

Eſt dubium hìc annectendum, an quando Filius Cleri- 53
ci, aut alterius Patris ſpurii fuerit ſub hac conditione inſtitutus, interim quod petitur legitimatio, poſſit agnoſcere bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas. Prima ſententia affirmat; nam quoties hæres inſtitutus eſt ſub conditione, ſemper valet petere bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas, *l.* 2. §. *Si ſub conditione, ff. de bonor. poſſeſſ. ſecundùm tabul. l. Si quis inſtituatur hæres* 23 *ff. de hæred. inſtit.* Ergo ſimiliter in noſtra ſpecie poterit ſpurium bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas agnoſcere. Duenas *regul.* 116 *limit* 1. Covarr. *d.* 2 *part. cap.* 8. §. 5. *nu.* 12. *verſ. Imo ſpurius*, Pichard. *in d.* §. 7. *nu.* 20. dicit communem Sanchez *d. cap.* 3. *dub.* 29. de Lugo *d. ſect.* 6. *n.* 113.

Secunda ſententia negat, nam ſpurius eſt incapax capien- 54
di hæreditatem; idcircò nequit petere, nec agnoſcere bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas. Illa enim Prætoria benignitas dandi illam poſſeſſionem pendente conditione, quando hæreditas non eſt delata, *l. Is qui hæres* 13. *ff. de acquirend. hæredit. l. Sed etſi* 34. §. 1. *ff. eod. tit.* intelligenda eſt quando hæres eſt capax acquirendi hæreditatem, & ſolùm impeditur à non impleta conditione. Ergo ſpurio incapaci non eſt danda talis poſſeſſio, cùm revera ſit incapax percipiendi hæreditatem. Gomez *in l.* 9. *Tauri, nu.* 19. Gregorius *l.* 19. *tit.* 3. *part.* 6. *verbo Heredar*, Mathienzo *in d. l.* 6. *gloſſ.* 8. *n.* 20.

Sed de Lugo *d. num.* 13. *in fine*, optimè animadvertit, 55
quæſtionem hanc diſcutiendam eſſe prout in aliis hæredibus ſub conditione inſtitutis: quapropter admitto primam ſententiam, & eam comprobo; nam hæc bonorum poſſeſſio ſecundùm tabulas interim quod conditio pendet, nihil habet juris, ſed tota eſt facti, & poſſeſſor quaſi nudus detentor conſideratur, qui ſi deficiat conditio, tenetur ab inteſtato hæredibus hæreditatem reſtituere inte-

ri-

rimque cautionem præſtabit, *l. Paulus 8. de Prætor. ſtipulat l. Inter omnes 12. ff. qui ſatisdar. cogantur*. Filius enim ſpurius non eſt incapax cognoſcendi hæreditatem paternam quoad factum, & eam ſolùm adminiſtrandi. Ergo interim quod pendet conditio ut legitimetur à Principe, rectè petere poterit bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas. Confirmatur diſcurſus, nam pendente conditione, nec hæres poteſt hæreditatem adire, nec ad eum hæreditas defertur, *l. Si cùm hæres 24. ff. quand. dies legat eod.* Salgado *in Labyrinth. 1. part. cap. 2. §. unic. num. 27.* Ergo quando ſolùm habetur per bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas, eſt quoad factum adminiſtrationis, cujus non eſt incapax ſpurius. Gomez *var. 1. tom. cap. 2. nu. 13.* Donell. *lib. 7. comment. cap. 14.* Gratian. *tom. 3. diſcept. cap. 540. nu. 16.* Ergo rectè filius ſpurius petere, & agnoſcere poterit bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas, interim quod conditio legitimationis pendet.

56 Alterum etiam modum excogitarunt Doctores, ut Clericus, vel alter pater ſpurius hæreditatem, aut legatum filiis ſpuriis relinquerent, nempe ſi nurui relinquerent, aut maritofiliæ ſpuriæ; nam licèt per eos aliquod commodum proveniat ad ſpurios, adhuc tamen validum eſt, *cap. 1. de teſtam. l. fin. ff. de his quib. ut. indign.* Ratio eſt, nam tunc à patre Clerico, ſeu ſpuripo non percipiunt, ſed tantùm à ſuo conjuge, vel à ſuo marito. Tum quia hæc inſtitutio, per ſe loquendo, non eſt captioſa; nam nurus, ſeu maritus ſibi acquirunt hæreditatem, & fit proprium illorum patrimonium. Ergo rectè inſtitutio nurus, aut mariti ſpuriæ ſuſtinetur. Gomez *in l. 9. num. 17.* Pichardus *d. §. 8. n. 24.* Parladorius *lib. 1 quot. cap. 16.* Duenas *regul. 366. in fin.* Mathienzo *in d. l. 6. tit. 8. lib. 5 gloſſ. 8. num. 27.* Larrea *deciſ. 95. num. 3.* Vaſquez *d §. 7. dub. 7.* Sanchez *d. cap. 2. dub. 52. n. 2.* de Lugo *d. ſect. 6. n. 111.*

57 Sed tamen contra hunc modum inſurgunt Joan. Andreas, & Cardinal. *in cap. 1. de teſtament.* Et probant, nam hæc diſpoſitio eſt in fraudem legis; nam quod una via prohibentur, per aliam conceditur. Tum quia quando pater interdictus eſt filio relinquere, quilibet modus, per quem aſſeritur via, ut capiat, eſt fraudulentus, & ſic præſumitur, ut notatur *in l. 1. C de natur. liber.* quamobrem inſtitutio facta genero, vel nurui, nequit ſuſtineri, & conſentire videtur Cevallos *quæſt. 780. à nu. 146.* Rojas *in Epit. de ſucceſſ. cap. 20. n. 38.*

58 Sed in re dicendum, quod ſi ſimpliciter fiat hæc inſtitutio, ſeu legatum abſque fraude, ex natura rei ſuſtinendam eſſe hanc inſtitutionem, ſeu legatum, eriamſi poſteà per alios titulos ſpurius illam hæreditatem acquirat, aut percipiat lucra ex his bonis acquiſita durante matrimonio, ut probat apertè textus *in l. fin ff. de his quib ut indign.* ubi Conſultus rationem præſtat, ibi: *Si ſocer generum hæredem reliquerit, taciti fideicommiſſi ſuſpicionem ſola ratio paternæ affectionis non admittit.* Cùm ergo ex ſolita filii affectione fraudis ſuſpicio non oriatur, nec poſſit præſumi, inde eſt, ut ex natura rei ſuſtineatur inſtitutio, ſeu legatum.

59 Et id licèt lucra conſtante matrimonio ad ſpurium perveniant, quia tunc ſpurius non capit à diſpoſitione patris, ſed legis, & non ex bonis patris, ſed uxoris, vel mariti, *cap. 2. de donat. inter, l. 2. tit. 9. lib. 5. Recopilat.* Ergo abſque ſuſpicione fraudis rectè ſuſtinebitur illa inſtitutio, licèt ſpurius percipiat lucra ex illis bonis acquiſita durante matrimonio. Quod idem eſt dicendum etiamſi nurus, aut gener hæreditatem relinquat ſpurio, quia capit ex inſtitutione nurus, aut generi, non verò patris, & ex bonis jam ſibi acquiſitis. Et confirmatur doctrina Cepolæ *caut. cap. 38.* ubi ſcribit, patrem ſpurium inſtituerem hæredem ſocium omnium bonorum præſentium, & futurorum cum filio ſpurio, licèt per ipſam ſocietatem hæreditas communicetur cum ſpurio, *l. 3 §. Cùm ſpecialiter, l. Cùm duobus 51 §. Socium, l. Si ſocietatem 73. ff. pro ſocio, l. 6. tit. 10. part. 5.* Conſentiunt Bart. *in l. Si is qui 30. ver. Quod ſi ſoci, ff. de lib. leg.* Palacios Rub. *in rub. de donat inter, §. 65. num. 11.* Covarruv. *dict. 2. part. cap. 8 §. 9. num. 11.* Pichardus *Inſt. de hæredit. quæ ab inteſt. §. 7. num. 23.* Ergo ſimiliter dicendum eſt in ſpecie noſtra, etiamſi bona communicentur, ut lucrum conſtante matrimonio acquiſitum, aut alia lucra acquirantur per ſocietatem matrimonii, *cap. Societas 27. quæſt. 2.* Mathienzo *in l. 2. tit. 9. lib. 5. Recopilat. gloſſ. 1. num. 1.* quia tunc non à patre, ſed à conjuge percipit abſque fraude.

Habebit autem locum ſecunda ſententia, ſi ex aliqua 60
cauſa diſtincta fraus huic inſtitutioni, aut legato irrogaretur, veluti ſi adeſſet pactum, ut hæreditas, aut legatum reverteretur, aut aliæ adeſſent fraudes liquidè probatæ, unde tacitum fideicommiſſum probaretur; quia tunc inſtitutio corrueret. Cevallos *quæſt. 780. à n. 147.* Larrea *d. deciſ. 95. à nu. 3.*

Ex his admittere non convenit Ant. Pichardum *d. §. 7.* 61
n. 23. in fin. & nu. 24. dicentem hanc cautelam ſimpliciter inſtituendi nurum, aut generum ſpurii, non eſſe tutam in conſcientia; quia ſi nulla fraus interveniat, majori ratione erit tuta in conſcientia, in quo quidem foro ſemper veritati ſtatur. Tum in ſpecie tantùm eſt difficultas in foro exteriori, an ex ſimplici inſtitutione iſta præſumatur fraus, quæ cùm non præſumatur, ſicut nec dolus, *leg. Dolum 6. Cod. de dolo*, Menochius *lib. 5. præſumpt. 3. n. 44.* Cujac. *in rub. de dolo*, Donellus *lib. 15. comment. cap. 40.* nec etiam eſt præſumenda in foro conſcientiæ, ubi ex veritate procedit: quare ſi nulla fraus interveniat, ſecuri erunt in conſcientia patres ſpurii.

Alter eſt etiam modus, ſcilicèt quando Clericus, vel alter 62
pater ſpurius nepotem ex filio, aut filia ſpuria hæredem inſtituiſſet, vel legatum reliquiſſet; tunc enim inſtitutio, ſeu legatum validum eſt, ut probatur ex deciſione textus *in l. fin. Cod. de natur. liber.* ubi Juſtinianus decrevit licere avo relinquere nepotibus filii naturalis: quod extendunt Doctores etiam ad nepotes ſpurii, ob eamdem rationem. Gloſſa *ibid.* & Bart. *in d. l. §. Quid ſi quis*. Paleotus *de Noth. cap. 55. nu. 4.* Ratione probatur, nam incapacitas filii, aut filiæ ſpuriæ provenit à delicto patris, in cujus incontinentia pars non fuit nepos; itaque nepos non eſt incapax acquirendi hæreditatem, vel legatum avi, & conſequenter ſuſtinebitur. Suarez *in l. 9. tit. 11. lib. 1. for. nu. 5.* ubi plures, Valdes *§. 1. lit. D*, Covarruv. *in 4. 2. p. cap. 8. §. 5. nu. 19.* Mathienzo *in l. 6. tit. 8. lib. 5. Recopilat. gloſſ. 8 nu. 21.* Pinellus *in l. 2 Cod. de bon. matern n. 22.* Parladorius *lib. 1 rer. quot. cap. 16. num. 10.* Cevallos *quæſt 796. nu. 9.* Joſephus Ludoviſius *deciſ. 18. à n. 35.* Sanchez *d. cap. 3. dub. 45. nu. 2.* Boſſius *de Aliment. cap. 6. §. 18 nu. 246.*

Sed dices: Quoties avus inſtituerit nepotem contem- 63
platione filii, aut filiæ ſpuriæ, cenſetur ipſe ſpurius filius, aut filia ſpuria inſtituta, & in fraudem legis. Baldus *in l. Gallus, §. Quidem rectè, ff. de liber. & poſthum.* Molina *de Inſt. tract. 2. diſput. 167. concl. 9. num. 26.* Ergo iſte modus nequit ſuſtineri. Sed tamen reſpondendum, duobus modis poſſe avum nepotem inſtituere. Primò, quando ſimpliciter inſtituit, abſque aliqua dependentia filii, ita ut neceſſariò nequeat ex patre aliquid capere filius ſpurius; & tunc admittenda eſt doctrina relata *num. anteced.* ex ſuo fundamento. Secundò, quando inſtitutio fit contemplatione filiæ, aut filiæ ſpuriæ, ita ut intendat pater inde ſpurio conſulere, & quaſi per mediatam perſonam diſponere, ut hæreditas, ſeu legatum ad eum perveniat, & tunc nec legatum, nec inſtitutio ſuſtinebitur: nam qui eſt incapax capiendi per ſe, eſt incapax capiendi per alium, *l. 2. §. 1. ff. de Adminiſtrat. rer. ad civit. pertinent. l. Nec poſſe 10. Cod. de hæred. inſtit. l. Cùm aliquis 21. Cod. de jur. delib.* ubi Scribentes. Ergo quoties conſtiterit, contemplatione filii, aut filiæ ſpuriæ factam fuiſſe inſtitutionem, ſeu legatum nepotis non ſubſiſtet. Gomez *in l. 9. Tauri, num. 17.* Boſſius *d. §. 18. nu. 249.* de Lugo *d. ſect. 6. nu. 118.*

Erit ergo difficultas in dubio, quando nec conſtat, an 64
contemplatione filii factum fuerit legatum, ſeu inſtitutio: & in hoc caſu, quidquid dicant Bart. & Molina *ubi proximè*, dico non eſſe præſumendum, contemplatione filii, aut filiæ ſpuriæ, nepoti inſtitutionem eſſe factam, aut legatum relictum eſſe. Ratio eſt, quia in dubio non præſumitur delictum. Tum in dubio ſtandum pro valore actus, *l. Quoties 11. ff. de reb. dub. l. 3. Cod. de milit. teſtament.* Ergo in dubio non eſt dicendum, ſimilem inſtitutionem, aut legatum factum eſſe contemplatione filii ſpurii. Gomez *in d. l. 9. num. 17.* Covarruv. *d. cap. 8. §. 5. nu. 17.* Surdus *de Aliment. tit. 5. qu. 7. nu. 29.* Paleotus *de Noth. cap. 53. à n. 6.* Larrea *deciſ. 95. n. 8.* Boſſius *d. §. 18. nu. 248.* quare in dubio ſemper eſt ſuſtinenda inſtitutio, ſeu legatum, niſi contrarium liquidò probetur. Boſſius *d. nu. 248.*

Limitant tamen aliqui Doctorum propoſitionem iſtam, 65
quando nepos inſtitueretur hæres, & uſusfructus patri quæreretur; quia tunc per hanc acquiſitionem facilè fraus

præsumitur. Ergo talis institutio non poterit sustineri. Speculator *tit. de succes. ab intest. §. 1. vers. Quod si filius.* Garcia *de Benefic. 7. part. cap. 1. num 26.*

66 Sed hæc limitatio communiter non admittitur, quia in dubio videtur avum eo animo disposuisse, ne usus fructus patri spurio quæratur, idque fieri ab avo testatore judicandum, ne aliàs actus corruat. Gomez *in l. 9. nu. 17. ad fin.* Sanchez *d. cap. 3. dub. 45. num. 5.* Sed adhuc rigorosè loquendo poterit responderi, institutionem, aut legatum esse sustinendum, licèt pater acquirat usumfructum in bonis filii acquisitis ab avi hæreditate; quia acquisitio usus fructus, quæ fit à patre in bonis filii, non provenit ab aliqua hominis dispositione, sed à legis Beneficio, *leg. Cùm oportet 6. l. fin. Cod. de bon. quæ lib §. 1. Instit. per quas person. l. 5. & 6. tit. 17 p. 4.* Mathienzo *in l. 9. tit. 1. lib. 5. gloss. 1. à nu. 1.* Pinellus *in l. 1. C. de Bon. matern. 1. p. à nu. 9.* Castillo *controvers. lib. 1. cap. 3. à nu. 2.* Unde licèt instituto nepote ab avo, usufructus patri spurio quæratur, non tamen suscipit ab avo nepotis, sed à lege. Ergo talis institutio est sustinenda. Deinde, nec aliqua fraus præsumi valet, sed quod pater spurius utitur jure suo, instituendo nepotem: & licèt usus fructus quæratur filio spurio, id est per accidens, & præter intentionem ex Beneficio legis. Ergo ex parte avi instituentis nepotem nulla fraus valet considerari, sed sustinebitur institutio, ut diximus de bonis lucratis constante matrimonio, *n. 59.*

67 De jure tamen Regio hoc non est admittendum in nepote Clerici, quando avus eum hæredem instituat; tunc enim pater spurius nullatenus percipiet usumfructum, quia de jure isto interdictum est, ne filius Clerici aliquid acquirat ex consanguineis patris, & consequenter nec à nepotibus. Sic tenent Azevedus *in leg. 6. tit. 8. lib. 5. Recopilat. n. 6.* Vasquez *d. § 7. dub. 7.*

68 Sed contra hos ultimos modos instituendi nurum, genetum, aut nepotem Clericum, adest Constitutio Pii V. 117. quam refert Cherubinus *in Bullar. pag. 325.* ubi *in §. 4.* hæc adiiciunt verba: *Deinde verò districtius inhibemus, nec talia sive in prædictis illegitimis utriusque sexus, sive in illorum conjuges, sive ipsorum parentes, filios, ascendentes, vel alios cognatos fiant.* Ex his enim verbis prohibetur, ne per hos modos fiat institutio, aut legatum filiis spuriis Clericorum. Ergo non poterunt sustineri. Verùm Constitutio ista loquitur tantùm in bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ, & quando institutio, seu legatum relinqueretur intuitu, & contemplatione filii Clerici, ut cum aliquibus notat Bossius *d. §. 18. nu. 250.* Ast in Hispania recepta non est hæc Constitutio, nec fortè aliis in partibus, nisi in terris Ecclesiæ, ut testatur Amaya *in l. 1. C. de delat. n. 68.*

69 Denique animadvertendum, aliquos Clericos habentes filios spurios fœdus inter se inire solere, ut adinvicem illos hæredes instituant: quod quidem nefas fit, & contra conscientiam, & filii ad restitutionem tenentur; quia tunc filii potiùs acquirunt hæreditatem à patre, tamquam pretium quo emitur alterius hæreditas, & commutatur, quàm ab alio Clerico, quare nequit sustineri tali institutio. Molina *de Justit. tract. 2. disput. 169. nu. 18.* Illud verò citra dubium est, ut Clerici, & alii patres spurii possint in testamentis filiis alimenta relinquere, & ad id teneri, si pauperes sint. Cevallos *q. 796. nu. 5.* Larrea *decis. 96. à nu. 2.* Valenzuela *cons. 10. per tot.* & jam suprà dictum est.

CAPUT XIII.

De testamentis Religiosorum. Elucidatur Authentica *Si qua mulier, Cod. de Sacr. Eccles.*

SUMMARIUM.

Agitur de testamentis Religiosorum post professionem, n. 1. Monachi olim testabantur, n. 2. Sed posteà id sublatum. Dantur rationes decidendi, nu. 3. Religiosus nequit testari, etiamsi Monasterium sit capax bonorum, vel testamentum fiat ad causas pias, n. 4. Nec codicillos facere, nec legare, ne donare causa mortis, n. 5.

An Religiosus possit aliquid modicum donare causa mortis ex licentia Superioris? Prima sententia negat. Qui interdictus est testari, nequit donare causa mortis, num. 6.

Secunda sententia affirmat: quoties impedimentum de jure naturæ, procedit regula illa, Qui non potest testari, nequi donare causa mortis; secus si impedimentum est de jure civili. Filius familias nequit testari de bonis adventitiis, sed de licentia patris donat causa mortis, n. 7.

Uxor testatur, sed non donat causa mortis, nisi ex licentia viri, ibid.

Aliqui ad donandum requirunt licentiam Conventus, sed ad modicum sufficit licentia Superioris. Admittitur sententia affirmativa, & comparatur donationi inter vivos, nu. 8.

In jure donatio causa mortis est quasi donatio inter vivos conditionata, num. 9.

Quare uxor licèt possit testari, nequi donare causa mortis, nisi ex licentia viri, n. 10.

An Religiosus possit testari ex licentia Superioris de aliquibus bonis ad pias causas? Respondetur negativè, num. 11.

Si Religiosus ex licentia Prælati schedulam fecerit ad aliqua pia post mortem exequenda, intelligitur deprecatoria, num. 12.

Si Prælatus præmiserit Religioso adimplere schedulam pia continentem, an ad id teneatur? Sanchez affirmat de jure naturali, nu. 13.

Sed negat de Lugo, n. 14. Admittitur, si id relinquatur in vim testamenti, aut ultimæ voluntatis, n. 15.

Si tamen sit in modum donationis inter vivos, & est immodica quantitas, idem asserendum. Argumentum de servo ad Religiosum non est firmum. An dominus de jure naturali obligetur servo? Alii affirmant, alii negant, num. 16.

Si schedula sit rei modicæ ad causam piam, Prælatus tenetur adimplere, n. 17.

An Religiosus, qui tempore professionis aliquid reservavit ad testandum, possit de eo testari? Affirmarunt aliqui, nu. 18.

Sed contrarium censuit Sacra Congregatio. Religiosus si aliquid reservat, est tantùm ad usum, n. 19. Admittitur hæc sententia, n. 20.

An Religiosus possit testari de rebus alienis ex consensu Domini? Distinguitur; si enim, ut faciat nomine proprio, non potest, n. 11.

Sicut commissarius nomine alterius, vel domini consentientis valet ex licentia Prælati, etiamsi ei relinquatur, ut aliquid distribuat inter pauperes, aut in alias causas pias, n. 22.

Quod intelligit de Lugo, si faciat ad commodum pauperum, secus si ad commodum proprium, num. 23. Admittitur de Lugo ex alia ratione, n. 24.

An Religiosus factus Episcopus, de bonis quæ sua industria acquisivit, aut de patrimonialibus possit testari? Prima sententia. Religiosus apostata quidquid acquirit, acquirit Cameræ Apostolicæ, n 25.

Secunda sententia tenet contrarium, num. 26. Ejus fundamentum est debile, num. 27. Sed ex aliis rationibus defenditur, n. 28.

Solus Papa potest Religioso dare indultum ad testandum, numer. 29.

Sed est difficultas, quomodo id facere possit Pontifex; Plures dicunt non facere per dispensationem voti paupertatis, sed concedendo administrationem usque ad alienationem per ultimam voluntatem, n. 30.

Alteri dicunt facere per dispensationem voti paupertatis, num. 31.

Pei indultum Religiosus testatur nomine proprio, num. 32. Fit instantia, & respondetur, nu. 33. Replicatur. Prælatus solùm potest dare bona Religioso ad usum amovibilem. Satisfit, nu. 34.

Expenditur Authentica Ingressi, C. de sacr. Ecclesiis, *num. 35. Admittitur sententia asserens hanc facultatem dare Pontificem per dispensationem voti paupertatis, n. 36.*

Facultas Pontificis, ut Religiosus testetur, debet esse expressa, nec sufficiet generalis, n. 37.

An valida sit hæc facultas absque causa? Prima sententia affirmat, nu. 38. Secunda negat, nu. 39. Tertia sententia distinguit, n. 40.

In hoc dubio duo considerantur. Primum quatenus hæc facultas

tas opponitur voto paupertatis. Secundum, quatenus continet alienationem bonorum Monaſterii. Quoad primum requirunt cauſam plures Doctores, nu.41.

Alteri negant, quia hoc principio non nituntur, nu.42. Reſolvitur, abſque cauſa ratione voti poſſe valere hanc facultatem, nu.43.

Sed quatenus continet alienationem bonorum Monaſterii, requiritur cauſa, nec abſque ea poteſt Pontifex bona Eccleſiæ alienare, nu.44.

An quando hæc facultas conceditur abſolutè Monacho, poſſit teſtari ad cauſas profanas? aſſeruit Medina. Sed contrarium ſuſtinetur: nec primogenitum inſtituere poterit, nu.45. Si tamen ad uſus profanos dederit Pontifex ex graviſſima cauſa, ſuſtinebitur, nu.46. Quæ obſervanda in his facultatibus, nu.47.

An Religioſus poſt profeſſionem poſſit revocare teſtamentum factum ante illam, ex licentia Superioris, prout poteſt fieri à Novitio, nu.48.

Prima ſententia affirmat num.49. Secunda negat, nu.50. Tertia diſtinguit, & admittit ſolùm id poſſe inter liberos, ſecus inter alios, n.51.

Reſolvitur cum diſtinctione. Si Religioſus eſt Ordinis incapacis bonorum, nequit revocare, n.52. Si Religioſus fecerit teſtamentum ſæcularis, quando nihil cogitabat de Religione capeſſenda, per profeſſionem rumpitur teſtamentum quoad inſtitutionem, non quoad legata, n.53. Aliqui petunt profeſſionem, & quod ſe, & ſua offerat Monaſterio: ſed ſufficit ſola profeſſio, nu.54.

Si verò cogitaverit de Religione, & fecit teſtamentum, dicunt aliqui rumpi per profeſſionem: ſed contrarium defenditur, n.55.

In hoc caſu admitto ſententiam aſſerentem, ex licentia ſuperioris revocare poſſe teſtamentum. Expenditur lex Sed ſi mors 14.ff.de donat.inter, *nu.56.*

Fit inſtantia, & reſpondetur, num.57. Comprobatur magis, nu.58. Monaſterium poterit revocare ſimile teſtamentum, nu.59.

Poterit Religioſus declarare dubia ſui teſtamenti conditi ante profeſſionem, etiamſi fuerit Minorita, n.60.

An Religioſus extante conſuetudine poſſit teſtari? Prima ſententia negat, num.61. Secunda affirmat. Quidquid poteſt fieri privilegio, fit per conſuetudinem, maximè immemorialem, num.62.

Admittitur prima ſententia negans, & rationibus corroboratur. Non omnis conſuetudo, etiam immemorialis, habet vim privilegii, quando privilegium extra ordinem conceditur, & ſingulari modo, cauſa perſpecta, & tempore, nu.63.

Religioſus profeſſus habens aſcendentes, ſeu deſcendentes, quibus legitima debetur, poteſt inter ipſos diviſionem ſuorum bonorum facere, dum reliquum extra legitimos relinquat Monaſterio, nu.64. Explicatur caput Quia ingredientibus *n.19.* quæſt.3. ibid.

Limitatur ſi Religioſus ſit Ordinis incapacis bonorum: ſi vero non fuerit, ſufficiet unus filius. Hìc aſcendentes, & deſcendentes intelliguntur, quibus legitima debetur, nu.65.

Si moriatur Religioſus ante diviſionem, Monaſterium legitima reddet. In Caſtella legitima aſcendentium eſt tertia pars; deſcenedntium verò omnia bona, præter quintum, n.66.

An Religioſus quando inter deſcendentes dividit legitimas, poſſit aliquem meliorare? Negat Gregorius Lopez, ſed refellitur, n.67.

Alvaradus dicit, poſſe meliorare aliquem deſcendentem in tertio, & quinto; ſed incautè loquitur, n.68.

Reſtat difficultas in ſolo tertio, & negandum videtur meliorare poſſe, n.69.

Sed in contrarium ſtat communis ſententia. Fit inſtantia, & ei reſpondetur, n.70. Et confirmatur, n.71.

Quando pater habet impetratam facultatem à Rege ad inſtituendum majoratum ex legitimis, alimentis relictis, an poſſit illum inſtituere, quinto relicto Monaſterio. Prima ſententia negat, num.72. Secunda affirmat, num.73.

Admittitur hæc ſecunda ſententia, & latè comprobatur, num.74. Explicatur Authentica Si qua mulier, C.de ſacroſ.Eccleſiis, *n.75.*

Pater profeſſus poteſt in diviſione bonorum vulgariter filios Moſtazo de Cauſis Piis. Tom.II.

Subſtituere, vel inſtituere fideicommiſſum, n.76.

Verùm à quo tempore ſit facienda hæc diviſio? Prima ſententia dicit facere poſſe patrem profeſſum per totum curriculum vitæ, n.77. Secunda ſtatim profeſſione facta eſſe faciendam, n.78.

Explicatur textus in cap. Cùm ſimus 14. de Regularibus, *num.79.*

De rigore juris eſt admittenda prima ſententia, n.80.

Sed de æquitate eſt amittenda ſecunda, nu.81.

Hucuſque dicta intelliguntur de verè Religioſis. Eremitæ poſſunt condere teſtamentum, & oblati Hoſpitalibus, nu.82.

Explicatur lex 17. tit.1. p.6. num.83. Religioſi Militares S. Joannis de licentia Superioris teſtantur, num.84. Alteri militares Equites ex privilegio, & conſuetudine teſtantur, non ſolùm ex patrimonialibus, ſed ex redditibus. Clerici harum Religionum Beneficiis inſervientes poſſunt teſtari, quinto relicto Monaſteriis, nu.85.

IN capito iſto non eſt agendum de teſtamentis, aut de aliis diſpoſitionibus, quæ fieri poſſunt à Religioſis ante profeſſionem, ſed tantùm poſt illam, diſquirendo an Religioſi profeſſi habeant teſtamenti factionem activam, vel aliquid aliud diſponere poſſint per ultimam voluntatem; nam cùm dixerimus quid Clerici facere poſſint per ſuas ultimas voluntates, tam ad pia, quàm ad profana, idem eſt inveſtigandum de Religioſis profeſſis de bonis Monaſterii, aut ex aliis redditibus. 1

Et in primis ſciendum, Monachos antiquos habuiſſe non ſolùm teſtamenti factionem paſſivam, ſed etiam activam; nam ut alibi diximus, votum paupertatis non eos privabat dominio rerum ſuarum, ſed tantùm adminiſtratio earum relinquebatur ad libitum Superioris, ita ut impediti remanerent expendendi, utendi, & fruendi, quod poſteà eſt immutatum, ut latè docet Suarez *de Religione, tom.3.lib.8.cap.7. aſſert.1. & ult. n.28.* quapropter quia dominium habebant, adhuc teſtamenti factionem activam retinebant, ut eruditè probat Pontius *quæſt.3. Scholaſtic. c.9. & de Matrim. lib.7. cap.13.* Boetius Epo *in cap.2. de teſtament.n.9.* Tondutus *tom.1 quæſt.benefic.cap.51.n.30.* 2

Verùm poſteà tempore currente id ſublatum, ita ut teſtamenti factio activa Religioſis auferretur, *Auth. Ingreſſi, Auth. Si qua mulier, C.de Sacroſ.Eccleſiis, Auth.de Monachis, §. De illis, coll.1.cap. Quia ingredientibus 7.19. quæſt.3.cap.2.de teſtam. l.17. tit.1.p.1.* Concilium Oxonienſe ſub Stephano, *cap.47.* Rationes decidendi communiter duæ adducuntur: Primam, nam Religioſi poſt profeſſionem mortui cenſentur, nec proprium poſſunt habere, *cap.Non dicatis 12.quæſt.1. Auth.Ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccleſiis.* Unde eſt, ut nequeant facere teſtamentum; de alieno enim numquam teſtamentum valet, & nequit fieri à quaſi mortuo, *l.Conficiuntur 8.§.3.ff.de re jur. codicill.* Secunda, nam Religioſus profeſſus non habet propriam voluntatem; ex eo enim quod profitetur, Prælato ſe ſubiicit, & nec illam habet, niſi translatam ad Superiorem, *cap. fin. de teſtament.* ubi Scribentes. Cùm ergo teſtamentum ſit voluntatis noſtræ juſta ſententia, ita ut unus nequeat pro alio teſtari, *l.Illa inſtitutio 32.ff.de hæredib. inſtituend.* Eſcano *de teſtament.cap.1.nu.30.* ſequitur Religioſum teſtari non poſſe, ut latè docet Gonzalez *in cap.de teſtament. num.17.* Navarrus *in Man.cap.27.num.270.* Petrus Gregorius *Syntagm. lib.4.cap.8.num.8.ad fin.* Spino *in Rub. de teſtament.6.part. à num.1.* Tapia *in Auth.ingreſſi, cap.1. num 80.* Farinac. *in Repert.ult.volunt. quæſt.65.num.15.* Pichardus *in §.6. Inſt. quib.non eſt permiſſ. facere teſtam.* & alii congeſti à Gonzalez *dict.cap.2.nu.14.* 3

Quod non ſolùm intelligas quando Monaſterium eſt incapax acquirendi, ſed etiam ſi eſt capax; quia Religioſus etiam in his Monaſteriis nequit habere proprium, nec de bonis Monaſterii teſtari valet. Ergo etiamſi Monaſterium ſit capax bonorum, poterit Religioſus teſtari. Clarus verbo *Teſtamentum, q.28.num.7.* Durantius *quæſt.jur.5.per tot.* Idem aſſerendum, etiamſi teſtari voluerit ad cauſas pias, ob rationes jam relatas. Navarrus *comment.2. de Regularib. coroll.10.n.22.* Tapia *d.cap.1.n.5.* Barboſa *in d.Auth.Ingreſſi, n.34.* Sanchez *lib.7.Decalogi, cap.8.n.3.* 4

Nec etiam Religioſus valet condere codicillos, cùm teſtari nequeat, *l. Divi §.6. Codicillos, ff.de jur. codicill. l.6.* 5

tit.22.part.6. nec legare, nec cauſa mortis donare, ob eamdem rationem, *l tam is 25.de Donat.cauſ. mort.* ubi Gloſſa *verbo non facit.* Graffius *1 p.lib.3.cap.5. nu.* 38. Peregrinus *lib.2. conſ.* 53. §. 34. Rodriquez *quæſt.Reg. tom.2. quæſt.*47. *cent.7.ad fin.*

6 Sed eſt dubium, an aliquid modicum poſſit Religioſus profeſſus donare cauſa mortis ex licentia Superioris. Prima ſententia negat, nam qui prohibitus eſt teſtari, etiam eſt interdictus donare cauſa mortis, ut diximus *n. antecedent.* Aſt Religioſus nequit teſtari ex licentia Superioris, ut poſteà dicemus. Ergo nequit modicum donare cauſa mortis ex licentia Superioris. Præpoſitus *in cap. Nulli dubium*, *21.quæſt.5.nu.20.* Angulo *de meliorat.in l.1.gloſſ.3. num.15.* Navarrus *conſ.2.de Privilegiis,nu.3.* de Lugo *de juſtit. diſp. 3. ſect.6.nu.* 109.

7 Secunda ſententia tenet contrarium; nam regula illa, *Qui nequit teſtari, nequit donare cauſa mortis*, certa eſt quoties impedimentum eſt de jure naturali. Covarr. *in rub. de teſtament.part.3.num.11.ad fin.* Mathienzo *in l.7. tit.10.lib. 5.Recopilat.gloſſ.2.num.* 34. Aſt ſi impedimentum eſt de jure civili, non procedit; nam aliquoties quis eſt prohibitus teſtari, non tamen donare cauſa mortis prohibetur: nam filiusfamilias, etiam patre conſentiente nequit de bonis adventitiis teſtari, ſed donat cauſa mortis ex ejus licentia, *l.Tam is 25 ff.de donat.cauſ.mort.l.fin.tit.4. part.* 5. Michael Graſſus *lib.1 recept. ſent. §. Donatio cauſa mortis*, *quæſt.* 3. *num.1.* Covarr. *in rub.de teſtament.3 p.nu.8.* Taddæus Piſo *lib.4.var. cap.* 4. *num.* 5. Et aliquando permiſſum eſt teſtamentum condere, non tamen permittitur donare cauſa mortis, ut in uxore, cui teſtari conceſſum eſt, non tamen donare cauſa mortis, abſque licentia viri. Gomez *var.tom.2.cap.* 4.*num.*4. *verſ.quare.* Guttierrez *lib.2. practic.quæſt.21.* Valdeſius *ad Molinam*, *lib.2.de primog.cap.9. num.* 4. quapropter non benè infertur: Religioſus nequit teſtari: Ergo nequit donare cauſa mortis. Cæterùm probatur, nam in vita de licentia Prælati valet Religioſus modicum donare. Ergo etiam cauſa mortis. Tenent Barboſa *in Auth.Ingreſſi*, *C. de ſacroſ.Eccleſiis*, *num.*34. *& in cap. 2.de teſtament.nu.*8. Layman *in Summa,lib.3.tract.5. cap.3. num.*4. Sanchez *lib.7.Decalog.cap.*8. *num.* 11. Diana *5.part. tract.3.reſolut.* 128.

8 In hoc dubio obſervandum, nonnullos negaſſe licentiam Prælati eſſe ſufficientem, ut Religioſus donaret cauſa mortis, ſed eſſe neceſſariam etiam Conventus licentiam. Ita tenent aliqui relati à Sanchez *d.cap.8.num.* 11. Verùm ipſe aſſerit, ſufficere ſolam licentiam Prælati ad donandum cauſa mortis aliquid modicum. Qua quidem ſuppoſitione facta, admitto hanc ſecundam ſententiam, non ex ſuis fundamentis facilè reſponſum accipientibus, ſed ex aliis. Ducor, nam quando donatio cauſa mortis fit ex licentia alterius, veluti cùm Religioſus donat ex licentia Prælati, aut filius ex conſenſu patris, tunc donatio illa donationibus inter vivos comparatur, non autem legatis, aut donationibus cauſa mortis, ut benè advertit Pichardus *in princip. Inſtit.de Donationib.nu.*20. Ratio eſt, nam donatio cauſa mortis comparatur ultimis voluntatibus, *l. ult. Cod. de donat. cauſ. mort.* Menchaca *uſufrequent.lib.1.cap.12.num.*4. Molina *de juſt.tract.2.diſput.*288. quando ſolùm fieret ab eo qui independenter ab alio poteſt donare cauſa mortis, ſed non quando eſt neceſſaria licentia alterius; quia tunc, qui dat licentiam, ipſe eſt verè donans per mediam perſonam donantis, qui cùm ſanus ſit, donatio illa donationi inter vivos comparatur, non verò ultimis voluntatibus. Cùm in præſentia Religioſo donante quid modicum cauſa mortis ex licentia Prælati, verè donans ſit Prælatus, donatio eſt inter vivos. Ergo debet valere.

9 Confirmo diſcurſum, nam in Jure id eſt admiſſum, ut donatio cauſa mortis aliquando donatio inter vivos intelligatur, & mentio mortis ſolùm deſerviat ut conditio appoſita donationi. Natta *lib.1. conſ.* 108. Menochius *lib.3. præſumpt.35.per tot.* Fachineus *lib.5.controverſ.cap.22.* Gratianus *diſcept.cap.*657.*à num.1.* Cancerius *var.1 part.cap.8.nu.* 215. Idcircò in præſentiarum rectè intelligimus hanc donationem, utpotè donationem inter vivos, poſita conditione, ſi mors ſequatur, quæ cùm modica ſit, & facta de licentia Prælati, ſuſtinebitur.

10 Undè breviter attingam rationem, quare uxor, licèt poſſit teſtari, non tamen valet donare cauſa mortis, niſi ex licentia viri; quod plures abnegarunt; de quo Cevallos *quæſt.*895. Mathienzo *in l.7. tit.* 10. *lib.5. gloſſ.2. à num.*30. Hermoſilla *in l.11.tit.4.part.5.gloſſ.1. à nu.* 4. Verùm in altera ſententia illa erit ratio, nam cùm donatio cauſa mortis ſæpiùs tranſeat ad naturam donationis inter vivos, præcipuè hoc eſt interdictum uxori, ne id faciat abſque licentia viri: ſicut cæteræ donationes inter vivos, quæ nequeunt fieri ab uxore abſque licentia mariti, aliquibus exceptis caſibus. Mathienzo *in l.2.tit.3.lib.5.gloſſ.2. nu.5.* Diana 8.*p. tract.6 reſolut.*10. Ergo quando donat cauſa mortis, eſt neceſſaria licentia mariti.

Sed eſt etiam aliud dubium, an Religioſus ex licentia Superioris poſſit teſtari de aliquibus bonis ad cauſas pias. Et affirmandum videtur, quia tunc diſpoſitio illa vim teſtamenti non habet, ſed donationis inter vivos, ut dictum eſt. Ergo debet ſuſtineri talis diſpoſitio. Sed contrarium eſt tenendum, quia Religioſus nequit teſtari ex licentia Superioris, niſi ſit Pontifex, *cap.1. & 2. de teſtament.* Ergo nequit ſuſtineri tale teſtamentum, etiam ex licentia Superioris. Tum teſtamentum nequit reduci ad donationem inter vivos, prout donatio cauſa mortis; unde ſolvitur ratio dubitandi, aliàs anſa præberetur, ut omnia bona Monaſterii deſtruerentur per has ultimas voluntates. Navarrus *comment.2.de Regularib. corol.*10.*n.*22. *& in Manual. cap.*27.*nu.* 270. Rodriquez *tom.3 quæſt.Regul.quæſt.*69.*art.2.in fin.* Tapia *in d.Auth.Ingreſſi,cap.1.n.5.* Sanchez *d.cap.8.n.* 12. Barboſa *de univerſ.jur.lib.1 cap.*42.*à nu.*208. 11

Quid verò, ſi Religioſus ſchedulam fecerit ad aliqua pia poſt mortem facienda ex licentia Prælati? Et in hoc caſu ſi eam feciſſet in vim teſtamenti, non ſuſtinebitur. Navarrus *d.comment. 2. corol. 10. nu.* 22. Si verò aliter, & diverſa mente facta fuerit, aſſerit Navarrus conſolidari poſſe à Prælato, ita ut intelligeretur precatoria diſpoſitio, non verò obligatoria, ita ut Prælatus teneatur ad implere. Idem docet *in Man. cap. 27. num.* 270. Rodriquez *d. q.* 69. Graffius *1.part.lib.3.cap.5.nu.*98. Diana *5.part. tract.3.reſolut.*128.*verſ.Sed ideo.* 12

Sed ſi Prælatus promiſerit Religioſo adimplere ſchedulam continentem rem piam, an obligetur ad illam adimplendam, ſaltem de jure naturali, diſſidium eſt. Pater Sanchez *d.cap.8.n.*18. aſſerit, Prælatum civiliter non obligari: ſic verò de jure naturali, & in conſcientia Ducitur nam licèt dominus ex pacto civiliter cum ſervo non obligetur, obligatur tamen naturaliter; leges enim deobligantes dominum, ſolùm loquuntur ex promiſſione efficaci de jure civili, *l.Cùm affirmes 8.C.de lib.cauſ.l.Interpoſitas 13.C.de tranſact. l.6.tit.11.p.5.* non tamen negant obligari naturaliter, & in conſcientia. Ergo idem eſt dicendum de Religioſo reſpectu promiſſionis Prælati, qui licèt civiliter non obligetur, naturaliter tamen obligabitur: quare in conſcientia tenebitur adimplere ſchedulam illam pia continentem. 13

Verùm de Lugo *d.diſp.3.ſect.6.à num.*113. tenet contrarium, & ſcribit, nec naturaliter obligari Prelatum ad adimplendam ſchedulam. Ratio eſt, quia Religioſus eſt incapax acquirendi aliquod jus in ſui favorem, ita ut alium teneat ſibi obligatum, *cap. Non dicatis 12.quæſt. 1.cap. Monachi*, *cap. Monaſterium 6. de ſtat. Monachor.* Leſſius *de juſt.lib.2.cap.*41.*nu.*71. Ergo nequit tenere obligatum Prælatum ad adimplendam ſchedulam. Quod non ſolùm intelligas civiliter, ſed etiam naturaliter. Idque potuit diſponere Jus Canonicum, cùm hoc expediat ad bonum commune Religionis; aliàs non ſatis eſſet proviſum paupertati Religioſorum, dum de jure naturali poſſent facere contractus, & alios obligare. Cæterùm licèt Prælatus ad uſum poſſit concedere Religioſo aliqua bona, non tamen poteſt irrevocabiliter, cùm opponeretur, etiam de jure naturali, voto paupertatis: quamobrem non poterit obligari Prælatus eo modo, ut adimplere teneatur de jure naturali in foro conſcientiæ. 14

In hoc dubio duobus modis concipienda eſt hæc difficultas. Primò, quando in vim teſtamenti, aut alterius ultimæ voluntatis ex licentia Prælati fieret ſchedula iſta, & Prælatus adimplere promiſerit: & in hoc caſu nec naturaliter obligabitur; nam de jure naturali nequit dare licentiam ſubdito, ut de re aliena diſponat, prout ſunt bona Monaſterii; nec ipſe obligari ad adimplendam rem naturaliter injuſtam, cùm id ſit naturale jus, ut res ad alium non transferatur abſque voluntate domini, ut eſt vulgaris regula *in l. Id quod noſtrum*, *ff. de reg. jur.* bona enim Monaſterii non ſunt Prælati, nec in eis habet niſi puram adminiſtra- 15

strationem, cùm & ipse impeditus sit proprium habere. Ergo nec schedula illa de jure naturali sustinebitur, nec Prælatus poterit eodem jure obligari. Deinde ipse Prælatus est incapax testandi, ut ipse Religiosus de jure naturæ, quia nequit habere proprium. Delugo *d. sect.* 6. *num.* 116. Farinacius *d. q.* 56. *n.* 16. Ergo eodem jure nequit facere capacem Religiosum testandi, nec ipse obligari naturaliter ad implendam schedulam testamenti.

16 Secundo modo valet considerari talis schedula continens pia, scilicet quando per dispositionem inter vivos Prælatus se obligaret ad adimplendum post mortem Monachi, seu Religiosi: & tunc si immodicæ fuerit quantitatis dispositio, nec de jure naturali, nec de civili obligabitur ad adimplendum. Probatur ex eisdem rationibus, nam est dispositio de rebus alienis, in quibus nec ex licentia Prælati valet sustineri, nec ipse Prælatus dare licentiam. Ergo nullo jure obligabitur, Cæterùm, nam simile servi adductum à Sanchez, non probat ejus sententiam; nam ut scripsit Lessius *dict. lib* 2. *cap.* 4. *dub.* 4 *num.* 17. certum illud simile non est: in quibusdam enim causis magis Religiosus subjicitur Prælato, quàm servus domino, *cap. Multos*, 54. *dist.* in aliis verò non: quare non est efficax argumentum illud simile. Deinde, nam plurimorum est sententia, dominum ex promissione servo non obligari ob incapacitatem, etiam naturaliter, *l. In personam* 22. *ff. de Regul. jur. l. Sed et si servo* 20. *ff. de Fid. juss.* Connanus *comment. lib.* 2. *cap.* 3. Et licèt alii teneant contrarium, *l. servi* 14. *ff. de obligat. actionib. l. Servus* 6. *C. de Iudic.* Goveanus *ad l.* 1. §. 17. *ff. ad l. Falcid. num.* 7. Donellus *lib.* 12. *comment. cap.* 22. Larreategui *select. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 4. facilè respondetur; nam servus de jure naturali est capax habendi proprium jus, & obligationes; non verò Religiosus voto paupertatis adstrictus, qui nequit aliquid habere, etiam naturaliter acquisitum, ut benè explicat de Lugo *dict. sect.* 6. *à num.* 113. Ergo etiamsi schedula ista sit facta in vim dispositionis inter vivos, & ex licentia Prælati, nequit Prælatus obligari naturaliter ad adimplendam illam immodicam dispositionem.

17 Attamen si dispositio ista sit modicæ quantitatis ad causam piam, rectè sustinebitur schedula per dispositionem inter vivos, non solùm civiliter, sed etiam naturaliter, & Prælatus promittens tenebitur adimplere: quia ut diximus supra, est donatio rei modicæ cum conditione ut adimpleatur post mortem, quæ fieri valet ex licentia Prælati, & consequenter obligabitur ad adimplendum.

18 Quid verò dicendum, si Religiosus tempore professionis, in quo rectè de suis bonis disponit, Petrus Gregorius *lib.* 42. *Syntag. cap.* 8. *num.* 8. Farinacius *dict. quæst.* 56. *nu.* 2. aliquam partem reservaverit, ut post professionem de ea testetur, an validum sit testamentum? Affirmarunt Baldus *in cap. In præsentia* 8. *de Probat. n.* 38. Jas. *in dict. Auth. Ingressi*, *num.* 37. Ducuntur, nam licèt Religiosus non possit reservare dominium illorum bonorum, benè tamen poterit facere dispositionem per testamentum, consentiente Monasterio.

19 Sed contrarium censuit Sacra Congregatio 14. Decembris 1613. quam refert Barbosa *de univers. lib.* 1. *cap.* 42. *nu.* 207. Ducitur, nam non solùm repugnat voto paupertatis dominium illorum bonorum reservatorum, sed etiam jus disponendi de illis, vel possessio, vel quasi illius. Suarez *de Religion. tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 5. *assert.* 2. *num.* 24. Villalobos *in Summa*, 2. *p. tract.* 35. *difficult.* 29. Ergo talis reservatio disponendi de his bonis per testamentum nequit Religioso præstare jus ad testandum. Cæterùm repugnat non habere dominium, & habere facultatem disponendi de re; nam dominium est facultas utendi re ad libitum, *l. In re mandata* 5. *C. Mandat l.* 1. *tit.* 22. *p* 3. Gomez *in l.* 45. *Tauri*, *à n.* 5. Donellus *lib.* 9. *comment. cap.* 8. Antunez *de donat. lib.* 1. *par.* 3. *cap.* 8. Ergo quoties dominium ablatum est à Religioso per professionem, necessariò jus disponendi ei ablatum est. Denique si aliquid tempore professionis potest reservare ex licentia Prælati, est tantùm aliquid ad usum amovibile. Garcia *de Beneficiis*, 7. *part. cap.* 10. *num.* 100. Barbosa *in Auth. Ingressi*, *Cod. de Sacros. Ecclesiis*, *num.* 36. & *de univers. lib.* 1. *c.* 42. *n.* 152. Tamburinus *de jur. Abbat. tom.* 3. *q.* 16. *n.* 16. Sanchez *lib.* 5. *Decalogi*, *c.* 4. *n.* 97. non tamen poterit aliquid reservare, ut de illo liberè disponat, tanquam de re propria, aut in qua habeat aliquod jus. Ergo minimè ex hac reservatione poterit testamentum condere. Barbosa *dict. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 207. de Lugo *dict. sect.* 6. *numer.* 115. Sanchez *dict. cap.* 8. *num.* 18.

Hæc sententia admittenda est, & ultra rationes adductas, adhuc probari poterit; nam ut docet de Lugo *dict. sect.* 6. *num.* 115. sicut mors naturalis tollit potentiam naturalem, sic mors civilis in professione tollit omnem potentiam civilem ad testandum, nec aliquo modo subsistet ex licentia Prælatorum, cùm ipsi nequeant illam præstare ad testandum: quapropter ex simili reservatione, etiam cum licentia Prælati non poterit testari. Quod non solùm tenebis quando reservasset ad faciendum testamentum, sed etiam si reservasset ad donandum inter vivos, ob rationes supra perpensas. Et licèt Prælati possint dare licentiam Religioso, ut aliquid modicum præstet, ut jam diximus, Lessius *de just. lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 8. *n.* 71. Villalobos *d. difficult.* 39. *n.* 4. non tamen poterit præstare licentiam ad hanc reservationem donandi, etiamsi modicum fuerit; quia nequit Religiosus jus habere, & retinere ad donandum. 20

Sed quæres, an Religiosus possit testamentum condere de rebus alienis ex consensu domini? Et in re distinguendum, an dominus consenserit, ut faciat professus testamentum nomine proprio, an verò nomine domini consentientis, tanquam commissarius, seu exequutor. Primo enim modo nequit testamentum condere, etiam de licentia Prælati, ut docet Navarrus *d. comment.* 2. *de Regul. nu.* 57. qui aliquibus rationibus probat suam sententiam; illa enim aptior est, quia tunc nequit fieri testamentum nomine Religiosi, nam tunc nequit fieri nomine Religiosi testamentum, nisi dominus transferat dominium illorum bonorum ad Monasterium. Navarrus ubi proximè, num. 5. Barbosa *in Auth. Ingressi*, *C. de Sacros. Ecclesiis*, *num.* 34. Ergo nequit Religiosus condere testamentum nomine proprio, etiam cum licentia Prælati, ut diximus supra de bonis Monasterii. 21

Si verò tanquam commissarius, aut exequutori id fecerit nomine domini bonorum consentientis, tunc valet ex licentia Prælati, *cap. fin. de testament. in* 6. Quod etiam admittunt DD. si relinquatur Monacho aliquid, ut distribuat inter pauperes tempore suæ mortis; quia tunc non est testator, sed elector pauperum, & exequutor piorum. Pacianus *cons.* 36. *à n.* 103. Sanchez *d. c.* 8. *n.* 8. Diana 5. *p. tract.* 3. *resol.* 128. *vers. Notandum est*. 22

Sed de Lugo *d. sect.* 6. *n.* 111. in hoc casu distinguit; nam si attendamus ad testamenti factionem, rectè procedit doctrina ista, quia non est nisi exequutor, aut elector pauperum. Idem dicendum quoad votum paupertatis, si id facit tanquam œconomus testatoris, aut fidelis distributor. Si tamen hæc facultas non tam detur favore pauperum eligendorum, aut causarum piarum exequendarum, sed in commodum ipsius Religiosi, tunc per se nequit absque licentia Prælati hanc electionem, aut distributionem facere, quia tunc Religiosus est quasi dominus habens illa bona ad distributionem inter pauperes. 23

Hæc sententia de Lugo admittenda est non ob suam rationem, quia nimis probat, quatenus supponit aliquod jus, vel quasi dominium ad distributionem illam faciendam acquisiisse Religiosum, quod distribuere nequit, si immodicum est, etiam cum licentia Prælati. Quare dicendum, nullum jus in illis bonis Religiosum acquisivisse, nec in electione, & distributione, sed totum fieri nomine ipsius domini relinquentis bona illa ad pauperes, vel ad alia opera pia, ad quod sufficit licentia Prælati. Rodriguez *in Sum. tom.* 2. *cap.* 70. *n.* 13. Sanchez *lib.* 6. *Decalog. cap.* 11. *n.* 33. 24

Est verò dubium, an Religiosus factus Episcopus possit testari de bonis sua industria quæsitis, vel ex hæreditate aliqua, vel paterna; Prima sententia negat; nam Religiosi Episcopi adhuc voto paupertatis adstringuntur, nec in his bonis habent dominium, sed est penes Ecclesiam, aut Cameram Apostolicam. Ergo de eis nequeunt testari tanquam de re aliena. Et à simili confirmatur, nam Religiosus Apostata quidquid acquirit in sæculo, Monasterio non acquirit, sed Cameræ Apostolicæ, ex Constitutione Gregorii XIII. cujus meminit Navarrus *cons.* 17. *de Stat. Monach. & cons.* 18. *de Regularib.* quod idem dicendum videtur de Religioso facto Episcopo, qui licèt aliquid acquirat in sæculo, ad Cameram Apostolicam, vel ad Ecclesiam pertinebit, ob voti impedimentum. Ergo de his bonis non poterit testari. Turrecremata *in cap. Nulli* 11. *quæst.* 5. *nu.* 22. Cenendo *de paupertat. Religios.* 25

gioſ. *dub.*48. Rota apud Gregorium XV. *dec.*1. *n.*9. Gratianus *diſcept. for. cap.*363. *nu.*25. Pareja *de inſtrument. Edit.* 1. *p. tit.*5. *reſ.*5. *n.*9. Capponi *to.*1. *diſcept.*41. *à n.*3. Sanchez *lib.*6. *Decalog. cap.*6. *nu.*10. Araujo *de Stat. Eccleſ. tract.*3: *q.*28. *dub.*3. *n.*18.

26 Secunda ſententia tenet contrarium; nam licet Religioſus Epiſcopus in his bonis non habeat dominium, habet tamen adminiſtrationem, quod eſt ſufficiens ad teſtandum. Et confirmatur, nam hæc adminiſtratio bonorum eſt ſufficiens ad donandum in vita. Ergo eſt ſufficiens ad teſtandum. Hoſtienſis *in cap.*1. *de teſtam. num.*5. Medina *de Sacror. hom. continent lib.*5. *cap.*26. *col.*2. *Sà verbo Epiſcopus, num.*11. Rodriguez *in Sum. tom.*2. *cap.*70. *num.*5. Villalobos *in Sum.*2. *p.tr.*35. *difficult.*40. *n.*10. dicit probabile Sanchez *d. c.*6. *n.*10.

27 In hoc dubio animadvertendum, fundamentum hujus ſecundæ ſententiæ debile eſſe; nam ex ſola adminiſtratione rei alienæ non ſequitur facultas de illa teſtandi, quin potius contrarium, dum jura ad teſtandum dominium requirunt, ut communiter docent DD. *in dict. Authent. Ingreſſi.* Tum adminiſtratio morte finitur, nec poteſt adminiſtrator de his quæ poſt ejus mortem ſunt peragenda reſpondere.

28 Attamen admitto hanc ſecundam ſententiam; nam facultas teſtandi eſt permiſſiva, nec aliquo modo eſt limitanda, niſi in perſonis, & caſibus à jure expreſſis. Gloſſa *in l.*1. *Cod. de Sacroſ. Eccleſiis.* Gloſſa *in proœmio tit.*1. *pa.* 6 *& in l.*13. *ejuſdem tit.* Pichardus *in rub. Inſtit. quibus non eſt permiſſ. num.*7. non enim eſt textus qui interdicat Epiſcopis Religioſis de rebus ſuis teſtari. Ergo rectè poterunt teſtari. Cæterùm dicere, Religioſos Epiſcopos tantùm habere adminiſtrationem, & non dominium ſuorum bonorum, incertiſſima res eſt; nam plures Doctores tenent contrarium, quos dedimus ſupra, *cap.*3. *num.*41. quare cùm in his bonis dominium acquirant, de eis poterunt teſtari. Denique, ut ſcripſimus *cap.*3. *à num.*43. Religioſus Epiſcopus diſpenſatus eſt in modo voti, itaut rectè conſequatur dominium in redditibus. Ergo majori ratione in bonis patrimonialibus. Unde, quidquid reſiſtat Araujo *dict. dub.*3. *à num.*18. dilabitur fundamentum contrariorum, & conſequenter poterit Religioſus Epiſcopus de his bonis teſtari.

29 Præterea Religioſus profeſſus poterit teſtari, ſi indultum ei conceſſerit Summus Pontifex; nec ſufficiet licentia Prælati ſimul cum Conventu, nec Capituli Generalis, cùm nequeant in lege Superioris diſpenſare. Covarr. *in cap.*2. *de teſtam. num.*10. Simon de Prætis *de interpret. ult. volunt. lib.* 2. *interpret.*1. *dub.*1. *reſolut.*4. *n.*73. Rodriguez *quæſt. Regul. tom.*3. *quæſt.*69. *art.*2. de Lugo *dict. ſect.*6. *nu.*118. Barboſa *in cap.*2. *de teſtament. num.*9. *& de univerſ. jur. lib.*1. *cap.* 43. *num.*213.

30 Eſt verò difficultas, quomodo id fieri poſſit à Romano Pontifice. Plures dixere, non id facere Pontificem per diſpenſationem voti paupertatis, ſed tantùm concedendo adminiſtrationem, ſeu uſum illorum bonorum, ut Religioſus de eis diſponat per ultimam voluntatem: quod non eſt voti diſpenſatio, ſed prorogatio facultatis alienandi inter vivos, uſque ad alienationem per ultimam voluntatem. Navarrus *conſ.*2. *de Regularib. num.*57. Leſſius *de juſtit. lib.*2. *cap.*41. *dub.*8. *num.*71. Sanchez *lib.*7. *Decalog. cap.*8. *num.*47. Layman *in Summa, lib.*3. *tract.*5. *cap.*3. *n.* 5. Suarez *de Religion. tom.*3 *lib* 8. *cap.*16. *num.*10. de Lugo *d. ſect.*6. *n.*118.

31 Alteri verò inquiunt, id à Pontifice fieri per diſpenſationem voti paupertatis, quia cùm Religioſus teſtatur, proprio nomine teſtamentum condit, quod nequit facere niſi acquirendo dominium illorum bonorum, de quibus ad teſtandum facultas conceditur. Ergo neceſſariò id debet facere Pontifex per diſpenſationem voti paupertatis, ut Religioſus teſtetur non tanquam adminiſtrator, ſeu œconomus Pontificis, Francus *in rub. de teſtam. n.*82. Azorius *Inſtit. Moral.*1. *p. lib.*12. *c.*9. *q.*10.

32 In hoc dubio dico in primis, totam difficultatem conſiſtere, an teſtetur Religioſus, quando indultum conſequutus eſt a Romano Pontifice, nomine proprio, an alieno, nempe Pontificis concedentis, qui eſt ſupremus adminiſtrator illorum bonorum? Et exiſtimo ſemper teſtari nomine proprio. Probatur, nam indultum nihil præſtat, niſi licentiam teſtandi, removendo impedimentum juris, libere relinquendo profeſſum, ut teſtetur ſecundùm ſuam voluntatem. Ergo quoties indultum conceditur, id fit ut teſtetur nomine proprio, & ſecundùm ſuam propriam voluntatem. Cæterum ſi iſta facultas eſt tantùm prorogatio facultatis donandi inter vivos, poſſet hæc licentia dari à Superioribus, qui ad donandum inter vivos, cauſa ſubſiſtente, eam præſtant: Sed hoc eſt de jure reprobatum, ut diximus nu.29. Ergo aſſerendum, per indultum concedi facultatem teſtandi nomine proprio.

Sed dices cum Suarez *dict. cap.*16. *n.*11. Superiores Religioſi poſſent concedere hanc licentiam, niſi à jure interdicerentur, quia eſt tantùm prorogatio alienandi inter vivos. Ergo Religioſus non teſtatur nomine proprio. Sed reſpondetur nullum eſſe textum apertè interdicentem Superioribus hanc licentiam concedere, ſed tamen per neceſſarium ſequitur: nam cùm Religioſus teſtetur nomine proprio, & ad id ſit neceſſarium acquirere dominium, inde eſt, ut hæc licentia præſtari non poſſit à Superioribus Religioſi, ſed ſolùm à Romano Pontifice. 33

Inſtabis: Ergo dabitur caſus, in quo poſſit Religioſus teſtari ex ſola licentia Superioris. Probatur, nam ſi licentia Pontificiis eſt neceſſaria ut Religioſus teſtetur nomine proprio, & acquirat dominium; ſi velit teſtari nomine alieno, & tantùm ut adminiſtrator, ſufficit licentia Superioris. Reſpondetur hunc caſum tantùm poſſe accidere quando Religioſus diſponeret de aliqua re modica, quam ex licentia Superioris poterat donare inter vivos, ut diximus ſupra, de donationibus cauſa mortis; non verò de aliis rebus majoribus, aut circa magnam quantitatem, quam nequit alienare Religioſus, etiam ex Superiorum licentia; nec illam admittere, niſi ad uſum pro ſua vita. Suarez *d. cap.*16. *num.*12. Barboſa *in cap.*2. *de teſtament. n.* 13. ad quam diſponendam, & alienandam per ultimam voluntatem, neceſſarium eſt indultum à Romano Pontifice, quod exiſtimandum concedi, ut nomine proprio Religioſus teſtetur, non autem nomine Pontificis, niſi ſua Sanctitas id in Indulto expreſſerit. 34

Deinde comprobatur diſcurſus *ex dict. Auth. Ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccleſiis*, ubi aſſeritur Monachum teſtari non poſſe, quia non habet proprium, nec eſt dominus bonorum. Ergo ad hoc ut teſtetur, neceſſarium eſt ut fiat dominus illorum bonorum per indultum Pontificis, quod non eſſet neceſſarium, ſi ſicut adminiſtrator teſtaretur nomine alieno. Ergo dicendum, per indultum ſemper teſtari nomine proprio. 35

Hinc ſequitur, admittendam eſſe ſecundam ſentent-am aſſerentem teſtari Religioſum per indultum Pontificis nomine proprio, acquirendo dominium, & per diſpenſationem voti paupertatis. Quod facilius admittendum in noſtro modo explicandi, non diſpenſando in omni voto paupertatis, ſed in modo ipſius voti. 36

Licentia, vel facultas Pontificis debet eſſe expreſſa, & in particulari, ut Religioſus teſtetur; nec ſufficiet generalis diſponendi independenter à Prælatis, quia eſt ad id ſpeciale interdictum, & eſt ad id neceſſaria ſpecialis diſpenſatio. Delugo *d. ſect.*6. *nu.*119. Tum & cauſa eſt neceſſaria. Leſſius *d. dub.*8. *n.*71. Sanchez *d. c.*8. *n.*48. Molina *de juſtit. tract.*2. *diſp.*141. *n* 9. 37

Sed eſt dubium, an valida ſit talis facultas abſque aliqua cauſa. Prima ſententia affirmat, & probari poterit ex doctrina Covarr. *in c. Cùm in officiis* 7. *de teſtament. nu.*7. ubi aſſerit, licentiam, ſeu facultatem datam à Pontifice Epiſcopo ad teſtandum de redditibus abſque cauſa, validam eſſe, licet illicitam. Ergo idem eſt dicendum de hac facultate data Religioſo ad teſtandum. Cæterum hæc diſpenſatio eſt juris poſitivi, quæ ſi fiat à Pontifice abſque cauſa, valida eſt, ut cum multis diximus *cap.*10. *numer.* 30. Ergo erit valida. Redoanus *de ſpoliis, quæſt.*7. §. *His præſuppoſitis, n.*13. 38

Secunda ſententia tenet contrarium, nam hæc facultas conceditur cum diſpenſatione voti paupertatis, cujus obligatio cùm ſit de jure divino, nequit fieri à Pontifice abſque cauſa. Ergo ſi abſque ea conceditur hæc facultas, valida non erit. Francus *in d. rub. de teſt. n.*82. Azorius *d.*1. *p. lib.* 12. *c.*9. *qu. ult.* 39

Tertia ſententia aliter dicit, ſi enim in facultate iſta includatur vitium alienandi bona Monaſterii, non quia per ſe ſit iniqua, ſed tantùm verſetur vitium quoad modum, tunc hæc facultas abſque cauſa ſuſtinebitur; quia in hac ſpe- 40

cie

cie tantùm læditur jus poſitivum, cujus diſpenſatio valida eſt abſque cauſa, ſecus ſi non fuiſſet vitium in modo alienandi, ſed in ipſa alienatione, quia eſſet iniqua; tunc enim valida non erit abſque cauſa, quia talis diſtributio fuiſſet iniqua contra votum paupertatis, & eſſet dare licentiam, ut bona Monaſterii prodigerentur à Religioſo: quod nequit fieri à Pontifice, qui non eſt dominus illorum bonorum, ſed tantùm adminiſtrator. Sanchez *d.c.8.n.50.*

41 In hoc dubio duo ſunt conſideranda in facultate teſtandi conceſſa in Religioſo. Primum, quatenus opponitur voto paupertatis: ſecundum, quatenus continet alienationem bonorum Monaſterii: Et quoad primum Doctores ſecundæ ſententiæ conſequenter loquuntur; nam cum ipſi dixerint hanc facultatem concedere Pontificem per diſpenſationem voti paupertatis, benè aſſerunt cauſam eſſe neceſſariam, ut valida ſit facultas, quia abſque cauſa nequit Pontifex votum diſpenſare; continet enim obligationem de jure divino, neceſſariò requirentem cauſam gravem, ut poſſit ab illo diſpenſari. Gloſſa *in cap. non eſt 3. de vot. verbo Niſi ſubſit cauſa*, ubi etiam Barboſa *num. 5.* S. Thomas *2.2. quæſt. 88 art. 12. ad 2.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſput. 17. num. 13.* Reginaldus *in praxi for. lib. 8 n. 341.* Villalobos *in Summ. 1 p. tract. 2. difficult. 41. n. 1.* Layman *in Sum. lib. 1. tr. 4. cap. 22. n. 2.*

42 Sed prima ſententia, quæ alio principio nititur, nempè non continere diſpenſationem voti paupertatis, verùm tantùm tollere juris impedimentum denegans hanc facultatem Religioſo, contrarium affirmat, quia tantùm continet juris interdictum à Summo Pontifice diſpenſabile abſque cauſa validè Layman *d.c.22. n.31.*

43 In re verò dicendum, inſpecto ſolo voto paupertatis, in noſtro modo explicandi, nempè diſpenſare Pontificem votum quoad modum, validam eſſe facultatem teſtandi abſque cauſa; nam ſimilis diſpenſatio eſt tantùm à jure poſitivo diſpoſita, nempè concedendo dominium, relicto uſu ad nutum Superioris, quod non tollit ſubſtantiam voti paupertatis; idcircò ſuſtinebitur validè talis facultas à Summo Pontifice conceſſa abſque cauſa, licèt illicitè.

44 Verùm quatenus facultas iſta teſtandi continet alienationem bonorum Monaſterii, dico admittendam eſſe ſecundam ſententiam; quælibet enim bona, ſive jam ſint Monaſterii, ſive de novo acquirantur à Religioſo, ipſius ſtatim fiunt. Gratianus *regul. 320.* Tuſchus *tom. 5. lit. M. concluſ. 31.* Paulus Berti *in Praxi crim. Regul. tit. 1. cap. 2. num. 17.* Azorius *Inſtit. Moral. 1. part. lib. 12. cap. 8.* Molina *de juſtit. tract. 2. diſput. 140.* quamobrem, ut per hanc facultatem datur Monacho licentia teſtandi, conſequentur conceditur facultas alienandi bona Monaſterii, quorum dominus Pontifex non eſt: quare ut Monaſterium illis bonis privetur, neceſſaria eſt cauſa, non quælibet, ſed publica Religionis, aut Monaſterii; alias valida non erit, ex his quæ ſcripſimus *lib. 1. cap. fin. à num. 3.* Tum quia licet Pontifex ſit generalis adminiſtrator bonorum Eccleſiæ cum libera, Navarrus *de Reddit. quæſt. 1. monit. 54.* Solorzanus *de Jur. Ind. tom. 2. lib. 5. cap. 1. num. 10.* nequit abſque cauſa bona iſta concedere, niſi juſta cauſa ſubſiſtente, *cap. Cùm Apoſtolica 7. de his quæ fiunt à Prælat. ad finem*, Covarr. *lib. 1. var. cap. 17. num. 4.* Solorzano *d. cap. 1. nu. 9.* Ergo facultas iſta teſtandi, eo quod alienet bona Monaſterii abſque cauſa, valida non erit.

45 Rurſus diſquirendum, an quando hæc facultas conceditur Religioſo abſolutè abſque expreſſione uſuum piorum, aut profanorum, poſſit teſtari ad uſus profanos? Et Medina *de ſacror. hominum continet lib. 5. cap. 26. col. 2.* aſſeruit poſſe etiam teſtari ad cauſas profanas, idque uſu eſſe receptum. Sed contrarium eſt tenendum, nam Pontifex generaliter, & abſolutè aliquid concedens, cenſetur derogare juri communi quominus illud lædat; quamobrem ſolùm eſt intelligenda hæc facultas ad cauſas pias, non verò ad profanas. Navarrus *de reddit. quæſt. 3. num. 6.* Molina *de primog. lib. 2. cap. 9. num. 67.* Alter Molina *dict. diſput. 141. in fin.* Suarez *de relig. tom. 3. lib 8. cap. 1 . num. 19.* Barboſa *in capit. 2. de teſtament. num. 11* Sanchez *Decalog. lib. 7. cap. 8. num. 51.* Unde ex hac facultate primogenium inſtituere non valet ad conſervationem familiæ, quia eſt uſus profanus. Molina *dict. cap. 9. num. 68.* Sanchez *dict. cap. 8. num. 52.*

46 Si verò ad uſus profanos aliquando hanc facultatem dederit Pontifex, cauſa exiſtente ſuſtinebitur, ut contra Tapiam, & Leſſium tenet Sanchez *d.c. 8, nu. 51.* Valet enim Religioſus tam inſignia merita habere, ut validè, & licitè ei hæc facultas ad uſus profanos concedatur; nam ut diximus ſupra, cauſa exiſtente, ſemper ut cauſa pia exiſtimabitur, ut latè *c. 10. à n. 27.* docuimus.

In facultatibus aliqua ſunt obſervanda. Primum, ut licentia, & facultas ſit expreſſa, & in particulari, ut dicatur ad cauſas profanas. Secundò debet exprimere, dari facultatem Religioſo teſtandi de his bonis, quæ poſſidet, non autem de aliis bonis Monaſterii: in his ergo, niſi rarò, Pontifex hanc facultatem non concedit. Molina *dict. diſput. 141. num. 10.* & ſemper intelligitur de bonis quæ à Religioſo tenentur. Gamma *deciſ. 308 num. 2.* Layman *in Summa, lib. 3. tract. 5. cap. 3. num. 5.* Sanchez *dict. cap. 8. num. 56.* Tertiò, ut hæc facultas non extinguatur pro primo actu, Sanchez *d.c. 8. nu. 60.* Quartò, ut nec extinguatur morte concedentis. Barboſa *in cap. 2. de teſtament. à n. 13.* Sanchez *d.c. 8. n. 57.* 47

Eſt verò dubium, an Religioſus, dato quod non teſletur, poſſit de licentia Superioris revocare teſtamentum factum ab eo ante profeſſionem? Et in hac difficultate ſuppono id fieri poſſe à Novitio abſque ſolemnitatibus Tridentini, ut explicant Theſaurus *lib. 2. deciſ. 56.* Guttierrez *Can. num. 7.* 48

lib 2. cap. 1 à num. 6. Garcia *de beneficiis, 11. part. cap. 9.* 49

Erit ergo dubium circa teſtamentum factum poſt profeſſionem. Prima ſententia affirmat, quia hoc non eſt teſtari, ſed teſtamentum revocare, quod eſt diverſum. Ergo ex licentia Superioris poterit revocare teſtamentum conditum ante profeſſionem. Cæterùm, nam ultima voluntas eſt deambulatoria uſque ad vitæ exitum, *l. 4. ff. de adimend. legat. l. Cùm hic ſtatus 38. §. Ait oratio, ff. de donat. inter, cap. Cùm Marthæ 6. de celebrat. Miſſar.* Guttierrez *de juramento. 2. part. cap. 1 à num. 11.* Mantica *de conject. lib. 12. tit. 1. à nu. 1.* Profeſſio verò mors non eſt naturalis. Ergo Religioſus etiam poſt profeſſionem ex licentia Superioris poterit revocare teſtamentum, quod ante profeſſionem condiderat. Bart. *in Auth. Si qua mulier, Cod. de ſacroſ. Eccleſiis, num. 5.* & ibidem Salycet. *col. 8.* Tellus *in l. 17. Tauri, num. 5.* Rodericus Suarez *alleg. 20. à num. 25.* Clarus *verbo Teſtamentum, quæſtion. 29. numer. 9.* Decianus *lib. 3. conſil. 31. per tot.* Craſſus *de ſucceſſ. ab inteſtat. §. Teſtamentum, quæſt. 34. numer. 8.* Menchaca *de ſucceſſ. libro primo §. 2. nu. 52.*

50

Secunda ſententia tenet contrarium, nam quando Religioſus profitetur, à ſe abdicat dominium ſuorum bonorum, jura, & actiones: quamobrem remanet teſtamentum confirmatum, & hæredes, & legatarii plenè hæreditatem acquirunt quaſi per mortem naturalem. Ergo poſt profeſſionem non poterit teſtamentum revocare, etiam cum licentia Superioris. Cæterùm profeſſio, licèt mors naturalis non ſit, attamen in his quæ repugnant ſtatui Religioſo producit illos effectus, prout producit mors naturalis: quapropter confirmatum remanet teſtamentum, perinde ac ſi Religioſus naturaliter moreretur, & conſequenter non poterit revocare, etiam ex licentia Superioris. Spino *de teſtament. gloſſ. 6. in rubr. num. fin.* Fachineus *controverſ. lib. 6. cap. 15 verſ. Ego ſententiam.* Farinacius *in repert. ultim. volunt. quæſt. 65. num. 5.* Theſaurus *quæſt. 56. num. 1.* Barboſa *ad Concilium, ſeſſ. 25. de regul. cap. 16. numer. 20.* Caſtillo *lib. 1. controverſ. cap. 65. num. 6.* Sanchez *lib. 7. Decalog. c. 11. num. 5.* de Lugo *dict. ſect. 6. num. 120.* Oliva *de for. Eccleſiæ, 3. p. q. 41. nu. 12.*

Tertia ſententia inquit, Religioſum poſt profeſſionem poſſe revocare teſtamentum ſolùm in ſpecie Authenticæ *Si qua mulier, C. de ſacroſ. Eccleſiis*, quatenus inter liberos diſponit ſua bona dividendo; aliter verò revocare non poſſe, ut admittit Clarus *dict. quæſt. 29. num. fin.* Gregorius *in l. 17. tit. 1. p. 6. verbo Pueden.* & alii recenſiti à Sanchez *dict. cap. 11. nu. 3.* 51

In hac difficultate diſtinctio facienda eſt, quando Monaſterium, in quo profitetur Religioſus, eſt incapax bonorum, & quando capax. Quando Monaſterium eſt incapax, neutiquam Religioſus etiam ex licentia Prælati poterit teſtamentum revocare factum ante profeſſionem. Ratio eſt, nam profeſſio in Monaſterio incapaci bonorum, tanquam mors naturalis reputatur; idcircò ſicut morte naturali teſtamentum confirmatur, *l. 1. verſ. Poſt mortem, ff. de teſtam. cap. Cùm Marthæ 6. §. Cæterùm, verſ. Noviſſimum*, 52

Pichar-

Pichardus *in princip. Instit. quib.non est permiss.n.*43. Escano *de testam. c.*1. *n.*24. ubi adducit ad id testimonium D. Pauli *ad Hebræos cap.*9. itaut amplius non possit revocari: similiter quando testator ingressus est Monasterium incapax bonorum, Bart. *in tract. de Minorit. lib.*4. *distinct.*2. *cap.* 3. *n. fin. & in dict. Auth. Si qua mulier, à n.*11. Benedictus *in cap. Raynutius, verbo Mortuo testatore* 1. *n.*201. Mandellus *vol.* 4. *cons.*712. *num.*4. Farinacius *dict. quæst.*65. *num.*15. Sanchez *dict. lib.*7. *cap.*11. *num.*1. Palao *tom.*3. *Oper. Moral, tract.*16. *punct.*14. *n.*3.

53 Erit ergo difficultas in alio membro distinctionis, scilicet quando Monasterium fuerit capax bonorum. Et antequam ad resolutionem deveniamus, ponendus est casus quæstionis. Poterit enim Religiosus testamentum condere antequam cogitaverit de Religione capessenda, & tunc rumpitur testamentum per professionem in Monasterio capaci bonorum, quoad institutionem, non verò quoad legata; quia revera se, & sua obtulit Monasterio. Clarus *verbo Testamentum, quæst.*28. *num.*4. Farinacius *d. quæst.* 65 *à num.*8.

54 Doctores tamen isti cum aliqua obscuritate loquuntur, dum ultra professionem petunt quod se, & sua offerat Monasterio: quod explicationis gratia dictum censeo, ex eo quod per talem oblationem rumpatur testamentum, quatenus ad alium bona transfert, quod fit per solam professionem. Sed tamen etiamsi nullam faciat oblationem, sed simpliciter professionem, idem est asserendum; nam Monasterium habetur per professionem loco filii, & sicut agnatione posthumi rumpitur testamentum, *princip. Instit. quib. mod. testament. infirment. l. Centum* 8. *ff. de injust. rupt. leg.*20. *tit.*1. *p.*6. similiter agnatione Monasterii. Tum ex ratione supradicta, quia quando Religiosus simpliciter profitetur, tacitè se, & sua Monasterio offert, & similliter testamentum rumpitur, sicut si expresè offerret. Abbas *in cap. In præsentia* 8. *de probat. num.*2. Innocentius *ibidem, num.* 7. Hostiensis *num.*11. Jason. *in rub. de lib. & posthum. nu.*8. & 19. Romanus *cons.*237. *per tot.* Qui quidem hoc intelligunt, nisi aliquid in eo testamento relinqueret Monasterio, quia tunc non rumpitur, sed datur, supplementum legitimæ. In hoc verò casu difficultas non est, quia jam concedimus testamentum ruptum & revocatum per professionem.

55 Si verò de ingressu Religionis, vel de assumendo habitu cogitabat, & tractabat, si tunc testamentum condiderit, aliqui existimant testamentum similiter rumpi. Refert Sanchez *d. lib.*7. *cap.*3. *num.*17. Palao *dict. punct.*14. *nu.*4. Sed in specie contrarium est tenendum, quia in altero casu censetur profitentem mutasse voluntatem, & se & sua obtulisse Monasterio: quod quidem non ita existimandum, quando cogitans de Religione alium hæredem instituat, quia tunc est clara voluntas excludendi Monasterium à suis bonis: quod ita intelligendum, sive aliquid reliquerit Monasterio, sive non. Menchaca *de succeff. lib.* 2. §. 20. *num* 29. Velasco *de part. cap.*16. *numer.*17. Covarr. *in cap.*2. *de testament. num.*4. & 6. Molina *de primog. lib.*2. *cap.*5. *num.*44. & 45. Cevallos *quæst.*121. *num.* 2. Angulo *de meliorat. in l.*2. *gloss.*3. Farinacius *d. q.* 65. *à n.*6. Sanchez *d. c.* 3. *num.*28.

56 In hac ergo hypothesi erit difficultas, & assero primam sententiam esse admittendam, & Religiosum posse ex licentia Superioris post professionem testamentum revocare. Ducor, nam non impliçat ut testamentum confirmatum per mortem civilem, adhuc possit revocari, ut probatur ex eleganti textu *in. l. Sed si mors* 14. *ff. de donat. inter*, ubi donatio inter virum, & uxorem confirmatur morte civili, nempe deportatione; & tamen in marito deportato durat jus revocandi; & rationem præstat Consultus, quia mors naturalis mariti expectanda est, ut donatio habeat plenam firmitatem. Do verba: *Ita tamen, ut non adimatur marito licentia revocandi, quia mors ejus expectanda est, ut tunc habeat pleniſſimam firmitatem.* Est etiam textus *in l. Vxoris* 23. *C. eod. tit.* Ergo licèt Religiosus moriatur civiliter per professionem, adhuc durat potestas revocandi testamentum non ita plenè confirmatum, & semper remanet donec accedat mors naturalis professi. Ergo ex licentia Superioris poterit revocari testamentum.

57 Sed dices, illa jura assumptum non probare; nam deportatus potest in pristinum statum restitui, & ita donationem inter virum, & uxorem revocare, ut considerat Sanchez *dict. lib.*7. *cap.*11. *nu.*5. quod nequit considerari in Religioso, qui per professionem perpetuò manet Religiosus. Verùm hoc non urget, quia etiam Religiosus ex dispensatione Pontificis valet in pristinum statum restitui, cùm in omnibus votis possit dispensare.

Rursus probatur hæc sententia; nam licèt Religiosus 58
non possit post professionem habere dominium in suis bonis, nec aliquod jus revocandi testamentum, adest tamen apud Monasterium capax bonorum, ad quod transivit per professionem, ut transeunt omnia jura, & actiones ipsius professi. Unde ex licentia Superioris benè poterit illo jure uti ad revocandum testamentum, præcipuè cùm id tendat ad bonum Monasterii. Confirmo discursum; nam jus revocandi testamentum, quod erat in testatore ante professionem, non extinguitur per professionem, sicut nec per aliam mortem civilem, *l. Cùm pater* 77. §. *Hæreditatem* 3. *ff. de legat.* 2. *l. Ex facto* 17. §. *Si quis rogatus, ff. ad Trebell. l. Status Florus* 48. §. *Cornelio, ff. de jur. Fisci.* Ergo debet transire ad Monasterium, quia remanere nequit penes Religiosum. Ergo Religiosus ex licentia Prælati rectè poterit revocare testamentum factum ante professionem, ut præter adlegatos tenent etiam Burgos de Paz *in l.*3. *Tauri, n.*688. Mathienzo *in l.*1. *tit.*6. *lib.*5. *gloss.*3. *n.*4. Caldas *de nominat. emphyt. c.*3. *n.*17.

Hinc sequitur contra Angulo *de meliorat. in l.*1. *gloss.* 3. 59
num. 19. Sanchez *dict. cap* 11. *num.* 12. posse monasterium revocare testamentum factum à Religioso ante professionem; quia cùm jus revocandi per professionem non extinguatur, sed transeat ad monasterium, poterit eo uti, & testamentum revocare.

Illud verò citra dubium ab omnibus est receptum, ut 60
Religiosus possit declarare suum testamentum post professionem, quando aliquod dubium adfuerit, & declaratio verbis est facienda. Sanchez *dict. cap.*11. *nu.* 16. de Lugo *dict sect.*6. *num.*120. Unde si in suo testamento aliquid legasset operibus piis post professionem declarandis, rectè poterit declarare: quod quidem non solùm procedit in Religiosis cujuscumque Ordinis, sed etiam in Minoritis; dum tamen haberet in mente operas illas, alias si non habuisset, magis erit dispositio, quàm declaratio, quæ nequit fieri à professo. Sanchez *dict. cap.*11. *nu.*18. de Lugo *dict. sect.*6. *num.*120.

Est verò quæstio non prætereunda, an Religiosus ex so- 61
la consuetudine possit testari. Prima sententia negat, nam regula Religionum nequit à consuetudine immutari, sed solùm à Papa. Ergo ex consuetudine nequit Religiosus testari. Benedictus *in cap. Raynutius, verbo Mortuo itaque testatore, num.*301. Redoanus *de spoliis, quæst.*7. §. *His igitur præsuppositis, n.*6. Boetius Epo *in cap.*12. *de testam. à n.*40. Gratianus *March. dec.*61. *n.*8. Benedictus Ægidius *in l.* 1. *C. de sacrof. Ecclesiis, 1. p.* §. 7. *n.*7.

Secunda sententia tenet contrarium, quia omnia quæ 62
fiunt per privilegium, fieri possunt per consuetudinem: quod quidem admittendum, maximè si consuetudo immemorialis sit, *cap. Super quibusdam* 36. *de verb. signific. at. leg. Hoc jure,* §. *Ductus aquæ, ff. de aqua quotid. & æstiv.* Riccius 4. *p. dec.*89. *n.*1. Salgado *de Regia protect.*1. *p. c.*1. *n.*130. Salzedo *de leg. polit. lib.*1. *c.*8. *n.*27. & fortior est quàm gratia Principis. Valenzuela *cons.*69. *n.*11. Castillo *lib.*6. *controv. c.*23. *n.*19. Ergo cùm ex privilegio Religiosus possit testari, similiter per consuetudinem. Cæterùm interdictum, ne Religiosi testentur, est totum de jure positivo. Ergo rectè poterit per contrariam consuetudinem abrogari, ut possit Religiosus testari. Navarrus *comment.*2. *de regul. n.*14. Tapia *in d. Auth. Ingressi, cap.*1. *n.*16. Sanchez *d. lib.*7. *cap.*8. *num.*63. qui asserit sufficere consuetudinem ordinariam rectè præscriptam.

Sed tamen admitto primam sententiam: etiamsi consue- 63
tudo sit immemorialis; nam regula illa, *Quidquid valet fieri per privilegium, potest fieri per consuetudinem, maximè immemorialem*, non semper est certa; multa enim fiunt per privilegium, quæ nequeunt fieri per consuetudinem. Rota 1. *p. divers. dec.*144. *num.*6. sicut in hac specie; nam privilegium testandi Religioso concessum, est odiosum, quatenus opponitur perfectioni religiosæ, & rarò, aut numquam conceditur, & solùm gravissima causa intervenien-te. Sanchez *d. c.*8. *n.*51. Ergo nequit dari hæc facultas per ipsam consuetudinem, etiam immemorialem; sed necessariò est expedienda per privilegium, cum summa circumspectione præsentis status, & causæ, ne inde grave damnum,

num, aut ſcandalum excitetur in Religione, Barboſa *de univerſ. lib. 1. cap. 39. §. 2. num. 190.* Ergo Religioſus ex ſola conſuetudine teſtari non poterit. Prætereà conſuetudo nequit facere aliquem capacem illius rei, quando id nequit fieri per jus ordinarium Principis. Sed privilegium, ſeu hæc facultas teſtandi non conceditur à Pontifice, niſi jure extraordinario, cum cognitione cauſæ, rarò, aut nunquam. Ergo hæc facultas nequit cōcedi per conſuetudinem, ut Religioſus teſtetur. Et confirmatur; nam ut ſæcularis fiat capax juriſdictionis Eccleſiaſticæ, non ſufficit conſuetudo, quantumvis immemorialis; quia licèt id fieri poſſit à Pontifice, tamen facit rarò, aut nunquam, & de poteſtate extraordinaria, *cap. Cùm licet 12. de præſcript.* Mena *var. lib. 2. cap. 21. n. 135.* Caſtillo *d. lib. 6 cap. 23. à. n. 5.* Barboſa *d. §. 2. n. 190.* Ergo cùm iſta facultas conceſſa Religioſo fiat jure, & poteſtare extraordinaria, rarò, aut nunquam, nequit concedi per conſuetudinem, nec per illam poterit teſtari. Tandem quælibet conſuetudo irritatur, ut irrationabilis, quæ turbat diſciplinam Eccleſiaſticam, & regimen, *c. Cùm venerabilis 7. de conſuetudin. c. Sacroſanct. 51. cap. Maſſana 56. de elect.* ubi Scribentes. Conſuetudo autem iſta turbat diſciplinam monaſticam, & religioſam, quia per eam diſſiparentur bona Monaſterii, frangeretur votum paupertatis, & alia graviſſima damna ſequerentur. Ergo conſuetudo illa, quantumvis immemorialis, non ſuſtinebitur, nec per eam poterit teſtari Religioſus.

64 Prætereà agendum de Religioſis profeſſis habentibus aſcendentes, ſeu deſcendentes, quibus legitima debetur, de qua ante profeſſionem nihil diſpoſuerunt. Iſti enim licèt non poſſint facere teſtamentum, attamen poſſunt facere diviſionem bonorum inter aſcendentes, ſeu deſcendentes, ut ſuas legitimas conſequantur, & reliquum Monaſterio relinquere· *Auth. Si qua mulier, Cod. de ſacroſ. Eccleſiis*: quem textum canonizatum intellexit Azorius *1. p. Inſt. Moral. lib. 12. c. 6. q. 4. in c. Ingredientibus 7. 19. q. 3.* Sed ſententia Azorii non probatur ex illo textu, quia tantùm agit de interdicto teſtandi Monachis impoſito. Verùm adeſt textus *in c. Si quà mulier 9. 19. q. 3.* ex tranſcriptione Authenticæ *Si qua mulier*, abſque aliquo Concilio, ſeu Epiſtola decretali, unde canonizatus cenſeatur. Quapropter dicendum, textum illum, etiam de Jure Eccleſiaſtico obſervandum, per tacitam approbationem Pontificis, ex qua etiam recepit noſter Alphonſus *in l. 17. tit. 1. p. 6.* Menchaca *uſufrequent. lib. 1. c. 5. n. 1.* Rodriguez *tom. 3. quæſt. Regul. 69.* Leſſius *de Juſtit. lib. 2. c. 41. n. 82. verſ. Reſpondeo.* Molina *de Juſt. tract. 2. diſp. 141. n. 3.*

65 Hæc verò concluſio non eſt admittenda quando Religioſus profitetur Religionem incapacem bonorum, quia per profeſſionem quaſi mortuus naturaliter cenſetur. Bart. *in d. Auth. Ingreſſi, n. 13.* Sanchez *d. lib. 7. c. 9. n. 2.* Barboſa *in d. Auth. Ingreſſi, n. 6. qui n 7.* obſervat textum illum intelligendum, etiamſi Religioſus tantùm unum filium habuerit: non enim eſt ſine liberis qui unum habet, *l. Non eſt ſine liberis 148. ff. de verb. ſignific.* Sanchez *d. c. 9. nu. 12.* & ſub nomine aſcendentium, ſeu deſcendentium intelliguntur omnes, quibus legitima portio debetur: Guttierrez *can. lib. 1. q. 1. n. 1.* Sanchez *d. c. 9. n 13. & 20.* Barboſa *in dict. Authent. Si qua mulier, numer. 9.* Caſtillo *lib. 1. controv. capit 65. numer. 2.*

66 Si verò Religioſus habens aſcendentes, ſeu deſcendentes nihil diſpoſuerit, & moriatur, monaſterium ſtatim legitimas reddet, reſervata ſibi parte, de qua ipſe Religioſus diſponere poterat, quæ in Caſtella, ſi habeat aſcendentes, eſt tertia pars; ſi verò deſcendentes, quinta, *l. 6. Tauri, l. 1. tit. 8. lib. 5. Recopilat.* Ratio eſt, nam cauſa pia Monaſterii nihil recipere poteſt cum damno tertii. Tiraquellus *de Privileg. cauſ. piar. privileg. 17.* Vezinus *commun. tom 1. lib. 1. tit. 1. n. 12.* Cùm ergo legitima quaſi ſit propria filiorum, etiam in vita patris, *l. In ſuis 12. ff. de liber. & poſthum.* & aſcendentium debita portio, inde eſt ut Monaſterium, ſi moriatur Religioſus, ſtatim teneatur legitimas reddere, ſive aſcendentibus, ſive deſcendentibus. Gregorius *in l. 17. tit. 1. p. 6. verbo No de ellos.* Molina *de Primog. lib. 2. c 9. n. 60.* Velaſco *conſ. 25. per eot.* Caſtillo *d. c. 65. n. 2.* Sanchez *d. cap. 9. num. 21.*

67 Eſt verò dubium, an quando Religioſus profeſſus inter filios legitimas dividit, poſſit unum meliorare in aliquibus bonis; Negat Gregorius nuperrimè citatus: rationem dat, quia nequit monaſterium lædere meliorando filios in illa parte ad eos pertinente ultra legitimas. Sed hoc fundamentum in Regno Caſtellæ debiliſſimum eſt, quia in eo, dempto quinto, reliqua bona ad legitimas filiorum pertinent, *l. 28. Tauri, l. 7. & 8. tit. 8. lib. 5. Recopil.* illa nempe facultate, ut inter eos, aut nepotes poſſint de tertio meliorare: quamobrem relicto quinto Monaſterio, de tertio abſque læſione illius poterit aliquem filium meliorare; idcircò debiliſſimum eſt fundamentum illud.

Alvaradus *de conject. ment. defunct. lib. 2. c. 1. n. 5.* ſcripſit 68
profeſſum poſſe inter liberos diſponere de quinto, & tertio, & majoratum de eis inſtituere. Sed ut advertit Sanchez *d. c. 9. n. 31.* Alvaradus incautè loquutus eſt de quinto, quod neceſſariò relinquendum eſt Monaſterio: poterit tamen propoſitio illa verificari in tertio.

Quare difficultas conſiſtit, an relicto quinto Monaſte- 69
rio, de tertio poſſit aliquem filium, aut filios meliorare? Et negandum videtur? nam *in d. Auth. Si qua mulier*, ſolùm patri profeſſo conceditur diviſio bonorum inter liberos ad implendas legitimas, non verò aliqua diſpoſitio, ut conſtat ex littera· Navarrus *comment. 2. de Regular. nu. 45.* Barboſa *in d. Auth. Si qua mulier, n. 12.* Ergo nullo modo poterit aliquem filium meliorare de tertio. Et confirmatur, quia de jure Regio legitima filiorum ſunt omnia bona patris præter quintum. Cùm ergo tantùm diviſio legitimarum Religioſo concedatur, id non eſt dividere ad æqualitatem, ſed diſponere auferendo tertium aliarum legitimarum, & uni concedendo: quod nequit fieri à Religioſo profeſſo. Ergo nec poterit meliorare.

Aſt in contrarium ſtat communis ſententia, quam ſem- 70
per admittenda cenſeo. Ratio eſt, nam de jure permittitur profeſſo dividere legitimas inter liberos: quod extendendum ad unius meliorationem in tertio, quia hoc pertinet ad bonam diviſionem illarum, quatenus pater poſſit unum, aut alios filios meliorare ob benemerita, aut ſervitia illorum, aut ob affectum paternum. Ergo rectè unum, aut alios filios poterit meliorare. Sed dices: Hoc eſt diſponere, & remanere apud patrem profeſſum jus meliorandi, & gratificandi; quod repugnat in Religioſo. Ergo minimè poterit meliorare. Sed reſpondetur id non facere patrem, quia in eo remaneat aliquod jus, ſed tanquam adminiſtratorem bonorum illorum à jure poſitum, & tanquam partem diviſionis. Tapia *in Auth. Ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccleſiis, verbo Idemque, c. 1. n. 10.* Rodriguez *in Summa, tom. 2. c. 32. n. 1.* Leſſius *de juſtit. lib. 2. cap. 41. dub. 20. n. 82.* Molina *d. diſp. 141. n. 3.* Barboſa *in d. Auth. Si qua mulier, nu. 12.* Ergo rectè poterit ex tertio meliorare.

Prætereà alteri filii nullum percipiunt detrimentum ex eo, 71
quod aliquis eorum melioretur in tertio, quia integrè ſuas legitimas percipiunt, ex juribus jam recenſitis, & Monaſterium ſuum quintum. Ergo rectè poterit profeſſus unum, aut alios meliorare Molina *dict. cap. 9. à nu. 61.* Pater Molina *dict. diſp. 141. num. 4.* Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 16. num. 5.* Tapia *in dict. Auth. Ingreſſi, cap. 1. nu. 76.* Angulo *de meliorat. in l. 2. gloſſ. 1. num. 5. in fin.* Sanchez *d cap. 9. à num. 29.*

Rurſus eſt aliud dubium, an quando pater habet acquiſi- 72
tam, & acceptatam facultatem Regiam ad inſtituendum majoratum ex legitimis filiorum, reſervatis eorum alimentis, poſſit illum inſtituere, & conficere poſt profeſſionem, quinto relicto monaſterio? Prima ſententia negat, nam talis facultas extincta eſt per profeſſionem, ad effectum diſponendi, & teſtandi, *l. Deo nobis 56. C. de Epiſcop. & Clericis, Auth. Ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccleſiis*; idcircò poſt profeſſionem non poterit uti facultate, nec majoratum inſtituere. Cæterùm poſt profeſſionem nequit uti Religioſus alia facultate, niſi conceſſa *in dict. Auth. Si qua mulier*, ubi tantum conceditur profeſſo integras legitimas inter filios dividere. Ergo non poterit uti facultate Regia, nec majoratum inſtituere. Molina *d. lib. 2. c. 9. n. 63. verſ. ſed his non obſtantibus* Sanchez *d c. 9. n. 33.*

Secunda ſententia tenet contrarium: nam cùm integrum 73
quintum relictum fuerit monaſterio, & filiis alimenta, prout erat diſpoſitum in facultate Regia, nullus detrimentum percipit. Ergo rectè pater poterit majoratum inſtituere. Cæterùm, nam ut dictum eſt, poteſt facere melioratione de tertio inter ipſos liberos. Ergo etiam poterit majoratum ex facultate Regia inſtituere. Confirmatur, nam ideo poteſt meliorare, quia à lege id eſt conceſſum patri; Ergo ſimiliter inter liberos majoratum inſtituere poterit ex

fa-

facultate Principis, qui eſt lex viva. Sic tenet Tapia *in d. c. 1. n. 78.*

74 Hanc Tapiæ ſententiam Molina, & Sanchez relati ubi proximè, probabilem agnoſcunt, quatenus ſuam probabiliorem dicunt; & eam admittendam cenſeo, quando in uno filio majoratum inſtituerit; nam talis inſtitutio majoratus, non eſt aliqua ſingularis diſpoſitio, ſeu teſtamentum; ſed eſt tantùm dividere legitimas filiorum, prout erat diſpoſitum in facultate Regia. Ergo rectè poterit majoratum inſtituere in uno filiorum. Explicatur magis, quia ſuppoſita facultate regia rectè impetrata, & acceptata, legitimæ filiorum ſunt redactæ ad alimenta, prout de jure naturali debentur. Aſt verò legitima filii, in quo eſt fundandus majoratus, ſunt omnia bona illi relinquenda in modum primogenii. Ergo fundare majoratum in uno filio, & aliis alimenta relinquere, eſt ſolùm legitimas dividere, & rectè fit à Religioſo. Rurſus probatur doctrina Sanchez *d. c 9. n. 31.* ubi docet patrem Religioſum ex tertio bonorum majoratum inſtituere poſſe inter ipſos liberos, quia iſta eſt diviſio legitimarum, auferendo tertium ex aliis legitimis, & uni applicando per beneficium legis. Ergo ſimiliter ex facultate Regia applicando bona aliarum legitimarum, & inſtituendo majoratum in uno filio, erit diviſio bonorum, & poterit fieri à Profeſſo; nulla enim ratio diſparitatis poterit conſiderari, ut contrarium in majoratu conſtituatur.

75 Rurſus probo, quia licèt ex dicta Authentica *Si qua mulier*, pater profeſſus teneatur integras legitimas filiis relinquere abſque aliqua diminutione, Molina *dict. cap. 9. n. 58.* Barboſa *in d. Auth. Si qua mulier, nu. 15.* ideſt intelligendum quando nulla adeſt facultas Regia reſtringens eas ad naturalia alimenta; quia tunc non ſunt legitimæ civiles, & ſecundùm legem 6. Tauri, ſed derogatæ: quapropter integras legitimas pater profeſſu relinquit, tantùm alimenta filiis relinquendo, & alteri majoratum. Ergo rectè pater profeſſus poterit ex vi facultatis Regiæ in uno filio majoratum inſtituere, aliis filiis alimenta relinquendo.

76 Denique licèt pater profeſſus nequeat pupillariter inter ſe filios ſubſtituere, quia per profeſſionem facti ſunt ſui juris. Aſt inter ſe valet vulgariter ſubſtituere, vel per fideicommiſſum, quia hæc ſunt accidentia diviſionis. Sanchez *d. c. 9. n. 34. & 35.* Barboſa *in Auth. Si qua mulier, C. de ſacroſ. Eccleſiis, n. 13.* Gregorius *in l. 5. tit. 5. p. 6. verbo Los padres.* Cum ergo, ſuppoſita facultate Regia, in uno inſtituere majoratum, aliis liberis relictis alimentis, ſit accidens diviſionis: ſimiliter poterit pater per profeſſionem majoratum inſtituere in uno filio, aliis relictis alimentis, in quo eſt ſumma diviſio bonorum, quapropter admitto ſententiam Tapiæ.

77 Verùm quo tempore hæc diviſio fieri poſſit à profeſſo, & filii poſſint petere legitimas, ſub judice eſt. Prima ſententia aſſerit, patrem profeſſum illam facere poſſe per totius vitæ curriculum, nec filios ſuas legitimas petere poſſe. Ducitur, nam textus *in d. Auth Si qua mulier, & in l. 17. Partit.* dans diſpoſitionem ad hanc diviſionem, non dicunt ſtatim poſt profeſſionem eſſe faciendam. Ergo monaſterium rectè horum bonorum commodum percipiet per vitam profeſſi, nec ſtatim tenebitur dividere pater profeſſus, nec filii poterunt petere legitimam, niſi poſt mortem patris. Confirmatur, nam legitimi nequeunt petere ſuas legitimas à patre vivente, *l. 1. §. Si impuberi, ff. de collat. bonor.* notavit Bart. *in lege Lex Cornelia, ad fin. ff. de vulgat. & pupillar. ſubſtitutione.* Ergo nec pater profeſſus tenetur antea dividere, nec filii poſſunt petere. Felinus *in c. In præſentia 8. de prob. n. 56.* Decius *ibid. n. 67.* Menchaca *illuſtr. lib. 1. c. 97.* Gregorius *in d. leg. 17. verbo Sus fijos*, Guttierrez *Can. lib. 2. q. 1. à n. 75.* Spino *de teſtam. gloſſ. 12. in princip. n. 32.* Caſtillo *controv. lib. 1. c. 64. num. 11.* Palao *Oper. Moral. tom. 3. tract. 16. punct. 14. n. 3.* Diana *6. p. tract. 7. reſol. 55.*

78 Secunda ſententia tenet contrarium, nempe ſtatim profeſſione facta diviſionem à profeſſo eſſe faciendam, & filios legitimas petere poſſe, ex deciſione textus *in c. Cum ſimus 14. de Regularib.* ubi filiis permittitur petere legitimam vivente ſuo patre Religioſo profeſſo: unde probatur, diviſionem ſtatim eſſe faciendam, & filios legitimas petere poſſe. Deinde quando pater profitetur, mortuo comparatur; idcircò legitimæ ſtatim debentur, prout debentur mortuo patre. Cephalus *lib. 1. conſ. 95. num. 2.* Guido Papa *dec. 486.* Menochius *l. 1. conſ. 77. n. 6.* Tum ab inconvenienti probatur; nam durum fuiſſet Monaſterio alimenta filiis præbere, eoſque educare, unde jurgia, & lites orirentur: quare pater ſtatim emiſſa profeſſione tenetur facere diviſionem. Navarrus *com. 2. de Regul. n. 48.* Covarruv. *in c. 2. de teſtam. n. 12.* Suarez *d. tom. 3. lib. 8. c. 16. n. 7.* Leſſius *de Iuſt. lib. 2. c. 41. dub. 10. n. 83.* Sanchez *lib 7. Decalog. cap. 10. n. 9.* Azorius *Inſt. Mor. 1. part. lib. 12. cap. 8. qu. 7.* Merlinus *de legit. lib. 5. tit. 3. quæſt. 3.* & alibi, Caſtillo *lib. 8. controv. c. 10. num. 14.*

In hoc dubio obſervandum, nullum eſſe textum, qui efficaciter hanc quæſtionem decidat; nam textus *in dict. c. Cùm ſimus*, ſolùm aſſerit, filium legitimam poſtulare poſſe, ibi: *Bona paterna, quæ ipſi rectè à ſucceſſione proveniunt poſtulare.* Quæ quidem verba varia interpretamenta recipiunt, quorum aliqua tetigit Covarruv. *in d. c. 2. de teſtam. à n. 12.* Guttierrez *d. q. 1. n. 87.* Aſt illud principale eſt, ut intelligatur, filium bona petere poſſe poſt mortem patris quod probatur ex eiſdem verbis, ibi, *Succeſſione proveniunt*, quæ denotat jam filios in his bonis ſucceſſiſſe, quod nequit fieri in vita ipſius patris. Ergo dicendum, intelligenda eſſe illa verba poſt mortem patris. Si verò in vita patris profeſſi ea intelligere volueris, dicendum id in pœnam conceſſum filio propter avaritiam Abbatis, & violentiam Prælatorum intendentium falſa cauſa ſuppoſita, omnia bona à filio auferre. Idcircò textus ille aſſumptum non probat, quidquid in contrarium teneat D. Gonzalez *ibid. n. 5.* 79

Ex his ad reſolutionem dico primam ſententiam de rigore juris eſſe admittendam; nam cùm monaſterium ſit capax bonorum, (ut ſupponimus) bona Religioſi profeſſi tranſeunt ad monaſterium eodem jure, quo pater dum viveret retineret, itaut datis alimentis filiorum, poſt ejus mortem legitimas capiant, interimque bonis illis monaſterium fruatur. Cæterum monaſterium ſubrogatur loco patris, quatenus in ejuſdem bonis ſuccedit: quamobrem ſicut vivente patre nequeunt legitimas petere, *l. Sed etſi 25. §. Conſuluit, ff. de petit. hæred. l. 2. C. Si quis à parent.* Mancinus *de legitim. 1. p. q. 15.* ſimiliter nec à monaſterio, dum pater profeſſus vivit. Denique Authentica *Si qua mulier*, inquit quod ſi pater diviſionem non fecerit, & moriatur, filios tunc legitimas petere poſſe. Ergo non patre vivente. 80

Aſt verò de æquitate, & juris rigore temperato admitto ſecundam ſententiam, quia cùm ſtatim poſt profeſſionem fiat diviſio, & dentur legitimæ, multæ curæ, & jurgia excuſantur in monaſterio; convenit enim viros Religioſos eſſe quietos, & procul à temporalibus curis, *c. unico, de Syndico.* Tum etiam damnum ex hac ratione filiis irrogatur nam ſi bona ſemper eſſent in poteſtate patris, quando erat in ſeculo cura illius graviter augebantur legitimæ, quod non fit quando bona à monaſterio poſſidentur: quapropter æquius eſt ſtatim filiis ſuas legitimas tradere, ut cum multis tenet Barboſa *in d. cap. Cùm ſimus, num. 2.* Gonzalez *nu. 5.* Mancinus *d. qu. 15. n. 15.* Argell. *de acquir. poſſeſſ. q. 8. art. 25. num. 660.* 81

Hucuſque dicta intelligenda de Religioſis profeſſis in vera, & approbata Religione, quare non ſunt extendenda ad Eremitas vitam ſolitariam agentes, licet vota ſimplicia emiſerint, iſti enim poſſunt teſtamentum condere, prout fecit Paulus primus Eremita, ſuum colubrum Anaſtaſio relinquendo, *cap. Perlatum, 19. q. 3.* quia non ſunt verè Religioſi. Molina *d. diſput. 141. n. 2.* oblati Hoſpitalibus ſimiliter ob eandem rationem valent teſtari. Sanchez *d. lib. 7. c. 8. à n. 40.* 82

Sed contra eſt textus Regius *in l. 17. tit. 1. p. 6.* ubi Gregorius *verbo Hermitano*, decernens Eremitam non poſſe facere teſtamentum. Verùm lex illa intelligenda de Eremitis veram Religionem profitentibus, ut ſunt Eremitæ S. Auguſtini. 83

Religioſi Militares S. Joannis ex licentia Superiorum teſtamenta condunt. Sanchez *d. c. 8. n. 36* Quod idem aſſerendum de Religioſis Societatis Jeſu, qui tantùm vota ſimplicia emiſerunt: iſti enim ad pias cauſas ex licentia Superiorum teſtantur, quia licèt retineant dominium, eſt cum dependentia Prælatorum. Azorius *Inſt. 1. p. lib. 12. cap. 12. q 8.* Sanchez *d. cap. 8. num. 12.* de Lugo *dict. diſput. 3. ſect. 6. num. 116.* 84

De aliis Religioſis militaribus Navarrus aſſeruit, teſtari non poſſe. Affirmavit Sarmiento, quorum placita refert Suarez *d. l. 8. c. 16. à n. 20.* Sed hodie ex privilegiis Innocentii VIII. & Clementis VII. ſimul cum cõſuetudine rectè teſtan- 85

ſtantur. Quod cùm totum pendeat à privilegiis, non repugnat his quæ ſupra ſcripſimus de eleemoſyna. Id verò intelligendum, non ſolùm de bonis patrimonialibus, ſed de redditibus etiam Commendarum. Rodrig. *to. 3. q. Regul. ca. 29. n. 7.* Suarez *d. c. 16. à n. 11.* Sanchez *d. c. 8. à n. 3.* Barboſ. *de univerſ. lib. 1. c. 42. à n. 120.* qui cum Sanchez ſcripſit, Clericos illorum Ordinum, qui ex legitima cauſa extra clauſtra degunt, inſervientes alicui Beneficio, poſſe teſtari ea tamen conditione, ut quotannis ſuorum bonorum deſcriptionem Superiori præſtent, & inſimul quintum Monaſterio relinquant, ex Clementis VII. indulto.

CAPUT XIV.

De ſpoliis Epiſcoporum, & Clericorum, ubi non teſtantur, & de luctuoſa.

SUMMARIUM.

Quæ dicantur ſpolia, num. 1. Et diffiniuntur. Bona Prælati, ſeu Beneficiati patrimonialia, vel quaſi, non pertinent ad ſpolium, nec ſalaria alicujus officii, n. 2.

Bona acquiſita intuitu Beneficii, aut Prælaturæ, quæ remanent tempore mortis penes Epiſcopum, pertinent ad ſpolium: ſed quæ pertineant ad ſucceſſores, vel ad Eccleſias; Explicantur aliqua jura, n. 3.

Declarantur textus in cap. Quia ſæpe 11. de elect. in 6. cap. Præſenti 9. de offic. Ordin. in 6. *Clauſula cujuſque ſcripturæ poſita ſive in principio, ſive in fine, ad omnia refertur. Fallit ſi non eſt eadem ratio, n. 4.*

Poſtea emanarunt plures Conſtitutiones applicantes ſpolia Cameræ Apoſtolicæ, niſi Beneficium non excedat triginta ducatos: & ex Conſtitutione Gregorii XIII. extenduntur ad bona Religioſorum extra clauſtra degentium ex licentia Superioris, n. 5.

Ex Conſtitutione Pii V. ab ſpolio excipiuntur ornamenta, paramenta, vaſa ſacra, Miſſalia, & Gradualia, ſive auri, ſive argenti, & applicantur Eccleſiæ, ſeu Monaſterio ubi Beneficium ad fuerit, n. 6.

Ex Conſtitutione Pii IV. pertinent ad ſpolium bona ex illicita negotiatione quæſita, n. 7.

Id in omnibus provinciis non obſervatur. In Germania, Gallia, & Luſitania ſpolia non percipit Camera Apoſtolica, num. 8.

In Hiſpania ſolùm Prælatorum ſpolia ad Cameram Apoſtolicam pertinent, non verò Clericorum, ut dicunt plures, Sed non in Regno Navarræ, & Aragoniæ, nec apud Indos, n. 9.

Nec in Hiſpania recepta eſt Conſtitutio, ut ad ſpolium attingant bona lucrata ex illicita negotiatione, n. 10.

Obſervandæ ſunt conſuetudines cujuſcumque Provinciæ circa ſpolia, & magna amplitudine. Græci ſchiſmatici facti ſunt ob Collectorum injurias, n. 11.

Spolia ornamentorum, & aliorum pertinentia ad Eccleſias, ſeu Monaſteria ampli ſunt, & favorabiliter interpretanda. Indultum datum Epiſcopo, aut Clericis teſtandi, non extenditur ad ornamenta, niſi ſpecialiter exprimatur, n. 12.

An pertineant ad Eccleſias, ſeu Monaſteria illa bona, quæ deſerviunt ad cultum divinum, ſi non ſint conſecrata: ponuntur ratione dubitandi, n. 13.

Reſolvitur contrarium, dummodo ſerviant ad cultum, & comprobatur, n. 14.

An quando hæc bona ſacrata, vel non, deſervientia ad cultum emuntur ex rebus propriis, vel ab aliis mutuatis, pertineant ad Eccleſias. Prima ſententia negat, numero 15.

Secunda autem affirmat. Qui totum dicit, nihil excludit, num. 16.

Admittitur prima ſententia, & explicatur Bulla Pii V. numer. 17.

Res ſacræ in nullius bonis ſunt, quando ſunt Eccleſiarum; ſecus ſi privatorum ſint, & poterunt ad eoſdem uſus vendi, numer. 18.

An quando Epiſcopus pecunia mutuata Pontificalia, & ſacra ornamenta emerit, pertineant ad Eccleſiam, ſi non adſint bona ad ſolvendam pecuniam mutuatam, aut ſint danda creditori: Ponitur ſententia affirmans, adhuc ad Eccleſias pertinere, n. 19.

Quando creditor ad fidem alterius mutuat, non præfertur aliis creditoribus, n. 20.

Sed defenditur contrarium, & explicantur Solorzanus, & Fraſſo, n. 21.

Probatur magis. An res empta ex pecunia mutuata, ſit tacita hypotheca: Alii affirmant, alii negant. Sed eſt hypotheca, ſi res ematur ad cauſam publicam, n. 22.

Mulier pro ſua dote præfertur poſterioribus creditoribus habentibus expreſſam hypothecam, & anterioribus tacitam habentibus expreſſam hypothecam, & anterioribus tacitam habentibus. Fit inſtantia, n. 23.

Reſpondetur negando ſuppoſitum. Arrhæ, licèt habeant hypothecam, non tamen prælationem, n. 24.

Pecunia mutuata fit propria accipientis, n. 25.

Aliqui tenent, pecuniam mutuantem ad creditum non habere prælationem, ſed adhuc in re empta ad creditum tenent plurimi contrarium, n. 26.

Debet probare creditor, pecuniam illam converſam eſſe in emptionem Pontificalis, ut in Eccleſiis, & minoribus obſervatur, & in emptione rerum majoratus, n. 27.

Explicantur lex 1. Non autem, *lex finalis*, ff. de exercit. act. *numer. 28.*

Bona ex redditibus acquiſita, remanentia tempore mortis, pertinent ad ſpolium, n. 29.

Ex bonis ſpolii debent ſolvi debita Prælati, ſeu beneficiati ad utilitatem Eccleſiæ, vel perſonæ: ſecus ad bona temporalia acquirenda, n. 30.

Et quæ neceſſariò ſunt ſolvenda à ſucceſſore, & ad debita defuncti funeralia, pro ſuſtentatione, pro infirmitate, & medicinis, pro pecunia mutuata ad excarcerandum Prælatum, ſeu Beneficiatum, pro expenſis litis, numero 31.

An Camera Apoſtolica, aut percipiens ſpolium teneatur ad ſalaria famulorum. Prima ſententia negat. Salaria non debentur niſi famulis ſolitis deſervire pro ſalario, numero 32.

Secunda ſententia affirmat. Explicatur Authen. Licentiam, C. de Epiſcop. & Clericis, *n. 33. & 34.*

Tertia ſententia aſſerit eſſe ſolvenda tantùm de æquitate ſalaria iſta, etiam non conventa. Quando de ſalario non paciſcitur, debetur ſecundùm conſuetudinem loci, numero 35.

Explicantur verba Conſtitutionis Pii V. n. 36. Perſonis vacantibus honeſtioribus diſciplinis debetur ſalarium etiam non conventum, dummodo ſervitium probetur, etiamſi ad ſint alii creditores, n. 37.

Si non adſint, ſimiliter debetur ſalarium humilioribus famulis, ſi ſalaria ſint conventa, n. 38.

Si verò non ſint conventa, etiam debentur, ſi ſoliti ſunt pro ſalario ſervire, n. 39.

Sed an debeatur Vicario Epiſcopi, quando redditus officii non ſunt ſufficientes? Negant aliqui, nu. 40.

Sed contrarium defendunt alteri, n. 41.

An ſalarium debeatur Vicario Epiſcopi, ſi redditus non ſint ſufficientes: Affirmativè reſpondetur, etiamſi ſit voluntarius, n. 42.

An & à quo ſolvendum, pendet ab illa quæſtione, an Epiſcopus teneatur habere vicarium: Affirmant aliqui, alteri negant ſed cum diſtinctione reſolvitur, n. 43.

Si Epiſcopatus fuerit grandis, ei debetur ſalarium, quia Epiſcopus non poteſt omnia expedire: quod idem dicendum, ſi Epiſcopatus ſit parvulus, & ſi Epiſcopus eſt Theologus, n. 44. & 45.

Salaria famulorum ſunt ſolvenda neceſſariis non deſervientibus ad oſtentationem ex ſpolio. alii autem ſolvantur ab hærede. Sic obſervandum in Majoratus, & Regni ſucceſſore, n. 46.

Ex ſpoliis ſolvenda ſunt debita ex promiſſione, n. 47. Si fiant pro utilitate Eccleſiæ, vel Dignitatis, n. 48.

Sunt etiam ex ſpoliis ſolvendæ penſiones decurſæ, n. 49. Fit inſtantia. Penſiones ſolvit ſucceſſor excuſſis bonis anteceſſoris ut obſervatur in majoratibus, n. 50.

Quando bona ſpolii venduntur ad ſolvenda debita Prælati, aut Beneficiati, non debetur gabella, n. 51.

An in venditionibus bonorum ſpolii, licitatione facta ſubhaſta, poſſit plus offecens admitti: Ponuntur rationes negativæ. Licitatione facta, acquiritur jus offerenti, n. 52.

Sed

Sed contrarium tenent aliqui. Camera Apoſtolica habet vicem Fiſci, qui licitatione facta admittit plus offerentem, numer. 53.

Reſolvitur quæſtio, ſi venditur, aut cæditur nomine Cameræ Apoſtolicæ, admittetur plus offerens, licitatione facta non ex privilegio, ſed ex natura contractus, numero 54.

Si plus offerat quartum, n. 55.

Intelliguntur Doctores aſſerentes, in redditibus regalibus, licitatione facta, plus offerentem non eſſe admittendum, num. 56.

Si ſpolium pertineat ad Eccleſiam, etiam admittendus plus offerens, quia reſtituitur, n. 57.

Si bona ſpolii venduntur ad inſtantiam creditorum, negandum videtur, plus offerentem admittendum eſſe, facta licitatione. In retractu ſemper creditores præferuntur, num. 58.

Sed contrarium admittendum. Quando bona venduntur ad inſtantiam creditorum, licitatione facta, plus offerens admittitur, n. 59.

Mutuans pecuniam ad utilitatem Eccleſiæ, vel Prælati, utpote ad ejus ſuſtentationem, poteſt occultè compenſare ex bonis ſpolii, & Prælatus moribundus tradere. Subripiens bona ſpolii tenetur ad reſtitutionem, numero 60.

Mortuo Prælato, ſeu Beneficiato, judex competens tenetur facere inventarium, & bona aſſecurare, & ſequeſtare, nu. 61.

Iudex competens erat olim vicinior Epiſcopus, mortuo Epiſcopo: hodie non obſervatur, ſed ſi pertineat ad Eccleſiam, ad judicem Eccleſiaſticum pertinet; ſi ad Cameram Apoſtolicam, ad ſuos Collectores, numero 62.

Diſcutitur praxis Hiſpaniæ faciendi ſpolia per judices ſeculares: ponuntur fundamenta hujus praxis, & explicatur lex 18. tit. 5. p. 1. n. 63.

Rex Hiſpaniæ eſt patronus Eccleſiarum, n. 64.

Sed contrarium tenent alii Doctores contra praxim hanc. In bonis Eccleſiæ, aut Cameræ Apoſtolicæ nullus judex ſecularis poteſt ſe intromittere, n. 65.

Index incompetens non poteſt ſe intromittere in favorem cauſæ ad eum impertinentis, n. 66.

Præſertim cognoſcendo, n. 67.

Reges Hiſpaniæ licèt ſint Patroni Eccleſiarum, eſt tantùm ad effectum præſentandi, n. 68.

Per conſuetudinem immemorialem ſæculares non ſunt capaces juriſdictionis Eccleſiaſticæ, n. 69.

Unde reſolvitur, praxim iſtam eſſe periculoſiſſimam in foro conſcientiæ, & niſi raro caſu admittendam, n. 70.

Luctuoſa variis nominibus nuncupatur: agitur de luctuoſa Epiſcopis debita, n. 71.

Origo illius. Ius patronatus violenter captum in quibuſdam perſonis præſumitur, ibid n. 72.

Si luctuoſa habet uniformem conſuetudinem, & immemorialem, debetur; præſumitur enim juſta, n. 73.

Debet probari conſuetudo immemorialis, & quomodo probatur, remiſſivè. n. 74.

Vbi eſt iſta conſuetudo, & bona pertinent ad ſpolium, Epiſcopus non ſeliget luctuoſam ex rebus ſacris ad Eccleſiam pertinentibus, & aliis, ex Conſtitutione Pii V. numero 75.

Luctuoſa ad opera pia eſt obſervanda, n. 76.

Vnica res eſt tantùm capienda, n. 77.

An Epiſcopus poſſit eligere pro luctuoſa pecuniam apud campſorem depoſitam: dantur rationes affirmativæ. Pecunia depoſita conſideratur ſpecies, n. 78.

Reſolvitur cum diſtinctione, ſi eſt apud campſorem, ut inde dentur redditus, non ſeliget, n. 79.

Si ſit ſubſignata, affirmandum videtur: ſed contrarium defenditur, n. 80. & 81.

Pecunia depoſita non conſideratur ut ſpecies, niſi quoad alienationem, n. 82.

1 SPolia dicuntur bona illa, à quibus quis exuitur, & denudatur. Idque propriè, quando vi ab eis ſpoliatur, nempe illa quæ ab hoſtibus in prælio auferuntur. Unde Virgilius *lib. 8. Æneid.* ſcribit:

——— Nam maximus ultor
Tergemini nece Gerionis, ſpoliiſque ſuperbus
Alcides aderat.

Ubi Servius explicans, *ſpoliiſque ſuperbus*, ſcribit: *Sed ſpolium eſt quidquid de hoſtibus tollitur*. Impropriè verò ſpolia dicuntur, quando ſponte dimittuntur, utpote quando vir, & uxor per mutuas donationes ſe ſpoliant, ut loquitur Conſultus *in l. 1. ff. de donat. inter*. Itaque, licèt impropriè, ſpolia dicuntur bona, quæ ab Eccleſiaſticis tempore mortis relinquuntur, quia de jure ordinario debebant competere ſuis hæredibus, verum extraordinario applicantur Eccleſiæ, ſeu Cameræ Apoſtolicæ. Idque ſponte, quatenus Prælatus, ſeu Beneficiatus in vita non conſumpſerant ea, quibus in morte exuuntur. Unde de eis dici valet: *Stulte, in die mortis denudabuntte, ad quid bona retines? Da ea pauperibus, conſtrue opera pia, morieris nudus, ut natus es. Stulte in die mortis ſpoliabunt te*. Navarrus *in comment. de ſpoliis*, §. 1. *à nu.* 1. Azorius *Inſt. Mor. 2. par. lib. 8. cap. primo q. 1.*

Hæc enim ſpolia diffiniuntur, *Bona Eccleſiaſtica à Prælatis intuitu Eccleſiæ immediatè, vel mediatè quæſita, & ante eorum mortem juſtè ab eis non impenſa, nec diſtributa*. Navarrus *dict. §. 1. num. 2.* Solorzanus *de jur. Ind. tom. 2. lib. 3. cap. 11. num. 1.* Filliucius *in Appendice de ſpoliis, tract. 43. cap. 1.* Unde patet bona patrimonialia Prælati, ſeu Beneficiati, minimè ad ſpolium pertinere, quod idem eſt dicendum de quaſi patrimonialibus; ſicut nec ſalaria officiorum, quia nec mediatè, nec immediatè ex titulo Prælaturæ, ſeu Beneficii acquiruntur. Idem eſt dicendum de bonis acquiſitis ex redditibus parcè vivendo: nam ut dictum eſt, ad placitum de eis valent diſponere Prælati, ſeu Beneficiati. Azorius *dict. lib. 8. capit. 3. quæſt. prima*. Tuſchus *lit. 5. concluſ. 368. à numer. 1.* Filliucius *dict. tract. 43. cap. 3.* 2

Igitur pertinebunt ad ſpolium bona intuitu Eccleſiæ acquiſita mediatè, vel immediatè, & remanent apud Prælatum, ſeu Beneficiatum tempore mortis. Hæc enim bona olim apud Noſtros ad Regem pertinebant, ut ſcripſit Sandoval *in vit. Alfonſi VII. Hiſpaniæ Imperatoris, capit. 64. verſic. Eran de los Reyes*. Quod ſi verum eſt, ex ſpeciali indulto Pontificis ea percipiebant, & credo temporale fuiſſe, cùm Fiſcus dimiſerit bona non parvæ utilitatis. De jure verò communi ad Eccleſiam pertinent, ubi Prælatus, aut Beneficiatus titulum habuerit, *c. Placuit 1. c. Pontifices 3. 12. q. 3. c. Fixum 4. 12. q. 5. c. 3. de pecul. Clericor. c. 1. in fin. c. Cùm in officiis 7. de teſt. c. fin. de ſucceſs. ab inteſtat.* Verùm quid nomine Eccleſiæ intelligatur, dubium eſt. Aliqui explicant diſtinguendo, quando Clericus, aut Beneficiatus de menſa capitulari fructus percipit degens in communitate, & inquiunt ad cæteros Clericos pertinere. Si autem independenter habeant Beneficia, ſeu dignitates, tunc ad ſucceſſores tangere dicunt, qui quidem eos recipiunt nomine Eccleſiæ, exceptis neceſſariis ad utilitatem, & reparationem illius, *cap. Quia ſæpe 11. de elect. in 6. c. Præſenti 9. de offic. Ordinarii in 6. Clem. Statutum 7. de elect.* Azorius *d. c. 1. q. 3.* Molina *de juſt. tr. 2. diſp. 147. à n. 7.* Garcia *de Benefic. 5. p. c. 1. n. 594.* Moez *in c. 9. de offic. Ordin. in 6. n. 5.* 3

Sed tamen Doctores iſti involvunt jura illa. Prima enim aientia bona acquiſita intuitu Eccleſiæ, remanentia tempore mortis, ad Eccleſiam pertinere, diſtincta ſunt ab aliis juribus aſſerentibus pertinere ad ſucceſſorem; iſta enim intelligenda ſunt de fructibus tempore vacationis Beneficii, ſeu Epiſcopatus, quod eſt diverſum, ut optimè conſiderat Navarrus *de ſpoliis, nu. 1. & 2.* Et ratio eſt, nam licèt textus *in dict. capit. Quia ſæpe, & capit. Præſenti*, videantur etiam loqui de bonis relictis tempore mortis Prælati, ſeu Beneficiati; attamen principalis deciſio, quatenus dicit ad ſucceſſorem pertinere, loquitur de fructibus vacationis Beneficii, non verò de primis: itaque tantùm intelligendi ſunt de fructibus vacationis Beneficii. Et confirmatur, nam licèt quælibet clauſula appoſita in ſcripturta, ſi generalis ſit, referatur ad omnia contenta in ſcriptura, *leg. Talis ſcriptura 36. §. fin. ff. de legat. 1. capit. Secundo requiris 41. de Appellationibus*, ubi Gloſſa alia dat jura, Gonzalez *ad regul. 8. gloſ. 22. à num. 28.* Cyriacus *controverſ. 522. num. 28.* Vela *diſſert. 43. n. 36.* Riccius *3. p. collect. 399.* Fallit tamen quando non eſt eadem ratio, quia tunc non refertur ad omnia, ſed ad illa quibus ratio competit. Navarrus *dict. §. 10.* 4

num.

nu. 2. Cyriacus *d. controverſ.* 522. *nu.* 21. Capicius *dec.* 108. qua propter jura illa, licèt loquantur de bonis ſpolii relictis tempore mortis, ſucceſſio tamen ſucceſſoris Beneficii, ſeu Epiſcopatus, non ad illa pertinet, ſed ad fructus beneficii vacantis. Cæterùm dicere, ad ſucceſſores pertinere bona illa, ſi intelligat de bonis ſpolii, percipies bona illa ad ſucceſſorem non pertinere quoad proprietatem, ſed tantùm quoad adminiſtrationem nomine Eccleſiæ, quam habent ſucceſſores, quare modus explicandi Molinæ, & Azorii non eſt admittendus, ut latè explicant Navarrus *ubi proximè* Redoanus *de ſpoliis*, *q.* 1. *n.* 11 & *q.* 5. *n.* 3. Covarr. *in cap. Relatum* 12. *de teſtament. nu.* 7. Filliucius *d. tr.* 43. *c.* 6. *à n.* 4. Solorzanus *de jur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. *à nu.* 5.

5 Verùm poſteà emanarunt plures Conſtitutiones reſervantes bona ſpolii ad Cameram Apoſtolicam, niſi Beneficium non excedat triginta ducatos, ut ſunt Pauli Tertii, Julii III. Pauli IV. S. Pii V. Gregorii XIII. quæ non ſolùm comprehendunt bona à Prælato, ſeu Beneficiato relicta tempore mortis ex redditibus, ſed etiam fructus vacantis Beneficii uſque ad novam proviſionem. Verùm conſtitutio Gregorii XIII. id extendit ad omnia bona, quæ per mortem Religioſorum extra clauſtra degentium ex licentia Superioris, remanent apud defunctum. Filliucius *dict. cap.* 6. *num.* 1. Belletus *diſquiſit. Clerical. tit. de bonis Cleric.* §. 8. *num.* 2.

6 S. Pius V. in ſua conſtitutione 48. ab ſpoliis excipit omnia & ſingula ornamenta, paramenta, ac vaſa ſacra, necnon Miſſalia, & Gradualia, ac cantus firmæ, & muſicæ ac alios quomodolibet nuncupatos libros, & alias res ſacras, etiam auri, & argenti, ac quæcunque alia bona ad uſum, ſeu cultum divinum. Hæc enim ad Eccleſiam, ſeu Monaſterium, in quibus defunctus habebat Beneficium, ſeu Epiſcopatum pertinent, & ibi applicantur, etiamſi Beneficia ſint in aliqua Capella, ſeu Oratorio, & etiamſi Prælati, aut Beneficiati habeant poteſtatem teſtandi. Excipit etiam ab ſpoliis Clericorum quæcunque ſcamna, cathedras, arcas, tabulas, & menſas, etiam ligneas, & lapideas, marmoreas etiam, & quæcunque dolia, ſeu vaſa vinaria vacua, & alia ſimilia ſuppellectilia relicta Clericis, etiam ex redditibus Beneficii. Has quidem conſtitutiones refert Navarrus *de Spoliis*, §. 5. Molina *de Iuſt tract.* 2. *diſp.* 147. *à nu.* 10. Scortia *in Epitom. Conſtit. Apoſtol. conſt.* 98. Tondutus *tom.* 1. *queſt. Benef. cap.* 95. *n.* 15.

7 Cæterùm eſt conſtitutio Pii IV. quam refert Redoanus *de Spoliis*, *q.* 2. & Azorius *d.* 2. *p. lib.* 8. *cap* 2. *q.* 1. decernens, ad ſpolium etiam pertinere bona quæ ex illicita negotiatione Prælatus, ſeu Clericus acquiſierit: dicitur enim illicita negotiatio quidquid per mercaturam, vel aliam negotiationem Eccleſiaſticis interdictam acquiſierint; id enim in Clericis reprobatiſſimum eſt, *cap. Canonum* 14. *q.* 4. *cap. fin. de vit. & honeſtat. Cleric.* ubi plura congeſſit Gonzalez: quapropter in pœnam his bonis privantur, & applicantur Cameræ Apoſtolicæ, ut luculenter tractat Redoanus *dict. q.* 2. Navarrus *de Spoliis*, *dict.* §. 7. *à num.* 3. qui *num.* 5. id extendit ad alia bona, quæ illicitè à Clericis lucrantur, quamvis non ſit ex negotiatione, dummodò eis priventur in vita, aut in tempore mortis relinquantur, Filliucius *d. tract.* 43. *cap.* 4. *num.* 26. quod intelligendum, lata jam ſententia, tam in uno, quàm in altero caſu. Molina *d. diſput.* 147. *nu.* 10. Azorius *lib.* 8. *cap.* 2. *q.* 3. alias in foro connent. In foro fori aliter dicendum; nam quando conſtat Clericum mercaturam exercuiſſe, vel aliam illicitam negoriationem, unde bona acquiſivit, poteſt Camera Apoſtolica omnia bona invadere, & heredibus incumbit probare, nihil ex negotiatione lucratum, vel bona illa eſſe de patrimonio, vel quaſi Clerici defuncti, ut ab ſpolio excuſetur; quia tam acre judicium meretur Clericus mercimonium exercens. Redoanus *d. qu.* 2. Azorius *d. cap.* 2. *qu.* 1. Zerola *verbo Spolium*, *à n.* 12. Filliucius *d. tract.* 43. *cap.* 5. *n.* 6.

8 Rursùs ad rem animadvertendum, eſſe poteſtatem applicandi hæc Spolia Cameræ Apoſtolicæ ex cauſa rationabili. Et in Italia eſt uſu receptum, niſi exceptis his, qui facultatem teſtandi de ſpoliis impetrarunt, ut in Beneficiis ſimplicibus, de quorum redditibus in aliquibus locis conſuetudo eſt, ut Beneficiati teſtentur, ut colligitur ex Conſtitutione S. Pii V. & Gregorii XIII. in Germania, Gallia, & Luſitania, & in aliis provinciis receptum eſt, ne ſpolia ad Cameram Apoſtolicam perveniant, idque Principes illorum Regnorum recuſarunt, ne hac occaſione tanta bona à Regnis ſuis extraherentur, & ad Italos tranſmigrarent, quando ad tam grave damnum non appareret cauſa ſufficiens. Molina *d. diſp.* 147. *n.* 12. Filliucius *tract.* 43. *cap.* 7. *num* 24.

In Hiſpania noſtra aſſerit ipſe Molina uſu eſſe receptum 9
ut tantùm Prælatorum Epiſcoporum ſpolia ad Cameram Apoſtolicam pertineant, non verò aliorum Clericorum. Cenedo *collect.* 12. *ad Decretales*, Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 51. *nu.* 72. Valenzuela *conſ.* 98. *n.* 33. Garcia *de Beneficiis*, 2. *p. cap.* 1 *nu.* 16. quod non in tota Hiſpania eſt intelligendum, ſed in Caſtella, & in provinciis illius Coronæ. In Regno Navarræ, & Aragoniæ contrarium obſervatur. Apud Indos Collectores Cameræ Apoſtolicæ recepti non ſunt, ſed obſervatur jus commune, nempe ut ſpolia pertineant ad Eccleſias, ut ex Herrea ſcripſit Solorzanus *dict. lib.* 3. *cap.* 11. *à num* 22. Villaroel. *Goviern. Eccleſiaſt.* 2. *p. quæſt.* 20. *art.* 3 Fraſſo *de patronat. ind.* 1. *p. cap.* 21. *à uu* 1.

Itidem in Hiſpania illud eſt praxi receptum, ne ſpolia 10
concedantur Cameræ Apoſtolicæ de his quæ à Prælatis, ſeu Clericis ex illicita negotiatione acquiſita ſunt; nam licèt id ſtatutum fuiſſet à Gregorio XIII. Zerola *in Praxi*, *verbo Spolium*, *n.* 7. Filliucius *in d. tr.* 43. *c.* 6. & 7. *n.* 8. Rodriguez *quæſt. Reg. tom.* 3. *q.* 30 *art.* 12. attamen conſtitutio illa quoad hanc partem in Hiſpania recepta non eſt, quare collectores Apoſtolici hæc ſpolia intendentes rejecti ſunt, ut teſtatur Solorzanus *d. cap.* 11. *à n.* 99.

Hinc Conſtitutiones iſtę in qualibet provincia obſervan- 11
tiæ ſunt, uti fuerint receptæ, aliàs minimè Collectores obtinebunt. Et id ſtrictè, & non ampliori modo, quia hæ reſervationes ſpoliorum magna indignatione, & dolore admiſſæ ſunt, prout de Francia, & aliis Regnis dictum eſt, & quod graviter animadvertendum, illud eſt, quod ſcripſere Zabar. *conſ.* 1. Tuſchus *lit.* S, *concl.* 369. *n.* 6. ſcilicet Græcos ab Eccleſia Romana receſſiſſe, quia nimis impiè collectores Apoſtolici agebant, expilantes Clericorum hæreditates. Cui addere libet, Principes ſæculares graviter dolere Regni divitias extrahi & deportari; quare ex piiſſima mente noſtrorum Sanctiſſimorum Pontificum nolentium nemini dolorem irrogare, conſtitutiones iſtæ ſtrictè & quominùs percipiant, ſunt interpretandæ, etiam ubi ſunt receptæ; illa enim ſemper eſt Summi Præſulis voluntas, & votum noſtras animas lucrari, non divitias.

In his verò quæ diximus de ſpoliis pertinentibus ad cul- 12
tum divinum, & quæ Eccleſiis applicantur, ſeu Monaſteriis ubi adeſt Prælatura, ſeu Beneficium, non ſtricta interpretatio facienda eſt, ſed ſumenda in ampliori modo; nam cùm ſint res ſacro cultui dicatæ, & piiſſimam cauſam contineant majori favore ſunt proſequendæ. Quamobrem ſi Prælato, ſeu Beneficiato concedatur indultum teſtandi, minimè intelligitur de his ſpoliis cultui divino dicatis, niſi de eis fieret expreſſa mentio, Molina *d. diſp.* 147. *n.* 11. Filliucius *d. tr.* 43. *cap.* 4. *n.* 4. Solorzano *d. cap.* 11. *n.* 60. Marta *de jurisd.* 4. *p. q.* 1. *art.* 4. *n.* 44.

Unde aliqua ſunt dubia examinanda. Et in primis, an 13
illa ex his bonis, quæ non conſecrantur, pertineant ad Eccleſiam, ſeu Monaſterium, ubi eſt Beneficium? Ratio negandi illa eſt, nam res quæ ſpeciali conſecratione cultui divino non ſacrantur, ſacræ non ſunt, *l. Divus Severus*, *ff. ad l. Jul. pecul.* ubi Albericus *n.* 1. *l. Sacram.* 9. *l. in tantum* 6. §. *Sacra*, *ff. de rer. diviſ. c. Aquam* 20. *de conſecr. diſt.* 3. Petrus Gregorius *Syntagm. lib.* 33 *cap.* 14. *n.* 2. Cùm ergo Bulla loquatur de rebus ſacris cultui divino deſervientibus, ſi ſacratæ non fuerint, ad Eccleſias non pertinebunt, ſed hæredibus, vel Cameræ Apoſtolicæ applicabuntur, prout fuerit conſuetudo. Cæterùm, nam ex eo potiſſimè hæ res pertinent ad Eccleſias, quia cùm Deo ſint ſacratæ ſpeciali conſecratione, ad uſus profanos redire non debent, *c. Ad hæc* 4. *de Relig. dom.* Ergo cùm res iſtæ non ſint conſecratæ, non debent pertinere ad Eccleſias, ſed ad hæredes, aut Cameram Apoſtolicam.

Sed contrarium eſt tenendum, & probatur; nam in re- 14
bus deſervientibus ad divinum cultum, aliquæ ſpeciali conſecratione ſacrantur, aliæ verò non, ut Miſſalia, libri cantus, thuribula, urceoli, & alia; attamen ad divinum cultum ſunt deſtinatæ, & hæ licèt propriè ſacratæ non ſint, latiùs tamen ſacratæ dicuntur, prout illæ res quę in privatis ſacris re-

retinentur, *l. Sacrilegii 9. ff. ad l. Iul. pecul.* Peguera *dec. crim.* 24. *nu.* 3. Farinacius *de furt. qu.* 172. Petrus Gregorius *dict. lib.* 33. *cap.* 14. *nu.* 3. quare ad spolium ipsius Ecclesiæ pertinent. Confirmatur, nam ut constat ex constitutione S. Pii V. non solùm istæ res sacratæ speciali consecratione, sed etiam aliæ, quæ ibidem recensentur, pertinent ad Ecclesias, quia hæc omnia per Pontificem applicantur Ecclesiis. Ergo ad eas debent pertinere. Navarrus *de spoliis*, §. 8. *n.* 4. Scortia *cpit.* 98. *theorem.* 242. *ver J. Porrò*, Azorius *d. lib.* 8. *cap.* 3 *q.* 7 Filliucius *d. cap.* 4. *n.* 4.

15 Rursus est alia difficultas, an quando hæc sacra, vel non sacra ad divinum cultum destinata, fuerint empta ex bonis patrimonialibus ip sius Prælati, seu Beneficiati, pertineant tanquam spolia ad Ecclesias, vel Monasteria. Prima sententia negat, nam in dictis Constitutionibus solùm loquitur Pontifex de his sacris divino cultui dicatis, emptis ex redditibus Beneficii; non verò de emptis ex bonis patrimonialibus, vel quasi; quare non possunt comprehendi in illis constitutionibus, ut pertineant ad Ecclesias, seu Monasteria. Cæterùm nullum est jus, unde Pontifices ea auferant ab hæredibus, & Ecclesiæ, aut Monasterio addicant; quia non implicat, quod sint in dominio mentis, licèt sint sacræ, aut cultui divino destinatæ; quare de jure ad hæredes transmittentur, ut alia bona patrimonialia; non verò ad Ecclesias, seu Monasteria, ut tenent aliqui apud Azorium *d. cap.* 3. *q.* 7. Scortia *d. theorem.* 242. *vers. Alii verò*.

16 Secunda sententia asserit, ad spolium Ecclesiæ, seu Monasterii pertinere; quia Constitutiones generaliter loquuntur, & absque aliqua distinctione, per verbum Omnia, nihil excludens, *l. Hoc articulo* 19. *ff. de hæredib. instit. l. Testatorem* 68. *ff. de legat.* 3. Barbosa *d.* 241. *n.* 1. ubi plures dat. Ergo in hac dispositione debent comprehendi omnia ad cultū divinum destinata, empta sive ex redditibus, sive ex patrimonio, vel quasi, & consequenter ad Ecclesias, seu Monasteria pertinebunt. Cæterùm, nam eo ipso quod quis ex proprio patrimonio, vel quasi has res ad cultum divinum sacravit, transit dominium earum ad Ecclesiam, quia nequeunt remanere in privatorum dominio, §. *Mullius*, §. *Sacræ*, *inst. de rer. divis.* quare rectè potuerunt Pontifices post mortem Beneficiati, seu Prælati ipsas Ecclesiis addicere, vel Monasteriis. Sic tenent Navarrus *de spoliis*, *d.* §. 8. *n.* 4. Azorius *d. cap.* 3. *q.* 7. Filliucius *d. cap.* 4. *n.* 4.

17 In hoc dubio admitto primam sententiam; nam Constitutio S. Pii V. de his rebus ad cultum pertinentibus loquens, apertissimè loquitur de emptis, & acquisitis ex redditibus Ecclesiasticis, ibi; *Quandoque ex fructibus Ecclesiasticis per eos acquisita*. Quare tota illa Constitutio trahenda est ad acquisitionem ex redditibus, non verò ad acquisita ex bonis patrimonialibus, vel quasi. Nec obstant verba infra posita, *quomodolibet acquisitis*; quia clausula illa non est referenda ad bona, quibus empta sunt, sed ad titulos acquirendi ex Ecclesiasticis redditibus, qui quidem varii sunt, & diversi, & patet ex verbis antecedentibus. *Quinimò res sacras, ac alia bona prædicta, quocunque nomine, vel titulo detinentes*. Quamobrem Constitutio ista nequit comprehendere res sacras, aut destinatas ad cultum divinum, emptas ex patrimonio, vel quasi. Ergo nec pertinebunt ad Ecclesias, seu Monasteria post mortem Prælati, seu Beneficiati.

18 Cæterùm res sacræ in nullius bonis sunt, *l. Sacram.* 9. *ff. de rer. divis.* quando fuerint Ecclesiarum, prout jura ipsa loquuntur, *l.* 12. & 13. *tit.* 18. *p.* 3. Macrobius *Saturn. lib.* 5. *cap.* 3. Sigonius *de Antiqu. Rom. lib.* 2. *cap.* 8. Alciatus *lib.* 4. *Parerg. cap.* 15. Petrus Gregorius *lib.* 33. *cap.* 14. Ast, ut dictum est, non repugnat ut aliquæ res consecrationi dicatæ ad cultum, sint in dominio alicujus privati, & ab eo habeantur ad illos usus sacros, prout in Oratorio, aut Capella privata, ita ut possint ad hæredes transmitti, ut fatetur de jure communi Navarr. *dict.* §. 8. *nu.* 4. Ergo rectè debent transmitti ad hæredes, nec pertinebunt ad Ecclesias, seu Monasteria. Denique hæ res similiter sacratæ solùm interdicuntur, ne redeant ad profanos usus, *d. cap* 4. *c. fin. de consecrat. Ecclesiæ*, *vel. Alt.* quare valent transmitti ad hæredes, vel alio modo alteri Ecclesiæ, Oratorio, seu Capellæ, ut semper ad eosdem usus deserviant. Ergo nulla est ratio, ut Pontifices eas applicent Ecclesiis, seu Monasteriis, quando sunt emptæ ex proprio patrimonio, vel quasi, & insimul in proprio patrimonio Prælati, seu Beneficiati reperiuntur.

19 Hinc disquirendus est casus jam agitatus in praxi, an quando Episcopus ex pecunia mutuata Pontificale emerit, & res necessarias ad suam Capellam, si non adsint alia bona unde pecunia solvatur, pertineant ad Ecclesiam, vel ad creditorem pecuniam mutuantem? Prima sententia asserit, adhuc applicanda esse Ecclesiæ; nam ex Constitutione S. Pii V. Ecclesia illas percipit contra Cameram Apostolicam. Ergo similiter contra creditorem. Deinde Pontificale, & aliæ res Capellæ, licèt fuerint emptæ pecunia mutuata, propriæ fiunt ipsius Episcopi, sicut & ipsa pecunia, *l.* 2. §. *Mutui datio*, *ff. Si cert. petat. l.* 1. §. *Contrahitur*, *ff. de oblig. & action. l.* 1. & 2. *tit.* 1 *p.* 5. Bacovius *lib.* 3. *declarat.* 40. Castillo *lib.* 3. *controv. cap.* 16. *n.* 26. & inveniuntur propriæ tempore mortis. Ergo debent pertinere ad Ecclesiam, & non ad creditorem. Et confirmatur, nam dominio translato ad Episcopū, solùm remanet penes creditorem actio personalis adversùs bona Episcopi, quæ si adsint, recuperabit pecuniam; si verò non, neutiquam; scire enim debet Pontificale, & alia res sacras statim ad Ecclesiam pertinere; quare illi nulla injuria irrogatur, sicut nec cuilibet scienti, *l.* 1. §. *Vsque adeò*, *ff. de injuriis*, *l.* 1. *ff. de act. empt. cap. Scienti*, *de Regul. jur. in* 6. Surdus *dec.* 194. *à nu.* 1. Sesse *dec.* 198. *n.* 15. Thomassetus *regul.* 275. Ergo contra creditorem debent ad Ecclesiam pertinere.

Tandem in hac specie duo sunt creditores, Ecclesia habens fundatam suam intentionem in his rebus sacris, & Pontificale; tum creditor pecuniæ mutuatæ; quando enim creditor habita fide pretii rem, aut pecuniam dat, non præfertur aliis creditoribus, etiam in ipsa re; nam cùm transierit ad dominium debitoris, *l. quod vendidi* 19. *ff. de act. empt. l.* 46. *tit.* 18. *p.* 3. solùm remanet actio penes creditorem, qui aliis creditoribus nequis præferri in re ipsa debitoris. Valenzuela *cons.* 56. *nu.* 34. Castillo *lib.* 3. *controvers. cap.* 8. *nu.* 9. latè Vale *differt.* 30. *per tot.* Ergo cum Ecclesia statim quod Episcopus emit, sit creditor Pontificalis, & aliarum rerum sacrarum, nequit præferri creditor pecuniæ, sed tantùm Ecclesia. Solorzanus *d. lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 60. Frasso *de patronat. Ind.* 1. *p. cap.* 21. *n.* 25. 20

Sed his non obstantibus contrarium teneo, & ut clarè procedamus, animadverto in primis, quod si Episcopus ex pecunia mutuata Pontificale, & alias res sacras emerit, verùm ex redditibus quantitatem illam persolvat Episcopus creditori mutuanti, tunc Pontificale, & aliæ res destinatæ ad cultum permanent ita obnoxiæ, ut necessariò pertineant ad Ecclesiam, ita ut cæteri creditores nihil adversùs eam petere possint: quo in sensu loquuntur Solorzanus, & Frasso, quos pro contrario adduximus *num.* 18. Et ratio est, nam cùm res istæ solutę sint ex redditibus, loco eorum subrogantur, & ita Pontifex res illas peculiariter ad Ecclesiam reservat contra cæteros creditores, sicut potest facere ipsos redditus; quapropter creditores alteri non præferuntur, sed necessariò ad ipsam perveniunt. 21

Casus verò noster est quando Pontificale, & aliæ res destinatæ ad cultum ex pecunia mutuata emptæ sunt, non tamen ex redditibus solutæ, & in hoc nequeunt pertinere ad Ecclesiam, sed ad creditorem pecuniam mutuantem; nam ut suprà animadversū est, constitutio S. Pii V. loquitur de Pontificalibus emptis ex redditibus: hæ verò non ex redditibus, sed ex pecunia mutuata emptæ sunt. Ergo non possunt pertinere ad Ecclesiam, sed ad creditorem. Cæterùm quando pecunia mutuatur, & ex ea aliqua res emitur, est difficultas, an mutuans illam habeat tacitè hypothecatam, & cum privilegio prælationis, de qua Covarr. *lib.* 1. *var. c.* 7. Gutierez *pract. lib.* 3. *q.* 98. Cevallos *q.* 744. latissimè Castillo *l.* 3. *controvers. c.* 8. Molina *de Iust. tract.* 2. *disp.* 436. de jure verò nostro Regio indubitabile est contrahi, *ex l.* 26. *tit.* 13. *p.* 5. Cevallos, & Molina nuperrim è allegati, quod de jure communi recipiendum, quoties res tendit ad causam publicam, *l. Qui navem* 9. *l. Quod quis* 19. *ff. de privil. credit.* Rodriguez *de concurs. 1. p. art.* 7. *à nu.* 10. Ast Pontificale, & aliæ res sacræ destinatæ ad cultum divinum, causam publicam involvunt, *l.* 1. §. *Hujus studij*, *ff. de Justit.* Ergo ereditor pecuniæ mutuatæ habet in eis tacitam hypothecam, cum privilegio Prælationis. Ergo non debent ad Ecclesiam pertinere, sed ad creditorem pecuniæ mutuatæ. 22

Sed dices: Pontificale, & aliæ res ad cultum destinatæ considerantur ut dos & arrhę Ecclesię, cum qua contrahit Episcopus matrimonium spirituale, *c. Inter corporalia* 1. *de translat. Episc.* Ergo quamvis mutuans habeat tacitā hypothecā in ipsis rebus, non debet præferri, sed Ecclesia. Probatur, 23

nam

nam mulier pro ſua dote præfertur aliis creditoribus poſterioribus habentibus expreſſam hypothecam, & anterioribus tacitam habentibus, *l.*30.*tit.*13.*p.*5. Mena *var.lib.*1.*q.*6.*art.*3.*n.*14. Guttierrez *pract. lib.*3-*q.*99.*à num.*20. Caſtillo *lib.*3. *contr.c.*8.*n.*27. Ergo cùm Pontificale, & aliæ res ſacræ ſint dos, & arrhæ Eccleſiæ, debet præferri creditori anteriori mutuanti pecuniam, licèt habeat tacitam hypothecam, & conſequenter ad eam pertinebunt.

24 Sed reſpondetur negando ſuppoſitum; non enim Pontificale, & illæ res ad cultum deſtinatæ, ad Eccleſiam perveniunt jure dotis, aut arrharum, ſed tantùm ex applicatione Summi Pontificis, facta ex ſua poteſtate, quam habet in redditibus Eccleſiæ, & in bonis ex eis acquiſitis, ut patet ex Bulla S.Pii V. ibi: *Omninò ſpectent, & pertineant.* Et infrà, *Eo ipſo applicata, & incorporata exiſtant.* Ergo negandum eſt illud ſuppoſitum. Cæterùm licèt gratis concedamus quod per modum dotis, & arrharum fiat hæc applicatio, adhuc reſpondetur. Si enim intelligitur per modum arrharum, præferendus eſt mutuans, quia licèt habeat mulier tacitam hypothecam, non tamen prælationem, *d. l.*30.*tit.*13. *par.*5. ubi Gregorius *verbo Arrhas, l.Aſſiduis* 12. §. *fin. C. qui pot. in pign. habeantur, auth. de æqualit. dot.*§.*His conſequens collat.*7. Covarr. *lib.*1. *var. cap.*7. *n.*1. Gomez *in l.*50. *Tauri n.*41. Barboſa *in l.*1. *ff. ſolut. matrim.* 6.*part. nu.*16. Mena *d. art.*3. *n.*10. idcircò mutuans ſemper eſt præferendus. Si enim intelligatur pro dote, & dotis augmentum, tunc habebit tacitam hypothecam cum prælatione, ſed non in hac ſpecie; quia creditor mutuans pecuniam ex qua res comparatur, habet prælationem in re ipſa omnibus creditoribus, maximè cùm ipſe ſit anterior, *l.*29.*tit.*13.*p.*5. Mena *d.art.*3.*n.*12. Cùm ergo mutuans ſit anterior cum tacita hypotheca, & prælatione in re ipſa, neceſſariò præferendus eſt Eccleſiæ, & ipſe conſequetur Pontificale, & alias res ſacras emptas ex ſua pecunia.

25 Rurſus quando ex pecunia mutuata Epiſcopus res iſtas emit, perinde eſt ac ſi ex propriis bonis emerit; quia pecunia illa tranſit ad eum pleno dominio. Ergo ſicut quando ex propria pecunia Pontificale, & alias res ſacras emerit, non pertinent ad Eccleſiam, ut diximus *nu.*14. ſimiliter ſi ex pecunia ad id mutuata. Ergo ex tacita hypotheca cum prælatione pertinebunt ad creditorem.

26 Denique illa communis ſententia, vendentem habita fide pretii, nullam habere prælationem, incerta eſt; negarunt enim illam quamplurimi. Baldus *in l. Pro debito* 6.*C.de bon. auth. judicis poſſidend. num.* 1. *verſ. Secundò ſatisfit.* Cajetanus *in Summa de reſt. cap.*8. Sylveſter *verbo Reſtitutio* 6.*n.*5. Navarrus *in Man. cap.*17. *num.*49 Leſſius *de Juſt. lib.*2 *cap.*15. *dub.*2. *num.*11. Renatus Cophinus *de morib. Pariſ. lib.*3. *tit.*3. *num.*8. Eſt enim conſonum æquitati, & juri naturali, ne dominium rei emptæ tranſeat ad emptorem, niſi pretio ſoluto; quare propter retentionem dominii ſemper in re vendita eſt præferendus venditor, licèt ad creditum venderet. Ex qua quidem æquitate deſcendit, ut mutuans pecuniam in re cum pecunia ſua empta habeat tacitam hypothecam cum prælatione, quando ex aliis bonis Epiſcopi nequit fieri ſolutio: quod quidem majori ratione procedet, ſi ex pacto res ipſæ emptæ ad ſolutionem obligarentur, ut latè docet Rodriguez *de annuis reddit. lib.*2. *qu.* 20. Vela *diſſert.* 30. *num.* 20. Rodriguez *de concurſ. art.*7. *n.* 15. Parladorius *lib.*1. *quot. cap.*8. Caſtillo *lib.*4. *controverſ. cap.*8. *n.*12. Mena *d. art.*3. *n.*13.

27 Illud verò ſemper à creditore mutuante obſervandum, ut pecunia mutuata in Pontificali, & rebus ſacris emendis implicetur, & inſimul probare tenetur pecuniam ad emptionem illam fuiſſe converſam, aliàs ex redditibus præſumerentur emptæ, niſi Epiſcopus tam breviter moriatur, ut nullos redditus perceperit. Et probatur, nam qui adversùs Eccleſiam aliquid intendit pro pecunia mutuata, debet probare converſam eſſe in rem ipſam, ad quam fuit mutuata, vel tradita, ut latè per Barboſam 3. *par. vot.* 118. *à num.* 1. & in minoribus Cyriacus *controv.*114.*n.*39. Bobadilla *in polit. lib.*3. *cap.*8. *n.*87. Narbona *in l.*25. *tit.*21 *lib.*4. *Recopilat. gloſſ.*10. *n.*20. Capponi *diſcept.*114. *num.* 17. & in emptione rei majoratus Caſtillo *lib.*8. *controv. cap.*36. §.3. *nu.* 42. Ergo idem erit dicendum in præſentia, nempe teneri creditorem mutuantem probare pecuniam verè eſſe converſam in emptionem Pontificalis, & aliarum rerum ad cultum pertinentium.

28 Sed contra hanc doctrinam adeſt textus *in l.fin. ff.de exer-*

*it.act. & in l.*1. §. *Non autem, ff. eod. tit.* ubi probatur, mutuantem pecuniam ad navem reficiendam non teneri probare collocatam eſſe in refectione illius, ſed tantùm ſufficit probare mutuatam eſſe ad navis refectionem: quibus aſſentitur Molina *lib.*4 *de Primogen. cap.*4. *num.* 21. Ergo in ſpecie ſufficiet probare mutuatam eſſe pecuniam ad emendum Pontificale, & alias res ſacras, neque requiritur neceſſariò probare converſam fuiſſe pecuniam ad illarum emptionem. Sed reſpondetur jura, & Molinam eſſe capienda, quando ex pacto, vel inſtrumento à mutuante, & emente facto, conſtat omnia requiſita interveniſſe, & fuiſſe adimpleta, ut pecunia illa converteretur ad illam rem, ad quam data, & mutuata eſt pecunia, ut explicat Caſtillo *d.* §.3. *à n.* 41. Aſt meliùs in præſentiarum dices, neceſſarium eſſe probationem converſionis pecuniæ, propter renitentem præſumptionem exiſtentem ex parte Eccleſiæ, Pontificale & res illas ſacras emptas eſſe ex redditibus. Tum quando intenditur jus in re empta ex pecunia mutuata, neceſſarium eſt probare verſam eſſe in emptionem illius, ut dicunt plures relati à Molina *d. cap.*4. *nu.*20. Amato *var. lib.*1. *reſol.* 3. Salgado *in Labyrinth.* 3.*p. cap.*10. *n.* 18. Ergo in præſentia tenebitur mutuans probare pecuniam mutuatam converſam fuiſſe ad emptionem Pontificalis, & aliarum rerum ad cultum divinum deſtinatum.

Prætereà in capite iſto diſquirendum, quæ bona ad ſpo- 29
lium pertineant. Et aſſerendum, omnia bona ex redditibus acquiſita, remanentia tempore mortis Prælati, ſeu Beneficiari, de quibus nequit teſtari, ad ſpolium pertinere; nam licèt in vita de eis diſponere poſſint, non verò in morte, ut dictum eſt. His adjungere libet comparata, & empta ex redditibus, exceptis his relatis in conſtitutione S.Pii V. Navarrus *de Spoliis,* §.8. Zerola *in Praxi, verbo Spolium, num.*2. Azorius 2.*par. lib.*7. *cap.* 3. *q.* 6. & 7. Filliucius *in Appendice de ſpoliis, tract.*43. *cap.*4. *n.*1. & 2. Barboſa *de univerſ. cap.* 12. *num.*62.

In his igitur ſuccedit Camera Apoſtolica, ſeu Eccleſia, 30
prout fuerit in conſuetudine, & Collectores nomine illius, & tenentur ſolvere debita defuncti, tanquam hæredes. Qua in re diſtinctio facienda eſt in his debitis; nam quando debita contracta ſunt ob utilitatem Eccleſiæ, Dignitatis, vel ad uſum, ſeu indigentiam perſonæ, ſolvenda ſunt ex bonis ſpolii: ſi verò ſint contracta à Prælato, ſeu Beneficiato, veluti ad emendas vineas, prata, fundos, ſeu cenſus, qui conſumpti ſunt, nec tranſeunt ad ſpolium, tunc aliter eſt dicendum. Et ratio eſt, nam prima debita cadunt ſub neceſſaria obligatione redditus, ſecus verò ſecunda: quare Camera Apoſtolica, ſeu Eccleſia tenebitur ad illa ſolvenda, non verò iſta. Azorius *d.cap.*3. *q.*3. Filliucius *dict.tract.*43. *cap.*6. *n.*11. Zerola *verbo Spolium n.* 20. Solorzanus *d. lib.* 3. *cap.*11. *n.*47. Balmaſeda *de collect. q.*21. *n.*2. Fraſſo *d. c.*21. *num.*22.

Unde infert Filliucius *ubi proximè*, Cameram Apoſtoli- 31
cam debere omnia debita ſolvere, quæ neceſſariò erant ſolvenda à ſucceſſore. Hæc enim ſunt contracta ob Eccleſiæ cauſam, & Prælati, vel Beneficiati neceſſitatem, vel utilitatem. Unde ſequitur, teneri ad funus, ceram, ſepulturam, & alias funeris impenſas: pro infirmitate curanda, & Medicis, & medicinis, pro ſalariis officialium, & ſervorum Eccleſiæ, pro pecunia mutuata ad excarcerandum Prælatum, ſeu Beneficiatum, pro expenſis litis, & Advocatorum, de quibus Scribentes *in c.*1. *de ſolut.* Belletus *diſquiſit. clerical.* 1. *p. tit. de Clerico debit.* §.3. Puteus *lib.*3. *dec.*11. Gratianus *diſcept. for. cap.*94. *à n.*30. Flaminius *de Reſignat. lib.*1. *q.*16. *à n.*49. Comitolus *reſponſ. Moral. lib.*1. *q.*87. *à n.*2. Quibus in caſibus cùm obligatio ſolvendi ſit onus injunctum in ipſis redditibus tranſeunt cum ſpolio ad Cameram Apoſtolicam, aut Eccleſiam, ut benè advertit Filliucius *d. c.*6. *à n.*11.

Eſt tamen dubium, an Camera Apoſtolica ex bonis ſpo- 32
lii teneatur famulorum ſalaria Epiſcopi, vel Beneficiati ſolvere. Prima ſententia negat; nam ſucceſſor in illis bonis non tenetur ſolvere niſi debita contracta ob utilitatem, ſeu neceſſitatem Eccleſiæ, ſeu perſonæ, *cap.*1. *de ſolut. c. Ex præſentium* 3. *de pignorib.* Erga Camera Apoſtolica non tenetur ſolvere ſalaria famulorum. Cæterùm, aut ſalaria iſta ſunt deſignata à Prælato, & tunc ex bonis patrimonialibus ſunt ſolvenda, ut probat textus *in cap.* 3. *de pignorib. in fin.* aut ſunt ſalaria non conventa, ut evenit in famulis Epiſcoporum, ſpe alicujus beneficii deſervientibus; & non debentur, niſi ſoleant ſuas operas locare, *l. Salarium* 17. *C. Mandat.*

ubi DD. Cevallos *qu.* 288. *nu.* 5. Mena *var. lib.* 1. *qu.* 8. §. 2. *num.* 1. Rota *conſ.* 43. *à nu.* 5. Valenzuela *conſ.* 199. *num.* 62. Barboſa *lib.* 2. *vot.* 74. *nu.* 6. Marinis *lib.* 1. *reſolut. c.* 73. *nu.* 12. quamobrem Camera Apoſtolica non tenetur ex ſpoliis famulorum ſalaria perſolvere. Navarrus *de ſpoliis*, §. 9. *à num.* 6. & cum aliquibus tenet Camill. de Medicis *conſ.* 1. *num.* 19.

33 Secunda ſententia tenet contrarium *ex Auth. Licentiam*, *C. de Epiſcop. & Cleric.* Sed textus iſte aſſumptum non probat, quia ſolùm continet Epiſcopos, ſeu alios Prælatos teſtari poſſe de locis propriis, non verò contemplatione officii acquiſitis: moriente verò Epiſcopo abſque ſucceſſore legitimo, & ſine teſtamento, ſuccedit Eccleſia. Refert plures Barboſa *in d. Auth. & in l.* 1. *C. de ſacroſ. Eccleſiis n.* 1. *& de univerſ. lib.* 3. *c.* 17. *n.* 58. prout etiam Fiſcus ſæcularis ſuccedit morientibus ab inteſtato, & abſque legitimo ſucceſſore, *l.* 1. *C. de bon. vacant. lib.* 10. *l.* 3. *tit.* 13. *p.* 6. *l.* 12 *tit.* 8. *lib.* 5. *Recopilat.* Surdus *de Aliment. tit.* 1. *q.* 1. *à n.* 16. Molina *de juſtit tract* 2. *diſp.* 164. *n.* 15.

34 Hinc ſequitur Authenticam illam nihil ad rem probare, quia nihil agit de ſpoliis, nec de famulorum ſalariis, unde aliquod ad aſſumptum fieri poſſit argumentum. Verùm hæc ſententia ratione probatur; nam Prælatus, ſeu alter quilibet Beneficiatus poteſt ex redditibus ſua debita ſolvere, *c. Pervenit* 2. *de fidejuſſ.* Rota *in Antiquis*, *dec.* 41. *nu.* 2. *de probat* Rota apud Gregorium XV. *dec.* 401. *n.* 5 & diximus ſupra. Ergo cùm bona iſta tranſeant ad Cameram Apoſtolicam, ſeu ad Eccleſiam cum onere iſto, tenentur ad illa ſalaria perſolvenda. Rota *in Antiquis dec.* 42. *de prob.* Zacchias *de ſalario q.* 7. *n.* 4.

35 Tertia ſententia aſſerit, de rigore juris hæc ſalaria ſolvenda non eſſe, ſed tantùm de æquitate, etiamſi nullum ſalarium fuerit conventum, ſecundùm merita, & ſervitia famulorum. Probat, quia ſi ſalarium conventum ſit, eſt propriè debitum, & neceſſariò ſolvendum ex redditibus, *c.* 1. *de pignor. c. fin. de cenſſic. ord narii in* 6. Si verò non ſit Conventum, adhuc ex æquitate debetur, quia labore alieno, etiam ſalario non convento, non licet aliquo modo locupletari, idque in operis, & laboribus obſervatur, ut quoties de ſalario conventum non eſt, ad conſuetudinem, vel ad arbitrium boni viri recurratur, *l. excepto* 18. *Cod. de locat. l. Sed an ultrò* 10. § 1. *l. qui utiliter* 45. *ff. de negot. geſt.* & de æquitate ſolvitur. Mena *d. q.* 8. §. 2. *n.* 3. & 10. Cevallos *q.* 288. *n.* 6. Azevedus *in l.* 6. *tit.* 15. *lib.* 5. *Recopilat.* qui teſtatur ſic in praxi obſervari *n.* 4. Bobadilla *in polit. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 38. Barboſa *d. vot.* 74. *nu.* 7. quapropter in hac ſpecie dicendum, ſalaria famulorum debere ſolvi à Camera Apoſtolica, etiam non conventa, ut latè defendit Solorzano *d. tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 11. *à nu.* 50. Balmaſeda *d. qu.* 21. *n.* 5. qui de praxi teſtatur.

36 In hac difficultate obſervandum, Conſtitutionem S. Pii V. adeſſe anni 1567. cujus verba tranſcripſit Solorzanus *d. c.* 11. *n.* 52. quæ videntur hanc difficultatem decidere, ibi: *Nullus ſuper eorum bonis mercedem petere poſſit in prejudicium creditorum, niſi evidenter appareat, quod ſub certa conſtituta mercede ad hujuſmodi ſervitium acceſſiſſet.* Unde videtur, famulorum ſervitia minimè poſſe peti contra Cameram Apoſtolicam, niſi quando famuli ad inſerviendum Prelato advenerunt, certa aſſignata mercede: alteri verò nullo modo ſalaria percipere poterunt, quia non fuere conventa. Sed Conſtitutio iſta non plenè difficultatem diſſolvit, quia tantùm loquitur quando alii fuiſſent creditores, quo caſu ne illis damnum irrogetur, ſtrictè loquutus eſt Pontifex, ut ſalaria, niſi conſtituta mercede, famulis non ſolvantur: nos verò loquimur etiam in caſu, quando creditores non eſſent alteri, ſed tantùm Camera Apoſtolica, tanquam ſucceſſor legitimus, bona haberet: quapropter in utroque caſu res examinanda eſt.

37 Et quando alii ſunt creditores, vel non ſunt, aſſero aliquas eſſe perſonas, quibus ex ſpolio ſalaria debentur, veluti quando inſervierunt, aſſignata mercede, ut jam deciſum eſt verbis S. Pii V. Si verò ſalario non convento inſervierunt, ſunt perſonæ vacantes honeſtioribus diſciplinis, ut Aſſeſſores, Medici, Advocati, Cartularii, Notarii, & his ſimiles. Ratio eſt, nam iſtis perſonis licèt merces, ſeu ſalarium deſignatum non ſit, verè tamen, & realiter eis debetur, dummodò per teſtes ſervitium probetur. Seraphinus *dec.* 74. *n.* 2. *& dec.* 849. *n.* 2. Gratianus *diſcept. c.* 257. *nu.* 2. Marinis *lib.* 1. *reſ. c.* 311. *num.* 3. Pareja *de Edit. inſtrum.* 1. *p. tit.* 5. *reſ* 6. *n.* 12. Ergo etiamſi alii ſint creditores, iſtis perſonis debetur ſalarium, etiam mercede non conſtituta, & illud contra illos poſſunt petere, quia de eis non loquitur conſtitutio S. Pii V.

Si verò creditores non ſint, quibus damnum irrogetur, verùm adſint bona ſpolii, & lucrum cedat ad favorem Cameræ Apoſtolicæ, ſalaria conventa, & non conventa debentur his perſonis ſupra recenſitis. Erit ergo dubium, quando perſonæ fuiſſent viles, & humilibus miniſteriis occuparentur: in quo quidem caſu, ſi mercede aſſignata deſerviant, eis ſalarium debetur, & de jure Regio ampliùs petitur, ut ſint adſcripti in libro, ſeu inſtrumento ſalarii à domino ſignato, *leg.* 10. *tit.* 15. *lib.* 4. *Recopilat.* Rodriguez *de concurſ. art* 3. *n.* 28. Pareja *d. reſ.* 6. *à n.* 4. quibus adminiculis eis ſalarium ſolvendum eſt à Camera Apoſtolica. 38

Si verò non deſignata mercede inſervierint, contrarium eſt aſſerendum, iſtæ enim viles perſonæ abſque ſalario inſervire exiſtimantur, niſi duo concurrant, nempe ut famulus ſolitus ſit in illo miniſterio operas locare, & dominus conducere; quo quidem probato, ſalarium percipient. Puteus *lib.* 2. *dec.* 44. Riccius *collect.* 656. Marinis *lib.* 1. *reſ. cap.* 311. *n.* 4. Pareja *d. reſ.* 6. *nu.* 32. quapropter etiam in hoc caſu à Camera Apoſtolica, ſeu ab Eccleſia ex ſpolio ſalarium percipient, quod perinde eſt, ac ſi aſſignata mercede deſervirent. 39

Sed quid de Vicario Epiſcopi, an quando redditus officii non ſunt ſufficientes, ſalarium ex ſpolio percipere debeat, de quo conventum non eſt? Negant aliqui, nam Epiſcopus non poteſt cogi habere Vicarium, ſed eſt voluntarium illum habere; ſucceſſor enim in Epiſcopatu non tenetur ſolvere debita voluntaria Epiſcopi. Abbas *in c.* 1. *& 2. de ſolut.* Rota apud Gregorium XV. *dec.* 507. Ergo neutiquam obligabitur Camera Apoſtolica, ſeu Eccleſia ex ſpolio ſimile ſalarium perſolvere. Rota apud Seraphinum *dec.* 94. *n. fin.* Marinis *d. c.* 311. *n.* 7. 40

Sed contrarium tenet Solorzanus *d. cap.* 11. *num* 54. ducitur ex doctrina Menæ. *lib.* 1. *var. q.* 8. *num.* 4. ubi ſcripſit, Epiſcopum perneceſſe teneri habere Vicarium; quapropter eſt debitum neceſſarium, & in utilitatem Dignitatis, & Eccleſiæ. Ergo ſucceſſor in redditibus, ut eſt Camera Apoſtolica, ſeu Eccleſia, tenentur illud ſalarium perſolvere. Idque fortiùs admittit Solorzan. ſi ex longinquo adveniat Vicarius ſpe promiſſionis Epiſcopi, & alia lucra deſeruit, prout obſervat etiam in famulis deſcervientibus Epiſcopo, qui ad id aliquas expenſas fecerunt. 41

In hoc dubio duo continentur diſquirenda. Primum, an ſalarium debeatur Vicario Epiſcopi. Secundum, an ſucceſſor, prout eſt Camera Apoſtolica, teneatur ad illud ſolvendum. Et quoad primum aſſero, ſalarium deberi Vicario Epiſcopi, quando officium redditus ſufficientes non habuerit, licèt neceſſarius non fuerit, ſed tantùm voluntarius, & ab Epiſcopo ſponte ſuſceptus. Probat textus in *cap. Ex præſentium* 3. *de pignor.* ubi probatur, debita contracta ab anteceſſore voluntariè, & abſque aliqua neceſſitate, ſucceſſorem ſolvere non teneri, ſed hæredes illius, ut ibidem exprimit Barboſa *ibid. n.* 3. Unde claré percipitur, quod ſi Epiſcopus voluntariè Vicarium habuerit, ei ſalarium deberi, ut benè animadvertit Rota apud Seraphinum *dec.* 74. *nu. fin.* Segura *in direct. 1. p. c.* 14. *n.* 3. 42

Erit ergo difficultas, an & à quo ſolvendum. Et reſolutio pendet ab alia quæſtione, an Epiſcopus teneatur habere Vicarium. Affirmarunt Boerius *dec.* 348. *num.* 8. Gabriel *lib.* 2. *conſ.* 33. *num.* 22. Sbruzius *de offic. Vicarii*, *lib.* 1. *q.* 46. Azorius *inſt. Mor.* 2. *p. lib.* 3. *cap.* 29. *qu.* 3. Gratianus *tom.* 1. *diſcept. cap.* 94 *à num.* 37 Negarunt Navarrus *conſ.* 4. *de off. Ordin.* Puteus *lib* 4. *dec.* 43 Mohedanus *dec.* 4. *de offic. Vicarii*, Diana 10. *p. tract.* 15. *reſolut.* 31. Barboſa *de univerſ. lib.* 1. *cap.* 15. *nu.* 16. Aſt in re illud eſt admittendum, ut ſi Epiſcopatus parvus ſit, cujus negotia poſſunt commodè expediri à ſolo Epiſcopo, eſt in ejus voluntate habere Vicarium, nec ad id cogi poſſe; ſecus verò ſi grandis, in quo ſunt plura negotia, quæ nequeunt ab eo ſolo expediri; tunc enim de neceſſitate Vicarium habere tenetur, ut lites, & alia expendat, Epiſcopus verò lectioni, orationi, & prædicationi vacet, & inſimul adminiſtrationi Sacramentorum, cujus eſt principale munus. Trident. *ſeſſ.* 5. *de reform. c.* 2. quare in hac ſpecie de neceſſitate tenetur Vicarium habere. Mena *dict. quæſt.* 8. §. 1. *num.* 2. Gratianus *d. c.* 94. *num.* 38. 43

So-

Solorzano *tom.2. de jur. Ind. lib.3. cap.8. num.11.* Barboſa in *cap.1. de ſolut. nu. fin. in fin.* Torrecilla *exam. de Obiſp. tr.1. q.7. ſect. unica, diffic.8.*

44 Hinc danda eſt reſolutio principali difficultati. Quando enim Epiſcopatus ita eſt parvus, ut omnibus negotiis poſſit Epiſcopus curam dare, tunc ſalarium Vicario minimè eſt perſolvendum ex ſpolio à Camera Apoſtolica, vel ab Eccleſia; quia Epiſcopus voluntariè Vicarium ſuſcepit, ſed ſolvendum ab ejus hærede, ſi aliàs bona habuerit patrimonialia, vel quaſi, *ex cap. præſentium 3. de pignorib.* ubi plures, Barboſa *n.2.* Illud verò animadvertendum in ſimili ſpecie, quod ſi Epiſcopus fuerit Theologus, reor non eſſe admittendam hanc reſolutionem, indiget enim Vicario Iuris perito ad dirimendas lites, cùm hoc fieri non poſſit ab Epiſcopo Theologo. Valenzuela *conſ 120. num.37.* Barboſa *d. lib.1. cap.15. nu.14.* Hanc ob rem ſalarium ſolvendum eſt à Camera Apoſtolica, vel ab Eccleſia, quia eſt debitum neceſſarium.

45 Si verò Epiſcopatus ſit grandis, & habeat plura negotia, quæ nequeunt expediri à ſolo Epiſcopo, etiam Iuriſperito, ſalarium neceſſariò eſt ſolvendum à Camera Apoſtolica, vel ab Eccleſia, ex ſpolio, ob eandem rationem.

46 In re tamen prætereundum non eſt circa ſalaria Vicarii, & famulorum, aliquos Prælatos ad oſtentationem duos, aut tres Vicarios in Archiepiſcopatu, ſeu Epiſcopatu ponere ſolere, ad negotia, quæ facilè, & commodè poſſunt expediri per unum. Tum multos famulos admittunt ad vanam pompam, & in his maxima conſideratio facienda eſt, ut non omnibus ſalarium ſolvatur, ſed tantùm his qui fuerunt neceſſarii ad expedienda negotia, vel ad ſervitium dignitatis, prout religioni judicantis viſum fuerit; quia tantùm Camera Apoſtolica ex ſpolio, ſeu Eccleſia ſolvit debita neceſſaria, non verò iſta ad vanam oſtentationem, ſed ab hærede ſolventur, *cap.1. de ſolut.* ubi Hoſtienſis *n.2.* & 3. Abbas *n.1.* & 2. Gomez in *l.40. Tauri, n.72.* Covarr. *lib.2. variar. cap.17. n.3.* Surdus *de aliment. tit.8. privil. 5. à num.7.* Rota *1. par. diverſ. deciſ. 805. nu.4.* prout etiam in ſucceſſoribus majoratus obſervator. Molina *de primog. lib.1. cap.10. à n.15.* P. Molina *de juſt. tract.2. diſp.640.* & 641. Valaſco *de partit. cap 19. nu.44* Vela *diſſert.5. n.50.* Barboſa in *cap.1 de ſolut. n.7.* Caſtillo *controv. lib.4. c.35. n.39.* & in Regni ſucceſſore. Barboſa in *d. cap.1 n.9.* Garcia *de expenſ. c.16. n.15.* Ergo ſimiliter iſta ſalaria ſolventur ab hæredibus.

47 Cæterùm Camera Apoſtolica ſeu Eccleſia ex ſpolio tenetur ſolvere debita ex promiſſione provenientia. Gloſſa in *c. Quicumque 12. q.2.* verbo *Promiſerit*; quia promiſſio efficaciter obligat, ut ex pluribus probat D. Olea *de ceſſ. tit.1. q.6. n.4.* quare Camera Apoſtolica, vel Eccleſia ex ſpolio hæc debita perſolvet, ut explicant Solorzano *lib.3. cap.11. à n.48.* Balmaſeda *d q.21. n.2*

48 Quam quidem ſententiam ita intelligas, ut ad promiſſionem ſubſit cauſa utilitatis Eccleſiæ, vel dignitatis, aliàs erit liberalis donatio ex ſpolio non ſolvenda. Erit tamen ſolvenda, ſi ſit promiſſio remuneratoria ſervitorum, & obſequiorum factorum Eccleſiæ, ſeu dignitati, ut latè proſequitur Solorzano *d. cap.11. à n.57.*

49 Ex ſpolio ſolvendæ ſunt penſiones debitæ ratione Epiſcopatus, aut Beneficii, quia ſunt onus ipſorum fructuum tranſiens ad quemlibet ſucceſſorem, *l.3. C. de ſervit. l. Cum fundo, ff. de ſervit. prædior. urb.* Unde cùm Camera Apoſtolica, ſeu Eccleſia ſuccedat per ſpolium in his redditibus, & aliis bonis ex eis acquiſitis, tenentur penſiones ſolvere, prout ſi apud alium tertium reperirentur, ut tenet Barboſa in *d. c.1. de ſolut. num.6.* & tenent Gigas *de penſ. q.56.* Redoanus *de ſpoliis, q.19.* Bellet. *diſquiſit. clerical. tit. de Cleric. debitore, §.8. n.18.* Lima ad Molinam, *lib.1. cap.10. n.24.* Fraſſo *d. 1. p. cap.21. n.24.*

50 Sed dices, penſiones decurſæ, non ſolutæ ab anteceſſore, ſolvendæ ſunt à ſucceſſore in Prælatura, aut Beneficio, ut latè per Rota. apud Seraphinum *deciſ.507.* Caſſadorus *dec. 3. n.2. de locat.* Gratianus *tom.1. cap.94. à n.52. de* Marinis *lib.1. reſolut. c.311. n.8.* Ergo non ſunt ſolvendæ ex ſpolio. Verùm facilè reſpondetur; nam ſucceſſor in Beneficio, aut Prælatura tenetur ſolvere decurſas penſiones, quando anteceſſor nulla bona reliquerit, unde ſolvantur; aliàs ſi bona, & hæredem reliq erit, habens penſionem nequit agere adversùs ſucceſſorem, niſi excuſſis bonis anteceſſoris, & factis diligentiis contra hæredem, ut ſæpe ſæpiùs deciſum eſt per Rotam. Achilles *deciſ.5. de penſionib.* Rota apud Seraphinum *deciſ.507. nu.3.* Belletus *d. tit. de Cleric. debit. §.9. nu.13* Mareſcotus *variar. lib.2. cap.18. nu.54.* Garcia *de beneficiis, 1. p. cap.5. n.199.* quod idem in ſpecie eſt dicendum; nam cùm Camera Apoſtolica, vel Eccleſia ſint ſucceſſores in bonis anteceſſoris, & quaſi hæredes, tenentur ad ſolvendas penſiones; & niſi excuſſis bonis ſpolii, nequeunt procedere pōſionarii adversùs ſucceſſorem, ut obſervatur in majoratibus, in quibus ſi ultimus poſſeſſor non ſolverit penſiones, aut decurſas majoratus, à ſucceſſore ſolvuntur, priùs excuſſis bonis anteceſſoris, & factis diligentiis adverſus hæredem. Molina *de primog. lib.1. cap.10 n.24.* Garcia *de expenſ. cap.16. n.14.* Maſtrillus *dec.203. num.6.* Mieres *de Majorat.4. p. q.26. n.28.* & 41. Caſtillo *controverſ. lib.5. cap.65. à n.52.*

Illud verò obſervandum, quando bona ſpolii venduntur ad ſatisfaciendum creditoribus, vel famulis Epiſcopi, nullam gabellam deberi, quæ inter noſtrates dicitur *Alcavala*; nam aut in his bonis ſucceſſit Eccleſia, aut Camera Apoſtolica, & in utroque caſu gabella non debetur, venditio enim fit de rebus Eccleſiaſticis, & nomine ipſius Eccleſiæ, aut Cameræ Apoſtolicæ. Ergo nulla debetur gabella, ut tenent Guttierrez *de Gabellis, lib.7. quæſtion. 88. nu.12.* Laſſarte *de decima, cap.19. nu.48.* Solorzano *dict. lib.3. cap.11. num.69.* Balmaſeda *de collect. quæſt. 21. num.14.* qui *numer.15* animadvertit aliquas diſtinctiones factas à Laſſarte, & Guttierrez, ad ſpolia non pertinere. 51

Eſt verò dubium, an venditis bonis ſpolii, & ſub haſta licitatione facta, poſſit poſteà plus offerens admitti? Et negandum videtur; nam licitatione ſub haſta facta, abſque fraude, & dolo, acquiritur jus perſonæ; in qua facta eſt licitatio, *l. Licitatio 9. ff. de publican. & vectigalib.* ubi Bart. Mangilius *de ſubhaſtat. quæſt.68 num.15.* Poſthius *de ſubhaſtat inſpect.35. num. 43.* Ergo poſt licitationem plus offerens admittendus non eſt; non enim abſque graviſſima cauſa jus acquiſitum per licitationem poteſt conferri. Cæterùm licitatione facta, ſi alii admitterentur adjectores, nullus vellet emere, aut locare res quæ ſubhaſtantur, in graviſſimum damnum vendentium. idcirco rectè ſtatutum eſt, ne licitatione facta alii admittantur, *leg. Lucius, §. n.* ubi Bart. *ff. ad Municipal. l. Congruit 4. C. de locat. præd. civil. lib.11.* quin licitator redditur ſecurus, Capicius *dec.36. nu.3.* Maſtrillus *dec.84.* Poſthius *d. inſpect.35. num.60.* Ergo ſpolio licitato, nequit plus offerens admitti. 52

Sed in terminis contrarium tenent Barboſa *lib.3. vot.81. à num.2.* Balmaſeda *de collect. quæſt.21 nu.fin.* Probat Barboſa; nam bona ſpolii pertinent ad Cameram Apoſtolicam, quæ habet omnia privilegia Fiſci Regalis. Abbas in *cap. Quia diverſitatem 5. de conceſſ. præbend.* Petrus Gregorius *Syntagm. lib.31. cap.81. num.9* Bobadilla *in pollit. lib.2. c. 17. n.199.* Sed Fiſcus Regius licitatione facta ſub haſta admittit adjectionem, ex *d. l. Lucius, §. fin. ff. de Municipal. l. 1. C. de vendend. reb. civit. lib.11.* Azevedus *in rub. tit.13. lib.9. Recopilat. n.9.* Parladorius *lib.2. quot.5. p.§. 13. nu.14.* Ergo ſimiliter quando venduntur bona ſpolii pertinentis ad Cameram Apoſtolicam 53

Hoc dubium duobus modis eſt concipiendum. Primò quando ſpolium nomine Cameræ Apoſtolicæ venditur, vel ceditur ſub haſta, proclamationibus datis, & licitatione facta, ut alter plus offerat, & tota commoditas eſt Cameræ Apoſtolicæ: & in hoc caſu aſſero plus offerentem poſteà eſſe admittendum, non ex aliquo privilegio Fiſci, ut aſſerit Barboſa, ſed mero jure ex natura ipſius contractus. Ratio eſt, nam in vendendis rebus Fiſcalibns illud eſt admiſſum, ut licitatione facta intra certum tempus, alter plus adjiciens admittatur, ut ex aliquibus juribus admittit Barboſa *dict. vot. 81. num.9* & de jure noſtro Regio intra tres menſes admittitur adjectio quarti, *l.7. & 13. tit.15 lib.5. Recopilat.* Guttierrez *de Gabellis, l. 7.q.142. per tot.* qui idem extendit etiamſi ſint bona Reipublicæ, ſeu minoris, *num.8.* Hæc verò adjectio non ex aliquo privilegio procedit, ſed ex natura contractus; quia factus intelligitur ſub illa conditione, ut ſi intra tempus aliquis plus offerat, admittatur, ut benè ſcripſit Bart. in *l. Si tempore, C. de fid. inſtrument. & jur. haſt. Fiſcal. lib.10. num.2.* ibi: *Intelligitur eſſe facta ſub conditione, niſi meliorem conditionē attulerit intra tempus appoſitum in ſubhaſtatione.* 54

Poſthius *d. inſpect.35. nu.* 105. Ergo id non procedit ex aliquo privilegio, ſed ex natura contractus, & venditionis ſub haſta factæ.

55 Quod idem eſt dicendum in venditione, ſeu ceſſione ſpolii, licitatione facta ſub haſta; quia admittendus eſt alter pius offerens, ex natura contractus. Sed tamen id non intelligas, ſi offeratur parva quantitas in adjectione; non enim licitatio pro minima quantitate eſt irritanda, ſed quartum quoad minus eſt offerendum, prout in cauſis fiſcalibus ſcripſit Guttierez *d. n.8.*

56 Sed dices. Licitatione facta ſub haſta, cum juris ſolemnitatibus, certo tempore deſignato, in redditibus regalibus plus offerens non admittitur. Azevedus in *l.5. tit.11. lib.9. Recopilat. n.4.* Bolanos *in Curia, 2.p. lib.1. c.15. n.27.* Affictus *dec.*340. Ergo nec in noſtra ſpecie eſt admittendus. Sed facilè reſpondetur negando horum Doctorum ſententiam, prout negat Parladorius *lib.2. rer. quotid. cap.fin. p.5. §.13. nu.*13. Aut dicendo intelligendam, quando adjectio fuiſſet alicujus parvæ quantitatis; tunc enim licitatione facta, non admittitur, etiam in rebus Fiſcalibus, ut latè explicat Parladorius nuperrimè adlegatus.

57 Si verò non ad Cameram Apoſtolicam ſpolium pertineat, ſed ad Eccleſiam, ſimiliter dicendum, plus offerentem licitatione facta admittendum per reſtitutionem, ſi gravis quantitas offeratur; quia licèt licitatione facta, alter adjector non admittatur, fallit tamen quando eſt perſona privilegiata, cui competit reſtitutio, ſicut Eccleſiæ; quia eo ipſo quod plus offertur, ſi gravis quantitas ſit, intelligitur læſa. Parladorius *dict. §.13. nu.12.* Bolanos *in Curia, 2.par. §.22. nu.10.* Avendanus *de exequ. mandat. 2.par. cap.12. nu.12.* Monte *de empt. & vendit. quæſt.5. de ſubhaſtat. num.* 87. Mangilius *de ſubhaſtat. quæſt.16. num.* 14. Poſthius *de ſubhaſt. inſpect.* 57. *per tot.* Ergo in præſentiarum quoties ſpolium pertinet ad Eccleſiam, & gravis quantitas offertur, licitatione facta, novus adjector eſt admittendus, ex traditis à Salgado *in Labyrinth.2.p. cap.2. à nu.7.*

58 Secundo etiam modo poterit vendi à Camera Apoſtolica, vel ab Eccleſia ad inſtantiam creditorum: quo quidem caſu aſſerendum videtur, facta licitatione ſub haſta, minimè plus offerentem eſſe admittendum, quia tunc commodum non eſt Eccleſiæ, ſeu Cameræ Apoſtolicæ, ſed creditorum. Ergo non eſt admittendus. Cæterùm, quia tunc venditio bonorum ſpolii non fit ab Eccleſia, vel Camera Apoſtolica, ſed nomine creditorum, cùm ipſi habeant jus in eis ad illa percipienda, ut patet in retractu, in quo ipſi creditores ſemper præferuntur, non ſolùm extraneis, ſed conſanguineis, quia in bonis jus certum habent. Parladorius *d. §.13. nu.10.* Rodriguez *de exequut. cap.6. nu.* 3. Bolanos *in Curia, 2.p. §.12. n.5.* Hermoſilla *in l.52. tit.5.p.5. gloſſ.7. ſub n.16.* Ergo cùm creditores habeant jus certum in bonis ſpolii, & ad eorum commodum fiat venditio, nomine eorum fieri exiſtimatur, quibus cùm non competat reſtitutio, nec aliquod privilegium Fiſcale, dicendum videtur, plus offerentem licitatione facta non eſſe admittendum.

59 Sed adhuc in hac ſpecie contrarium eſt tenendum; nam bona ſunt propria Cameræ Apoſtolicæ, vel Eccleſiæ, cui competunt, & nomine ſuo venduntur; idcircò licitatione facta, plus offerens eſt admittendus, prout quando venduntur ad commodum earum. Præterea licèt quæſtio ſit, an quando bona venduntur ad inſtantiam creditorum, licitatione ſub haſta facta, plus offerens ſit admittendus, quod negavit Hermoſilla *in d. l.52. gloſſ. 7. nu.* 47. attamen praxis, & communis ſententia eſt in contrarium, receptaque, ne aliquo modo bona miſerabilis debitoris aliquod detrimentum percipiant, & meliora fiant creditorum jura per illam adjectionem. Riccius *collect.* 1726. *verſ. Limita* 2. Capycius *dec.*36. Magonius *dec.*131. Amatus *variar.cap.* 38. *nu.*3. Rota *poſt Mangil. de ſubhaſt. dec.21. num.* 2. Poſthius *de ſubhaſt. inſpect.*35. *nu.*116. Salgado *in Labyr. 2. par. cap. 2. nu.* 12 qui varias rationes adducit, ſed debiles, *à nu.*13. Ergo cùm in qualibet cauſa, ſi vendantur bona debitoris ad inſtantiam creditorum, licitatione facta plus offerens admittatur, multò magis quando venduntur bona ſpolii pertinentia ad Eccleſiam, vel ad Cameram Apoſtolicam, quæ ſunt privilegiatæ. Tandem licèt hęc adjectio tendat in commodum creditorum, etiam attingit utilitatem Eccleſiæ, vel Cameræ Apoſtolicæ, dum ex illa ampliùs reſtat ex bonis ſpolii ad earum lucrum: vel ſi non reſtat, adhuc reſtabit commodum liberandi, & ſolvendi creditores inſtantes, & petentes.

Illud verò abs re non erit obſervare, creditorem mutuantem pecuniam ad utilitatem Eccleſiæ, vel dignitatis, aut perſonæ Prælati, ſeu Beneficiati, ab ſpolio compenſationem occultè percipere poſſe, & Prælatus, ſeu beneficiatus tempore mortis rectè poterit debitum illud ſolvere ex propria manu, ut lites, & jurgia excuſentur. Filliuccius *d. tract.43. cap.8. num.12.* qui *num.13.* aſſerit, retinentes bona ſpolii teneri ad reſtitutionem, vel facere compoſitionem cum Camera Apoſtolica, aliàs ſi neglexerit aliquis, excommunicationem ipſo jure incurrit, nec à Sacra Pœnitentiaria audietur, niſi damno reſarcito, *c. De laicis* 46. *cap. Illius* 47. *12. q. 2. cap Quia ſæpè* 40. *de elect. in* 6. Trident. *ſeſſ.22. de reform. cap.*11. Fraſſo *de patronat ind.1.p.cap.21. à nu.*14. 60

Mortuo enim Prælato, ſeu Beneficiato, judices, ad quos pertinet de ſpolio cognoſcere, ſtatim debent ad Palatium, ſeù domum convenire, ut bona illius aſſecurent, & ne rapinis defraudentur, ut ſæpiùs accidit in bonis defunctorum Eccleſiaſticorum, & ad Summorum Pontificum bona etiam eſt extenſum, damnatum, & deploratum ſacris Conciliis Chalcedonenſi *can.*21. Aquiſgranenſi *can.*88. Vormatienſi *can* 55. Illerdenſi *cap.*16. Inventarium ſumma legalitate facient, & bona reperta apud fidum ſequeſtrem deponent, ut ſic eis aſſecuratis, creditores petant, quibus ſolutis, cætera bona ad ſpolium pertinent. Bobadilla *in polit. lib.2.cap.* 18. *n.*180. Solorzanus *d. lib.3. cap.11. nu.* 28. Fraſſo *d. cap.* 21. *n.*12. 61

Judices verò competentes, ad quos hæc cognitio ſpolii attingit, quinam ſint, diſquiramus. Olim Epiſcopo defuncto, ad viciniorem pertinebat, qui quidem accedebat ad illum tumulandum, & celebrandas exequias. Concilium Valentinum in Hiſpania tempore Theodorici, *cap.*2. & inſimul bona remanentia Epiſcopi aſſecurabat, & de ſpolio cognoſcebat. Concilium Regienſe *can.5.* Aurelianenſe II. *cap.6.* Aurelianenſe V. *cap.* 8. Toletanum IX. *cap.* 9. quæ quidem decreta jam in deſuetudinem abjerunt, ut ſcripſit Solorzanus *d.cap.11.n.*34. Verùm hodie ſi ſpolium pertineret ad Eccleſiam, cognitio pertinet ad Judicem Eccleſiaſticum ordinarium: ſi verò ad Cameram Apoſtolicam, ſuos tenet Collectores, in qualibet diœceſi unum, cum juriſdictione delegata ad hæc ſpolia, de quorum officio latè Maſcardus *de probat. verbo Collector, concl.*317. Gonzalez *ad reg.8. gloſſ.51. à n.*67. Barboſa *in Summario, verbo Collectores, n.*180. 62

Aſt verò in his provinciis Caſtellæ, illa praxis invaluit, ut Regalis Audientia ad ſpolium accurrat, & ſi adeſſe non poſſit, Prætor ex virtute proviſionis Regiæ bona defuncti Epiſcopi aſſecurat, facit inventarium, & ponit ſequeſtrem, & de cauſis creditorum agnoſcit. De qua quidem praxi teſtantur plurimi, eamque juſtiſſimam dicunt, itaut ſi contra Prætorem Collector Apoſtolicus cenſuras promulgaverit per viam violentiæ, adducuntur ad Senatum Regium, ubi præcipitur Collectoribus excommunicatos abſolvere. Probant hanc praxim ex *l.18. tit.5. par.* 5. ibi: *Antigua coſtumbre fue de Eſpana, è duro toda via, y dura oi dia, que quando fina el Obiſpo de algun lugar, que lo facen ſaber el Dean, y los Canonigos al Rey, è que le encomienden los bienes de la Yglefia.* Quem textum inquit Solorzanus *d.cap.11. nu.* 33. intelligendum non ſolùm de redditibus Sedis vacantis, verùm etiam de ſpoliis defuncti Epiſcopi, cùm ad omnes poſſit referri. Sed verba iſta aſſumptum non probant, nam poſſunt intelligi de fructibus Sedis vacantis, ut ipſe Solorzanus agnoſcit. Tum quia ibi non agitur de bonis ſpolii, nec de aliquibus fructibus dignitatis, ſed tantùm de bonis Eccleſiæ, quæ Reges ut protectores Eccleſiarum defendere tenentur, maximè quando Prælato carent. Et confirmatur, quia noſter Alfonſus inquit hanc commendationem faciendam eſſe Regi, quia eſt patronus Eccleſiarum, ex tribus rationibus ibidem conſideratis. Ergo agit de defenſione bonorum facienda à Rege ut patrono, non verò ut à judice ſpolii. 63

Rurſus probant ſuam ſententiam, quia Rex, aut Audientiæ Regiæ, nihil aliud intendunt, niſi ſervare bona ſpolii, ne rapinis defraudentur: tum ut creditoribus ſatisfiat. Quod quidem nihil aliud eſt, niſi bona defendere, & liquare remanentia ad ſpolium, & utilitatem Eccleſiæ, vel Cameræ 64

Apo-

Apoſtolicæ;idcircò cum ſit pura defenſio, poterit fieri à judice laico. Tandem Rex Hiſpaniæ eſt patronus Eccleſiarum,& ideò ad eum pertinet hæc bona defendere, ſub cujus ſunt protectione, ut cum aliquibus tenet Solorzanus *d.c.11. num.44.* Ergo Audientiæ Regales rectè cognoſcunt de ſpoliis,aut earum proviſione Prætores. Guttiererz. *lib.2. pract. q.49. nu.4.* Segura *in direct.1 p.cap.14 nu.4.* Carleval. *de Judic. lib.1. tit. 1.q.5. n.344.* Bobadilla in *polit. lib.2. c.18. nu.180.* Cabedo *1.p. deciſ.84.* Solorzano latè *d cap.11. à num.13.* Fraſſo *d. cap.21. à num.11.* qui dicunt ſic apud Indos obſervari. Villaroel. *Goviern. Eccleſiaſt.2. par. q.20. art.3. n.79.*

65 Alteri tamen eam impugnant,& illicitam contra immunitatem Eccleſiæ dicunt. Nam explorati juris eſt,bona Eccleſiaſtica, prout ſunt bona ſpolii,ſive ad Eccleſiam, ſive ad Cameram Apoſtolicam pertineant,immunia eſſe à juriſdictione ſæculari, & eorum cognitionem ſolùm pertinere ad Eccleſiaſticum,*c. Quæ in Eccleſiarum 7.c. Eccleſia S.Mariæ 10. de Conſtit.* Ex eo enim, quod bona iſta tranſeunt ad Eccleſiam, Sancta Sanctorum dicuntur, *c. Nulli 3. cap. Quicumque 4 12.q 2.* & patrimonium Chriſti Domini Felinus in *cap. Conſtituimus, de reſcript. nu.19.* quamobrem nullus ſæcularis judex poteſt de his bonis cognoſcere, ſed tantùm Eccleſiaſticus. Bobadilla in *polit. lib.2. cap.18. nu.35.* Caſtillo *controv, lib.1. cap.5. nu.26* Delbene *de immunit. cap. 10. dub 16. à num.2.* qui id extendit non ſolùm quoad dominium directum, ſed etiam quoad utile, quando à laicis tenetur. Ergo nullo modo judices ſæculares poſſunt cognoſcere de bonis ſpoliorum, nec in eis habere aliquam juriſdictionem.

66 Cæterùm dicere, judicem ſæcularem nihil aliud facere, niſi defendere hæc bona à rapinis, & latronibus, quod ſæpius accidit, defuncto Prælato, admitteremus quando nullus fuiſſet Judex Eccleſiaſticus, qui id facere: ſed Eccleſia huic damno ſtatim occurrit, aut per Ordinarium, nempe Capitulum,Sede vacante,ſi ſpolium pertineat ad Eccleſiã; ſi verò Cameram Apoſtolicam, per Collectores. Aſt quoties ad hanc defenſionem eſt judex competens Eccleſiaſticus, nequit incompetens ſæcularis ſe intromittere,etiam in favorem illorum bonorum, *c. Eccleſia 10. de Conſtit. cap. fin. de Rebus Eccleſiæ*, Cavalcanus *deciſ.33. n.16.* Suarez *contra Reg. Angel lib 3.c.16.n 8. & lib.3. de legibus, c.34. n.13.* Caſtillo *controv. lib.2. cap.5. n.33.* Delbene *de immunit. cap.14. dub.5. n 25.* quia majus damnum percipitur, deperdita exemptione, quàm ſit commodum defenſionis. Hanc ob rem nequit ſæcularis judex prætextu defenſionis ſe introducere ad cognoſcendum de ſpolio.

67 Deinde Judices ſæculares non ſolum bona ſpolii defendunt, & ſequeſtrant, ſed etiam de illis cognoſcunt, ad ſolvendos creditores,& reliqua relinquendo Cameræ Apoſtolicæ,ſeu Eccleſiæ: & id non celeriter,& breviter, ut dicunt Doctores contrarii, ſed magnis expenſis, tempore,& difficultatibus diſcuſſis, ut benè animadvertit Segura *in Direct. 1.p.cap.14. n 4. verſ. Sed quot litibus*, & praxis quotidie demonſtrat. Ergo nequeunt ſe introducere in bonis ſpolii, non ſolùm celeriter cognoſcendo, quod non faciunt, ſed cum plenitudine judicii, quod eſt illis interdictum.

68 Rurſus licèt Reges Hiſpaniæ ſint Patroni Eccleſiarum Cathedralium per conceſſionem Summorum Pontificum, ut latè per Cevallos *q.896. à num.464.* Salcedo *de leg. polit. lib.2 cap.13. num.11.* plures dat Barboſa in *cap. Cùm terra 14. de elect. num.8.* eſt tantum ad effectum præſentandi, & defendendi Eccleſias, & earum bona coram judice competenti, non verò ut ſe intromittant ad judicandum, & cognoſcendum de bonis Eccleſiarum, ſeu Cameræ Apoſtolicæ, quando ſunt Judices Eccleſiaſtici competens ſtatim agnoſcentes. Hoc, inquam, nec Reges noſtri intendunt, quia Catholiſiſſimi ſunt,& immunitatis Eccleſiæ ſolertiſſimi conſervatores. Salcedo *d lib.1. cap.14. n.6.* Ergo neutiquam (licèt noſtri Reges ſint Patroni Eccleſiarum) poſſunt Judices ſæculares ſeſe intromittere ad cognoſcendum de ſpoliis.

69 Denique licèt iſta eſſet conſuetudo legitimè præſcripta,& immemorialis, nequit ſuſtineri; nam bona ſpolii ſunt acquiſita ex redditibus Eccleſiaſticis,& propriũ Chriſti Domini patrimonium, & bona Deo Optimo conſecrata pertinentia ad ſpiritualem juriſdictionem, cujus ſunt incapaces ſæculares, *cap.2. de judic.cum vulgatis:* quare nequeunt aliqua conſuetudine juvari, quantumvis immemoriali, niſi adſit privilegium ſpeciale hujus conceſſionis,ob ſæcularium incapaciratem. Tuſchus *lit. l. concluſ.456. nu.16.* Garcia *de Benefic.3.p. cap.1. n.37.* Guevara in *propugnacul. Juriſ. Eccleſiaſt. §.7.aſſert.1. nu.37* Barboſa in *cap. Eccleſiæ 10. de Conſtit. à n.17.* Ergo judices ſæculares nequeunt ex aliqua conſuetudine cognoſcere de cauſis ſpoliorum. Idque maximè admittendum, quando ſpolium ad Cameram Apoſtolicam pertinet, quia Reges non ſunt Patroni illius, nec eſt aliquod fundamentum,ut in illis bonis habeant aliquam juriſdictionem. Marta *de Juriſdict.4.p. caſu 122. n.15.* Barboſa *de univerſ. l.1. c.18. n.88.* Franciſcus Marcus *1.p. dec. 105.* Diana *4. p. tract.1. reſol.110.*

Hujus ultimæ ſententiæ ſolidiſſima ſunt fundamenta,ſicut prioris debilia. Quapropter aſſero hanc praxim in foro conſcientiæ periculoſiſſimam eſſe,& nullo modo admittendam, niſi quando Collectores, aut alii Judices Eccleſiaſtici pigri fuerint in colligendis ſpoliis,itaut damna Eccleſiæ,vel Camera Apoſtolica percipiant, aut percipere poſſint; & tunc ſano moderamine procedant quouſque inventarium bonorum ſpolii fiat, & in ſecuro ſequeſtro reponantur, ut poſteà Judices Eccleſiaſtici de debitis, & de aliis cauſis cognoſcant; quia tunc eſt ſola defenſio bonorum,quæ fieri valet deficiente Judice Eccleſiaſtico, non ſolùm à judice ſeculari, ſed à quolibet privato. 70

In calce hujus capitis inter ſpolia meritò annectanda eſt luctuoſa, quæ variis in ditionibus Hiſpaniæ obſervatur,veluti in Galecia,& in partibus Luſitaniæ. Apud Belgas etiã recepta eſt. Luctuoſa igitur eſt, *Res pretioſa, quæ ex bonis Beneficiati ſolvitur Epiſcopo.* Aliquando etiam ex bonis Parochianorum ſolvitur Eccleſiæ Rectori, vel aliter vaſſalli defuncti ſolvunt domino,prout ſunt variæ conſuetudines, de quibus Garcia *de expenſis, cap.9. n.1.* De origine luctuoſæ variè ſentiunt Doctores. Aliqui enim dicunt,loco ſpolii introductam eſſe; nam cùm Clerici ægrè ferrent ſpolia, & poſt eorum mortem bonis ſpoliari, & magnæ lites cum hæredibus orirentur, Epiſcopi ſola luctuoſa contenti ſunt,nomine eorum quæ debebant pertinere ad Eccleſiam. Alii dicunt illam introductam eſſe ad conſolationem Epiſcopi in morte Beneficiati, ut cum Navarro animadvertit Molina *de Juſtit. tr.2. diſp.147. n.17.* 71

Sed ex alio capite eam deducit Garcia *dict. cap.9. nu.3.* nempe ex potentia Epiſcoporum; nam cùm de jure illud ſit decretum, ne Epiſcopus gravamen, ſeu ſervile obſequium Eccleſiaſticis imponat, *cap. Nullus 124.1. q.1.* & id ab aliquibus Epiſcopis fieret, quod graviter reprehendit Gelaſius Pontifex in *cap. Quia cognovimus 6.10 q.3.* licentiamque concedit Clericis, ut de hoc gravamine coram Metropolitano querelam proponat, Barboſa *de Vniverſ. jur. lib. 1. cap.7. n.44.* ideo auguratur Garcia, tyrannicè ſimiles conſuetudines ſolvendi luctuoſam introductas eſſe, exemplo Dominorum,qui à vaſſallis ex metu,& potentia luctuoſam inceperunt percipere, quam ex voluntaria præſtatione à principio habebant,ex traditis à Guidone Papæ *conſ.1. n.7.* Gregorius in *l.6.tit 25.p.4.* Covarr. *in Regula poſſeſſor,2.p. §.4. n.1.* Avendanus *de exeq. mandat. 2. par. cap.4. per tot.* Parladorius *different. 38. à n 10* prout etiam quando juſpatronatus habuerint, in quibus immemorialis præſcriptio requiritur, ob præſumptionem violentæ intruſionis. Trid. *ſeſſ 25. de reformat. cap.9.* Rota *2.p. diverſ. dec.199. nu.5.* & *dec.331. n.2.* Riccius *in praxi, dec.146. num.36.* Gonzalez *ad regul.8.gloſs.18. à nu.64.* Garcia *de benefic.5.p.c.9. nu.98.* quod idem dicendum eſt in Epiſcopis, cùm reſpectu Clericorum domini dici poſſint, habentes juriſdictionem ordinariam, unde eſt præſumptio, luctuoſam vi, & metu extorſiſſe. 72

Sed quidquid ſit de origine luctuoſæ, illud eſt obſervandum, quod ſi conſuetudo ſit uniformis,& immemorialis in Epiſcopatu illam ſolvẽdi,illam juſtam eſſe,& deberi, prout in dominis Vaſſallorum tenet Avendanus *dict.2. c.4. nu.9.* & ratio eſt,nam cõſuetudo immemorialis habet vim tituli, pro veritate habetur, & excludit omnem malam præſumptionem, & intelligitur ex libero conſenſu luctuoſam eſſe introductam, non metu, vel aliqua violentia. Avendanus *dict. cap.4. n.10.* Gonzalez *de regul.8. gloſs.33. n.4.* Cevallos *q.897. n.223.* Borell. *in Summa, tit.14.n.49.* Caſtillo *l.6. controverſ. cap.22. n.1.* itaque ut juſta eſt cenſenda,& debebitur Epiſcopo: Navarrus *de ſpoliis, §.16. à num.1.* Garcia *d. cap.9. à n.2.* Molina *d. diſp.147. n.17.* Barboſa *de univerſ. lib.3. cap.17. n.71.* 73

74 Unde Epiſcopus, quoties luctuoſam intendit in judicio, conſuetudinem immemorialem probare tenetur ob juris repugnantiam ad eam percipiendam. Garcia *d. cap.* 9. *à n.* 8. ubi agit de modo eam probandi, de quo etiam videndi Molina *de primog. lib.* 2. *c.* 6. *à nu.* 31. Riccius 4. *p. collect.* 1266. Eſcobar *de purit. ſanguin.* 1. *p. q.* 10. §. 3. *à num.* 17. Parexa *de Edit. inſtrument.* 1. *p tit.* 2. *reſolut.* 2. *à nu.* 57. Creſpi *obſerv.* 14. *per tot.*

75 In terris ubi bona Beneficiati pertinent ad ſpolium Eccleſiæ, vel ad Cameram Apoſtolicam, Epiſcopus nequit eligere luctuoſam ex rebus ſacris ad Eccleſiam pertinentibus, vel de ſcamnis, & aliis mobilibus ab ſpolio reſervatis, ex Conſtitutione S. Pii V. nam cùm luctuoſa ad ſpolium pertineat, eaque ab eo ſint reſervata, ex illis nequit Epiſcopus eligere, ut tenet Navarrus *d.* §. 16. *n.* 1. Quod idem eſt dicendum de aliis bonis patrimonialibus, vel induſtria quæſitis, aut parcè vivendo. Eliget tamen de aliis bonis pertinentibus ad ſpolium, etiamſi ſupellectile, aut ſacrum ſit. Molina *dict. diſp.* 147. *à n.* 20.

76 Qui *n.* 19. cum Navarro ſcripſit luctuoſam in opera pia eſſe convertendam, non ad uſus profanos. Sed in re animadvertendum, quod ſi adſit conſuetudo legitimè præſcripta, ut ad uſus profanos divertatur, id poterit fieri. Barboſa *d cap.* 17. *n.* 71.

77 Tandem ad luctuoſam unica res eſſentialis capienda eſt, veluti mula, vas argenteum, aut altera res pretioſa, prout in conſuetudine fuerit: quare poterit Epiſcopus ſuſcipere unum numiſma, quod in valore habeat centum aut ducenta ſcuta, ut tenet Navarrus *d.* §. 16. *n.* 1. *verſ. decimò infertur.*

78 Eſt verò dubium, an Epiſcopus poſſit eligere pecuniam depoſitam apud campſorem. Et affirmandum videtur, nam pecunia depoſita in arca, vel in ſacculo ſignato, potiùs ſpecies, quàm quantitatis exiſtimatur, *l. Talis ſcriptura* 30. §. *Item ſi* 6. *l. planè* 34 §. 4 *l. Si certos nummos* 51 *ff. de legat* 2. ubi aſſeritur, quod legata pecunia in arca, vel in ſacculo ſignata, non conſideratur ut quantitas, ſed ut ſpecies. Cancerius 3. *p. variar. cap* 20. *n.* 269. Ergo ſicut Epiſcopus poteſt rem certam, & ſpecificam eligere, ſimiliter pecuniam apud campſorem depoſitam. Cæterùm pecunia apud campſorem ut res exiſtimatur, non quomodocumque, ſed immobilis, ut tenent recenſiti *lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 36. Ergo rectè Epiſcopus poterit eam ut luctuoſam eligere.

Sed in hac difficultate diſtinguendum, ſi enim pecunia depoſita ſit apud campſorem, ut ex ea aliquos redditus Beneficiatus percipiat, dicendum eſt minimè Epiſcopum illam eligere poſſe; nam illius pecuniæ dominium tranſit ad campſorem, ex eo quod depoſitum tranſivit ad naturam mutui, vel depoſiti irregularis, aut mixti, *l. Lucius* 24 *l. Die ſponſaliorum* 25. §. 1. *l. In nave Saupheii* 34 *ff. Depoſiti*. Richardus *princip Inſtit. quibus mod. re contrahit. obligat.* Caſtillo *l.* 3. *controverſ cap* 16. *à n.* 26. Quare Epiſcopus nequit eligere illam pecuniam; non enim habet jus, niſi ad rem pretioſam quæ ſit in dominio Beneficiati. Cæterùm ſi pecunia iſta data eſt pretium annui redditus, ſimiliter tranſit ad dominium campſoris, quia ut pretium emptoris tranſit ad venditorem, §. *Pretium*, §. *Item pretium. inſt. de Empt. & vendit.* Ergo nequit Epiſcopus illam eligere. 79

Si verò pecunia apud campſorem deponitur in ſacculo ſignata, & ea lege, & conditione, ne aperiatur, & adhuc pecunia obſerata extaret, aliquod dubium videtur, quia videtur conſiderari ut ſpecies. Sed adhuc contrarium eſt tenendum; nam licèt pecunia ſic depoſita, & in ſacculo incluſa ſit ſpecies, eſt tantùm ad quoſdam juris effectus, non verò quod realiter ſit ſpecies, nempe ut quando legatur, debeatur ut ſpecies, non ut genus, ne recipiat functionem in genere ſuo Cancerius *d. cap.* 20. *nu.* 268. Tum ut damnum illius ſit ad periculum domini, ut latè per Larream *deciſ. Granat.* 14. *à n.* 1. Caſtillo *dict. cap.* 16. *nam.* 23. Cùm ergo non ſit vera ſpecies, inde eſt ut nequeat ſeligi ab Epiſcopo pro luctuoſa. 80

Deinde licèt pecunia in ſacculo ſignata aliquo modo res certa, & ſpecifica diceretur, eſt per juris fictionem, ad quam nequit extendi luctuoſa, quæ ſtrictè eſt interpretanda. Garcia *d, cap.* 9. *num.* 2. debet enim eſſe certa ſpecies, & eſſentialiter una, quæ non verificatur in pecunia in ſacculo incluſa. Ergo nequibit Epiſcopus illam eligere. 81

Denique pecuniam depoſitam apud campſorem licèt aliqui dicant rem immobilem, quorum ſententiam non recepimus *lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 38. Delbene *de immun.* 2. *tom. ſect.* 3. *cap* 17. *dub.* 1. *à n.* 2. adhuc validum fundamentum non eſt, quia ſi eſt immobilis, nequit eligi ab Epiſcopo, quia luctuoſa debet eſſe res mobilis pretioſa. Ergo in nullo caſu poterit eligere pecuniam apud campſorem depoſitam, ut benè tenet Navarrus *d.* §. 16. *à n.* 2. 82

Omnia ſub correctione Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ.

INDEX OMNIUM RERUM NOTABILIUM.

Quæ in quatuor Libris hujus Tomi ſecundi de Cauſis Piis continentur.

In quo prior nota arithmetica Paginam, poſterior autem ſingulorum Capitum numeros deſignat.

A

ABBAS.

Abbas ſepelietur expenſis Monaſterii; ſi verò habet menſam ſeparatam, expenſis menſæ: Religioſus, ſeu Canonicus Regularis, expenſis Conventus: ſi Religioſus habet Beneficium manuale, ex fructibus Beneficii. Novitius ex bonis ſuis, & ſi pauper eſt, impenſis Monaſterii, pag. 153. n. 82.

Abbas, Præpoſitus, ſeu Prior Eccleſiæ Collegiatæ ibidem ſepeliuntur. Idem de Canonicis, pag. 184. n. 78.

Abbas non recognoſcens Superiorem poteſt eligere ſepulturam; ſed an poſſit eligere pro Religioſo? Affirmant aliqui, ſed contrarium ſuſtinetur, pag. 194. nu. 77.

ABLATIVUS.

Ablativus abſolutus importat conditionem, pag. 90. n. 72.

ADMINISTRATIO.

Adminiſtratio Sacramentorum, ſi fiat a Miniſtro lethali culpa coinquinato, aliqui dicunt eſſe peccatum veniale: ſed eſſe mortale tenendum eſt, pag. 24. nu. 52. & ſeqq.

ALIMENTA.

Alimenta debentur ratione fructuum, pag. 226. num. 9. Sed latè contrarium defenditur, ibid nu. 10. & ſeqq.

Ad alimenta danda priùs deducitur æs alienum, pag. 227. num. 19.

Alimenta non debentur ei, qui de ſuo artificio vivere valet, ibid. num. 22. & ſeqq.

Alimenta morte perſonæ extinguuntur, pag. 318. n 33.

Alimenta præterita non habent aliqua privilegia, pag. 323 nu. 10.

Alimenta ſpuriorum. Vide verbum *Clerici*.

ALIENATIO.

Clauſula non alienandi, non impedit alienationem neceſſariam & quando fit ex majori utilitate, pag. 38. n. 23.

Clauſula non alienandi, ſi eſt præciſa, ne alienetur, dicunt aliqui ex cauſa alienari poſſe, pag. 39. n. 26. ſed contrarium communius, ibid. num. 27. Nec ſufficit cauſa urgentiſſima, ibid. nu. 28. Sed ſi ſit ſimplex clauſula, poteſt ex cauſa alienare poſſeſſor, ibid. nu. 30

Alienationis prohibitio intelligitur de alienatione voluntaria, pag. 247. nu. 8.

Alienatione facta in fraudem creditorum, & ea reſciſſa, fructus veniunt in reſtitutione pendentes tempore alienationis, vel inchoati judicii, ſed non medio tempore percepti, pag. 312. nu. mer. 33.

ALTARE, ET ARA.

Altare conſtruere piiſſimum eſt opus. Traditur diffinitio Altaris, pag. 67. num. 1 De etymologia Altaris. Altaria ſunt neceſſaria in Eccleſia Dei, ibid. n. 2.

de Altarium antiquitate, tam in veteri, quàm in novo Teſtamento, ibid. num. 3.

Altaria habere ad ſacrificium Miſſæ, ſub præcepto eſt obligante ad lethalem culpam; quare Sacerdos celebrans abſque Altari, graviter peccat, ibid. nu. 4.

Altare aliud eſt portatile, aliud ſtabile, & quæ ſint Altaria iſta, & quomodo olim nuncupata, ibid. num. 5.

Altaria viatica in primitiva Eccleſia valdè uſitata, pag. 68. num 6.

Altaria olim fuerunt lignea, hodie verò lapidea, Pontifex celebrat in Altari ligneo, ibid. nu 7.

Altare non eſt neceſſarium, ut totum ſit lapideum, ſed Ara. Imò nec tota Ara, ſed illa pars, in qua imponitur Calix, & Patena, vel major pars illorum. Scrupulus non eſt movendus, ſi tota Patena, aut Calix non imponatur in Ara, ibid. n. 8.

Altare eſſe inventionem affirmare, debere eſſe lapideum, dicunt Novatores, ſed refelluntur. Nequit Epiſcopus diſpenſare, ne Altare ſit lapideum, ſed Pontifex, ibid. nu. 9. Quod etiam facere poteſt antiqua conſuetudo, ibid. nu. 10.

Ara an fieri poſſit de talco, ſeu *Eſpeguelo*? Affirmat Henao, ſed non facilè admittendus, ibid.

Altaris figura debet eſſe quadrangularis. Permitti poteſt Altare ligneum, cum Ara lapidea, non obſtante qualibet Synodali, ibid. num. 11.

Ara nequit fieri ex duobus lapidibus adunatis, ibid. n. 12.

Altare debet eſſe conſecratum ab Epiſcopo, ibid. & ſeqq. num. 13. In Altaris conſecratione Reliquiæ non imponuntur, nec Euchariſtia, nec fruſtulum Corporalium, ibid. à num. 12. & ſeqq. Vide verbum *Conſecratio*.

Hodie licèt Reliquiæ impoſitæ non ſint in Altari, tamen in introitu Miſſæ dicenda ſunt illa verba, *Quorum Reliquiæ hìc ſunt*, pag 70. num. 27.

Ara ſola conſecrata ſufficit, ut poſſit celebrari in Altari, ibidem nu. 28.

Altaria plura uno die poſſunt conſecrari, dummodò non ſit in ſepultura alicujus, ibid. nu. 29.

Altare an conſecratum remaneat. ſi ibi Miſſa celebretur. Prima ſententia affirmat, ibid. num. 30. Secunda negat, ibid. n. 31. Tertia diſtinguit, & affirmat per æquipollens, pag. 71. n. 32.

in Altari non conſecrato, vel Ara celebrans graviter peccat, nec rituali conſecratione remanet ſacratum, ibid. nu. 34.

Altare conſecratum poteſt ex ſecrari, & pollui, veluti quando notabiliter frangitur, ibid. n. 35. Et quæ ſit fractio notabilis, ibid. num. 36. Explicatur eam eſſe propter quam nequit recipere Calicem, nec Patenam; ſicut Eccleſia exſecratur, quando major pars non remanet, ibid. nu. 37.

Altare in plures partes diviſum exſecratur, nec ſufficit ad conſecrationem, ſi adunentur. Limita, ſi tantùm fuiſſent duæ partes, ibid. nu. 38.

An ſi cornua Altaris frangantur, remaneat conſecratum? Aliqui negant, ſed affirmandum, ibid. nu. 39.

Altare an exſecratum remaneat per fracturam ſigilli, ſeu ſepulchri? Prima ſententia affirmat, ibid num. 40 Secunda tenet contrarium, pag. 72. num. 41. Admittitur hæc ſecunda ſententia, ibid. num. 43 Fit inſtantia, & ei reſpondetur, ibid. nu. 44.

Altare remanet exſecratum, quando fracto ſigillo adhuc eſt capax accipiendi Calicem, & Patenam, ibid. nu. 46.

Altare exſecratur per amotionem, & quomodo id intelligendum, ibid. num. 47. Intelligitur quando Altaris diſſolvitur ſtructura, ibid num. 48.

Quando amotio Altaris ſit ab inferiori ſtructura, adhuc manet conſecratum, ibid. num 49. Et ſimiliter, ſi integrè de loco ad locum amoveatur, ibid. nu. 50.

Altaria aliquando polluuntur, & quibus modis. Altaribus polluti, etiam polluitur Eccleſia, ibid. nu. 51.

Altaria viatica an polluantur polluta Eccleſia? Affirmandum videtur, ibid. num. 52. Sed contrarium tenendum, pag 73. nu. 53. & ſeqq. Altare portatile poteſt in ſeipſo pollui, ibid. num. 55.

Altaris conſecrationem hæretici deteſtantur, ſed refelluntur, ibid. num. 56.

Altarium erectio debet fieri ab Epiſcopo, & in Eccleſia conſecrata de licentia Pontificis, ibid. num. 57. Referuntur quædam privilegia Regularium, ibid nu. 57. & ſeqq.

Altare poteſt erigi à Presbytero in Eccleſia non conſecrata, ſed Ara ſacrata ſuper impoſita, ibid. nu. 60.

Altaria nequeunt deſtrui abſque licentia Epiſcopi, ſi Eccleſia eſt conſecrata. Idem eſt, ſi Altare eſt conſecratum, ibid. num. 61.

Altaria deſtruentes graviter Deus caſtigat, quod exemplis illuſtratur, ibid. nu. 62.

Altaria quo in loco ſunt erigenda, ibid. nu. 63.

Altare erigens illud dotare tenetur, niſi Eccleſia, ubi erigitur, ſit ſufficienter dotata, ib. nu. 64. Explicatur hæc doctrina p. 74. n. 65.

Altaria mappis cooperiuntur, & id in Ecclesia antiquissimum, ib. num. 1. Sed quot mappæ sint necessariæ? Prima sententia petit tres, ibid. num. 2 Secunda duas, pag. 75. num. 3. Admittitur prima sententia, ibid. num. 4. Verùm jam usus obtinuit, ut una, aut duæ sufficiant. Est grave peccatum celebrare absque mappis, ibid. num. 5.

Mappa an sit benedicenda? Affirmant aliqui, ibid. num. 6. Sed tantùm id obligat ad veniale, ibid. num. 7. Hodie nec ad veniale obligat, ibid. nu. 8.

In Altaribus, causa rationabili existente, possunt superimponi tobaleæ laicorum, posteà dominis restituendæ. Est peccatum grave uti mappis immundis, seu veniale, secundùm qualitatem immunditiæ, ibid. & seqq. num. 9.

ANIMUS.

Animus solùm juramento probatur, pag. 332. nu. 19.

APPELLATIO.

Appellatio an detur à decreto Episcopi declarante esse erigendam novam Parochiam? Prima sententia negat, pag. 29. numer. 12. Secunda affirmat, nisi Episcopus procedat in visitatione, ibid. num. 13. Extra visitationem si appellatio non est frivola, semper est admittenda, pag. 30 nu 14.

Appellationes remotæ, clausulam istam aliqui intelligunt de probabili, alteri de frivola, ibid. num. 17. Nisi quando apponitur cum cognitione causæ, ibid. num. 18.

Appellatio à decreto erigendi novam Parochiam, in visitatione non est deferenda, secundùm aliquos: sed contrarium tenendum est, ibid & seqq nu 19.

Appellatio non admittitur in visitatione circa morum correctionem, ibid.

Appellatione remota proceditur in reparatione Ecclesiarum, pag. 57. & seqq. nu. 94.

Appellatio non admittitur à decreto Judicis præcipiente ne cadaver detineatur, pag. 155. num. 96. & seq.

ARGUMENTUM.

Argumentum ab inconvenienti est efficax in jure, pag. 90. n. 74.

Argumentum de minori ad Ecclesiam validum est, pag. 336. nu. 37.

Argumentum de servo ad Religiosum, & e contrà, non est firmum, pag. 361. num. 16.

B

BAPTISMUS.

BAptismus est validus, si infans baptizetur in capillis, aut in umbilico, & defunctus in sepultura Ecclesiastica est reponendus, pag 196. & seqq à num. 3. ad 5.

Baptismus an validus sit, quando infans baptizatur in utero matris, medio aliquo instrumento? Aliqui negant, alteri affirmant, & inquiunt sepeliendum in sepultura Ecclesiastica, pag. 197. num. 6.

Baptismus an sit validus, si infans in secundina baptizetur? Aliqui affirmant, & inquiunt sepeliendum esse in sepultura Ecclesiastica, ibid. num. 7. & 8. Alteri negant, & latè discutitur quæstio, ibid. & seqq. à nu. 8. ad 14.

BENEFICIUM.

Beneficium Regulare Religioso necessè concedendum, sæculare Clerico sæculari, nisi Religiosi sint apti Prædicatores, sed adhuc in hac specie est necessaria dispensatio Pontificis, pag. 23. num. 41.

BENEFICIUM NE QUIS CONVENIATUR, NISI IN QUANTUM FACERE POTEST.

Beneficium ne quis conveniatur, nisi in quantum facere potest, fundatur in necessitate, & paupertate, & probatio incumbit allegantì, pag. 225. num. 1.

Beneficium hoc quibus personis competit? Et recensentur personæ, quibus adjungunt aliqui, quæ ex debito nequeunt incarcerari, ibid. nu. 2. Quid contineat hoc beneficium, ibid. nu. 3.

An per hoc Beneficium alimenta debeant esse secundùm statum, aut secundùm naturam? Aliqui dicunt debere esse secundùm naturam, ibid. num. 4. Alii secundùm statum, prout semper intelliguntur alimenta, ibid. num. 5. Sed resolvitur esse danda secundùm statum inferiorem, ibid. nu. 6. & seqq.

In hoc Beneficio alimenta aliqui dicunt non ratione proprietatis, sed fructus esse danda, pag. 226. num 9. Alteri negant, ibid. nu. 10 Resolvitur, ibid. num. 11. & 12. Admittitur secunda sententia, ibid. num 13 Prima verò, quando bona vendenda darent usum fructum sufficientem ad alimenta, ibid. nu. 14.

In hoc beneficio non deducitur æs alienum, ibid. num. 15. excipitur donator, ibid. nu. 16

Quid dicendum, quando donator hypothecas dederit ad assecurandam donationem, & posteà alia debita contraxerit, an sit deducendum æs alienum? Negandum videtur, ibid. num. 17. Sed contrarium tenendum, ibid. num. 18. Fit instantia, pag. 227. num. 19. Respondetur eidem, ibid. nu. 20.

In hoc beneficio pro tota vita sunt decernenda alimenta, & quomodo id fieri possit ibid. nu. 21.

hoc Beneficio non fruitur persona habens artem unde alatur, ibid num. 22. Fit instantia, & explicatur, ibid. num. 23. & seqq. Excipitur maritus non solitus laborare, ibid. num. 25.

hoc Beneficio an fruatur debitor, quando simili inopia creditor laborat? Negatur, ibid. num. 16. Contrarium tenet Barbosa, & explicatur ibid. num. 27. & seqq. Resolvitur, pag. 228. num. 30.

Et quid quando eodem tempore occurrat utriusque necessitas, an tunc alimenta necessaria relinquenda sint secundùm naturam debitori, ibid. num 31. & 32. Si verò creditor, qui est in pari necessitate, habeat à quo petat alimenta, Barbosa inquit fruiturum sed explicatur, ibid. num. 34.

hoc Beneficio non fruitur debitor negans qualitatem hujus beneficii, ibid. num. 35. Quod intellige, si dolo malo mendacium dixerit, ibid. num. 36. Purgatur ante litis contestationem, ibid. num. 37

An pœna ista incurratur per generalem negationem? Prima sententia affirmat, ibid. num. 38. Secunda negat, ibid. num. 39. Resolvitur, ibid à num. 40. Explicatur, pag. 229. num. 41. Et tandem asseritur, non incurri, ibi d. à n. 42.

In generali non intelliguntur alimenta, & quæ pietatem involvunt, ibid. nu. 43.

hoc Beneficio privatur debitor, si dolo egerit contra creditorem, ne dibitum repeteret, ibid. num. 44. Et an tunc lata culpa sufficiat? affirmant aliqui, ibid. num. 45. Alteri negant, ibid. num. 46. Resolvitur, ibid. n. 47.

An quando dolus committitur contra tertium, & non adversus creditorem, perdatur hoc Beneficium, aliqui affirmant, sed contrarium defenditur, ibid. num. 51. Fit instantia, & ei respondetur, ibid. nu. 52.

hoc Beneficium an possit renuntiari? Distinguitur quando ob reverentiam debetur, & quando non In primo casu negant plures, pag. 230. num. 53. Sed contrarium in omnibus tenendum, ibid. nu. 54.

hoc Beneficium an possit juramento renuntiari? Prima sententia affirmat, ibid num. 56. Secunda negat, quando reverentia debetur, ibid. num. 57. Sed in omnibus resolvitur negativè, ibid. num. 58.

hoc Beneficio fruitur procurator personæ illud habentis, sed an defensor ultroneus eo etiam gaudeat, dubitatur? Affirmativè resolvitur, pag. 231. n. 1.

hoc Beneficium non competit fidejussori; sed dantur ad id duæ cautelæ, ibid. n. 2.

hoc Beneficium non transit ad hæredes, nisi sint filii in eodem matrimonio procreati, prout privilegia dotis, ibid. num. 3. Non verò transit ad nepotes, ibid. nu. 4.

hoc Beneficium potest opponi ante, vel post sententiam, etiam in via exequutiva, nisi oppositum fuerit ante sententiam, & denegatum, ibid. num. 5.

hoc Beneficio fruentes non carcerantur, ibid. nu. 6.

Beneficium hoc competit socio omnium bonorum, ibid. n. 7. Competit socio unius rei, pag. 232. num. 9. Sed quomodo intelligendum, exemplo tutelæ explicatur, ibid. nu. 10.

Beneficium istud non competit colono partiario, aut incidenti incommunionem, ibid. num. 11.

hoc Beneficium competit parentibus, & ascendentibus pro utraque linea, ibid. num. 12. Ubi etiam conceditur filiis, ibid.

Sed an competat fratribus utrimque conjunctis? Prima sententia negat, ibid. num. 13. Secunda affirmat, ibid. num. 14. Tertia medium eligit, ibid. num. 15 Resolvitur, ibid. n. 16. & seq.

Beneficio isto gaudent Patroni, Patronæque, ibid. nu 19.

Similiter maritus quando agitur de restituenda dote, pag. 233. nu. 20. Sed an quando res dotales sunt in specie, & agitur actione in rem? Prima sententia negat, ibid. num. 21. Secunda affirmat, ibid. num. 23. Resolvitur, ibid. num. 24. Et tandem affirmatur. Limitatur tamen, ibid. n. 28.

Marito an competat hoc beneficium, quando in instrumento dotali obligatur ad restituendam dotem, & possidere nomine mulieris, ibid. num. 29.

An maritus hoc beneficio fruatur, quando matrimonium separatur quoad thorum ex illius culpa, & dos restituitur. Prima sententia negat, ibid. num. 30. Affirmat secunda, ibid num. 31 Resolvitur, pag. 234. num. 32. Et explicatur, ibid. & seqq. à num. 31. ad 36.

Quando separatur matrimonium obadulterium mulieris, maritus dotem lucratur: si verò separatur quoad thorum, inops maritus semper ex dote alitur, ibid. nu. 41.

An maritus huic beneficio possit renuntiare in pactis nuptialibus ante matrimonium? Affirmant aliqui, ibid. num. 42. Sed contrarium defenditur, pag 235. num. 43. Sicut nec mulier ante matrimonium potest renuntiare alimentis in matrimonio sibidebitis ibid. num 45.

hoc Beneficium an possit renuntiari, soluto matrimonio? Negant plures, ibid. num. 48. Sed affirmativè resolvitur, ibid. num. 49.

Durante matrimonio non solùm hoc beneficium conceditur mari to ex causa dotis, sed etiam alterius contractus, ibid. num 50. Fit instantia, & respondetur, ibid nu 51.

An mulieri inopi concedatur hoc Beneficium? Affirmant plures, ibid. num. 52. Negant Cujacius, sed reprobatur. pag. 236. num. 55. & seqq.
Competit etiam socero, sive sit pater mariti, ibid. num. 57. Et non solùm pro dote, sed etiam pro aliis contractibus, ibid. num. 58. Idem de socero patris mulieris, ibid. num. 59.
Sed an competat socero uxoris, soluto matrimonio? Prima sententia negat, ibid. num. 60. Secunda affirmat, ibid. num. 61. Resolvitur affirmativè, ibid. num. 62. & seqq.
Competit etiam genero, si à socero conveniatur, ibid. num. 67.
Competit etiam donanti, ibid. num 68. Sed an extraneo, qui dotem promisit? Aliqui negant, alteri affirmant, pag. 237. num. 69. Resolvitur cum distinctione, ibid. num. 70.
hoc Beneficium competit filio emancipato, vel exhæredato, & ei qui ab hæreditate paterna se abstinuit, & qui bonis cessit, pag. 238. num. 1. Quod admittendum in utroque foro, ibid. num. 2. Verùm plures negant, ibid. num. 3. Sed resolvitur affirmativè, ibid. num. 4.
An quando debitor ignominiosè cedit bonis, ab omni obligatione liberetur, si posteà ad pinguiorem fortunam perveniat. Prima sententia negat, sed cum secunda contrarium est tenendum, ibid. num. 5.
hoc Beneficio fruitur miles, ibid. num. 6. Sed an extendatur ad milites togatos. Prima sententia affirmat, ibid. num. 7. Secunda negat, ibid. num. 8. Resolvitur pro prima, pag. 239. n. 10 & seqq.
An extendatur ad Nobiles? Affirmant plures, ibid. num. 13. Sed negatur in Fidalguis simpliciter, admittitur verò in Magnatibus, ibidem.
Disceptatur in possessoribus majoratuum, negat Salgado, ibid. num. 14. Affirmant alii, ibid. num. 15. Resolvitur, & distinguitur, ibid. num. 16.
hoc Beneficium competit debitori Ecclesiæ, pag. 240. num. 18. Sed tantùm ad alimenta secundùm naturam, ibid num. 19.
hoc Beneficio fruitur Clericus. Vide verbum *Clerici*.

BENEFICIATI.

beneficiati, seu Capellani in suis propriis Ecclesiis sunt sepeliendi, pag. 184. num. 81.
Beneficiati, relicta sibi congrua decenti, quod supereſt, tenentur pauperibus erogare, aut in alia opera pia expendere, & obligantur sub gravi culpa, pag. 287. num. 5. & seqq. Quod non solùm est intelligendum quando sunt extremæ, aut graves necessitates, sed etiam quando sunt communes, ibid. num 7
Sed à quo jure procedat hæc obligatio, disceptatur? Prima sententia asserit, procedere à jure divino, positivo, & naturali, ibid. num. 8. Secunda dicit tantùm esse de jure positivo, ibid. num 9. Explicatur, & defenditur, ibid. num. 10. & seqq. Vbi circa reditus quatuor tempora distinguuntur. Adducitur Lorca, & explicatur, pag. 288. num 14.
Beneficiati in profanos usus expendentes superfluum ex redditibus, an ad restitutionem teneantur? Prima sententia affirmat, ibid. num. 15. Secunda tenet contrarium, ibid. num. 16. & 17. Resolvitur, ibid. num. 18.
an Beneficiati habeant dominium in redditibus Beneficiorum? Aliqui dicunt eos in vita usufructuarios, & in ægritudine usuarios, ib. n. 18. Alteri dicunt, in rebus congruæ habere dominium, secus in superfluis, ibid. num. 19. Sed in omnibus habere dominium certius est, pag. 289. num. 20. Vnde ad restitutionem non tenentur, ibid. num. 21. Fit instantia, & respondetur eidem, ibid. num. 23. & seqq.
Suscipientes donationes profanas ex redditibus, non tenentur ad restitutionem, ibid. num. 25.
Beneficiati ad hanc obligationem non tenentur ex bonis patrimonialibus, nec de quasi patrimonialibus, pag. 290. num. 1. Sed in his alii contrà sustinent, ibid. num. 2. Sed non admittuntur, ibidem num. 3.
Sed tenentur ex bonis acquisitis ex redditibus restantibus ex congrua, ibid. num. 4.
Beneficiati ex redditibus Capellaniæ, an ad hoc præceptum teneantur? Aliqui negant, ibid. num. 5. Alteri affirmant, ibid. n. 6. Tertia sententia distinguit, p. 291. n. 7. Explicatur, ib. n 8. & seqq.
An redditus Capellaniæ sint salaria? Affirmat Lugo, sed explicatur, ibid. & seqq. n. 9 & 10.
Beneficiati, & Canonici, an ad hoc præceptum teneantur ex redditibus distributionum quotidianarum? Prima sententia affirmat, ibid. num. 11. Secunda negat, ibid. num. 12. Resolvitur, ibid. & seqq. à num. 13. ad 18.
Beneficiati pensionarii an teneantur ad hoc præceptum? Aliqui negant, pag. 292. num. 18. Alteri affirmant, ibid. num. 19. Explicatur, ibid. & seqq. à num 20. ad 24.
Reges Catholici, ut Magistri Ordinum, ex redditibus an teneantur ad hoc præceptum? Ponitur ratio dubitandi, pag. 293. num. 25. Sed affirmativè respondetur, ibid. num. 26. & 27. Explicatur magis, ibid. num. 28. An idem sit dicendum de Tertiis Regalibus? Prima sententia negat, ibid. num. 29. Sed contrarium defenditur, ibid. num. 30.
An Commendatarii Ordinum militarium ad hoc præceptum astringantur? Prima sententia negat, ibid. n. 31. Secunda affirmat, ibid. num. 32. Resolvitur, ibid. num. 33.
Equites militares an sint ad eleemosynandum obligati? Aliqui affirmant, alteri negant, pag. 294. n. 34. Non tamen tenentur de bonis patrimonialibus, ibid. num. 36. & 37. Ex redditibus Ordinis ad id teneri affirmatur, ibid. num. 38.
Sed an equites isti sint obligati sub gravi culpa? Negavit Bonacina, ibid. num. 39. Sed contrarium tenendum, ibid num. 40. Et quomodo excusentur, ibid. & seqq. n. 41.

QVOS BENEFICIATOS HOC PRÆCEPTVM OBLIGET.

Summus Pontifex tenetur ad hoc præceptum, sed secum dispensare dicunt aliqui, pag. 295. num. 1. Explicatur, ibid. num. 2. Tenetur ad hoc præceptum ex vi directiva, & ratione scandali, ibid. num. 3. Laudantur Pontifices hoc præceptum adimplentes, ibid.
Cardinales ad hoc præceptum obligantur, & de eorum congrua Explicatur Filliucius, ibid. num. 4. & 5. Ex salariis officiorum non tenentur, ibid. num 6.
Patriarchæ similiter obligantur, & ultrà quotidie alere tenentur duodecim pauperes, ibid num. 7.
Archiepiscopi, & Episcopi ad hanc obligationem astringuntur, decenti congrua sibi reservata, ibid. num. 8.
Episcopi in Hispania gravati ad tertiam partem pensionum, an teneantur eleemosynare ex hoc præcepto, negant aliqui, pag. 298. num. 27. Sed contrarium defenditur, ibid. num 28.
An quando Episcopi non habent sufficientes redditus, debeant eleemosynare? Affirmat Turrianus, ibid. num. 29. Explicatur, ibid. num. 30.
Hæc obligatio eleemosynandi ex superfluis redditibus, non solùm tenet Episcopos creatos à Clericis secularibus, sed etiam ex Regularibus assumptos. Sed an isti teneantur ad restitutionem, si in usus profanos expendant? Affirmant aliqui, ibid. num. 31. Negant alteri, ibid. num. 32. Resolvitur negativè, ibid. num. 33.
Regularis habens Beneficium Regulare, vel ex dispensatione seculare, nequit ad usus profanos fructus divertere; si verò in perpetuum id concedatur, tenetur ut alteri Beneficiati, pag. 300. num. 48 & seqq. Si verò ex benignitate Ecclesiæ habuerit aliqua bona patrimonialia, nequit de eis disponere, ibidem num. 51.
Itidem tenentur ad hanc obligationem Canonici, & Dignitates Cathedralium possidentes, pag. 301. nu. 1. Quod ibidem extenditur ad Parochos, & cæteros Beneficia simplicia habentes, ibidem.
An Beneficiati totum superfluum fit expendendum in eleemosynis? Referuntur variæ sententiæ, pag. 303. n. 26. & seqq. Resolvitur affirmativè, congrua decenti reservata, ibid. n. 27. & 28.
an Beneficiati possint reservare superfluum ad fundandum Hospitale, vel aliud opus pium? Ponitur ratio dubitandi, pag. 304. n. 30. Referuntur sententiæ, ibid. num. 31. Resolvitur, ibid. nu. 32. & seqq.
An Prælati, seu Beneficiati habentes patrimonium, teneantur omnes redditus dare pauperibus? Affirmant aliqui, ibid. nu. 34. Resolvitur negativè, ibid. num. 35. & seqq.
An si Beneficiatus ex patrimonio aliquid expenderit ad utilitatem Ecclesiæ, possit tantundem recipere ex redditibus? Negarunt aliqui, ibid. num. 38. Sed contrarium tenendum probatur, ibid.
An quando Beneficiatus animo donandi expenderit, possit tantumdem repetere? Prima sententia negat, pag. 305. n 39. Secunda affirmat, ibid. num. 40. Resolvitur, pag. 360. & seqq. à num. 41. ad 47.
An Prælatus, seu Beneficiatus possit solvere sua debita ex redditibus? Prima sententia negat, pag. 306. n 47. Secunda affirmat, ibid. num. 48. 49. & 50. Tertia sententia distinguit, nempè posse solvere debita ex utilitate Ecclesiæ contracta, non verò propria, ibid. num. 51. Resolvitur affirmativè, ibid. n. 51.
An in hoc Archiepiscopatu Toletano superfluum ex primitiis dandum sit pauperibus, aut aliis operibus piis? Affirmandum videtur, pag. 307. num 59. Sed probabile contrarium, ibid. à nu. 60. Limita si primitiæ excedant laborem Parochi, seu Beneficiati, ibid. num. 64. & seqq.
An Canonici S. Iusti, & Portionarii Toletani possint percipere dimidium primitiarum, quando percipiunt dimidietatem fructuum vacantium Beneficiorum? Respondetur negativè, ibid. num. 65. Idem dicitur de dimidio suum, & pullorum, pag. 308. num. 70. Defenditur, & interpretantur Bullæ, ibid. num. 72.

BONA

Bona Ecclesiæ immobilia sine solemnitatibus non alienantur; secus si mobilia, & usu consumptibilia, pag. 53. n. 62.
Bona Fabricæ sunt obligata ad ædificationem, seu reparationem Ecclesiæ, pag. 54. num. 65.
Bona Clericorum sunt exempta, sicut eorum personæ, p. 56. n. 90.
Bona intelliguntur, ære alieno deducto, pag. 226. num. 11.

Bona pauperum non sunt ab eis extrahenda ad Sanctorum festivitates, pag. 247. num. 14.
Bona Ecclesiarum in gravissimis necessitatibus pauperum venduntur, ut eis succurratur, pag. 301. num. 5. Et ad hanc venditionem, an sint necessariæ solemnitates? Aliqui affirmant, sed contrarium defenditur, ibid. num. 6.
Bona quæ sint intuitu Ecclesiæ acquisita, pag. 336. n. 33. & seqq.
Bona in dubio acquisita intelliguntur ex redditibus Ecclesiæ, pag. 338. num. 46. Bona intelliguntur lucrata constante matrimonio, ibid.

C

CADAVER.

CAdaver nequit pro debito sequestrari, aut detineri, ne sepeliatur, pag. 155. num. 94.
Cadaver an possit sequestrari, & detineri quando debitum est liquidum, & exequutivum. Prima sententia affirmat, ibidem num. 95. In via exequutiva quando debitor non dat bona, incarceratur, ibid. Secunda sententia negat, & defenditur, ibid. num. 96. & seqq.
Cadaver manifesti usurarii rectè detinetur, donec restituat, aut hæredes cautionem præstent, ibid. num. 98.

CANONICI.

Canonici Cathedralis, aut Collegiatæ Ecclesiæ quando concurrunt in funeribus cum Parochis, qui præcedere debeant? Vide verbum *Parochus*.
Canonicus agens funus, quando illud per Canonicos exercetur, ut Parochus consideratur in præcedentiis, pag. 121. num. 42.
Canonici Ecclesiarum Collegialium non habentes jus funerandi, etiamsi defunctus sepeliatur in sua Ecclesia, nequeunt erigere Crucem, nec percipere funeralia: nec eorum Parochus, seu Sacrista præcedet Parochum proprium defuncti, ibid. num. 43.
Canonici Cathedralium irrequisito Parocho nequeunt levare corpus defuncti, ut in sua Ecclesia sepeliatur. Interdicta Parochia, Parochiani sepeliuntur in Cathedrali, pag. 122. & seqq. nu. 48. & 49.
Canonicus habens domicilium in aliqua Parochia, si ibi moriatur, sepelitur in Cathedrali, & tunc Parochus nec Stolam, nec Crucem defert, ibid. num 50.
Canonici si perveniunt ad funus in Ecclesiis Regularium, eos debere facere Officium affirmat Salgado, pag 129. num. 27. Sed contrarium defenditur, ibid. num. 28. Admittitur hæc sententia. Honor non est deferendus in præjudicium tertii, nec lædit ur jus ex urbanitate, i bid. num. 29.
Canonicus ex fructibus præbendæ est sepeliendus, seu perceptis, seu recipiendis. Coadjutor ex suis redditibus, sicut Capellanus Capellaniæ. Commendatarius ex redditibus Ecclesiæ commendatæ, pag. 153. num. 82.
Canonici, Dignitates, Portionarii, aut alii Clerici Ecclesiæ Cathedralis, in ea sepeliuntur, etiamsi habeant Parochialem annexam, pag. 184. num. 72.
Canonicus habens domicilium in Parochia, an in Cathedrali sit sepeliendus. Prima sententia affirmat, ibid. num. 73. Secunda dicit sepeliendum in Cathedrali, ibidem num. 74. Quando Ecclesia Cathedralis non habet sepulturas, sepelitur in Parochiali, aliàs in Cathedrali, ibid. num. 75. Si in Parochiali receperit Sacramenta, adhuc in Cathedrali sepeliendus erit, ibidem num. 76
Canonicus si habuerit duas Præbendas in diversis Ecclesiis, datur inter eas præventio, ibid. num. 77.

CAPELLA.

Capella unde dicatur, pag. 58. num. 1. Explicatur noviter, & eas ædificare est piissimum opus, ibid. num. 2.
Capella dupliciter sumitur, aliquando pro Ecclesia Parochiali, & quomodo olim Ecclesiæ Parochiales Monachis tradebantur, ibid. num. 3.
Capellas habent Principes supremi, pag. 59. num. 5. De origine Capellarum Regiarum, ibid. num. 6. Reges Gothos Capellas habuisse in Hispania, incertum est, ibid. & seqq. Sed certum, Reges Hispaniæ eas habuisse à tempore Alfonsi VII. ibid. num 8.
Capellæ Regiæ de jure communi subsunt Episcopis, nisi à Pontifice eximantur, ibid. num. 9.
An privilegia exemptionis Regiis Capellis concessa, sint derogata per Concilium Tridentinum? Prima sententia affirmat, ib. n. 10. Secunda negat, ibid. num. 11. Tertia asserit similia indulta redacta esse ad terminos capitis 16. *de Privilegiis*, ibid. num. 12.
in Capella aliquando acquiritur juspatronatus, aliquando non, pag. 61. num. 30.
ad Capellarum constructionem aliqua desiderantur, quæ referuntur, ibid. num. 31. Si quis absque licentia Episcopi Capellam erigat, si Clericus est, degradatus; si laicus, excommunicatur, ibid.
Capellæ membra sunt Ecclesiarum matricum, & cum eis regulantur in privilegiis, & in favorabilibus veniunt nomine Ecclesiæ, & ad fundandam Capellam quis cogitur fundum vendere ibid. num. 32.
Capellam qui fundat intra Ecclesiam, an teneatur illam dotare? Communis sententia negat, ibid. num. 33. In contrarium potuntur fundamenta, ibid. num. 34. Explicatur communis sententia, ibid. num. 35.
Capellam si aliquis ædificaverit intra Ecclesiam, sed cum janua ad viam publicam, eam dotare tenetur, ibid. num. 36.
si Capellam intra Ecclesiam aliquis ædificaverit, eam dotare tenetur, ibid. num. 37.
Capellam constructus, si ex conventione reservat sibi in ea sepulturam, pacto standum est, dummodò non sit propè Altare, vel sub bradellis; & potest ponere inscriptiones, & arma, ibid. num. 38.
An ex armis, & insigniis gentilitiis probetur juspatronatus Capellæ, & dominium illius? Affirmandum videtur, ibid. num. 39. Sed contrarium defenditur, ibid. num. 40.
Si sint affixa in cancello super portam, non probant dominium, ibid. num. 41. Si in parte principali, non probant per se, nisi cum aliis adminiculis fuerit affixio antiqua, aliàs tantùm faciet præsumptionem, pag. 63. n. 42.
Capellæ fundator potest scamna, & sedes ibidem apponere; & si aliquis amoverit, datur actio injuriarum, & armis poterit defendi, ibid. n. 43. Sed hoc ultimum non admittitur, ibid. n. 44.
Capella fundata, non competit ibi jus sepulchri, nisi reservatur. Nec ex eo quod quis habet jus funerandi in Capella, habet jus Capellæ. Sufficit aliquando tacita licentia, ibid.
Capellæ fundator poterit præcipere, ut Sacerdos oblationem faciat ei, aut ejus successoribus, ibid. n. 45.
Capella licèt habeat redditus, Beneficium non est: unde fructus sunt Rectoris Ecclesiæ, nisi habeat proprium Rectorem cum separatione fructuum, ibid. num. 46.
Capella erit Beneficium, cùm erigitur in titulum authoritate Episcopi, simul cum designatione Capellani, seu Rectoris: & cadit sub reservatione, nisi fuerit juris patronatus, Capellæ plures sub eodem Altari, habentes onera Missarum, quæ olim pluribus conferebantur, licèt hodie uni, sunt plura Beneficia, ibid. num. 47.
Capella an possit vendi, seu alienari? Affirmant plures, ibid. nu. 48. Alteri tenent contrarium, ibid. num. 49.
Capella profana vendi valet, sicut pura sepultura, ibid. n. 50. Vendere Capellam per se est simonia, pag. 64. n. 51.
Vendere verò jura commoditatis, adhuc non posse videtur, sicut nec juspatronatus, super quod nequit fieri venditio, nec transactio, ibid. num. 52.
Si jura ista sint relicta in modum majoratus, sunt invendibilia, ib. num. 53. Idem si Capella sit de familia, & habeat certas vocationes, ibid. num. 54.
Si verò simpliciter hæredibus relinquatur Capella, & sit Beneficium juris patronatus, nequit vendi. Id intelligitur quoad juspatronatus, quoad verò alia jura honorifica, & commoda, vendi valent, quemadmodum si hæreditaria fuerint, subhastantur, & in extraneos alienantur, ibid. num. 55.
Capella an extincta linea, ad Ecclesiam redeat? Prima sententia negat, ibid. n. 57. Secunda affirmat, sicut finito Patronatu libera Ecclesia remanet, ibid. n. 58.
Si concessio Capellæ sit hæreditaria taxativè, extincta familia, transit ad Ecclesiam, ibid. num. 59. & 60. Si fuerit sine taxatione, non extinguitur, sed transit ad extraneos, pag. 65. num. 61.
Capellæ fructus non gravantur pro aliqua decima, nisi fuerit Beneficium, ibid. num 62.
An sit exempta Capella, si Ecclesia fuerit exempta? Affirmandum videtur, sed contrarium sustinetur, ibid. num. 63. Ecclesia exempta, adhuc Episcopus retinet in Capellis jura Episcopalia, ibid. In Capellis Monasteriorum Episcopi non retinent jura Episcopalia, ibid. num. 64.
Capellam fundans, si præceperit, ut hæredes intra annum perficiant, & simul dotent, sub pœna dandi sexaginta scuta Capellanis infrà nominandis, si eos non nominavit, an pœna committatur intra annum, si non perficiant? Negandum videtur, ib. n. 65. Sed contrarium tenendum asseritur, ibid. n. 66.
Capella non designata, si testator præcipiat Missas dicere in certa Ecclesia, cui competat illam designare? In primis conjecturis standum, ibid. num. 67. Si non adsunt, prima sententia asserit competere Rectori Ecclesiæ, pag. 66. num. 68. Secunda sententia dicit, à nullo esse designandam, sed sufficere dicere Missas in Ecclesia, ibid. num. 69 Admittitur hæc sententia, si Missæ sint dicendæ pro unica vice; si verò sint Missæ perpetuæ, admittitur prima sententia, ibid num. 70.
Ad Capellam construendam obligati, possunt compelli de jure civili per actionem in factum: de Jure Canonico per puram actionem, ibid. & seqq. num. 71.

CAPELLANI.

Capellani Regii, si degant intra septa Palatii, circa eorum privilegia nihil innovavit Concilium, pag. 59. num. 13. Si extrà degant

gant ratione Beneficii, subjiciuntur Episcopo, ibid. num. 14. Si verò privilegia ista fuerint concessa post Concilium, eorum tenori standum, & consuetudines in his privilegiis observandæ, pag. 60. num. 16.
Capellani Regii si moriantur ab intestato, vel non, exequutio testamenti ad quem pertineat, an ad Ordinarium, vel ad Judicem Capellæ? Et similiter quid de visitatione? Ad Judicem Capellæ pertinere probatur, ibid. num. 17. & seqq. Distinguitur, pag. 61. num 24. Et resolvitur, ibid & seqq. num. 25.

CARDINALIS.

Cardinalis Legatus, in legatione moriens, expensis Prælatorum provinciæ sepelitur, quando non habet redditus sui officii, pag. 153. num. 80.
Cardinalis si in Curia decedat, non electa sepultura in Ecclesia S. Ioannis Lateranensis tumulatur. Idem si propter aeris intemperiem extra Vrbem decedat. Si verò fuerit depositus, aut renuntiaverit, in Parochia sepelietur, pag. 183. num. 62.

CASVS.

Casus fortuitus, exceptus semper intelligitur, pag. 263. num 49.

CENSVS.

Census relictus pro dote Ecclesiæ, si vivo dotante redimatur, an legatum extinguatur? Affirmandum videtur, pag. 38. num. 16. & seqq.
Census per redemptionem extinguitur, ibid.
Census debitor potest eum redimere ad libitum, ibid. num. 17.

CLAVSVLA.

Clausulæ, *Non retardata solutione*; vel, *Remota appellatione*, multùm gravant, pag. 282. num. 62.
Clausula scripturæ ad omnia refertur, p. 368. n. 4. Fallit si non est eadem ratio, ibid.

CLERICI, & CLERICVS.

Clerici propter paupertatem possunt advocare, pag. 103. n. 55.
Clericus decedens absque electione sepulturæ, non sepelitur in sepulchro majorum, sed in sepulturis Sacerdotum, quæ debent esse separatæ, sicut parvulorum. In Castella promiscuè sepeliuntur. Expositi sepeliuntur in Ecclesia Hospitalium, pag. 180. num. 38.
Clerici an possit compelli ad vendendum triticum, aut alia tempore necessitatis à judice laico? Prima sententia affirmat, pag. 210. n. 15. Secunda negat, ibid. num. 16. Resolvitur, ibid. à num. 17. Et supponitur Clericos graviter peccare, si in his gravibus necessitatibus non vendant; sed non possunt cogi à laico, nisi non adsit Ecclesiasticus, aut periculum sit in mora, ibid. à n. 18.
Clericus pauper fruitur privilegio capitis *Odoardus* 3. *de solut.* nec excommunicatur, nec carceratur, nec cogitur bonis cedere, pag. 240. num. 21. Debet tamen constare de paupertate per summariam informationem, ibid. num. 22.
an Clericis minoribus Ordinibus initiatis competat hoc Beneficium? Prima sententia affirmat, ibid. n. 23. Secunda negat, ibid. num. 24. Tertia distinguit, ibid. & seqq. num. 25. Resolvitur, pag. 241. num. 26. Et asseritur, solis habentibus privilegium fori com. petere, ibid. num. 28. & seqq.
Clerico pauperi ob suam culpam, an competat hoc beneficium? Negant plures, ibid. num. 30. Affirmant alteri, ibid. num. 31. Admittitur hæc secunda sententia, ibid. num. 32.
Clericus ab hoc beneficio excluditur, si tempore contractus sciebat non esse solvendo, vel si dolo decepit creditores, aut quando in fraudem creditorum bona alienavit, aut quando spe hujus beneficii contraxit, si bona occultavit, aut suspectus de fuga, bona asportasset, ibid. num. 33.
Clericus ut hoc beneficio fruatur, debet debitum agnoscere, non verò negare pertinaciter in judicio, ibid. num. 34.
Clericus debet civiliter conveniri, sed quid si debitum sit ex delicto? Aliqui ei negant hoc beneficium. Prima sententia negat, ibid. n. 35. Secunda distinguit, quando scilicet pœna pecuniaria applicatur Fisco, vel quando parti ob interesse, pag. 242. num. 36. 37. Resolvitur, ibid. num. 38. & seqq.
in Clericis an habeat locum regula illa, *Qui non habet in bonis, luat in corpore*: negatur, ibid. à n. 42. Et explicatur, ibid. num. 43. & seqq.
Clericus an hoc Beneficio fruatur, quando pecunia applicatur parti pro damno dato? Ponitur ratio dubitandi, ibid. num. 46. Resolvitur affirmativè, pag. 243 n. 48.
Clericus si solvendo non est, commutatio pœnæ debet esse cum consensu accusatoris, ibid. n. 49.
Clericus si convenitur actione reali, non fruitur hoc privilegio, seu beneficio, ibid. num. 50. & 51. Fit instantia, & respondetur ei, ibid. num. 52.
Clericus in actione depositi hoc Beneficio non gaudet, ibid. nu. 53. Explicatur, ibid. num 54.
Clericum ad fruendum hoc privilegio aliqui dicunt priùs debere cedere bonis, sed non admittuntur, ibid. nu. 55.
Clericus an gaudeat hoc beneficio, quando est obligatus in forma Cameræ? Prima sententia negat, ibid. num. 56. Secunda affirmat, ibid. n. 57. Resolvitur, ibid. n. 58. & seqq.
Hoc beneficium opponi valet ante, vel post sententiam, ibidem num. 60.
Clericus non gaudet hoc beneficio contra tres sententias conformes secundùm aliquos. Sed contrarium defenditur, pag. 244. num. 61.
Clericus an fruatur hoc privilegio, quando illi renuntiavit cum juramento. Supponitur simpliciter renuntiari non posse, sicut nobilitas, ibid. n. 62.
Quando renuntiatio fit cum juramento. Prima sententia negat, ibid. & seqq. num. 63. Secunda affirmat, ibidem num. 64. Resolvitur, & explicatur, ibid. à n. 65. Admittitur affirmativa, & defenditur, ibid. & ad n 69.
Excipiuntur aliqui casus, in quibus Clerico hoc Beneficium non competit, pag. 245. nu. 70.
Clerico excommunicato an competat hoc beneficium? Prima sententia negat, ibiden num. 71. Secunda affirmat, ibid. num. 72. Defenditur hæc sententia, ibid.
Clericus excommunicatus fruitur privilegio fori, ibid. n. 73.
Clericus debet cavere de restituendis debitis, quando ad pinguiorem fortunam devenerit, interim dabit fidejusoriam cautionem, si potuerit, aliàs juratoriam, ibid. num. 76. In restitutione iterùm hoc beneficio fruitur, ibid. nu. 77. Vbi de praxi hujus Beneficii agitur, ibid.
Clerici sub nomine etiam intelliguntur minoribus Ordinibus initiati, pag. 240. n. 23.
Clericus deputatus ad servitium alicujus Ecclesiæ, etiamsi sit minorum Ordinum, fruitur privilegio fori, pag. 241. n. 28.
Clericus negotiator privatur suo privilegio, pag. 245. & seqq. n. 70.
Clericus si habeat filios naturales, seu spurios, tenetur eis alimenta præbere, & qui sint isti filii naturales, pag. 346. n. 1. & seqq.
Clericorum filii possunt petere hæc alimenta, sive coram Judice Ecclesiastico, sive Seculari, ibid. num. 5. Et eis debentur, etsi sint adulti, dummodò eis indigeant, ibid. n. 6.
Clericus debet alere spurios, etiam ex redditibus Beneficii, ibid. num. 7.
Sed si habeant unde alantur, adhuc aliqui affirmant, sed negatur, ibid. num. 8. Et admittitur negativa, ibid. num. 9. Et possunt petere contra donatarium, Monasterium, sive Fiscum, pag. 347. num. 10. & 11.
Clerici etiamsi sint Religiosi, ad hæc alimenta tenentur, ibid. n. 12.
Clericus an teneatur dare hæc alimenta secundùm statum, aut secundùm naturam? Prima sententia dicit dari debere secundùm naturam, ibid. & seqq. num. 13. Secunda tenet danda esse secundùm statum, ibid. num. 14. & 15. Admittitur, & explicatur hæc sententia, ibid. n. 16.
Verùm quæ quantitas alimentorum sit danda, arbitrio prudentis relinquitur, ibid. nu. 17. De Jure Castellæ quintum bonorum est designatum, ibid. nu. 18.
an Clericus, vel alter pater spurius possint de jure Castellæ integrum quintum dare spuriis? Prima sententia affirmat, ibid. n. 19. Secunda negat, ibid. n. 20. explicatur, pag. 348. n. 22. & 23.
Clericus, seu alter pater spurius, quando quintum non sufficit ad alimenta, an possint excedere? Sunt affirmantes, & negantes, ib. n. 24. Resolvitur, & distinguitur, ibid. nu. 25.
Clericus, seu alter pater, si habuerint amplius, quàm quinque filios legitimos, integrum quintum, an possit spuriis concedere? Negarunt aliqui, sed affirmat de Lugo, ibid. num. 27. Resolvitur, & distinguitur, ibid. n. 28.
Clericus, seu alter pater spurius, si dederit aliqua bona spurio ad alimenta, integro jure ad illum transeunt, & an transmittat ea, seu gravamen in eis recipere possit, ibid. n. 31. & seqq.
Clericus, seu pater spurius nequit in quinto aliquid pium imponere, si alimenta deficiant, ibid.
Clericus potest ex redditibus, aut ex patrimonio aliquid dare spuriis, ut religionem ingrediantur, & pro anima illorum, ibidem num. 33.
Clericus, vel alter pater spurius nequit aliquid dare spuriis ultra quintum, ex legitimorum consensu, nisi patre defuncto, ibid. & seqq. num 34.
Clericus, seu alter pater spurius potest spuriis remuneratoriè donare: sed an possit titulo oneroso? Aliqui negant, pag. 349. nu. 35. Alteri affirmant, ibid. num. 36. Resolvitur, & explicatur, ibid. num. 37. & 38. Dummodò constet contractum fuisse verum, & onerosum, sustinetur, ibid num. 39.
De jure Regio est major difficultas, an inter patrem, & filium spurium sustineatur contractus onerosus? Prima sententia negat, ibid. num. 40. Secunda affirmat, ibid. num. 41. Tertia sententia asserit contractum onerosum esse, si pater est Clericus, ibid. num. 42. Explicatur, ibid. num. 43. Et resolvitur, in utroque foro cessante fraude valere, pag. 350. n. 45.
Probari debet fraudem non intervenisse per testes, non per confessionem partis, ibid. num. 46.
Clerici nequeunt suis filiis spuriis aliquid relinquere per institutionem, legatum, aut per aliam ultimam voluntatem, pag. 351. num. 1. & 2. Non solùm ex bonis ex redditibus acquisitis,

tis, sed etiam ex patrimonio, nec capere possunt ab intestato, ibid.num.3.
Clericus si palam filium spurium hæredem instituat, hæreditas ad cohæredem, vel consanguineos defertur, ibid. num.4. Si tamen hæreditatem per tacitum fideicommissum relinquat, Fisco applicatur, ibid.num.5.
Si hæres est Ecclesiasticus fidem accommodans, pertinet ad Fiscum Ecclesiasticum; si secularis, ad secularem, ibid.n.6.
Clericus nequit relinquere spurio suo hæreditatem per substitutionem vulgarem, nec per tacitam vulgarem contentam in pupilari, ibid.num.7.
Clericus, vel pater spurius instituendo filium legitimum impuberem, an possit ei substituere spurium? In propriis bonis pupilli id admittitur, ibid.n.8.
Sed in bonis acquisitis à patre an valeat substitutio. Prima sententia negat, ibid.num.9. Secunda affirmat, pag.252. nu.10. Explicatur, ibid.num.11.
In bonis legitimè dicunt aliqui spurium pupillariter substitui posse, sed rejiciuntur, ibid.num.14.
Objicitur, & respondetur, ibid.nu.15. & seqq.
à Clerico, vel ab alio patre spurio nequit filius capere, nec mediatè, nec immediatè, ibid. num.17. Nec in vita patris, ibid.nu.18. Fit objectio, & respondetur, ibid.nu.19. & 20.
In aliis bonis præter legitimam asserit Costa valere substitutionem, sed non admittitur, pag.353.n.21.
Clericus, aut alter pater spurius in meliorationibus tertii, & quinti de jure Regio an possit substituere filium spurium? Negatur tam de Clerico, quàm de aliis, ibid.n.22. & seqq.
Clericus nec per fideicommissum valet hæreditatem relinquere spurio, ibid.num.24.
Clericus si instituat hæredem, & abeo rogaverit hæreditatem spurio restituere, an possit eam retinere? Prima sententia asserit restituendam spurio in conscientia, ibid. n.25. Secunda asserit, nec hæredem, nec spurium eam habere posse, sed Fisco restituendam esse, ibid.num.26. Tertia dicit posse in conscientia retinere hæredem, ibid.num.27. Quarta affirmat restituendam hæredibus ab intestato, ibid,num.28.
In hoc dubio hæres institutus, si fidem non accommodaverit, rectè valet spurio restituere hæreditatem, ibid.num.29. Non admittitur Pichardus, ibid.num.30. Si verò fidem dederit, tenetur restituere hæredibus ab intestato, pag.354. num. 31. Vbi latissimè de hoc disseritur usque ad num.39.
In foro exteriori, si hæreditas non applicatur Fisco, quando accommodatur tacita fides, danda est hæredibus ab intestato, ibid. num. 39.
Clericus, vel alter pater spurius potest relinquere hæreditatem, seu legatum spurio, sub conditione, si à Principe legitimetur, pag.356. n.50. Negat Baldus, ibid. num.51. Sed contrarium sustinetur, ibid.num.52.
Et an tunc spurius interim quod legitimatur, possit petere bonorum possessionem secundùm tabulas? Prima sententia affirmat, ibid.n.53. Secunda negat, ibid.n.54. Defenditur prima, ib.n.55.
Clericus, seu alter pater spurius benè relinquit hæreditatem uxori filii, vel marito filiæ spuriæ, pag.357. n.56. Aliqui tenent contrarium, ibid. n.57. Sed non admittuntur, & defenditur prima sententia, ibid.n.58. & 59. Limita, nisi id fraude fieret, ibid. n.60. Non admittitur Pichardus, ibid.n.61.
Clericus, seu alius pater spurius valet ex filio nepotem instituere hæredem, ibid. num.63. Et in dubio valet institutio illa, ibidem num.64. Limitant aliqui, si usumfructum pater lucraretur, ibid. num.65. Sed eis respondetur, pag. 358. num. 66. De jure Regio Castellæ pater nequit usumfructum acquirere, si avus fuerit Clericus, ibid.num.67.
Clerici si duo paciscantur de invicem instituendis suis filiis spuriis, non valent institutiones, ibid.n.69.

COMMISSARIVS.

Commissarius datus ad testandum, de jure regio tenetur totum quintum expendere pro funeris expensis, & pro anima defuncti, nisi filios, aut descendentes habuerit defunctus, aut aliud disposuerit, pag.162.num.14.
Commissarius non admittitur de jure communi: de jure Canonico intelligitur ad distribuenda bona inter pauperes, ibid.
Commissarius an quando testator habet filios, aut ascendentes legitimos, possit totum quintum expendere pro anima defuncti, & funeralibus. Prima sententia affirmat, ibid.num.45. Secunda negat, ibid.num.46.
Explicatur dubium. Aliud est, an possit totùm quintum expendere, si sibi visum fuerit: aliud, teneri illum expendere. Si tantùm sint collaterales, admittendum teneri, pag. 163. & seq. n. 49 & 50.
Erit dubium quando adsunt ascendentes, seu descendentes legitimi. Sed absolutè loquendo affirmativè respondetur, ibid. n.51. In dubio pro anima pronunciandum, ibid.n.52.
Limita quando totum quintum non est necessarium, ut in exemplo adducto, ibid. n.53. Idem si fuissent plures filii, quorum alimentis damnum irrogaretur, ibidem num. 54.
Commissarius ad eligendam sepulturam, an possit eligere post mortem mandantis. Prima sententia negat, pag. 191. num. 44. Secunda affirmat, ibid. num.45. Tertia distinguit, pag.192.num. 46. Admittitur, ibid.n.47.

CONFESSIO.

Confessio potest fieri à Parochiano, contradicente Parocho, cum Sacerdote, vel Religioso approbato, maximè cum Bulla Cruciatæ, pag.25.num 54.
Confessio solùm cum attritione est valida ad causandam gratiam, ibidem n.55.

CONGRVA.

Congrua est assignanda novo Parocho in erectione novæ Parochiæ, in primis ex oblationibus, & primitiis, pag.32.n.34. Quando hæc non sufficiunt, deveniendum ad decimas prædiales, si aliter nequit de congrua provideri, ibid n.35.
Si ad hanc congruam Ecclesia matrix bona non habuerit, populus contribuere tenetur, ibid.n.36. Si populus est pauper, providendum ab Episcopo, vel Prælato Ecclesiæ matricis, ibid. n.37.
Ad hanc congruam an possit Episcopus, quando Ecclesia matrix est Cathedralis, aut Collegiata, unire aliquem Canonicatum novæ Parochiæ? Negavit Fagnanus, ibid. num. 38. Explicatur, ibid. num.39. & datur casus, quo id fieri possit ab Episcopo, pag. 33.n. 40. Et quando aliter novus Rector possit de congrua provideri, ibid.n.43.
Si ad congruam istam omnia deficiant, Parochus ex suo labore vivere debet: ast priùs aliis modis est ei providendum, vel per eleemosynas, vel ex fructibus aliarum Ecclesiarum divitum, ibid.num.44.
Congrua in hac specie relinquenda antiquo Rectori, ibid. n.47.
Congrua in reparatione Ecclesiæ semper est Parocho relinquenda, & administrantibus, quæ debet esse secundùm naturam, pag.49. num. 28 Examinatur hæc doctrina, ibid. num.29. & seqq. & admittitur, si pauperes sint Parochiani: quid in hoc Archiepiscopatu observandum, pag.50.n.32.
Congrua decens relinquenda, si Parochiani sint divites, ibid. num. 33. & 34.
Congrua est onus fructuum, ibid.
Congrua dupliciter consideratur quoad naturam, & quoad statum, pag.286.n.2. & seq.
Congrua danda Clericis, etiamsi habeant amplius patrimonium ex suis Beneficiis, licèt olim contrarium fuerit observatum, pag.304.num.34.
Congrua semper sunt relinquenda Beneficiato, etiamsi habeat plura debita, pag.306.num.55.

CONSECRATIO.

Consecratio Altarium antiqua, pag.68.num.13.
Consecratio nequit fieri à Presbytero ex commissione Episcopi, & Sede vacante facienda est ab Episcopo viciniori de licentia Capituli, ibid.num.14.
Consecratio potest fieri à Presbytero, ex commissione Summi Pontificis, p.69. n.15. Carpitur Henriquez, & similia privilegia extenduntur ad Abbates utentes baculo, & mitra, ibid.n.16.
ad Consecrationem Altaris an sint Reliquiæ necessariæ. Prima sententia affirmat, ut antiquitus observabatur, ibid.n.17. Secunda dicit, Reliquias esse imponendas in Altari non viatico, ibid. n.18. Tertia negat absolutè, ibid.n.19.
Olim in consecratione Ecclesiæ imponebantur Reliquiæ, sed non in consecratione Altaris, ibid. num.21. Resolvitur quæstio negativè, ibid.nu.22.
in Consecratione Altaris, an sit Eucharistia imponenda? Affirmant aliqui, sed non admittuntur, pag.70.n.24. & 25. Et idem de frustulo Corporalium, ibid.num.26.

CONSVETVDO.

Consuetudo admissa per errorem non valet, pag.72. n.44.
Consuetudo incerta non admittitur, ibid.
Consuetudo an certa sit, si unus Doctor de ea attestetur? Aliqui affirmant, sed contrarium defenditur, ibid. num.45.
Consuetudo dicendi plures Missas in Oratoriis sustinetur, pag. 88. num.55.
Consuetudo immemorialis supponit meliorem titulum, & derogata non censentur, nisi de ea fiat mentio: ubi etiam de consuetudine offerendi, p.102.n.43. & seq.
Consuetudo immemorialis, ut Parochi, seu Canonici peragant Officium defuncti in Ecclesiis Regularium, an valeat. Negandum videtur, pag.127.n.20. Sed contrarium tenet Gratianus, pag. 128. num.21.
Consuetudine reprobata, non intelligitur reprobata immemorialis, contra aliquos. Consuetudo immemorialis habet vim legis, & privilegii, & in funeribus multùm valet consuetudo, ibid.
Sententia Gratiani facilè admittitur respectu Parochorum, ibid.n. 22. Quia consuetudo dat jurisdictionem personæ capaci, ibid. Sed respectu Canonicorum est majus dubium. Distinguitur, & affirmativè resolvitur, ibid.n.23. & seqq.
Consuetudo immemorialis quomodo probetur, pag.129.nu.26.

Consuetudo ut Parochi ferant Crucem in associandis funeribus faciendis in Ecclesiis Regularium, ad lucrandum dimidium funeralium, non est valida, pag.130. num.37. Sed contrarium sustinetur,ibid.num.38.
Consuetudo obstans Sacris Canonibus, & introducens abusum, non est sustinenda,ibid.
Consuetudo ut aliquando tertia, aliquando dimidia pars,aut quarta funeralium debeatur,est valida,ibid. num.39.
Consuetudo ut Parochus proprius ferat dimidium funeralium,sufficit ut sit præscripta per decennium,ibid.num.40.Et non est dicendum, similem consuetudinem esse introductam per avaritiam, ibid. num.41. Sed pro labore administrationis, ibid. num. 42.Nec Parochus tenetur ad restitutionem,ibid. num.43.
Consuetudo præter jus præscribitur ordinaria præscriptione,pag. 164.num.60.
Consuetudo contra jus extenditur ad alium casum . Consuetudo quæ sit irrationabilis,non extenditur,pag.166.num.77.
Consuetudo exorbitans à jure recipit extensionem, pag.193.nu.62.
Consuetudo scienter tolerata à Pontifice habet vim privilegii, pag.341.num9.
Consuetudo difformis non obligat,,pag.117.n.9.
De consuetudine ut pater pro filio eligat sepulturam, vide verbum *Filius*.

CORPORALE.

Corporale ad celebrandam Missam necessarium,pag.75.nu.10.
Corporalium bursa ex quibus conficienda,ibid.num.11.

CREDITOR.

Creditor qui dedit pecuniam, vel aliam rem ad creditum solvendum,non præfertur aliis creditoribus, pag.370.num.20 Sed contrarium defenditur,ibid.num.21.& seqq.
Creditoris instantia si bona vendantur licitatione facta, plus offerens admittitur,& quomodo, pag.374. n.59.

CVSTODIA EVCHARISTIÆ

Custodia quæ ad servandam Eucharistiam est in Altaribus, apud Græcos dicebatur *Ciborium*, apud nos verò *Custodia* dicitur, pag.79.num.56.& seqq.
Custodia clavibus obseratur, & dantur rationes de hoc, pag.80.n. 58. & seqq. Inter Hispanos olim fœdus percutiebatur cum Eucharistia:quod illustratur,ibid. n.60
Custodia ad placitum efficiebatur, aut in modum columbæ, aut turris, & in armario Altaris imponebatur sub Crucis titulo Apud Hispanos olim Eucharistia semper erat patens, ibid. num. 61.Postea clavibus obserata,ibid.num.62.
Custodiæ debent esse fixæ, ibid. num. 63.Intra Custodiam debet esse pyxis, ibid. num. 64. Olim lignea fuit, hodie aurea, vel argentea debet esse: sed propter paupertatem non est peccatum,si sint ligneæ,ibid.n.65.
Olim custodiebatur Eucharistia in palatiis Episcoporum, pag.93. num.13.

D

DECIMÆ.

Decimæ à laico suscipiuntur nomine Ecclesiæ, pag.251. num. 49.& seqq.
Decimæ prædiales solvuntur non deductis expensis, & quare,pag. 282. num 54.& seqq.
Decimæ,& proventus Ecclesiastici quomodo olim dividebantur, latè ostenditur,pag.287 n.10.& seqq.

DEPOSITVM.

Depositi actione si conveniatur Clericus, an possit gaudere beneficio capitis *Odoardus 4.de solut.*pag.243.n.53.& 54.
Vide in verbis *Beneficium,& Clericus.*

DISTRIBVTIONES.

Distributiones quotidianæ quomodo intelligendæ, latè disquiritur,pag.291.à num.11.& seqq.
Distributiones quotidianæ tribus modis considerantur . Primò quando non separantur à Præbendis,sed vice earum funguntur. Secundò quando à præbendis sunt separatæ,& distinctæ.Tertiò quando omnes distributiones sunt fructus præbendarum, ibid. num.13.
Distributionum ex superfluo, an Canonicus teneatur eleemosynarii?Prima sententia affirmat,ib.n.11.Secunda negat, ib.n.12.Sed latè resolvitur secundùm distinctionem, p.292.n.14. & seqq.

DICTIO.

Dictio *Et*, est copulativa, regulariter loquendo, pag. 49. n.23. Sed non semper copulat,pag.89. n.65.
Dictio *Si verò*, , est adversativa, & comprehendit omnem materiam,pag.69.n.20.
Dictio *Quandoque*,significat non semper,ibid.num.22.
Dictio *Vel*,ponitur inter æqualia,pag.88.n.54.
Dictio *Tantùm*,non excludit casus similes,pag.326 n.41.

DONATIO.

Donatio præsumitur,nisi quando nulla causa subest,& quando quis dat,si alter sit obligatus,intelligitur pro obligatione, p.144. n.5.
Donandi præsumptio non admittitur ex affectione sanguinis nisi in parvis,& quando consanguineus est pauper,pag.148.n.49.
Donandi consensus non distinguitur à donatione,p.249. n. 51.
Donationis præsumptio non admittitur, nisi cum aliis adminiculis,ibid. num.52.
Donationem remuneratoriam aliqui dicunt minuere legitimas, pag.157.n.4.Sed contrarium defenditur,pag.158.n.8.
Donatio si fiat,& sint aliquæ obligationes, intelligitur solutio pro duriori,pag.305.num.41.
Donatio an sit promissio de donando? Prima sententia negat, pag. 328.n.62.Secunda affirmat,ibid.& seqq.
Donandi propositum non obligat,ibid.num.65.& seqq.
Donandi promissio cum animo se obligandi, non designata quantitate, vel re, non est donatio, sicut nec promissio vendendi, non designato pretio, ibid. num.66. & seqq. Fit replica,& respondetur eidem, ibid. num.68 & 69.
Donatio causa mortis nequit fieri ab eo qui donare non potest, pag.360.num.6.
Donatio causa mortis est quasi donatio inter vivos, ibid. nu.8.

DONATIO BENEFICIATORUM EX REDDITIBUS INTER VIVOS.

Donatio an fieri possit ab Ecclesiasticis ex redditibus villarum,seu castrorum suarum dignitatum, absq; obligatione eleemosynandi? Prima sententia affirmat, pag. 309. num. 1. Secunda tenet contrarium,ibid.num.2.
Redditus isti sunt obligati ad faciendam justitiam,& defendendos vassallos,& ad congruam Prælati,ibid.num.3.
Sed adhuc defenditur, teneri Prælatos ex superfluo ad eleemosynandum,ibid.n.4.& seqq.
Villæ, seu castra ista transeunt ad dominium Ecclesiæ, verùm jurisdictio remanet secularis, si à Pri cipibus donentur, quia reservata censetur,nisi fiat donatio Ecclesiæ Romanæ,ut latè differitur,pag.310.nu.5.& seqq.
Donatio an liberè fieri possit,necne,ex salariis officiorum præstitis à Principe?Affirmant Sarmientus,sed explicatur,ibid. nu.10. Et resolvitur contrarium,ibid.n.11.
Donatio ex redditibus, an licitè fieri possit à Commendatariis Ecclesiarum?Affirmarunt aliqui,& explicantur,ibid. num.12. Alteri tenent contrarium, ibid. num 13. Distinguitur, & affirmativè resolvitur in Commendis perpetuis, pag.311. n.15.Secus in temporalibus,ibid. num.16.& seqq.
Sed an idem dicendum quando temporalis commenda datur cum integra administratione?Affirmandum videtur,ibid.num.18.Sed cum explicatione contrarium defenditur,ibid.n.19.
Donatio de redditibus nequit fieri licitè ab Ecclesiasticis:sicut nec tutores,& curatores donare possunt de rebus pupillorum, ibid. num.20.& seqq.
Sed possunt facere donationes modicas,vel remuneratorias,ib.n23
An in donationibus remuneratoriis possint Ecclesiastici modicum excedere?Negant aliqui,ibid.n.24.Sed si parum sit,asseritur,ibid. num.25. Quæ sit pars modica, vel immodica, arbitrio prudentis relinquitur,pag.312.n.27.
in Donationibus remuneratoriis non solùm modicum excedere valent,sed aliquid amplius:& quid sit modica donatio liberalis, ibid.num.28.
Donationes accipientes à Prælatis,seu Beneficiatis ex redditibus, an peccent?Affirmant plures,sed negant alteri,ibid.n.29
Si donatarius persuaderet,aut auxiliaretur,peccat, ibid.num.30.Si Ecclesiasticus haberet bona patrimonialia,vel alia bona acquisita parcè vivendo,unde resarciat,non peccat,ibid.n.31.Si non habeat,probabilius est peccare,ibid.n.32.
Non peccat qui acceptat donationem in fraudem creditorum, ib.
Donatio non sit invito,pag.313.nu.36. Fit replica, & respondetur eidem,ibid.num.37.
Beneficiatus,vel Clericus dans ex redditibus concubinis suis, peccat graviter,nec valet donatio:sicut etiam peccant Equites Militares,Doctores,& Licentiati,ibid.n.38.
Donationes remuneratorias an possint facere Clerici concubinis? Negavit Cabedo,ibid.n.39.Sed contrarium sustinetur,ibid.n.40.
In foro poli sufficit, ut servitia concubinæ sint certa . In foro fori sunt probanda,aliàs repetitur,ibid.n.41.
An quando fuerint servitia antecedentia, & postea Beneficiatus simpliciter donaverit concubinæ, sit donatio remuneratoria? Prima sententia negat,ibid.nu.42.Secunda affirmat, ibid. nu.43. Admittitur hæc sententia,& defenditur,p. 314. à n.44.ad 47.
Quando Beneficiatus,aut alter Clericus donaverit concubinæ propter servitia specialia, an debeat illa probare? Prima sententia affirmat,ibid.n.48.Secunda aserit, quod si mentio sit generalis, teneatur probare; secus si specialis, ibid.n.49.Tertia dicit,quod licèt mentio sit generalis, seu specialis, merita sunt probanda,ibid.n.50. Resolvitur, & distinguitur, ibid. Et tandem dicitur,quod sint probanda,ibid.à n.51.& seqq.
Donatio liberalis,in dubio præsumitur remuneratoria, ibid.
Donanti non est facilè credendum de meritis,licèt sit inter personas non interdictas donare, & sine præjuditio . In donationibus præsumitur error,ibid.num.53.

Idem dicendum si Princeps donaret. Principis assertioni standum est, sed in specie non facilè, ibid. num. 54.
An donare possit Clericus concubinæ, quando ambo ad meliorem frugem transierint? Negavit Cancerius, pag. 315. num. 56. Sed contrarium stabilitur, ibid. num 57.
An possit donare concubinæ senescenti? Negavit Cancerius, ibid. num. 58. Sed contrarium defenditur, & respondetur ejus argumento, ibid. num. 59.
Donatio facta à Clerico concubinæ, an firmetur juramento? Affirmant aliqui, pag. 316. num. 1. Sed contrarium tenendum asseritur, ibid. num. 2.
si Clericus aliquid promiserit concubinæ, seu meretrici pro usu corporis, an possit solvere ex redditibus? Ponitur ratio dubitandi, ibid. num. 3. Sed affirmativè resolvitur, ibid. num. 4.
Clericus valet aliquid donare concubinæ, ut à peccato resipiscat, vel nubat, vel ingrediatur Religionem, ibid. num. 5
Sed an possit dare aliquid concubinæ pauperi per modum eleemosynæ in extrema, aut gravi necessitate, ibid. num. 6. In necessitate communi, si non est otiosa, potest dare Clericus aliquid modicum, ad sublevandam ejus indigentiam, ibid. n. 7.
Beneficiatus valet filias suas ex redditibus dotare, ibid. n. 8. Sed est dubium, an possit dotare ex redditibus, quando habet alia bona patrimonialia? Prima sententia affirmat, ibid. num. 9. Secunda negat, ibid. num. 10. Resolvitur negativè, ibid. num. 11. & seqq.
An Beneficiatus, seu alter pater spurius, si filiam excessivè dotaverit, possit excessum repetere, & quid sit excessus, pag. 317. num. 14. Prima sententia affirmat in quolibet casu, ibid. num. 15. Secunda tenet contrarium, ibid. num. 16. Tertia distinguit, ibid. nu. 17. Quarta aliter distinguit, ibid. num. 18. Quinta distinguit de jure nostro Regio, ibid.
Resolvitur, ibid. num. 19. & seqq. Et distinguitur quando Beneficiatus, vel alter pater spurius habuerit filios legitimos, pag. 318. num. 23. Et resolvitur, ibid. ad num. 25.
An dos data à Beneficiato, vel à patre spurio, transmittatur ad hæredes. Prima sententia negat, ibid. num. 32. Secunda affirmat, ibid. num. 33. Tertia distinguit, ag. 319. num. 34. Resolvitur, ibid. num 35. & seqq.
Dos ista quando constituitur in fructibus, aut in annua præstatione, fructus sunt fors principalis dotis, ibid. num 36. & 37. Et quomodo transmittatur, ibid. num. 38.
Quando sumus in dubio, an Beneficiatus, vel alius pater spurius in proprietate, aut in usufructu dotem dederit, quid præsumendum? Aliqui dicunt, præsumi datam in usufructu, ibid. nu. 39. Sed distinguitur, ibid. num. 40. & 41. Et resolvitur, ibid. num. 43. & seqq.
An quintum datum pro dote filiæ spuriæ, transmittatur ad hæredes? Affirmant plures, & explicantur, ibid. num. 44.
An Beneficiatus, vel alter pater spurius possit in quinto gravamen imponere? Negant plures, pag. 320. num. 46. Affirmat Cevallos, ibid. num. 47. Explicatur, ibid. num. 48.
Beneficiatus, seu Prælatus potest ex redditibus donare suis consanguineis pauperibus in modum eleemosynæ, non valet tamen dotare, ibid. num. 48. Comminantur Ecclesiastici ditantes suos consanguineos ex redditibus, ibid. num. 51. & seqq.
Sed valent erigere opus pium, & eos patronos relinquere, & aliquid pro labore illis concedere, ibid. nu. 53.
an Beneficiatus, seu Prælatus possit aliquid ampliùs donare ex redditibus, quàm par est ad eorum necessitatem? Negarunt aliqui, ibid. num. 54. Explicantur, ibid. num. 55 Nequit tamen ex redditibus dotare consanguineam, si habeat bona patrimonialia, nisi teneatur eam dotare, pag. 321. n. 56.
Donatio an rectè fiat consanguineis, ut ad altiorem statum ascendant, pag. 322. num. 1. Prima sententia negat, & illustratur exemplis, ibid. num. 2. & 3. Temperatur hæc sententia quando consanguineus est tam infimę sortis, ut dedecorel Cardinalem, seu Episcopum, ibid. num. 4.

DONATIO BENEFICIATORUM EX REDDITIBUS IN ÆGRITUDINE.

Donatio ex redditibus in ægritudine de jure communi sunt interdictæ. Verùm de qua ægritudine loquatur interdictum, olim fuit concertatio, pag. 330. num. 1.
Dissidium ortum, quando infirmitas fuisset periculosa, vel non. Aliqui dixerunt febrem quamlibet esse periculosam, ibid. nu. 2. Nisi esset intermittens, ibid. num. 3.
Alteri dicebant periculosam infirmitatem, ex qua mos sequebatur. Et nonnulli asserebant ad hunc effectum esse necessarium, ut donatio fieret tempore quo desperaretur de salute infirmi. Ac deniq; quamplurimi reliquerunt declarationibus Medicorũ, ib. n. 4.
Hodie sopita est hæc difficultas ex Regulis Cancellariæ, ita ut si infirmus moriatur post viginti dies à donatione, valida non sit, sive fiat in ægritudine, sive non, ibid. nu. 5.
Donationes in ægritudine nequeunt facere Prælati, seu Beneficiati ex redditibus, nisi sint modicæ, & intuitu eleemosynæ, ibid. num. 6.
Aliqui dicunt, non prohiberi donationes immodicas, si fiant absque fraude, pag. 331. num. 9.
Donare causa mortis nequeunt Clerici, ubi non testantur, ibid. nu. 13. & 14.
Donationes validæ, & irrevocabiles an fieri possint à Prælatis, & Beneficiatis, ubi non testantur? Prima sententia negat, ibid. n. 15. Secunda affirmat, ibid. n. 16.
Examinatur dubium. Quando similes donationes fiunt ad profana, speculativè loquendo, possunt sustineri, licèt donantes graviter peccent, pag. 332. num. 17. Sed in praxi difficillimum est obtinere ob fraudis præsumptionem, ibid. num. 18. & 19. Si causa donandi sit manifesta, sustinentur, ibid. num 20.
Si donatio ista fuerit ad causas pias, irrevocabilis, simul cum traditione, sustinet ut, & fit absque ullo peccato, ibid. num. 21.
Donatio an valeat, si fiat ab Episcopo, aut Beneficiato, ubi non testatur, consanguinei s cum traditione? Negandum videtur, quando donans est proximus morti, ibid. n. 22.
Sed contrarium tenet de Lugo, ibidem num. 23. Defenditur hæc sententia in foro fori, ibid. nu. 24. Sed in foro fori id non admittitur, ibid. num. 25.
Sed si consanguinei sint pauperes, similiter asserendum videtur, ibid. num. 26. Sed contrarium resolvitur, ibid. num. 27.

DONATIO, SEU LARGITIO RELIGIOSORUM.

Donationes ex bonis, seu redditibus Religiosorum, nequeunt fieri à Religiosis, sive directè, sive indirectè, exceptis levibus esculentis, seu potulentis, & munusculis ad devotionem pertinentibus, pag. 325. num. 35.
Clementis VIII. Constitutio de largitione numerum, licèt ab aliquibus necessaria dicatur, tamen recepta non est: dicunt tamen aliqui, adhuc obligare, quia sufficit promulgatio, ibid. num. 36. Sed alteri contrarium sustinent, quod explicatur ad praxim, ibid. num. 37.
Donationes modicas possunt facere Prælati, Religiosi verò ex licentia tacita, seu expressa Superioris. Sed quæ sit ista modica quantitas. Aliqui dicunt à Constitutionibus taxari, ibid. num. 38. Sed arbitrio prudentis relinquitur, ibid n. 39.
Donationes istæ modicæ, an sint intelligendæ de modicis esculentis, aut potulentis, de quibus Bulla loquitur? Affirmandum videtur, ibid. num. 40.
Donatio quando in jure propter certas causas revocatur, nequit propter alias fieri extensio, ibid. Sed contrarium tenendum asseritur, pag. 326. num. 41.
Esculenta, & potulenta non debent esse magni valoris, ibid. n. 42. Quod aliqui intelligunt quando quantitas fuisset sufficiens ad lethale in furtis, ib. n. 43. Sed explicantur, ib. n. 44. & 45. & seq.
Donatio alicujus rei parvæ ad devotionem valet fieri à Religioso, veluti alicujus imaginis, libelli, seu thecæ Reliquias continentis, pag. 327. num. 49.
Sed an quando Monialis dantur Corporalia facienda magni valoris, seu picturæ, ministratis ad ea necessariis, possit facere gratis absque licentia Superioris? Negandum videtur, ibid. num. 50. Sed contrarium tenent aliqui, ibid. n. 51. Admittitur, si opus fuerit parvi valoris, aut Conventus operas suas dederit Moniali, ibid. n. 52. Si fuerit magni valoris, negatur, ibid. num. 53. Defenditur exemplo servi, ibid. n. 54. & seqq.
An Prælatus, seu Religiosus possit dicere sibi dare volenti, *Non indigeo, da meo consanguineo, seu amico?* Affirmant plures, ibid. num. 56.
Quando dicit, *Da nomine meo*, nequit id dicere, quia acceptat, si sic loquatur, ibid. num. 57. Si dicat, *Da nomine tuo*, aliqui affirmant valere donationem, sed contrarium cum Sorbo defenditur, ibid. num. 57. & seqq.
Fit instantia, & interpretatur Bulla, ibid. num 58. Et confirmatur sententia Sorbi, ibid. num. 59. Et probatur esse directam donationem absque traditione, transireque dominium ad causam piam, ibid. num. 60.
Quando aliquis promitteret donare Religioso, an possit respondere, *Da amico, seu consanguineo meo?* latè disseritur: ubi variè exornatur, & resolvitur, ibid. à n. 61. ad 69.
Si promittitur Religioso, seu Monasterio quantitas, vel res certa donanda, tunc promissio est donatio, & non poterit dici, *Da alteri*, pag. 329. n. 60. & seqq.
Donationes remuneratoriæ an possint fieri à Prælato, seu Religioso ex bonis Monasterii? Negandum videtur, ibid. num. 72. Sed contrarium receptius, ibid. n. 73.
Donare interdictus, non est prohibitus remuneratoriè donare, ibid. Admittitur, & explicatur hæc sententia, ibid. num. 74. Limita si ex indulto Pontificis Religiosus beneficium obtineat, vel Episcopatum; tunc enim poterit remuneratoriè donare, ibid. num. 75. Et similiter si donatio remuneratoria sit necessaria ad bonum Monasterii, ibid. n. 76.
Licentia Prælati semper est necessaria, ut donet Religiosus: quam etiam potest concedere Abbatissa, ibid. n. 77.
Donatio si fiat inter ipsos Religiosos, est necessaria licentia: sed si cesset ambitio, aliqui tenent contrarium, ibid. n. 78.

Donationes accipientes contra hoc interdictum, tenentur ad restitutionem, ibid. nu-79.

DONATIVA.

Donativa in Regnorum necessitatibus congruentiora sunt, quàm tributa, p.259. n.1. Ut tamen Rex petat, debet priùs bona sua excutere, & Procerum, ib. n.2.

in Donativis petendis debet Princeps omnia requisita tributorum observare, ibid. num.3. Ubi explicatur Cardinalis Tuschus, ibid.

Donativa tantùm petere possunt Supremi Principes, ib. n.4. Magnates verò non, nisi in quibusdam casibus ibidem recensitis, ib. n.5.

ad Donativa Mobiles non tenetur, nisi urgente necessitate, ib. n. 6. Quod idem dicendum de Ecclesiasticis in extrema, aut gravi necessitate existentibus, ib. n.7.

In his gravissimis necessitatibus Reipublicæ divites non solùm ad hæc donativa tenentur, sed ad mutuandum absque interesse, nisi de æquitate eis concedatur, ib. n.8.

DOS.

Dos est necessaria ad ædificandam Ecclesiam, p. 19. n. 10. & 11. Sed an sit necessaria in constructione Capellæ, seu Oratorii, negant aliqui, ib. n.12. Alteri affirmant, ib. n.13. Resolvitur, & distinguitur, ib. n.14.

Dos ista à principio est designanda, & est imponenda ab ædificatore, seu ejus hæredibus, vel ab Episcopo, si absque dote Ecclesiam consecraverit, p.20. n.15.

Si ad dotem Ecclesiæ aliquis censum legaverit, & eo vivente redemerit, an legatum extinguatur, p.38. n.16.

Dos mulieris in mobilibus restituitur post annum, in immobilibus statim, p 114. & seq. n.65.

E

ECCLESIA.

ECclesia Catholica est cœtus visibilis Fidelium, p. 6. num. 4. Hæretici contrarium dicentes refelluntur, ibid. num. 5. & seq.

Ecclesia nequit impediri, ut sua vendat, vel locet, aliàs erit contra ejus libertatem, p.137. num. 31. Nec Princeps secularis potest aliquid disponere contra bonum Ecclesiarum, & animæ defuncti, ib. n.32. Fit instantia, p.138. n.33. Et respondetur, ib. n.34.

Ecclesia, vel Clericus valent negotiari propter paupertatem, ib. num. 39.

Ecclesiæ res, etiam subhasta licitentur, adhuc plus offerens restituitur, & admittitur, p.17. n.57.

ECCLESIA ÆDIFICANDA.

Ecclesias ædificare pium, & Religiosum opus est, sacris Literis commendatum, à Fidelibus, & infidelibus cognitum p.5. n.1. & seqq.

Ecclesiæ aliquando destruuntur ob peccata populi, Deo permittente: sed veri Fideles summa cura eas ædificant, p. 9. num.1.

Ecclesia ædificatur, aut ex liberalitate, aut ex obligatione, ib. n.2 olim quarta pars fructuum Fabricæ Ecclesiæ applicabatur, ibid. n.3.

Ecclesia si non habet bona ut ædificetur, ex decimis ædificatur, aliàs populus ad id tenetur, ib n.4.

Ecclesia ædificata in solo alieno, non cedit solo, sed solùm ædificio, p.13. n.26.

Ecclesiæ impedimentum si detur ne ædificetur, est odiosum, p.19. num.9.

ad Ecclesiam ædificandam requiritur locus, qui non debet esse profanus, alienus, nec aliquo onere obligatus. Aedificata Ecclesia in loco alterius Ecclesiæ, remanet Patronæ. p.20. num.16.

Si in area, aut in loco illo hæretici, seu pagani fuerit sepulti, exhumantur, & idem si non constet fuisset Christianos, ib. num.17.

Ecclesiam, Monasterium, seu Oratorium potest quis construere cum licentia Superioris, p.39. n.1. Licentia ista non præsumitur, nisi per longi temporis transcursum, ib. n.2. Signa unde probetur licentiam hanc præcessisse. ib. n.3.

Si hæc signa non adsint, præsumendum non extit isse. ibid. nu 4. Distinguitur, & admittitur in rebus piis non requirentibus necessarium religiositatem, ib. n.5. Nisi ex instrumento fundationis aliud constet, p.37. n.6.

Si verò ædificatur Ecclesia, seu Oratorium ex sua natura destinatum ad Missas dicendas, præsumitur licentia, ibid. num.7. & 8. Sufficit tacita, ibid. Fit instantia, & respondetur eidem ib. num.9.

Ad ædificationem Ecclesiæ licentia præsumitur ex transcursu temporis: aliqui dicunt esse triginta, aut quadraginta annorum. ib. nu.12. Sed sufficit decennium, ib. n.13.

Ecclesiæ in ædificatione non est aliis præjudicium irrogandum, ib. n.14. Nec quæstus est quærendus, in quo olim Hispani defecerunt, ib. n.15.

ECCLESIA DE NOVO CONSTRUENDA.

Ecclesia, seu nova Parochia non erigitur, nisi ex gravibus causis, & necessariò recensendis, p 21. n.23. & seq.

Debet esse causa, cui aliter occurri non potest; si tamen populus non sit numerosus, non erigitur nova Parochia, sed ponuntur adjutores. ib n.25. Vel ponitur Oratorium publicum cum administratione Sacramentorum. ib.n.25.& seq.

Hæc Oratoria (vulgò *Ayudas de Parochia*) semper remanent in proprietate Ecclesiæ matricis, nec divisio fit decimarum, sed ponitur in eis Clericus cum salario, ib.n.27.

An quando in Parochia sunt Clerici adjutores, teneatur Parochus eos solvere? Affirmativè respondetur, ib.n.28.

Si Parochus non habet nisi decentem congruam, tenentur participes contribuere, ib. n.29.

Nova Ecclesia, seu Parochia est de novo ædificanda, quando per adjutores nequit sufficienter fieri administratio, p. 28. num.6 Recensetur causæ ad erigendam novam Parochiam, ib. num.2.

An quando Parochia est intra mœnia civitatis, & fores nocte clauduntur, sit nova Parochia erigenda? Affirmant aliqui, ib. num.3. Sed non admittuntur, sed occurritur huic incommodo per Oratorium, ib.n.4. & seq.

Nova Parochia an sit erigenda, si grandis fluvius extet medius inter utrosque Parochiano, p. 29. numer. 10. Arbitrio Episcopi relinquitur examinare hanc causam, ibid. num. 11. Episcopus tunc ex decreto Tridentini ut delegatus, p. 31. num. 24. & seq. Fit instantia, & respondetur eidem, ib. & seq. n.26.

Ad novam Parochiam erigendam potest Episcopus fructuum dismembrationem facere causa necessaria, & præcisa existente, ib. n. 8.

An ad hanc erectionem requiratur consensus populi? Affirmat Riccius, sed non admittitur, ib. n.29.

Si Ecclesia matrix sit subjecta Regularibus, an possit Episcopus intra limites illius aliam erigere Parochiam? Negandum videtur: sed affirmatur, p. 32. n. 30 Etiamsi Ecclesia sit Ordinum Militarium, ibid.

Ad novam Parochiam, seu Ecclesiam erigendam populus debet habere decem personas, p.33. num. 45. Et sunt citandi Rectores, Patroni, & alii interesse habentes. ibid. num.46. Et deferendus est honor matrici, ut explicatur, ib. n.48. Et ei relinquitur juspatronatus. p.34. n.49.

Si ad novam Parochiam nihil contulerit Matrix, an retineat juspatronatus? Prima sententia affirmat, ibid num 50. Secunda negat, ib. n.15. Tertia dicit, nullum jus remanere, nisi nova Parochia annexa relinquatur, ib.n.52. Hæc sententia est certa, ib. nu.53. Si est facta concordia, illa erit observanda, ib.n.54. Si aliquis privatus Ecclesiam novam dotaverit, erit compatronus cum matrice Ecclesia, ibid. n. 55. Si verè matrix omnia contulerit, remanet sola patrona, ib. n 56.

Si nihil contulerit, nisi Parochianos, & obventiones, erit patrona, ib. n.57. Aliàs secus, si obventiones non dederit, ibid. num.58. Fit instantia, & respondetur ei, p.35. n.59. Fit replica, ib. n.60.

Ad novam Parochiam erigendam de jure antiquo non sufficiebat consensus Episcopi: hodie secus, ex Tridentino, ibidem. num.61.

ECCLESIA REPARANDA.

Ecclesia reparare est opus piissimum, & comparatur ædificationi, p.46. n 1.

Si Ecclesia collapsa sit alicujus damno, ipse tenetur reficere, ib. n.2. Illustratur exemplis, ib. n.3.

an Ecclesia ab aliquo damnum passa habeat tacitam hypothecam in bonis noxam dantis? Negant aliqui, p.47. nu.4. Affirmant alteri, ibid. num. 6. Ut in restitutione malè ablatorum, ibid. num.6.

Ecclesia collapsa incuria Prælati, ipse tenetur ad reparationem, sicut & judex, p.48. n.16.

Ecclesia si temporum injuria sit collapsa, vel casu reparatione indigeat, priùs ex bonis Fabricæ est reparanda. ibidem numer. 17. Et sic debet à principio decenter dotari, ibid. num. 18.

ad Ecclesiæ reparationem tenentur Patroni. Sed quomodo te-

teneantur? Aliqui dicunt teneri ratione fructuum, quos ex Ecclesia percipiunt. p.49. n.20.
Quando Patronus Ecclesiam non dotavit, tenetur ad reparationem, etiamsi sine ea Episcopus consecraverit. ibidem num.21.
Si verò dotaverit, & dos deperdita fuerit, an dote insufficienti dotaverit, patronus tenetur contribuere: sed an ante participes, & Parochos? Affirmant aliqui. ibid. n.22. Sed simul cum aliis teneri convenire ad tributum certius est, nisi Patronus ad evictionem dotis teneatur, ibid. n.23. & seq. Patronus simul cum Clericis tenetur pro rata contribuere, ibid. num.25.
Ecclesia si libera sit, in primis est reficienda ex fructibus participum. ibid. n.26. Et pro rata, sicut in defalcatione legatorum, ib. n.27.
ad Ecclesias reparandas tenentur contribuere laici, quando fructus earum non sufficiunt, sicut ad cæteras operas publicas, p.59. num. 35. Isti debent esse Parochiani illius. ibid. num.36.
Ad hanc contributionem tenentur nobiles, & Clerici, etiamsi Beneficiis renuntient, aut protestentur nolle uti Ecclesia. ibid. n.37.
An hæc contributio facienda sit per capita, aut secundùm facultates? Dicendum videtur fieri debere per capita, ut in salariis Medicorum, p.51. num.39. Explicatur quæstio, ibidem num.40.
Ad reparationem Ecclesiæ habentes bona in territorio ejus, an sint collectandi? Prima sententia affirmat, ib. n.44. Secunda negat, ib. n.45.
Examinatur hæc difficultas de jure communi, & Regio, & exagitatur, an hæc contributio sit realis, vel personalis, aut patrimonialis, ib. num.46. & 47. asseritur esse patrimonialem, p.52. num.48. Et asseritur forenses collectas non debere, ib. num.49. Nisi à Principe id concedatur, vel per statutum Reipublicæ. Idem si forenses habitent ibi pro majori parte anni. ib. n.50.
De jure Regio affirmandum videtur. ib.n.51. Sed contrarium sustinetur, ib. n.52. & seq.
Forenses, peregrini, & transeuntes, non tenentur ad hanc contributionem, nisi imponatur in rebus comestilibus, aut in contractibus ib. celebratis. ib. n.54.
An ad Ecclesiam ædificandam forenses diù morantes teneantur? Negandum videtur, ib. n.55. Sed contrarium verius, ibidem num.56
si Ecclesia reparari potest ex bonis communibus, nequit venire ad collectas, p.53. n.57.
Si collectæ non sufficiant, Episcopus providebit. ib. n.58. Et ad an possit applicare fructus superstitis alterius Ecclesiæ, latè disquiritur, ib.n.59. & seq.
Ecclesia Cathedralis est reparanda ex suis bonis, quæ si non sufficiant, Episcopus quartam partem ex suis fructibus dabit p.54. num.65.
An Episcopus ultra quartam teneatur contribuere? Prima sententia negat, ibid. num. 66. Secunda dicit contribuere debere omnes fructus, congrua relicta, ibid. num. 67. Explicatur, ibid. num. 63. & seq. Tenetur Episcopus contribuere cum aliis Canonicis, ibid. num 69. Fit instantia, eique respondetur, ib. n.70.
Quando non sufficit fructus Episcopi, & Canonicorum, cæteri Clerici, & Parochiani contribuere tenentur, ibid. num.73.
Rex Hispaniæ non tenetur ad contributionem pro reparandis Ecclesiis Cathedralibus, sed tantùm ubi est verus Patronus, ut in Regno Granatensi, & Indiarum, ib.n.74.
In Ecclesiæ reparatione consuetudines contribuendi sunt observandæ, ib. n.75. Debent esse claræ, & debent ab allegante probari, ib. n.76
Quod dictum est de reparatione Ecclesiarum, extendendum est ad ornamenta, vasa sacra, luminaria, campanile, & alia necessaria, p.57. n.95.

EGESTAS.

Egestas quid significet in rigore Latino, & quid de jure, p. 225. num.6.

ELEEMOSYNA.

Eleemosyna graviter in sacris Litteris commendatur. p.208. n.1. & seq. Ejus fructus, p.209. n.3. Non tamen sola salvat, ibid. n.4. Refelluntur hæretici, ib. n.5.
Eleemosyna definitur, ib. n.7. Rejicitur illa definitio, & datur vera, ib. n.8. Dantes eleemosynam debent curare esse in gratia, ib. n.9. Sed non est cessandum ab eleemosyna, etiamsi peccatores dent. ib. n.10.
Eleemosyna est duplex, spiritualis, & temporalis: quæ dicatur spiritualis, & quæ temporalis, ib. n.11.
Eleemosyna juxta Tuschum debet esse voluntaria, sed refellitur ejus doctrina, ibid.n.12.
Eleemosyna in aliquibus casibus sub præceptum cadit, & qui ad eam possint compelli, & quibus mediis, ibid. num. 13. & seqq.
Eleemosyna est voluntaria, quando ex mera, & pia voluntate fit, p.210. num. 21. Et est donatio ob causam, ibid. num.22.
Eleemosyna ab oblatione distinguitur, ibid.n.23. Ratio Ancharani admittitur, & rejicitur ratio Tuschi, ibid. & seq. n.24.
Eleemosyna non definit talis esse, si publicè fiat, p.211. num.27. Sed debet fieri in occulto, ibid.n.28.
Alia differentia ponitur inter eleemosynam, & oblationem, ibid. num. 29. Requisita eleemosynæ recensentur, ibid. num.30.
Eleemosyna an licita sit, disceptatur, p.212 nu.11. Ubi hæretici reiiciuntur, asserens divitias licitas non esse Christianis, ibid.à n.4.
Eleemosynam dandi præceptum est divinum, & naturale, ibid. num. 11. Ad cujus explicationem considerantur tres necessitates, extrema, gravis, & communis, ibid. num.12. & seqq.
Periculum infamiæ an sit extrema necessitas? Aliqui negant, ibid. n.44. Alteri affirmant, ibid. num.15. Admittitur in Nobilibus, ibid n.16 & seq.
Tum fit alia consideratio, nempè tria esse bona eleemosynantium, necessaria ad naturam, necessaria ad statum, & bona superflua, p.213. n.19.
Aliqui dicunt, hoc præceptum eleemosynandi solùm obligare in extrema necessitate, ibid. num.20. Hoc præceptum obligat in extrema ad dandam eleemosynam ex superfluis, & idem in gravi, ibid.n.22.
Sed an obliget in communi ex superfluis? Aliqui affirmant, ibid. n.23. Alteri negant; utrumque probabile dicit Trullench. Sed meliùs distinguitur, ibid.n.35.
Aliqui dicunt non esse divitem habentem superflua respectu futuri eventus, & status; sed hodie fallit in extremis, & gravibus necessitatibus, ibid n.29.
Hodie quando tantæ sunt necessitates, superfluum respectu status præsentis est inspiciendum, ibid. n.30. Nec possunt divites monumenta erigere, nec Ecclesias, nec Capellas non necessarias, & similiter de Conventibus, ibid. n.31.
in Eleemosynam dare debeamus de necessariis ad statum indigentis? Prima sententia affirmat, p.214.num.32. Secunda negat. ibid. num. 33 Tertia distinguit, ibid. num.34. Explicatur, ibid.num.35.
Si persona est necessaria statui, vel Reipublicæ, etiam cum diminutione status est ei succurrendum, ibd.n.37.
an Eleemosynam dare teneamur de necessariis ad statum? Negant aliqui; alteri affirmant, ibid.num.38. Explicatur, ibid. n.39. In communibus non obligat præceptum eleemosynandi ex his bonis, ibid.n.40.
Ex necessariis ad naturam non obligat hoc præceptum, etiamsi alter extremè indigeat, ibid. num 41. Sed an tunc liceat alteri dare, quod mihi est necessarium ad vitam? Sunt duæ sententiæ contrariæ, sed neganti consentio cum D. Augustino. ibid. num.42.

ELEEMOSYNA A QUIBUS DARI POSSIT?

Eleemosyna est danda ab eo, qui habet dominium, & administrationem bonorum, p.265.n.1.
Eleemosynam nequit dare servus, nisi cum consensu domini, vel in bonis in quibus habet dominium, & administrationem, ibid n.2.
Religiosus nequit dare eleemosynam, nisi extremè indigenti; & tunc etiam reluctante Prælato, ibid. num.3. Potest etiam dare, si foris degat, aut Romam petat ex licentia Prælati, ibid nu.4.
Sed quid possint dare Religiosi in eleemosynam? Aliqui inquiunt posse dare quidquid alii seculares ejusdem professionis, p.266. num. 5. Sed meliùs dicendum quidquid alii Religiosi alteriùs Ordinis, & conditionis, ibid.n.6.
Prælatus Monasterii potest dare eleemosynas solitas, ibid. nu.7. Et Religiosus, si aliquid ei superfluat parcè vivendo, ibid.n.8. Sed aliqui id negant, ibid.num.9. Resolvitur cum distinctione, ibid.n.10.
An ex eo quod Religioso alimenta concedantur, possit eleemosynari ex residuo, parcè vivendo acquisito. Negat Layman, affirmat Sanchez, ibid. num.11. Defenditur Layman, ibid. num. 12. Quia usurarius nequit uti, nisi ad usus proprios, ibidem.
Eleemosynam potest dare Religiosus, si Pontifex propter benemerita aliquos redditus Monasterii ei assignaverit ad suos usus, seu parentum, ibid.n.14.

Sed

Sed an ex redditibus istis possit Capellaniam fundare? Affirmant aliqui. ibid. n. 15. Alteri negant. ibid. n. 16. Explicatur, & resolvitur. ibid. n. 17.
Eleemosynam nequit dare filiusfamilias de rebus patris, nisi ex consensu illius, vel quando eleemosynæ sunt tenues, vel ex bonis acquisit is parcè vivendo. p. 267. n. 22.
Eleemosynam dare nequit mulier uxorata, etiam ex bonis dotalibus, absque licentia viri. ibid. n. 23. Fallit in sex casibus recensitis. ibid n. 24. & seqq.
Eleemosynam dare nequit pupillus, nec prodigus, cui bona sunt interdicta. ib. n. 27. Tutores, & curatores possunt facere tenues eleemosynas, ib.
Administratores Reipublicæ possunt facere eleemosynas consuetas Hospitalibus, vel aliis piis locis, ib. n. 28.
Sed an ex bonis publicis possint dari prandia Clericis, & Sacristis longè pergentibus ad processiones? Prima sententia negat, ib. n. 29. Secunda affirmat. p. 268. num. 30. Resolvitur. ib. nu. 31.
An ad faciendas eleemosynas solitas dari Hospitalibus ex bonis publicis, sit necessaria Regis licentia? Negant aliqui. Alteri affirmant, ibid. n 32. Conciliantur, ib. n. 33.
An ex bonis publicis possint dari eleemosynæ Prædicatoribus, seu Confessariis? Negant aliqui, ib. n. 34. Resolvitur affirmativè. ib. à n. 36. ad 44
Eleemosynæ debentur ex publicis bonis ad solemnitatem Corporis Christi, & ad repræsentationes sacras ab honestis viris faciendas, p. 269. n. 45. Sed ad profanas nequaquam, quia sunt ablegandæ a Festis Corporis Domini, & aliorum Sanctorum. ib. n. 46.
Ex bonis publicis nequit aliquid dari ad tauros agitandos titulo eleemosynæ, ib. nu. 47.
Ex re illicitè acquisita quomodo dari possit eleemosyna. ib. n. 48. & seq. An dari possit ex pecunia ludo acquisita, discutitur. ib. nu. 50.
Eleemosyna an possit dari ex bonis ipso jure confiscatis? Prima sententia negat. p. 270. n. 51. Secunda affirmat, ib n. 52. Resolvitur, ibid. n. 53.
An commisso delicto Læsæ majestatis, statim dominium transeat ad Fiscum? Affirmant aliqui, sed contrarium sustinetur. ibid. n. 54. Unde ex his bonis potest dari eleemosyna. ib.

ELEEMOSYNA QUIBUS EST DANDA.

Eleemosyna omnibus est danda, ib. n. 1. secundùm ordinem charitatis, & quo ordine danda est, ib. n. 2.
In Eleemosyna defunctus præferendus est vivo, nisi extremè indigeat, p. 271. n. 3. Ubi etiam de aliis personis, ib.
Eleemosyna danda est infidelibus, & reiicitur Vvicleffus contrarium asserens, ib. n. 4. est danda hæreticis. ib. n. 5. Et excommunicato, ib. n. 6.
Eleemosyna an dari possit laborare valenti? Et dari debet Religiosis, contra eundem hæreticum, p. 320. num. 7. & seq.
Religiosi medicantes possunt petere eleemosynas ubi habent Conventus, & extra, demonstrata licentia suorum Superiorum, & nequeunt impediri sub excommunicationis pœna. Fratres Observantiæ possunt petere eleemosynas ubi adsunt Conventus, & extra, ex lege Regia, ib. & seq. n. 9.
Eleemosyna non est danda otiosis pauperibus laborare valentibus. ib. n. 10. Sunt enim relegandi, aut operibus publicis mancipandi, ib. n. 11.
Explicatur Chrysostomus, & exhortantur Prælati ad eleemosynas, ibid. n. 12.
Eleemosynam petere non possunt pauperes extra proprium oppidum, p. 272. n. 13.
An melius sit pauperes ponere in Hospitio, quàm sinere vagos mendicare? Aliqui dicunt vagos relinquendos. ibid. n. 16. Alteri negant. ibid. n. 17. Defenditur hæc sententia, ib. nu. 18. & seq.
An pauperes ficti teneantur restituere acceptas eleemosynas? Negant aliqui, ib. n. 20. Secunda sententia affirmat, ibid. n. 21. Tertia distinguit, ib. n. 22. Resolvitur, ib n. 23. Defenditur secunda sententia. ib n. 24. & seq.
Sed cui restitutio facienda sit? Referuntur variæ sententiæ. ib. n. 26. & seqq. Resolvitur. ib. n 27. & seqq.
Eleemosynam rectè recipiunt, qui licèt habeant congruam, de proximo necessitatem timent, p 273. n. 28. Item qui habent filias nubiles, & non habent unde dotent eas, ibid. n. 29.
Et extende ad filios habentes parentes, pauperes, sorores, vel fratres, quibus alimenta præstare tenentur. ib. n. 30.
Eleemosyna est danda peregrinis, sed non debent vagari. ibid. num. 31.
Eleemosyna danda est pauperibus forensibus, ex causa tamen possunt à civitate expelli. ibid. n. 32.

EMPTIO.

Empta re ex pecunia Ecclesiæ, an statim fiat illius? Affirmant aliqui, p. 337. num. 35. Explicantur. ib. n. 36. Resolvitur ib. num. 37.
Emptio ex aliena pecunia facit rem propriam, nisi nomine alieno ematur, ib. n. 38.
Emptiones facta cum pecunia minoris, res empta, sit emptoris, non minoris, nisi ad emptionem, adsint consensus illius, ib.

EPISCOPUS.

Episcopus an possit propria authoritate erigere Ecclesiam Collegiatam. Prima sententia affirmat, p. 13. n. 33. Secunda negat. ibid. num. 34. Recipitur hæc secunda sententia, ibid. numer. 39.
Episcopus nequit creare Canonicos, nisi ex augmento, aut diminutione reddituum, ib. n. 40.
Episcopus nequit creare Collegium, solus Papa erigit Collegiatam. ib. n. 41.
Episcopus quando ut delegatus, aut Ordinarius procedat ex Tridentini, p. 31. n. 29.
Episcopus an ad reparandam, vel ædificandam Ecclesiam pauperem, possit applicare fructus alterius divitis? Prima sententia negat. p. 53 n. 59. Secunda affirmat. ib. n. 60. Explicatur difficultas. ib n. 61.
Episcopus potest procedere contra exempto pro reparatione Ecclesiæ. p. 56. n. 93.
Episcopi habent privilegium celebrandi in altari portatili, ut quotidie Missam audiant. p. 92. n. 2. Est difficultas, in quo consistat. ib. n. 3. Explicatur latè, ib. n. 4.
An hoc privilegium Episcoporum sit sublatum à Tridentino, aut per constitutionem Pauli V. Affirmandum videtur, ibid. n. 7. Sed contrarium communius est, ib. n. 8. Et idem ex constitutione Pauli V. ib. n. 9.
Episcopi post concilium possunt taxare stipendia Missarum. p. 99. num. 15.
Episcopus nequit se intromittere in Ecclesiis propriè Regularium, sed potest visitare Ecclesias unitas Monasteriis, p. 131. num. 47.
Episcopus defunctus ex fructibus Episcopatus sepelitur: si pauper sit, à Capitulo sepeliendus est, p. 152. n. 77.
Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ in suis Cathedralibus sepeliuntur; si absentes moriantur, ad eas transferuntur, si commodè fieri valet, p. 183. n 64. Coadjutores Episcopi similiter sepeliuntur. ib.
Episcopus si extra Episcopatum moriatur, & sit tibi Cathedralis, potest ibidem sepeliri, aut in sepulchro majorum, ib. Sed semper curandum, ut ad propriam Ecclesiam asportetur. ib. n 65. Si in partibus decedat, ubi est Collegiata, ibi sepeliendus, aliàs in Parochia. ibi. n. 66.
Episcopus si habuerit duas Ecclesias Cathedrales, prima sententia asserit sepeliendum in Ecclesia ubi degit, ib. n. 67. Secunda dicit sepeliendum in principaliori, si unitæ sint. ib. n 68. Resolvitur, ib. n 69.
Quando unus Episcopatus est unitus cum altero æquè principaliter, est dubium. Aliqui dicunt sepeliendum in Ecclesia Primate, alteri in antiquiori: alii dicunt recurrendum ad conjecturas, de quibus ibi. ib. n. 70.
In hoc dubio standum consuetudini, aut conjecturis: si nulla est consuetudo, aut conjectura, & æqualiter in una, ac in altera Ecclesia degebat, & frequentabat, tumulandus ubi decessit. Si verò degebat in confinio, alternandum: si nova sit unio, est danda præventio inter Cathedrale, ibidem numer. 71.
Episcopus potest eligere sepulturam extra Cathedralem, p. 190. num. 27.
Episcopis an consultius sit declinare ad austeritatem? Prima sententia affirmat, & comprobat, p. 295. n. 9. Secunda negat convenientius esse, p. 296 n. 15.
Episcopus vestimentis fulgidis uti debet, & potest tria, aut quatuor fercula quotidie sumere, & in solemnioribus diebus, sex, aut septem. Tum domum, & ornatam familiam habere, ib. n. 16.
Hæretici asserunt Episcopos, seu Sacerdotes habere bona aliqua non posse, ibid. num. 17. Sed refelluntur, ibid. num. 18. & seqq.
Sacerdotes veteris Testamenti decimas habuere, urbes, & suburbana ad pecora pascenda, & Christus Dominus habuit aliquas pecunias ad alendos suos discipulos. ibid. Nec Christus Dominus interdixit Ecclesiam, & Ecclesiasticos bona habere, p. 297. n. 20.
Episcopus non est obligatus declinare ad nimiam austeritatem ibid. n. 21. & 22. Explicatur, ibid. n. 23. & 24. Est verò casus, ubi Prælatus ad id teneatur. ib. num. 25. Et quid hodie ib. n. 26.

Episcopus an ex eo, quod tanta subsidia persolvat, & pensiones, prout in Hispania gravantur, teneatur ad eleemosynandum. Aliqui negant. p.299. num. 27. Sed contrarium asseritur. ib. n.28.
Episcopus quando habet amplum patrimonium, sed Episcopatus, fructus tenues, an teneatur ad eleemosynandum? Affirmavit Turrianus. ibid. n.29 Explicatur. ibid. n. 30.
Episcopus non solùm secularis, sed etiam Regularis ex superfluis tenetur ad eleemosynandum, ibid n.31.
Episcopus Regularis an si expendat superfluum in profanos usus, teneatur ad restitutionem? affirmant aliqui. ibid.n.31. Alteri negant. ibid. n. 32.
Ad resolutionem disceptatur, an Regularis factus Episcopus liberetur à voto paupertatis: negarunt plurimi. ibid. num.33. Sed contrarium defenditur. ibid. num. 36. & seq. Resolvitur p.299. n.38. & seq.
Episcopum Regularem ab omnibus votis liberari dicunt plures, ibid. num. 41. Sed contrarium probetur. ibid. n.42. & seqq. Est tamen difficultas de voto paupertatis, in quo sunt contrarii Doctores, verùm difficultas consistit in modo, prout ibi explicatur. ibid. num. 43. Et tandem resolvitur, p. 300. num. 46.
Episcopus Regularis,qui renunciavit legitimæ ante professionem eam repetere potest. ib. n.47.
Episcopi habentes feuda à dominis secularibus, sunt domini utiles. p. 309. n.3. Si simpliciter eis bona donentur, sunt proprii Domini, sed jurisdictio est secularis, p.310. n.5.
Episcopus an teneatur habere Vicarium Aliqui affirmat, & alteri negant. p. 372. num. 43. Resolvitur. p. 373. num. 44 & 45.
Episcopus olim non fiebat, qui habebat filios; secus hodie. ib. num. 49.

EQUITES.

Equites Militares, & Commendatarii, an ex superfluis teneantur ad eleemosynandum? Prima sententia negat. p. 293. n.31; Secunda affirmat. ibid. n. 32.
Resolvitur, & disquiritur, an Equites isti sint Religiosi? Aliqui distinguunt Equites S. Joannis ab aliis Militaribus, & inquiunt S. Joannis Equites esse verè Religiosos, & teneri ad eleemosynandum. ibid. num. 33.
Alios verò Equites Militares Religiosos ad id teneri negant. p. 294. n.34. Alteri affirmant. ibid. n. 35.
Equites isti in meliori sententia non tenentur eleemosynare de bonis patrimonialibus, sed possunt de eis liberè disponere. ib. num.36. Fit replica, & respondetur ei. ibid.n.37.In fructibus Commendatarum contra aliquos asseritur teneri ad eleemosynas ex superfluis. ib. n.38.
Equites Militares an graviter peccent superfluum ex Commendis in profanos usus expendentes, negavit Bonacina peccare, nisi venialiter. ibid. n. 39. Sed contrarium sustinetur, ibid. n. 40. Nisi excusentur ob parvitatem materiæ, & quomodo materia ista intelligatur. ib. n.41. & 42.

EXEQUUTIO.

Exequutio relicta congrua Beneficiato, fit in aliis bonis sequestratis. p.306. num.50. Si vero habuerit bona patrimonialia, ob sua debita priùs fit exequutio in bonis patrimonialibus. ib. num. 53.
Exequutio nequit fieri in congrua Beneficiati, nec in aliis ad utilitatem publicam concernentibus, ut in salariis Judicum, bobus aratoriis, & in aliis instrumentis rustici laboris, nec in libris Doctorum. ibid. n. 56.

EXEQUUTORES TESTAMENTORUM.

Exequutores testamentorum frequenter nominantur à testatoribus qui acceptantes compelluntur adimplere. p. 145. n. 15.
Exequutores testamentorum an possint compelli à judice, ut acceptent? Prima sententia asserit in foro exteriori compelli non posse, sed in foro conscientiæ peccare, si non acceptent, sicut qui renuit acceptare arbitrium. ib. n.17.
Secunda sententia docet, non omnes exequutores nominatos à testatore compelli posse ad acceptandum, sed parentes, seu consanguineos. n.18.
Tertia sententia absolutè asserit, exequutores quoslibet non esse compellendos ad acceptandam, aut si acceptaverint, compellendos esse ad adimplendum, sicut si fuissent tutores bonis dati. ib nu.19.
Exequutor quatenus est ad profana adimplenda, non potest compelli, nec si non acceptat, peccat, nisi graviter proximus læderetur. ibid. n.20. Quod extenditur ad exequutores consanguineos. ibid. n.21. Ad educationem pupilli poterit is compelli, quem judex existimaverit. ib.
Exequutore dato ad exequenda pia, aliqui dicunt compelli posse illum ad acceptandum. ibid. n. 22. Sed contrarium sustinetur. p. 149. num. 23. Excipitur nisi magna causa, & necessitas sit, quæ ab alio expediri non possit. In hoc casu si exequutor fuerit secularis, compellitur à Judice laico; si Ecclesiasticus, ab Ecclesiastico, si tamen causa sit manifesta. ibid. num.24.
Exequutor Religiosus potest à Prælato compelli absque causa. ibid. n.25.
Exequutores possunt compelli ad adimplendum, si expressè, aut tacitè acceptaverint, & quid sit expressè, aut tacitè acceptare. ib. n.26. Qui sint casus inducentes tacitam acceptationem. ibid. n.27.
Exequutor si fuerit præsens, quando nominatur à testatore, & non contradicit, an acceptare videatur? Affirmat Peralta,sed contrarium tenet alteri exemplo compromissi: limitat quando fuerit consanguineus. ibid.n. 28.
Distinguitur, & asseritur esse compellendum quoad funus, & alia pia. ibid. num. 29. Fit instantia, & respondetur ei. ib. num 30.
Exequutoris officium licèt fuerit individuum, favore animæ fit dividuum. ibid. n.31. & seq.
Exequutores si non fuerint nominati, expensas funeris debent hæredes erogare, qui pro rata tenentur. ib.

EXPENSÆ.

Expensæ ultimæ infirmitatis fruuntur privilegio funeralium. p. 149. n.56.
Expensas grave cujuscumque infirmitatis mulieris repetit maritus, si gravis fuerit, etiamsi non ultima: est verò distinctio, ut ultima fruatur privilegio funeralium. ib. n.57. & seq.

EXEQUIÆ.

Exequiæ defunctorum, die tertio, septimo, & trigesimo fiebant olim in Ecclesia. p. 108 num. 15. Et illustratur mos iste per varias significatione. ibid. num. 16. & seq. Refertur D. Augustinus. ibid. num.18. Explicantur. ibid. num. 19. Admittitur novumdiale absque aliqua permixta superstitione. ibidem.
Exequiarum dies trigesimus,& quadragesimus in aliquibus Ecclesiis observatur,& aliquando sexagesimus, & centesimus. ibid. n. 20. & 21.
Exequiæ olim magnis lamentis celebrantur, & ad id ploratrices conducebantur: sed hoc rectè abolitum. ibidem numer.22.
in Exequiis non interdicitur mœror, aut tristitia, sed nimius planctus. ib. n.23. Fit instantia. ibid. n. 25. Respondetur ei. ibid n.25. Explicatur dolor Beatæ Mariæ Verginis in morte Christi Domini.p.109.n.26.Magni planctus fieri possunt in morte eximii viri. ib. n.27.

F

FACULTAS, SEU LICENTIA.

FAcultas, seu licentia Superioris requiritur ad ædificandam Ecclesiam, & in locis exempt is requiritur licentia Pontificis, in aliis Ordinarii. p.13. n.27.
An licentia ista petenda sit à Principibus secularibus? Prima sententia affirmat. ibid. n.28. Secunda negat. ibid. n.29. Explicatur. ib n.30.
Facultatem, seu licentiam hanc si præstare renuerit Ordinarius absque causa, ad superiorem recurritur. ibid. n.31.
Facultas, seu licentia Pontificis est necessaria ad construendam Cathedralem, vel quando dismembratur. ibid. n.32.
Licentia ad ædificandam Ecclesiam, seu Monasterium potest concedi à Capitulo, sede vacante. p.18.n.1.
Sed an sit necessaria licentia Principis secularis. ibid. num.2.& seq.

FAMILIA, ET FAMILIARES.

Vide verbum *Oratorium*.

FILIUS.

Filius si concipiatur eo tempore, quo possit esse primi, & secundi mariti, præsumitur de secundo, pro quo stat possessio. p.111.n.43.
Filius an possit disponere in Hispania ultra tertiam partem bonorum pro anima, in præjudicium ascendentium? Ponitur ratio dubitandi, p.158. n.9. Negatur. ibid. n.10.
Filius habens creditores nequit consentire, ut pater de sua legitima disponat, nec qui habet successores legitimos potest aliquid disponere ad eorum præjudicium, p.159. n.17.
Filii legitimi sepeliuntur in sepultura patris. Et similiter naturales, si patres non sint constituti in dignitate. Spurii non sunt sepeliendi cum patribus, nisi fuerint legitimati; nec sepeliuntur cum majoribus, nisi fuerint illustres. Legitimati in sepulchro majorum sepeliuntur. p. 182. n. 56.
Filius exhæredatus, non electa sepultura, sepelitur in sepul-

chro patris; extenditur ad filium repudiantem patris hæreditatem, nisi sepulchrum sit hæreditarium. ibid. num. 57.
Filius non sepelitur in sepultura patris, si pater criminis læsæ majestatis fuerit damnatus. ibid. n. 58.
Filius impubes eligens sepulturam, si pubes non ratificat, sepelitur in sepultura patris: vulgò quæsitus sepelitur in sepultura matris, si non sit illustris. ibid. n. 59.
Filius adoptivus, seu adrogatus, si vivo patre adoptante decedat, sepelitur in ejus sepulchro, secus eo defuncto. ibid. n. 60.
Filiusfamilias si moriatur non electa sepultura, an patet pro illo possit eligere, affirmandum videtur, sed contrarium defenditur, nisi adsit consuetudo. p. 192. n. 49.
Filius si impubes fuerit, an possit pater pro eo eligere sepulturam? Prima sententia affirmat. ibid. num. 51. Secunda dici pose eligere, vivente filio impubere, secus eo defuncto. ibid. n. 52. Tertia negat, nisi adsit consuetudo. ibid. n. 53. Adnotatur Molina. ibid. n. 54. Si adsit consuetudo, admittitur, quam adesse firmat Villalobos, sed negatur. ibid. n. 55.
Filii impuberis sepulturam pater potest eligere per substitutionem pupillarem. ibid. n. 56. Fit instantia, & respondetur. ibid. num. 57. Aliàs non potest eligere. p. 193. num. 58. Nisi adsit consuetudo, & extenditur ad filium emancipatum adoptivum, & secundùm aliquos ad naturales, & sparios. ibid numer. 60.
An hæc consuetudo extendi possit ad matrem? Prima sententia negat. ibid n. 61. Secunda affirmat. ibid. num. 62. In hoc dubio contemplanda est consuetudo, sitne uniformis, & legitimè præscripta per quadraginta annos, & prospiciendum ad quod se extendat. ibid. nu. 63. Si electio fiat in Parochia propria, facilè admittenda; secus si in aliena. ibid. num. 64.
Fit instantia, & respondetur. ibid. n. 65. Non extenditur hæc consuetudo ad avos, vel proavos. ibid. n. 66.
Filiusfamilias si habet bona castrensia, potest de eis donare causa mortis. p. 331. nu. 10. Et idem si habeat bona à patre independentia. ibid.
Filiusfamilius de jure communi potest donare causa mortis, ex consensu patris. ibid. n. 12.
Filius spurius non est incapax petendi bonorum possessionem secundùm tabulas, quando est institutus sub conditione, si à patre legitimetur. p. 356. n. 55.

FISCUS.

Fiscus capit bona illius, qui desperatè se interfecerit, nisi aliquo modo excusetur. p. 198. num. 26. & seqq. Explicatur quomodo id intelligendum de jure communi, & de jure Regio. p. 190. num. 29. & seq. In Castella excipitur, si desperatus habuerit descendentes. Sed an in hoc casu, sicut de jure communi, affirmant plures. ibid. num. 31. Alteri intelligunt, quando desperatè se interficiat quoquo modo. ibid. n. 32. Admittuntur. ib. n. 33.
Fisco incumbit probare desperatè defunctum se interfecisse. ib. num. 34.
Fiscus an capiat bona, quando ex intervallo moritur, qui se laqueo suspendit, aut lethaliter vulneravit? Affirmandum videtur, sed contrarium probabilius asseritur. ibid. n. 35.
contra Fiscum in dubio calculus est ferendus. p. 356. n. 59.
Fisco applicatur hæreditas, quando hæres institutus fidem accommodaverit de ea restituenda spurio. p. 351. n. 5. Si hæres institutus est Ecclesiasticus, applicatur Fisco Ecclesiastico; si secularis, seculari, ibid. n. 6.
Fisco esse hæreditatem restituendam, quando hæres fidem accommodaverit in foro conscientiæ, aliqui dicunt. p. 353. num. 26. Sed applicari debere hæredibus ab intestato certius est. ibid. num. 28. & seqq.
Fiscus debet probare tacitum fideicommissum, & quibus modis probetur. p. 354. & seq. n. 40.
Si hæres interrogetur de tacito fideicommisso, an teneatur respondere? Affirmant aliqui. p. 355. num. 41. Sed explicantur. ibid. n. 42.
Sed an sufficiat probare per præsumptiones? Prima sententia affirmat. ibid. n. 43. Secunda dicit manifestissimis probationibus esse probandum. ibid. n. 44. Explicatur. ibid. n. 45.
Referuntur præsumptiones ad probandum tacitum fideicommissum. ibid. n. 49. Ex sola probatione taciti fideicommissi per conjecturas hæreditas non applicatur Fisco. ibid n. 48 & seq.

FRAUS.

Fraus, vel dolus nunquam præsumitur, etiam in foro conscientiæ. p. 357. n. 61.

FRUCTUS.

Fructus Canonicorum sunt obligati ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis. p. 54. n. 69.
Fructus in reparatione Ecclesiarum sunt æqualiter obligati, & ita pro rata contribuere tenentur. ib. n. 71. & seq.

G

GABELLA.

Gabella alia est personalis, alia realis, & altera patrimonialis. p. 51. num. 40.
Gabellam solvere pro asportando defuncto usitatum fuit usque ad tempus Valentini, & Theodosii, & à Christianis etiam persoluta est. p. 139. n. 41.
Gabella an hodie debeatur in pontibus pro corpore transferendo, & an Parochis locorum per quæ transit? Negant communiter Doctores. ibid. n. 41. & seq.
Explicatur hæc doctrina, & admittitur, nisi quando esset aliquod statutum municipale, aut pia consuetudo dandi aliquid Parochis. ibid. n. 43.
Gabella aliqua in Castella non persolvitur, nec valet percipi causa deportationis defuncti. ibid. n. 44. Idem dicendum de Parochis, nisi vocantur ad associationem. ibid. n. 45.
Gabella an debeatur, quando à laico venditur jus sepulchri? Prima sententia negat. ibid. & seq. num. 47. Secunda affirmat. p. 140. num. 48. Admittitur prima sententia, & defenditur. ibid. n. 49.
Gabella debetur de usu, & commoditate proveniente à re sacra. ibidem.
Gabella non debetur ex ornamentis, & vestibus ad cultum divinum, etiam quando non sunt sacrata. ibid.
in Gabellis licitatione facta plus offerentes non esse admittendos aliqui dicunt, sed explicantur. ibid. n. 50.
Gabella non debetur ex venditione bonorum spolii Episcopi. ib. num. 51.

GRATIA.

Gratia facta non expirat morte mandantis. p. 344. n. 39. Nec ad id est necessarium, ut vivo concedente illa utatur. ib.
Limitatur regula illa, si gratia concedatur per hæc verba: *Ad vitam meam*; vel, *Ad meam voluntatem*. ib. n 40.
Gratia dimissoriarum ad Ordines non extinguitur morte concedentis, sicut nec licentia audiendi confessiones. ib. n. 40.

GRAVAMEN

Gravamen potest imponi in legitima, si filius consentit, etiamsi juramentum non intercedat. p. 159. n. 13.
Gravamen impositum in legitima, tollitur, & in reliquo sustinetur: & idem in legatis. p. 160. n. 26.

H

HÆREDES.

Hæredes facere extraneos, quando consanguinei sunt in extrema, aut gravi necessitate, est grave peccatum p. 22. num. 38.
in Hæredes transeunt debita, & damna data testatoris. p. 47 n. 8.
Hæres pendente conditione potest petere bonorum possessionem secundùm tabulas p. 336. n 53.

HÆRETICI.

Hæretici dicunt divitias non esse licitas Christianis. p. 211. n. 1. Sed refelluntur. ibid. n. 2. & seqq.
Hæretici negant Ecclesias, & Ecclesiasticos posse habere bona temporalia. p. 296. numer. 17. Sed reiiciuntur. ibidem. num. 18.

HYPOTHECA.

Hypotheca tacita non contrahitur nisi in casibus à jure expressis, nec contrahitur ab usurario. p. 47. & seq. num. 4. & seq.
Hypotheca tacita quibus modis contrahitur. ibid. n. 10.
Hypotheca contrahitur ex sola administratione tutoris, vel curatoris. ibid. n. 12.
Hypotheca tacita de Iure Canonico an contrahatur ex damno dato? Aliqui affirmant, sed contrarium defenditur. p. 46. num. 14.
Hypothecam tacitam contrahunt Syndici S. Francisci. ib. n. 15.
in Hypothecis, qui prior est tempore, potios est jure. p. 232. n. 17.
Hypotheca tacita an sit res empta ex pecunia mutuata? Affirmant aliqui, & alteri negant. p. 370. n. 22. Sed affirmatur, quando mutuatur ad causam publicam. ibid.

HOSPITALITAS.

Hospitalitas omnibus Ecclesiasticis est maximè commendata, & à Monachis magnoperè observata. p. 303. n. 20. Ubi modus recipiendi peregrinos extenditur. ib. usque ad n 22.
Ast hodie nisi in quibusdam cœnobiis hospitalitas non adservatur, ubi pauperes excipiunt: non tamen ad hospitalitatem possunt admitti in fide suspecti. ib. nu. 23. Et dicitur quomodo sint tractandi. ib.

I

IMAGO.

IMaginibus ornantur Altaria, quare licitus est earum usus, & adoratio. p.76. num. 19. Ut est decretum in aliquibus Conciliis. ibid. num.20. Plurimis rationibus corroboratur. ibid.n. 21. & seq.
Imagines reiiciunt hæretici, & expendunt ad id aliqua testimonia Scripturæ,& Concilia. ibid. nu.23. Et Caroli Magni libros ibid.n.24. Et rationes adducunt. ibid. n. 25.
Imaginum usus rectissimè Fidelibus concessus, quia in veteri Testamento observabatur. p.77.n.26. Imagines tribus modis rectè adorantur.ibid n.28. Duo modi adorandi explicantur.ibid.n. 29. Et tertius adducitur. ibid.n.30.
Differentia harum adorationum. ibid. n.31. Et similiter inter tertium modum, & alios duos. ibid.n.32. Fit instantia, & ei respondetur. ibid. num.33. Iterum refelluntur hæretici. ibid. num.34.
Imagines in lege Gratiæ statim adoratæ, & adhuc Christo Domino vivente fuerunt illius tres imagines, altera eo jam defuncto ibid.à n.35.ad 58.
Imagines S.Mariæ fuerunt à primo usu Ecclesiæ, quas fecit Beatus Lucas.p.78.n.39. D.Petrus ad Hispaniam attulit imagines, & inter eas insignem S.Mariæ de Atocha.ibid.num.40. Apostoli decrevere adorationem imaginum,ibid.n.41.
Imaginum usus in Ecclesia antiquissimus. ibid. num. 42. Fit instantia ex duobus eventibus Sereni, & Epiphanii. ibid. num. 43. Respondetur, & explicatur. ibid. numer. 44. & seqq.
Arguitur ex Concilio Illiberitano, & dantur varia interpretamenta. ibid. num. 46. Refertur P. Quiros. ibid. num. 47. Explicatur. p.79. n.48.
Resolvitur errare hæreticos, dantur primi authores hujus hæresis. ibid. num.51. Respondetur eorum argutiis, & explicantur testimonia Scripturæ. ibid. num. 52. Et Concilia ab eis adducta. Durantius probat libros Caroli Magni non esse suos. ibid.n.53.& seq.
Imagines frangere gravissimum peccatum est. Delinquentes arbitrio Judicis puniuntur. Iudices competentes sunt Ecclesiastici, & sæculares, & etiam Inquisitores Fidei. ibid. & seq.n.55.

IMPENSA FUNERIS.

Impensa funeris est quidquid in illatione mortui expenditur, & id singulariter explicatur. p. 134. num. 1. Lectica deserviebat ad nobilium funus, Sandapila ac plebejorum funera. ibid.n.2.
Impensa funeris refertur à Consultis. Vestis vulgò dicta *Mortaxa* nequit fieri ex sacris paramentis, nisi defunctus Episcopus fuerit, aut Clericus, nec cadaveribus vestes pretiosæ sunt concedendæ. ibid.n.3.
Si quis ad capiendas vestes pretiosas sepulturam violaverit, in pœnam sepulchri violati non incidit, sicut nec ad capiendas pecunias, secus si vestes non sint pretiosæ. ibid. numer.4.
Impensa funeris est, quando corpus in aliquo loco commendatur, ut alibi transferatur.p.135.n.5.
Impensa funeris est constructio sepulchri, quod olim ex marmore fieri ditioribus concedebatur.ibid.n.6.
Impensa funeris an sint vestes lugubres?Prima sententia affirmat. ibid.n.7.Secunda negat. ibid.n.8. Tertia asserit standum consuetudini.ibid.n.9.
Amplectitur tertia sententia, & explicatur. ibid.n.10. An in Castella ex quinto sint vestes lugubres deducendæ? Affirmant aliqui. ibid.Alteri negant.ibid.n.11.
Quando plura bona sunt in quinto, ex eo vestes lugubres sunt deducendæ. ibid. n.12.Secus si pauca, & suffragia minuerentur,ibid.n.13.& seq.
In casibus quibus vestes lugubres extrahuntur, sunt tantùm uxoris, & famulorum, non verò aliorum hæredum, aut consanguineorum.p.136.n.15.
Reiicitur doctrina Telli, & explicantur Gregorius, & Azevedus. ibid.n.16.
Impensa funeris an sint panni nigri, qui in funeribus nobilium reponuntur? Affirmat Spino, ibid. n. 17. Sed contrarium defenditur. ibid.n.18.
An panni isti nigri, hastilia, & alia necessaria ad funera tantùm uni concedi potuerunt, ut locarentur (vulgò *Estancos*) negarunt plures, & affirmarunt esse contra libertatem Ecclesiasticam,quia impedit ut Ecclesiæ illa locent.ibid.n.19.
Sed contrarium defendit Aravio.ibid.n.20.
Stanci isti sunt contra causam publicam, per se loquendo.p.137.n. 25.Requisita ad hos stancos referuntur. ibid.n.26.& seq.
Difficillimum est, stancum istum ad praxim adducere, quia repugnat causæ publicæ, & libertati singulorum. ibid. num.28.
Licitum est locare pannos nigros, & hastilia ad funera. ibid. num.30. Datur responsum fundamentis Aravio. p. 138. num.39.
Impensa funeris est, quod expenditur ad translationem cadaveris insepulti; quod idem dicendum pro depositione cadaveris. p.140. num.49. Si testator jusserit, ut corpus suum transferatur de uno ad alium locum, quilibet hæres tenetur, & postea ab aliis pro rata repetet.ibid.
Impensa funeris an sit, quando corpus jam sepultum alibi transfertur? Respondetur negativè. Et quid si testator jusserit ut post aliquod tempus transferatur ad aliam sepulturam? Aliqui dicunt non esse adimplendum, ibid.nu.51. Affirmarunt alteri. ibid. num 52. Utraque sententia negatur. ibid. nu. 53. Et affirmatur esse funeris impensam.ibid.n.54.
Impensa funeris est quidquid datur Fabricæ Ecclesiæ, & pro corpore custodiendo olim concedebatur.ibid.n.55.
Impensa funeris est quidquid impenditur in corpore ungendo; & quid ab antiquis observatum fuerit in ungendis corporibus, tam vivis, quàm defunctis, & qui essent pollinctores. ibid. num.56.
Antiquorum Christianorum corpora non ungebantur. Apud Hebræos defuncti ungebantur. p. 141. num. 57. Quem morem insequuti sunt Christiani ob varias significationes. ibid. nu.58.
In Regibus, & illustrioribus personis defuncti s hodie unctio admittitur, & in his est impensa funeris. ibid. numer. 59. & seq.
Impensa funeris Novitii repetitur à Monasterio ex bonis illius. p.144. num.10. Nec Parochus in funere Novitii quartam percipiet. Idem dicendum si recreationis causa in domo alicujus consanguinei decedat. Intellige, nisi sit pauper. ibid. n.11.
Impensa funeris solùm repetitur decens, & modica secundùm qualitatem personæ, & potiùs est moderanda, quàm amplianda.p.145.n.12.
Impensæ funeris immodicæ præceptæ à testatore moderantur. Si tamen ita modicæ sint, ut sint minimæ, sine Clericis, & cantu voluntas illius non est adimplenda, sed ad rectam rationem erunt redigendæ. ibid.n.13.
ad Impensam hanc tenentur hæredes. ibid.n.14.
Impensam funeris an teneantur solvere consanguinei, si defunctus est pauper, quibus incumbit alimenta præbere? Ponitur ratio dubitandi, sed affirmativè respondetur. p.151. n 66. In alimentis etiam includuntur funeris impensæ. Fit instantia, & respondetur ei. ibid.n.67.
Impensa funeris ante omnia ex hæreditate deducenda, & si caduca sit, ante omne debitum. p.153. nu.83. Quod intellige de necessaria. ibid.
Impensa funeris habet tacitam hypothecam,& præfertur aliiscreditis tacitam habentibus: dubitatur an doti præferatur. Ponitur ratio dubitandi, ibid.num. 84. Sed respondetur affirmativè. ibid.n.85.
Impensa funeris an præferatur creditoribus habentibusexpressam hypothecam? Prima sententia negat. De Jure Castellæ impensa ista deducitur de quinto.ibid.n.86.
Secunda affirmat, quia præfertur omnibus creditis. p. 154. numer.87.
Quæstio intelligitur de impensa funeris necessaria, & quæ sit ista explicatur, & extenditur ad expensas ultimæ infirmitatis ibid.n.88.Admittitur secunda sententia. ibid.n.89.
Mutuans pecuniam ad funus peragendum, præfertur aliis creditoribus habentibus expressam hypothecam. ibid. numer.90.
an Impensa ista præferatur deponenti, distinctione respondetur. ibid.n.91.
Impensa funeris an de jure nostro Regio præferatur aliis creditoribus? Negavit Mathienzo. ibid.p.92. Sed admittitur tantùm quando hæreditas est solvenda,ibid.n.93.

INSTITUTIO.

Institutio cui imposita est conditio, seu modus contra legem, relinquitur pura, rejecta conditione, seu modo. p. 354.n.37.
In foro tamen conscientiæ non reiiciuntur, si constet sic fuisse voluntatem testatoris.ibid.n.38.

INTERPRETATIO.

Interpretatio ſemper fit pro valore actus, p.332. n.23.

INTESTATUS.

Inteſtatus ſi defunctus moriatur, & non habet hæredes, iudex ex officio vendit bona defuncti, priùs mobilia, & poſteà immobilia ad funus peragendum, & alia opera pia pro anima. p.163. num.55. Si verò hæredes fuerint, ad eos pertinet id agere, & in Caſtella quintum expendunt ſecundùm qualitatem perſonæ, p.184. n.56.

In aliquibus ditionibus conſuetudo eſt, etiamſi adſint hæredes, ut Iudex ſe intromittat, ſeu Parochus, aut Vicario Foraneus ad hanc animæ diſpoſitionem, uſque ad mediocrem quantitatem. In Caſtella conſuetudo eſt, ut Judex diſponat de quinto, & defenditur. ibid. num.57.

An hæc conſuetudo debeat eſſe immemorialis? Affirmandum videtur. ibid. num. 58. Sufficit verò ordinaria præſcriptio. ibid. n.59. Defenditur. ibid. n. 60.

Sed quis ſit judex competens ad faciendas hac diſpoſitiones pias inteſtati, videtur aſſerendum dari prævention em inter Eccleſiaſticum,& ſecularem. ibid. n.61. Sed contrarium defenditur. ibid. & ſeq. à n.72.

Eccleſia concedit facultatem teſtatoribus,ut ad bonum ſuę animę diſponant circa ſpiritualia: quod non concedit judicibus ſecularibus. p.165. n.69.

Inteſtato aliquo defuncto, diſponit judex de neceſſariis ad funus, & alia ſpiritualia, obſervatis quibuſdam circumſtantiis,de quibus agitur. p.166. n.70. & ſeq.

Inteſtato aliquo decedente in Caſtella, an totum quintum ſit expendendum pro anima defuncti? Prima ſententia negat, ſed tantùm eſſe expendendum ſecundùm qualitatem perſonæ. ibid. n. 82. Secunda ſententia diſtinguit: quando inteſtatus relinquit neceſſarios hæredes, nunc totum quintum non eſt erogandum, ſecus ſi collaterales. ibid. n.73.

Admittitur hæc ſententia, quando ſunt hæredes collaterales, ſi verò fuerint neceſſarii, arbitrio judicis relinquitur. ibid. num. 74.

Si teſtator fecerit teſtamentum, & nihil expreſſerit de funeralibus, & Miſſis, & aliis piis, tunc in Caſtella eſt expendendum quintum, ſub diſtinctione ſuprà relata. ibidem. num. 75.

Sed an tunc judex poſſit ſe intromittere? Affirmandum videtur. ibid num. 72. Sed contrarium tenendum aſſeritur. ibid. num.77.

Inteſtatus ſi quis ſe interfecerit, an in Caſtella quintum pro ejus anima ſit expendendum? Affirmativè reſpondetur, niſi conſtet de deſperatione. p.198. n. 26.

INVENTARIUM.

Inventarium pertinet ad judicem hæredis. p.61. n. 24.

Inventarium anima hærede inſtituta, pertinet ad Judicem Eccleſiaſticum; hæreditate jacente, pertinet ad judicem teſtatoris. ibid. n.25. & 26.

Inventarium eſt faciendum à novo Epiſcopo, ne bona confundantur cum ſpolio, juxta praxim Hiſpaniæ. p.536. n. 24.

Inventarium an ſit faciendum ab Epiſcopo Regulari? Negandum videtur. ibid. n.26. Sed Pareja tenet contrarium. ibid. nu.27. Explicatur ibid à n.28.

JUDEX.

Judex competens ad ædificandas, ſeu reparandas Eccleſias, eſt Eccleſiaſticus. p.55. n.77.

Sed an poſſit eſſe ſecularis, maximè Princeps, ſi præveniat? Prima ſententia negat, ſicut in aliis cauſis Eccleſiaſticis, & perſonis. ibid. n.73. Secunda affirmat. ibid. n.79. Admittitur prima ſententia, & defenditur. n.83. & ſeqq. In hac difficultate datur diſtinctio, ut non poſſit procedere contra Eccleſiaſticos ſecularis judex, ſecus contra Parochianos, quando tenentur contribuere ad ædificationem, ſeu reparationem Eccleſiæ, p.56. n.85.

Sed quid ſi Clerici ſimul cum laicis contribuerent? Pendet ab alia quæſtione, an quando collectantur Clerici, poſſint compelli ad ſolvendum à ſeculari? Affirmant aliqui. ibid. num. 88.

Alteri dicunt priùs eſſe requirendum Epiſcopum. ibid. num.89. Alii abſolutè negant, & confirmatur. ibid. n.90. & ſeqq.

Judex nemo poteſt eſſe in cauſa propria. p.64. n.57.

Iudex ſecularis exequutor eſt piarum voluntatum, cognoſcit aliquando circa ſpiritualia, & partim ſpiritualia, & temporalia. ibid.n.61.

Iudex ſecularis an poſſit cognoſcere de inteſtatis? Affirmandum videtur. ibid. Sed contrarium melius defenditur. ibid. n. 62. & ſeqq.

Judex laicus non cognoſcit de ſpiritualibus, & inſeparabilibus ab eis. ibid.

Judex Eccleſiaſticus cognoſcit de legatis piis, & etiam de pro fanis. p. 165. n.63. & ſeq.

Judex ſecularis an poſſit cognoſcere de cauſis piis; Negarunt aliqui, ſed tantùm admittuntur, quando legata ſunt ſpiritualia. ibid. n.65.

Iudex laicus nequit ſe intromittere in Decretis factis abEccleſia. ibid. n.66. Fit inſtantiam. ibid. num.67. Et reſpondetur. ibid. num.68.

Iudex ſecularis, ſi diſponat circa ſpiritualia, eſt quoad factum, & ſic cognoſcit de decimis, & matrimonio, ibid. n.65.

Iudicis officio implorato proceditur in cauſis, ubi non datur actio. p. 223. n.17.

Iudex in cauſis piis procedere poteſt ex officio, licèt non interpellatus. p.224. n.23.

Iudex requiſitus poteſt reducere ad concordiam pauperem, & divitem, & poteſt in cauſis pauperum ſupplere jus. ibid. num.24.

Iudex quæ dona recipere valet, & quando,latè diſquiritur.p. 326. n.43. & ſeqq.

IURISDICTIO.

Iuriſdictio non fit Eccleſiaſtica, quando Prælatis, aut Eccleſiæ Villas, ſeu Caſtra Princeps donaverit, quin potiùs exercetur per Ballivos. p. 310. n. 8.

IUS.

Ius acquirendi in ſpe proxima, ut quæſitum cenſetur. p. 235. num. 47.

IUSPATRONATUS.

Iuſpatronatus acquiritur fundatione, conſtructione, vel dotatione. p.34. n.51.

ad Iuſpatronatus acquirendum in fundatione Eccleſiæ, requiritur conſenſus Ordinarii, nempè Epiſcopi, ubi Eccleſia ædificatur, licèt ædificans ſit forenſis. p.40. num.34. Vel alterius habentis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. ibid. num. 38. Si inferior renuat conſenſum præſtare, recurritur ad Superiorem, ſed abſque conſenſu non acquiritur. ibid. n.39.

Iuſpatronatus acquirere fundatorem Capellaniæ dicit Urrutigoyti, negat Fraſſo. ibidem num. 40. Explicatur. ibidem num.41.

ad Iuſpatronatus acquirendum, an neceſſarius ſit conſenſus ſpecialis, necne? Affirmant aliqui, ſed contrarium tenendum aſſeritur. ibid. n.42. & ſeq.

an Iuſpatronatus acquirat, quando quis ſolùm fundat, aut dotat Eccleſiam? Prima ſententia negat. pag. 41. n.44.

Iuſpatronatus non acquirit, qui non competenter dotat, aut dat dotis augmentum. ibid. n.45.

Secunda ſententia affirmat. ibid. num. 46. Diſtinguitur. ibid. num. 47. Et tandem reſolvitur affirmativè. ibidem num. 50. & 51.

Iuſpatronatus ex fundatione acquiritur,& quomodò intelligatur. Eccleſia nequit ædificari in fundo emphyteutico: ſi tamen ædificetur,& conſentiat dominus illius directus eſt Patronus.p.42. num. 53.

Iuſpatronatus acquirunt, quando in Eccleſia ædificatur Capella, ædificans, & Eccleſia. ibid n.54.

Iuſpatronatus acquiritur ex conſtructione Eccleſiæ. Explicatur doctrina iſta. ibid. n. 55. An ex donatione acquiratur. ibidem num. 56.

an Iuſpatronatus acquirat qui cœperit ædificare, & non perfecerit? Ponitur ratio dubitandi. ibid. n 57. Et reſolvitur. ibid. n.58. & ſeqq.

Quando me inſcio in ſolo meo ædificatur Eccleſia, me eſſe Patronum dicunt plures: alteri dicunt demoliendam ibid. numero 61. Admittitur prima ſententia. pag.43. numero. 62. & ſeqq.

Iuſpatronatus acquiritur per donationem, aut redotationem, quando Eccleſia habuerit primam dotem extinctam, ibidem. num.65.

Iuſpatronatus non acquiratur, quando dotatur Eccleſia jam conſecratam? Prima ſententia negat. ibid.n.66. Secunda affirmat ibid. n.67. Tertia diſtinguit. ibid. n.68. Reſolvitur. ibid à n.69. & ſeq.

ad Iuſpatronatus aciquirendum per dotationem, requiritur integra dotatio. pag 44. n.72. Ponitur praxis, ibid. n.73.

Iuſpatronatus an acquirat ædificans Eccleſiam abſque reſervatione? Prima ſententia negat. ibid. n. 74 Secunda affirmat. ib. num. 75.

In ſpecie contemplandus animus ædificantis. ibid. n.76. Explicatur. ibid. n.77. & ſeqq.

Juſpatronatus in Monaſteriis ad præſentandos Religioſos, non acquiritur abſque conſenſu Apoſtolico. p.45.n.79.

L

LEGATUS, ET NUNTIUS.

LEgatus, vel Nuntius, si in itinere decedant, in Cathedrali sunt sepeliendi. Si in provincia, in Cathedrali illius loci, ubi morantur; si sint Legati, aut Nuntii duarum Provinciarum, ubi decedunt sunt sepeliendi. p.183.n.63.

LEGATUM.

Legatum nominis admittitur, si petatur à testatore. Si testator rem legata alienat absque necessitate, legatum adimitur. p. 38. num.17. Legatum relictum Ecclesiæ, etiam Capellæ debetur. p.62.n.32.
Legatum relictum pro sepultura ab eo qui se interfecit, posteà sustinetur. p.198.n.26.
Legata pia sustinentur, etiamsi Fiscus posteà bona capiat. p.199. nu 27.
Legatum relictum virginibus pauperibus, debetur eis, quæ de suo labore vivunt. p.272.n.23.
Legatum relictum uxori compensatur cum debito legali; secus si ex contractu. p.305.n.44.

LEGITIMA.

Legitima ascendentium de jure communi est quarta, de jure Castellæ sunt duæ partes bonorum. p.157.n.2.
Legitima descendentium de jure communi est triens, aut semis secundùm numerum liberorum. In Castella sunt omnia bona præter quintum. ibid.
Legitima non debetur filiis, vivente patre, nec patribus vivente filio. p.159.n.18.& seqq.

LEX.

Lex debet esse clara. p.8.n.24.
Lex nova confirmans antiquam, intelligitur cum suis ampliationibus, & limitationibus. p.30.n.16.
Lex aliquando præcipit quod non est de essentia. pag. 70 num.23.
Lex dans formam substantialem, irritat contrarium, & unum admittens, excludit aliud. p. 72.n.34.
Lex antiquatur, aut expresè, aut quando est aliquid in novo decreto, unde antiqua omninò excluditur p.86.n.34.
Lex nunquam concedit facultatem ad actum imperfectum. p. 165. n.63.
Lex canonica dat jurisdictionem judici laico, quando est periculum in mora, nec adiri valet Iudex Ecclesiasticus. p.204. n.19.
Lex lata obligat in dubio p.264 n.57.
Lex non obligat, nisi recepta. p.325.n.36.
Lex duobus modis potest reprobare consuetudinem, nempè si declaret iniquam, & tunc est corruptela, vel quando reprobat causa subsistente. p.341.n.16.& seqq.
Lex non auxiliatur eis, qui agunt in eam. p.354.n.39.

LICENTIA.

Licentia injustè denegata aliquando habetur pro obtenta, si extrinseca est, non verò si substantialis. p.90.n.74.& seq.
Licentia expressa si à lege petatur, non sufficit præsumpta, p.248. n.16 Aliqui tamen eam dicunt esse expressam, quæ elicitur ex evidentibus conjecturis. ibid.n.18.

Vide verbum *Facultas*.

LOQUUTIO.

Loquutio universalis non restringitur, nisi adsit specialis ratio restringendi. Quando loquutio est geminata, habet vim divisionis, & intelligitur de singulis. p.191.n.38.
In Loquutione generali non intelliguntur alimenta, nec quæ pietatem involvunt. p.229.n.42.
Loquutio generalis, omnia particularia directè comprehendit, p.234. num.41. Sed non comprehendit casus aliqua ratione expediendos. ibid. num.42. Nec comprehendit alimenta. p.235. n.43.
Loquutio generalis omnia comprehendit. p.370. n. 16.

LUCTUOSA.

Luctuosa est res pretiosa, quæ ex bonis Beneficiati solvitur Episcopo, aliquando ex bonis Parochianorum, aut vassallorum, & sunt variæ consuetudines. p.375.n.71.
de Luctuosæ origine, & quibus modis introducta. ibid. & seqq.
Luctuosa licitè percipitur, si adsit consuetudo immemorialis, & uniformis. ibid.n.73. Itaque allegans luctuosam sibi deberi, probare tenetur hanc consuetudinem immemorialem. p.376. num.74.
Luctuosam eligere nequit Episcopus ex rebus sacris pertinentibus ad Ecclesiam, nec ex scamnis, aut aliis exceptis in Constitutione S. Pii V. in terris ubi spolium debetur. ibid. num.75.
Luctuosam ad usus pios esse divertendam asservit Navarrus: sed si adsit consuetudo, posse diverti ad profana asservit Barbosa, ibid.n.76.
ad Luctuosam unica tantùm res est capienda, veluti mula, vas argenteum, aut alia res pretiosa, ibid.n.77.
An possit capi pecunia deposita apud campsorem, vel in sacculo signata? Affirmandum videtur. ibid.n.78 Sed cum distinctionibus contrarium respondetur. ibid.n.79.& seq.

M

MAJORATUS.

MAjoratus succesor an teneatur solvere expensas funerisultimi possessoris? Prima sententia negat. p.150. num. 58. Possessor majoratus non succedit ultimo possessoris, sed instituto ibid. Secunda sententia affirmat. ibid.n.59.
Majoratus successor tenetur solvere aliqua debita exigua antecessoris, maximè si sint ad exonerationem conscientiæ. ibid.
Majoratus successor tenetur sepelire institutorem illius, sicut debita persolvere, ibid. num.60. Si defunctus est ultimus possessor, tenetur, si est hæres, vel pro rata, si alii sunt cohæredes ibid.n.61.
Majoratus successor tenetur solvere debita necessaria, pag.373. num.46.
Majoratus successorem, si ultimus possessor excussis bonis non habeat unde sepeliatur, adhuc dicunt aliqui non teneri illum sepelire. p. 150. num.62. Sed contrarium de æquitate tenendum. ibid.num.63. Defenditur etiam de rigore juris. ibid. num.64.
Majoratus institutoris mens est honorate familiam, & effugere ignominiam. p.151.n.65.
Majoratus possessor tenetur solvere debita pro alendo ultimo possessore paupere. ibid.n.66.
Majoratus solùm potest cedi immediato successori, nec cedi valet in præjudicium vocatorum. p.172.n.43. Sed potest cedi commoditas illius. ibid.n.44.
ad Majoratus successorem an transeat jus sepulchri? Affirmandum videtur, p.273. n.50. Sed distinctione respondetur. ibid. n.51. Et explicatur. ibid.n.52.
Majoratus possessori an in concursu alimenta debeantur. p.239.à n.14. Distinguitur, & resolvitur. ibid. & seq.
Majoratus aliqui illicitos dicunt, sed explicantur. pag.240. num 18.
Majoratus de lege Regia non sustinetur, nisi facultate Regis præcedente. p.344.n.43.
Majoratum an Religiosus professus instituere possit, pag.365. num.72.
Prælatus, seu Beneficiatus majoratum potest instituere ex bonis patrimonialibus, aut quasi, non solùm in vita, sed etiam in morte. p.322.n.5.
Sed an ex redditibus Ecclesiasticis? Et quando sanus est, graviter peccat instituendo, sed est valida institutio. ibid. n. 6. Limitant verò aliqui, si non fiant ad locupletandam familiam, sed ad conservandum statum illius. ibid.n.7. Sed non admittuntur. p.323.n.8.
Similiter limitant, quando Prælatus, seu Beneficiatus ex redditibus parcè vivendo majoratum instituat, & admittuntur, ibid.num.9. Fit instantia, ibid. num.10. Et respondetur ei. ibid.n.11.
Hoc intellige dè majoratu irrevocabili inter vivos: si verò fiat revocabilis, non sustinetur. ibid.nu.12.
Majoratus an validus sit, si fiat à Prælato, seu Beneficiato, ubi non testantur inter vivos irrevocabiliter, quando in ægritudine fuerint? Prima sententia negat esse validum. ibid. nu. 13. Sed contrarium tenet Molina. ibid. n.14. Resolvitur. ibid. n.15.& 16.
Majoratus nequit institui in testamento, aut per ultimam voluntatem à Prælato, seu Beneficiato ex redditibus, nisi ubi est consuetudo, ut testentur, nec erit valida institutio. Excipe nisi habuissent indultum ad testandum ad causas profanas, & tunc ut fiat absque peccato, magna causa requiritur. ibid.& seq.n.17.

MANUTERGIUM.

Manutergium ad celebrandam Missam necessarium. pag.75 n.15.

MARITUS.

Maritus tenetur ad funerandam mulierem, si non habeat unde funeretur; si verò dotem habuerit, ex ea funeratur, & successores dotis pro rata tenentur. pag.147. num.35.& 36. Intelligitur si dos est successori tradita: si verò est apud maritum, ipse convenietur, & expensæ istæ cum dote compensantur. Maritus verò absque dilatione solvet,

& si aliquis pro eo aliquid expenderit, statim repetet. ibid. num.37. Et similiter potest cum dote compensare expensas ultimæ infirmitatis uxoris, ibid n.38.
Maritus occidens uxorem in adulterio deprehensam, privatur lucro dotis. p.181. num.45. Et quòd rectè interficiat absque peccato, tenent plures. ibid. num. 46. Sed contrarium tenendum ibid.n.47.& seq.
Maritus an sepeliendus in sepultura uxoris? Affirmant aliqui. p.182. num.53. Sed contrarium defenditur, & resolvitur.ibid. & num.54.
Maritus dotem lucratur, quando ob adulterium matrimonium separatur: si verò ob aliam causam, inops maritus à dote alimenta percipiet, p.234.n.41.
Maritus potest donare ex bonis uxoris, si habet unde compensetur. p.312.n.31.

MISSA.

Missa potest celebrari elicito actu contritionis, si non est copia confessoris, sed quomodo id practicandum. p.25.n.58.
Missa olim à mulieribus cantabatur. p.24.n.53.
Missa an possit celebrari pro eo,qui lethaliter vulneratur in duello, & moritur cum signis contritionis? Negandum videtur, sed piè contrarium defenditur.p.201 n.56
Missam audiendi præceptum adimpletur, si tamen quis revera illam audiat. p 305.n.40.
Missa funebris cantatur in funeribus Christianorum.ibid. n.41.
Missa funebris, an corpore præsente possit celebrari in diebus festis? Ponitur ratio dubitandi. In diebus duplicibus non festivis potest celebrari. p.116 nu. 3. Sed affirmandum, ut declaravit Sacra Congregatio. ibid. nu.4. Limita nisi dies festus sit primæ classis. ibid.n.5.
Missa funebris dicenda est in diebus festivis, etiamsi corpus detineatur in aliqua Capella, seu Oratorio. ibid.n.6.
Missa funebris in die obitus an possit celebrari in die feriæ quintę Cœnæ,& in Sabbato Sancto? Aliqui negant. ibid. nu. 7. & 8. Respondetur fundamentis hujus sententiæ, & explicantur aliqua jura. p.117 n.9.
Missam funebrem corpore præsente celebrati posse feria quinta Cœnæ, scripsit Pasqualigius. ibid nu.11. Sed in hoc standum consuetudini Ecclesiarum, etiam particularium, quæ obligat. ibid. n.12. Et idem dicendum de Sabbato Sancto. In die Parasceves absque gravi culpa nequit Missa celebrari. ibid.n.13.
In Hispania, cùm ex more multæ Missæ celebrentur in die Cœnę Domini, potest dici Missa funebris prodefuncto, corpore præsente. ibid.n.14.

MIXTUM.

in Mixtis attenditur qualitas potentior. p.84.n.16. & seq.

MONASTERIA.

Monasteria ut erigantur, requiritur licentia Summi Pontificis, prævia causæ cognitione, & citatione aliorum Prælatorum,si sint Mendicantium.pag.14.n.42.
An sufficiat licentia Episcopi cum causæ cognitione,& citatione Prima sententia affirmat. p.15. n.43.Secunda duas petit licentias, Papæ, & Episcopi. ibid. n.44.Resolvitur. ibid. n.45. Sed non est necessaria licentia, ut Religiosi erigant Hospitalia ibidem.
Admittitur secunda sententia petens duas licentias, ibidem num.46.
ad Monasterium ædificandum nequit Vicarius Episcopi licentiam præstare, absque speciali mandato. ibid.n.47.
Monasterii ad translationem requiritur licentia Pontificis, sed an requiratur licentia Ordinarii? Prima sententia negat, ibid. num.48.Secunda affirmat. p.16. num. 49. Resolvitur affirmativè. ibid.n.53.
Monasteria an possint transferre Religiosi ex suis privilegiis,absque licentia Episcopi. Affirmant aliqui. ibid. nu.53. Alteri negant. ibid.n.54.
Distinguitur,& admittitur prima sententia, si fiat translatio ad locum exemptum, absque Episcopi præjudicio. ibid.nu.55.Si verò non est exemptus, requiritur. ibid.n.56.
Monasterium si sit fundatum ex alicujus voluntate, ad eius translationem requiritur licentia Episcopi.pag.17.nu.59.

MONIALES.

Moniales sepeliuntur in suo Monasterio intra claustra, ubi laici sepeliri non possunt, uisi in exteriori Ecclesia, p.185.n.85.
Monialis si decedat causa curationis, sepelitur in Monasterio sui Ordinis, si ibid.adsit,aliàs in Parochia.ibid n.86.

MULIER.

Mulier pro sua dote præfertur posterioribus creditoribus habentibus expressam hypothecam, & anterioribus habentibus tacitam.p.370.n.23.
Mulier in suis arrhis licèt habeat tacitam hypothecam,nontamen prælationem habet. pag.371.n.24.

MUTUUM.

ad Mutuum in gravissimis necessitatibus possunt divitescompelli & absque interesse solvendum, nisi ex æquitate eis solvatur. p.260.n 9.
Mutuum concedens Ecclesiæ, ut postea ei reddatur, debet probare pecuniam conversam esse in utilitatem illius, prout in minoribus, & in rebus majoratus observatur.p.371. n.27.

N

NECESSITAS.

Necessitas est triplex, extrema, gravis, & communis. p.212.n.12.& 13.
Necessitas extrema an sit periculum infamiæ? Aliqui negant. ibid. nu.14. Alteri affirmant, ibid. n.15. Distinguitur, & resolvitur. ibid.n.16.& seq.
in Necessitate extrema omnia sunt communia, & quomodo id intelligendum, referuntur sententiæ diversæ, p.216.n.4.& 5. Resolvitur.ibid.n.6.& seq.
Extremè indigenti an teneatur dives liberaliter dare, an sufficiat mutuare? Aliqui dicunt teneri donare: ibid. nu.7. Alii asserunt sufficere mutuare, ibid.n 8. Alteri distinguunt. ibid. n.9. Concordia aliquorum Doctorum. ibid. num. 10. Resolvitur ibid.n.11.
Extremè indigenti quando eleemosyna conceditur, nequit imponi pactum, ut pauper acquirat ad re stitutionem; sed explicatur. ibid n.14
In extrema necessitate rem alienam suscipiens, furtum non committit. ibid.n.15. Quod ita intelligendum, dummodò suscipiens non excedat quantitatem necessariam ad sublevandam ne cessitatem. p.217.n.16. Et non solùm ipse indigens potest alienum suscipere, sed alter, si non habet unde indigenti succurrat. ibid.n.17.
In extrema necessitate, ne accipiens fur existimetur, debet credere dominum permissurum:sed contra Goffredumcontrarium defenditur. ibid.n.18. Erit tamen illud necessarium, quando non esset extrema necessitas.ibid.n.19.
Necessitas alimentorum, & vestitus est extrema,ibid.n.20.
Extrema necessitate superveniente, si quis sibi rem commodatam, aut depositam consumpserit, an restituere teneatur? Aliqui negant. p.218.num.27. Alteri affirmant, & resolvitur. ibid.n.28.
Necessitate urgente qui bonis cessit, si ad pinguiorem fortunam devenerit, tenetur debita solvere. ibid.
In extrema necessitate si furrem furatam consumpserit, an teneatur restituere? Aliqui negant, ibid.n. 30. Sed contrarium defenditur, ibid.n.31.& 32. Resolvitur. ibid.n.33.
in Necessitate extrema, si debitor, & creditor sint, an teneatur debitor solvere creditori: Prima sententia affirmat. ibid.n.35. Secunda negat, ibid. n.36.
An debitor possit rem retinere pro succurrendis pauperibus extremè indigentibus? Negat Azorius, affirmant alteri, & extendunt ad patrem tantùm. Alii ad parentes, & non ad fratres, verùm alteri etiam ad fratres. p. 219. num. 41. Resolvitur. ibid.n 42.
In extrema necessitate possunt patres distrahere filios ad se alendos de jure naturali,ibid.n.43.De jure civili quid. ibid.à nu.45. Explicantur aliqua jura, & resolutio extenditur ad alios contractus. ibid.n.46.
An id tantùm intelligendum in extrema necessita te famis, plures negant. ibid.n.47. Sed alteri affirmant. ibid.n.48. Resolvitur, & extenditur ad alias necessitates extremas.p.220.n.50.
An hæc resolutio sit extendenda ad matrem? negant plures. ibid. n.52. Dilabuntur fundamenta horum Doctorum. ibid. nu.53.Et extenditur ad matrem.ibid.n.54.
In extrema necessitate an parentes possint vendere filium emancipatum? Negant plures. ibid.n.55. Sed contrarium sustinetur. ibid. n.56. Non tamen possunt distrahere filium clericum. ibid. n.57. Nec uxoratum.ibid.n.58
Facta distractione, filius posteà si offerat pretium, à servitute liberatur, licèt alius offerat. Pater si ad pinguiorem fortunam deveniat, tenetur filium redimere, & ad id cogi poterit. Poterit etiam filius, vel Pater, si pretium non habeat, dare mancipium. ibid.n.59.
In extrema necessitate filius nequit vendere patrem. p 221.nu.60.
In extrema necessitate,an pater possit interficere filium, ut comedat? Affirmat aliquis ex lege Partitæ. ibid.nu 61. Sed reiicitur. ibid. n.62.
Propter extremam necessitatem non licet fornicari. ibid.
Olim patres habuerunt potestatem interficiendi filios. ibid.n.63. & seqq.

Sed

Sed an possit pater filium interficere in extrema necessitate, quando etiam filius ex eadem necessitate est moriturus ? Negatur. ibid. nu.66. Explicatur quid significet verbum *Sanguinolentos*. ibid. nu.68.

In extrema necessitate an liceat vesci carnibus occisorum ? Respondetur posse, sed indigentes non teneri : sed semper licet comedere carnem crudam. ibid. n.69.

In Necessitate gravi an liceat furari, sicut in extrema ? Prima sententia negat. p.222.n.1. Affirmat secunda. ibid.n.2. Resolvitur, ibid.n.3.

In Necessitate gravi is qui tenet rem alienam, potest illam retinere. ibid.n.7. Fit instantia, & ei respondetur. ibid.n.8.

In gravi Necessitate si quis rem alienam consumpserit, an teneatur restituere ? Negant aliqui. ibid.n.9. Sed distinguitur necessitas. ibid.n.10.

In Necessitate gravi si sunt in eodem tempore debitor, & creditor, an possit debitor debitum retinere ? Resolvitur prout in capite antecedenti. p.223.n.11.

In gravi necessitate, quam nequit nobilis redimere absque mendicitate, an possit aliena subripere ? Affirmant aliqui, sed contrarium tenent alii. ibid.n.12.

In gravi, aut extrema necessitate an possit pauper ex actione justitiæ petere, ut à divite succurratur ? Prima sententia affirmat. ibid.n.13. Secunda negat, sed tantum implorato judicis officio. ibid.n.14. Tertia distinguit. ibid.num.15. Resolvitur. ibid. num.16.

In causis ubi non conceditur actio iustitiæ, proceditur implorato judicis officio, & id possunt facere pauperes. ibid. n.17.

Pauperes si velint experiri actione justitiæ, aliqui confusè admittunt. ibid.n.18. Sed contrarium tenendum est. ibid.n.19.

Dominium nequit esse penes duos in eodem tempore. ibid. nu.20. & seqq.

Si pauperes non implorent officium judicis, an ex officio possit judex procedere ad succurrendam eorum indigentiam. Apponuntur rationes dubitandi. ibid. n. 22. Sed respondetur affirmativè. p.224.n.23.

In causis piis potest procedere judex non interpellatus : & idem in causis publicis. ibid Et potest causas pauperum reducere ad concordiam irrequisitus. ibid.n.24. & seq.

In Necessitatibus an divites teneantur ad pauperes quærendos, Resolvitur negativè. ibid. n.26. Si tamen graves sint, aut extremæ necessitates, aut de eis dubitetur, tenentur inquirere ; si tamen facta diligentia sint dubii, non tenentur. ibid. n.27.

Dicenti esse in extrema, aut gravi necessitate, non est credendum : quod in pauperibus trivialibus semper tene. ibid. num.28.

Episcopi, & alii Beneficiati, Magistratus quoque tenentur pauperes quærere, & de eis curare. ibid.n.29.

NOMINA ECCLESIARUM.

Nomina Ecclesiarum olim varia, nuncupantur Ecclesiæ, non Templa, sed posteà promiscuè nominabantur. p.7 n.21.

Ecclesia aliquando dicebatur *Concio*. p.8. nu.22. Domus Dei. ibid. n.23. Postea Aedes sacra. ibid.n.25. Martyrium. ibid.num.26. Titulus, Memoria, Concilium Sanctum, Oratoria, Semnium. ibid. n.27.

NOBILITAS, NOBILIS.

Nobilis pauper cogitur vendere Palatium destructum. p.12. num.16.

Nobiles olim Capellas sibi habebant privatas ; sed hoc postea sublatum, & Principibus concessum. p.59.n.5.

Nobilitas ex parte matris in plurimis casibus admittitur, & filii matrum nobilium, ut nobiles habentur. p.86.n.39.

Nobilis an possit aliena subripere, ne mendicet : Negatur. p.223. num.12.

Nobilis an habeat alimenta in concursu creditorum. p 239.nu.13. & seqq Negatur, sed postea distinguitur. ibid. Nobilis nequit privilegio nobilitatis renuntiare. p.244.n 62.

NUPTIAE.

Nuptiæ secundæ reprobantur ab hæreticis, sed refelluntur p.109. n.34. Explicantur varia jura. ibid. & seq.

Ad secundas nuptias Reginæ Hispaniæ non transeunt. p.110. n.40. Aliqua in secundis nuptiis considerantur inconvenientia. ibid.n.41.

O

OBLATIONES.

OBlationes semper fuerunt usitatæ, tam in veteri, quàm in novo Testamento. p.97. nu.1. Et comprobatur. ibid. num.2. & seq.

Olim panis, & vinum offerebatur ante communionem inter Græcos, & de panibus oblatis pars frangebatur ad Sacrificium. Latini integrè libabant : fiebant etiam oblationes pro natalitiis, pro defunctis, &c. p.98.n.4.

Oblationes olim datas pro stipendio Missarum, & ex voluntate dantis pendere taxam stipendii, asservit Salcedo, cujus fundamenta referuntur. ibid.n.5 & seqq.

Contra ponuntur fundamenta : oblationes sunt voluntariæ, stipendium debetur ex justitia. ibid.nu.10. Et comprobatur. ibid. num.11.

Oblationes fuisse stipendia, res est incertissima. Explicantur oblationes, & divisiones earum. ibid.n.12.

Oblationes tempore antiquo distinguebantur à stipendiis. p.99.nu. 16. Non dabantur Sacerdoti celebranti, sed reponebantur in gazophylaceo Ecclesiæ. ibid.n.17.

Non admittitur Salcedo, & explicantur Christineus Lupus, & Lemaistre. ibid.n.18. Et tandem contra eum resolvitur, explicatis Soto, & Navarro. ibid n.21. & seq.

Oblatio est quod Deo offertur, sed propriè loquendo sunt oblationes, quæ intuitu Religionis Deo immediatè absque immolatione exhibentur. p.100.n.23.

Oblatio differt à decimis, & primitiis. ibid.n.24.

Oblationes ut distinguuntur à decimis, & primitiis, an cadant sub præcepto ? Affirmarunt aliqui. ibid. n. 24. Sed non clarè loquuntur. ibid. n.25. comprobatur hæc sententia. ibid. nu. 26. Sed contrarium absolutè tenendum. ibid.n.27.

Oblationes, decimæ, & primitiæ à principio fuerunt ultroneæ, sed postea decimæ, & primitiæ sub præcepto impositæ sunt. ibid & seq.n.28. & 29.

Oblationes esse debitas sub præcepto, aliqui Doctorum asserverunt, sed intelligendi de quibusdam consuetudinibus offerendi in quibusdam diebus festivis. ibid. n. 30. Sed adhuc in hac specie sunt spontaneæ. ibid.nu. 31. Et quid si sint ex facultate libera. p.101. n.32.

Fit instantia, & respondetur ei. ibid.nu.33. Admittitur contrarium, si consuetudo est uniformis. ibid.

Oblationes cadunt sub præcepto, quando consuetudo est uniformis, & laudabilis. ibid.n.34. & seqq.

Oblationes si sint variæ in specie, aut quantitate, an cadant sub præcepto, si adsit consuetudo. Prima sententia affirmat. ibid. n.36. Sed contrarium tenendum. ibid. num. 37. Et comprobatur. ibid n.38.

Oblationum consuetudines ut obligent, aliqua sunt requisita necessaria. Primò, ut incipiant liberaliter absque aliqua coactione. Secundò, ut nullum pactum interveniat. Terriò, ut quod solvitur, sit certum : quartò, quod omnis populus, aut major pars illius in oblationibus persistat : quintò, ut præscriptio sit per decennium. ibid. & seq.n.39.

Oblationes si debeantur, debent peti judicis officio implorato, non per subtractionem spiritualium. p.102.n.40.

An valeat consuetudo ut Ecclesiastici offerant laicis, verbi gratia candelas in die Purificationis. Prima sententia negat. ibid.nu. 41. Secunda affirmat. ibid.n.42.

Si consuetudo est immemorabilis, valet, etiamsi gravamen inferat Ecclesiis. ibid.n.43. Secus si non sit immemorialis. ibid.n. 44. & 45.

Non valet consuetudo non solvendi decimas, nisi Parochus offerat laicis certas libras carnis ; secus de consuetudine ut convivant Parochiani in die Defunctorum. ibid.n.46.

Oblationes cadunt sub obligatione, si fiant per modum pacti, seu legati. ibid.n.47. Vel ex voto ibid.n.48.

Oblationes à testatoribus præceptæ, magna cura adimplendæ. ibid.nu.49.

Ad oblationes Parochiani obligantur, si Ecclesia, seu Rector non habeant congruam, vel quando sunt deputatæ ad alimoniam Ministrorum. p.103. nu.50. Vel si non solvant decimas, aut primitias non sufficientes. Si alii sunt participes, isti supplere tenentur, vel qui pensionem percipiunt, & tunc pauperes Parochiani ad offerendum non sunt cogendi. ibid. n.51.

An ad oblationes sint compellendi Parochiani, quando Parochus ex artificio vivere potest. Prima sententia negat. ibid. nu.52. Secunda affirmat. ibid. n.58. Laudatur occupatio in Clericis. ibid.n.54. Resolvitur. ibid.n.56.

Oblationes usuales pertinent ad Parochum, etiam in Ecclesiis Ordinum Militarium. ibid. n. 59. Et in Cathedralibus ad Archipresbyterum. ibid.n 60.

Oblationes in Capella factæ, pertinent ad Rectorem, nisi dentur ad ornamenta, vel ibi sint alia Beneficia. p.104. n.61. & seq.

Oblationes factæ confraternitatibus pertinent ad Parochum. Laicis interdictum est offerre. ibid. n.63. Explicatur hæc doctrina. ibid. n 64.

Oblationes aliquando dividuntur, prout fuerit consuetudo. ibid.n.63.

Oblationes a pertineant ad Episcopum, si ipse Missam celebret. ibid.

ibid n.66. Quid verò dicendum si celebret in loco exempto ibid. n.67.& seq.
Oblationes quando non pertinent ad Parochum, adhuc earum administratio ei competit.ibid.n.68.
Oblationes an possint percipere Regulares in suis Ecclesiis Prima sententia affirmat.ibid.& seq.num. 70. Secunda negat.p.121. nu.71. Explicatur.ibid.nu.72. Possunt eas percipere titulo eleemosynæ.ibid.n.73.Secus ut Ministri, si continuæ, & graves fuerint.ibid.n.74. & seq.
Oblationes non ab omnibus recipiendæ : referuntur personæ à quibus non recipiuntur.ibid.n.75.
Oblationes quomodo distinguantur ab eleemosyna . p.210. à nu. 23. Oblationes excommunicatorum olim non recipiebantur . ibid.n.24.

OBLIGATIO.

Obligatio generalis non curat de diversitate specierum . p. 101. nu.36.

OPERA PIA.

Opera pia in quibus Beneficiati expendere tenentur quod supereſt ex redditibus,quæ sint. p. 289. nu. 26. Primi sunt pauperes succurrendi . ibid.nu.27. Sed an sufficiat dare quibuscumque pauperibus ? Affirmant aliqui . ibid. Alteri asserunt, dandum esse pauperibus Parochianis. ibid. num. 28. Explicatur . ibid. nu.29.
Opera pia an intelligantur subsidia quædam, quæ Regibus in necessitatibus conceduntur.ibid.n.30.

ORATORIUM PUBLICUM.

Oratorium dicitur ab orando : potest quilibet pro libito oratorium privatum erigere . p.82. nu.1. Dividitur in publicum, & privatum.ibid.n.2.
in Oratorio publico celebratur Missa . ibid. nu.3. An debeat esse consecratum, negativè respondetur . ibid. nu.4.Sufficit, quod sit benedictum, aut locus destinatus ab Episcopo ad celebrandum.ibid.n.5.
Examinatur doctrina aliquorum asserentium,non esse culpam gravem, absque contemptu in quolibet loco celebrare. p.83.nu.6. Limita nisi adsit gravis necessitas, & quæ ista sit, ostenditur. ibid nu.7.
In his necessitatibus, si fieri possit, petenda est licentia ab Ordinario, seu ejus Vicario . ibid. n. 9. Unde resolvitur quæstio, an in his necessitatibus sit necessaria licentia. ibid. n.10.Est necessaria ista licentia, ut persona insignis pro aliqua vice domi celebret, & ut Missa pro defuncto dicatur . ibid.
Oratorium habens ingressum publicum, & privatum ad aliquam domum, an comprehendatur sub decreto Tridentini, ne ibidem Missa celebretur ? Affirmandum videtur . ibid. n. 11. Sed contrarium communiùs . ibid. n.12. Explicatur,& admittitur, si Oratorium habet campanam.p.84.n.13.
An campanella sit necessaria ad Oratorium publicum ? Affirmant aliqui,negant alteri ; admittitur hæc sententia . ibid.nu. 14.
si Oratorium magis deservit ad privatum ingressum, comprehenditur sub illo decreto . ibid. nu.15. Secus si principaliter ad publicum destinetur.ibid.n.16.& 17.
Oratoria publica gaudent immunitate, licèt tantùm sint benedicta, non verò privata . ibid.n.18. Fit instantia . Aliqui dicunt immunitate non gaudere Ecclesias non habentes Eucharistiam, nec ubi divina officia non celebrantur.ibid.n.19.
Negatur hæc doctrina exemplo Hospitalis, & cœmeterii . ibid. num.20.
Limita nisi consuetudo sit in contrarium, ut in aliquibus ditionibus, ubi tantùm immunitas conceditur pro levibus delictis . ibid.nu.21.
Aliqui dicunt immunitatem esse de jure divino, sed non admittuntur.ibid.n.22.
bona Oratoriorum publicorum non alienantur absque solemnitatibus, & dos est eis constituenda.p.85.n.25.
Oratorii publici sub nomine intelliguntur Eremitæ . Ponuntur signa unde dignoscatur oratorium auctoritate Episcopi constructum.ibid.n.26.

ORATORIUM PRIVATUM.

Oratorium privatum quisque in domo sua potest erigere, dummodo ibidem Missa non celebretur.ibid.n.27.
in Oratoriis privatis est dubium, à quo possit præstari licentia, ut ibidem celebretur . ibid. nu 28. Supponitur olim Episcopos hanc licentiam dedisse.ibid.n.30.
An post Concilium Tridentinum possint Episcopi hanc licentiam præstare . Prima sententia affirmat . ibid. Secunda negat.ibid. n.31.Tertia has duas sententias concordat.ibid.n.32.
Ponuntur verba Concilii, & explicantur . ibid. n.33. Colligitur ex Concilio, Episcopos dare non posse has licentias . p.86. n. 34. Et hoc jure utimur . ibid. n. 35 Ubi ponuntur conditiones communiter sitatæ in his indultis.ibid.& seq.
Ex causa nobilitatis hæc indulta à Pontifice conceduntur, quæ sufficit ut sit ex parte patris ; sed an sufficiat tantùm ex parte matris ? Negavit Tamburinus. ibid. nu.37. Sed alii tenent contrarium.ibid.& seq.n.38.Admittitur de jure communi hæc sententia.ibid.n.39.De jure nostro Regio difficillimum erit admittere.ibid.n.40.
Dantur etiam similia indulta à Pontifice ratione infirmitatis. An cessante infirmitate cesset indultum . ibid.n.41.Si infirmitas est causa impulsiva, adhuc durat indultum, secus si causa finalis, & integrum sit indultum.ibid.n.42.Si jam perfectum sit, in hac specie etiam cessabit. ibid.n.43.
Oratorium ubi celebretur,an quis possit habere virtute Bullæ Cruciatæ? Prima sententia affirmat, & aliqui asserunt Commissarium Cruciatæ dare posse hanc licentiam p.77.n.44.
Secunda tenet contrarium, & interpretatur Bulla.ibid.n.45. Admittitur hæc sententia,& comprobatur.ibid.n.49.Fit instantia, & respondetur.ibid.n.50.Commissario Cruciatę denegatur hęc facultas,ibid.
An in Oratoriis rectè designatis possint plures Missæ celebrari in eadem die virtute Cruciatæ,& supponitur in indultis dari tantùm licentiam ad unam tantùm Missam.ibid.nu.51. Prima sententia affirmat.p.88.n.52.Secunda negat.ibid.n 53.& 54.
Admittitur hæc secunda, sed asseritur ex consuetudine rectè præscripta id fieri posse.ibid.n.55.
in Oratoriis privatis an dici possit Missa diebus profestis in indulto exceptis, ex vi Bullæ Cruciatæ ? Affirmant plures. ibid.nu.56.Sed contrarium tenent alii, & nisi adsit consuetudo uniformis,nec id Regularibus concedendum.ibid.n.57.
Oratorium habens nequit præjudicare juribus Parochialibus, & quæ sint ista jura.ibid.n.58.
Oratorii indultum explicatur quoad nomen Familiæ. ibid. nu.59. In eo intelligitur hortulanus, & Capellanus, inservientes infirmo,& qui sunt in communi servitio.ibid.n.60.
Oratorii indulto an possint frui fratres, sororesque habentes diversas familias, & habitantes in domo fratris habentis indultum? Aliqui affirmant.p.89.n.61.Alterinegant.ib.n.62.Admittitur hæc sententia,sed non ex suo fundamento.ibid. nu.63.Et similiter possunt frui famuli rurì servientes.ibid.n.64.
in Oratorio privato an possit celebrari, domino absente ? Negarunt aliqui, sed contrarium defenditur.ibid.n.65.
In indulto Oratorii aliquando etiam facultas hospitibus conceditur domi hospitatis, ibi Missam audiendi, & extenditur ad eorum famulos.ibid.n.66. Et hospites unius diei. ibid.n.67.
in Oratorio privato nequit celebrari nisi priùs visitetur, & approbetur ab Ordinario.ibid.n.68.
an Oratorium visitatum, & approbatum possit iterum visitari, & approbari ? Aliqui negant. ibid. n. 69. Sed contrarium tenent alii ibid.n.70.
Oratorium si Ordinarius visitare, & approbare renuerit, plures dicunt hoc denegato, in eo tamen posse celebrare. ibid. nu.71. Sed contrarium sustinent alii.p.90. n.72.
Episcopus non approbans Oratorium decenter ornatum, peccat graviter,& tenetur visitare,& approbare.ibid.n.72.Et si renuat recurrendum erit ad Superiorem,& interim Missa ibidem non est dicenda,etiam licentia injustè denegata.ibid. n.74.
Clausula in indulto Oratorii solet poni, *Ac de ipsius Ordinarii licentia,eius arbitrio duratura*:& importat arbitrium regulatum,non liberum.ibid.n.75.
Privilegium habendi Oratorium an sit personale, vel mixtum ? Prima sententia dicit mixtum.ibid.n.76.
Secunda verò personale . ibid.n.77 Sed distinctione resolvitur.ibi. nu.78.
Si indultum dicit, *Habeas Oratorium Matriti*,mixtum esse dicunt aliqui . ibid. n 79. Sed contrarium tenendum, quia qui habet indultum habendi Oratorium in civitate, potest ruri habere. ibid.n.80.
Oratorii indultum non expirat morte concedentis, etiamsi concedatur ad beneplacitum : nec morte Episcopi, etiamsi continuatio ab ejus licentia penderet.p.91.n.81.
Oratorii indultum ad hæredes non transit, etiamsi contineant clausulam, *Ac de ipsius Ordinarii licentia, eius arbitrio duratura* ibid n.82.Licèt resistat Pellizzarius ibid.n.83.
An successores virtute Bullæ Cruciatæ possint frui indulto habendi Oratorium, ubi celebretur ? Affirmant aliqui, ibid.n.84.Sed contrarium optimè defenditur.ibid.n.85.

ORATORIA EPISCOPORUM.

Oratoria in suis Palatiis possunt habere Episcopi, *ex cap.fin. de privileg. in* 6. p.93. nu.10. Fit instantia, & respondetur. ibid. num.11.
Oratoria publica possunt habere Episcopi in suis Palatiis ex propria authoritate, ut habent Hospitalia, & carceres, ibid. n.12.
Oratoria privata possunt etiam habere in suis domibus, & possunt etiam habere in domo rurali,ibid.n.13.

Ora-

Oratoria duo an possit habere Episcopus, unum ad suum usum, alterum ad usum familiæ? Prima sententia negat. ibid.n. 14. Secunda affirmat. ibid.n.15.Admittitur unum *ex dict. cap.fin. de privilegiis in* 6. alterum *ex cap. Missarum* 12. *de consecrat. dist.*1. p.94.n.17.

in Oratorio privato posito in Palatio Episcopi, an possit celebrari eo absente? Negant plures, ibid.num. 18. Affirmant alteri. ibid n.19.Si Episcopus erigat Altare portatile in suo Palatio, admittenda est prima sententia. ibid. nu.20. Si est Oratorium cum Altari fixo, idem est dicendum, si sit ad usum Episcopi, secus si pro omnibus.ibid.n.21.

in Oratorio Episcopi an possit celebrare familiares, eo mortuo? Negavit Diana. ibid.nu.22.Affirmat Pellizzarius. ibid. nu.23. Resolvitur, & excipitur, nisi domus Episcopi fuerit combusta,aut aliis locata.ibid.n.24.

Privilegium Episcopi habendi Oratorium, extenditur ad titulares.ibid. n. 25. Fit instantia, & respondetur. ibid. numer.26. Non extenditur ad inferiores, etiamsi habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, nec ad Episcopos electos, & non confirmatos.ibid.n.27.

ORNATUS ALTARIUM.

Ornatus Altarium primus sunt mappæ,de quibus diximus in verbo *Altare*.

Est etiam Corporale lineum supra mappas imponendum, vel consecratum,vel benedictum. Itidem palla linea, de quorum forma agitur.p.75.n.10.

Bursa corporalium ex variis materiis fit, sed color debet esse secundùm paramenta.ibid.nu.11.

Purificatorium Calicis debet esse lineum,& mundum, & est peccatum grave celebrare absque purificatorio, prout absque corporalibus. ibid.n.12.

An purificatorium debeat esse benedictum? Affirmant aliqui. ibid.n.13.Sed contrarium asseritur.ibid.n.14.

Manutergium etiam est necessarium, est enim peccatum omittere digitorum ablutionem,saltem in mappis Altaris. ibid.n.15

Pallium ornans frontem Altaris (vulgò *Frontal*)etiam requiritur, & ab antiquo fuit observatum. p. 76. nu. 16. Sed an sit necessarium,negavit Scortia, sed contrarium sustinetur. ibid. nu.17. Explicatur.ibid.n.18.

Ornantur Altaria imaginibus, de quo latè verbo *Imagines*.

P

PACTUM.

PActum de non succedendo, non valet. p.158. Pacta, & conventiones inter Parochias circa sepulturas sunt sustinendæ. p.191.n.43.

PATER.

Pater, & mater transferunt nobilitatem ad filium,& descendentes ex fœminis,de genere sunt earum.p.86.n.38.

Pater legitimis singulis filiis relictis, reliquum potest expendere pro funeris expensis, & pro sua anima, pag. 157. numer.1. & 2.

Pater an disponere possit in Castella ultra quintùm, & de jure communi ultra legitimam pro funeris impensis, & pro sua anima? Aliqui negant. ibid. nu. 3. Alteri affirmant. ibid. nu. 4. Alii dicunt hanc sententiam admittendam quando pater fuisset ditissimus. ibid.n.5.

In foro conscientiæ asserendum videtur, posse patrem ultra quintum disponere ad favorem suæ animæ. ibid. num.6. Sed contrarium defenditur. ibid. num.7. Nisi ditissimus fuerit. ibid.

Pater ultra quintum nequit excedere, & si excedat, reducitur. p.158.n.8.

Pater quando quintum non sufficit ad funeris expensas, Missas, & alia necessaria ad suam animam, secundùm qualitatem personæ, potest excedere; quod idem dicendum de filiis respectu tertiæ patris.ibid.n.11.

Pater, vel filius an possit disponere ultra quintum, & tertium, quando ipsi legitimi hæredes consenserint? Ponuntur rationes negantes. ibid. n.12.Sed contiarium tenendum asseritur.p.159. num.13. ad 16.

Patre dictante,si filius se exhæredem scripserit manet exhæredatus. ibid.nu.13.

Filii, aut parentes, si habuerint legitimos hæredes, an possint præstare consensum hunc? Prima sententia affirmat. ibidem num.17. Secunda tenet contrarium. ibid. num. 18. Defenditur. ibid. n.19.

Hæc licentia, seu approbatio si fiat ex intervallo, seu ante actum testandi, non sustinetur,nisi jurata.p.160.n.20.

Si filius habeat descendentes, aut ascendentes, & post factum testamentum approbaverit dispositionem piam in sua legitima, an sit valida, necne? Non est quæstio, si approbatio est generalis, tunc enim certum est non valere. ibid.n.21.Si consensus approbans est specificus, prima sententia negat valere. ibid. n.22. Secunda affirmat. ibid. n.23.Admittitur.ibid.n.24.

Sed an agnita hæreditate, possit filius habens descendentes approbare hanc piam dispositionem patris in sua legitima, contra creditores, negant aliqui, sed in specie valet in illa parte, de qua ipse disponere poterat ad causam piam.ibid.n.25.

Examinatur Caiderinus, asserens patre expendente dimidium bonorum in expensis funeris, & in aliis piis dispositionibus, legitimas esse deducendas, & dimidium quod supereſt, in illis piis dispositionibus impendendum. Admittitur prima pars hujus asserti, sed quoad reliquum dicendum est contrarium, scilicet omne expendendum esse.ibid.n.26.

Pater si totum quintum in funeris expensis, & aliis operibus piis expenderit, verùm debeat alimenta filio spurio, an minuenda sint pia legatas? Negandum videtur. ibid. num.27. Sed de jure Castellæ contrarium est dicendum quando testator filias legitimos habuerit, etiamsi pater ad alimenta fuerit condemnatus. p.161. num.28. Secus si filios istos non habuerit, aut ascendentes in tertia parte.ibid.n.29.

Pater potest duobus filiis legare duo quinta, prout ibidem explicatur. ibidem num. 30. Sed dubitatur, ex quo quinto deducendæ sint funeris impensæ, & alia pia legata ibid.

Aliqui dicunt, ex secundo quinto esse deducenda, quando pater in vita primum quintum irrevocabiliter reliquit. ibid: num.31.

Pater si legavit quintum extraneo, & aliud quintum filio, ex quinto extranei deducendæ sunt expensæ funerum, & alia legata pia.ibid.n.32.

Si verò pater duo quinta propriè duobus filiis legaverit, unum solùm valet. Difficultas est quando non constaret legasse propriè ibid.n.33.

Refertur casus, quando pater in vita unum quintum legavit, & tunc dicunt Doctores de secundo esse deducendas expensas funeris, & cætera legata pia.ibid.n.34.

Sed contrarium defenditur, ibidem num. 35. In quinto irrevocabiliter donato intelliguntur exceptæ impensæ funeris, & legata pia. ibid. Fit instantia, & ei respondetur. ibid. nu.36.

Pater si in vita uni filio quintum donaverit, & in testamento aliud quintum alteri filio, quintum istud imputatur in tertio - ibidem num. 37. Resolvitur de primo quinto esse deducendam impensam funeris, & alia legata pia. p. 162. n.38.

Pater in suo testamento potest duo quinta suis filiis legera, ut ibi explicatur,ibid.n.40. & seq.

Sed dubitatur de quo quinto sint funeris expensæ, & alia legata pia deducenda? Aliqui dicunt ex secundo deduci debere, sed ex primo asseritur esse deducenda. ibid.n.42.

Impensa funeris deducitur de quinto,quod si non sufficit, deducitur ex aliis bonis; si sit melioratio tertii, ex tertio deducitur post quintum,ibid.n.43.

Pater tenetur ad expensas funebres pro filio, & adversus eum datur actio funeraria, nisi filius habeat castrense peculium, aut de jure nostro Regio testetur de tertio bonorum, quia de eo deducuntur expensæ.p.147.n.34.

Pater si donet filio, & præcesserint merita,intelligitur remuneratoriè donare.p.313.n.43.

Pater potest donare modicè filio, & non imputatur in legitimam. p.311.n.22.

Pater quando possit in extrema vendere filios: vide verbum *Necessitas*.

Pater spurius,vide verbum *Clerici*.

PAROCHIA.

Parochiarum facta divisione, oblationes ad Parochos pertinent. p.98.n.12.

Parochia noviter erecta statim habet jus sepeliendi, nisi Matrix reservaverit. p.118.n.18. Aut cœmeterium liberum sibi non constituatur.ibid.n.19.

in Parochia sunt sepelienda corpora damnatorum, ex judicis licentia.ibid.& seq.n.20.& 21.

in Parochia si aliquis fuerit defunctus, ibidem ad funus debent convenire associantes, etiamsi sit Parochia dismembrata. ibid. nu.22.

Si extra Parochiam corpus fuerit humandum, ferenda est Crux illius, nisi concurrat Cathedralis cum Capitulo: nam Curatus Parochialis præcedet Parochum defuncti: si verò sepeliatur in Parochia,funus peragit Parochus,etiamsi adsit Capitulum Cathedralis.ibid.n.23.

ad Parochiam acquirendam an sit necessarium domicilium.p.178. num.13.
Qui non habet animum ibidem permanendi, non acquirit Parochialitatem, sed ex indulgentia juris quasi Parochianus habetur,& ibi sepelitur, & recipit Sacramenta,ut patet in Scholaribus,& Doctoribus,ibid n.15.& 16

PAROCHUS.

Parochus habet fundatam intentionem super decimis suæ Parochiæ. p 21.n.29.
Parochus ex decimis debet percipere suam congruam decentem, & quidquid necessarium fuerit ad rectam administrationem Sacramentorum,& doctrinam Parochianorum,contra alios participes. ibid.n.30.
Parochus, & Beneficiati tenentur contribuere ad necessarios adjutores, & tenentes ad administrationem Sacramentorum pro rata.p.22.n.31.Refertur casus ad materiam.ibid. n.32.
Parochus si habet beneficium pingue, & non sunt alii Beneficiati, solus tenetur solvere adjutores. ibid. nu.33. Si beneficium est tenue, tenentur alii participes; si non adsint, populus ipse debet contribuere. ibid.n.34.
Parochos nequeunt Episcopi impedire, ne in suis Parochiis concedant paramenta sacra ad celebrandum.p.23.n.46.
Parochi si sint soli in oppidulis, possunt secum habere Religiosum,ut latè diſseritur. p.24.n.52.& seqq.
Parochi assensus an requiratur in erectione novæ Parochiæ? Prima sententia affirmat. pag.31. num. 20. Secunda negat. ibid. num.21.Tertia dicit, invito Rectore esse necessarium consensum Pontificis. ibid.num.22. Admittitur prima sententia, secunda verò si causa certa sit, & probata. ibid. n.23. Fit instantia. ibid.n.24.
Parochi assensum ad erigendam novam Parochiam, si causa deficiat, esse necessarium asserunt aliqui. ibid.nu 27. Sed contrarium probabilius. ibid.n.28.
Parochus novus creatur in erectione novæ Parochiæ, & ei assignantur alimenta; sed an assignandæ decimæ,dubitatur. ibid. n.31.& 32. Affirmativè respondetur.ibid.n.33.
Parochus nequit vendere jura Capellarum.p.64.n.56.
Parochus nequit subtrahere spiritualia, ob decimas non solutas. p.103.n.58.& seq.
ad Parochum pertinet jus sepeliendi suos Parochianos. pag. 117. n.15. Sed jus funerandi non probat Ecclesiam esse Parochialem sicut nec jus baptizandi per se.ibid.n.16
Parochus nequit contradicere,ut quis in Ecclesia sepeliatur,quam construxit, jure sepulturæ sibi reservato,data sibi quarta. ibid. num.17.
Parochus quando funus fit in sua Parochia, & adest Capitulum Cathedralis, an præcedere debeat? Negant plures. pag. 118. n 24.Alteri affirmant.ibid.n.25.
In hoc dubio est consuetudini standum. ibid. num. 26. Sed magnopere consideranda consuetudo, si fuerit introducta facta contradictione contra Parochos,& contra has consuetudines facilè remedia possessoria conceduntur,& reintegratio fit per unicum actum.p.119.n.27.
Tum ad has consuetudines considerandum est tempus, in quo aliqui dicunt spatium quadraginta annorum esse necessarium: alteri dicunt decennium sufficere. ibid.n.28.
Sed admittitur sententia asserens esse necessarium tempus quadraginta annorum.ibid.n.29.& 30. Si nulla sit consuetudo, & Episcopus sit præsens cum Capitulo, Parochus non præcedet. ibid.n.31.Secus si Episcopus abfuisset. Fit instantia, & respondetur. ibid.n 34.
Parochus an præcedat in funere celebrando in propria Ecclesia, si adsit Capitulum Collegiatæ, simul cum Abbate? Negarunt plures. pag.120. num. 35. Sed affirmat communis sententia. ibid.n.36.
Parochus exercens officium in sua Parochia, præcedit omnes Canonicos, sive Cathedralis Ecclesiæ,sive Collegiatæ.Parochus in ordine hierarchico est immediatus ab Episcopo, idque ab origine D.Petri.ibid.n.37.Hanc præcedentiam intelliges,nisi Ecclesia Collegiata aliud non habuerit indultum,aut consuetudinem p.121.n.42.
Parochus quando defunctus sepelitur in Cathedrali,& Capitulum associat,an possit deferre Stolam,& Crucem? Negandum videtur.ibid.n.44.Sed contrarium tenet Lavorius.ibid.n.45. Explicatur, & ponitur casus. ibidem n.46.Et resolvitur, quod sic, salva præcedentia Ecclesiæ Cathedralis.p.122.n.47.
Parochus potest vocare Clericos ad funus, nisi aliter ab hæredibus defuncti fuerit dispositum,vel à testatore.ibid.n.51.
Parochus in funeribus potest destinare vias, nisi aliàs consuetudo sit,ut spectet ad hæredes.p.123.n 55.
Parochus nequit impedire,ut quis eligat sepulturam in Ecclesiis Regularium, aliàs si violenter rapiat funus, perdit quartam. p.125.n.1.
Parochus tenetur associare funus usque ad portam Monasterii, quando ejus Parochianus ibidem sepelitur. In his Regnis poterit intra Ecclesiam intrare,aliàs graviter peccabit,si rixis occasionem dederit.p.126.n.11
Parochus potest associare funus cum Cruce, usque ad portam Monasterii,contra Samuel.p.129.n.35.
Sed semper observanda consuetudo.p 130.n.36.
Parochi nequeunt percipere majorem eleemosynam, quando defuncta tumulantur in Ecclesiis Regularium, prout in suis Ecclesiis:non possunt obligare hæredes ad tot officia, seu legata; nec possunt plus accipere, si exteri, seu forenses in suis Parochiis tumulentur,quàm si essent Parochiani.ibid.n.44.
Parochu occasione quartæ non solutæ nequit funus detinere. p.131.nu.45. Et tenetur gratis pauperes sepelire, & quis ad id pauper dicatur.ibid.n.46.
Parochus quando suus Parochianus sepelitur in Ecclesia unita Monasterio, an possit ad illam intrare cum Cappa, & Stola? Affirmandum videtur. ibid.n.47. Sed negat Samuel quia sit Regularis per unionem. ibid. num. 48. Resolvitur cum distinctione. ibid. n.49. Et respondetur Samuellio. p. 132. n.57. & seqq.
Parochus si impediat electionem sepulturæ in Ecclesiis Regularium, remanet excommunicatus: & si defunctum rapiat cogitur restituere,& quidquid hac occasione reciperet, & quarta privatur.p.133.n 70.
Parochus pauper,aut Beneficiatus pauper, à quo sepeliendus? Prima sententia asserit sepeliendum ab Ecclesia. p.151. nu. 68. Mulierem tenetur sepelire pauperem maritum. ibid. Secunda sententia dicit expensas funeris faciendas esse à successore, & Ecclesia. ibid. nu.69. Tertia tantùm à successore asserit faciendas. p.152.n.71.
In bonis Parochi si succedit Camera Apostolica, aut Ecclesias, ad has expensas tenetur,& illius hæredes.ibid. n.72.
si Parochus pauper fuerit, nec adsint aliqua bona,successor solvit: in illius verò defectu Ecclesia, & si hæc pauper fuerit, tenentur Parochiani.ibid.n.73.
Parochus si non habet bona lucrata ex redditibus, sed tantùm patrimonialia, an successor in Beneficio teneatur eum sepelire? Negandum videtur.ibid.n.74.
Si malè perdiderit, sepelitur ex patrimonialibus, ut observatur in pensione, & majoratu. ibid. nu.75. Si casu ob sterilitatem, tenetur successor,sed in praxi difficilè obtinebitur, ibid. nu.76. Nisi tantùm congruam nabuerit.ibid.77.
Parochi sepeliuntur in suis Parochiis; si quis duas habuerit,in ea sepelitur ubi degit,& etiamsi degat in aliena, sepeliendus erit in sua Parochia.p.184. n.79.

PAUPER.

Pauper dicit, qui vivit ex suo labore,excipitur quoad alimenta. p.227. num.24. Nisi persona sit, quæ absque dedecore laborare non valet.ibid.n.25.
Pauper debitor non est præcipitandus.p.152. n.71.
Pauper immunis est à tributis.p.256.n.32.

PENURIA PANIS.

de Penuria, & necessitate panis,ut de re valdè necessaria agitur. p.262.n.32.& seq
in Penuria panis, & necessitate omnes coguntur ad vendendum frumentum, sive nobiles, sive Ecclesiastici. ibid. n.47. & seqq.
in Penuria,& gravi necessitate panis, an taxa frumenti sit observanda? Prima sententia affirmat. ibid. nu.39. Secunda negat, p.263.n 42.Resolvitur ibid.n.43.& seqq.
Agricolæ non tenentur ad taxam. ibid.n.44. Aliqui affirmarunt, non posse fieri taxam,ibid.n.45.& seq.
in Penuria mediocri est servanda taxa. ibid.n. 47. Secus in sterilitate magna. ibid.n.48.
In gravissima penuria, seu extrema, Princeps potest præcipere vendere viliori pretio,ibid.n,49.& seq.
Adveniente gravi penuria, vel sterilitate,potest Princeps novam taxam imponere,ibid.n.51.
in Penuria gravi,& urgenti frumentum extrahi valet de domibus Nobilium, & Ecclesiasticorum, non verò de horreis ubi sunt Decimæ Ecclesiasticæ, ibid. num. 52. Non tamen extrahendum id, quo quis indiget ad suam domum, vel quod est necessarium,ut agricolæ seminent,p.264.n.53. Et pretium statim est solvendum ibid.n.54.
Si pecunia ut solvatur, non adsit, ex bonis communibus ad illam mutuandam possunt cogi Mercatores, Nobiles, & Ecclesiastici, ibid. Aliàs potest imponi collecta. ibid. Sed id quoad Ecclesiasticos explicatur.ibid.n.55.
Penuriæ tempore ne permittant Prætores aliquem emere, nisi necessaria ad suam domum. Possunt vicini petere, ut civitas vendat triticum pro pretio minori, quo emerit. ibid num.56.

Pe-

Penuriæ tempore , Magiſtratus non permittatur extrahere frumenta,& ſi vendantur, poſſunt retrahi. ibid.n 57.
Poſſunt in eodem tempore cogi Agricolæ, ut frumentum ad civitatem afferant,& ad id ſumere jumenta , pretio ſoluto . ibid. num.58.
An qui tenetur ſolvere decem fanecas tritici, ſuperveniente ſterilitatem , adimpleat ſolvendo pretium? Prima ſententia affirmat. ibid.n.59. Secunda negat, ibid.nu.60. Reſolvitur,ibid. n.61.& ſeqq.

PENSIO.

Penſio eſt triplex. Prima ſecularis dicitur,quæ datur titulo temporali, veluti propter cantum,advocationem, vel aliam adminiſtrationem,& dicitur ſalarium.p.292.n.20.
Secunda eſt penſio Eccleſiaſtica,quæ datur pro titulo ſpirituali , veluti pro coadjutoria. ibid.n.21.
Tertia penſio eſtquæ ex fructibus beneficii extrahitur favore reſignantis,aut ob bonum pacis, lite authoritate judicis tranſacta. ibid.n.22.
An in penſionibus, quod ſuperſit , teneatur penſionarius eleemoſynari? Aliqui negant.ibid. nu.18. Alteri tenent contrarium , ibid.n.19. Reſolvitur,ibid. n.20. & ſeqq.
Penſionem habens tenetur ad recitandum Officium Beatæ Mariæ. ibid. n.19.
Penſio non gravat fructus incertos, niſi expreſſim, exprimantur. p.308. n.72.
Penſio ſolvenda eſt ex ſpolio, p.373. n.49. Et ſi non ſunt bona anteceſſoris, ſolvuntur à ſucceſſore ibid.n.50.

POENA.

Pœna non habet locum,niſi in caſibus à jure expreſſis, nec in pœnalibus fit extenſio, p.199.n 35.
Pœna ignominiosè impoſita habet vim ſolutionis,pag.238.n.5.& 6.
Pœna ordinaria an ſit imponenda , quando delictum probatur ſolùm præſumptionibus, aut conjecturis? Et negativè reſpondetur ; p.355.n,48.

PONTIFEX.

Pontifex expenſis Cameræ Apoſtolicæ eſt ſepeliendus , pag.153. nu.80.
Pontifex ſi decedat non electa ſepultura ſepelitur in Cathedrali : ſi verò decedat extra Curiam , ad illam eſt reportandus , & ibi ſepeliendus ; ſi aliquis Ultramontanus eligatur Pontifex, & decedat in via, in Cathedrali eſt ſepeliendus ; ſi Papatui renuntiaverit, ubi deceſſit ibi tumulandus ; & explicatur, p.183.n.61.
Pontifex poteſt diſpenſare in voto paupertatis Religioſi , p.299. nu.39.
An de facto diſpenſet,quando Religioſus ſit Epiſcopus ? Negavit Aravjo. ibid. Affirmat Vaſquez, ibid. nu.40.Reſolvitur,ibid. nu.41.
Pontifex quotidie diſpenſat ad teſtandum de redditibus ad cauſas profanas,cauſa exiſtente,p.340.n.6.

PRÆDICATORES.

Prædicatoribus an dandæ ſint eleemoſynæ conſuetæ ex bonis publicis? Negant aliqui,p.268. num. 34. Sed contrarium decrevit Sacra Congregatio,ibid.& ſeq n.35.
Prædicatoribus Parochis non eſt danda hæc eleemoſyna . ibid.
Prædicare an Parochi ex officio teneantur ? Negarunt aliqui . ibid. num.39. Defenditur contra aliquos . ibid. numer. 40. & ſeqq.

PRÆSCRIPTIO.

Præſcriptio in juribus Eccleſiaſticis debet eſſe quadraginta annorum,p.119.n.29.

PRINCEPS.

Princeps ex eo quod cauſa pertineat ad bonum publicum , ſi tamen ſit Eccleſiaſtica , in eam non ſe ingerit , ſed debet de ea curare per ſuos procuratores coram judice Eccleſiaſtico , p.29. n.8.
Princeps ſupremus poteſt tollere appellationem , ibid. nu. 12.
Principum protectio circa Eccleſias nullam dat eis juriſdictionem ſed tantùm tuitionem,p.56.n.84.
Principis beneficium latè interpretatur, p.89. nu.63. & ſeq.Si ſit propriè beneficium,ibid.n.65.
Princeps ſecularis non diſponit in ſpiritualibus funerum,ſed tantùm in pompis,& exceſſibus eorum, quoad temporalia,non verò ſi ſint ſpiritualia,p.136.& ſeq.
Princeps,Proceres,& viri inſignes honorandi ſunt in morte , p. 137.n 29.
Princeps an poſſit condere ſtatutum, ut moderentur amplæ cultrices,quæ fiunt ad Nobilium funera , & poſteà deſerviunt ad ornamenta Capellarum,p.138.n.36.
Princeps nec indirectè cenſetur dare privilegium tendens adversùs Eccleſias, ibid n.37. Fit inſtantia, & reſpondetur ei, ibid. num.38.
Princeps poteſt obligare in conſcientia: & ſi leges non declarent, obligant,p.157. & ſeq.
Princeps an poſſit vendere bona Regiæ Coronæ? Aliqui negant, ſed concedendum,ſi non ſit in grave præjudicium Regiæ Coronæ,p.249. n.26.
Principes, & Reges Caſtellæ, an vendere potuerint, & concedere Tertias Regales ,alienando à Regia Corona ? Affirmant plures , p.251.num.47. Sed contrarium dicendum eſt , ibidem n.48. & ſeq.
Principes an poſſint vendere , & alienare tributa ſibi à Regno conceſſa? Affirmant plures , p. 249. num.26. Sed contrarium probatur, ibid. num. 27. & ſeq. Unde Reges noſtri non potuere ſuper ipſis tributis cenſus (vulgò *Iuros*) imponere, pag.252. num.61. Et poſſunt ſolutiones ſuſpendere, & ſimil iter gratias & conceſſiones eorum,ibid. & ſeq.
Principes poſsunt ſimiles alienationes reſcindere , & repetere quidquid hoc modo fuerit alienatum à Regia Corona, ibid.
Principis tolerantia non dat jus ad præſcribenda tributa,etiam titulo demonſtrato,ibid.n.63.
Princeps poteſt vendere , aut concedere jus imponendi gabellas , prout ibi explicatur : jus tamen iſtud non præſcribitur . ibid.
Princeps affirmans de neceſſitate tributi , an ſit credendus ? Prima ſententia affirmat, p.254. num.4. Secunda negat, ibid. num 5.
Explicatur Clementina 1. *de Probat.* quam aliqui extendunt ad Principem ſecularem,ibid.nu.7.& ſeq.
Princeps eſt credendus quando atteſtatur de facto proprio , & abſque præjudicio tertii. ibid. numer. 9. Verùm ei non creditur quando de contrario conſtat . ibid. num. 10. In dubio ſi teſtetur de facto proprio , & in ſuo officio , creditur ei,ibid. num.11.
Si verò non de facto proprio teſtetur , ſed de quo ſcit per relationes,non creditur,ibid.n.12.
Princeps an ſit credendus , quando imponit tributum ad cauſam ſibi immediatè tangentem,ibid.n.14.
Princeps ſi ſimul cum Comitiis imponit tributum , credendum cauſam eſſe juſtam,& certam,p.255. n.15.
Princeps debet ſervitiis ſatisfacere per alios modos, quàm alienando bona Coronæ, p.250.n.37.
Princeps poteſt ſibi moratorias concedere , pag. 251. num. 61. & ſeqq.
Princi pi quando ſit credendum,p.254.n.4.& ſeq.
Princeps ſemper illicitè mentitur , ibid.n.12.
Princeps an aliquando poſſit contractus reſcindere ? Prima ſententia negat, p.260. nu.9. Secunda affirmat abſque cauſa , ibid. n.10. Tertia aſſerit cum cauſa reſcindere poſſe,ibid.n.11.
Princeps an legibus ſuis obligetur? Et aſſerendum ex vi directiva teneri, & ratione ſcandali,p.295.n.3.
Princeps quando villas, & caſtras dat Eccleſiis, ſemper intelligitur reſervaſſe juriſdictionem in eſſe ſecularitatis, pag.309. n.4. & ſeq.
Princeps an abſque cauſa poſſit in ſuis legibus diſpenſare ? Prima ſententia negat, p.343. n.29. Secunda dicit valere diſpenſationem,ſed Principem peccare,ibid.n.30.

PRIMITIAE.

de Primitiarum reſiduo an detur obligatio eleemoſynandi? Affirmandum videtur, p.307. nu. 59. Sed contrarium ſatis eſt probabile, ibid.à n.60 ad 64.
Primitiæ duobus modis conſiderantur , ut onus reale prædii , & fructus Beneficii, aliter ut ſtipendia adminiſtrationis, ibid. num.61.
in Primitiis an dimidium habeant Canonici S. Iuſti, & Portionarii Toletani, in hoc Archiepiſcopatu Toletano? Affirmandum videtur, ibid.n.65.
Sed contrarium tenendum aſſeritur, ibid.n.66.
Primitiæ differunt à Decimis,ibid. nu.67. Et accipiunt naturam oblationis, p.308.n.70.

PRIVILEGIUM, & PRIVILEGIATUS.

Privilegiatus contra alium ſimiliter privilegiatum non utitur ſuo privilegio,niſi fortius ſit illius privilegium, p.11.nu.12. Et quando magis pium exercetur,ibid.n.13.
Privilegia adverſantia juri communi, ſtrictè interpretantur,latè verò ei congruentia,p.17.n.57.
Privilegia, quando exequuntur , ſunt exhibenda coram Ordinario,ibid.n.58.
in Privilegiis non fit extenſio ad omiſſa,p.60.n.19.
Privilegium perſonale extinguitur cum perſona, ibid.n21.Et extinguitur extincta qualitate, ibid.n.22. Vel extincto exercitio, ratione cujus concedi tur,p.61.n.23.
Privilegium an ceſſet ceſſante cauſa ? Prima ſententia affirmat . p.86. n.41. Secunda negat , ibid. Ceſſat privilegium ſi læditur jus tertii,vel ſi uſus redditur iniquus,p.87.n.44.& ſeq.

in

in Privilegio expreſſum videtur, quòd ſequitur neceſſariò ex illo p.89.n.63.
Privilegium habendi Oratorium, an ſit odioſum, pag. 93.n.14.
Privilegium nequit extendi, niſi ad perſonas expreſſas, ibidem num.16.
Privilegium inſertum in corpore juris, niſi de eo fiat ſpecialis mentio, non derogatur,p.92.n.9.
Privilegium Religioſorum præſcribuntur per immemorialem, vel per quadraginta annos, imò per non uſum, & ſpatio ſexaginta,vel centum annorum,p 128.n.24.
Privilegium non ſolvendi decimas per non uſum perditur, ibid. num.25.
Privilegium ad dotem repetenda tranſit ad filios. pag. 231. num.3.
Privilegia, & alias conceſſiones an Princeps poſſit revocare, urgente cauſa? Aliqui affirmant,& alii negant, p.261. num.21. & ſeqq.Si privilegium,ſeu conceſſio eſt ad arbitrium, poteſt revocari,& abſque cauſa, ibid.n.22. Aliter ſemper erit cauſa neceſſaria, ibid n.23.& ſeq.
ſi Privilegium,aut conceſſio ſit remuneratoria, aliqui negant revocari poſſe, ibid:num.26. Sed contrarium ſuſtinetur, ibid. num.27.
Privilegium an perdatur per unicum actum contrarium? Aliqui affirmant, & alteri negant, p.280. num,43. & ſeq.Reſolvitur. p.281.n.44.
in Privilegiis non requiritur,ut quis eis utatur vivo concedente, p.344. n.39.

PROMISSIO.

Promiſſio fidejubendi non eſt fidejuſſio, ſed ſolvendo intereſſe liberatur,p.328.n.62.
Promiſſio vendendi non eſt venditio. Idem obſervatur in commodato, depoſito, mutuo, renovatione, ſolutione, & infeudatione,ibid.
Promiſſio ſe obligandi, eſt obligatio, ibid. num.63. Et promiſſio liberandi parit liberationem: & promiſſio donandi eſt donatio, ibid.n.64.
Promiſſio ſolùm cum propoſito donandi, non eſt donatio, ibid. n.65.& ſeq.
Promiſſio generalis de donando, non eſt donatio, ibid. num. 67. Sed promiſſio donandi rem certam,aut quantitatem, eſt donatio,p.329.nu.71.Et extenditur ad donationes propter nuptias, aut inſtitutionem majoratus.ibid.

PROTESTATIO.

Proteſtatio maximè ſi fiat, repetuntur funeris impenſæ, pag.143. num.1.
Proteſtatio iſta eſt neceſſaria,dicendo ex pietate illas non facere, ſed animo repetendi. Eſt dubium, an quando proteſtatio facta non eſt, intelligantur expenſæ factæ animo repetendi, & arbitrio judicis relinquitur,ibid.n.2.
Maritus non proteſtans,an poſſit repetere expenſas factas in funere uxoris? Prima ſententia negat, & id obſervatur in conſanguineis,ibid. n.3.Secunda affirmat,p.144. n.4.
Ponuntur tres caſus. Primus quando maritus haberet dotem reſtituendam. Secundus quando mulier non haberet dotem, nec matrem. Tertius quando nec dotem, nec patrem haberet. In primo caſu abſque proteſtatione maritus repetet, ibid.n.5.
Proteſtatio an ſit neceſſaria, ut maritus repetat expenſas ultimæ infirmitatis mulieris? Aliqui affirmant, p.147.num.39.Alteri negant,ibid.n.40.
Si mulier ſimul cum infirmitate potuit præſtare obſequia, & ſervitia domi, hæ expenſæ non repetuntur, vel ſi ſint modicæ expenſæ,p.148.n.41.
Si infirmitas fuerit longa, & magnarum expenſarum,verùm non excedat dotis fructus,non repetet,etiamſi maritus proteſtetur, ibid.n.42.
Idem ſi infirmitas mulieris procedat ex culpa viri, ibid. nu. 43. Si tamen fructus non ſufficiant,ex capitali dotis compenſabit, aut repetet,.ibid.n.44.
Proteſtari an debeat maritus ad repetendas funeris impenſas, ſi mulier non habens dotem, patrem habeat ad has expenſas ſufferendas? Aliqui affirmant,ſed meliùs contrarium conſulitur, ibid.n.45.& ſeq.
Proteſtari an teneatur ſocer habens domi filiam uxoratam,ſi fecerit magnas expenſas ad illam curandam, ut repetat à genero? Affirmativè cum diſtinctione reſpondetur, ibid. nu. 47. Fit inſtantia,ibid.n.48.
abſque Proteſtatione, ſi ſocer fecerit litis expenſas pro genero, non repetere poſſe aſſerunt plures, ibid. Sed contrarium defenditur, ibid.n.49.
ſi Proteſtetur gener,nolle patrem ſuæ uxoris, ut domi habeat,& de infirmitate curet,nec expenſas faciat, tunc ſocer non repetet,p.149.n.53.
Si verò ſocer adhuc dotem non tradiderit,repetet, & compenſabit, in aliquorum ſententia. Alteri tenent contrarium,ibidem n.54.Sed admittitur prima ſententia,ibid.n.55.
Proteſtatio impedit repetitionem, niſi adſit favor publicus, ibid.
abſque Proteſtatione poſſe maritum repetere expenſas ultimæ infirmitatis uxoris aſſerit Cancerius,ibid.n.56.

PURIFICATORIUM.

Purificatorium ad Miſſam celebrandam,quale eſſe debeat, pag.75. num.12.

Q

QUAESITORES ELEEMOSYNARUM.

QUæſitores eleemoſynarum olim facilè concedebantur,hodie verò interdicuntur,p.273.n.1.& ſeq.
Quæſitores contra decreta poſſunt puniri à Judice Eccleſiaſtico, ſeu laico, ibid.n.4.
ſi Quæſitor delinquens fuerit Clericus deprehenſus in fragranti, an poſſit capi à judice laico,& mitti ad Eccleſiaſticum, pag.274, n.5.Sed explicatur hæc doctrina,ibid.n.6.
Quæſitores non abſolutè prohibentur, ſi habeant juris requiſita, ibid.n 10. Quapropter ad cauſam neceſſariam poſſunt dati à papa,Archiepiſcopo,vel Epiſcopo, ibid.nu.11. Ubi etiam requiſita recenſentur,ibid.
In Caſtella ultra deputationem Ordinarii,requiritur Supremi Senatus licentia,& ſi adſint indulgentiæ, ultra examen Ordinarii requiritur etiam illud Commiſsarii Generalis Cruciatæ, ibid. nu.12.
An jus petendi eleemoſynas poſſit locari? Aliqui affirmant, ibid. n.13.Sed non admittuntur, ibid.& ſeq.n.15.
Fratres Mendicantes non ſolùm per ſe poſsunt petere eleemoſynas,ſed etiam per alios,p.275.nu.16. Et abſque licentia Ordinarii,ibid,n.18.
an Quæſitor eleemoſynarum alicujus Imaginis poſſit vivere de eleemoſynis? Diſtinguitur,& negatur. Admittitur verò quando quis peteret ex licentia Superioris,ibid.n.19.
Sed non ſunt dandæ tales eleemoſynæ laborare valentibus,ibid n. 20.Ubi de petentibus ad pauperes verecundos.ibid.

R

REGULARES.

REgulares habent plura privile gia celebrandi in quolibet loco ſuper Altari portatili,quæ referuntur,p.95.n.29.
An ſublata ſint per Tridentinum?Affirmant aliqui, ibid.num.30. Alteri negant, ibid. num. 31. Admittitur prima ſententia, & ſecunda non eſt in praxi tenenda, ibid. num.32. Fit inſtantia,& reſpondetur eidem,ibid.n.33.
Limita cum Patribus Jeſuitis ad Miſſionem miſſis: quod ex conſtitutione Urbani extenditur ad alios Regulares ad Indias miſſos,ibid.n.34.
Regulares habent plura privilegia, ut habeant Oratoria in ſuis Monaſteriis,clauſtris, hoſpitibus,& grangiis, intra, & extra Monaſteria,ibid.n.35.
Poſſunt illa erigere Generales,& Provinciales,irrequiſito Epiſcopo,ibid n.36.
An hæc privilegia ſint derogata per Tridentinum? Affirmandum videtur, ibid.nu.37. Sed contrarium eſt communis ſententia, ibid.n.38.
Regularium in Oratoriis an poſſint celebrare exteri Sacerdotes? Ponitur ratio dubitandi, p.96. n.39. Sed reſolvitur affirmativè ibid n.40.
An idem ſit dicendum de grangiis Regularium? Prima ſententia negat, ibid. num.41.Secunda affirmat, ibid. nu.42. Admittitur ſecunda,ibid.n.43.& 44.
Regulares ex privilegio habent jus funerandi, & poſsunt ſepelire ſuos famulos,& alios eligentes ſepulturam in ſuis Eccleſiis, dummodò quarta Parochiæ relinquatur.p.125.n.1.
Regulares parati ad levandum corpus in ſua Eccleſia ſepeliendum, an id poſſint facere invito Rectore? Prima ſententia affirmat,ibid.n.2.Secunda negat.ibid.n.3.
Regulares ut intrent in alienam Parochiam,irrequiſito Rectore, jam abrogatum eſt ex conſtitutione Leonis X. & eſt ſtandum juri communi,p.126.n.4.
Admittitur ſecunda ſententia,& ſtabilitur, ibid.nu.5. Fit inſtantia,& reſpondetur,ibid.n.6.& ſeq.
ſi Regulares irrequiſito Parocho, & venia non petita intrent in alie-

alienam Parochiam,ad aliquem ſepeliendum, Rector eis poterit auferre illorum Crucem,ibid.n.8.
Regulares requiſito Parocho, & venia petita valent eo invito intrare, & corpus levare, ibid. n.9. Et reſolvitur tota quæſtio, ibid.nu.10.
An ad Regulares pertineat, vel ad Parochum deſignare vias ad funus, quando cadaver tumulatur in Eccleſiis Regularium? Prima ſententia dicit ad Regulares pertinere. pag. 127. num. 12.Secunda tenet pertinere ad Parochum defuncti,ibid. n.13.
Admittitur hæc ſententia, abſolutè loquendo, & explicatur, ibid.n.14.
Regulares an poſſint ire proceſſionaliter pro defuncto? Aliqui affirmant,& alii negant,ibid.n.15.
Regulares nequeunt facere proceſſiones, niſi intra ambitu ſuæ Eccleſiæ: excipitur tamen aliter ſtante conſuetudine, ibid. nu.16.
ad Regulares pertinet deſignare vias funeris, ſi ſit ducendum per locum exemptum, à quo parum diſtat domus defuncti, ibidem nu.17.
Regulares quando corpus in ſua Eccleſia eſt tumulandum, nequeunt dicere antiphonam *Subvenite*, nec faci at aſperſionem aquæ benedictæ, ſed fieri debet à Parocho defuncti. Officium verò dicendum in Eccleſiis Regularium ad illos pertinet nec Parochus dicet abſque expreſsa licentia Superioris, ibid. nu.18. & ſeq.
Regulares an poſſint ire proceſſionaliter cum Cruce ad aſportandum corpus defuncti in ſua Eccleſia. Prima ſententia affirmat, p.129. n.30. Secunda negat, ibid. num. 31. Tertia dicit ſtandum conſuetudini, ibid. num. 32. Admittitur hæc ſententia, ibid.n.33. Et quid in praxi, ibid. num. 34. Ubi explicatur declaratio Cardinalium, ibid.& ſeq.
Regulares quando ad funus vocantur, debent convenire in Parochia defuncti,aut in ejus domo,p.132.n.58.
Regulares diverſorum Ordinum concurrentes ad funus, vel proceſſiones,debent ſuam præcedentiam tenere: ſed quomodo,referuntur ad id varia decreta, ibid.n.59.
Si non eſt conſuetudo, obſervanda eſt antiquitas cujuſcumque à ſua confirmatione,ibid.n.61.
Clerus ſecularis ſemper eſt præferendus,nec Religioſi cum Cleri cis ſunt permiſcendi,ibid. n.62.
Poſteà Canonici Regulares ſequi debent. Quidam dixerunt ob antiquitatem Baſilianos eſſe præferendos Benedictinis, poſteà Religiones Mendicantes ſequantur, inter quas ſolet eſſe diſſenſio,ibid.n.63.
Patres Prædicatores præcedunt aliis Mendicantibus, ibidem num.64. Et ita obſervatur. In Hiſpania non eſt recepta Bulla Gregorii Decimitertii, quod ſufficit per decennium, ibid. & ſeq.n.65.
Poſt Prædicatores præcedunt alii Mendicantes, nempè Fratres Sancti Franciſci, & Eremitæ Sancti Auguſtini, Carmelitæ, & Patres Sanctæ Mariæ de Mercede, & ſic in praxi ſervatur. p.133.n.66.
An quando Fratres Sancti Auguſtini Diſcalceati intrant ad habitandam domum deſertam à calceatis, præferendi ſint aliis Religioſis, quibus præferuntur Calceati? Affirmavit Tondutus, ibid. num.67. Sed contrarium defenditur, ibid & ſeq.n.68.
Regulares Prælati,& Religioſi in ſuis Monaſteriis ſunt ſepeliendi; ſi verò fuerint abſentes, & adſit Monaſterium ſui Ordinis ubi decedunt, ibi ſunt tumulandi, aliàs in Parochia, pag.184. num.82. Si fuerint in remotis,poſſunt eligere ſepulturam,p 185. n.83.
Novitius non eligens ſepulturam, ubi ſit ſepeliendus, Prima ſententia aſſerit, ſepeliendum eſſe in Parochia; aut in ſepulchro majorum,ibid.n.84.
Secunda dicit eſſe ſepeliendum in Monaſterio, ibidem num.85. Admittitur prima de jure communi, ſecunda verò ratione privilegiorum, ibid.n.86.
Eremitæ non Religioſi in Parochia ſepeliuntur,Religioſi verò in Monaſterio: quod idem dicendum de mulieribus ſpontè carceratis.ibid.n.87.
Tertiarii Ordinis S. Franciſci, ſi non eligant ſepulturam, ſepeliuntur in Parochia: limita ſi habent qualitates Bullæ Leonis Decimi. Vel ſi quando habitum aſſumunt, moneantur ipſos in Monaſterio eſſe ſepeliendos, ,ibid.num.88. Qui cum habitu S. Franciſci ſepeliuntur,habent privilegium, ut diſcooperti tumulentur, ibid.n.89.
Regulares Prælati an poſſint eligere ſepulturam? Prima ſententia ſolùm id concedit Generalibus, pag. 194. numer. 78. Secunda omnibus Prælatis concedit, ibid. nu.79.& 80. Prælatus ſi renuntiat,aut deponitur, ibid.non ſepelitur. Generales poſſunt irritare electiones ſepulturarum inferiorum, ibidem nu.81.
Regulares ſi facti fuerint Cardinales, Archiepiſcopi, aut Epiſcopi, poſſunt eligere ſepulturam,ibid.n.82.
Novitius poteſt eligere ſepulturam, ſimiliter Tertiarii, & converſi extra communitatem viventes,p.193 nu. 83. Et ſimiliter dicendum de expulſis,ibid n.84.

RELIGIO.

Religio Catholica Reſpublicas facit incolumes,p.53.nu.57.

RELIGIOSI.

Religioſi non ſubiiciuntur Epiſcopis, niſi in expreſſis, p.15. n.48.
Religioſorum privilegia aliis non communicantur. ibid.
Religioſi Mendicantes ſunt coadjutores Parochorum, & tenentur illos adjuvare in neceſſitatibus, pag.22. numer. 35. & ſeqq.
Religioſi an poſſint degere in oppidis ad petendas eleemoſynas, excipiendas confeſſiones, & prædicandum? Negarunt aliqui, ibid. n.37.& ſeqq.ad n.39.
Sed contrarium tenent alteri, & comprobatur, p. 23. à num. 40. ad 47.
In hoc dubio explicantur Decreta Clementis, & Urbani. ibid.
Religioſi ex licentia Superiorum poſſunt, cauſa exiſtente, extrà degere,p.24.n.47.
Religioſorum Mendicantium patrimonium eſt mendicatio, p.23. num.44
Religioſi nequeunt impediri,ut celebrent in Eccleſiis ſecularibus ibid.n.46.
Religioſorum,& Monaſteriorum multitudo, nec ſpirituali, nec temporali Reipublicæ expedit,p.24.n.48.
Religioſi abſque neceſſitate nequeuntextra clauſtra degere,etiam cum licentia ſuperioris; ſecus ſi cum neceſſitate degunt, p.25. n.59 & ſeq.
Religioſi cum licentia Superioris extra clauſtra degentes,quaſi in clauſtro ſunt, p.26. nu. 61. Tempus ſic permanendi relinquitur arbitrio Prælati,non Epiſcopi,ibid n.62.
Religioſi olim in domibus ſuis degebant,ibid.n.63.
Religioſi in oppidis morantes multa bona efficiunt, ibidem n.66.
Religioſi nequeunt vagari: ſi tamen extra clauſtra delinquant, poſſunt in Ordinario puniri,p.27.n.68.
Explicatur mens noſtrorum Archiepiſcoporum in his decretis, ibid.n.69.
Religioſi etiam poſt mortem ſunt exempti, p-60. & ſeq. num.18. & 19.
Religioſi exequutores teſtamentorum conveniuntur coram Ordinario,& ſi delinquant,ibi puniuntur,ibid n.20.
Religioſi poſſunt dare eleemoſynas extremè indigenti, etiam reluctante Prælato, p.265. n.3. Poſſunt etiam dare, ſi foris degant,aut Romam petant ex licentia Prælati,ibid.n.4.
Sed quid poſſint dare? Aliqui dicunt poſſe dare quidquid alii ſeculares ejuſdem profeſſionis, p.266. nu. 5. Sed melius aſſeritur poſſe dare quidquid Religioſi ejuſdem ordinis, & conditionis poſſunt, ibid.n.6.
Prælatus Monaſterii poteſt elargiri eleemoſynas ſolitas, ibidem num.7. Et Religioſus ſit aliquid ei ſuperfuerit parcè vivendo, ibid. num.8. Sed aliqui id negant, ibid. num 9. Reſolvitur, ibid. num.10.
Religioſo ſi alimenta concedantur, an detur licentia Superioris, ut ſi aliquid parcè vivendo acquirat, poſſit de eo eleemoſynari? Negat Layman, affirmat Sanchez, ibid. nu.11. Defenditur Layman, ibid.n.12.
Religioſi an ſint Equites Militares,p.293.n.33.
Religioſi facti Epiſcopi poſſunt repetere legitimam,cui renuntiaverunt,p.300.n.47.
Religioſi olim non erant Clerici, ſed laici, pag. 293. numer. 33. Et capiebant quartam partem hæreditatis paternæ,pag.294. nu. 38. Et aliqui in communitate non vivebant, ſed domi, ibid.& ſeq.n.42.
Religioſi quando poſſint fidejubere, & quibus requiſitis, p. 306. nu.49.
Religioſi ut donent aliquid, requiritur licentia Conventus, & ſi eſt aliquid mediocre, ſufficit licentia Superioris, p. 360. num.8.
Religioſi poſſunt aliquid reſervare ad uſum ex licentia Prælati, p.361.n.19.

REMEDIUM.

Remedium *legis 2. Cod. de reſcind. vendit.* non admittitur in coactis venditionibus,nec datur actio,niſi pro re integra, pag.13. num.26.
Remedio extraordinario quis uti non videtur, ſi adſit ordinarium p.94.n.21.& p.277.n.2.

RENUNTIATIO.

Renuntiatio ſemper intelligitur de bonis præſentibus, pag. 244. nu.62.

RESCRIPTA.

Reſcripta ſemper ſunt intelligenda abſque præiudicio tertii, pag. 16. n. 55.

REX.

Rex Hiſpaniæ eſt Patronus Eccleſiarum, quoad effectum tantùm præſentandi, pag 375. n. 68.

S

SALARIVM.

SAlarium an debeatur famulis Epiſcoporum, his defunctis? Prima ſententia negat, pag. 371. n. 32.

Secunda affirmat, pag. 373. nu. 33. Tertia de rigore juris denegat, & concedit ex æquitate, ib. n. 34. Reſolvitur, ib. n. 35.

Salarium quando conventum non eſt, taxatur per conſuetudinem, ib. n. 36.

Salarium debetur perſonis vacantibus honeſtioribus diſciplinis, etiamſi non fuerit conventum, ib. num. 37. Aliis verò, ſi eſt conventum, & de jure Regio, ſi etiam in libro ſint adſcripti, ib. nu. 38.

Salarium non conventum debetur perſonis ſolitis operas ſuas conducere, & cùm dominus ſimiliter conducat, ib n. 39.

SEPELIENDI, & FUNERANDI RITUS.

Sepeliendi, & funerandi ritus latè tractantur, pag. 106. n. 1. Varia genera mortuos ſepeliendi, remiſſivè, ibid. n. 2. Hoc opus pium eſt, & in ſacris Litteris commẽdatum, ib. n. 3. & ſeq.

Sepeliendi defunctos ab exordio Eccleſiæ ſimilis pietas orta eſt, ib. num. 5. Summantur antiqui ritus funerandi, ex Durantio, ib. num. 6.

Sepeliendi ritus non admittunt hæretici, & impiè reprobant, aliquibus teſtimoniis malè adductis, pag. 107. n. 7. Sed refelluntur, ib. n. 8. Et explicantur aliqua jura, ib. n. 9.

Explicatur mens Vvaldenſium, & referuntur bona ſepulturæ Eccleſiaſticæ, ib. n. 14.

In funeribus Chriſtianorum, Pſalmi, & ſanctæ preces cantantur, pag. 116. n. 1. Dicitur Miſſa funebris, & non thurificatur, ſed corpus defuncti, & ſepultura, & ſimul cum acqua benedicta aſpergitur, ib. n. 2.

An Miſſa de *Requiem* poſſit celebrari corpore præſente, & de aliis circa hanc Miſſam, vide verbum *Miſſa*.

ad Sepeliendum nequeunt Confraternitates accedere, niſi expreſſim vocatæ, nec poſſunt Grucem erigere, pag. 123. n. 52.

ad Sepeliendum vocati debent convenire ad Parochiam defuncti, vel ad alium locum ſecundùm conſuetudinem, nec permittendum expectare per vias, ſed in Parochiali, aut in alia Eccleſia, ut requirit conſuetudo, ib. n. 54.

Funus non eſt ſtatim peragendum, ut deceſſit defunctus, ſed quantum temporis expectandum, diſſident Doctores: aliqui expectandum dicunt per ſex horas, alteri per octo, alii per vigintiquatuor; ſed hoc arbitrio prudentis Parochi relinquitur, ib. n. 56.

Quando eſt dubium, an infirmus defunctus ſit, necne, Medici ſunt conſulendi, quorum placito ſtandum, ne fortè vivus quis ſepeliatur, quod ſæpiùs accidit, & referuntur morbi, ubi hoc accidere valet, ib.

Ponuntur ſigna, quibus valet agnoſci, an infirmus è vita migraverit, ib. n. 57.

Funus tempore peſtis citiſſimè peragendum, ib. n. 60.

Funus qua die, & hora eſt peragendum, decretum non eſt. Nocturno tempore, ſecretè & abſque exequiis non eſt faciendum, nec in curribus. In die Paraſceves funus eſt peragendum, ſed non pulſatis campanis, ib. n. 61.

Funeris pompa nequit moderari in damnum Clericorum, pag. 138. num. 35.

SEPULTULA.

Sepultura eſt debita cadaveribus de jure naturali, & ſtatutum in contrarium non valet. Si teſtator omnia bona ſua exhauriat, excepta eſt ſepultura, pag. 168. n. 1.

Sepulturam quia contempſit Anaxagoras, reprehenditur, ib. n. 2. Et ad Magiſtratus curam pertinet, ut defuncti ſepeliantur, ib. num. 3.

Sepulturæ tradere cadaver aliquando cadit ſub præcepto, ſi non eſt alius qui ſepeliat, & tu abſque incommodo facere poſſis, ib. n. 4.

Sepulturæ omnium fuit cura, maximè Chriſtianorum, & bona ſepulturæ recenſentur, ib. n. 5.

Sepultura varia habet nomina, ib. n. 6. In præſentia agendum de ſepultura Religioſa, prout Eccleſia Catholica admittit, ib. n. 9.

Sepultura diffinitur, & ejus diffinitio explicatur, ib n. 10. Sepulturæ aliæ ſunt communes, aliæ privatæ, quæ fuerint communes apud Romanos, pag. 169. n. 11.

Eccleſia habet communes ſepulturas, & quæ iſtæ ſint, ibid. nu. 12. Privatæ ſepulturæ; aut ſunt familiares, aut hæreditariæ, & quæ ſint iſtæ, explicantur, & quomodo literis ſecernebantur, ib. nu. 13.

Sepultura Eccleſiaſtica, quomodo privata, & propria fieri poſſit, difficilè eſt. Sepultura nequit vendi, ſicut etiam apud Ethnicos, ſi fieret Religioſa, ib. n. 14.

Sepultura extra Eccleſiam ad ſepeliendos infideles vendi valet, ibid. nu. 15. Quod ſimiliter dicendum, quando terra venditur etiam ad ſepeliendum Chriſtianum, qui nequit ſepeliri in loco ſacro, ib. n. 15.

Sepultura ſacra an vendi poſſit? Prima ſententia negat, pag. 170. num. 17. Secunda dicit vendi poſſe quoad uſum, ibidem num. 18. Tertia idem dicit quoad terram, ſemota conſecratione, ib. n. 19.

Difficultas conſiſtit in ſegregatione ſpiritualitatis ab aliquo temporali, ut vendi poſſit. Aliqui dicunt vendi poſſe ratione materiæ, ibid. num. 20. Sed modus iſte rejicitur, ib. n. 21. Alteri aſſerunt, ratione uſus vendi valere, quatenus datur, & procedit obligatio, ne ibi alius ſepeliatur, niſi ejus familia, aut hæredes, ib. n. 22.

Ratio uſus rejicitur, ib. nu. 23. Et admittitur quatenus eſt obligatio ibi em alium non ſepeliendi, ib. n. 24.

Alii Doctores aſſerunt, pretium accipi poſſe ratione loci honorabilioris, ib. n 25. Non admittit Suarez, ib. n. 26. Sed probabiliter defenditur, ib. & ſeq.

Modus ſecurus eſt, ut pretium pro ſepultura non recipiatur, ſed per modum eleemoſynæ, ad Fabricam, vel ſuſtentationem Clericorum, & cum authoritate Prælati, ib. n. 27.

Sepultura privata, & propria poteſt aliis vendi, ſed cum cautela, de qua ibi, pag. 171. n. 28.

Sepultura cum univerſitate bonorum vendi valet, ſicut juſpatronatus, ib. n. 29.

Sepultura an cedi valeat? Prima ſententia negat, ſicut nequit cedi juſpatronatus, ib. n. 30. Secunda ſententia affirmat, quia jus ſepulchri eſt vendibile, ib. n. 31.

Tres caſus in hoc dubio contemplantur. Primus quando jus ſepulchri eſt ſimplex. Secundus quando ſepulchrum fuerit hæreditarium. Tertius quando fuerit familiare. Quoad primum ius ſepulchri eſt ceſſibile probabiliter, ib. num. 32. Fit inſtantia, & reſpondetur, ib. n. 34.

Sepulturæ jus liberaliter cedi poteſt, ſicut gratis in hereditate, aut legato relinqui valet, ib. n 35. & ſeqq.

An jus iſtud tranſeat ad Fideicommiſſarium univerſalem? Aliqui negant, & alteri affirmant. Explicatur Olea, ibid. num. 37. Aliter reſpondetur, pag. 172. n. 38.

Quando bona confiſcantur, jus ſepulchri non tranſit ad Fiſcum, ſi hæreditarium eſt, ſed extinguitur; tranſit verò ad Fiſcum Eccleſiaſticum, ib. n. 39.

Sepultura ſi eſt hæreditaria, an cedi poſſit, negandum videtur, & ponitur ratio, ib. n. 40.

Sed contrarium admittitur, quia poteſt legari, non tamen per titulum univerſalem, niſi ad hæredem, vel in parte, vel in tota hæreditate. Ius ſepulturæ poteſt permutari, ib. n 41.

Sepultura ſi eſt familiaris, an poſſit cedi? Affirmat Olea, ibid. num. 42. Sed contra arguitur, Familiaria ſepulchra ſolùm ad poſteros, ſeu familiares conceduntur, & extincta familia, redeunt ad Eccleſiam, ib. n. 43.

Sed poteſt cedi commoditas, ibid. n. 44. Sepulturæ jus familiare nequit extraneo cedi, nec in meliori ſententia ad illum valet transferri per hæredis inſtitutionem. Aſt poteſt cedi in quolibet de familia, pag. 173. n. 45. Fit inſtantia, & reſpondetur ei, ib. n. 46.

Sepultura ſi pretio ceditur, aut venditur, an debeatur gabella? Prima ſententia negat, ib. n. 47. Secunda affirmat, ib. n. 48. Admittitur prima, ib n. 49.

Sepulturæ jus familiare taxativè non tranſit ad extraneos, ſecus ſi non taxativè concedetur, pag. 174. n. 52. Sed contrarium abſolutè defenditur, ib. n. 54.

Sepulturæ jus ſi eſt independens à cohærentia bonorum, tunc rectè procedunt diſtinctiones Doctorum, ib. n. 55.

Quando quis habet domicilium in civitate, & recreationis cauſa, vel ad opus rurale exierit, & ibi moriatur, an in rurali ſepultura eſt tumulandus, vel in urbana? Et in rurali tumulari debere affirmandum videtur, pag. 177. n. 12. Sed contrarium aſſeritur, pag 178. n. 13. & 14.

Vbi ſunt ſepeliendi tranſeuntes, & vagamundi, non eligentes ſepulturam? Prima ſententia dicit ſepeliendos eſſe in Cathedrali, ib. n. 15. Secunda dicit dari præventionem inter Cathedralem, & Parochialem, ib. nu. 16. Tertia affirmat ſolùm in Parochiali ſepeliri debere. Quarta diſtinguit, ſi tranſiens, aut vagus ibi moretur, eſſe ſepeliendum in Parochia, alias ſecus, ib. n. 17.

In hoc dubio obſervanda eſt conſuetudo, ib. n. 18.

Si non adeſt, & vagus, vel tranſiens moritur in hoſpitio ſito intra limites alicujus Parochiæ, ib. eſt ſepeliendus, ib. n. 19. Si extra moriatur, ibi eſt difficultas, & affirmandum videtur adhuc in Parochia tumulandum, ib. n. 20.

Limita in Epiſcopo, quia in Cathedrali eſt ſepeliendus: ſed

quid de Clericis, & Religiosis peregrinis ? Aliqui dixerunt sepeliendos esse in Cathedrali, ibid. num. 21. Alii in Parochiali, pag. 179. n. 22. Quod admittitur, ibid. num. 23. Notandum quod si transeuntes aliquo morbo contagioso moriantur, sint sepeliendi in sacro loco, sed non periculoso vivis, ib. n. 24.

Qui habet domicilia divisa, est sepeliendus in Parochia, ubi Sacramenta recepit, sive ruri, sive in civitate. Si in civitate habuerit duas Parochias, ubi degit, & decessit, ibi tumulandus est, ib. n. 25.

Sepulturam si non elegerit defunctus, sepeliendus in sepulchro majorum, ib. n 26. Et qui sint majores, ib. n. 27.

Si quis habuerit sepulturam in una Ecclesia suorum avorum, & in altera sepulturam patris, & matris, disquiritur in qua est sepeliendus, si sepulturam non eligat ? Prima sententia asserit tumulandum in sepultura avorum, ib. n. 31. Secunda in patris sepultura, ib. n. 32.

Resolvitur distinguendo. Si pater casu ibi decedat, sepeliendus in avorum sepultura, ib. n. 33.

Si pater designavit propriam, aut familiarem sepulturam, tunc in patris sepultura sepeliendus est, ib. n. 34.

Quando pater est sepultus in una Ecclesia, avus in altera, proavus in alia, in qua istarum sepeliendus ? Aliqui dicunt in Ecclesia Parochiali esse sepeliendum, alteri cum patre : quod de consuetudine admissum, pag. 180. nu. 35. Et explicatur hæc consuetudo, ib. num. 36.

Quando quis vult excludere Parochiam, & sepeliri in sepulchro majorum, id debet plenè probari, ut sit de linea, & agnatione effectiva, & non sufficit probare de agnatione, ib. num. 37.

SEPULTURA ELIGENDA.

de Sepultura eligenda edictum est permissorium : quilibet adultus potest eam eligere, nisi à jure prohibeatur, & ad id ponitur ratio decidendi, pag. 187 n. 1.

Impugnatur, & datur altera ratio, ibid. num. 2. Nullus fidelis valet præcipere, ut in profano loco sepeliatur, nec in sepultura hæreticorum, paganorum, vel excommunicatorum, ib. num 3

Sepulturam eligere in loco minùs Religioso an liceat ? Negavit Hugo. Votum non valet de minori bono. Non valet dispositio, ut quis indecenter sepeliatur, ibid. num. 4. Sed contrarium. num. 5 & 6. Votum quare debeat esse de meliori bono, ibidem.

Sepulturæ electio in loco minùs Religioso non est indecens, nec inepta, pag. 188. num. 7. Nec est facienda in mensa Altaris, aut, propè gradella, ib. n. 8.

Quando quis per errorem ibi fuerit sepultus, dicunt aliqui exhumandum, ib. n. 9.

Admittitur si recenter fuerint sepulti : si verò ab antiquo in mensa sepulti sint, transferenda sunt cadavera, secus aliàs, ibid. num. 10.

Sepultura aliena eligi valet cum consensu Patroni, non verò aliter, nisi adsit magna causa, seu necessitas, ib. n. 11.

Sepultura nequit eligi in Ecclesia, ubi quis sepeliri non valet, ut in Ecclesia Sancti Petri Romæ, aut interdicta, ibid. num. 12.

Sepulturæ electio non solùm valet fieri in Ecclesia seculari, sed etiam in Regulari, & etiam in Ecclesia Monialium, ibidem num. 13.

Nec Parochus id poterit impedire, aliàs remanet excommunicatus, & tenetur corpus restituere, ib. n. 14.

Sepulturæ electio debet esse libera asque fraude, & dolo, vel inductione, aliàs nulla erit. Referuntur contrarium facientes, ibid. num 15. Non tamen interdicitur spontaneum votum, seu promissio eligendi sepulturam in Ecclesia, vel Monasterio, pag. 186. n. 16.

In dubio dolus, aut fraus non solùm est prohibita ad electionem sepulturæ, sed etiam ad mutandam jam electam, ib. num. 17. Quomodo fiat suggestio, vel inductio, ib. n 18. & seqq.

An procedat hoc indultum, quando Religiosus, aut Parochus aliquem induxerit ad eligendam sepulturam in Ecclesia, ubi nullum commodum percipiunt ? Negandum videtur, ibidem n. 20. Sed communiter dicitur, electionem esse nullam, sed inducentes à pœnis liberari, ib. n. 21.

Explicatur doctrina ista, & quando est dolus, vel fraus, est nulla electio. Quando solùm fuerit inductio, aut consilium juratum, vel voto confirmatum, valebit electio, & cessabunt pœnæ, ib. n. 22.

An quando suggestio, vel inductio facta est a Religioso, vel Clerico, non tamen accedit votum, seu juramentum, electio sit valida, necne ? Et communis sententia affirmat esse invalidam, ib. nu. 23.

Secunda sententia tenet contrarium. A dissimilibus non fit illatio. Casus de quo jus non disponit censetur omissus, ib. n. 24.

Doctores hujus sententiæ non clarè loquuntur, & explicantur, ibid. num. 25. Resolvitur electionem illam validam non esse, sed irritari posse. Simplex persuasio absque fraude, & dolo non annullat electionem sepulturæ, pag. 190. n. 26.

An quando fit inductio cum requisitis *in cap. 1. de sepultur. in 6.* sed non cum effectu, inducens excommunicatus remaneat ? Prima sententia affirmat, ib. n. 27. Secunda negat, ib. n. 28.

In hoc dubio distinguitur : si inducens tantùm electorem ad voluntatem inefficacem trahat, tunc non incurrit, ibid. nu. 29. Si verò ad efficacem inducat, & elegit, verùm electio non fuit effectuata, tunc incurrit. Sed contrarium est probabile, ib. nu. 30.

Excommunicatio, si imponitur consulenti, non incurritur, nisi consilium effectum habuerit, ibid. Ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur præsumptio, & temeritas, & quomodo id intelligendum, ib. n. 31.

An quando quis jurat, vovet, vel promittit electionem sepulturæ in sua Parochia, aut in sepulchro majorum, sit ibi sepeliendus, annullata alia electione ? Affirmat communis sententia, nisi priùs alteram elegisset, ib. n. 32.

Sed hanc limitationem non admittit Samuellius, ibid. n. 33. Sed defenditur communis sententia, ibid. num. 34. Quando electio sepulturæ est nulla, sepeliendus est elector, ubi de jure communi est sepeliendus, ib.

An quando unus Religiosus, & Clericus alicujus communitatis hanc fecerit inductionem, electio sepulturæ valeat, necne ? Prima sententia validam dicit. Ius punit communitatem, quando tota, aut major pars deliquerit, pag. 191. num. 35. Secunda sententia tenet contrarium, ib. n. 36.

Si inductio fuerit facta à Prælato, vel à Sacrista communitatis, electio est nulla, ib. n. 37. Si verò id fecerit unus Religiosus, aut Clericus, idem defenditur, ib. n 38.

An decisio *in cap. 1. de sepultur. in 6.* Afficiat Parochum inducentem, ut in propria Ecclesia sepeliatur ? Prima sententia negat, ib. n. 39. Secunda affirmat, ib. n. 40.

Quando inductio fuerit facta à Parocho proprio, ut suus Parochianus in propria Parochia sepeliatur, probabilius est prima sententia, ib. num. 41. Quando Parochianus esset alienus, certa est secunda sententia, ib. n. 42.

Pacta, & conventiones inter Parochias, & Monasteria circa sepulturas sustinentur, ib n. 43.

Electio sepulturæ benè committitur alterius voluntati, ibidem num. 44.

An si Commissarius relinquatur ad eligendam sepulturam, possit eligere post mortem mandantis ? Prima sententia negat, ibid. Secunda affirmat, ibid. num. 45. Tertia id negat in casu, quando adesset Ecclesia habens antiquissimam consuetudinem sepeliendi non eligentes sepulturam, pag. 192. n. 46. Admittitur secunda, & defenditur, ib. n. 47.

Ad electionem sepulturæ requiritur pubertas, & conceditur hæc facultas filiusfamilias, ib num. 48.

Si filiusfamilias moriatur non electa sepultura, an pater possit eligere ? Affirmandum videtur, sed contrarium tenendum, nisi adsit consuetudo, ib. n. 49

Impubes nequit eligere sepulturam, nisi malitia suppleat ætatem, aut si pubes factus ratificaverit electionem, ib. n. 50.

An pater possit eligere sepulturam pro filio impubere ? Prima sententia affirmat, ib. num 51. Secunda asserit posse patrem eligere pro filio vivente, non verò defuncto, ibid. n. 52. Tertia negat, nisi adsit consuetudo, ib. n. 53.

Adnotatur æquivocatio P. Molinæ, ibid. num. 54. Si adsit consuetudo, admittenda est, quam firmat Villalobos, sed non admittitur, ib. & seqq. n. 55.

Vide verbum *Pater*.

Sepulturam eligere amicus pro amico an possit ? Affirmant aliqui, pag. 193. n. 67.

Alteri negant : admittitur hæc sententia, & respondetur contrariæ, ib. n. 68. Nec frater potest eligere pro fratre, ib. n. 69.

An valida sit consuetudo, ut amicus pro amico, frater pro fratre, & avus pro nepote sepulturam eligat ? Affirmant aliqui, pag. 194. n. 70. Sed contrarium defenditur, ib. n. 71.

Eligere sepulturam nequit tutor pro pupillo. Sed est dubium, an per consuetudinem admissam à patribus, possit electio fieri à tutore ? Affirmant aliqui, ib. n. 72.

Quod extendit Samuel, etiamsi non esset consuetudo, sed reprobatur, & affirmatur nec per hanc consuetudinem posse tutorem eligere sepulturam minoris, ib. n. 73.

Eligere sepulturam potest servus pubes Et dicunt aliqui, dominum eligere posse pro servo impubere, ib. n. 74. Explicantur, & & contrarium admittitur, ib. num. 75.

Sepulturæ electio probatur, ut ibi, pag. 195. num. 85. An probebetur ex testamento, aut codicillo invalido, negavit Samuellius, ib n. 86. Affirmant plures, ib. n. 87. Explicatur hæc ultima sententia, ib. n. 88. Et asseritur sufficere solemnitates testamenti pii, ib. nu. 89.

Et quid si adhuc deficiat hæc solemnitas, dissentiunt Samuellius, & Marchetus, ib. n. 90. Componuntur, ib. n. 91.

ad Sepulturæ electionem probandum sufficiunt duo testes singulares; si verò varii sint, conjecturis standum, ibid.num. 92. Si consanguinei sint, adhuc probare asserunt aliqui, ibidem nu. 93. Ex solo dicto confessarii probari hanc electionem, dicunt aliqui, ib. num.94. Explicantur; ib.num.95.

SEPULTURA INTERDICTA.

Sepultura Ecclesiastica interdicta est Infidelibus, & quibuscumque sacrum Baptisma collatum non est: Et si de facto sepeliantur in loco sacro, exhumantur, pag 166. n.1.

In Ecclasiastica sepultura non sepeliuntur infantes, licèt habeant parentes Christianos, nisi fuerint baptizati: Si verò in ventre matris decedant, cum illa sepeliuntur: si dubitetur an fœtus vivat, scinditur, ib. n.2.

Si infans fuerit tantùm baptizatus in umbilico, aut in capillis, an sit sepeliendus in sepultura Ecclesistica, negavit Marchantius, affirmant alteri, ib. n.3.

Explicatur hæc doctrina, & quando baptismus est validus probabiliter infans in sepultura Ecclesiastica est sepeliendus, sicut admittitur ad alia Sacramenta, absque præjudicio tertii, ib. num.4.

Fit replica. An infans in utero matris possit validè baptizari? Negant aliqui, alteri affirmant: admittuntur, & consequenter, sic baptizati ad sacram sepulturam, pag. 197. num.5. & seqq.

An infans in secundina involutus baptizatus, sit mandandus sepulturæ Ecclesiasticæ, pendet à quæstione illa, an similiter sit validus Baptismus? Negarunt aliqui, affirmant alteri, ibidem num.7. Unde asserunt sepeliendum in sepultura Ecclesiastica, ib. n.8.

Bruta tribus tunicis involvuntur, homines verò duabus, ib.n.9. Fœtus aliquando cum eis, & communiter sine eis nascitur, ib. num.10.

An infans ablutus cum secundina, remaneat baptizatus, examinatur? Negandum videtur, ib. n. 11. Sed contrarium probabile, ib. n.12. Limitatur, ib. n.13. Similiter abluti ad sepulturam Ecclesiasticam admittuntur, ib. num.14.

Sepultura Ecclesiastica interdicta est sibi mortem conscisentibus. Limita nisi furore, aut dementia, & contra suam voluntatem fuerint occisi. Si quis se vulneraverit animo seipsum occidendi, & postèà pœnitentiam egerit, sepelitur in loco sacro, ib. nu.15.

Furor probatur conjecturis, pag.198. n.16.

An quando quis invenitur in puteo suffocatus, vel laqueo suspensus, sit in loco sacro sepeliendus? Neganduum videtur, ib.n. 17. Sed contrarium communius est, ib nu. 18.

Explicatur communis doctrina, & limitatur, si adversus defunctum sit vehemens præsumptio de desperatione, ibid. nu. 19.

Sed adhuc in his casibus magnoperè considerandum, ex amentia, furore, vel alia causa potuisse seipsum interficere, ibid. n.20. & seq.

An quando vulnus, seu suspensio ita facta est, ut ex intervallo potuerit pœnitere, ad sepulturam sacram sit admittendus? Admittunt plures ad privata, ib. n. 22. Sed etiam ad publicam sepulturam extendendum, si defunctus fuerit bonæ vitæ, ib. num.23.

Id à judicibus considerandum. Laudatur Ferro dans sepulturam homini se in flumen projicienti, suscepta informatione furoris, ibid. num.14. Aliàs semper erit tradendus sepulturæ Ecclesiasticæ, nisi ex informatione constet ex desperatione se interfecisse, ib. n.25.

An quando quis seipsum interficit, quintum bonorum in Castella expendendum sit pro anima illius? Affirmandum videtur. Legatum relictum pro sepultura ab eo qui se interfecit, sustinetur, ib. n. 26. Sed si constet de desperatione, contrarium est tenendum. Legata pia sustinentur, etiamsi Fiscus bona capiat, pag. 199. n.27.

Secus si aliis modis excusetur, & sepulturæ Ecclesiasticæ tradatur ib nu.28.

De jure communi quando confiscentur bona seipsum interficientis, ib. n.30.

Lex 8 *tit.* 13. *lib.*8. *Recopilat.* decernens sibi mortem conscisentis bona ad Fiscum pertinere, nisi habuerit descendentes, an sit intelligenda solo in casu, de jure communi, ubi bona Fisco addicuntur? Affirmant plures, ib. num 31. Sed alteri inquiunt admittendam quoties constaret ex desperatione seipsum interfecisse, ib. n.32.

Admittitur hæc sententia, ib. n.33.

Lex illa tantùm intelligenda, quando constaret desperatè seipsum interfecisse, & hæc probatio incumbit Fisco, ib. n.34.

An quando quis desperatè se in laqueum injecit, aut vulneraverit, ast ex intervallo moritur, bona ad Fiscum pertineant? Affirmandum videtur, sed contrarium defenditur. Pœna non habet locum, nisi in casibus à jure expressis, nec in pœnalibus fit extensio, ib. n.35.

Morientes in torneamentis an carent sepultura Ecclesiastica? Affirmant plures, ib.n.36. Intellige si sint periculosa, ib. & seq.n.37.

An qui in taurorum agitatione decedunt, careant sepultura Ecclesiastica? Affirmant plures, pag 200. num.38. Negat Villalobos, ibid num 39. Distinguitur, & si cum periculo gravi agitentur, affirmatur, ibid & seqq.n.40.

Fit instantia ex Bulla Clementis VIII. & secundùm eam probabiliter admittitur sententia contraria, ibid. num. 41. Explicatur Bulla, ibid.n.42. Respondetur, ibid. num.43.

In taurorum agitatione absque periculo non est peccatum grave, nec moriens privatur sepultura sacra, ibid.n.44.

Quando quis maxima audacia, ac temeritate se præcipitem facit in taurorum hastis, & ibi decedit, caret sepultura Ecclesiastica, ibid n.45.

Sepultura Ecclesiastica denegatur raptoribus manifestis, nisi restituant. Tum latronibus furando morientibus, & Clerico concubinario notorio, ibid n.46.

Sepultura Ecclesiastica est deneganda decedentibus in duello, non solùm publico, sed etiam privato, ibid. num 47. Extenditur etiam si quis fuerit provocatus, & ad patrinos, spectatores, consiliarios, & auxiliantes, ibid.n 48.

An qui in duello decessit, & signa dedit contritionis, aut Sacramenta recepit, sit privandus sepultura Ecclesiastica? Prima sententia asserit carere debere sepultura Ecclesiastica, ibid. nu. 49. Secunda tenet contrarium, pag 201.n 50.

Resolvitur distinguendo, quando lethaliter quis vulneratur in duello, exit de loco illo, & signa dat contritionis, aut Sacramenta recepit, aut quando ibidem decessit. Primo casu aliqui tenent non esse sepeliendum in loco sacro. Sed contrarium tenendum, ibid n.51.

Est verò difficultas in secundo: & aliqui dicunt carere sepultura Ecclesiastica, ibid. num. 52. Sed si non urgeat necessitas terrendi alios, contrarium est tenendum, ibid. num.53. Fit instantia, & respondetur. Excommunicatus defunctus à censura absolvitur, ibid.num.54. In his dubiis consulendus est Ordinarius ibid.n.55.

An Missa possit applicari pro eo qui in duello dedit signa contritionis, non tamen est sepultus in loco sacro? Et negandum videtur. Pro excommunicato nequit Missa applicari, ibid.num. 56. Sed tenendum contrarium, ibid. num. 57. Et piè defenditur, ibid.& seqq.n.58.

In casibus quibus licitè acceptatur duellum, nulla pœna incurritur, & si aliquis decedat, sacra sepultura donatur, ibid.n.59

Excommunicatus majori excommunicat ione caret sepultura Ecclesiastica, pag.203.n.1.

An ad hanc pœnam incurrendam hodiè requiratur, quod sit nominatim denuntiatus? Aliqui negarunt, ibid.num 2. Alteri affirmarunt, ibid.num.3. Defenditur hæc sententia. Excommunicati dantes signa contritionis absolvuntur, & mandantur sepulturæ Ecclesiasticæ, ibid.n 4.

Excommunicatus jam sepultus, si dedit signa contritionis, quomodò absolvatur, ibid. num.5. Est de jure posita excommunicatio contra sepelientes excommunicatos in loco sacro, ibid. num.6.

An qui impœnitens moritur in excommunicatione minori, mandandus sit sepulturæ Ecclesiasticæ? Prima sententia negat, ibid num.7. Secunda affirmat. Tertia verò admittit primam, sed ad praxim dicit difficilem, ibid.n.8 & seq.

Defenditur secunda. Minor excommunicatio non privat communione Fidelium, ibid. num. 10 Per accidens potest privari sepultura Ecclesiastica, ratione peccati notorii, veluti si in contemptum censuræ noluisset absolvi, vel si in ipsa infirmitate receperit Sacramenta cum illa excommunicatione, ibid. num.11.

Sepultura Ecclesiastica denegatur notoriè interdicto, vel suspenso, sive interdictum sit locale, sive personale, sive generale, pag.204. n.12.

Limitatur quando quis fuerit solùm interdictus audiendi Divi, natempore interdicti, quia nequit in loco sacro sepeliri, ibid. nu.13.

Tum quando capitulum fuerit interdictum, Canonicus in loco sacro sepelitur, & datur disparitas, ib.n 15.

Collegium, seu communitas debet esse nominatim interdicta, ut particulares non sepeliantur in loco sacro, & similiter personæ ibid.n.16.

Clerici si non dederint causam interdicto, aut personaliter fuerint interdicti, in loco sacro sepeliuntur tempore interdicti, ibid.n.17.

An in festivitatibus, quibus tempore interdicti divina celebrantur, *ex cap. Alma mater*, possint laici sepeliri in loco sacro? Prima sententia affirmat, ibid. num.19. Secunda negat, ib.n.20.

Explicatur dubium. Indultum audiendi Divina contra aliquos non extenditur tempore interdicti ad sepulturam, ibidem nu. 21. Sed in dictis festivitatibus laicus potest mandari sepulturæ Ecclesiasticæ, pag.240.n.22.

Denique limita in ditionibus Hispaniæ, ubi adest Bulla Cru-

ciatæ, ex cujus vi Fideles tempore interdicti in loco sacro sepeliuntur, ib. n.23.
An qui tempore interdicti sepultus est in loco profano, cessante interdicto exhumandus, & sepeliendus sit in loco sacro? Negavit Bonacina, sed contrarium piè admittendum, pag. 205. n.4.
Hæretici, eorum receptatores, fautores, aut eis credentes, carent sepultura Ecclesiastica, etiamsi post mortem cognoscantur. Idem de Paganis, Judæis, & Infidelibus. Ex istis, si aliqui fuerint baptizati, & signa dederint contritionis, absolvuntur, & in loco sacro sepeliuntur, ib. n.25
Qui non adimplent annum præceptum confessionis, & communionis, nisi posteà dederit signa contritionis, non debent in sacra sepultura tumulari. Idem si aliquis in articulo mortis Eucharistiam recipere noluerit, ib. n.26.
Limita si hoc præceptum adimpleatur in Cathedrali. Alii limitant, si in Monasterio Mendicantium similiter adimpleatur, aut constet alibi adimpletum, quod est ab hæredibus probandum: si dubium fuerit, sepultura non carebit, ibidem num. 27.
Clericus concubinarius notoriè, moriens impœnitens, in Ecclesia non sepelitur, ibi. n.18.
Idem dicendum de meretricibus in lupanari decedentibus, etiamsi dederint signa contritionis, ib n.29.
Sed si Clericus dederit signa contritionis, contrarium est tenendum. Si Parochus agnoscat meretricem habuisse animum se convertendi, & castè vivendi, tunc in loco sacro sepelitur, ib. nu.30.
Datur animadversio, ib. n.31.
Amasia mortua inventa in cubiculo amasii, sepelitur in loco sacro, si meretrix fuerit, & ab amasio interficiatur, etsi nomen Iesu proferret, adhuc in loco sacro non sepelitur, ibid. num.32
Correpti in actu venereo, non sunt sepeliendi in loco sacro. Idem de adulteris in actu interfectis, ib. nu.32.
Fures, & latrones in prædando, vel furando interfecti, in Ecclesiastica sepultura non sepeliuntur; secus si confessi à judice suspendantur, ib. n.34.
Raptores manifesti Ecclesiarum, licèt pœnitentiam egerint, nisi restituant, sepulturæ Ecclesiasticæ non traduntur, ib.n.35.
Vsurarius manifestus non est in loco sacro sepeliendus, nisi acta pœnitentia, hæredes restituant, aut dent cautionem. Si verò usurarius restituere non mandaverit, cùm posset, etiamsi hæredes restituere voluerint, adhuc caret sepultura Ecclesiastica, ib.n.36. & seqq
An usurarius nominatim excommunicatus, aut interdictus, si in Monasterio Religiosorum tumuletur, possit præcipi à Diœcesano exhumari? Prima sententia affirmat, pag. 206. num. 37. Secunda negat, ib. n.38.
Diœcesanus, antequam usurarius sepeliatur in Monasterio, valet id præcipere; non verò si jam sepultus sit in Monasterio, & non fuerit excommunicatus, aut interdictus nominatim, ib. n. 39.
Si tamen ita fuerint, id præcipere posse defenditur, ib. num.40. Causa cœpta contra laicum, coram sæculari potest procedere contra Clericum suum hæredem, ib.
Subtrahentes decimas carent sepultura Ecclesiastica. Limitant aliqui, ubi adesset contraria consuetudo, ib. n.41.
Testator relinquens tutorem sacerdotem, olim non sepeliebatur in loco sacro, ib.n.42.
Publicè blasphemantes, nisi pœnitentiam injunctam egerint, carent sepultura sacra. Extenditur ad blasphemantes sacram Virginem, & Sanctos, ib. n.43.
Idem dicendum de parricidis, ib. n. 44. Sed an si pœnitens fuerit, dubitatur? Communis sententia, adhuc non esse sepeliendum asserit, ib.num.43. Sed contrarium tenendum, ibidem num.46.
Diœcesani carent sepultura Ecclesiastica, si in suis visitationibus occasione procurationis aliquid acceperint, dum tamen nominatim fuerint interdicti, pag.207. n.47.
Qui in infirmitate Medicum Iudæum, vel Infidelem adhibet, nisi alius non sit, non sepelitur in loco sacro, ib. n.48.
Sicut etiam exenterantes corpora defunctorum, & inhumaniter decoquentes, & ossa separantes, ut alibi reportent, si impœnitentes decedant, ib. n.49.
Monachi utriusque sexus proprietarii impœnitentes carent sepultura sacra: & quomodo alibi sepeliendi, ib. n. 50.
Qui scienter sepeliunt interdictos in loco sacro sepeliri, graviter peccant, & aliis pœnis afficiuntur, ib. n. 51. Excommunicantur aliqui, nec absolvuntur, nisi data satisfactione, si propriis manibus cadavera exenterent, & associantes, & adjuvantes. ib. n.52.
An cantantes, concomitantes, & deferentes Crucem excommunicentur. Affirmat Faber, ibid. nu. 73. Secunda sententia tantùm extendit ad sepelientes propriis manibus, ib. nu. 54. Tertia reiicit hanc sententiam, ib. n. 55. Et asserit censuram illam solùm comprehendere hæredes, Rectores Ecclesiarum, portantes cadaver, & propriis manibus sepelientes. ibidem num.56.
Ad incurrendam hanc excommunicationem an sit necessarium, ut hæretici, fautores, aut receptatores sint denunciati, ib. n. 57. Et in hac specie admittitur, & explicatur tertia sententia, ibid. num. 58.
In aliis verò interdictis non est posita excommunicatio, ib. n.59.
Violatio sepulchrorum variis modis committitur, ut ibi, pag.208. num.60. & seqq.

SEPULCHRUM.

Sepulchrorum varii situs. Inter Græcos intra urbem sepeliebantur cadavera ex lege Lycurgi, ex Solonis verò lege extra, quod receperunt Romani, pag.176. num.1. Ab hac lege excipiebantur illustriores, ib. n.2.
Ecclesia Catholica ab illius exordio extra urbem fideles sepeliebat, semper data pace: posteà verò in sacris cœmeteriis, aliquibus tamen in atrio Ecclesiæ sepultis. In Ecclesiis Episcopis, & aliis Clericis tantùm sepeliri concessum fuit, posteà sensim omnibus Fidelibus. Canonici in claustris Ecclesiæ Cathedralis sepeliebatur, ib. n.3.
Sepulchri novus possessor nequit amovere arma, & insignia primi fundatoris; poterit tamen illis non deletis sua ponere, si sit ejusdem familiæ, pag.177. n.5.
Sepulchri jure extincto, an possit Ecclesia arma, & insignia radere, ut alteri concedat? Affirmandum, videtur, ib. nu.6. Sed cum distinctione respondetur. Si aliquis sit primus institutor illius, non debentur, nisi fuerint liberalis concessio. Non tamen sepulchrum est alteri concedendum disparis conditionis, ib. n.7
Sepulchrorum arma, & insignia an probent jus illorum? Respondetur probare quoad antiquos institutores, & quoad novos, si sunt ejusdem familiæ; quoad alios verò nihil probant, ib. nu.8.
Sepulchrorum insignia, & arma debent conservare Rectores Ecclesiarum, nec permittere, ut radantur, ib. n.9.
Sepulchrum majorum non habens, si sepulturam non eligat, est sepeliendus in propria Parochia. Si defunctus sit duarum Parochiarum, datur inter eas prævention, ib. n.10.
Dantur aliquæ Regulæ ad cognoscendam propriam Parochiam, & si dubium aliquod fuerit, Ordinarius dissolvet, ib. n.11.
in Sepulchro majorum nulla est differentia agnatorum, seu cognatorum, pag. 180. n.39.
Sepulchrorum violatio variis modis committitur, pag. 208. n. 60.

SOLEMNITAS.

Solemnitas intrinseca semper præsumitur præcisè, pag. 37. n. 7. Sicut in matrimonio, & juramento ib. n.10.
Fit instantia, & respondetur ei, ib. n.11.

SOLUTIO.

Solutio debitorum pertinentium ad onera fructuum Beneficiorum, ex eis fit, pag.306. n.51. ubi numerantur, ib.

SPOLIUM.

Spolium quid dicatur, pag.368. n.1. Et diffinitur, ib.
ad Spolium non pertinet bona patrimonialia, vel quasi Prælatorum, & similiter salaria alicujus officii, ib. n.2.
ad Spolium pertinent bona acquisita intuitu Beneficii, vel Prælaturæ, remanentia tempore mortis, sed quæ pertineant ad successores, vel ad Ecclesias, & ad hoc explicantur aliqua jura, ib. n.3.
Posteà emanarunt plures Constitutiones applicantes spolia Cameræ Apostolicæ, nisi Beneficium non excedat triginta ducatos. Et ex Constitutione Gregorii XIII. ad eandem pertinent bona Religiosorum extra claustra degentium ex licentia Superioris, pag. 369. n.5.
Ex Constitutiones Pii V. ab spolio excipiuntur ornamenta, paramenta, vasa sacra, Missalia, & Gradualia, sive auri, sive argenti, & applicantur Ecclesiæ, seu Monasterio, ubi beneficium seu Prælatura adfuerit, ib.n.6.
ad Spolium pertinent bona illicita negotiatione, à Clericis acquisita, ex Constitutione Pii IV. ib. n.7.
Id in omnibus Provinciis non observatur, ib. n.7.
In Germania, Gallia & Lusitania spolia non percipit Camera Apostolica, ibid. num.8.
In Hispania solùm Prælatorum spolia à Camera Apostolica capiuntur, non verò Clericorum, de quibus testantur: non verò in Regno Navarræ, nec Aragoniæ, & similiter nec apud Indos, ibid. num.9.
ad Spolium non pertinent in Hispania bona illicita negotiatione acquisita, ibid. num. 10.
circa Spolia observandæ sunt quælibet consuetudines cujuscunque Provinciæ, & magna amplitudine. Græci schismatici facti sunt ob Collectorum injurias, ib. n.11.
Spolia ornamentorum, & aliorum pertinentium ad Ecclesias, seu Monasteria, favorabiliter sunt interpretanda, nec ad hæc extenditur indultum testandi concessum Epi-

scopis, nisi specialiter exprimantur, ib. n.12.
An pertineant ad Ecclesias illa bona, quæ deserviunt ad cultum divinum, si non sint consecratæ, ponuntur rationes dubitandi, ib. nu. 13.
Resolvitur contrarium, dummodò serviant ad divinum cultum, ibid. n.14.
An quando hæc bona emuntur ex propriis bonis, vel aliis mutuatis, pertineant ad Ecclesias. Prima sententia negat, pag.380. n. 15. Secunda affirmat, ib n.16.
Admittitur prima sententia, & explicatur Bulla Pii, ibidem num. 17.
Res sacræ in nullius bonis sunt, quando sunt Ecclesiarum; secus si privatorum sint, & poterunt ad eosdem usus vendi, ib. num. 18.
An quando Episcopus pecunia mutuata Pontificalia, & alia sacra ornamenta emerit, pertineant ad Ecclesiam, si non adsint bona ad solvendam pecuniam mutuò acceptam, aut sint danda creditori? Ponitur sententia affirmans, adhuc ad Ecclesias pertinere, ib. nu.19.
Quando creditor ad fidem alterius mutuat, non præfertur aliis creditoribus, ib. n.20.
Sed defenditur contrarium, & explicantur Solorzano, & Frasso, ib. nu. 21.
Probatur magis, an res empta ex pecunia mutuata, sit tacita hypotecha? Alii affirmant, alii negant, sed est hypotheca, si reservatur ad causam publicam, ib. n.22.
Fit instantia, ib. n.23 Respondetur, pag.371. n.24. & seq.
Creditor debet probare pecuniam illam mutuatam conversam fuisse in emptionem Pontificalis, ut in Ecclesiis, & minoribus observantur, & in emptione rerum majoratus, ib n.27. & 28.
ad Spolium pertinent bona acquisita ex redditibus, ibidem numer. 29.
Ex bonis spolii debent solvi debita Prælati, seu Beneficiati, in utilitatem Ecclesiæ; secus contracta an bona temporalia acquirenda, ib num. 30.
Et similiter quę sunt solvenda à successore, & ad funeralia, pro sustentatione personæ, pro infirmitate, medicinis, pro pecunia mutuata ad excarcerandum Prælatum, seu Beneficiatum, pro expensis litis, ib. n.30.
an Spolium percipiens teneatur ad salaria famulorum? Prima sententia negat, ibid. num.32. Secunda affirmat, pag. 372. nu.33. & 34. Tertia asserit salaria famulorum esse solvenda tantùm de æquitate, etiam non conventa, ib. n. 35.
Explicantur verba Constitutionis S. Pii V. ibid. 36.
Personis vacantibus honestioribus disciplinis debetur salarium, etiam non conventum, dummodò servitium probetur, etiamsi adsint alii creditores, ib. n.37.
Si verò non adsint, similiter humilioribus famulis solvenda sunt salaria, si sint conventa, ib. n.38.
Si verò non sint conventa, etiam debentur, si soliti sunt pro salario servire, ib. n.39.
Sed an salarium debeatur Vicario Episcopi, quando redditus officii non sunt sufficientes? Negant aliqui, ib. n.40. Sed alteri tenet contrarium, ib. n.41.
an Salarium debeatur Vicario Episcopi, si redditus non sunt sufficientes? Affirmativè respondetur, ib. n.42.
Verùm à quo solvendum, pendet ab illa quæstione, an Episcopus teneantur habere Vicarium, de qua agitur, ib. à. n.43. & seq. Resolvitur, ib.
ex Spolio sunt solvenda salaria famulis necessariis, non verò servientibus ad ostentationem: alii verò servitores debent solvi ab hæredibus, sicut observatur in majoratibus, & Regni succ. cessore, pag.373. n.46.
ex Spoliis solvenda sunt debita ex promissione, ib n.47.
Si fiant propter utilitatem Ecclesiæ, aut dignitatis, ib. n.48.
ex Spoliis sunt etiam solvendæ pensiones decursæ, ib. nu.49 Fit instantia. Pensiones solvit successor excussis bonis antecessoris, ut observantur in majoratibus, ib. n.50.
Spolii bona venduntur ad solvenda debita Prælati, aut Beneficiati, & tunc non debetur gabella, ib. n.51.
in Spolii venditionibus, licitatione facta sub hasta, an plus offerens sit admittendus? Ponuntur rationes negativæ. Licitatione facta acquiritur jus offerenti, ib.n.52.
Sed contrarium tenent aliqui. Camera Apostolica habet vicem Fisci, qui licitatione facta admittit plus offerentem, ib. num. 53.
Resolvitur quæstio, si enim venditur, aut creditur nomine Cameræ Apostolicæ, admittitur plus offerens, non ex privilegio, sed ex natura contractus, ib. n.54. Si tamen plus offerat quartum, pag.374. n.55.
Intelliguntur Doctores asserentes, in redditibus Regalibus, licitatione facta, plus offerentem non esse admittendum, ibidem num. 56.
si Spolium pertineat ad Ecclesiam, etiam admittendus plus offerens, quia restituitur, ib. n.57.
si Spolii bona venduntur ad instantiam creditorum, negandum videtur plus offerentem admittendum licitatione facta: in retractu verò semper creditores præferuntur, ib. n.58.
Sed contrarium admittendum, quando bona venduntur ad instantiam creditorum, licitatione facta plus offerens admittitur num.59.
Ex bonis spolii potest occultè compensare, qui mutuavit pecuniâ ad sustentationem Prælati, vel ad alia debita ei incumbentia ratione dignitatis, & moribundus Prælatus potest tradere. Subripiens bona spolii tenetur ad restitutionem, ib.n.60.
Iudex competens ad spolium tenetur facere inventarium, & bona sequestrare, ib.n 62.
ad Spolium Iudex competens olim erat vicinior Episcopus, hodie non observatur, sed si pertinet ad Ecclesiam, est Iudex Ecclesiasticus; si verò ad Cameram Apostolicam, collectores sunt judices ib. n.62.
Discutitur praxis Hispaniæ faciendi spolia per judices sęculares, & ponuntur fundamenta hujus praxis, ib. n.63. & seq.
Sed contra illam praxim tenent alii Doctores. In bonis Ecclesiæ, & Cameræ Apostolicæ nullus judex sęcularis potest se intromittere, pag.375.n.65.
Iudex incompetens non potest se intromittere in favorem etiam illius causæ ad eum non pertinentis, ib. n. 66. Præsertim cognoscendo, ib.n.67.
Praxis ista est periculosissima in foro conscientiæ, & nisi raro casu admittenda, ib. n.70.

SUBSIDIUM CHARITATIVUM.

Charitativum subsidium Prælatis Ecclesiasticis est concedendum & aliquando Principibus, ex concessione Apostolica, pag. 276. & seqq. n.1.
Charitativum subsidium diffinitur, & explicatur, pag.277.n.2.
Subsidium charitativum à Prælatis potest exigi, & quare, ibidem num.3.
An ad subsidium charitativum subditi possint cogi? Et negandum videtur, ibid. num.4. Explicatur. Prælati Ecclesiarum non possunt subditos collectare, ibid. num. 5. Ex causa possunt petere subsidium hoc, & subditi renuerint, possunt eos cogere, ibid. num.6.
An Episcopus quando subsidium imponit ad proprias necessitates, possit subditos compellere? Prima sententia negat: secunda affirmat, ib. n.7.
Admittitur hæc secunda sententia, si causa est manifesta, & notoria, aliàs ad Superiorem recurrendum, sicut si dubia fuisset, aut subsidium immoderatum, ib. n.8.
Subsidium charitativum potest Pontifex imponere, ib. nu. 9. Et omnes tam seculares, quàm Regulares Clerici tenentur, nec ad exemptionem valet aliquod privilegium, nisi specialiter expressum fuerit, ib.n.10.
Subsidium charitativum an possint petere Cardinales in suis Ecclesiis titularibus? Respondetur affirmativè, pag.278. n. 11. Idem dicendum de Legato in sua Provincia, ib. n.12.
Subsidium charitativum posunt petere Primates, & Archiepiscopi in suis diœcesibus, sed an in tota Provincia? Prima sententia affirmat, ib n.13. Explicantur aliqua jura, & admittitur contrarium, ib. n.15.
Subsidium charitativum possunt petere Episcopi electi, & confirmati. Similiter Commendatarii perpetui. Administrator generalis Ecclesiæ, & Coadjutor generalis Episcopi, ib.n.16.
Eodem modo Capitulum, Sede vacante, non verò statutum condere, ut subsidium in futurum solvatur. Collegium Cardinalium, Sede vacante, valet imponere subsidium, si grave periculum Ecclesiæ immineat, ibid. n.17.
Subsidium charitativum nequeunt Prælati inferiores Episcopo imponere, nisi adsit consuetudo, seu privilegium, nec Vicarius Episcopi potest imponere absque aliquo mandato speciali. Prælati Regularium posunt subsidium petere à suis Monasteriis, ib.n.18.
in Subsidio charitativo imponendo duo sunt animadvertenda, scilicet ut petat Episcopus cum Capitulo, & Clero: tum & moderatum, ib.n.19.
Subsidium posunt petere Reges à suis subditis. Privilegia ad non collectandum, non extenduntur ad hæc subsidia, ib. n.20. Sed non posunt petere ab Ecclesiasticis, ib. nu. 21. Nisi per modum eleemosynæ, ib.n.22.
Subsidium charitativum est petendum cum causa, & quantitas debet cum illa commensurari, & quæ sit causa sufficiens, arbitrio judicis relinquitur, pag.283. n.67.
Prima causa petendi est consecratio Episcopi, ib. n. 68. Secunda quando plura debita contraxit Episcopus ad tuendam suam dignitatem, ib.n.69. Tertia quando Prælatus emerit rem magni momenti, ad conservationem suæ Ecclesiæ, ib.n.70.
Quarta si Episcopus iter agat ad Papam, Imperatorem, seu Regem pro utilitate Ecclesiæ, vel quando vocaretur ad Concilium Generale, seu Provinciale, aut quando est visitaturus limina S. Petri, ib. n.71.

Quinta quando lis magna moveretur contra ſuam Eccleſiam. Idem quando Rex hoſpitaretur in domo Prælati, ib. n.72.
an Subſidium charitativum poſſit imponi ad ſolvendam mediam annatam Epiſcopatus? Prima ſententia negat, ib.n.73. Secunda affirmat, ib. n.74. Tertia relinquit cogitandum, ib. nu. 75. Admittitur ſecunda ſententia, ib. n 76.
Subſidium charitativum an poſſit peti à Prælato, qui ſua culpa in pauperiem inciderit? Prima ſententia negat, quia minor ſua culpa læſus non reſtituitur, nec uſurarius, ib.n.77.
Secunda ſententia affirmat. Pauperes, licèt ſua culpa, ſunt ſuccurrendi, pag.284. n.78.
Admittitur hæc ſententia, niſi Epiſcopus data opera ad paupertatem deveniat, ut exigeret ſubſidium. Sed adhuc in hoc caſu in extrema eſt ſuccurrendus, ib. n.79.
Cauſa petendi charitativum ſubſidium debet eſſe manifeſta, ib. num.80.
Subſidium charitativum cujus debeat eſſe quantitatis, referuntur variæ ſententiæ, & relinquitur arbitrio judicantis, ib. n.81.
Subſidium charitativum petitur ab Eccleſiis, & Clericis propriæ Diœceſis, ib. n.82.
An Epiſcopi poſſint petere à laicis ſubſidium hoc, ponitur ratio dubitandi, & reſolvitur negativè, ſicut nec poerit petere procurationes, ib. n.83.
Excipiuntur niſi ratione feudi, aut officii teneantur, ib. n.84.
Clerici ſolventes ſubſidium hoc, debent eſse Beneficiati, non tamen debent ſolvere de patrimonialibus, vel quaſi, ib. n.85.
Si Rector habeat in una Diœceſi Eccleſiam, & in altera prædia, & fructus Beneficii, debet ſolvere ubi eſt Eccleſia; ſi verò in confinio ſit Eccleſia, alternis vicibus Epiſcopis ſolet, ib n.86.
Subſidium charitativum anteceſſoris an teneatur ſolvere ſucceſſor? Prima ſententia negat, ib. n.87. Secunda affirmat, ib. num.88.
an Subſidium charitativum ſit onus reale fructuum? Affirmant aliqui, alteri negant, quoslibet admittere, ib. n.89.
Reſolvitur ſucceſſorem non teneri, & in alia ſententia, nonniſi excuſſis bonis anteceſſoris, pag.285. n.90.
ad Subſidium hoc tenentur Capitula Cathedralium, ſed non ratione diſtributionum, niſi fuerint principales fructus, ib. n. 91.
Sed an Monaſteria teneantur? Prima ſententia affirmat, ib.n.92. Secunda negat, ib. n.93.
Eccleſiæ exemptæ non tenentur, niſi habuerint populum, ibid. num.94.
An ad charitarivum ſubſidium detur præſcriptio? Prima ſententia negat, ſicut nec in facultativis datur præſcriptio. Secunda admittit in præſcriptione immemoriali, ib.n.96.
Reſolvitur, præſcriptionem immemorialem non eſse admittendam, quando tota diœceſis excuſarentur, ib. num. 97. Secus ſi aliquis particularis, ib. n.98.
in Subſidii charitativi cauſa proceditur appellatione remota, ib. num.99.

SUBSIDIUM, ET EXCUSATUM.

ad Subſidium imponendum Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis, Reges Catholici ad Pontificem recurrunt, ut ſunt variæ conceſſiones Pontificum, pag. 279. n.23.
Similiter impetrarunt excuſatum, ex Conſtitutionibus Pii V. & Gregorii XIII. cum extenſione ad Monachos S. Hieronymi, & Ciſtercienſes, ib. n.24. & ſeqq.
Tum impetrarunt fiſsas à Gregorio XIII. & Clemente VIII. qui declaravit Cardinalem exemptos à ſubſidio, ut ſolverent titulares, pag. 279. n.26. & ſeqq.
Gratiæ iſtæ conceſsæ ſunt ad ſexaginta triremes habendas contra Turcas, & alios Chriſti hoſtes, ib n.28.
Impoſitæ enim ſunt ſuper fructibus Beneficiorum omnium, & Monaſteriorum, & declaratum comprehendere Capellanias amovibiles, ib. n.29.
ad Subſidium, & excuſatum tenentur penſionarii pro rata, ſicut tenentur ad charitativum ſubſidium, ibid. num. 30. Unde qui ſolvit penſionem, poteſt ratam retinere, ibid. num. 31. Nec reſpectu illius intelligitur clauſula, *Sine retardata ſolutione*, ib. Etiamſi penſio imponatur in quantitate, ib. n.32.
Excipitur quando in Bulla penſionis ponitur. *Libera ab omni onere* ſed limita pro primo quinquennio, ib n.33.
An in hoc Archiepiſcopatu Toletano Canonici S. Juſti, & Portionarii Toletani in dimidietate fructuum, quam percipiunt primo anno vacationis, poſſint eam integram percipere, onerando ſubſidium, & excuſatum titularibus? Ponitur ratio dubitandi, ib.n.43.
Proponuntur aliqua mendacia, & reiiciuntur: reſpondetur rationi dubitandi, ib. n.35.
Quare abſque dubio tenendum eſt contrarium. In Bullis ſubſidii, & excuſati omnes comprehenduntur, ib. n. 36. & 37. Niſi nominatim fuerint excepti, pag.280. n.38.
Etiamſi Bullæ dicant, *Onere deducto*, ſubſidium, & excuſatum poſt quinquennium ſolvitur, ib. n.39.
Bulla Canonicorum, & Portionariorum eſt conceſſa, multùm ante tempus conceſſionis ſubſidii, & excuſati, & ideò nequit eximi à contributione, ib. n.40.
Fit inſtantia. Conſuetudo recipiendi aliena fraudando partes, non ſuffragatur, ib. n.41.
An quando quis non debet ſubſidium, & excuſatum, ſi ſolvat abſque proteſtatione, ſit poſteà obligatus ad ſolutionem? Ponitur ratio dubitandi, ib. n.42. Reſolvitur negativè, & diſtinguitur, ib. n.43. & ſeqq.
An ad contribuendum ſubſidium, & excuſatum ſint deducenda onera fructuum? Prima ſententia negat. In gabellis onera non deducuntur, pag. 281. n.48.
Secunda ſententia tenet contrarium. Fructus intelliguntur deductis expenſis, etiamſi mentio fiat de fructibus integris, valor Beneficii ſemper intelligitur deductis oneribus, ibidem num. 49.
Admittitur hæc ſententia. Fructus etiam in reſcriptis intelliguntur deductis oneribus, ib. n.50.
Intelligitur de oneribus perſonalibus, & realibus, ib. num. 51. Excipitur in gabella, vulgò *Alcavala*, ib.n.52. Et in decimis prædialibus, & datur ratio, pag.282. n.54. & ſeqq.
An ſubſidium, & excuſatum ſit ſolvendum ex Beneficiis curatis non habentibus, niſi congruam, ib. n.56. Reſpondetur negativè, prout in charitativo ſubſidio, ib. n.59.
Dantur rationes, quare hodie omnia Beneficia, etiam habentia tantùm congruam, ſolvunt ſubſidium, & excuſatum, ib.n.61. Fit deploratio ad hoc, ib. n.62. Explicantur aliquæ clauſulæ, pag.283. n.63.
Notatur, quod Canonici S. Juſti, & Portionarii Toletani percipiunt dimidium fructuum primi anni omnium Beneficiorum, licèt tantùm habent congruam, ib.
ad Subſidium, & excuſatum tenentur Tertiæ Regales, ib. n.64.
Quando fructus Beneficiorum per caſus inſolitos deſtruuntur, aut per anni ſterilitatem, aut per gravem diminutionem valoris, Rex Catholicus debet minuere ſubſidium, & excuſatum, non obſtante Cleri concordia, ib. n.65.

T

TEMPLA.

TEmpla materialia impugnant hæretici, pag.6. n.12. Sed latè refelluntur, ib. n.13. & ſeqq.
Templa ſacra Hiſpani conſtruxere ab anno 37. Chriſti Domini, pag.7. & ſeqq. n.20.
Templa Dei evertunt hæretici, & Deus hoc permittit ob ſcelera populi, pag.9. n.1. Sed Catholici ædificant ea cum utilitate permagna, ib. & ſeqq.
Chriſtiani ſunt templa viva Spiritus Sancti, pag.12. n.18.
Templorum forma quæ fuerit olim, ut fuit Templum Salomonis, pag.20. num.18. & ſeqq. Semper tamen retinuere formam oblongam, veluti navis, ibid. nu. 20. Et quomodo diſtincta à Templo Salomonis, ib. n.21.
ante Templorum fores fuerunt olim fontes aquæ communis, ibid. num. 22.

TESTAMENTUM PRÆLATORUM, & BENEFICIATORUM.

Teſtamentum facere poſſunt Prælati, vel Beneficiati de ſuis bonis patrimonialibus, quæ ſucceſſione, artificio, vel amicorum donatione, abſque Eccleſiæ contemplatione acquiſierunt, pag.333. num.1. Et extenditur etiam ad alios inferiores, ib. num.2.
Idem eſt dicendum de eis, quæ acquiſierunt ex aliquo officio ſeculari, vel ratione ordinis, per modum ſalarii, & ſtipendii, pag. 334. n.3. Explicatur aliqua jura, ib. n.4. & ſeq.
in Teſtamento ſuo nequit Epiſcopus hæreticum hæredem inſtituere, etiam conſanguineum, ſeu extraneum, ib. n.9.
Clerici rectè teſtantur de bonis patrimonialibus, de quibus fecerunt patrimoniam ad Ordines ſuſcipiendos, ib.n.7.
Teſtamentum an condere poſſint de bonis acquiſitis ex redditibus parcè vivendo. Aliqui negant, ibid. num.8. Alteri diſtinguunt, quando adeſt conſuetudo, ib. num. 9. Communis ſententia affirmat, ib. nu.10. Admittitur hæc ſententia, & explicatur, ib. num.11.
Teſtamentum condere poſſunt Prælati, & Beneficiati ex aliqua parte reddituum, quando tantumdem ex patrimonialibus inſumpſerint pro redditibus, aut aliquam partem dederint Eccleſiæ, animo compenſandi, ib. n.12.
Epiſcopus, ſeu Beneficiatus de jure communi nequeunt teſtamentum condere de redditibus, ib. n.13. Datur ratio decidendi, pag.335. n.14.
Aliqui tenent contrarium. Explicantur verba legis duodecim Tabularum, ib.n.15. Sed refelluntur Epiſcopi, ſeu Beneficiati ſolum habent adminiſtrationem rerum Eccleſiæ, ib. n.15.
Teſtamentum nequeunt facere plures, licèt habeant dominium rerum ſuarum, ib.n.16. & ſeq.

Teſtamentum de redditibus an facere poſſit habens beneficium ſimplex. Prima ſententia affirmat, ib.n.18.
Secunda negat, ib. n.19. Admittitur hæc ſententia in beneficiis ſimplicibus ab Eccleſia inſtitutis, ib. n.20.
In aliis Capellaniis, aut Beneficiis ſimplicibus à fundatoribus inſtitutis, ſi fructus ſunt ſalaria Miſſarum, vel aliarum functionum Eccleſiaſticarum, rectè de eis teſtantur Beneficiati, ib.n.21.
Teſtamentum an poſſint facere Canonici, vel alii ex diſtributionibus quotidianis. Alii affirmant, alii negant. Reſolvitur affirmativè, ſi diſtributiones ſint ſeparatæ à groſſa præbendarum, ib. nu. 22.
De bonis acquiſitis ab Epiſcopo, vel Beneficiato ante Clericatum rectè teſtantur Epiſcopi, ſeu Beneficiati, p.336. n.23.
De inventario in hoc caſu faciendo, vide Verbum *Inventarium* à num. 24.
Teſtamentum an concedere poſſint Epiſcopi, ſeu Beneficiati de bonis emptis ea pecunia Eccleſiæ. Affirmandum videtur, ibid.n. 32. Sed meliùs contrarium ſuſtinetur, ib. n.33. Reſolvitur, & explicatur, ib. à n.34. ad 38.
Teſtamentum condere an poſſint Prælati, aut Beneficiati ex rebus emptis & pecuniis reddituum? Ponuntur rationes dubitandi, p. 337. num.39.
Ad reſolutionem dubitatur, an res emptæ ex pecuniis reddituum, fiant ſtatim Eccleſiæ? Prima ſententia affirmat, ibid.n.40. Secunda dicit eſſe propriam ementis, ib. n.41. Tertia diſtinguit inter mobilia, & immobilia, ib. n.42.
Reſolvitur quod ſi emptio fiat nomine Eccleſiæ, illius res empta fiat. Explicantur aliqua jura, ib. n. 43. & 44. Et de eis bonis nequeunt teſtari, p.348. n.45.
Teſtamentum ſi faciat Epiſcopus, ſeu Beneficiatus ex bonis patrimonialibus, an ſint cenſenda patrimonialia, aut ex redditibus Et eſſe cenſenda ex redditibus, probare videntur aliqua jura, ib. n.46. Et explicantur, ib. n.47. & ſeqq.
Sed aſſerendum, cenſenda eſſe ex redditibus, ſi Epiſcopus, aut Beneficiatus tempore promotionis non habuerint patrimonialia, ibid.
Res à Beneficiato empta, præſumitur ex redditibus empta, niſi contrarium ab hærede, ſeu legatario probetur, ib. n.50. & ſeq. Sed ceſſat præſumptio illa, quando conſtat poſt promotionem bona patrimonialia, vel quaſi acquiſiviſſe, ib. n.52.
An quando bona patrimonialia, & ex redditibus ſunt confuſa, ſufficiat dividere pro medietate? Affirmant aliqui, ibid.n. 53. Sed explicantur, p.339. n.54.
Quando eſt dubium, an Epiſcopus, ſeu Beneficiatus habuerit bona patrimonialia, vel quaſi, præſumptio ſtat pro Eccleſia, & facienda eſt probatio in contrarium, ib.n.55.
Ceſſat præſumptio, quando conſtat de tenuitate Epiſcopatus, ſeu Beneficii, non excedente ſummam triginta aureorum de Camera. Similiter ceſſat præſumptio, quoties Eccleſiæ ſunt apud infideles, ibid. n.56.
Teſtamentum condunt de redditibus Epiſcopi, & Beneficiati, ubi adeſt conſuetudo, p.340. n.2.
Eſt graviſſimum dubium, an conſuetudo iſta ſit tuta in conſcientia ad uſus profanos, ib. n.3.
Prima ſententia negat tutam, ib. n.4. Secunda affirmat tutam ad cauſas pias, ſecus ad profana, ibid. n.5. Tertia abſolutè firmat eſſe tutam in utroque foro, ſicut etiam Pontifex, quotidie diſpenſat, ib. n 6.
Explicantur aliena jura, p.341.n.7. Et ſententiæ, & à quibus principiis pendeant, ib. n.8.
Admittitur ultima ſententia, ib. n.9. In Hiſpania conſuetudo, ut Clerici de redditibus teſtentur, magna ex cauſa ſuſtinetur, datur cauſa, & comprobatur, ib. n.10.
Noſtri Clerici contra Mauros laudabiliter pugnarunt, ib. n. 11. Et datur ratio deciſionis, ib.n.12.
Teſtamentum non faciunt Epiſcopi in Hiſpania, ſed tantùm Clerici, itaque bona eorum ad Cameram Apoſtolicam pertinent, ibid. num. 13.
An per conſuetudinem legiti[illegible]ſcriptam Epiſcopi poſſint teſtari de redditibus ad profana. Prima ſententia negat, ib.n.14. Secunda affirmat, ib.n.15.
Explicantur aliqua jura, ib. nu. 16. Et quibus modis reprobetur conſuetudo, ib.n.17.
Conſuetudo ut Epiſcopi teſtentur de redditibus ad profana ſuſtinetur, maximè ſi eſt immemorialis, p.342. n.19. Et majori ratione ſi eſt ad pias cauſas, ib.n.20.
Temperant aliqui Doctores, dummodò aliquam partem relinquam pauperibus. Explicatur hæc doctrina, ib.n.21.
Graviter tamen peccabunt ſi teſtantes omnia bona ſua relinquant ad profana, ratione ſcandali, ib.n.22.
Temperanda eſt conſuetudo iſta, ſi ſit maximè oneroſa Eccleſiis veluti ſi Eccleſia indigeat reparatione, vel aliis neceſſariis, ib.n.23
Epiſcopus, ſeu Beneficiatus poteſt teſtari de redditibus, ex indulto pontificis, ib.n.24.
An Pontifex poſſit cõcedere hanc facultatem ad cauſas profanas. Prima ſententia id concedit ex magna cauſa ad cauſas pias, ibid. n.25. Secunda concedit ad cauſas profanas, ibid. num.26.
Cum gravi cauſa admittitur hæc ſententia, ſi ſine cauſa, erit valida facultas, ſed Pontifex peccabit venialiter, ibid. n. 27 Reſolvitur in ſpecie cum cauſa, ibid.num.28.
Sine cauſa diſquiritur quæſtio, & aliqui negant, pag.343. n.29. Alteri affirmant, ibid. n. 30. Aliqui dicunt ſemper cum cauſa Principem diſpenſare, ibid.n.31. Sed explicatur, ibid.nu.32. Et reſolvitur valere indultum abſque cauſa, ſed Pontificem peccare, ſi concedat, ib.num.33.
Facultas iſta conceſſa ſimpliciter ubi Epiſcopi, ſeu Beneficiati non teſtantur, intelligitur tantùm ad cauſas pias, & extenditur etiamſi facultas dicat, *Ad quoſcumque uſus*, ibid.num.34.
An hæc facultas intelligatur pro prima vice. Prima ſententia affirmat. Qui dotem promiſit, intelligitur pro primis nuptiis. Qui habet facultatem habendi duo beneficia, de primis intelligitur, ibid. num.35.
Secunda ſententia tenet contrarium. ib.n.36. Admittitur hæc ſententia, ib & ſeq.n.37.
Teſtamentum factum authoritate Principis eſt variabile, etiamſi a beo ſit confirmatum, ibid.
An hæc facultas teſtandi exſpiret morte concedentis? Affirmant plures, pag. 344. n.38. Alteri negant, ib.n 39. Admittenda eſt hæc ultima ſententia, niſi facultas dicat, *Ad meam vitam*, vel *Ad meam voluntatem*, ib.n.40
An facultas teſtandi conceſſa iis perſonis interdictis, debeat præcedere teſtamentum. Prima ſententia affirmat. In teſtamentis duo tempora proſpiciuntur, tempus confectionis, & tempus mortis, ib. nu.41.
Secunda ſententia negat. In actu producendo ſufficit habilitas ſuperveniens, & actus teſtandi eſt pendens, ib.n.42.
Licentia, ſeu facultas duobus modis eſt neceſſaria, nempe quando petitur ut forma ſubſtantialis, ut in majoratibus, & tunc debet præcedere, vel quando eſt neceſſaria ad valorem actus, & tunc aliqui dicunt præcedere debere, ib.n.43.
Sed contrariam defenditur, & explicatur pag.345. n.44.
In majoratu conſtituendo ſufficit tacita, & præſumpta licentia Regis, ib.n.45.
In dubio quando non conſtat, an licentia præceſſerit, præſumitur præceſſiſſe, ib.n.46
Si Epiſcopus, ſeu Beneficiatus habuerint hanc facultatem impetratam, verùm teſtamentum non condant, ſuccedit Eccleſia, ſeu Camera Apoſtolica, prout fuerit in conſuetudine, niſi facultas dicat, *Succedant conſanguinei ab inteſtato*, ib.n.47.
Teſtamentum prius poſteriori derogat, p.354.n.36.

TESTAMENTVM RELIGIOSORVM.

Teſtamentum olim Religioſi faciebant, p.359. n. 2. Sed hodie ſublatum: dantur rationes decidendi, ib. n.3.
Religioſus nequit teſtari, etiamſi Monaſterium ſit capax bonorum, vel teſtamentum fiat ad cauſas pias, ib.num.4. Nec codicillos facere, nec legare, nec donare cauſa mortis, ibid. n.5.
An Religioſus poſſit aliquid modicum donare cauſa mortis ex licentia Superioris. Prima ſententia negat, qui interdictus eſt teſtari, nequit donare cauſa mortis, p.360.n.6.
Secunda ſententia affirmat. Quoties impedimentum eſt de jure naturæ, procedit regula illa, *Qui non poteſt teſtari, nequit donare cauſa mortis*: ſecus ſi impedimentum eſt de jure civili. Filiusfamilias nequit teſtari de bonis adventitiis, ſed de licentia patris donat cauſa mortis, ib.n.7.
Vxor teſtatur, ſed non donat cauſa mortis, niſi ex licentia viri, ib.
Aliqui ad donandum requirunt licentia Conventus, ſed ad modicum ſufficit licentia Superioris. Admittitur ſententia affirmativa, & comparatur donationi inter vivos, ib.n.8.
In jure donatio cauſa mortis eſt quaſi inter vivos conditionata. ib. num.9. Quare uxor licèt poſſit teſtari, nequit donare cauſa mortis, niſi ex licentia viri, ib.n.10
Teſtamentum agere an poſſit Religioſus ex licentia Superioris, de aliquibus bonis ad pias cauſas. Reſpondetur negativè, ibid. num.11.
Si Religioſus ex licentia Superioris ſchedulam fecerit ad aliqua pia poſt mortem exequenda, intelligitur deprecatoria, ib.n.12.
Si Prælatus promiſerit Religioſo adimplere ſchedulam pia continentem, an ad id teneatur. Sanchez affirmat, ibid. nu 13. Negat de Lugo, ibid.nu.14. Admittitur ſi relinquatur in vim teſtamenti, aut ultimæ voluntatis, ib.n.15.
Si tamen ſit in modum donationis inter vivos, & eſt modica quantitas, idem aſſerendum. Argumentum de ſervo ad Religioſum non eſt firmum. An dominus de jure naturæ obligetur ſervo. Alii affirmant, alii negant, p.361.n.16.
Si ſchedula ſit rei modicæ ad cauſam piam, Prælatus tenetur adimplere, ibid.n.17.
An Religioſus, qui tempore profeſſionis aliquid reſervavit ad teſtandum, poſſit de eo teſtari. Affirmarunt aliqui, ibidem num.18.
Sed contrarium cenſuit Sacra Congregatio. Religioſus ſi aliquid re-

reservat,est tantùm ad usum,ibid.num.29. Admittitur hæc sententia,ibid. n.20.
An Religiosus possit testari de rebus alienis ex consensu domini ? Distinguitur : si est ut faciat nomine proprio, non potest, ibidem num.21.
Si ut commissarius faciat nomine alterius,vel domini consentientis, valet de licentia Prælati, etiamsi ei relinquatur, ut aliquid distribuat inter pauperes,aut in alias causas pias,ibid.n.22.
Quod intelligit de Lugo, si faciat ad commodum pauperum, secus si ad proprium, ibid. n. 23. Admittitur de Lugo ex alia ratione,ibid.n.24.
An Religiosus factus Episcopus, de bonis, quæ ex sua industria acquisierit, aut de patrimonialibus possit testari ? Prima sententia negat,ibid. num 25.
Secunda sententia tenet contrarium, p. 362. n.26. Ejus fundamentum est debile, ibid. num. 27. Sed aliis rationibus defenditur, ibid.n.28.
Testamentum potest facere Religiosus ex indulto Pontificis, ibid. num.29.
Sed est difficultas, quomodo id facere possit Pontifex. Plures dicunt id non facere per dispensationem voti paupertatis,sed concedendo administrationem usque ad alienationem per ultimam voluntatem,ibid. nu.30.
Alteri dicunt facere per dispensationem voti paupertatis, ib.n.31.
Per indultum Religiosus testatur nomine proprio, ibid. num. 32. Fit instantia, & respondetur ei, ibid. n.33. Fit replica,& eidem satisfit,ibid. num.34.& seqq.
Admittitur sententia asserens hanc facultatem dare Pontificem per dispensationem voti paupertatis,ibid.n.36.
Facultas Pontificis,ut Religiosus testetur, debet esse expressa,nec sufficit generalis, ibid.num.37.
An valida sit hæc facultas absque causa? Prima sententia affirmat, ibid. num. 38. Secunda negat, ibid. num. 39. Tertia distinguit, ibid.num.40.
In hoc dubio duo considerantur. Primum, quatenus hæc facultas opponitur voto paupertatis. Secundum, quatenus continet alienationem bonorum Monasterii. Quoad primum plures Doctores requirunt causam,pag.363.n.41.
Alteri negant, ibid.n.42. Resolvitur absque causa ratione voti per se valere hanc facultatem,ibid.n.43.
Sed quatenus continet alienationem bonorum Monasterii, requiritur causa, nec absque ea potest Pontifex bona Ecclesiæ alienare,ibid. n.44.
An quando hæc facultas conceditur absolutè Monacho, possit testari ad causas profanas? Affirmavit Medina,sed contrarium tenendum asseritur.Nec primogenitum instituere valet,ibid. n.45.
Si tamen ad usus profanos illam dederit Pontifex, ex gravissima causa sustinebitur, ibid. num. 46. Quæ observanda in his facultatibus,ibid. num. 47.
Testamentum an possit revocare Religiosus post professionem ex licentia Superioris,prout potest fieri à Novitio,ibid.n.48.
Prima sententia affirmat, ibid. num.49. Secunda negat, ibid. num. 50.Tertia distinguit,& admittit solùm inter liberos,secus inter alios,ibid.n.51.
Resolvitur cum distinctione. Si religiosus est Ordinis incapacis bonorum,nequit revocare,ibid.& seqq.n.52.
Si est Ordinis capacis, ponitur casus.Si Religiosus fecerit testamentum,quando erat secularis, & nihil cogitabat de Religione capessenda, per professionem rumpitur testamentum quoad institutionem,non quoad legata,pag.364.n.53.
Aliqui petunt professionem, & quod se,& sua offerat Monasterio, sed sufficit sola professio,ibid n.54.
Si verò cogitaverit de Religione capessenda, & fecit testamentum, dicunt aliqui rumpi per professionem, sed contrarium defenditur,ibid.n.55.
In hoc casu admitto sententiam asserentem ex licentia Superioris revocare posse testamentum,ibid.nu.56.
Fit instantia, & respondetur eidem, ibid. num. 57. Comprobatur, ibid.n. 58. Monasterium poterit simpliciter revocare testamentum,ibid n.59
Testamenti dubia poterit Religiosus declarare,etiamsi fuerit Minorita,ibid.num.60.
An Religiosus extante consuetudine possit testari ? Prima sententia negat,ib.n.61.Secunda affirmat,ib.n.62.
Admittitur prima sententia negans,& rationibus roboratur,ibid. num.63.
Religiosus professus habens ascendentes,seu descendentes,quibus legitima debetur,potest inter ipsos facere bonorum divisionem, reliquum extra legitimas relinquendo Monasterio, p.365. n.64.
Limitatur si Religiosus sit Ordinis incapacis bonorum,si verò non fuisset sufficiet unus filius, ibid.n.65.
Si Religiosus moriatur ante divisionem, Monasterium legitimas reddet ascendentibus,seu descendentibus,& quæ in Castella sint legitimæ,ibid.num.66.
An Religiosus quando inter descendentes dividit legitimas,possit aliquem meliorare ? Negat Gregorius, sed non admittitur, ibid. num. 67.
Alvaradus dicit, posse meliorare aliquem descendentem in tertio & quinto, sed incautè loquitur, ib. n.68.
Restat difficultas in uno solo filio, & negandum videtur, ib.n.69. Sed in contrarium stat communis sententia. Fit instantia, & respondetur eidem, & confirmatur, ib. n.79. & seq
Quando pater habet impetratam facultatem à Rege ad instituendum majoratum ex legitimis,alimentis solùm aliis filiis relictis an Religiosus factus possit illum instituere, quinto relicto Monasterio ? Prima sententia negat, ibid. n.71.Affirmat secunda, ibid. num. 73.
Admittitur hæc secunda, & latè comprobatur, p.366. n.74. & 75.
Pater professus potest in divisione bonorum vulgariter filios substituere,instituere fideicommissum, ib. n.76.
Verum à quo tempore debeat fieri hæc divisio ? Prima sententia dicit facere posse patrem professum per totum vitæ curriculum ib. n.77. Secunda asserit, statim professione facta, ibid. n.78. & seq.
De rigore juris est admittenda prima sententia, ibid.n.80. Sed de æquitate secunda admittitur, ib. n.18.
Hucusque dicta intelliguntur de verè Religiosis. Eremitæ possunt condere testamentum, & oblati hospitalibus, ib. n.82.
Testamentum faciunt Religiosi Militares S Ioannis ex licentia Superioris, ib n.84.
Alteri Militares ex privilegio, & consuetudine testantur non solùm de patrimonialibus, sed etiam de redditibus, ib.
Clerici harum Religiorum beneficiis inservientes,possunt testari, quinto relicto Monasterio, ib. n 85.

TRANSACTIO.

Transactio nequit fieri in præcedentiis Ecclesiasticis,nisi ex licentia Superioris, & causa cognita, p. 119. n. 29.

TRIBUTA.

Tributa imponuntur ad necessitates publicas succurrendas, p.246. n.1. & seqq.
Tributa imponere solùm competit Principibus superiorem non agnoscentibus, ib. num 3. Et possunt imponere, ut aliqui dicunt,de jure divino,& hanc potestatem non solùm habent Principes Christiani, sed etiam Infideles, ib. n.4.
Tributa imponere an possint Rectores Provinciarum? Affirmandum videtur, ib.n.5. sed contrarium sustinetur, ib.n.6.
Tributa imponere de jure nostro Regio interdictum est communitatibus ultra tria milia marapetinorum,etiam ad donativa Regi solvenda, p.247. n 7.
An lex Regia debeat observari, etiam in urgentissima necessitate? Prima sententia negat, ib. n.8. Secunda affirmat, ibid. num.9. Defenditur hæc sententia, ib. n.11.
Non tamen erit locus huic doctrinæ, si urgentissima sit necessitas & adsit periculum in mora : sed tamen posteà à Consilio Regio erit confirmandum, ibid.
Sunt casus aliqui ubi non observatur lex Regia. Primus quando omnes cives consenserint, ib. nu. 12. Veluti fieri solet in confraternitatibus, ib. n.13.
Tributa non sunt imponenda ad ludos publicos, ib.n.14.
Secundus casus, quando civitas ex facultate Regia receperit censum, nec est unde redditus solvantur, ib. n.15. Fit instantia, & respondetur, p. 248 num.16. & 17. Tandem contra resolvitur, ibid. n.18. Nisi quando jam fuerit ad exequutionem processum, ibid. num.19.
Tertius casus est quando lis penderet coram aliquo judice, & in cvitate, & vila non sunt bona ad illam prosequendam, seu ad solvendam condemnationem, tunc sufficit licentia judicis, ib. n.20. Licentia Regis suppletur per sententiam,ibid.
Tributa imponere nequeunt Marchiones,Duces, Comites,& alii inferiores Dynastæ, ib. n.21.
Sed an possint tributa imponere ex jure empto, vel concesso à Rege ? Duobus modis consideratur, aut vendendo, vel concedendo antiqua tributa, vel dando, vel vendendo jus imponendi, ib. n.22.
De tributis antiquis probabiliter negant aliqui, ibid. nu. 23. Sed communiter contrarium admittitur,p.249. n.23.
An tributa imposita possint à Rege vendi, seu concedi? Affirmant plures, ib. n.26. Sed contrarium defenditur, ib.n.27.
An Reges Castellæ possint vendere,& concedere tertias Regales? Affirmant plures, p.251. n.47. Sed contrarium tenendum asseritur, ib n.48.
Laici suscipiunt decimas nomine Ecclesiæ, ib. n.49. Explicatur S. Thomas, ib.n.50. Decimæ sunt inseparabiles à titulo spirituali,ib. n.54. Explicantur aliqua jura, p.252.n.58. & seq.
Tributa possunt petere, & repetere Principes, vel tertias Regales venditas, vel concessas,& quomodolibet extractas à Regia corona,ib. n.60.
Reges nequeunt vendere, aut concedere redditus super tributa (vulgò *Iuros*,) & possunt differre solutionem,ib.n.61.Et gratias suspendere tempore necessitatis, ib.

Tri-

Tributa nequeunt Magnates præscribere ex tolerantia Principis, etiam demonstrato titulo, ibid. n. 62.
Rex potest vendere, & concedere jus imponendi tributa, prout ibi explicatur: tamen jus istud non præscribitur, ibid. nu. 62.
Tributa ad imponenda necessaria est causa, p. 253. n. 64.
Ita ut causa cessante, cesset tributum, ibid. n. 65.
Enumerantur variæ causæ tributi, ibid. n. 66.
Tributa imponere an possit Princeps, quando ex sua culpa ad necessitatem pervenit, ibid. n. 1. Negant aliqui, alteri affirmant, ibid. n. 2. Resolvitur, ibid. & seq. n. 3. Ubi quando ad pinguiorem fortunam pervenerit, an ad restitutionem teneatur, ibid.
Tributi necessitatem si affirmet Princeps, an sit credendus, Prima sententia affirmat, p. 254. nu. 4. Officiali datur fides asserenti de suo officio. Secunda sententia tenet contrarium, ibid n. 6.
Clementinam 1. de Probat. aliqui negant ad Principem extendendam. ibid. n. 7.
Princeps credendus, quando attestatur de facto proprio, & absque præjudicio tertii, ibid. nu. 9. Principi non creditur quando de contrario constat, ibid. n. 10.
In dubio si testetur de facto proprio, & in suo officio, creditur, ibid. n. 11.
Si verò non de facto proprio testetur, sed de quo scit per relationes, non credetur, ibid. n. 12. & seq.
Tributum ad causam immediatam sibi tangentem si imponatur, an Principi credatur, ibid. n. 14.
Tributa si imponat Princeps simul cum Comitiis, in dubio credendum causam esse certam, p. 255. n. 15.
Tributum an imponi possit pro defendendis aliis Regnis? Prima sententia affirmat, ibid. num. 16. Sed explicatur, & distinguitur ibid n. 19.
An sit causa justa tributi in Hispania, ad Belgas defendendos? Negatur, ibid. n. 20.
Tributum ad imponendum requiritur forma, & pro portio, itaut proportionaliter solvatur, p. 256. n. 33.
An Tributum impositum in rebus necessariis ad vitam sit justum. Prima sententia dicit injustum, ibid. nu. 34. Secunda negat, ibid. num. 35.
Explicantur aliqua jura, ibid. n. 36. Resolvitur, ibid. à n. 37. Et plura ad justitiam hujus tributi sunt necessaria, p. 257. n. 40.
A Tributis personæ exemptæ non sunt gravandæ, nempè Ecclesię & Ecclesiastici, p. 256. Sed de hac re, ut de speculativa est tractandum, ibid. n. 32.
Ad Tributa posita ad mixtam necessitatem an teneantur Clerici contribuere, sicut seculares? Affirmatur in his, quæ pertinent ad privatam utilitatem Clericorum, ibid. & seq. n. 33. Et absque licentia Pontificis, ibid. n. 35.
Sed quid si necessitas sit generalis, immediatè non tangens utilitatem Clericorum, ibid. nu. 36. Affirmant plures, ibid. nu. 37. Negant plurimi, p. 257. n. 38. Alteri distinguunt, ibid. n. 39.
Explicantur aliqua jura, ibid. n. 40. & seqq. Clerici ad tributa non tenentur ad utilitatem communem, vel quæ sunt ad ornatum, nec alio modo, nisi in extrema, aut gravissima necessitate, ut latè defenditur, ibid. n. 40. & seq.
Idem si tributum imponatur à Gubernatoribus, ibid. nu. 41. Quod intelligendum, si facultates non suppetant laicorum, & bona communia, ibid. n. 44.
Si est locus, & tempus ad consulendum Pontificem, illud est necessariò faciendum, aliàs petetur consensus Episcopi, & Cleri, nisi adsit periculum in mora, p. 258. n. 47 & seq.
Exequutio adversùs Clericos in his casibus non est facienda, nisi per Iudices Ecclesiasticos, ibid. n. 49.
A Tributis Nobiles sunt exempti, in Castella solùm à tributo vulgò Pecho dicto, eximuntur, ibid n. 50.
In Tributis requiritur ut expendantur in illam causam ad quam sunt concessa, ibid. n. 51.

V

VENDERE.

Vendere quilibet cogitur prædium ad ædificandam, seu reparandam Ecclesiam, prout quando est majus commodum publicum, quàm privatum, p. 10. n. 5.
Extenditur hæc doctrina ad Monasteria, & alia pia, sive ad ædificationem, reparationem, seu ampliationem, etiamsi prædium sit commune, ibid. n 6.
Vendere an quis compellatur, si prædium sit fideicommissi, aut majoratus? Negatur, ibid. num. 7. Sed in contrarium est communis sententia. Quoties causa est publica, hæc alienantur, utpotè pro pace, pro Scholis, ibid. num. 8. Limita nisi sit grave damnum Domini, ibid. n. 9.
An quando prædium est alterius Ecclesiæ, aut piæ causæ, sint cogendæ ad vendendum? Prima sententia negat, p. 11. n. 10. Secunda affirmat, ibid. nu. 11. Et resolvitur, ibid. n. 12
Vendere an quis compellendus, quando ædificatio Ecclesiæ, seu Monasterii non est necessaria, ibid. nu. 14. Prima sententia negat, ibid. num. 15. Secunda affirmat, p. 12. nu. 16. Quis compellitur vendere ad ornatum urbis, ibid.
Sed propter commoditatem Clericorum, & Religiosorum non est quis compellendus vendere: resolvitur quæstio, ibid. n. 17. & seq.
Sine gravi incommodo cogitur vicinus vendere prædium, seu domum ad ædificationem Ecclesiæ, seu Monasterii non necessarii, ibid. n. 21.
Vendere quando quis cogitur debet esse pretio soluto, ibid. n. 22.
An in specie fides de pretio sit habenda. Ponitur ratio dubitandi, ibid. n. 23. Negat communis sententia, p. 13. num. 24. Explicatur quando non est extrema, aut gravis necessitas, ibid. n 25.
Vendere quis non compellitur, regulariter loquendo, nisi adsit necessitas publica, & gravis, p. 209. num. 13. In ea quando deficiunt bona publica, possunt divites compelli ad mutuandum, tam à judice laico, quàm Ecclesiastico, p. 210. n. 14.
Sed an in his necessitatibus Ecclesiastici possint compelli à judice laico. Prima sententia affirmat, ibid. num. 15. Secunda negat, ibid. num. 16. Resolvitur, ibid. n. 17. Et admittitur sententia negativa, nisi quando non adsit judex Ecclesiasticus, & est periculum in mora, ibid. n. 18. & seq.
Vendere non compelluntur privati, nisi in defectu bonorum publicorum, ibid. n. 20.
Vendere in causis exequutivis, si necesse sit, est incipiendum à mobilibus, p. 301. n. 6.
Vendere non est promissio de vendendo, nisi pretio designato, p. 328. n. 67.
Vendere sepulturam, vide verbum *Sepultura*.

VICARIUS.

Vicarius Episcopi nequit dare licentiam ad ædificandam Ecclesiam, absque speciali mandato, p. 40 à n. 35. & seqq. Nec resignationes admittere, nec supprimere Beneficia, nec unire, nec vicarios imponere Parochis imperitis, nec præstare licentiam, ut jus patronatus de laico ad laicum transferatur, ibid. n. 36.
Vicarius perpetuus ex fructibus Vicariæ est sepeliendus, aliàs si non habeat, ex fructibus Ecclesiæ tumulandus erit, p. 153. n. 79.
Si Vicarius sit Ecclesiæ Parochialis, annexæ dignitati, ex fructibus Parochialis est sepeliendus, si non habet aliàs unde, ibid n. 80.
Vicarius per petuus in sua Ecclesia sepelitur. Temporalis in propria, aut sepulchro majorum, p, 184. n. 80.

UNIO.

Unio Ecclesiarum tribus modis fit, nimirum quando ex duabus Ecclesiis fit una, vel quando unitur accessoriè, p. 181. nu. 51. Vel si uniantur æquè principaliter, ibid. n. 52.
Quando uniuntur Ecclesiæ Monasteriis primo, & secundo modo, fiunt Regulares, p. 182. n. 53. Nisi fiat quoad temporalia, ibid. n. 54. Quando vero æquè principaliter fit, & deserviuntur per Vicarium perpetuum, secus dicendum, ibid. n. 55.

VOLUNTAS.

Voluntas imperfecta est, quando testator vult ad alia transire, secus quando perfecta voluntate, volebat alia distincta disponere, p. 65. n. 66.
Voluntas defuncti præsumpta est, ut de sua anima disponat post mortem, qui in vita piè rexit, p. 165. n 64.

UXOR.

Uxoribus viduis de jure civili annus luctus indictus fuit, & quare variis pœnis constitutis, p. 109. n. 28.
Sed an hæ pœnæ sublatæ sint de Iure Canonico, ut ad secundas nuptias possint intra illum annum transire? Prima sententia affirmat, ibid. n. 29. Secunda negat, ibid. num. 30. Tertia distinguit, ibid. n. 31. & 32. Quarta asserit omnes pœnas de jure civili remanere, excepta pœna infamiæ, ibid. & seq. n. 33.
Uxores jam non plectuntur pœnis de Jure Canonico, si ad secundas nuptias transeant intra annum luctus, p. 111. n. 42. Fit instantia, & respondetur ei, ib. n. 43. Explicantur aliqua jura, ibid. n. 44.
Uxor ignobilis transiens ad secunda vota, amittit privilegia nobilitatis prioris viri, ibid. num. 45. Et perdit proprietatem rerum acquisitarum à priori marito, quæ reservandæ sunt ejus filiis, & quare si cum secundo viro aliqua acquirat, & ad alia vota non transeat, liberè de eis disponit, ibid. n. 46.
De Uxoribus quod diximus, dicendum est de patribus, ibid. nu. 47. Datur vera ratio, ibid. nu. 48.
Uxor transiens ad secunda vota ex licentia viri, non amittit proprietatem rerum ab eo acquisitarum, ibid.
Hæc reservatio proprietatis non est pœna, sed quædam dispositio legalis, & non est sublata per jus Canonicum, p. 112. nu. 49.
Fint duæ instantiæ, ibid. num. 50. Si uxor habeat licentiam transeundi ad secundas nuptias à viro, non intelligitur intra annum luctus, & respondetur instantiis in contrarium, ibid. n. 51.
Uxor si intra annum luctus ad secunda vota transeat, vestes lugubres, & lectum quotidianum an restituere teneatur? Aliqui negant, ibid. num 52. Lucra acquisita durante matrimonio non perdit mulier, etiamsi nubat intra annum luctus, ibid.
Alteri affirmant, ibid. num. 53. Sed distinguitur, quando non adest con-

consuetudo dandi vestes lugubres, & lectum quotidianum, restituere non teneri. Alii dicunt vestes pretiosiores restituere teneri, secus viles, sed contrarium defenditur, ibid. n. 54.
Si adest consuetudo dandi vestes lugubres, & lectum, dicunt aliqui non teneri restituere, sed in contrarium est communis sententia. Resolvitur difficultas secundùm consuetudinem locorum, ibid. nu. 56.
Quando lectus quotidianus est restituendus, intelligitur post mortem mulieris, p. 113. n. 58.
An Uxor transiens ad secunda vota intra annum luctus, perdat alimenta sibi debita, donec dos ei solvatur, ibid. n. 59. Supponitur deberi, in æquiori sententia, ibid.
Prima sententia dicit non perdere, sicut lucra, nec arrhas, ibid. n. 60. Secunda affirmat, nisi secundus maritus pauper fuerit, ibid. n. 61. Admittitur hæc sententia, & defenditur, ibid. n. 62.
An secundus maritus possit petere interesse pro dote non soluta intra annum luctus? Affirmant aliqui, negat Sanchez, p. 114 n. 66. Interesse non debetur, nisi debitor sit in mora, ibid.
Admittitur Sanchez. Limita, nisi pactum fuerit, ut dos statim solvatur, aut legetur à viro, ibid. n. 67. Fit instantia, ibid. num. 68. Et respondetur eidem, ibid. n. 69. Herede interpellato, secundus maritus rectè interesse percipit, ibid.
Si bona dotalia fructifera sunt, ratione damni emergentis, & lucri cessantis, secundus maritus rectè percipit interesse, ibidem & seq. n. 71. & 72.
Aliqui ob solam retardatam solutionem interesse deberi affirmant, & explicantur, ibid. n. 73.
Uxor sepelienda est in sepultura viri, si matrimonium fuerit consummatum, & ea traducta ad domum viri, p 180. n. 40.
Uxor si plures maritos habuerit, aliqui dicunt sepeliendam cum primo, sed cum ultimo tumulandam esse, affirmandum, ibid nu. 41. Quod extenditur licèt maritus sit sepultus in sepultura communi, vel extra Parochiam, aut si mulier habuerit, sepulchrum majorum, ibid. n. 42.
Uxor si fuerit accusata de adulterio, & pendente lite moriatur, sepelitur in sepulchro viri, nec exhumanda erit, si posteà condemnetur, secus si decedat data sententia, ibid. & seq n. 43.
Uxorem si proditoriè maritus interficiat, an sit sepelienda in sepultura viri? Aliqui dicunt in sepulchro majorum debere recondi, p. 181. n. 44. Est observanda hæc doctrina, si mors illata fuerit absque causa, ibid. nu. 45. Uxor leviter est corripienda, ibidem.
Si verò maritus cum causa interficiat, affirmandum videtur esse sepeliendam in sepultura viri, ibid. nu. 46. Sed contrarium sustinetur, ibid. n. 47.
Uxor si interficiatur à marito in aliqua rixa, non sepelitur in sepultura viri; secus si casu, ibid. n. 49.
Uxor si decedat, & vir non habeat propriam sepulturam, sepelitur in Parochia, nec sufficiet, ut posteà à viro designetur, seu eligatur: si verò habet sepulchrum majorum, ibi sepelienda erit, ibid. n. 50.
Uxor non sepelitur cum marito, si est hæreticus, aut excommunicatus, ibid. n. 51.
Uxor potest eligere sepulturam per ultimam voluntatem, & inter vivos ex licentia viri, p. 184. n. 76.
Uxor ante matrimonium nequit renuntiare alimentis sibi debitis, matrimonio constante, p. 235. n. 45.
Inter Uxorem, & virum de jure Regio bona communicantur ad lucra, ibid. n. 54.
Uxor potest testari, sed non donare causa mortis, p. 362. n. 7.

INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ SACRÆ,
Conciliorum & aliorum Jurium, quæ in quatuor Libris hujus Tomi ſecundi explicantur.

Prior nota arithmetica Paginam, poſterior verò ſingulorum Capitum numeros deſignat.

Ex Scriptura ſacra.

ISaiæ cap.2 pag.6.n.6.
Lib.4.Regum,cap.18.p.77.n.27.
Deuteronom,cap.2.p.79.n.52 & ſeq.

Ex Conciliis.

Concilium Illiberitanum, can.37.p.78.nu.46.& ſeqq.
Concilium Illiberitanum,can.28.p.221.n.25.
Concilium Trullenſe,can.74.p.8.n.24.
Concilium Eboracenſe,can.13.p.99.n.14.
Concilium,ſeu 7.Synod.act.2.3.& 4.pag..n.32.
Concilium Carthaginenſe 3. can.13. p.301.n.4.
Concilium Tridentinum, ſeſſ.23.de Euchariſtia, cap.7.p.25.n.58.
Idem ſeſſ 31.de reform.cap.7.p.30.n.14.& ſeq.
Et ſeſſ.21. de reformat.cap.4. p.33.n.41.
Et ſeſſ.14. cap.12.p.41.n 48.& ſeſſ.14.cap.12.p.43.n.70.& ſeſſ.25.de reform.cap.1.p.296.n.11.& ſeq.

Ex Decreto.

Cap. *Locorum* 4 cap.præcepta 5.de conſecrat.diſt.1.p.13. n.27.
Cap. *Si quis vult* 41.16.q.7.p.16.n.50.& ſeq.
Cap.*Quicumque* 44.cap.*Eccleſiæ* 43.16.quæſt.1. p.32. n.31.
Cap.ult.90. diſt.cap. *Sicut excellentiam* 48. ad fin.23.q.4.pag.55. num.82.
Cap. *Altaria* 32.de conſecrat.diſt.1.p.69.n.14.
Cap. *Placuit* 26. cap.*De Fabrica* 24.cap. *Non oportet* 29. de conſecr. diſt.1. ibid.n.20.
Cap. *Si motum* 19. de conſecrat.diſt.1.p.72. n.51.
Cap. *Quamvis* 4.diſt.68.p.73.n.57.
Cap.Si per negligentiam 27.de conſecrat.diſt.1.p.74.n.4.
Cap. *Perlatum* 26. de conſecrat diſt.3.p.78.n.44.
Cap. *Nulli* 15. cap. *His ergo* 15. de conſecrat.diſt.1.p.82.n.4.
Cap.1. cap. *Tabernaculum* 2. cap. *Sicut* 11.de conſecrat.diſt.1.p.83. num.8.
Cap. *Miſſarum* 12.de conſecrat.diſt.1.p.94.n.17.
Cap. *Omnis* 69. de conſecrat.diſt.1.p.97.à n.1.& ſeq.
Cap. *De his* 7. cap.*Antiquos* 8. cap. *Quia* 15. & cap.14.& 15.10.q.1. p.100.n.26. & 27.
Cap. *Clericus* 3. diſt.91. p.103.n.53.
Cap. *Hac ratione* 9.cap. *Quomodo* 10.31. quæſt.1. p. 110. num.35. & ſeqq.
Cap. *De his* 8.31. quæſt.1. ibid.à n.38 & ſeqq.
Cap. *In cæna* 17.de conſecrat.diſt.7. p.116.n.7.& 9.
Cap. *Sabbatho* 13. de conſecrat.diſt.3.p.117.u.10.
Cap. *His qui in maternis* 115. de conſecrat.diſt.4,p.197.n.6.
Cap. *Minor* 57. cap. *Medicina* 76. de pœnit.diſt.1.p.209. n.6.
Cap. *Ius naturale* 7.diſt.1.p.212.n.4.& ſeq.
Cap. *Paſce* 21.diſt.86. p.223. n.21.
Cap. *Epiſcopus* 34.12.quæſt.2.p.334.n.4.cap. *Nulli* 15. 12. quæſt. 5. p.333.n.47. & ſeq.
Cap. *Quia ingredientibus* 9.19.q.3.p.365.n.64.

Ex Decretalibus.

Cap. *Ad audientiam* 5. de Eccleſiis ædificandis,p.14.n.38.
Cap. *A nobis* 25. de jurepatronat.p.40.n.36.& n 42. & ſeq.
Cap.1. de novi oper. nuntiat. p.43.n.64.
Cap. *In literis* 5. de Raptorib. p.47. n.7. & ſeqq.
Cap.fin.de ſepultur.ibid.n.9.
Cap. *Cùm Capella* 16. de Privilegiis, p.59. n.12.
Cap.1.de conſecrat.Eccleſiæ, p.72.n.42.
Cap. *Quod in dubiis* 3. cap. *Ligneis* 6 de conſecrat. Eccleſiæ vel Altar. ibid,n.51.
Cap.unic.de Cuſtod Euchariſt.p.80.n.56.& ſeqq.
Cap. *Eccleſiæ* 9. de Immunitat.Eccleſiar.p.84.n.20.
Cap.fin.de cenſib. p.96.n.44.
Cap. *Parentibus* 10. de Privilegiis, ibid.n.43.
Cap. *Sacris* 12. de ſepult.p.107.n.12.& ſeq.
Cap. penult.& ult. de ſecund.nuptiis,p.111.n,44.
Cap. *Ad noſtram* 3. cap. *Cùm olim* 6.de conſuet.p.128.n.25.
Cap. *Is qui* 3 de ſepult.p.178.n.13.& ſeqq.
Cap. *Fraternitatem* 4.de ſepult.p.187.n.5.
Cap. *Si quis* 3. de Furtis,p.217.n.20.& p 218 n.34.
Cap. *Suggeſtum* 9. de Decimis, ibid.n.33.
Cap. *Quod ſuper his* 8. de voto,p.227. n.23.
Cap.1. de Donat. inter, & cap.1.de divortiis,p.234.n.35.
Cap. *Odoardus* 3. de ſolution.p.240. n.23.& ſeqq.
Cap. *Finem litibus* 5. de dol.& contumac p.242.n.47.& ſeq.
Cap. *Super quibuſdam* 36. §. *Præterea*,de verb. ſignific.p.250.& ſeq. à num.44.
Cap. 2. de Locat. cap.fin. ne Prælat. vic.ſuas,p.252. n. 55. & ſeqq.
Cap. *Non minus* 4.de Immunit.Eccleſ.p.258.n.49.
Cap. *Cum ex eo* 14.de Pœnit.& remiſſ.p.273. à n.1.& ſeq.
Cap. *Præterea* 4. de Electione,cap.*Cùm Apoſtolus* 16. §.*Prohibemus*, de cenſib. p.278. n 15.
Cap. *Cùm acceſſiſſent* 8. de conſtit.p.281.n.45.
Cap.2. & 4. de Fidejuſſ. p.106.n.49.
Cap. *Relatum* 12. de Teſtament. p.311. num.24. & ſeq. & pag. 341. num.7.
Cap. *Ad hæc* 8. de Teſtament.p.330.n.7.
Cap. *Conſulti* 20. de Regularib.p.328.n.66.
Cap. *Requiſiſti* 15. de Teſtament.p.335. n.18.
Cap. *Inquirendum* 4. de Pecul.p.337.n.44.
Cap. *Cùm haberet* 5. de eo qui duxit in matr.p.346.num.4.
Cap. *Cùm ſimus* 14.de Regularib.p.366. n.79.

Ex Decretalibus in 6:

Cap. *Authoritate* 4. de Privileg. in 6. cap unic. de exceſſibus Prælat.in 6.p.16.n.52.
Cap. *Ad audientiam* 3. de Eccleſiis ædificand. pag. 30. num. 14. & p.35.n.61.
Cap. fin.de privileg.in 6.p.62. n.1. & ſeq.
Cap. *Licèt* 4.de ſepult.in 6.p.192.n.48.
Cap. 2. §. *Si quis*,de ſepult.in 6. p.187 n.5.
Cap.1. ejuſdem tituli,p.188. n.17.& ſeqq.& cap. fin. p.194. nu. 80.
Cap. *Quamquam* 3. de cenſibus,p 256 n.31.& ſeq.
Cap. *Si quis* 5. de hæreticis in 6. p.334.n.6.& 7.
Cap. *Quia ſæpè* 4. de Elect.in 6. p.341. n.16.& ſeq.
Cap. *Quia* 11. de Elect. in 6. cap. *Quia præſenti* 9. de offic. Ordinarii in 6. p.368. n.4.& 5.

De Clementinis, & Extrauagantibus.

Clement.1. de Probat.p.254.n.7.
Clement.1. & 2. de cenſib.p.285. n.91.
Extravagant.unica de Decimis,p.281, & ſeq.n.52.

Ex Iure Digeſtorum.

L. 15. §. *Si fortè*, ff de rei vendicat p 12.n.22.
L. *Quemadmodum* 29. §.1. ff. ad l.Aquiliam.p.43.n.62.
L. *Si in alienam* 7. §. *Aedes ſacras*, ff. de offic. Proconſul. pag.55. num.82.
L *Lego* 10 §. *Medico*,ff de Annuis legat p.101. n.37.
L.2. §.fin.ff.de ſervitut.prædior.urban.p.126 n 7

L.*Quem-*

L. *Quemadmodum* 29. §. 1. ff. ad l. Aquil. ibid. n. 10.
L. 1. §. *Quamvis*, ff. ubi pupill. educat. debeat. p. 145. n. 18.
L. *Qui heredes* 49. ff. Famil. erciscund. p 147. n. 38.
L. *Si servus communis* 38. §. *Idem iuris*, ff. de donat. inter. pag. 149. num. 50.
L. *Stichum* 8. §. fin. ff. de Novat. ibid. n. 54.
L. 14. §. *Si colonus*, ff. de Relig. & sumpt. funer. p. 154. n. 89.
L. *Quia proinde* 42. §. 1. ff. ad Trebell. p. 171. n. 36.
L. *Si quis* 33. ff de Relig. & sumpt. funer. ibid.
L. *Necare* 4. ff. de liber. agnoscend. p. 223. n. 21.
L. *Qui bonis* 6. ff. de cess. bonor. 226. n. 11.
L. *Sunt quidam* 15. cum seqq. ff. de re judicat. p. 225. à num. 1. & seqq.
L. *Si maritus* 43. §. *Facere* 28. ff. solut. matrim. p. 227. n. 28.
L. *Etiam* 18. §. *Licèt*, ff. solut. matrim. p. 229. n. 47.
L. *Ait Prætor* 10. §. *Illud*, ff. quæ in fraud. ibid. n. 52.
L. *Verùm* 63. ff. pro socio, p 231. n. 7. & 8.
L. *Divortio* 35. ff. de Negot. gestis, p. 235. n. 51.
L. 21. & 22. ff. de re judicat. l. penult. ff. de jur. dot. p. 236. nu. 62.
L. *Si extraneus* 33. & l. penult. ff. de jur. dot. l. *Nescennius* 41. ff. de Rei vendicat p. 237. n 70. & seqq.
L. *Commissa* 14. ff. de Publician. p. 270. n. 53.
L. ult. §. 4. ff. quæ in fraud. p. 312. n. 33.
L. *Si verò* 12. §. *Iude* 8. ff. Mandat. p. 314. n. 44.
L. *Plebiscito* 1. ff. de offic. Præsid. p. 326. n. 44.
L. *Si quis* 6. ff. de stulg. substit. p. 352. n. 11.
L. *Cohæredi* 41. §. *Cùm Filiæ*, ff. de vulg. ibid. n. 16.
L. *Ita fidei* 40. §. *Patronus*, ff. de jur. Fisci, ibid n. 19. & seq.
L. *Eum qui* 18. ff. de his quib. ut indign. p. 354. n. 35.
L. *Si alienum* 49. §. *In extraneis*, ff. de hæredib. inst. p. 356. n. 51.
L. *Sed si mors* 14. ff. de Donat. inter. p. 364. n. 56.

De Iure Codicis.

L. 2. C. de rescind. vendit. p. 13 n 26.
L. *Si testamentum* 18. C. de instit. & substit. p. 65. n. 66.
L. 14. §. de Relig. & sumpt. funer p. 139 n. 46.
L. 1. §. qui pro sua jurisdict. p. 146. n. 23.
L. *Quod in uxorem* 13. §. de Negot gest. p. 148. n. 45. & seq.
L. fin. §. de Negot gest p. 149. n 54.
L. *Si quando* 35. §. *Illud*, §. de inoffic testam. p. 159 n. 14.
L. 2. §. de Patrib. qui fil. suos distract. p. 219. n. 46.
L. unic. §. *Cùm autem*, §. de rei ux. act. p. 233. n. 24. & seq.
L. *Omnes* 12. §. de oper. public. p. 246. n. 6.
L. 5. & 6. §. de vectigal. & commerc. p. 255 n 25.
L. *Ad instructiones* 7 §. de sacros. Ecclesiis, p. 257. n. 40.
L. fin. §. ad. l. Iul. Majest. p. 270. n. 53.
L. *In ipsius* 5. §. Famil. erciscund. p. 315. n. 57.
L. fin. §. de revocand. donat. p. 326. n. 41.
L. 1. §. de nat. liber. p. 349. n. 37. & seq.

De Iure Authenticorum.

Auth. *Si qua mulier*, §. de sacros. Ecclesiis, p. 359. & seqq. per tot. cap. 13.
Auth. *Ingressi*, §. eod. tit. p. 362 n. 35.
Auth. *Licentiam*, §. de Episc. & cleric. p. 372. n. 33.

De Iure Regio Partiarum.

L. 9. tit. 3. p. 5. pag. 154. n. 91.
L. 8. tit. 17. partit. 4. p. 219 n. 46. & pag. 221. n. 71.
L. 10. tit. 13. p. 1. pag. 269. n. 49. & seq.
L. ult. tit. 21. p. 1. pag. 330 n. 6.
L. 10 tit. 13. p. 6. pag. 349. n. 38. & seq.
L. 17. tit. 1. p. 6. pag. 366. n. 83. & 84.
L. 18. tit. 5. p. 1. pag. 374. n. 63.

De legibus Tauri.

L. 28. p. 162. n. 40. & seq.
L. 36. ibid. n. 44.
L. 29. Tauri, p. 318. n. 25. & seq.
L. 9. Tauri, p. 319. n. 83.
L. 10. Tauri, p. 347. num. 17.

De noua Compilatione.

L. 5. tit. 9. lib. 7. p. 52. n. 51.
L. 8. tit. 23. lib. 8. p. 199. num. 29.
L. 1. tit 6. lib. 7 & l. 25. tit. 9. lib. 3. p. 247. n. 7. & seq.
L. 6. & 15. tit. 10. lib. 5. p. 261. n. 24.
L. 1. & 4. tit. 25. lib. 5. p. 262. n 40.
L. fin. tit. 9. lib. 6. p. 274. n. 12.
L. 3. tit. 8. lib. p. 318. n. 25. & seq.
L. 9. tit. 8. lib. 5. p. 319. & seqq. nu. 44.
L. 8. tit 8. lib 5. pag. 247. num. 21.

FINIS.

811
8

Liber Graduum

6.373